
2
3
4



HISTORIA VNIVERSITATIS PARISIENSIS

TOMVS SECVNDVS.

RL 65

HISTORIA VNIVERSITATIS PARISIENSIS

IPSIVS FVNDATIONEM,

NATIONES, FACVLTATES, MAGISTRATVS, DECRETA, Cenſuras & Iudicia in negotiis fidei, Priuilegia, Comitia, Legationes, Reformationes. Item Antiquiſſimas Gallorum Academias, aliarum quoque Vniuerſitatum & Religioſorum Ordinum, qui ex eadem communi matre exierunt, Inſtitutiones & Fundationes, aliáque id genus cum inſtrumentis publicis & authenticis à Carolo M. ad noſtra tempora ordine Chronologico complectens.

Authore CÆSARE EGASSIO BVLÆO, *Eloquentiæ emerito Profeſſore, antiquo Rectore & Scribâ eiuſdem Vniuerſitatis.*

BIBLIOTHEQUE ROYALE I

TOMVS SECVNDVS.

AB AN. 1110. AD ANN. 1200.



PARISIIS,
Apud FRANCISCVM NOEL, viâ Iacobæâ, ad Imaginem Diui Franciſci Seraphici, prope Fontem Sancti Seuerini.

M. DC LXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Sorbonne
N
384
(2)

TABVLA
PRÆCIPVORVM CAPITVM
in II. Volumine contentorum.

Idea 4. Seculi ab an. 1100. ad an. 1200.

ORdo Frontebraldenſis inſtituitur à M. Roberto Arbriſcellenſi. 5 De Schola Petri Abaëlardi. 10. & ſeq.

Quæſtio de loco Conſecrationis & inaugurationis Regum Francorum. 22

Scholæ San-Victorinæ inſtitutio. 24. 37

Vniuerſitatis Cantabrigienſis inſtauratio per Magiſtros è Francia euocatos. 27

De Abaëlardo, Anſelmo Laudunenſi & Guillelmo Campellenſi. 40

Abaëlardus Monachatus. Eius fama. 47. 48. 49. & ſeq. 54.

Origo Præmonſtratenſis Ordinis. 56

Origo Templariorum & Hoſpitaliorum. 56

Origo Theologorum Summiſtarum. 64

Synodus Sueſſionenſis contra Abaëlardum. 66.

Gualteri de Mauritania tractatus contra Abaelardum. 69

Iterum de Primatu Lugdunenſi. 89. 90

Academia Bononienſis. 134

Diſſertatio de Stephano Epiſcopo Pariſienſi. 93.

Lis inter Stephanum Ep. Pariſ. & Galonem Vniuerſitatis Rectorem. 128

Schiſma Eccleſiæ ſub Innocentio II.

De Arnoldo Brixienſi Abaelardi Diſcipulo. 105.

De Iuris Ciuilis Diſciplina inſtaurata. 134.

De Iuris Canonici Profeſſione inſtituta. ibid. 141.

Quæſtio de Feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis. 135

Inſtauratores Bonarum artium in Vniuerſitate Pariſ. 144

Concilium Senonenſe contra Abaelardum. 162.

De Hæreſi Abaelardi. 163. & ſeq. 168

Apologia ſeu Confeſſio Abaelardi. 196

Abſolutio eiuſdem Abaelardi & Obitus. 212

Scholæ Andeganenſis Status. 215

Conſilium Pariſienſe contra M. Gilbertum Porretanum. 222

Tumultus in Æde San-Genouefiana. Expulſio Canonicorum Secularium & Regularium introductio. 228

Concilium Remenſe contra Gilbertum Porretanum. 232

Ibidem de Eone Armorico & Henrico Toloſano Hæreticis. 241. 243

Vniuerſitatis Pariſienſis circa an. 1150. ſtatus & celebritas. 252

Graduum Academicorum inſtitutio. 255

De Adriano IV. Papa Vniuerſ. Pariſ. Alumno. 265

Academiæ Bononienſis Priuilegia ſub Friderico Barbaroſſa an. 1158. 278

Origo ſchiſmatis Octauiani cum Alexandro III. 283

Origo Waldenſium Hæreticorum. 292

Littera Complurium Magnatum ad Ludouicum VII. Franciæ Regem pro Scholaribus extraneis ad Vniuerſitatem Pariſ. confluentibus. 301

De Exemptionibus Monachorum. Quæſtio frequenter in Scholis agitata. 312

Concilium Turonenſe an. 1163. in quo Canon contra Monachos ad Scholas iuris Ciuilis & Medicinæ euntes. 322

Item querela Vniuerſitatis de Monachis San-Germano-Pratenſibus. 322

Diſſertatio de Epiſcopatu MM. Petri Lombardi & Mauricij. 325

Bernard. Clareuallenſ. Apotheoſis. 334

Carlomagnalia ſeu feſti Caroliui inſtitutio. 342

De Thoma Cantuarienſi. 349
Vniuerſitas Pariſienſis arbitra diſſidij conſtituta inter Henricum II. Angliæ Regem & Thomam. an. 1169. 364
Enumerantur Mecenates Vniuerſitatis 4. ſeculi. 367
Priuilegia Regentibus conceſſa. 370
Conciones ſacræ, ſeu Sermones in Scholis Pariſienſibus. 374
Collegium Dacicum in vico San-Genouefiano. 385
Queſtio de Beatitudine S. Thomæ Cantuar. agitata in Scholis Pariſ. 387
Feſtum S. Thomæ inſtituitur. 397
De Doctrina Petri Lombardi. 403.
De Librariis Pariſienſibus. 406
Pœnitentia publica Henrici II. Angliæ Regis ad tumulum S. Thomæ. 407
Commendatio Ordinum Carthuſienſis & Ciſtercienſis. 409
Comitia *Vniuerſitatis.* 411
Quæſtio de forma Baptiſmi in Scholis agitata. 412
Queſtio de Aſſumptione B. Virginis. 418
De Hæreſi Albigenſium. 416. 422
Concilium Lateranenſe ſub Alex. III. *an. 1179. contra Albigenſes vbi de Scholaſtica Præbenda & Licentia docendi.* 427. 430.
Diſſertatio de ætate M. Alani de Inſulis. 432.
Diſputat Alanus contra Albigenſes in Concilio Lateranenſi ibid.
Doctrina Alani de Tranſſubſtantiatione. 438.
Doctrina Petri Bleſenſis de eadem re. 440
Alimentarij pueri ſeu Burſarij Vniuerſitatis. 442
Schola Iudeorum Pariſienſium. 450
De lite Dolenſis Archiepiſcopatus. 451
Queſtio de fine Mundi in Scholis agitata. 459.
De Collegio Pauperum Scholarium S. Thomæ de Lupara. 463
De Rectore Academiæ Bononienſis. 476
Queſtio celebris in Scholis Pariſ. de aqua vino in Calice miſcenda. 477
De Schola San-Genouefiana. 480
Deſcriptio Montis San-Genouefiani. 481
Decretalis de Hoſpitiis Scholarium. 485
De lite Parochiæ San-Genouefianæ inter Epiſc. Pariſ. & Abbatem. 493. 538
De foro Vniuerſitatis & Iudicibus ipſius. 498.
Priuilegium fori Academici, ne Scholares extra muros educantur. 501
De Fulcone Concionatore & Fulconiſtis. 509.
Inſtitutio Mathurinenſium. 523
Iterum De Rectore Bononienſis Academiæ. 543.
De regimine Oxonienſis Academiæ. 544
Synopſis 4. Seculi. 551
De Fortuna Vniuerſitatis Pariſ. in 4. Se- Vbi de Hæreſibus ab ea extinctis aut confutatis, de ſchiſmatis ſedatis, de fauore Pontificum & Regum, ac Priuilegiis ab iis conceſſis. 551. 552. *& ſeq.*
De ſtatu Vniuerſitatis vbi. 556
Diſſertatio 1. de Facultate Artium. vbi de Grammatica, Rhetorica, Philoſophia & reliquis Philoſophiæ partibus. 556. *& ſeq.*
Diſſertatio 2. de Facultate Medicinæ. 572
Diſſertatio 3. de Facultate Iuris vtriuſque. 576.
Diſſertatio 4. de Facultate Theologiæ, vbi de tribus eiuſd. ſpeciebus, veteri, ſeu Poſitiua, Scholaſtica, & Pſeudo-ſcholaſtica. 582
Idea Theologiæ Poſitiuæ ex M. Algero. 582
Idea Theologiæ Scholaſticæ ex M. Roberto Melidunenſi. 585
Idea Theol. Pſeudoſcholaſticæ ex Gualtero de S. Victore. 629
Diſſertatio 5. de Regimine Vniuerſitatis. Vbi de Rectore, de Nationibus, Nationum Procuratoribus & Cancellario par. 661
Diſſertatio 6. de Antiquis Statutis Vniuerſitatis. 668
Diſſertatio 7. de Gradibus Academicis & 1. de Vetuſtoribus. 674
2. De Recentioribus, Baccalaureatu, Licentiatu & Doctoratu. 679
Diſſertatio 8. de Moribus Magiſtrorum & Scholarium. vbi de eorum victu, diſciplina, aſſiduitate. 686
Diſſertatio 9. de Moribus Eccleſiaſticorum. Vbi de pluralitate Beneficiorum. 690
Diſſertatio 10. De moribus Cœnobitarum. vbi de Exemptionibus & Priuilegiis eorum. 697
Catalogus Illuſtrium Academicorum 4. ſeculi. 715
Index rerum in hoc Volumine contentarum.

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
10	43	inauditaram	inauditarum
15	27	ornacum	ornatum
17	2	1203	1105
24	54	conuerſianes	conuerſionis.
29	10	maximè	maximæ
45	30	vetuſtate	venuſtate
.....	40	refugam	refugum.
49	16	aurem	autem
.....	29	publicam	publicum
50	58	trammiſſis	tranſmiſſis.
51	49	inſanis	inſaniâ
.....	50	at	aut
54	46	efflagitabantur	efflagitabant
59	50	currectionis	correctionis
61	40	Eſt	dele
86	6	a	at
97	44	homiles	humiles
99	6	vos	eos
115	54	Iuniorum	Iuniorem
119	30	decendente	decedente
110	28	vbi	vti
131	1	tuebentur	tuebuntur
134	24	non petitionem	Nam
145	27	Scholaſtici	Scholaſtico
.....	57	eminet	eliminet
146	31	cæteras	cæteros
151	15	reliquii	reliquiis
.....	31	Huiuſce	Huicce
155	8	ſubiacebant	ſubiaceant
.....	20	conceſſum	conceſſam
.....	30	Concilii	Conſilii
157	48	cem	dele
158	6	feſtis	fortis
.....	7	legatus	legati
159	15	procellam	procedam
163	3	illos laceſſebat	illos modo
167	15	nec me refert	nec mea
171	6	Partem	Patrem
194	16	ſpecioſum	ſpatioſum
.....	18	ſeueritas	ſecuritas
207	57	am	iam
215	33	intet	inter
219	24	Arcidiaconis	Archidiaconis
222	23	commorartur	commorarentur
223	44	dicam	dictam
227	28	veto	vero
232	55	Epiritus	ſpiritus
234	30	fenro	ferreo
.....	31	formas	forma
235	42	tenunciare	renunciare
236	41	perſonæ	perſona
241	6	114	1147.
245	39	tequieſcit	requieſcit
248	52	aget	eget
249	55	Sariſiis	Pariſiis
257	37	poſt nominatus	pone .
264	42	à fine fine	à fine ad finem.
268	45	confirmus	confirmamus
278	40	1152	1158.
288	25	partem	patrem
289	14	refuſerit	refulſerit
296	3	peruertebam	peruertebat
.....	56	valltem	vallem
308	10	fimiſſimas	firmiſſimas
.....	43	poſt Rex Galliæ	adde *miſit*
309	13	Iuſtitia	Iuſtitiæ
310	31	Ediſcite	Edicite
311	13	Chriſto	Chriſti

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
316	29	quentia	Eloquentia
322	22	Clauſtri	Clauſtris
326	36	diſtienda	diſcutienda
328	4	noſter carnis	noſtræ
331	24	Lacuim	Laicum
338	29	noſtra	veſtra
342	3	Saresberienſi	Saresberienſis
343	10	Chriſtiani	Chriſti
344	19	facere	faceret
.....	42	ſede	à ſede
.....	55	quondam	quodam
350	48	allaturam	allatura
365	25	ſarientes	ſapientes
367	52	Adriani II.	Adr. IV.
368	7	decamus	dicamus
.....	54	Bitunicenſem	Bituricenſem
371	3	Paſientium	Pariſienſium
372	24	Miniſtrum	Magiſtrum
.....	47	promiſſ'e	promiſſo.
373	31	degenerem veritate	degenerum vanitate
375	57	pedet	pedes
376	14	deo minuta	duo
.....	20	eam	eum
.....	41	ſpiritu	ſpiritus
377	2	honores	honore
381	5	monuinus	monuimus
.....	51	nuenire	inuenire
383	19	&	at
387	22	natus te	natus eſt
388	8	prouocatricis	prouocatrices
391	40	monte	morte
394	34	Cantuarienſem	Cantuariam
415	6	familiatatem	familiaritatem
416	57	inducti	inductæ
417	57	miniſtri	miniſtris
423	57	Regem	Regum
428	7	ſe	de
434	58	vndecimi	duodecimi
440	58	patre	pane
445	55	Adriano III.	Adriano IV.
458	58	miſit	me miſit
460	20	erant	erunt
471	28	diuinis	diuinus
.....	37	veteri	vereri
480	27	Lingonenſis	Leodienſis
481	27	exhalabar	exhalabat.
484	58	poſt Iornalenſis	pone, *ais.*
489	41	iuſſiſſe	iuſſiſſet.
496	28	Legatem	Legatum
.....	46	Angliæ. homnium	Angliæ hominum
.....	58	S.Kal.	5. Kal.
501	6	nullas	hullus
.....	7	audeas	audeat
502	26	quædam	quadam
503	14	proprius	propius
513	25	Socenſis	Soliacenſis
517	30	fer	fere
522	43	accipietes	accipientes
.....	46	arca	arcu
516	10	quoque	quodque
548	37	excluſus	excluſum
.....	46	ſolem	ſolum
555	15	conſequentium	conſequentiam
560	22	Innoc. II.	Innoc. III.
685	26	quàm lapide	lepidè
687	12	cræ	curæ
696	43	Cenonibus	Lenonibus
705	6	ne	hec
	6	nihil	nihil niſi

ADDENDA.

Ad Pag. 54 lin. 17. Post hæc verba, *Supra cæteras Florentem.*

Porro quia Magistri Vniuersitatis Parisiensis Scholas Publicas in Claustro Basilicæ exercebant: ita volentibus Episcopis & vltro permittentibus, sicque Academicæ scholæ cum Episcopalibus confusæ erant, quod dedecus Fulberto viro Illustri & de Gente, vt aiunt, Monmorenciaca acciderat, id totus Canonicorum Conuentus credens in se redundare, litem Episcopo Girberto mouit, postulauitque publicas illas à Claustro remoueri & solas Episcopales haberi. Cuius decisio litis cum non potuisset viuo Girberto qui ab ann. 1116. ad an. 1123. sedit, fieri, cum Stephano successore ita pactus est, vt nemini deinceps in parte Claustri quæ *Tressentie* dicebatur, publicè legere liceret, ibique Ecclesiæ duntaxat schola haberetur: quæ quidem transactio legitur in Paruo Pastorali Chartha 112. p. 108. his verbis.

„ *De Claustro verò Canonicorum* pro pace confirmanda & lite & inquietatione euitanda placuit
„ vtrique parti in hac pacis compositione ad plenum definiri. Quod in causa & controuersia inter Pa-
„ risiensem Episcopum Illustrissimæ recordationis Girbertum & B. Mariæ Capitulum collata senten-
„ tia iudicii minus planè definiuit. Discreta etenim prudentia tam venerabilis Stephani Parisiensis
„ Episcopi, quàm Conuentus Parisiensis Ecclesiæ euitando molestiam & inquietationem Claustro in-
„ ferri consuetam statuendo concessit, *Vt neque Scholares Extranei in domibus Claustri vlterius hospita-*
„ *ventur, neque in illa parte Claustri qua vulgo* Tressentie *nominatur, deinceps legerent, neque scholæ haberen-*
„ *tur*; sed amore & gratia Domini Stephani præsulis infra ambitum Claustri quidam locus adherens
„ Episcopali Curiæ per quem introitum & exitum scholares habebant, ex communi consensu Episco-
„ pi & Capituli electus & coopertus est, *in quo schola Ecclesiæ deinceps tenerentur & regerentur.*

Crediderim ab eo loco Scholarum Claustralium, qui *Tressentie* dicebatur, cognominatum fuisse *Thomam Tressentis* Abbatem Maurinacensem, Virum litteratissimum, quod ibi forte scholam exercuisset, priusquam ad Monachos S. Columbæ se conferret. Et ibidem quoque credibile est docuisse Abaelardum.

Ad Pag. 152. Lin. 33.

Ad hunc credo. scripsit Rex Romanorum admonens & exhortans vt filios suos, habebat enim multos, litteris imbui curaret. Qua de re sic Saresberiensis l. 4 de nugis Curial. c. 6. *In litteris quæ Regem Romanorum ad Francorum Regem transmisisse recolo, quibus hortabatur vt liberos suos liberalibus disciplinis instituì procuraret, hoc inter cætera eleganter adiecit; quia* REX ILLITERATVS, EST QVASI ASINVS CORONATVS Nisi forte dicamus ipsum Regem Romanorum ad Parisiense studium liberos suos misisse, eosque Ludouico commendasse.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

LVDOVICI XIV. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi diplomate cautum est, ne quis in suo Regno locisve ditioni suæ subiectis intra decem annos à die Impressionis primæ inchoandos excudat, vendat, excudendum vendendumque curet librum, cui titulus est, *Historia Vniuersitatis Parisiensis*, Opera CÆSARIS EGASSII BVLÆI, antiqui Rectoris eiusdem Vniuersitatis. Vt amplius eodem diplomate cauetur, Dato Parisiis 15. April. an. 1663. Signatum, Per Regem, LE GROS.

Idem verò Bulæus ius suum transtulit in Franciscum Noël, Typographum & Librarium iuxta pactum cum eo initum.

In publicas Typographorum ac Bibliopolarum Parisiensium Societatis tabulas relatum, 22. *Martij* 1664. E. Martinus Syndicus.

Hæc prima Editio absoluta fuit die vltimâ Septemb. an. Domini 1665.

QVARTVM SECVLVM VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

AB ANNO 1100. AD ANNVM 1200.

QVis fuerit hoc 4. ſeculo Doctrinæ tradendæ modus, breui in tabella depingit Hottingerus, cuius hæc ſunt capita præcipua. 1. Quidem Theologiæ noua methodus à Petro Lombardo inuenta, aut certè poſt Berengarium eiuſque ſectatores amplificata, ſumptâ à Græcis altercandi ratione, quæ tamen tum ipſi Romano Pontifici ſuſpecta fuit & damnata, tum à Pontificiis, vt ait, ſcriptoribus initio exploſa. Scholaſtica autem tum appellari cœpit κατ' ἐξοχὴν, quæ certis ætatibus abſoluta, in dies, inquit, deterior euaſit.

2. Iuris Ciuilis prudentia Imperatorum Rom. auxilio reſtituta & publicè in Academiis propoſita Iuri Canonico Gratiani Bononienſis Monachioperâ & labore conſcripto paulatim cedere cogitur. Quæ quidem Profeſſio Bononiæ primum exerceri cœpit, ſedente & annitente Eugenio: deinde Lutetiæ ſub eodem Pontifice.

3. Arabum lingua & ſtudia tum ab aliis, tum imprimis ab Anglis excoluntur. Europæi variis librorum tranſlationibus commendantur; ipſaque Muſmedicæ Religionis arcana deteguntur: quâ occaſione non modò Græci philoſophorum fontes paulatim negliguntur, ſed ipſa quoque Chriſtianæ Religionis Theologia Arabum ſpinis & barbariſmis intricatur atque impeditur.

4. Philoſophia in varias ſectas diſtincta & diſtracta ſuperbo in Theologiam dominio intolerabilis turpiter, inquit ille, degenerauit.

5. Philologia tamen ſeu politior Latinorum & Græcorum Litteratura tum Lutetiæ tum alibi in honore eſſe cœpit. Hæc ille. Haud verò ſcio, an vllo ſeculo plus floruerit ornatè peritèque loquendi methodus, quàm iſto, feruentiorique ſtudio exculta fuerit pulchra litteratura: ad cuius nempe dignitatem extollendam & amplificandam plurimum contulerunt tres Franciæ Reges litteratorum hominum & Academiæ ſuæ Pariſienſis amantiſſimi, Ludouicus Craſſus Philippi filius, Ludouicus VII. cognomento Iunior & Philippus Auguſtus Iunioris filius. Nec facile eſt numerare, quam multi nobiles Scriptores illuſtreſque viri hoc ſeculo in hac Academia extiterint, Theologi, Philoſophi, Oratores & Grammatici. Circa initium quidem, quorum nonnulli etiam ſuperiore ſeculo floruerunt, Anſelmus Laudunenſis & Radulphus fratres, Gilbertus Vniuerſalis, Hugo Farſitus, Richardus, Rupertus Tuitienſis, Algerus inſignes Theologi: Guillelmus Campellenſis, Guill. S. Theodorici Gilduinus S. Victoris primus Prior & Abbas, Petrus Abaëlardus, Hugo & Thomas San-Victorini Canonici, Guillielmus de Conchis & Bernardus Carnotenſis Illuſtres Philoſophi & Grammatici: Vlgerius Andegauenſis, Ioſlenus ſeu Goſlenus dein-

de Epiſcopus Sueſſionenſis, Gilbertus Porretanus, Henricus Murdachius Angligena, Hardevvinus Teutonicus, Gualterus de Mauritania & alij innumeri. Circa medium Petrus Lombardus, Ioannes Belethus, Adam de paruo ponte, Hugo de Campo Florido, Ioannes Sareſberienſis, Petrus Cellenſis, Arnulfus Lexouienſis, Mauricius de Soliaco, Thomas Cantuarienſis, Petrus Cantor, Petrus Comeſtor & alij plures. Circa finem Petrus Bleſenſis, Petrus Pictauienſis, Alanus de Inſulis, Petrus Corbolienſis, Innocentius III. Vrbanus III. Stephanus Tornacenſis, Guillelmus Brito, Gualterus Inſulenſis, Petrus de Riga, Odo de Soliaco, Robertus de Curthonio, Stephanus de Langetona, Ægidius Corbolienſis aliique prope infiniti: ſub quorum diſciplina triumphauit Vniuerſitas Pariſienſis, tantoque Diſcipulorum numero redundauit, vt Ciuium æquarent multitudinem. Sed Chronologiam noſtram aggrediamur.

1100. Anno 1100. quo Paſchalis II. pontificatum exercere cœpit, vehementer turbata eſt Francia & Eccleſia Gallicana, nec non Academia Pariſienſis propter illegitimas Philippi Regis cum Berthrada Fulconis Andegauenſium Comitis vxore nuptias, quam contra omnes Vrbani, deinde contra Paſchalis Pontificum preces minaſque retinere voluit, annuentibus nonnullis aſſentatoribus Epiſcopis. Itaque iuſſu Paſchalis per Ioannem & Benedictum Cardinales Legatos celebratum eſt Concilium Pictauij Epiſcoporum Abbatumque & Doctorum frequentia illuſtre; ſed quod vi & furore Guillielmi Aquitaniæ Ducis diſturbatum eſt, vbi actum de excommunicando Rege: veritus nempe & ipſe eſt Guillielmus, ne eiuſdem prope criminis conſcius eodem fulmine feriretur: quanquam amore Regis, Regni, paciſque publicæ ſtudio id ſe feciſſe profeſſus eſt. Ibi tamen duo viri clariſſimi & Sanctiſſimi, Pariſienſis olim Academiæ alumni & profeſſores Theologi aduerſus vtriuſque Principis minas pro religione & fide proque diſciplina Eccleſiaſtica intrepidi ſteterunt, Bernardus Tironenſis Abbas & Robertus de Arbricellis. Qua de re ſic ſcribit Gaufredus Groſſus Monachus Tironenſis vtrique coætaneus in vita venerabilis Abbatis ſui Bernardi.

Per idem tempus duo Cardinales Ioannes atque Benedictus Apoſtolicæ ſedis legatione fungentes ad vrbem Pictauium Concilium conuocarunt. In quo 140. Patres affuerunt, qui Philippum Regem Francorum propter Fulconis Comitis Andegauenſium vxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindictâ percuſſerunt. Qua excommunicatione comperta Guillelmus Dux Aquitanorum qui aderat totius pudicitiæ ac Sanctitatis inimicus, timens ne ſimilem vindictam pro conſimilibus culpis pateretur, nimio furore ſuccenſus iuſſit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod Miniſtris ſuis facere incipientibus, Pontifices & Abbates omnes huc illucque diffugiunt, & vt temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus atque Robertus Arbricellenſis qui Concilio intererant, fortiſſimi Iuſtitiæ propugnatores aliis turpiter diffugientibus ita immobiles conſtanteſque perſtiterunt, vt nec ab incepto excommunicationis deſiſterent, ſed pro Chriſto mortem vel contumeliam pati glorioſiſſimum ducerent. Et quamuis eis perſecutores mortem non intulerunt, iſti quantum in ipſis eſt, Martyrium pertulerunt.

Eiuſdem hiſtoriæ meminit Hugo Flauiniacenſis author ſynchronus in Chronico Virdunenſi. Poſtquam enim factum Regis atrocioribus verbis exaggerauit, de Concilio Pictauienſi à prædictis Cardinalibus habito ſubdit quæ ſequuntur. *Hi poſt Concilium Valentinum per ſe ipſos Rege conuento, cum nullam in verbis vel actibus*

» eius correptionem vel pœnitentiam fodiendo circa arborem infructuoſam & co-
» phinum ſtercoris aggerando reperiſſent, non paſſi tantam videre in Eccleſia Ca-
» tholica ignominiam & conculcationem, membrum putridum in Concilio Pi-
» ctauienſi à compage Corporis Chriſti gladio anathematis præcidere non metue-
» runt. Aderat ibi Comes Pictauienſis ſumma prece eos depoſcens, ne Dominum
» ſuum excommunicarent. Aderant & Epiſcopi idemtidem facientes; & cum non
» impetrarent quod volebant, a conſeſſu & loco Concilij, idem Comes & ſui mi-
» nas intendendo, aliqui quoque ex Epiſcopis, multi ex Clericis, innumerabiles ex
» Laïcis exierunt. Sic ordine turbato, pace in tumultum versâ illi remanſerunt qui
» Phinees zelum imitari geſtiebant, & ſicut ille ſcortum Zamariæ cum Chorami
» Madianita gladio pupugit, furoremque Domini placauit; ſic & iſti non veriti fre-
» mitum perſtrepentium, adulterantem Regem cum adultera, quem corrigere ne-
» quiuerunt, pugione excommunicationis perfoſſum, vitæ quæ in Chriſto eſt, ex-

torrem reddiderunt. Hoc autem actum eſt quando iam ſoluendum erat Concilium. Iamque laus Chriſti in ore eorum, qui adſtabant pro dimiſſione Concilij vt moris eſt reſonabat & æſtus turbæ tumultuantis vt feruor maris incandeſcebat pro Domini ſui Regis excommunicatione inſanientis, cùm quidam è populo in ſuperioribus conſiſtens Eccleſiæ lapidem iacit, Cardinales ferire volens, cuius ictu Clericus quidam qui aſtabat, capite illiſo proſternitur, ſanguine manant pauimenta, clamore confuſo domus impletur, furore & inſania intus & extra miniſtri ſathanæ debacchantur. Manent Columnæ Chriſti immobiles, mortem ſi Dominus iubeat, intrepidi operientes, & ad ſaxa volantia mitris ablatis capita nuda retegentes, nec aliquando à laude Dei & prædicatione veritatis reticentes, quod voce proſequuti erant, ſanguine confirmare, ſi ſit neceſſe, geſtientes. Quorum conſtãtia deuota & deuotio conſtantiſſima furentium facta eſt repreſſio & ad pœnitentiam cordium inclinatio. Adeo vt Comites & quotquot antea graſſabantur in confuſione eorum, humiliati ſint in conſpectu illorum ſatisfactione præmiſſâ & prætentâ obedientiâ.

Dum autem Pontifex ipſiuſque legati Regem vrgent vehementius ipſe vicißim iratos animos ſibi demitigare pro nihilo habens, impulſu ſuæ Berthradæ Stephanum de Garlanda contra ipſius Papæ interdictum, contra Decreta Gregorij & Vrbani, hominem illiteratum, nec ſatis caſtigatæ vitæ, propterea que cenſuris illigatum, nihilominus Epiſcopum Beluacenſem conſtituit. Quod vt intelligit Iuo Carnotenſis, ſtatim Legatos per litteras certiores facit, ne promotionem hominis tam indignam tamque Eccleſiæ iniurioſam fieri patiantur. Iuonis Epiſtolam, quia de Stephano illo nobis ſæpe dicendum eſt, his attexere non erit ſuperfluum.

Quia Beluacenſis Eccleſiæ lapſum dudum vobis ex parte per litteras inſinuaui, nunc in quantum profundum malorum deſcenderit, ſollicitudini veſtræ reticere non valeo, ne mea taciturnitas mihi reputetur in vitium & veterno ipſius Eccleſiæ morbo nullum procuret adhibere remedium. Prædicta enim Eccleſia tandiu iam bonos deſueuit habere Paſtores, vt malos habere videatur ei quaſi legitimum, bonos autem eligere quaſi nefarium. Quod in hoc ſatis patet, quod aduerſum litteras D. Papæ & veſtras de electione vel aſſumptione Epiſcopi illicita perhibentes ad contemptum ſedis Apoſtolicæ irriſoria & contemptibilia verba in vos protulerunt, & poſtpoſitâ omni Canonicâ obedientiâ Clericum quendam illiteratum, aleatorem, & cæteris huiuſmodi lenociniis vacantem, procul etiam à ſacris ordinibus inuentum, quondamquoque propter publicum adulterium à Legato Rom. Eccleſiæ Lugdunenſi Archiepiſcopo (Hugone) de Eccleſia electum pro voluntate Regis & illius contubernalis ſuæ in Epiſcopum aſſumpſerunt. Prædictus autem Intruſus Stephanus vocatur de Guarlanda, cui ſi ad Epiſcopalem miniſtrationem aliquando Apoſtolica authoritate patuerit aditus, manifeſtum eſt noſtris temporibus exitiale ſilentium impoſitum eſſe Canonicis legibus. Quomodo enim ad fontem ſcientiæ pertingemus, ſi ab ipſis qui clauum tenent intrare non permittimur?

Interim dum Stephanus ad Papam proficiſci cogitat, ſeque Romanæ Curiæ Palatinos pecunia corrupturum pollicetur, maior pars Cleri Beluacenſis eo reprobato ne Papam ſibi faceret iratum, Galonem virum litteratiſſimum, S. Quintini Abbatem elegit: quâ de re Iuo ad Paſchalem. *Beluacenſes Clerici* melioris famæ & ſanioris conſilij præcedente Conſilio veſtro, Conſilio Optimatum Diœceſis ſuæ & laude populi Dominum Galonem, virum vita honeſtum liberalibuſque ſtudiis & Eccleſiaſticis Diſciplinis ornatum in Epiſcopum ſibi elegerunt. Pauci tamen ex Clericis Stephani illius repudiati Complices, quos ſibi pelliculis peregrinorum murium atque aliis huiuſmodi vanitatum aucupiis ineſcauerat, huic electioni non adſenſerunt, nec tamen ei aliquid quod ſacris Canonibus obuiet, obiicere potuerunt. Cum vero rem per ſe impedire non valerent, Regem adierunt, quædam verba auribus eius inſtillauerunt quæ facile in cor eius eliquauerunt, videlicet quod prædictus Electus Diſcipulus meus fuerit, apud me nutritus, apud me eruditus, addentes quod à ſanctitate veſtra fuerit electus, & quod magnus ei futurus eſſet aduerſarius, ſi in Regno eius aliquando fuerit Epiſcopus. Ex ita virulentis his verbis ſuccenſus & ab omni bona voluntate

» turbatus non vult electioni aſſenſum præbere, nec electo bona Epiſcopalia di-
» mittere.

Veruntamen Galo remanſit Epiſcopus, nec Stephanus conſecratus eſt. Erat autem ille Frater Anſelli de Guarlanda Militiæ Francicæ Principis & Dapiferi: & ipſe poſtea poſt Anſellum & Guillelmum fratres Ludouici Craſſi Cancellarius fuit: Vir ſuo tempore ita potens apud Regem, vt omnia pro arbitrio moderaretur: quemadmodum legitur in Chronico Mauriniacenſi lib. 2. *Stephanus Cancellarius, Anſelli Dapiferi frater & priuatiſſimus Regis Conſiliarius, cuius tunc temporis arbitrio Regnum Francorum diſponebatur.* Et paulo poſt: *Vuillelmus Dapifer qui Seneſchallus appellatur, Stephanus quoque Cancellarius frater eius, cuius conſilio tota Francia regebatur.* Cum autem electus eſt Epiſcopus, valde iuuenis tum adhuc erat, necdum per ætatem conſecrari poterat; eratque tum tantummodo Clericus & Canonicus Stampenſis. Cum vero hoc illi obiiceretur ad repulſam, quod ſacros Ordines nondum conſecutus Epiſcopalem gradum affectaret, Subdiaconatus & Diaconatus Ordines confeſtim ſuſcepit: at Rege conuerſo & dimiſſâ Berthradâ, vt infra dicetur, vt ſe vidit Stephanus repulſam paſſum & à Rege derelictum, dimiſſo quoque Presbyteratus & Epiſcopatus conſilio, de poteſtate ſeculari augenda deinceps cogitauit, & Maioratum Regiæ Domus obtinuit, Militiæque Princeps conſtitutus eſt: quod quam indignum eſſet Diacono, indicat idem Chronologiſta Mauriniacenſis. *Stephanus Cancellarius de quo ſuperuiuente fecimus mentionem frater amborum* (Anſelli & Guillelmi) *Maior Regiæ Domus effectus eſt. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, vt homo qui Diaconatus fungebatur officio, militiæ ſimul poſt Regem duceret Principatum. Hic vir induſtrius & ſecularibus præditus ſapientia cum multis Eccleſiaſticorum bonorum reditibus, tum familiaritate Regis, quam ſic habebat, vt ei potius à quibuſdam diceretur imperare quàm ſeruire, temporali felicitate ſupra omnes mortales noſtris temporibus efflorebat.* Diu autem ille Cancellarii functus eſt officio, idque nomen in omnibus fere Diplomatis Regiis habet, vt legitur in Chartulario S. Maglorii, ad annum vſque 1133. Hæc de Stephano, cuius gratiam & amicitiam Petrus Abaëlardus ſibi demeritus eſt, ab eoque de cuſtodia San-Dionyſiana eductus & liberatus.

Iam verò quid acciderit, poſtquam Rex in Concilio Pictauienſi ſacris arcitus eſt, explicat Hugo Flauiniacenſis author Synchronus, nimirũ ipſo alicubi commorante clauſas Eccleſiæ ianuas, vt accidit Senonis, vbi per 15. dies, quo tempore Rex ibi fuit, nullæ Miſſæ, niſi per vim fuerunt celebratæ. Per vim, inquam, Rex enim miſſis Apparitoribus Eccleſiæ fores effringi, & ſacrum fieri iuſſit, ſuadentibus nonnullis viris Doctis & aientibus Regem non poſſe publicè Cenſurâ ſeu Excommunicatione feriri, factumque Legatorum omnino improbantibus, quaſi ſeminarium inteſtini belli & incentiuum defectionis: quod nec ipſe Papa videtur approbaſſe. Hac de re ſic Hugo poſtquam de Cenſura Pictauienſi fuſè diſſeruit. Quantam autem fidei frugem virilis illa propugnationis
» cœleſtis ſeges attulerit, hinc colligi poteſt, quod poſtea cum apud vrbem Seno-
» nem Rex cum Regina ſua per 15. fere dies remoratus fuiſſet, clauſis tota vrbe Ec-
» cleſiis, nulla facta eſt ei Chriſtianitas, in tantum vt Ihezabelis furor vſus nouita-
» te profana manus impias in Deum extendens miſſis apparitoribus Eccleſiam
» frangeret & ſibi miſſam à ſui ſimilibus dici cogeret. Væ humanæ impudentiæ!
» inerubida, ſeruilis, & non regii animi cauillatio Romana vſa leuitate, nunc vſ-
» que Reginam ſuam tuetur & dedecoroſis amplexibus erroris & impudicitiæ
» æſtibus ſuccenſa coronæ dignitatem dedecorat: & cum olim ad exorandum
» Deum Gentiles Reges & abſque iugo leges dederint & blaſphematoribus ſeu
» contemptoribus Dei vindictam intentauerint; hic Regni Francorum propagator,
» Chriſtianæ legis propugnator contraria præceptis prædeceſſorum peragit, leges
» Sanctas & Romanorum Pontificum ſtatuta conuellit: & quod peius eſt, eiſdem
» patrocinantibus, ſi dici licet quod pudet, ignominiæ ſuæ defendit cauſas, excu-
» ſationes prætendit, & à quibus cogi debuerat, vt reſipiſceret, eiſdem fauenti-
» bus admonetur, vt in iniquitate perduret. Agit hoc auaritiæ gurges inexplebi-
» lis, qui dum nequit expleri, nouit reſecanda tueri.

Ex his verbis aperte colligitur non fuiſſe probatam Romæ Cenſuram, quam prædicti Cardinales in Concilio Pictauienſi tulerant. Sed nec depoſitionem Æ-

duenſis Epiſcopi Norgaudi, cuius promotionem ſimoniæ notâ inuſſerant: vnde illi indignati, & in ſua ſententia nihilominus permanentes, Paſchalemque publicè reprehendentes, Roma relicta ab omni eius familiaritate & conſilio ſe ſubſtraxerunt.

Ad hunc annum notant Hiſtorici initia Ordinis Fontebraldenſis per Robertum de Arbricellis, de quo ſic ſcribit Author Chronici Malleacenſis. *Eodem anno Robertus Magiſter cæpit dignoſci apud Nos, & incepit locum Fontis Euraldi ædificare & Fratres & Monachos adunare in pluribus locis qui in diſciplina ſua religiosè viuunt, & tenent Ordinem eo viuente & mortuo apud Tucum, apud Podium, apud Calfurnum, apud Raretum, apud Giraudia, apud Lopiæ, apud Tandam, Aurelianis, Villa-ſale, Vrſinia, Brienas.* Eandem fundationem notat Chronicon Turonenſe his verbis. *Anno Domini 1100. Philippi Regis 40. Concilium Pictauis celebratur: nec multo poſt Abbatia Fontis-Ebraldi in Pictauenſi Diœceſi fabricatur. Primus autem eius conditor extitit Robertus de Arbriſello, qui & Monialibus vitæ Religioſæ regulas in duos hodie diſtributas libros præſcripſit.* Et Villelmus Malmesburienſis qui hiſce temporibus viuebat, l. 4. de rebus Anglicis ſic ſcribit. *Petri Pictauenſis Epiſcopi fuerunt contemporanei & in Religione ſocij Robertus Arbriſellenſis & Bernardus Abbas Tironenſis. Quorum primus omnium huius temporis ſermocinatorum famoſiſſimus & perfectiſſimus, & tantum non ſpumea, ſed mellea viguit eloquentia, & hominibus certatim opes congerentibus illud egregium ſanctimonialium condidit Monſterium apud Fontem Ebraldi, in quo totâ ſeculi voluptate caſtratâ fœminarum Deo dicatarum, quanta nuſquam multitudo in Dei feruet obſequio.*

Ordo Font. ebraldenſis inchoatur.

Guillelmus Neubrigenſis hiſce duobus Roberto ſcilicet & Bernardo addit Vitalem Sauiniacenſis Cœnobii in confinio Normaniæ, Cenomaniæ & Armoricæ regionis ſiti fundatorem: qui tres viri cum Petro Pictauienſi Epiſcopo non modò tunc litterarum decore, ſed omnium quoque ſplendore virtutum cæteris prælucebant, illique ſcholæ Pariſienſis alumni & Magiſtri, ſuique ſinguli Monaſterii, quaſi de condicto fundatores extiterunt. Robertus Fontis-Ebraldi, Bernardus Tironis in agro Carnotenſi, & Vitalis Sauiniaci in Abrincenſi: de quibus ſic ſcribit Neubrigenſis lib. 1. cap. 15. *In tranſmarinis partibus ſicut à maioribus accepi, tres memorabiles viri vno tempore fuêre, ſcilicet Robertus cognominatus de Arbuſculo, Bernardus & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi & ſpiritu feruentes circuibant per caſtella & vicos, ſeminanteſque ſecundum Eſaiam ſuper omnes aquas de conuerſione multorum fructus vberes colligebãt pio interſe placito conſtituto. Quod Robertus quidẽ fœminarum communi labore ad meliora conuerſarum ſollicitudinem gereret: Bernardus vero & Vitalis Maribus propenſius prouiderent. Robertus itaque famoſiſſimum illud Monaſterium fœminarum de Fonte-Ebraudi conſtruxit, & regularibus Diſciplinis informauit. Bernardus vero apud Tironiam & Vitalis apud Sauiniacum Monachis regulariter inſtitutis, ſuos quiſque ab alijs per quaſdam præceptorum proprietates diſtinxit.*

Porro, Font-Ebraldenſe Cœnobium dotarunt Aremburgis & Adelaïs eius filiæ inſignes Matronæ & Comitiſſæ, Bellayius Dominus Monſterioli, Gunterius Toparcha de Monte Sorello, vterque Fulco Andegauenſis, Comites Britanniæ, Reges Angliæ, & alii plurimi Nobiles. Prima ibi conſtituta Abbatiſſa Herſendis de Campania, filia Pagani de Campania, vxor vero Guillelmi Domini Montis-ſorelli; illaque poſt mortem mariti prima Roberto ſacra Euangelia prædicanti & Ordinis fundamenta iacienti adhæſit an. 1101. ſpretâ ſuâ qua prælucebat, Nobilitate, inquit Baldricus. Quod exemplum plurimæ aliæ Nobiles Matronæ, viduæ Virgineſque imitatæ ſtatim magno numero Cœnobium impleuerunt. Hinc fama Roberti ingens ſpargitur. Hinc quoque inuidia ſerpit & detractio: licet enim ille vitæ eſſet integerrimæ, habuit nihilominus malignos Detractores; qui quod Sanctimoniales plurimas collegiſſet, cumque iis conuerſaretur ſatis familiariter, ſiniſtros de eius caſtitate & continentia rumores euulgarunt. Vnde Gaufridus Vindocinenſis lib. 4. Ep. 47, acriter cum eo agit his verbis.

Gaufridus Vindocinenſis Monaſterii humilis ſeruus ſuo in Chriſto multum dilecto fratri Roberto ſeruare modum diſcretionis & terminis quos patres poſuerunt, eſſe contentum. Nouit chariſſime & bene nouit tua dilectio [illegible] quid aliter agere eſſe humanæ imperfectionis, & quod aliter actum eſt, nolle corrigere, Diabolicæ præſumptionis: in nullo agere præter id quod eſt agendum, eſſe An-

„ gelicæ perfectionis quam habere minimé poteſt, quandiu hic ſumus, noſtra con-
„ ditio. Dum igitur non habemus perfectionem Angeli, nullatenus habeamus
„ præſumptionem Diaboli. Hæc idcirco, venerabilis Frater, propoſuimus, quia
„ te talia egiſſe & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtra audiuimus: quæ ſi vera
„ ſunt, vt nulla excuſatione defendas, ſed cum omni feſtinatione corrigas, tuam
„ ſimplicitatem germanæ charitatis viſceribus commonemus. Audiuimus enim
„ quoniam circa ſexum fœmineum quem regendum cepiſti, duobus modis altero
„ alteri prorſus contrario te ita ſollicitum reddis, quod modo in vtroque modum
„ diſcretionis excedis. Fœminarum quaſdam, vt dicitur, nimis familiariter te-
„ cum habitare permittis; quibus priuata verba ſœpius loqueris, & cum ipſis
„ etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis. Hinc tibi videris, vt
„ aſſeris, Domini Saluatoris dignè baiulare crucem, cum extinguere conaris malé
„ accenſum carnis ardorem. Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, nouum & in-
„ auditum, ſed infructuoſum genus Martyrii inueniſti. Certè nec vtile fieri po-
„ teſt, nec aliquo modo fructuoſum quod contra rationem noſcitur eſſe præſump-
„ ptum. Tu autem contra rationem non mediocriter præſumpſiſti, ſi qualibet oc-
„ caſione cubaſti cum mulieribus quas mundo furatus, lucrari Domino debueras.
„ Præſertim cum prohibitum ſit à Salomone in ipſo & per ipſum Spiritu ſancto
„ intonante. *Cum muliere*, inquit, *non accumbas, nec ſis aſſiduus cum ea, nec illam conſpi-*
„ *cias ne forte ſcandalizeris in pulchritudine illius & pereas.* Et iterum: *Mulier pretio-*
„ *ſas animas capit: cuius colloquium velut ignis cor hominis accendit.* Nunquam, Fra-
„ ter, de tua Religione tantum confidas, vt credas te non poſſe labi, ſi cautè non
„ ambulas. Labilis eſt mundus, plenus limo, diu in eo ſtare firmus homo non po-
„ tuit. Subitò lapſus eſt, vix aut nunquam ſurrexit. Tu quidem in mundo quaſi
„ montem excelſum adſcendiſti, ac per hoc in te linguas & oculos hominum con-
„ uertiſti. Ergo ſtans in monte vide ne corruas; nec per martyrium martyribus
„ ſanctis penitus ignotum Religioſæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas.
„ Nulla etiam tua actione mundo, qui pene totus te ſequitur, ſuſcites ſcandalum:
„ nam fieret tibi damnatio grauior ruina plurimorum. Mulierum quibuſdam ſi-
„ cut fama ſparſit, & nos ante diximus, ſœpe priuatim loqueris & earum accubitu
„ nouo quodam martyrii genere cruciaris, Illis ſiquidem te ſemper iocundũ oſten-
„ dis & alacrem actione, omneque genus humanitatis exhibes nulla ſeruata parci-
„ tate. Aliis verò, ſi quando cum ipſis loqueris, ſemper locutione nimis durus ap-
„ pares, nimis diſtrictus correctione. Illas etiam fame & ſiti ac nuditate crucias,
„ omni relicta pietate. Quod ſi ita eſt, vehementer in vtroque offendis, & mo-
„ dum totum diſcretionis tranſgrederis. Nam & erga illas nimium irremiſſibiliter,
„ & contra iſtas nimium pœnaliter agis. Duram valde prouinciam regere cœpiſti,
„ & quæ ſuum Rectorem ſœpiſſime traxit ad mortem. A muliere enim initium
„ factum eſt peccati, & per illam moriuntur homines vniuerſi. Vnde tibi ita pru-
„ denter ac ſimpliciter agendum eſt, vt te & matrem pietatis gratia, & patrem cir-
„ ca mulieres exhibeat diſciplina; & quæ minus non habebant perfectionis, mi-
„ nus non habeant tuæ dilectionis. Non vna à te plus diligi debet quàm alia, niſi
„ **quæ melior fuerit inuenta. Iuxta modũ meriti vel culpæ extende modum cor-**
„ rectionis vel gratiæ. Illud tamen præcipuè in mente tua fixum teneatur, quod
„ in Euangelio Dominus dicit: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſe-*
„ *quentur.* Fragilis eſt multum & delicatus ſexus fœmineus: & ideo neceſſe eſt, vt
„ pietatis dulcedine potius quàm nimia ſeueritate regatur, ne forte abundantiori
„ triſtitia abſorbeatur: & qui eum regere debet, ſic à Sathana circunueniatur.
„ A Sathana Rector circunuenitur, ſi per nimiam triſtitiam regendũ perire contin-
„ gat qui potuit liberari per indulgentiam. Cum de pietate tuam hic hortamur
„ bonitatem, tibi auferre nolumus Iuſtitiæ actionem. Te iuſtum eſſe pariter deſi-
„ deramus & pium. Sit igitur tibi pietas reſpuens inordinatam remiſſionem: ſit ti-
„ bi Iuſtitia piam ſemper habens compaſſionem. Vale & nos tuarum ſanctarum
„ precum, ſuppliciter precamur, participes effice.

Verum quàm iniquo & malè affecto animo fama tam ſiniſtra de Roberto ſpar-
ſa fuerit, ex aliorum coætaneorum Authorum ſcriptis euidenter intelligitur, at-
que ex confirmatione Ordinis ab eo inſtituti, quam ille à Paſchale Pontifice atq;
à Petro Pictauienſi Epiſcopo paucos poſt annos obtinuit. Petrus enim qui erat

ei amiciſſimus, in cuius Diœceſi Fons Ebraldi poſitus erat, Romam profectus,& Sancti huius Inſtituti fructus vberes declarans facilè à papa eius confirmationem protectionemque Romanæ ſedis Roberto ſuo impetrauit : idque hoc ſuo Reſcripto omnibus notum fieri voluit.

Ego Petrus D. G. Pictauienſis Epiſcopus. Notum facio omnibus tam præſentibus, quàm futuris, quòd in noſtro tempore quidam vir Apoſtolicus nomine Robertus de Arbriſſello(al. Herbreſſello) verbo diuinæ prædicationis ſagaciter invigilans & tonitruo ſanctæ exhortationis plures tam viros, quàm mulieres è ſeculari luxu reuocans in noſtra Diœceſi Eccleſiam quandam in honore S. Mariæ Virginis fundauit in loco qui FONS-EBRAVDI vocatur, quem locum Aremburgis vxor Vvidonis filii Oſmundi & Riuaria filia eius (Adelais dicta) ad ædificandam prædictam Eccleſiam ſibi dederunt, adiicientes terram 4. bobus excolendam in duobus temporibus : ipſe verò in prædicta Eccleſia plures congregauit mulieres, quas Sanctimoniales conſtituit, vt ibi regulariter viuerent, & mundanis voluptatibus abrenunciantes ſoli Deo deſeruirent. Non multo verò poſt tempore EGO DOMNVM PASCHALEM APOSTOLICVM adiens ab eo impetrauì, quod prædictam Eccleſiam ſuo priuilegio muniuit & ibi ſemper Sanctimoniales eſſent, Apoſtolica authoritate firmauit. Ego quoque authoritatem PASCHALIS PAPÆ ſequutus vice à Deo mihi conceſſa idem confirmo, vt nulli perſonæ liceat Regulam Sanctimonialium in illa Eccleſia deſtruere vel mutare, neque ipſas Sanctimoniales inquietare vel perturbare : neque de rebus quas iuſtè poſſident, aliquid auferre vel minuere ; ſed quidquid iis iuſtè datum ſiue debitum, in perpetuum quietè poſſideant : & ſi quis aliquo modo contra priuilegium Apoſtolicum & noſtrum præceptum facere præſumpſerit, perpetuæ maledictionis gladio feriatur & illius machinatio irrita deficiat. Hoc autem factum eſt ex conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum Pictauienſis Matris Eccleſiæ Canonicorum. Quod vt firmum permaneret, manu propria ſignauimus & aliis ſignandum tradidimus. Sig. Petri Epiſcopi. S. Aymerici Decani. S. Willielmi Archidiaconi. S. Aruæi Archidiaconi. S. Petri Archidiaconi. S. Willielmi Magiſtri Scholarum. S. Raginaldi Subdecani. S. Rainerij Capicerij. S. Canonicorum. Tradita Pictaui in Capitulo anno ab incarnatione Dom. 1106. indictione 19. Epacta 14. Papa Paſchali, Philippo Rege Francorum, Petro Epiſcopo Pictauorum, Willielmo Duce Aquitanorum.

Similiter Hildebertus Cenomanenſis Comitiſſam prædictam miris laudibus extollit Ep. 71. quod ſpretis ſecularibus deliciis tranſiſſet ad vitam Monaſticam. *Quoties quæ circa te aguntur audio*, lætatur & exultat *ſpiritus meus : audio enim te deduci in ſemitas mandatorum Dei & ad terram viuentium inoffenſo currere veſtigio. Audio etiam de locuplete pauperem ſpiritu, de ſplendidiſſima & conſtipata cuneis obſequentium Comitiſſa humilem Monacham atque adinſtar abiectioris ancillulæ cæteris filiabus Chriſti quæ tecum Domino ſeruiunt & prouidere quod neceſſarium eſt, & officioſiſſimè famulari.* Item Adelaïdem filiam eius, quam Adelam vocat, ſic compellat Ep. 63. *Egredienti de medio nationis praue atque peruerſæ congratulatur & applaudit ſpiritus meus laudans Dominum & glorificans, cuius miſerationis eſt quod Ægyptiacam auerſata ſeruitutem ad terram promiſſionis iter aſſumpſiſti.*

Porro Sanctimonialium iſtarum numerum adeo ſuo tempore excreuiſſe ait Sugerius, qui & illius Ordinis atque inſtituti primordia viderat, cum adoleſcens in partibus illis litterarum exercitio vacaret, vt circa annum 1145. quinque prope illarum millia recenſerentur: vt ſcribit ad Eugenium II. Pontificem. *Tantum tantæ Religionis locum, quem cum in partibus illis in Scholis eſſemus, nouiter inceptum eſſe vidimus, & pro Dei voluntate fere vſque ad quatuor aut quinque millia Sanctimonialium iam excreuiſſe audiuimus & gaudemus.*

Hîc obiter notandum Sugerium, qui Abbas poſtea fuit San-Dionyſianus, Pictaui aliquandiu in ſcholis fuiſſe ſub willielmo illo Magiſtro Scholarum, cuius mentio fit in Reſcripto Petri Pictauienſis. Cuius etiam videtur fuiſſe Diſcipulus Goffridus Vindocinenſis, vt & M. Guillelmi Campellenſis ad quem extat Epiſt. 16. l. 5. qua eum redarguit, quod docuiſſet 4. tantum peccata confeſſione indigere, errorem Gentilem, ſchiſma fraternum, hæreticam prauitatem & Iudaicam perfidiam; cætera verò à Domino ſine confeſſione ſanari.

Eodem anno Guillelmo de Montfort Epiſcopo Pariſienſi ſucceſſit Fulco eiuſdem Eccleſiæ Decanus, vir doctus & eloquens: in cuius tamen electione orta eſt inter Canonicos contentio vehemenſque ſchiſma: quam in rem Iuo Carnotenſis ſic ſcribit ad Vvlgrinum & Stephanum Archidiaconos Ep. 138. *Cùm de Electione Epiſcopi apud vos ageretur & à Quibuſdam veſtrum Domnus Fulco Decanus veſter eligeretur, habita eſt, vt audiuimus, inter vos fœda contentio quæ & multorum aures offenderet & de Eccleſia veſtra non bonum odorem longè lateque diſpergeret. De obtenebrata itaque pacis veſtræ ſerenitate fraterna compaſſione doluimus: petitioni veſtræ tamen hoc reſpondemus, quia Electioni Fulconis vel alterius aſſenſum non dabimus, niſi quem aut Cleri plebiſque conſenſus elegerit, aut Metropolitani Iudicium cum conniuentia Suffraganeorum habita legitima diſcuſſione probauerit.*

Ad Daimbertum verò Archiepiſcopum Senonenſem in eãdem rem ſic ſcribit. *Appellatio quam fecerunt Pariſienſes, ad vos referenda erat, vt vos eis diem & locum pro arbitrio veſtro præſcriberetis: quod quia factum non eſt, præproperè mihi facta videtur Fulconis Electio. Ad hanc autem diſcuſſionem à Rege inuitatus eram, ſed hoc mihi diſpliccbat, quia ſecundam morem Eccleſiaſticum & inſtitutionem Canonicam à vobis talis admonitio non proceſſerat.*

Porro in iſta altercatione poſitus Fulco Romam ad Paſchalem profectus eſt, ab eoque conſecrationem obtinuit: quod ne grauiter & iniquo animo ferret Daimbertus Archiepiſcopus Senonenſis, has ad eum Pontifex litteras dedit.

Paſchalis Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei venerabili fratri Daimberto Senonenſi Archiepiſcopo Sal. & Apoſtol. Bened. Venit ad Nos cum tuo ſeu Suffraganeorum tuorum teſtimonio Pariſienſis Eccleſiæ Electus per Nuntios, & per litteras eiuſdem Eccleſiæ preces aſſerens, vt à nobis Dei gratiâ deberet in Epiſcopum conſecrari. Nos perſonæ grauitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infirmitati diutinæ compatientes, Eccleſiæ preces duximus audiendas. Saluo igitur in omnibus Senonenſis Eccleſiæ iure & perſonæ tuæ reuerentiâ, eum noſtris tanquam B. Petri manibus largiente Domino conſecrauimus. Ipſum itaque ad Dilectionem tuam cum B. Petri gratia remittentes, litteris præſentibus plurimum commendamus, omnipotentem Dominum rogantes, vt cum ad vos reducat incolumem, & Eccleſiæ ſuæ vtilio-
rem fore concedat.

Eodem anno Guibertus Antipapa Clemens III. dictus ſubita morte corripitur & obit, poſt 21. annos ab inuaſo Pontificatu. Ei à ſchiſmaticis ſubſtituitur Albertus Attellanus: cui poſt 4. menſes etiam defuncto ſubrogatur Theodoricus ſub nomine Silueſtri III. & poſt tres menſes eidem Maginulphus Romanus. Quæ Pſeudo-Pontificum crebra mutatio Paſchali ſedem aſſeruit Pontificiam & nutantes animos confirmauit.

1101. Anno 1101. vt ſcribit Mathæus Pariſienſis, Balduinus huius nominis Primus Comes Edeſſanus frater Regis Godefridi poſt ipſius mortem quæ accidit 15. Kal. Aug. an. 1100. Rex Hieroſolymorum die ſancto Natiuitatis Dominicæ coronatur. Cuius præclarè geſta fusè deſcribit Fulcherius Carnotenſis Poeta teſtis oculatus.

Hocce tempore Petrus Abaëlardus Patria Nannetenſis inclareſcere cœpit. Falſum eſt enim quod aliqui dicunt eum anno tantum 1107. Lutetiam veniſſe: nam cum an. 1142. obierit 63. annos natus, ipſe vero dicat ſe adoleſcentulum veniſſe Lutetiam ad M. Guillelmum Campellenſem qui adhuc magna nominis fama & celebritate docebat, neceſſe eſt vt cum audiuerit ante an. 1100. & forte circa an. 1095. quo tempore natus erat ille annos 16. aut ſi circa an. 1100, natus erat annos circiter 21. Ille igitur ſcholæ Pariſienſis commendatione & famâ motus poſt aliquot Prouinciarum ſcholas luſtratas ad Pariſienſem demum venit, ibique M. Guillelmum Campellenſem in Dialecticæ profeſſione tunc celeberrimum audiuit & præceptorem habuit. Qua de re ſic ipſe in Epiſtola 1. quam edidit de ſuis calamitatibus. *Diuerſas diſputando perambulans Prouincias vbicunque huius artis* (Dialecticæ) *vigere ſtudium audieram, Peripateticorum æmulator factus ſum. Perueni tandem Pariſius vbi iam maximè Diſciplina hæc florere conſueuerat, ad Guillelmum ſcilicet Campellenſem Præceptorem meũ in hoc tunc Magiſterio re & fama præcipuum: cum quo aliquantulum moratus, primò ei acceptus, poſtmodum*

graniſſimus

graui ſſimus extiti, cum nonnullas ſcilicet eius ſententias refellere conarer & ratiocinari contra eum ſæpius aggrederer, & nonnunquam ſuperior in diſputando viderer.

Scilicet ille vt erat acutiſſimi & ſubtiliſſimi ingenij, non omnino rudis & nouus in arte Dialectica, in qua iam alios profeſſores audierat, Præceptori ſuo grauis eſſe cœpit: ita enim ſibi confidebat, tantumque deſe & ingenij acumine præſumebat, vt à ſe & ex ſe omnia excogitare gloriaretur, non in Philoſophicis modò, ſed & in Theologicis etiam Diſciplinis; nec Magiſtros libenter audiret, niſi qui aliquid noui ederent. Hinc factum, vt ipſe valde adhuc iuuenis ad ſcholarum regimen aſpirarit; quod quia non poterat aggredi Pariſiis, locum ſibi Meliduni delegit, vbi ad ſe venientes doceret. *Factum eſt*, inquit, *vt ſupra vires ætatis meæ de ingenio meo præſumens ad ſcholarum regimen adoleſcentulus adſpirarem, & locum in quo id agerem prouiderem.* Idem de illo notat & ſcribit Otho Frinſinghenſis ſcriptor coætaneus l. 1. de Geſtis Friderici 1. c. 47. *Is*, inquiens, *litterarum ſtudiis aliiſque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit; ſed tam arrogans ſuoque tantùm ingenio confidens, vt vix ad audiendos Magiſtros ab altitudine mentis ſuæ humiliatus deſcenderet.*

Accedebat ingenij oſtentatio, ſociorum contemptus, præceptorum obtrectatio & ſuggillatio, quorum gloriam & famam imminuere ac deprimere gloriabatur, eiſque in omnibus, de quibus in ſcholis contentio eſſe poterat, aduerſari. Anſelmus Laudunenſis & frater eius Radulphus duo habebantur clariſſima Galliæ lumina teſte Sareſberienſi, atque omnium ore & prædicatione celebrabãtur: quid vero ille de Anſelmo, ad quem etiam ſe contulit vt Theologiæ præceptis informaretur? *Acceſſi ad hunc ſenem*, inquit, *cui magis longæuus vſus quàm ingenium vel memoria famam comparauerant. Ad quem ſi quis de aliqua quæſtione pulſandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auſcultantium, ſed nullum in conſpectu Quæſtionantium verborum vſum habebat mirabilem, ſed ſenſu contemptibilem, ratione vacuum: cum ignem accenderet, domum ſuam fumo implebat, non illuſtrabat luce.*

Hæc de Anſelmo Abaelardus. At Guibertus Nouigentinus eiuſdem temporis ſcriptor de eo ſic loquitur in præfatione ad Bartholomæum Epiſcopum Laudunenſem. *Indidit tanto Deus capiti duos oculos ſideribus clariores, dum à dextris habes Anſelmum totius orbis Latini Magiſterio prædicatum; cuius tam ſincera eſt in Scripturarum ac fidei aſſertione ſcientia, vt plures viros ſuâ probetur documentis feciſſe Catholicos, quàm inſtituiſſe potuerit Erroneus quiſpiam temporis huius hæreticos: Altrinſecus Radulfum, &c.* Et lib. 3 de vita ſua. *Magiſter Anſelmus vir totius Franciæ, imo Latini orbis lumen in liberalibus Diſciplinis & tranquillis moribus.*

De Guillelmo vero Campellenſi altero Vniuerſitatis Pariſienſis Sole, quem Petrus habuerat in Dialectica Præceptorem, nihilo modeſtius loquitur. *At inter cætera*, inquit, *diſputationum noſtrarum conamina antiquam eius de Vniuerſalibus ſententiam potentiſſimis authoritatum rationibus ipſum commutare imò deſtruere impuli. Erat autem in ea ſententia de communitate Vniuerſalium, vt eãdem eſſentialitatem totam ſimul ſingulis ſuis ineſſe aſtrueret indiuiduis, quorum quidem nulla eſſet in re diuerſitas, ſed ſola multitudine actionum varietas.* Ex his patet Guillelmum exiſtimaſſe naturam Vniuerſalem à parte rei, vt loquuntur, eſſe in ſuis ſingularibus: contra verò Abaëlardum, eiuſdem vniuerſalitatem mente tantum fabricari contendiſſe: quam ſententiam ſummet Magiſtrum coëgit amplecti & priorem ſuam dedocere.

Hac autem victoria inflatus & elatus docendi prouinciam aggreditur, & ſtatim multos ſibi ſcholares deuincit, vt ipſe ait, imò Magiſtri etiam ſui Diſcipulos, nec illius modò, ſed & cæterorum quoque Magiſtrorum ſcholas prope exinaniuit. Quæ res ita omnium in ſe animos excitauit & exacerbauit, vt eum Lutetia exire coëgerint. Meliduni igitur & Corbolij ſcholas habere cœpit. Sed vt erat naturâ ſuâ valde leuis & inconſtans, illis poſt aliquot annos relictis reuerſus Lutetiam non deſtitit exagitare Campellenſem, eumque in tantum adduxit contemptum, vt ab omnibus pene Diſcipulis derelictus fuerit: cum ſcilicet omnes intellexerunt hominem tanti nominis tamque in exercitio ſcholarum verſatum compulſum fuiſſe à Iuuene & pene adhuc ſcholaſtico mutare ſuam de Vniuerſalibus ſententiam. *Cum hanc ille correxiſſet*, inquit, *imò coactus dimiſiſſet*

ſententiam, in tantam lectio eius deuoluta eſt negligentiam, vt iam ad Dialectica lectionem vix ad mitteretur: quaſi in hac ſcilicet de Vniuerſalibus ſententia tota huius Artis conſiſteret ſumma. Hinc tantùm roboris & authoritatis noſtra ſuſcepit Diſciplina, vt ij qui antea Magiſtro illi noſtro vehementius adhærebant, & maximè noſtram infeſtabant Doctrinam, ad noſtras conuolarent ſcholas. Et ipſe qui in ſcholis Pariſiacæ ſedis Magiſtro noſtro ſucceſſerat, locum mihi ſuum offerret, vt ibidem cum cæteris noſtro ſe traderet Magiſterio, vbi antea ſuus ille & noſter Magiſter floruerat.

Guillelmi autem aliorumque Profeſſorum partes vnus omnium optimè & acerrimè defendit Goſvvinus Belga, Aquicinctenſis poſtea Abbas, qui tum quoque Lutetiam ad maiores Diſciplinas & ad nobilius & amplius Artium Emporium ſe contulerat; quique Abaëlardi inſultantis arrogantiam inſolentiamque compreſſit, vt habemus in eius Vita ſeptennio poſt mortem ab authore Anonymo conſcripta: quam è veteribus Manuſcriptis in lucem edidit Richardus Gibbonus Ieſuita Duaci ex Officina Marci Vvion ſub ſigno Phœnicis an. 1620. Ex qua autem, quia multa continet ad illuſtrandam huius Vniuerſitatis hiſtoriam ſcitu digniſſima, hæc operæ pretium eſſe duximus exſcribenda. In cap. igitur 3. cui titulus iſte præfixus eſt, *Dialectica copioſius perdiſcendæ gratiâ Pariſius concedit Goſvvinus*, ſic legitur. Poſthæc emersâ pueritiâ cum in adoleſcentiam tranſmigraret, vt ætate ſic ſapientiâ & gratiâ proficiebat. Et quia talis à Deo parabatur, vt multorum profectibus deſeruiret, etiam in ſcientia ſæculari illuc indagandis Artium fructibus ire diſpoſuit, vbi copioſius metebantur. Ibi res quælibet eſt quærenda, vbi poteſt abundantius inueniri: hîc ſegetes, vt ait Ethnicus, illic veniunt felicius vuæ. Inueniuntur in ſiluis ligna lignantia, in hortis abundant pomifera, in tabernis vina feruida: *Sic in Gallijs Optimi Magiſtrorum.* In hortis Grammaticæ tantum fructum collegerat, tantum ederat, tantum perbiberat, vt aliis iam eſſet idoneus magiſtrare, & de pleno pectore profectum auditoribus eructare. Verum quæſita conſeruans, quærendi alios pendebat mentis hiatus & in anteriora ſe ſemper extendebat volens etiam Dialecticæ ſemitas permeare. Adhærentibus itaque ſibi nonnullis Scholaribus, tum quia nulli grauis erat, ſed amabilis vniuerſis, tum quia de puteis eius cum aquis ſapientiæ morum quoque elegantiam hauriebant, *Pariſius eſt profectus: vbi tunc à quamplurimis eruditiſſimis certatim Dialectica docebatur.* Studuerat quidem prius & ſudauerat in hac arte capienda, & frequenter cum ſuis contubernalibus, tabernis eorum aſſederat qui eam venditabant, *ſed non alicubi plenitudine tanta vendebatur.* Sudauerat, inquam, in hac arte, nec tamen in vanum laborauerat: quippe qui multum in ea profeciſſet. Sed tunc inter tantas copias poſitus abundantius hauriebat, bibebat iocundius, ſuauius eructabat.

Ecce igitur Goſvvinus fama & celebritate ſcholæ Pariſienſis allectus aliorum locorum ſcholas deſerit, vt in hac vna tanquam in limpidiſſimo & vberrimo ſcientiarum omnium fonte abundantius hauriat, vnde aliis propinare poſſit. Quid igitur deinde? Petrum Abaëlardum inſultantem & animis exultantem aggreditur, vt habetur in cap. 4. eius vitæ: cuius talis eſt titulus. *Petrum Abaëlardum noua dogmata aſſerentem aggreditur & ſuperat ſuperbum.* **Tum ſic idem author** proſequitur.

Tunc temporis M. *Petrus Abailardus multis ſibi ſcholaribus aggregatis in Clauſtro S. Genouefæ ſchola publica vtebatur: qui probatæ quidem ſcientiæ, ſublimis eloquentiæ,* ſed inauditarum erat inuentor & aſſertor nouitatum: & ſuas quærens ſtatuere ſententias, erat aliarum probatarum improbator. Vnde in odium venerat eorum qui ſanius ſapiebant: & ſicut manus eius contra omnes, ſic omnium contra eum armabantur, dicebat quod nullus antea præſumpſerat, vt omnes illum mirarentur. Cum igitur adinuentionum eius abſurditas in notitiam peruenisſet *eorum qui Pariſius doctrinæ cauſa morabantur*, primo ſtupore, deinde zelo quodam ducti confutandæ falſitatis cœperunt inter ſe quærere, quis eſſet ex eis aduerſus eum diſputandi negotium ſubiturus. Indignum eſſe duntaxat apud tot ſapientes huiuſmodi næniarum Dictorem non habere contradictorem. Taliter oblatrantem baculo non arceri veritatis, plura adinuenturum & liberius declamaturum, ſi infauſtis cœptis redargutor defuiſſet. Quia igitur venerabilis adoleſcens Goſvvinus efficacis erat facundiæ, ſicut ingenij perſpicacis, vt eum ſuper nugis ta-

talibus conueniret, ſuas erunt quod difficile non fuit impetrare; feruebat enim vehementer ad hoc & anhelabat: & volentem labor eſſet inhibere, niſi præſumptionis notam incurrere formidaret. Magiſter autem Ioſlenus, qui poſtea Sueſſionenſem rexit Cathedram, cum nimis eum diligeret, id fieri prohibebat & congreſſum huiuſmodi diſſuadebat.

Hæc & quæ ſupra, excerpta ſunt è paginis 10. 11. 12, & 13. libelli hoc modo inſcripti *Beati Goſvvini vita celeberrimi Aquicinctenſis Monaſterij Abbatis VII. à duobus diuerſis eiuſdem Cœnobij Monachis ſeparatim exarata, è veteribus Manuſcriptis nunc primum edita cura R. P. Richardi Gibboni ſocietatis Ieſu Theologi. Duaci ex officina Marci Wion ſub ſigno Phœnicis an. 1620.*

Ex his autem, ſi vera ſunt, facile conuincentur erroris Miræus & Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica aientium Goſvuinum obiiſſe an. 1196. aut fatendum erit Centenario maiorem obiiſſe. Nam cum ex dictis conſtet Ioſlenum, qui poſtea fuit Sueſſionenſis Epiſcopus, tum vero Pariſiis publicè docebat, diſſuaſiſſe pro ſuo in Goſwinum amore, ne cum Abaelardo congrederetur: item tum Abaelardum docuiſſe in ſcholis San-Genouefianis, neceſſe eſt vt congreſſio iſta ante annum 1115. facta fuerit, vltra quod tempus non videtur Abaëlardus docuiſſe Pariſiis. Ioſlenus autem an. 1127. ad Epiſcopatum Sueſſionenſem promotus eſt, & obiit an. 1152. quæ certè tempora cum ætate illâ tam poſterâ Goſwini commodè ſtare nequeunt, quem an. 1145. Abbatem Aquicinctinum factum fuiſſe ſcribunt & anno 1196. fato functum.

Atque ex hac relatione manifeſtum eſt Academiam Pariſienſem fuiſſe temporibus iſtis fontem omnium ſcientiarum: cæteras vrbes & oppida riuulos tantummodo: vt ante diximus. Nam reuera in ſingulis fere erant Magiſtri, ſed ſingulares & pauci: at Lutetiæ magna & vberrima eorum copia. Deinde Vicani & Oppidani Magiſtri aut incelebres erant, aut ſi inter multos aliqui nomen habebant, iis obeuntibus aut aliò migrantibus tota illa vici vel oppidi gloria euaneſcebat: Pariſiis vero non item, ob multitudinem Magiſtrorum & ſcholæ celebritatem. Cæterum de Oppidanis illis aliquando non indoctis quid ſit ſentiendum, vna Radulfi Claromontenſis Conſulis Epiſtola ad Hugonem Gornacenſem Dominum demonſtrat, quæ talis eſt.

Hugoni Gornacenſi Domino Ra. Dei Gr. Conſul Claromontis Columbina ſimplicitate meliora grana eligere. Cum dilectionis feruor fere poſſit impoſsibilia, ac poſsibilitas ſit fructus in omnibus mutuæ poſtulationis executio, hanc vobis veſtriſque Clericis Chartulam mittere non dubitaui. Eſt mihi Magiſter Quidam Claromonte, qui ibi & adhuc in ſcholarum regimine ſtudet & hoc anno ſtuduit. Hic Caſtelli veſtri famâ veſtræque dilectionis adipiſcendæ gratia commotus, per me aſſequi deſiderat, quod animi ſui voluntas expoſtulat. Huic igitur in authoribus, in Philoſophis, in artium diuerſis operibus, in Grammaticæ artis executione præcipuo, nec non etiam paginæ Diuinæ non prorſus, vt aiunt, ignaro, & quod omnium condimentum eſt, morali grauitate haud inexperto, vt Caſtelli veſtri regimen omni impeditionis cauſa procul amotâ hoc anno futuro ei concedatis, apud vos veſtroſque Clericos precibus impetrare laboro.

Tales erant paſſim ſcholæ Oppidanæ & Epiſcopales: in quibus nonnunquam celebres Magiſtri docuerunt: vt in Remenſi Gerbertus: in Carnotenſi Fulbertus; in Turonenſi Berengarius; in Cenomanenſi Hildebertus, in Andegauenſi Marbodus, in Laudunenſi Anſelmus & Radulphus fratres, in Auguſtodunenſi Honorius vir in omni litteraturæ genere verſatiſſimus: in Atrebatenſi ſub Epiſcopo Lamberto Achardus: alij alibi. Itaque qui ſciendi deſiderio tenebantur, Scholas illas Prouinciales ſæpe luſtrabant, & vbi aliquam in aliquo profeſſionis genere celebrem docere audiebant, illuc diuertebant: at nemo fere ſatis doctus eſſe reputabatur, qui Pariſienſe ſtudium non frequentaſſet, quippe & plurium artium profeſſione celebrius, & maiori numero Profeſſorum abundantius & apud exteras gentes famoſius. Hinc ad illud conuolaſſe legimus Odonem Cluniacenſem, Abbonem Floriacenſem, Gerbertum Aquitanum, Huboldum Leodienſem, Lanfrancum, Anſelmum, Abaelardum, Goſvvinum, Rupertum Limburgenſem, Rupertum Tuitienſem & alios innumeros quibus enumerandis uper ſedemus.

Anno 1102. Conrado Rege Italiæ Henrici Imperatoris filio mortuo Paſcha- 1102.

lis Pontifex totum ſe in Patrem conuertit, qui ſolus ex omnibus Principibus Chriſtianis neque ipſe ad ſacram expeditionem profectus fuerat, neque auxilium ſubmiſerat. Atque vt iuſta videretur eſſe cauſa ipſius perſequendi, indixit Generale Concilium Romæ habendum in Laterano proximâ Quadrageſimâ, ad quod Henricum inuitauit, ut cum eo de pace Eccleſiæ ageret. Henricus promiſit ſe adfuturum: non tamen adfuit. Itaque Pontifex Gregorij VII. & Vrbani prædeceſſorum ſuorum Decreta ſynodali ſententia confirmans nouo anathemate diſſidium Henricianum condemnauit, & Henricum ipſum exſecratione percuſſit in die Cœnæ Domini hoc modo. *Quia tunicam Chriſti ſcindere, id eſt Eccleſiam rapinis & incendiis lacerare, luxuriis, periuriis atque homicidiis commaculare Henricus non deſtitit, ob eam rem primum à B. Memoriæ Gregorio Papa: deinde à Sanctiſſimo viro Vrbano Prædeceſſore noſtro, poſtremo à nobis in proximo Conuentu noſtro iudicio totius Eccleſiæ perpetuo anathemate obligatus eſt. Quamobrem id notum eſſe omnibus volumus & maximè Tranſalpinis, vt ab ipſius ſe iniquitate abſtineant.*

In eodem Concilio confirmata ſunt illa Gregorij Decreta de Inueſtituris Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ à Laicis Principibus conferebantur. Quæ Decreta licet vi ferentur contra Imperatorem præſertim lata, cæteri tamẽ Principes iiſdem pœnis ſubiacebant: quæ cauſa fuit multorum diſſidiorum multarumque in Eccleſia turbarum. Conſuetudinem enim antiquam, ſeu prauam ſeu bonam ſubitâ lege tollere magnum & arduum opus eſt. Hinc inter Doctos Quæſtio iſta agitata, & variè deciſa, aliis aliud ſentientibus. Imperator Papam ſibi ſubiici volebat in Extrariis, ſeu vt vocant, temporalibus; eiuſque à ſe electionem dependere, aut ſaltem confirmationem: quemadmodum cæteris principibus Epiſcopi & Abbates ſubiecti erant, nec tales habebantur, donec fidelitatis ſacramentum præſtitiſſent & ab iis confirmati fuiſſent.

Contra Papa nemini ſe Mortalium ſubeſſe; omnes Chriſtianos ſibi ſubditos eſſe, ipſoſque Reges & Imperatores, quos ſi contumaciter parere detrectarent, poſſet Regnis ſceptriſque ſuis ſpoliare: nec Imperatores cenſendos, qui Caroli Magni aliorumque ſubſequentium Auguſtorum exemplo à ſe Diadema non accepiſſent. Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem nullatenus eſſe Laïcæ iuriſdictionis; dictumque anathemata iis qui ab vllo Laïco tale Beneficium acciperent. Et ob hanc rationem Anſelmus Cantuarienſis nouo Regi Henrico odioſus fuit. Nam cum eodem anno, frequens Londini Eccleſiæ Anglicanæ Concilium habuiſſet, cui Rex ipſe interfuit, ei, quæ decreta Romæ in Lateranenſi de inueſtituris Eccleſiarum fuiſſent, manifeſtauit. Vnde idem Archiepiſcopus nonnullos Abbates gradu mouit, qui de manu Laïca & data pecuniâ Abbatias obtinuerant: quos inter iſti numerantur, Richardus Elienſis & Aldevvinus Rameſienſis. Neque ille quoſdam Epiſcopos quos Rex Epiſcopatibus donauerat, conſecrare voluit. Et nonnulli ex ipſis ſe conſecratione indignos agnoſcentes, Regi Præſulatus ſuos reddiderunt, Giffardus Vvintonienſis & Reinelmus Hereford ienſis. Rex id ægrè tulit, coëgitque Anſelmum Romam proficiſci ad impetrandam iis quos ipſe promouerat, à Papa confirmationem & conſecrationem.

Quid autem factum ſit, narrat Mathæus Pariſienſis Curiæ Romanæ paulo infenſior ob corruptelam. *Vvillelmus de Vvarena*, inquit, *Clericus & Procurator Regis Anglorum cauſam ipſius in medium tulit ac inter alia conſtanter allegauit, quod nec ipſe pro Regni amiſſione inueſtituras Eccleſiarum amittere velit: & hoc verbis minacibus affirmauit. Ad hæc Papa: Si quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro Regni amiſſione donationes Eccleſiarum amittere pateretur, ſcias præciſè, coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione eas illi impune permitterem obtinere. In his ergo Regis negotio terminato Anſelmus Archiepiſcopus pro Epiſcopis & Abbatibus degradatis multa precum inſtantia Dominum Papam rogare cœpit, vt cum illis miſericorditer diſpenſaret, vt poſſent amiſſas recipere dignitates. Tunc ſedes clementiſſima, quæ nullis deeſſe conſueuit, dummodo aliquid vel rubei intercedat, præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates miſericorditer reuocauit & cum gaudio ad proprias ſedes remiſit.*

1103. Ad annum 1103. notat Albericus Galonem factum fuiſſe Pariſienſem Epiſcopum Fulcone mortuo: ſed errat: nam cum ex Abbate S. Quintini electus fuiſſet Beluacenſis Epiſcopus, quia non acceſſerat Philippi Regis conſenſus, liberè nunquam potuit Munus illud obire. Itaque ad Papam profectus, donec ira

Regis deferueſceret, varias legationes obiit, præſertim in Poloniam. Vnde circa finem anni 1104. reuerſus eſt, & paulo poſt Rege ob dimiſſam Berthradam abſoluto, pactâ pace rediit in Franciam, & Pariſienſem Epiſcopatum adeptus eſt.

Ad hunc quoque annum notat Author Chronici Malleacenſis Roſcelinum Nominalium Antiſtitem magna pietatis fama in partibus Aquitanis floruiſſe: quò nimirum ex Anglia & Francia pulſus ob prauæ Doctrinæ ſemina quæ ſparſerat, conceſſerat. Meminit etiam Vitalis, qui Sauiniacum in Neuſtriæ finibus condidit; & Rainaldi pariter Monachi. *Anno 1103. fuit magna tribulatio & nummi argentei pro æreis mutati facti ſunt. Eodem tempore florebant vitâ & conuerſatione ſanctâ Roſcelinus & Vitalis duo ſancti viri: vnus in Aquitania, qui Conuiuia magna Pauperibus tribuebat: alius in Normania & terra Anglorum. Tertius Monachus in Britanniæ & Turoniæ finibus florebat Rainaldus.*

Eodem anno plurimi Franciæ Magnates pio peregrinationis Hieroſolymitanæ deſiderio accenſi cum ingenti armatorum exercitu iter carpſerunt: quos inter iſti numerantur expeditionis Duces, Vvillielmus Aquitaniæ Dux, Hugo Magnus Comes Viromanduenſis qui recens ex iis locis redierat, Stephanus Carnotenſis & Bleſenſis Comes, Stephanus Comes Burgundienſis & alij magnæ virtutis & eximiæ fortitudinis viri: ſed ab Alexio Imperatore Conſtantinopolitano proditi in Turcarum inſidias incidentes magno Reipub. Chriſtianæ exitio perierunt ad quinquaginta hominum millia: quam tamen cladem frequentes de Ægyptiis Balduini victoriæ & triumphi repararunt.

Anno 1104. tandem pacta eſt & compoſita pax inter Paſchalem Pontificem & Regem Philippum, hacque iſte lege abſolutionem impetrauit, vt Berthradam ſuam dimitteret: hactenus enim cenſuris illigatus remanſerat. Igitur Papa Richardum Albanenſem Epiſcopum Legatum in Franciam miſit, qui Concilio Epiſcoporum Trecis habito rem totam diſcuſſit. Priuſquam vero illud haberet, Iuo Carnotenſis qui nuptiis illis ſemper aduerſatus fuerat, iamque per decem annos odium Regis ferebat, has ad eum dedit litteras, quibus pollicebatur ſe Concilio ſi liber commeatus daretur, ad futurum. *Sicut de excommunicatione Regis grauiter doluimus propter Chriſtianæ Religionis detrimentum, ita de abſolutione eius ſi ad honorem Dei & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ fieri poſſit, granditer gauderemus propter eiuſdem ſanctæ Religionis incrementum. Vt autem ſecus fiat, quàm ſollicitudini veſtræ à Domino* Papa commiſſum eſt, conſulere non auderemus, quia de rerum exitu ſicut vos, ita & nos incerti ſumus. Si autem Diuina gratia cor eius humiliauerit ad pœnitentiam, conſilium nobis videtur, vt coram poſitis plurimis Epiſcopis publicè eum & ſolemniter abſoluatis: quatenus ſicut longè latéque patuit eius auerſio, ita multorum Religioſorum teſtimonio publicetur circumquaque eius optanda reuerſio. In qua re ſatagendum erit diligentiæ veſtræ, quatenus qui pro amore Iuſtitiæ & obedientiæ ſedis Apoſtolicæ perdiderunt eius amicitiam, in eius reconciliatione redintegrentur ad gratiam. Conſultum autem famæ veſtræ melius credidiſſem, ſi alibi quam Senonis iſta fieret abſolutio, vbi cuique liceret liberè dicere quod ſentiret. **De cætero ad Concilium denominatum gratanter ire deſidero; ſed contra** voluntatem Regis, cuius odium iam per decennium tolero, qua via, quo conductu, vel circuitu Trecas venire valeam, non inuenio. Si ergo vel per ipſum Regem, vel per Comitiſſam aliquam mihi ſecuritatem impetrare poteſtis, obnixè rogo, vt id facere ſtudeatis. 1104.

In eo Concilio Hubertus Siluanectenſis Epiſcopus Simoniæ & nundinationis ſacrorum Ordinum reus factus, deficientibus idoneis & locupletibus teſtibus abſolutionem obtinuit. In eodem Godefridus vitâ conſpicuus poſtulatus eſt in Epiſcopum Ambianenſem à Clero; qui onus defugiens & detrectans clam è Concilio ſe ſubduxit, at retractus à Manaſſe Metropolita Remenſi inuitus licet conſecratus eſt, aſſiſtentibus Lamberto Atrebatenſi & Ioanne Morinenſi Epiſcopis. In eodem Rex Philippus per Legatos pollicitus eſt ſe ſanctæ ſedi pariturum, tumque Roberti Arbricellenſis, Vitalis & Iuonis Carnotenſis agnouit plus ſibi Regnoque profuiſſe conſtantiam, quàm aliorum obſequium. Itaque ſtatim Paſchalis dedit ad Prælatos Franciæ litteras Chriſtianæ reſtitutionis, mandauitque

eidem Albanenſi Legato vt eas promulgaret. Id factum fuiſſe videtur Balgenciàci, quò Rex & Berthrada ſe contulerant. Qua de re ſic habet Iuo Carnotenſis Ep. 144. ad Paſchalem Pontificem.

Paſchali Summo Pontifici Iuo humilis Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter cum debita obedientia fidelium orationum obſequium. Notum facimus Paternitati veſtræ, quod 3. Kal. Aug. plures Epiſcopi tam Remenſis, quàm Senonenſis prouinciæ inuitati à Domno Richardo Albanenſi Epiſcopo Legato veſtro conuenimus in quoddam Municipium Aurelianenſis Epiſcopatus nomine Balgenciacum, ad faciendam abſolutionem Regis ſecundum tenorem litterarum quas ſuper hac re miſerat moderatio veſtra. Conuenit etiam Rex & Lateralis ſua, & ſecundum præceptum tactis ſacroſanctis Euangeliis parati fuerunt abiurare abſolutè omnem carnalis copulæ conſuetudinem, inſuper & mutuam collocutionem, niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum vſque ad veſtram diſpenſationem. Sed quia in litteris veſtris continebatur, vt in hac abſolutione Conſilium prudentium ſibi adhiberet Domnus Albanenſis Epiſcopus, totum onus Conſilii voluit ex arbitrio pendere Pontificũ. Epiſcopi verò, neſcimus quid conjicientes, ſemper replicabant ſe debere eſſe huius Conſilii Comites & non Duces. Quamuis quibuſdam noſtrum videretur, quod prædicta abſolutio ita poſſet ſicut prætaxata eſt, honeſtè fieri, & propter quorumdam ſimultates non ſatis rationabiliter impediri. Cum itaque res indefinita remaneret in medio, Rex clamitans inculcabat ſe malè eſſe ttactatum, qui tamen per ſe & per nos adhuc pulſat ad aures paternitatis veſtræ, vt ſecundum moderationem litterarum veſtrarum & verba quæ Domno Galoni Coepiſcopo noſtro iniunxiſtis, cauſam eius temperetis, ne contingat de eo illud Salomonis. *Qui multum emungit, elicit ſanguinem.* Diſpenſationis autem modus nullis vnquam Sapientum diſplicuit. Vnde B. Cyrillus ad Gennadium Preſbyterum. *Sicut enim qui mare nauigant, tempeſtate vrgente nauique periclitante quædam exonerant, vt cætera ſalua permaneant, ita & nos cum non habemus ſaluandorum omnium negotiorum certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia.* Et quia hæc ſuggerendo dicimus non docendo, noſtræ ſuggeſtionis ſumma eſt, vt imbecillitati hominis à modo quantum cum ſalute eius poteſtis, condeſcendatis, & terrã quæ eius anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis. De cætero ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicando ſuggerimus, vt Domnum Galonem Coepiſcopum noſtrum de Beluacenſi Epiſcopatu, quem propter Sacramentum Domni Ludouici habere non poteſt, per manum Senonenſis Archiepiſcopi transferri iubeatis in pariſienſem Epiſcopatum: quem ei gratanter & deuotè concedunt proveſtro amore Rex & Regis filius. Qualiter autem in eum Cleri & plebis vota conueniant, dicet vobis præſentium portitor Clericus Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus, vt cognoſcatis eum bene poſſe transferri, qui ſedem propriam nulla ratione prævalet adipiſci.

Ex his intelligimus propter nonnullas difficultates, quæ in diſcuſſione litterarum Apoſtolicarum occurrerant, dilatam fuiſſe Regis abſolutionem. Verum **tandem Pontifex ſublata omni mora per Lambertum Atrebatenſem Epiſcopum** Legatum ſuum eum abſolui voluit, datis hac ratione ad Archiepiſcopos & Epiſcopos litteris.

» Paſchalis Epiſcopus S. S. D. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epi-
» ſcopis per Remenſem, Senonenſem ac Turonenſem Prouincias conſtitutis Sal-
» & Apoſt. Bened. Significatum Nobis eſt quorundam veſtrum litteris, quia filius
» noſter Francorum Rex fœminam illam pro qua totiens commonitus imò excom-
» municatus fuit, iuxta præceptum noſtrum abiurare decreuerit. Ipſa autem Mu-
» lier Regem abiurare paratasit: ſuper quarum conuerſione perſonarum non mi-
» nimum exultauimus, quia ſuper viro peccatore pœnitentiam agente gaudium
» eſſe Angelis Dei ipſo Domino teſtante didicimus. Quam nimirum cauſam Fra-
» tri noſtro Richardo Albanenſi Epiſcopo reminiſcimini à Nobis fuiſſe commiſ-
» ſam. Si ergo idem frater Franciæ iam fines egreſſus eſt, Nos eandem cauſam
» aſpirante Domino vnà vobiſcum peragendam venerabili fratri Lamberto Atre-
» batenſi Epiſcopo committimus Conuenientibus itaque vobis in vnum, ſi com-
» munis filius Francorũ Rex & illa eius Lateralis tactis ſacroſanctis Euangeliis om-

eum carnalis copulæ conſuetudinem abiurauerint, mutuum quoque colloquium & contubernium niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, nunquam videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorundam veſtrum litteris ſignificatum eſt, ſatisfactionem eorum vice noſtra vobiſcum Atrebatenſis Epiſcopus ſuſcipiat & vinculo excommunicationis abſoluat: quatenus largiente Domino & Filium Eccleſia & Regem ſibi Francia reconciliatum Epiſcopali miniſterio gratuletur. Datum Laterani per manum Ioannis 3. Non. Octob.

His acceptis litteris & Regi extemplo ſignificatis, ille incunctanter conuocato pariſi s Epiſcoporum Concilio ſolemne præſtat diuortii iuramentum. Similiter & ipſa Berthrada iurat ſe à Rege diſceſſuram. Talis autem legitur formula in 3. tomo ſpicilegii Dacheriani. Sub hoc titulo IVRAMENTVM PHILIPPI REGIS FRANCORVM.

Audias tu Lamberte Atrebatenſis Epiſcope, qui hic Apoſtolica vice fungeris: audiant Archiepiſcopi & præſentes Epiſcopi: Quod ego Philippus Rex Francorum peccatum & conſuetudinẽ carnalis illicitæ copulæ, quam hactenus cum Berthrada exercui, vlterius non exercebo, ſed peccatum iſtud & flagitium penitus & ſine omni retractione abjuro. Cum eadem quoque fœmina mutuum colloquium & contubernium niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum non habebo: Hæc omnia ſicut litteræ Papæ dicunt & vos intelligitis, ſine omni malo ingenio obſeruabo. Sic me Deus adiuuet & hæc ſacroſancta Ieſu Chriſti Euangelia. *Similiter & Berthrada cum excommunicationis vinculo ſolueretur, tactis ſacroſanctis Euangeliis in perſona ſua hoc idem iurauit ſacramentum.* Actum Pariſius in præſentia Domini Daimberti Senonenſis & Radulfi Turonenſis Archiepiſcoporum, Domni quoque Iuonis Carnotenſis Epiſcopi, Humbaldi Antiſſiodorenſis Epiſcopi, Ioannis Aurelianenſis Epiſcopi, Gualoni s Pariſienſis Epiſcopi Manaſſe Meldenſis Epiſcopi, Baldrici Nouiomenſis Epiſcopi, Lamberti Atrebatẽſis Epiſcopi, Huberti Siluanectenſis Epiſcopi: Abbatum quoque Adæ pariſienſis, Olrici ſimiliter pariſienſis, Rainoldi de Prato S. Germani pariſienſis, Rainoldi nihilominus Stampenſis; Archidiaconorum etiam quamplurium & honorabilium Clericorum & Laïcorum non pauca multitudine inibi conſiſtentium.

Taliter itaque ex Apoſtolicæ ſedis authoritate re incorporatus eſt Philippus Rex Francorum ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Matri ſuæ 4. non. Decemb. indict. 13. anno autem Dei Chriſti 1104 Pontificante v erò in ſede Romana Domno Paſchali papa II. an. 6.

Hinc autem intelligitur Galonem huic Concilio interfuiſſe iam factum Epiſcopum pariſienſem: quomodo verò Epiſcopatũ iſtum adeptus ſit, ex litteris Iuonis Carnotenſis ſupra relatis innoteſcit: nam Clerus & populus Pariſienſis annuente Rege Philippo eum ſibi in Epiſcopum delegerant, vt pote virum eximiæ Doctrinæ & virtutis, Epiſcopatus Bellouacenſis ad quem electus fuerat, non compotem: ac proinde vnum e Canonicis ſuis Romam legauerant, vti à Pontifice mutationem ſedis obtinerent, vtque à Bellouacenſi ad Pariſienſem transferretur; ſic enim vtriuſque Eccleſiæ commodo & vtilitati prouiſum iri. Atque **vt id facilius impetrarent, Iuo Carnotenſis tum apud Pontificem per litteras,** tum apud Daimbertum Senonenſem egit: ad quem extat quoque in eandem rem Epiſt. 146.

Notum facimus veſtræ paternitati quod Clerus & populus Pariſienſis Eccleſiæ voto & voce Domnum Galonem Beluacenſi Eccleſiæ conſecratum, in Epiſcopum elegerunt, & ipſam electionem cum litterarum adſtipulatione miſſis ex Clero idoneis perſonis prædicto Epiſcopo præſentes, vt paſtoralem prædictæ Eccleſiæ curam ſuſciperet, humiliter & deuotè petierunt. Sed quia tranſlationis Epiſcoporum neceſſitate, vrgente Metropolitani authoritate & ſummi Pontificis diſpenſatione fieri oportet, Nos quantum in Nobis eſt, eidem electioni aſſenſum præbentes, paternitati veſtræ ſuggerimus, quatenus eidẽ electioni adſtipulando à Domno Papa poſtuletis, vt prædictum Epiſcopum per manum veſtram transferri præcipiat, cum propriam ſedem obtinere non valeat.

Idem in Ep. 144. ad Paſchalem Galonem dicit eſſe *Vita honeſtum, venerabilibuſque Studiis & Eccleſiaſticis diſciplinis ornatum.* Et Anſelmus Cantuarienſis de eo recens electo in Beluacenſem præſulem Ep. 69. lib. 3. ad eundem Pontificem

de eo ſic ſcribit. *Eſt hic aptus & vtilis ad hoc in omnibus quæ in eligendo Epiſcopo conſiderandæ ſunt, vt melior & aptior in eadem Eccleſia inueniri nequeat.* Item Edinerus l. 2. vitæ S. Anſelmi Cantuarienſis ait ſe Galonem vidiſſe Romæ, & hoc de eo teſtimonium profert. *Venit ad nos Vualo Epiſcopus Pariſienſis, vir bene Religioſus & Eccleſiaſticarum conſuetudinum inſtitutionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus & Apoſtolicæ Legationis miniſterio functus familiaritate Patris Anſelmi potiebatur.*

Igitur ille conſentientibus omnium votis Epiſcopatus ſui plenam, integram & liberam poſſeſſionem adit an. 1105. extatque in hanc rem Epiſtola Canonicorum Eccleſiæ Pariſienſis ad Paſchalem, qua ei gratias agunt ob conceſſum ſibi Præſulem tam expetitum. *Paternitati veſtræ quantas poſſumus gratiarum actiones toto mentis affectu referimus, quoniam idoneam ac perutilem nobis perſonam in Epiſcopum concedendo prouida diſpenſatione conſuluiſtis, & Eccleſiam noſtram inter aduerſariorum procellas, quaſi ſine Capite ſeu vacillantem tanti Paſtoris conſolatione miſericorditer reſpexiſtis: qui nimirum iuxta legem forma Gregis factus ſuæ Doctrinæ verbo nos in templum Dei ædificet & religioſæ conuerſationis exemplo informet. Ei itaque tum veſtro ſuper hoc mandato, tum pro honeſto conuerſationis merito diligenter ſeruire ſtudemus, & tanquam Patri debitam in omnibus obedientiam impertimus.*

Sic ergo Galone ad ſedem Pariſienſem tranſlato Gaufridus vir quoque doctiſſimus & Iuoni Carnotenſi familiariſſimus in Beluacenſi collocatur: ſic vtraque ſedes tranquillitate potitur tandiu petitâ & ſperatâ: maximè verò Pariſienſis, quæ ob electionem Fulconis à nonnullis, & Stephani de Garlanda Cancellarij Regis ab aliis factam turbata fuerat.

Hunc autem Galonem aliqui ſcribunt fuiſſe Cardinalem à Paſchale factum, eique tribuunt nonnullas Conſtitutiones Synodales, & inter eas Capita quædam ad Magiſtros & ſcholares pariſienſes atque ad Cancellarium pertinentia, quæ leguntur tomo 6. Bibliothecæ Patrum per Margarinium Binium collectæ & apud Seuerinum Binium 1. parte tom. 7. Concil. General. pag. 539. quibus accedit & ſuffragatur Claudius Hemeræus libello de Academia Pariſienſi pag. 92. 93. addens inſuper conſtitutiones Galonis fuiſſe paulo poſt à Mauricio Epiſcopo Pariſienſi renouatas: qui cum Cancellarium ſibi ſuffeciſſet in iisquæ ad regimen Scholarum Clericorumque ſpectarent, illaque curâ ſe ſubleuaſſet, poteſtatem eidem commiſit coercendi caſtigandique Clerici. Conſtitutiones autem illæ tales ſunt.

In Nomine Domini. *Nos Galo miſeratione Diuina S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legatus... Volumus quantum cum Deo & honeſtè poßumus* Magiſtris & Scholaribus *deferre eatenus ad ipſos, rigorem ſi quis eſt noſtræ Conſtitutionis duximus temperandum, vt antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per Magiſtros & comminatio excommunicationis in Tranſgreſſores. Quibus præmiſſis ſi qui forte contumaces & rebelles extiterint, iterum, & nominatim ſub eadem commination & in ſcholis moneantur, indultâ nihilominus ad ſatisfaciendum dilatione competēti. Quod ſi forte nec taliter reſipiſcere voluerint, ex tunc per* Cancellarium *qui pro tempore fuerit, excommunicati denuncientur, & tandiu ab omnibus euitentur, donec ſatis-fecerint competenter, & ab Epiſcopo ſi fuerit præſens, vel eo abſente, ab Abbate S. Victoris in forma Eccleſiæ fuerint abſoluti. Præcipimus autem Magiſtris in virtute Spiritus S. vt prædicta omnia, excepto tamen neceſſitatis excuſabilis articulo, diligentiùs exequantur, ne per negligentiam vel malitiam aliquorum noſtræ Conſtitutionis authoritas contemnatur.*

Statuta iſta ſynodalia ſub nomine Galonis Epiſcopi Pariſienſis an. 1578. typis excuſſa Lutetiæ primum in lucem prodiere, vt ſcribit author Nomenclaturæ Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ, qui Galonem & Iuonem Carnotenſem inter Cardinales numerat. Alij vero negant Galonem Epiſcopum Pariſienſem fuiſſe vnquam Cardinalem; & conſtitutiones prædictas à Galone (quem Onuphrius Iacobum Gualam de Bicheriis cognominat) Cardinale legato editas fuiſſe conteſtantur anno 1208. cum miſſus ab Innocentio III. vt principes & populum ad bellum contra Albigenſes ſuſcipiendum excitaret, multas Eccleſias & Pariſienſem inter cæteras reformauit. Quæ ſententia certe verior eſt.

1. Quidem quia nuſquam legitur Galo ille Epiſcopus fuiſſe Cardinalis ſaltem

anno

anno 1103. quo ſynodalia illa ſtatuta edita fuiſſe memorantur. Eo enim anno Epiſcopatum Pariſienſem adiit è Curia Romana recens reuerſus: & de eo & ad eum ſæpe ſcribit Iuo Carnotenſis: at nuſquam eum Cardinalem nominat: nec Paſchalis Papa talem agnoſcit, nec Clerus Pariſienſis, cum ipſi de Galone in Epiſcopum impetrato gratias agit.

2. In prædictis ſtatutis meminit Abbatis S. Victoris. At an. 1105. nullus adhuc erat Abbas eius loci; primus enim inſtitutus eſt Gilduinus an. tantum 1113. vt infra docebimus. 3. Quia reuera Galo Innocentij III. Legatus Cardinalis Diaconus tituli S. Mariæ in Porticu anno 1208. Eccleſias Franciæ optimis legibus reformaſſe legitur & de eo ſic ſcribit Vincentius Bellouacus ad an. 1208. *Eodem anno miſit Innocentius Papa Legatum in Franciam Galonem S. Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, Iuriſperitum, bonis moribus ornatum & Eccleſiarum viſitatorem diligentiſſimum Philippo Regi & omnibus Regni ſui Principibus mandans & præcipiens, vt cum exercitu magno tanquam viri Catholici terram Toloſanam & Albigenſium & Narbonenſium aliaſque adiacentes inuaderent.* Sed de his amplius ad an. 1208.

Anno 1106. interceſſiſſe videtur contentio & diſcordia inter prædictum Galonem Epiſcopum & Adamum atque Monachos San-Dionyſianos, qui eius authoritati & iuriſdictioni nonnullis freti priuilegiis parere detrectabant, nec ſacri olei aut chriſmatis vnctionem aut ordines ſacros ab eo petebant, ſed à quocumque alio quàm ab ipſo ſumere malebant: quamobrem ille apud Paſchalem conqueſtus obtentâ hac bullâ eos compeſcuit. 1106.

Paſchalis Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili F. A. Abbati & Monachis S. Dionyſij Sal. & Apoſtol. bened. Ex Confratris noſtri Galonis Pariſienſis Epiſcopi relatione comperimus, quia vos præter ipſius licentiam pro ſacri olei & chriſmatis acceptione ac pro Monachorum ſeu Clericorum veſtrorum ordinationibus quoſlibet Epiſcopos adeatis, vel pro eorundem ſacramentorum celebratione ad veſtrum Monaſterium conuocetis, & quod Laïcis pœnitentias criminum iniungatis, quæ profecto ſacris Canonibus valde contraria ſunt. Et quidem priuilegia pro prauis & malis collata ſunt, & ad ædificationem, non ad Canonum deſtructionem alicui conferuntur. Cum itaque prædictus frater Galo Epiſcopus veſter gratiâ Dei bonus & Catholicus habeatur & prædicta ſacramenta gratis ac ſine prauitate indulgeat, & vos præter ipſius licentiam pro eiſdem ſacramentis ſuſcipiendis alios adire Antiſtites prohibemus, & Archiepiſcopis vel Epiſcopis omnibus, ne ea vobis exhibeant, interdicimus.

Eodem anno ſolemne apud Pictauos Concilium iuſſu Paſchalis celebratum eſt à Bruno ne Signino Apoſtolicæ ſedis Legato ad expeditionem Terræ ſanctæ promouendam. Cui Concilio Sugerius tum San-Dionyſianus Monachus poſtea Abbas, interfuit; qui vt ipſe ſcribit *recenter de ſtudio* redierat. Ibi de variis conſtitutionibus ſynodalibus actum eſt, præſertim vero de itinere Hieroſolymitano: ex qua expeditione recens redierat Boamundus, qui ſuo exemplo multos ad arma pro libertate Chriſtianorum fratrum capienda adhortatus, Antiochiam rediit.

Eodem anno Rex Anglorum Henricus, dictus primus Robertum Normaniæ Ducem quem ad ſacrum bellum profectum & abſentem legitimâ vt pote maiorem natu Anglicani Regni ſucceſſione priuauerat, eamque tunc recuperare conantem vicit & cœpit, magnamque de Normanis ſtragem edidit: quo in conflictu præcipuam ipſi nauauit operam Willielmus de Albeneio Brito, qui vt ait Mathæus Pariſienſis, gladio diſcurrens inter acies extracto belli negotium conſummauit. Henricum iſtum mirifice prædicat Sugerius impiiſſimo nempe Patri Guillelmo longè abſimilem: nam vt ait, Pater pauperum *erat intolerabilis oppreſſor & diſſipator.* Henricus vero qui eidem in Regno ſucceſſit, vir fuit prudentiſſimus: *cuius tam admiranda quàm prædicanda animi & corporis ſtrenuitas & ſcientia gratam offerrent materiam.*

Anno 1107. Paſchalis Pontifex Henrici Imperatoris potentiam & perſecutiones reformidans relicta Italia more Predeceſſorum in Franciam venit imploraturus auxilium. Et primò Cluniacum adit; deinde Charitatis Monaſterium inuiſit & dedicat. Ibi occurrerunt ei à Rege Philippo & filio Ludouico Rege deſignato Guido de Rupeforti Dapifer & alij Francorum Proceres. Interfuit quoque Sugerius & contra Galonem Epiſcopum Pariſienſem pro Monachorum & 1107.

Cœnobij San-Dionyſiani exemptione acriter perorauit : ſic enim ipſe ſcribit in vita Ludouici Craſſi. *Cui conſecrationi* (Monaſterij Charitatis) *& nos ipſi interfuimus, & contra Dominum Epiſcopum Pariſienſem Galonem multis querimoniis Eccleſiam B. Dionyſij agitantem in conſpectu Domini Papæ viriliter ſtando aperta ratione & Canonico Iudicio ſatisfecimus.* Inde Papa Turonas profectus, cui Eccleſiæ tum præerat Radulfus Autellanenſis: poſtea Pariſios & ad Cœnobium San-Dionyſianum peruenit, vbi ab Adamo Abbate exceptus eſt: quàm autem modeſtè ibi ſe geſſerit, ſcribit Sugerius & admiratur: hoc enim tantum petiit, *vt de veſtimentis Epiſcopalibus B. Dionyſij ſanguine madefactis ad patrocinandum aliqua ei daretur portiuncula.*

Eum ibi Rex Philippus & Ludouicus filius inuiſerunt, à quo viciſſim rogati ſunt, vt more prædeceſſorum ſuorũ Caroli M. & aliorum conſequentium Regum Eccleſiæ laboranti & oppreſſæ ſuppetias ferrent aduerſus Henricum Imperatorem. Hinc cum plurimis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, inter quos numeratur Adam Sandionyſianus & Sugerius, Catalaunum proficiſcitur & Concilium frequentiſſimum celebrat: cui adfuerunt Legati ab Imperatore miſſi multo agmine, multo faſtu & ſummè phalerati, inquit Sugerius, quorum Princeps erat Hugo Archiepiſcopus Treuirenſis Henrici olim præceptor, qui vt erat *Vir elegans & iocundus, eloquentiæ & ſapientiæ copioſus Gallicano cothurno exercitatus facetè peroranit, Domino Papæ & Curiæ ſalutem & ſeruitium ex parte Domini Imperatoris deferens ſaluo iure Regni.* Ibi ergo vtraque pars cauſam ſuam egit, Pontifex materiam querelarum expoſuit, Archiepiſcopus pro Imperatore ſic perorauit, vt legitur apud Sugerium.

Temporibus Anteceſſorum noſtrorum Sanctorum & Apoſtolicorum virorum magni Gregorii & aliorum hoc ad ius Imperij pertinere dinoſcitur, vt in omni electione hic ordo ſeruetur. Antequam Electio in palam proferatur, ad aures Domini Imperatoris proferre, & ſi perſonam decet, aſſenſum ab eo ante factam electionem aſſumere, deinde in conuentu ſecundum Canones petitione populi, electione Cleri, aſſenſu honoratoris proferre, conſecratum liberè nec ſimoniacè ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, vt annulo & virga inueſtiatur, redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum: etenim Ciuitates & Caſtella, Marchias, Telonea, & quæcumque Imperatoriæ dignitatis, nullomodo aliter debere occupare. Si hæc Dominus Papa ſuſtineat, proſpere & bona pace Regnum & Eccleſiam ad honorem Dei inhærere.

Papa per Epiſcopum Placentinum breuiter reſpondit *Eccleſiam pretioſo I. C. ſanguine redemptã & liberam conſtitutam nullo modo iterato ancillari oportere. Si Eccleſia eo inconſulto Prælatum eligere non poſſit, caſſata Chriſti morte ei ſeruiliter ſubiacere, ſi virga & annulo inueſtiatur, cum ad altaria huiuſmodi pertineant contra Deum ipſum vſurpare, ſi ſacratas Dominico Corpori & ſanguini manus Laici manibus gladio ſanguinolentis obligando ſupponant, ordini ſuo & ſacræ vnctioni derogare.*

Ibi tandem aliquatenus compoſita pace Pontifex Trecas venit, Conciliumque celebrauit, quod Nangius vocat vniuerſale. Ad illud præter Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates vocati ſunt celeberrimi ſcholæ Pariſienſis aliarumque ſcholarum Magiſtri. Pariſienſis quidem Vvillelmus Campellenſis tunc Archidiaconus Eccleſiæ Pariſienſis, & Ioſlenus qui poſtea fuit Epiſcopus Sueſſionenſis. Carnotenſis quoque M. Vvlgrinus Cancellarius Eccleſiæ ſub Iuone, vir magnæ probitatis & litteraturę. In eo autem nuptiæ omnino prohibitæ ſunt ſacerdotibus, & Simoniaci Laïcique Beneficiorum Eccleſiaſticorum Collatores ab Eccleſia proſcripti.

Ad Paſchalem autem ibi tum commorantem Eccleſia Dolenſis Paſtore viduata ſolemnem miſit legationem, depoſcens ſibi M. Wlgrinum Cancellarium Carnotenſem in Archiepiſcopum. At ille onus & honorem detrectans tali promotioni nullatenus conſentire voluit, atque è Concilio diſcedens Iuonis Epiſcopi ſui auxilium & interceſſionem apud Pontificem implorauit, ne cogeretur inuitus Epiſcopale munus ſuſcipere, cui gerendo imparem ſe ſentiebat. Qua de re ſic Iuo ad Paſchalem.

" Paſchali ſummo Pontifici Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter debitam
" cum omni ſubiectione obedientiam. Reuerſus à Concilio Trecenſi filius noſter
" Wlgrinus Eccleſiæ noſtræ Cancellarius anxiè conqueſtus eſt, quod Eccleſia

Dolenſis deſtinatis excellentiæ veſtræ quibuſdam legatis ſuis eum ſibi in Epiſ-
copum ſub præſentia veſtra elegerit, & huic electioni ad eorum petitionem
veſtra paternitas aſſenſum præbuerit, nec eius excuſationibus quamuis idoneis
adhuc accõmodare voluerit. Quamuis enim ſit bene litteratus & bonis moribus
ornatus, multis tamen allegationibus humiliter inſufficientiam ſuam prætendens
dicit ſe potius multa grauia perpeſſurum quàm onus Epiſcopij hoc tempore ſubi-
turũ. Nouit autem veſtra paternitas quia leges ſeculi diſſentiẽte filio familias ſub
eius nomine ſponſalia fieri non permittunt. Quanto magis in ſpiritualibus Eccle-
ſiæ id obſeruare conuenit? in quibus niſi ſincera ſubueniat Charitas, quid boni
per angariam facere poſſit, ſiue facultates ſuas diſtribuendo, ſiue ſeipſum ad mar-
tyrium exponendo humana imbecillitas? Nemo enim inuitus bonum facit, etiam
ſi bonum eſt quod facit. Vnde nos admonet Spiritus S. in Cantico Canticorum.
*Adiuro vos filiæ Ieruſalem, nolite ſuſcitare dilectam, neque euigilare faciatis, donec ipſa
velit.* Ne igitur noſtro Iacob amanti Rachel nocte ſupponatis Liam, niſi fortè Ra-
chel Mandragoras primogeniti Liæ concupiſcat & hac mercede conductum Ia-
cob cum Lia dormire permittat. Tali enim ordine poſſet de tali copula merces
boni operis prouenire, & fortitudo quæ plurimũ neceſſaria eſt omni regimini, ad
tolerandos eiuſdem regiminis labores exuberare. Et ne diu verbis oneremus ſan-
ctitatem veſtram, flexis genibus cordis opportunè & importunè imploramus cle-
mentiam veſtram, vt nullis vinculis obedientiæ prædictum fratrem conſtringatis,
cuius ſaluti quantum poſſumus, prouidere debemus, qui eum de ſacro fonte ſuſ-
cepimus, qui etiam elegit, magis in loco humili ſaluari, quàm in alto periclitari.
vale.

Et cum idem Iuo ab Electoribus Dolenſibus & à Stephano Comite rogatus fuiſ-
ſet, vt cogeret Wlgrinum totius Eccleſiæ precibus acquieſcere, reſcripſit in hunc
modum. *Iuo D. Ci. Carnotenſis Eccleſiæ miniſter Clero Dolenſis Eccleſiæ & Stephano
Comiti ſalutem.* Bonæ intentionis veſtræ laudamus affectum, quod Wlgrinum filium
noſtrum, vita honeſtum, *ſcientia clarum* elegiſtis vobis in Archiepiſcopum: ſed
quantum nobis videtur fruſtra laborat ſtudium veſtrum, quia nec prætaxati filij
noſtri voluntas eſt electioni veſtræ acquieſcere, nec noſtræ poteſtatis ad hoc eum
inuitum cogere. Habent enim leges Imperiales, quia filio familias diſſentiente
nunquam poſſunt ſponſalia ſub eius nomine contrahi, multo itaque minus ſpiri-
tualis ſponſi animus ad ſpiritualis ſponſæ copulam in angaria eſt pertrahen-
dus. Prædictus enim frater iam ſuper hoc per litteras noſtras & ſuas allega-
tiones Domno Papæ tranſmiſit, & onus Epiſcopij, prout potuit, refu-
tauit. Si ergo ſtudia veſtra mutare non vultis, ſi in aliam perſonam delibe-
ratione veſtra declinare non vultis, non à nobis ſed à ſummo Pontifice eſt quæren-
dus, cui conceſſum eſt inuitos ad hæc officia cogere, & de volentibus & de non
volentibus Eccleſiæ Dei Pontifices ordinare. *Quantum ergo D. Papa ſuper hoc me
coëgerit, tantum ego prædictum fratrem cogam.* Rarum profecto modeſtiæ exemplum
hoc ſeculo, quo Simoniæ peſtis pene totam infecerat Eccleſiam. Iuſſis tandem
Papæ obtemperare cogitur Vvlgrinus, & Archiepiſcopatum Dolenſem rexiſſevi-
detur ad annum vſque 1114. quo Baldricus Burgulienſis ei ſubſtitutus eſt. Quan-
quam res iſta non omnino difficultate caret: ſiquidem Vvlgrinus Cancellarius
ſubſcripſit inſtrumento cuidam fundationis Abbatiæ Tironenſis in Diœceſi
Carnotenſi confecto 3. non. Feb. an. 1113.

Eodem anno Bernardus Pontiuenſis ſeu de Abbatis-vlla S. Cypriani Pictauien-
ſis Monachus, deinde Abbas, demum Tironenſe Cœnobium in agro Carnotenſi
fundat & inſtituit, vt legitur in Chronico Malleacenſi. *Eodem anno Bernardus
Abbas, quem S. Cypriani diximus, in Pertico cœpit ſuum cœnobium ædificare in loco qui
vocatur Tiro in honore S. Mariæ, vbi plus 100. Monachorum inſimul habuit.* Obiit an.
1116. 7. Kal. Maij cuius vita à Gaufredo Groſſo Monacho Diſcipulo ſcripta, &
Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo Yuonis ſucceſſori dedicata eſt.

Paulo poſt Vitalis Sauiniacum fundauit, & Radulphus de Fuſteia, (vterque
Roberti de Arbriſello ſocius) Abbatiam S. Sulpicij Redonenſis, vbi an. 1129. obiit
12. Kal. Septemb.

Eodem anno vt ſcribunt aliqui, Paſchalis Girardum Engoliſmenſem Epiſco-
pum Legatum ſuum in Aquitania conſtituit datis ad Archiepiſcopos, Epiſco-

pos Abbates atque principes Prouinciarum Bituricenſis, Burdigalenſis, Turonenſis & Britanniæ litteris. Vir iſte legatione iſtâ famoſus, natione Normanus, Patriâ Baiocenſis ex Magiſtro Scholarum ad Epiſcopatum Engoliſmenſem promotus fuerat anno 1101. de eo ſæpe infra recurret dicendi locus.

Eodem anno Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus cum Henrico Angliæ Rege in gratiam rediit, & Londinenſi Synodo præſidens ſtatuit teſte Mathæo Pariſienſi, vt ab eo tempore in futurum *nunquam per donationem baculi Paſtoralis vel annuli quiſquam de Epiſcopatu vel Abbatia per Regem, vel quamlibet Laicam manum inueſtiretur in Anglia.* Cui Conſtitutioni Rex ſubſcripſit. Viciſſim vero Archiepiſcopus conceſſit, vt nullus ad prælationem electus *pro homagio quod Regi faceret*, ſuſcepti honoris conſecratione priuaretur.

1108. Anno 1108. obit Philippus 1. Francorum Rex Meliduni prope ſexagenarius. Cuius exequiis teſte Sugerio, interfuerunt viri venerabiles Galo Pariſienſis Epiſcopus, Hubertus Siluanectenſis, Ioannes Aurelianenſis, Adam Abbas San-Dionyſianus & alij quamplures viri Religioſi. Eius Corpus primò de more in Eccleſiam B. Mariæ Pariſienſis delatum: deinde quia ita voluerat & iuſſerat, ad Floriacenſe Cœnobium. Saxo quod ei impoſitum eſt, hoc Epitaphium legitur inſculptum.

Septem milleno centum ſimul adde reſecto
Tuncque ſcies annum, Regem ſubiiſſe Philippum
Ingreſſum mortis dirę, nulli reuerentis,
Auguſto quartas orbi ſignante Kalendas
Inferia dicta Siluęſtri debmate quarta.

Legitur & aliud in Petauiano Codice & in Tomo 4. hiſtoriæ Ducheſnianæ.

Francorum ſummus latet hac tellure Philippus.
Rex fuit hic magni progenies Priami.
Corpore procerus, vultu ſtellante ſerenus,
Imperio ſpecies congrua Romuleo.
Strenuus in bellis, Regni defenſor auiti,
Solers conſilio, prouidus eloquio.
Inſignis pietate, truciſque coërcitor iræ,
Verbis iocundus, moribus & placidus.
Auguſti ternis conſcendit in æthra Kalendis
Annis ſceptra nouem vigies & bis agens.

Item hæc de ſe Rex ipſe loquitur.

Rex fueram prædiues opum, linguaque diſertus,
Progenies Regum, virtute potens, genus altum,
Gloria magna mihi, quâ tenditur æmula virtus,
Hæc tumulatus humo naturæ debita ſolui,
Ac cinis in cinerem ſenſi datus ecce quid eſſem.
Heu quid honor! quid opes! quid gloria! quidue poteſtas!
Aſt petij Benedicte tuam, ſpecialius ædem,
Ætheream concede rogo precibus mihi ſedem.
Iulius exactis dum lucibus iret ad aſſem,
Spiritus Auguſtas ceſſit meus ante Kalendas.
Qui legis hæc, meritam minui mihi Iudicis iram
Exige, ſed precibus faueas his Chriſte Redemptor.

Ludouicus cognomento Craſſus ſeu Groſſus ex Bertha legitima coniuge filius Aureliæ ſtatim inungitur & conſecratur à Daimberto Senonenſi Archiepiſcopo & Comprouincialibus Epiſcopis, ne ſi differretur inauguratio, turbarum interim aliquid oriretur iu Regno, ſeu à Principibus, ſeu à Nothis ex Bertrada ſuſceptis.

Huic conſecrationi interfuerunt Galo Pariſienſis, Iuo Carnotenſis, Manaſſes Meldenſis, Ioannes Aurelianenſis, Hugo Niuernenſis, Humbaldus Antiſſiodorenſis, Hubertus Siluanectenſis Epiſcopi. Serius verò & ſub finem inaugurationis eo acceſſerunt Legati Radulphi Viridis Archimyſtæ Remenſis, interminaturi

ſub anathematis pœna, ne Aurelię ſacra fieret Regis vnctio, aut alibi quàm Remis more Maiorum. *Dicebant enim*, inquit Sugerius, *primæ Regis Coronæ primitias ad ius Eccleſiæ Remenſis ſpectare, & à primo Francorum Rege, quem baptizauit B. Remigius, Clodoueo hanc prærogatiuam illibatam & inconuulſam obtinere: ſi quis eam temerario auſu violare tentauerit, anathemati perpetuo ſubiacere.* Ille autem eſt Radulphus qui cum Brunone Colonienſi Eremiticæ vitæ conſilium conceperat, vt diximus ad annum 1082. quique ex Præpoſito Remenſis Eccleſiæ poſt mortem Manaſſis II. à Clero & Populo expetitus in Archiepiſcopum & à Paſchale Pontifice in Concilio Remenſi ordinatus fuerat, Rege inconſulto nec conſentiente, qui eam ob rem exulabat, nec Archiepiſcopalia munera palam obire audebat. Contra quem à nonnullis electus fuerat Geruaſius de Retel Balduini Hieroſolymorum Regis frater, & huic electioni Philippus & Ludouicus filius fauebant Radulphumque ex vrbe Remenſi remouerunt. Sperabat autem ille ſe per legatos aut à Rege pacem impetraturum, aut iniectâ conſecrationi morâ Remenſium animos ad ſe conuerſurum, quod dignitatem vrbis & Eccleſiæ tueretur. Sed cum Legati poſt rem factam adueniſſent, *ibi muti* inquit Sugerius, *ad propria loquaces redierunt.*

Porro ex duplici illa duorum Archipræſulum electione deploranda ſuborta eſt in Eccleſia Remenſi deſolatio, quia vterque magno ſe Iudice tuebatur. Geruaſius Regis authoritatem & conſenſum Cleri moremque antiquum obtendebat: Radulphus ſacros Canones, Gregorij VII. Vrbani & Paſchalis conſtitutiones, quibus ab omni munere Eccleſiaſtico arcebantur quicumque à Laïco Principe Beneficium Eccleſiaſticum, promotionem aut dignitatem accepiſſent. Huic cauſæ diſceptandæ non parum incubuerunt Iuo Carnotenſis & Theobaldus S. Martini Campenſis Prior: vt teſtatur ipſe Iuo Ep. 190. ad Paſchalem quæ talis eſt.

Notum eſſe volumus excellentiæ veſtræ, quod Ego & Domnus Theobaldus B. Martini Monaſterij Pariſienſis Prior audientes miſerabilem & mirabilem Remenſis Eccleſiæ deſolationem, auſu familiaritatis opportunè & importunè Regem Francorum interpellauimus, quatenus prædictæ Eccleſiæ expulſo inuaſore Geruaſio pacem reſtitueret, & Domnum Radulfum eiuſdem Eccleſiæ Metropolitanum in gratiam ſuam receptum eidem Eccleſiæ præeſſe concederet. Acquieuit tandem precibus noſtris & conceſſit, vt eum ad Curiam ſuam quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, ſecurè adduceremus, & ibi cum eo & cum Principibus Regni de hoc negotio quantum fieri poſſet, ſalua Regni integritate tractaremus. Factum eſt vt condictum erat, & conuenientes in Curiam multiplicatis interceſſoribus petitionem noſtram ſemel & ſæpius replicauimus. Sed reclamante Curia plenariam pacem impetrare nequiuimus, niſi Metropolitanus per manum & ſacramentum fidelitatem Regi faceret, quam Prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi & cæteri Regni Francorum quamlibet Religioſi & Sancti Epiſcopi. Quod perſuadentibus & impellentibus totius Curiæ Optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſticæ paci & fraternæ petitioni ſic expediebat.

Ex hoc loco patet Reges Franciæ noluiſſe ſtatutis illis nouis Gregorij & Vrbani & Paſchalis parere, iuſque ſuum antiquum illibatum & inconcuſſum ſeruare voluiſſe. Neque Eccleſiam Gallicanam licet Mandatorum Papalium rigor obſtaret, illi derogandum putauiſſe.

Verum vt ad inaugurationem Ludouici redeamus, prædictæ legationis & interminationis à Radulpho factæ occaſione inter Doctos iſtius temporis ventilata eſt hæc quæſtio, num præter conſuetudinem facta Regis conſecratio in loco inconſueto & quodammodo inauſpicato legitima eſſet? Remenſes & qui Remenſibus fauebant, irritam atque idcirco iterandam eſſe contendebant, quia non fuiſſet in loco debito facta, augurato & ſacro, atque primi Regis Chriſtiani Clodouæi inauguratione conſecrato. Contra Pariſienſes cum Galone Epiſcopo dicebant ad eam nihil planè locum pertinere. Omnium vero fortiſſimè, doctiſſimè & elegantiſſimè Ludouici conſecrationem, item Epiſcoporum qui conſecrationi Aurelianæ interfuerant, cauſam defendit Iuo Carnotenſis vt legere eſt in Ep. 189. quæ pro titulo ſic habet.

Quæſtio de loco Conſecrationis Regum.

De Conſecratione Ludouici Regis, eſtque huiuſmodi. *Iuo Carnotenſis Eccleſiæ humilis Miniſter.* Nouerit S. Romana Eccleſia. Nouerint, omnes Eccleſiæ ad quas murmur Remenſium Clericorum peruenerit, Nos in conſecratione Ludouici Regis Francorum nihil noſtrum quæſiſſe, ſed pro communi vtilitate Regni & ſacerdotij conſultò vigilaſſe. Erant enim Quidam Regni perturbatores, qui ad hæc omni ſtudio vigilabant, vt aut Regnum in aliam perſonam transferretur, aut non mediocriter minueretur. Quod ne fieret, cooperante Deo & pro integritate Regni & pro tranquillitate Eccleſiarum quantum potuimus, præcauere ſtuduimus. Vnde liuori adſcribendum videtur aut tumori, ſi quis honeſtæ & vtili actioni deroget, quam nec ratione poteſt redarguere, nec conſuetudine infirmare, nec lege damnare. Si enim rationem conſulimus, iure in Regem eſt conſecratus, cui iure hæreditario Regnum competebat, & quem communis conſenſus Epiſcoporum & Procerum iampridem elegerat. Præterea quæ ratio eſt Belgicorum Regem ſuum creare & conſecrare, quamuis in aliis prouinciis regnaturus ſit; ſi ita ipſorum Regum voluntas & temporum atque locorum opportunitas ſe obtulerit, eadem Celticorum & Aquitanorum, qui Belgicorum prouinciæ nihil debent, Regem ſuum quamuis & in Belgica regnaturus ſit eligere & omne Regi debitum obſequium exhibere. Si verò ad conſuetudinem recurrimus quæ in exemplis maximè declaratur, reſpondemus ex verbis Auguſtini, quia ratio exemplis anteponenda eſt, cui tamen & exempla concordant. Ecce rationem dedimus, quam apud eos æquè validam ſuper hoc negotio inueniri non credimus. Addimus & exempla rationi concordantia. Sicut enim legitur in Geſtis Francorum, Diuiſo Regno inter filios Lotharij Nepotes Clodouæi Charibertus & Guntranus prouincias Celticorum & Aquitanorum acceperunt in Regnum ſuum; & alter eorum Charibertus ſcilicet Pariſius ſibi ſedem Regiam poſuit, & vſque ad flumen Garumnam Regnum ſuum extendit. Guntranus verò Aurelianis ſedem Regiam ſibi conſtituit, & Burgundiam quæ Celticæ pars eſt, in Regnum accepit. Iſti quippe Reges nullam à Remenſi Archiepiſcopo benedictionem vel coronam acceperant, ſed à ſacerdotibus Prouinciarum quas regebant, ſublimati ſunt & ſacrati. Poſtquam verò Regnum Gallorum in ſuam Monarchiam reuocatum eſt, deleta progenie Clodouæi, Pipinus & filij eius Carolus & Carlomanus nec Remis, nec à Remenſi Archiepiſcopo in Reges ſublimati ſunt, nec inuncti. Ludouicus quoque nepos Ludouici ſenioris apud Ferrarias, qui locus eſt in pago Senonenſi, & vxor eius nullo præſente Metropolitano à quibuſdam Epiſcopis in Reges ſunt conſecrati & coronati. Vnde in Geſtis Francorum ita legitur. Audientes Hugo Abbas & cæteri Primates, qui cum filiis quondam ſenioris ſui Ludouici agebant, Ludouicum Nepotem cum vxore ſua ad has partes venturum, quoſdam Epiſcopos miſerunt ad Ferrarias Monaſterium, & ibi conſecrari eos & coronari in Reges fecerunt. Item in Geſtis Francorum. Supererant duo filij Roberti Comitis Andegauorum qui fuit Saxonici generis vir. Ex his ſenior Odo dicebatur, Robertus alter. Ex his maiorem natu Odonem Franci & Burgundiones Aquitanenſeſque Proceres congregati in vnum licet reluctantem, tutorem Caroli pueri, Regnique elegerunt Gubernatorem, quem vnxit Vvalterus Archiepiſcopus Senonum. Item Carolus Simplex in carcere poſitus Rodulfum nobilem filium Ricardi Burgundionum Ducem quem de fonte ſacro ſuſceperat, vnà cum conſilio Hugonis Magni filij ſupradicti Roberti & Procerum Francorum in Regnum ſublimauit. Vnctus vero eſt in Regem ipſe Rodulfus 3. id. Iulii Sueſſionis Ciuitate. Poſt mortem Rodulfi Regis per Vvillielmum Archiepiſcopum reductus eſt ab Anglia Ludouicus filius Caroli Simplicis in Franciam & 4. Cal. Iulii vnctus eſt in Regem apud Laudunum. Poſt tranſlationem verò Regni Francorum in progeniem Hugonis Magni Ducis, Robertus piiſſimus Rex filius Hugonis Regis Aurelianis in Regem conſecratus eſt & coronatus. Cuius filius Hugo iuuenis Compendii eſt vnctus & in Regem ſublimatus.

Ex his huiuſmodi exemplis manifeſtum eſt, quod Francorum Reges non omnes in Remenſi Eccleſia vel à Remenſibus Archiepiſcopis ſunt conſecrati, ſed multi in multis aliis locis & à multis aliis perſonis conſecrati ſunt. Quæ omnia ſi retexerentur & prolixam facerent orationem & ſuperfluam diſputationem,

cum nullis ſcriptis vel exemplis probari poſſit Remenſem Archiepiſcopum Francorum Regem extra Belgicam vnxiſſe aut coronaſſe. Cum ergo hæc eadem poteſtas ſit cuiuſque Metropolitani in Metropoli ſua, mirum videtur, quare vnus in proprium ius ambiat vendicare, quod multorum conſtat eſſe commune. Niſi forte quis dicere audeat maiorem vim ſacramentorum eſſe apud alios, quàm apud alios, quod ſchiſmaticum eſſet, & vnitatem Eccleſiæ diuideret. Hæc dicentes non reprehendimus Inſtitutionem Eccleſiaſticam, per quam pax Eccleſiæ firmius colligata eſt, cum Inferiores à Superioribus ſacramentorum diſpenſationem ſuſcipiunt, nec vltra quam ſibi conceſſum eſt, vſurpare præſumunt. Verum vbi perſonarum æqualis eſt poteſtas, quarum altera alteri nihil præter charitatem debet, ſi altera alteri ius ſuum vult detrahere & ſibi ſoli arrogare, ſua quærens deceptus eſt ſeculi ambitione. Nos quippe Remenſi Eccleſiæ non inuidemus, & ſi Reges Francorum erga eam tantam habuerint deuotionem, vt malint à Metropolitano eius conſecrari quàm ab alio, non repugnamus, non dolemus: imò ſuper benedictionem eorum ſi nos adeſſe contigerit, gratanter loco idiotæ Amen reſpondebimus. Supradicta verò verborum ſerie oſtenſum eſt in vnctione Ludouici Regis nihil nos feciſſe contra morem.

Reſtat vt oſtendamus nihil nos feciſſe contra legem. Lex quippe eſt præceptio vel prohibitio ſcripta, ad communem vtilitatem referens quidquid iubet aut prohibet. Contra hanc ergo nihil fecimus qui nullâ contradictione prohibiti, communi vtilitati in hoc facto charitate ſuggerente conſulimus. Si verò priuilegiis nititur Remenſis Eccleſia, illa priuilegia apud Nos nulla ſunt. Quia nec in Generalibus Conſiliis nobis audientibus ſunt recitata, nec ad Eccleſias noſtras Epiſtolari maturitate directa. Et ne manifeſtius dicamus, nulla nobis familiari vel publica relatione propalata. Illius ergo præuaricatores non ſumus, cuius auditores nunquam fuimus. Quæ tamen ſi audita eſſet, nihil nobis obeſſe deberet. Lex enim iuſta debet eſſe & poſſibilis, loco & tempori congruens. Iuſta ſi ſit, Deus ſcit. Nos autem interim nec vt iuſtam approbamus, nec vt iniuſtam cõdemnamus, quam adhuc ignoramus. Poſſibilis vero non erat, quia conſecratio Regis Remis ab Archiepiſcopo Eccleſiæ nondum intronizato ſine ſumma perturbatione & ſanguinis effuſione celebrari non poterat. Loco non conueniebat, quia ciuitas ſub anathemate poſita erat.

Tempori opportuna non erat, quia ſi conſecratio Regis differretur, Regni ſtatus & Eccleſiæ Pax grauiter periclitaretur. Quod ergo fecimus, ſalubri deliberatione & prouida diſpenſatione fecimus, nulli inuidentes, nullius authoritatem nobis arrogare molientes, ſed nos intra terminos noſtros ſimplici oculo cohibentes. Sentiant aliter qui volunt, non timemus tribunal terreni Iudicis, quia ſecuros nos facit conſcientia noſtra ante tribunal interni cognitoris. Nouimus enim quia neceſſariæ diſpenſationis modus nulli vnquam ſapientium diſplicuit; quam non ſolum priuatæ leges, quibus nec fidei veritati, nec morum honeſtati conſulitur, ſed etiam leges generales contra Hæreticos vel ſceleratos promulgatæ admittunt: quando maioribus morbis ſanandis, maioribus malis amouendis melius ſubuenit **moderatio ſinceræ Charitatis, quàm rigor indiſcretæ ſeueritatis. Hæc primo ex au**thoritate Euangelica: dehinc ex actibus Apoſtolorum: tertiò ex Epiſtolis Apoſtoli: poſtremo ex Decretis Romanorum Pontificum, cæterorumque Orthodoxorum Patrum ſententiis facilè probarentur, niſi prolixitas Epiſtolę modum excedere videretur.

Qui autem fuerint Lodouici mores, deſcribit Sugerius in eius vita. Primùm enim ait primæ væ ætatis flore nempe duodennem ſeu tredennem fuiſſe elegantem & formoſum iuuenẽ & tanta morum probabilium venerabili induſtriâ, tantâ amœniſſimi corporis proceritate profeciſſe, vt & ſceptris futuris re ipſa amplificationem honorificam incunctanter promitteret, & Eccleſiarum & pauperum tuitioni ſpem votiuam generaret. Hæc ille initio, & poſt pauca. *Ludouicus itaque famoſus iuuenis, iocundus, gratus & beniuolus, quo etiam à quibuſdam ſimplex reputabatur, iam adultus, illuſter & animoſus Regni paterni, defenſor Eccleſiarum vtilitatibus prouidebat, Oratorum, laboratorum & pauperum, quod diu inſolitum fuerat, quieti ſtudebat.* Oratorum, inquit Synecdochikῶς: nam ſub eo Principe dici non poteſt quantopere omnes artes & diſciplinæ floruerint; quantoque ille ſtudio & affectu ea-

rum profeſſores proſecutus fuerit & promouerit; vt ex dicendis conſtabit.

1109. *Schola San-Victorina.* Anno 1109. Schola San-Victorina in ſuburbio Pariſienſi poſita originem ſumpſit à M. Guillelmo Campellenſi Eccleſiæ Pariſienſis Archidiacono & Scholarum Atrienſium Magiſtro: de quo antequam dicimus, iuuat animaduertere fuiſſe in ſuburbio San-Victorino Cellam quandam veterem & Capellam ſub nomine D. Victoris Martyris Deo conſecratam, Nigrorum Monachorum ſeu Benedictinorum Maſſilienſium vetus habitaculum & prioratum: ac forte Collegium, in quo illi ſub regula B. Benedicti conueſcebantur, vt ſcholas Pariſienſes frequentarent. Illis vero expulſis introductos fuiſſe Canonicos Regulares ex Abbatia S. Rufi per Hugonem quendam de S. Victore cognominatum Rege annuente & conſentiente: vt in Chronico Albrici legitur ad an. 1129. ſic enim habetur. *Domus S. Victoris Pariſienſis, quæ erat Prioria Nigrorum Monachorum de Maſſilia, eiectis prædictis Monachis adductus eſt Conuentus Regularium de S. Rufo de Valentia per Hugonem de S. Victore & de Regis authoritate.*

Errat Albericus, ſi putat anno tantùm 1129. introductos fuiſſe Canonicos Regulares: nam certum eſt Guillelmum Campellenſem illic habitaſſe Regularemque habitum ſumpſiſſe. Certum quoque Ludouicum an. 1113. Cœnobium illis ibi aſſignaſſe & dotaſſe, vbi vetus erat Eccleſia S. Victoris, ſic enim ait in diplomate: *In Eccleſia S. Victoris, Quæ iuxta Pariſiorũ Ciuitatem ſita eſt, Canonicos regulariter viuentes ordinari volui.* Vnde illũ liquet non Eccleſiam ipſam conſtruxiſſe, ſed in Eccleſia iam conſtructa & S. Victoris nomine nuncupata Canonicos Regulares collocaſſe. Verum tamen eſt à Ludouico & Guillelmo fuiſſe Cœnobium commodius & amplius capaciuſque ædificatum: vt legitur in Chronico Gemmeticenſi: *Eodem tempore M. Guillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Pariſienſis, vir admodum litteratus & religioſus aſſumens habitum Canonici Regularis cum aliquibus Diſcipulis ſuis extra vrbem Pariſienſem in loco vbi Capella quædam erat S. Victoris martyris, cœpit Monaſterium ædificare Clericorum. Aſſumpto autem illo ad Epiſcopatum Catalaunenſem venerabilis Gilduinus Diſcipulus eius primus Abbas ibi factus eſt: ſub cuius regimine multi Clerici Nobiles ſeculoribus & Diuinis litteris inſtructi ad illum locum habitaturi conuenerunt: inter quos M. Hugo Lotharienſis & ſcientia litterarum & humili religione maximè efflоruit.*

Ex his videtur inferendum duos fuiſſe Hugones de S. Victore. Vnum quidem maiorem & priorem, à quo Albericus ait Canonicos Regulares S. Rufi in Cellam S. Victoris à Monachis Nigris ante inhabitatam fuiſſe introductos: alterum poſteriorem, quem Chronicon Gemmeticenſe ait fuiſſe Lotharienſem; atalii communiter ſcribunt fuiſſe natione Saxonem e Diœceſi Halberſtadienſi oriundum, an. 1097. natum, virum litteratiſſimum, ſcriptis celebertimum, qui Gilduino Abbate nomen militiæ Regulari dedit. Certe conſtat iam fuiſſe Canonicos Regulares Lutetiæ, cum Guillelmus ad eos ſe contulit, nec eos primum ab eo in cellam prædictam immiſſos fuiſſe.

Quæ verò Guillelmo cauſa fuerit conuerſionis, varia tum fama fuit. Aliqui enim cum ſolo pietatis & religionis amore ductum putarunt. Alii ſecretam hanc illi fuiſſe cauſam arbitrati ſunt deſerendi ſeculi, quod ex quo cum Abaëlardo congreſſus fuerat, ſuam in dies magis minui famam viderat, ſcholam deſeri, lectioneſque frigeſcere. Nonnulli denique ob hoc ſe ad ſtrictiorem vitæ cultum conuertiſſe dicebant, vt quò religioſior crederetur, ad altiorem Gradum in Eccleſia promoueretur. Vt ſe res habeat, publicè docere non deſtitit. Mentem Magiſtri ſui ſiniſtrè forſitan & maliciosè interpretans Abaëlardus ſic de eo ſcribit. *Elapſis paucis annis cum ex infirmitate iamdudum conualuiſſem, Præceptor ille meus Guillelmus Pariſienſis Archidiaconus habitu priſtino commutato ad Regularium Clericorum Ordinem ſe conuertit, eâ vt referebant, intentione, vt quo religioſior crederetur, ad maiorem Prælationis gradum promoueretur: ſicut in proximo contigit, eo Catalaunenſi Epiſcopo facto. Nec tamen hic ſuæ Conuerſionis habitus aut ab vrbe Pariſiaca, aut à conſueto Philoſophiæ ſtudio eum reuocauit; ſed in ipſo quoque Monaſterio, ad quod ſe cauſa Religionis contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuit ſcholas.*

Hanc ei conuerſionem gratulatur Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, eamque demum veram eſſe Philoſophiam ait, quam amplexus ſit: ſimul verò ne docendi profeſſionem conuerſus dimittat, diſſuadet, neve ſapientiam & theſaurum

theſaurum ſcientiarum abſcondat, quem Deus illi benigniſſimè largitus eſt.

De Conuerſione & conuerſatione tua lætatur & exultat anima mea, illum proſequens actione gratiarum, cuius muneris eſt, quod nunc eandem philoſophari decreueris. Nondum quippe redolebas Philoſophum, cum ex acquiſita Philoſophorum ſcientia, ſcientiæ morum tibi minimè depromeres venuſtatem. Nunc autem ſicut ex lance mellis dulcedinem, ſic ex ea bene agendi formulam expreſſiſti. Hinc eſt quod Eccleſiaſticis dignitatibus omiſſis elegiſti abiectus eſſe in domo Dei tui magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Hinc eſt quod ambitioſam ſupellectilem inexorabili odio proſequeris, quòd inſtitoriam abdicas lectionem, quòd magnum quæſtum iudicas pietatem cum ſufficientia. Hinc denique eſt, quod intra fines virtutis totum te colligis, quod de vita tua cum natura non deliberas, minus attendens quid caro poſſit, quàm quid ſpiritus velit. Hoc verò philoſophari eſt, ſic viuere magnum iam cum ſuperis eſt inire conſortium. Nulla hinc ad ſuperos via compendioſior, eò facilè peruenies, ſi tamen exoneratus inceſſeris. Porro animus ipſe ſibi ſarcina eſt donec & ſperare deſinet & timere. Nondum enim beatè viuit, quem vel voti torquet dilatio, vel à voto dicendi metus excruciat. Diogenes quia nullius ſperauit fauorem, nullius potentiam formidauit. Ille in dolio ſuo tam ſpe vacuus quàm timoris expers locupletem tranſegit paupertatem. Porro quæ ſic infidelis Cynicus abhorruit, tantò amplius neceſſe eſt, vt Chriſtianus Doctor abhorreat, quanto fructuoſior eſt profeſſio quæ per fidem operatur. Morum hæc offendicula ſunt & ad virtutem gradientes remorantur. Eruditus ſermo & cultus abiectior & ſeuerius retracta veræ religionis inſtituta religioſum exhibent Chriſtianum. Nunc autem exhibebis & perfectum exprimes Philoſophum, ſi nec ſperes aliquid nec extimeſcas. Hoc & verum animi robur & integrum mundi contemptum denunciat. Fert autem fama id à quibuſdam tibi perſuaſum, vt omni lectione penitus abſtineas. Super hoc attende quod ſentiam. Citra profectum proficit, quiſquis alteri cum poteſt, non prodeſt. Virtus eſt etiam malè vſuro virtutis miniſtrare materiam. Præterea ſub euangelico te cohibuiſti conſilio quo iuuenis à Chriſto audiuit, *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Holocauſtum igitur habes offerre, non ſacrificium: de eorum quippe differentia apud Gregorium ſuper Ezechielem ſic legiſti. *In ſacrificio quidem pars pecudis, in holocauſto autem totum pecus offerri conſueuit.* & poſt pauca. *cum qui ſuum aliquid Deo vouet, ſacrificium eſt, cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt.* Offer ergo te totum Domino Deo, quoniam Domino Deo totum te deuouiſti, alioquin promiſſo eum defraudas holocauſto. Denique *ſapientia abſcondita & theſaurus abſconditus, quæ vtilitas in vtriſque?* aurum melius diſperſum rutilat quàm ſignatum. Nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, niſi in medium deducantur. Scientia quoque diſtributa ſuſcipit incrementum, & auarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur. Noli ergo claudere riuos doctrinæ tuæ, ſed iuxta Salomonem *deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide.*

Quod ſuadet Hildebertus Guillelmo vt faciat, malcuolis & inuidis ſiniſtræ interpretationis argumentum fuit, aientibus ſcilicet eum ſuæ conuerſionis pœnituiſſe, quandoquidem tunc vt ante, frequentabat Vrbem & Conuentus, nec à ſcholarum exercitio abſtinebat. Quibus vt aliquo modo detrahendi occaſionem auferret, ſe ſcholamque ſuam in villam ab vrbe remotiorem tranſtulit. At reuerſo Lutetiam Abaëlardo qui Meliduni docebat, & in monte San-Genouefiano publicè docente, rediit quoque Guillelmus ad ædem S. Victoris, vt eum quem in ſchola Atrienſi collocarat ad docendum, ab impetitionibus & inſultibus Abaëlardi vindicaret: vt intelligimus ex iis quæ ſcribit ipſe Abaëlardus Ep. 1. *Non multò poſt cum ille intelligeret fere omnes Diſcretos de religione eius plurimum hæſitare & de Conuerſione ipſius vehementer ſuſurrare, quod videlicet à ciuitate minimè receſſiſſet, tranſtulit ſe & conuenticulum fratrum cum ſcholis ſuis ad villam quandam ab vrbe remotam: ſtatimque ego Meliduno Pariſius redij, pacem ab illo vlterius ſperans. Sed quia vt diximus locum noſtrum ab æmulo noſtro fecerat occupari, extra Ciuitatem in monte S. Genouefæ Scholarum noſtrarum Caſtra poſui, quaſi eum olſſurus qui locum occupauerat noſtrum. Quo audito Magiſter noſter ſtatim ad vrbem impudenter rediens ſcholas*

quas tunc habere poterat & Conuenticulum fratrum ad priſtinum reduxit Monaſterium quaſi militem ſuum quem deſeruerat, ab obſidione noſtra liberaturus.

Ad huiuſce loci intelligentiam animaduertere neceſſe eſt Petrum Abaëlardum relicta Melidunenſi & Corbolienſi ſchola propter infirmitatem ex immoderato ſtudio contractam repatriare coactum, recuperatâ tandem ſanitate rediiſſe Pariſios, Magiſtrumque ſuum Guillielmum iam conuerſum audiſſe aliquandiu in ſchola Victorina & priorem quam habuerat de Vniuerſalibus ſententiam, mutare coëgiſſe: tantam verò inde ſibi famam comparaſſe, vt is quem in ſcholis Pariſiacæ ſedis Guillelmus conſtituerat, eas vltro cedere magiſterioque ipſius ſe ſubdere voluerit. Verum Abaëlardus oblatas ſibi ab alio Magiſtro ſcholas occupare maluit, forte ne Guillelmum offenderet, eaſque magna cum laude & celebritate nominis exercuit, donec ipſe Guillielmus expulſo eo, cuius ſcholas exercebat, alium ipſi æmulum ſubſtituit coëgitque Melidunum repetere. *Et quia in me* inquit, *quod apertè ageret non habebat, ei ſcholas auferre molitus eſt turpiſſimis obiectis criminibus, qui mihi ſuum conceſſerat Magiſterium alio quodam æmulo meo in locum eius ſubſtituto. Tunc ego Melidunum reuerſus ſcholas ibi noſtras, ſicut antea conſtitui.*

Iam vero quid acciderit poſtquam Guilelmus ad Cœnobium ſuum San-Victorinum rediit, & Abaëlardus Meliduno reuerſus in monte Sangenouefiano caſtra poſuit, idem narrat conſequenter, nimirum eum quem Guillielmus ſibi ſubſtituiſſet, omnino deſertum fuiſſe à Diſcipulis, adeoque coactum Monaſticam etiam vitam amplecti, quæ miſerorum refugium eſſe ſolet: ſe vero aut ſuos Diſcipulos cum Magiſtri Diſcipulis congreſſos ſæpe victores è conflictu rediiſſe. *Poſt reditum verò Magiſtri noſtri ad vrbem quos conflictus diſputationum ſcholares noſtri tam cum ipſo quàm cum Diſcipulis eius habuerint, & quos fortuna euentus in his bellis dederit noſtris, imò mihi ipſi in eis, te quoque res ipſa iam dudum edocuit. Illud verò Aiacis & temperatiùs loquar & audaciùs proferam.*

—— Si quæritis huius
Euentum pugnæ, non ſum ſuperatus ab illo.

En igitur noua Pariſienſium Muſarum colonia in ædem San-Victorinam deducta, quæ deinceps tam exercitio litterarum quàm Religionis & pietatis cultu tantopere floruit, vt haud ſciam an vlla Domus vnquam celebrior, aut profeſſione litterariâ clarior, aut multiplici propagine diffuſior, aut virorum illuſtriũ numero abundantior vnquam fuerit. Nam ex ea prodierunt Cardinales 7. Archiepiſcopi duo, Epiſcopi ſex, Abbates in diuerſis locis conſtituti 54. primoque & altero ſuæ fundationis ſeculo ſubiectas habuit ſui Ordinis 30. Abbatias & Prioratus cum 80. Præpoſituris. quis vero enumeret, quàm multi in omni Doctrinarum genere præſtantes viri à primis iſtis temporibus ad noſtra vſque in ea Domo floruerint? Iam dudum exſpectamus illuſtris huiuſce Domus hiſtoriam, vt in hominum memoriam reducantur tot illuſtres viri, qui ſuis temporibus tam multa monimenta memoriâ & poſteritate digna conſignarunt.

Eidem Sodalitio Stephanus 1. Pariſienſis Epiſcopus Girberti ſucceſſor, de quo infra dicemus, annualia Præbendarum Eccleſiæ Pariſienſis, aliaque quæ ſui iuris erant, conceſſit. Ex eo Ioannes Sagienſis Epiſcopus 36. Canonicos eduxit; & totidem ſecularibus in Eccleſia ſua ſubſtituit. Illi tanquam totius ordinis Canonicorum Regularium Primariæ & Principi Abbatiæ cæteræ honorem obedientiamque præſtiterunt: vt vel vnico Domus S. Vincentij Siluanectenſis teſtimonio patet, quæ an. 1138. Abbati Gilduino & conuentui San-Victorino ſe ſe hoc modo ſubiecit. *Omnes vno aſſenſu, vno voto concedimus & concedendo promittimus, quod nos & poſteri noſtri ordinem veſtrum & conſuetudines veſtras tenendo ſeruabimus. Abbas etiam noſter quicunq; ſcilicet de cætero nobis præfuerit, ad Capitulum veſtrum Generale per annos ſingulos veniet, vt ibi de ſtatu & profectu ordinis ipſe pariter cum cæteris tractet. Quod ſi idẽ Abbas noſter reprehenſibilis & ſibi & Eccleſiæ noſtræ inutilis repertus fuerit, & poſt Canonicã admonitionẽ ſe ſe emendare noluerit, communicato cum cæteris Abbatibus qui erunt de noſtra ſocietate, conſilio, ſine expectatione vel contradictione alicuius perſonæ eum remouere licebit. Et vt noſtra & veſtra ſocietatis vnitatem quam Abbates & Conuentus Ciſtercienſis Ordinis inter ſe ſuo modo in ſuo ordine habent, hanc ipſam inter vos & nos noſtro modo in noſtro eſſe annuimus & inſuper eundem reſpectum quem prædicti*

Abbates & Conuentus ad ſuum caput id. ad Abbatiam Ciſtercij *habent, eandem & nos & Abbatem noſtrum erga Eccleſiam S. Victoris Pariſienſis habere concedimus.*

Ac ne Pariſienſis Eccleſia pietate cæteris inferior eſſe videretur, imò vt cæteris præiret, eidem Domui quæ de ſuo quodammodo ſinu prodierat, quaſdam terras in agro de Cheuilly & Orly cum iuriſdictione attribuit, vt patet ex hoc inſtrumento an. 1122. confecto. *Ego Bernerus Decanus & totus Pariſienſis Eccleſiæ conuentus Eccleſiam S. Victoris Martyris noſtris Deo miſerante temporibus Canonico & Regulari Ordini inſignitam & quaſi nouâ plantatione radicatam noſtris ſuſtentare beneficiis diſponentes Canonicis ibi Deo militantibus & communem vitam degentibus terram arabilem, quæ vni carrucæ ſufficiat, apud Ciuilliacum villam tam ſcilicet de territorio Ciuilliaci, quàm Orliaci de noſtra proprietate aſſenſu Epiſcopi contulimus. Centum enim & viginti arpennos terræ arabilis ad excolendum eis conceſſimus. Dedimus etiam eis Olchiam cum omnibus ſuis conſuetudinibus & reditibus.*

Neque præterire fas eſt quæ habet ad huiuſce præclaræ Domus commendationem Iacobus de Vitriaco Cardinalis, qui hoc & ſequente ſeculo floruit. Sic autem de ea loquitur in ſua hiſtoria Occidentali cap. 28. *Sunt & aliæ Canonicorum Regularium deuotæ & humiles & amabiles Deo Congregationes, qui Sancti Victoris Canonici nuncupantur: eo quod prædictus Dei martyr Patronus & Aduocatus ſit eorum; in quibus huius Ordinis primordia clarnerunt. Primus ſiquidem & præcipuus huius S. Religionis Conuentus extra muros Pariſienſis Ciuitatis in Eccleſia quæ dicitur S. Victoris, quaſi lucerna Domini ſupra candelabrum poſita non ſolum propinquam Ciuitatem, ſed remotas circumquaque regiones & ad Dei cognitionem illuminat, & ad charitatem inflammat tanquam Piſcina probatica & luter æneus in templo Domini* Scholaribus Pariſius commorantibus *& variis populis vndique confluentibus aquam purificationis ſubminiſtrans. Hæc ſiquidem ſancta & omni acceptione digna militantium in caſtris Domini congregatio refugium eſt pauperum, conſolatio lugentium, fulcimentum & quaſi baſis debilium, recreatio laſſorum, releuatio lapſorum* Portus tranquilliſſimus ſcholarium: *quibus de mundi huius naufragio euadere cupientibus ſinum miſericordiæ aperit, & in gremio ſuo velut pia mater eos fouet & nutrit.* Multis *à principio* Pariſienſibus Magiſtris viris litteratis & honeſtis *velut ſtellis fulgentibus illuſtrata & quaſi margaritis pretioſis decorata. Inter quos nominatiſſimus & præcipuus extitit Citharиſta Domini, Organum Spiritus S. Hugo de S. Victore dictus, qui malogranata tintinnabulis coniungens, exemplo S. conuerſationis multos ad honeſtatem incitauit & melliflua doctrina adſcientiam erudiuit. Multos autem aquarum viuentium puteos effodiens libris ſuis quos de fide & moribus tam ſubtiliter quàmſuauiter diſſerendo edidit, incerta & occulta diuinæ ſapientiæ pluribus aperuit, mortalem ſui memoriam velut compoſitionem Oloris & opus pigmentarij & in omnium ore quaſi mel dulcoratum, velut muſicum in Conuiuio vini & tanquam naues poma ferentes poſteris relinquendo.* Hæc de Domo Victorina impræſentiarum ſufficiant.

Eodem anno inſtaurata eſt Academia Cantabrigienſis in Anglia à Ioffrido & 4. Commonachis Noſtratibus, noſtrarumque ſcholarum more diſpoſita. Quanquam enim illa vetuſtior ſit, vt ante docuimus, & à Sigeberti Anglorum Regis temporibus forte repetenda, plurimum tamen decoris ſui & priſtinæ dignitatis ob iniuriam temporum bellique calamitates amiſerat. Demum verò poſt expugnatam à Vvillielmo Normanorum Duce Angliam belloque partam, pace redditâ noſtrates Galli in Angliam ab eo euocati litterarum inſtaurationi potiſſimum incubuerunt, vt legitur paſſim apud Ordericum Vitalem, & in vetuſta appendice ad Epiſtolas Petri Bleſenſis, Ep. ad Ingulphum Croilandiæ Abbatem. Cui etiam addita eſt breuis relatio incerti authoris de obitu Ingulphi, eiuſque ſucceſſore Ioffrido. *Inſtauratio Academiæ Cantabrigienſis.*

Porro Ingulphus ille natione Angligena, Scriba ſeu Secretarius Vvillielmi Regis fuerat, qui reuerſus e peregrinatione Hieroſolymitana apud Fontinellenſe cœnobium à Gerberto Abbate viro eruditiſſimo monachalem habitum acceperat, eiuſdemque Cœnobij Prior fuerat; vnde à Conquæſtore euocatus Croilandenſibus Monachis præpoſitus eſt, & hoc anno 1009. obiit, cum ab an. circiter 1050. florere cœpiſſet. Eum aiunt Londini natum fuiſſe Patremque habuiſſe inter primos Edwardi Regis Magnates Aulicos, Veſtmonaſterij operam dediſſe Grammaticæ, Oxonij Philoſophiæ, multumque inter cæteros coæta-

neos claruiſſe, vt & ipſe apud Camdenum in deſcriptione Vrbis Oxonienſis ait his verbis. *Ego Ingulphus conſtitutus primum Veſtmonaſterio, poſtmodum Oxonienſi ſtudio traditus cum in Ariſtotele arripiendo ſupra multos coætaneos profeciſſem.*

Ille igitur Croilandenſe Monaſterium iuſſu Willielmi regendum ſuſceperat, ibique, vt ipſe ſcribit, Monachos ſexaginta duos inuenerat, præter eos qui ex aliis Monaſteriis illuc metu belli, tanquam Apes ad Aluearia confugerant: plurimos verò eorum, qui ad ſummam ſenectutem peruenerant, ſed vnum præſertim 105. vel vt alij dicunt 140. annos natum. Eo porro defuncto 16. Kal. Decemb. anni prædicti Ioffridus ſeu Goisfredus Aurelianenſis è Cœnobio S. Ebrulfi accerſitus Monachis præficitur. De quo ſic ſcribit Ordericus Vitalis. *Tandem Ingulfo Abbate 16. Kal. Decemb. defuncto Goisfredus ſucceſſit & in multis Eccleſiæ Croilandenſi & habitatoribus eius ſtudio bonitatis & honeſtatis profuit. Hic genere fuit Francigena ex vrbe Aurelianenſi Scholas Liberalium Artium ſecutus ab æuo puerili affatim imbutus peritia litterali. Mundum peroſus deſiderioque flagrans cæleſti monachile ſtemma in cœnobio S. Ebrulfi Abbatis ſuſcepit, quod idem ſanctus tempore Childeberti Regis Francorum apud Vticum conſtruxit.* Ibi ſub Manerio Abbate Prior factus eſt poſt 25. annos monachatus.

Ex eodem verò Cœnobio aſſumpſit 4. Commonachos, Giſlebertum, Odonem, Terricum & Vvillelmum, viros doctiſſimos & docendi peritiâ inſignes, iiſque adiutoribus Cantabrigienſes ſcholas inſtaurauit. Qua de re ſic legitur in Epiſtola prædicta. *Tranſmiſit Ioffridus Abbas ad Manerium ſuum de Cotenham iuxta Cantabrigiam Dominum Giſlebertum Commonachum ſuum & ſacræ Theologiæ profeſſorem cum aliis tribus Monachis, qui ſecuti ſunt eum in Angliam Philoſophicis theorematibus & aliis ſcientiis primitiuis inſtructiſſimi, quotidie Cantabrigiam adeuntes & conducto quodam horreo publico ſuas ſcientias palam profitentes in breui temporis excurſu grandem Diſcipulorum numerum contraxerunt. Anno verò 2. aduentus eorum in tantum accreuit Diſcipulorum numerus tam ex tota patriâ quàm ex Oppido, quod quælibet Domus maxima, horreum, nec vlla Eccleſia ſufficeret eorum receptaculo. Vnde diuerſis locis à ſe diuiſi & formam* Aurelianenſis Studii *ſecuti ſummo mane Odo Grammaticus & Satyricus ſingularis Pueris & Iunioribus ſibi adſignatis legebat Grammaticam iuxta Priſciani Doctrinam & Remigij in eundem.*

„ Ad horam verò primam Terricus acutiſſimus Sophiſta Logicam Ariſtotelis
„ iuxta Porphyrij & Auerrois Iſogogas & commenta Adoleſcentioribus tradebat.
„ Ad horam verò tertiam Frater Vvillielmus Rhetoricam Tullij Quintilianique
„ flores perorabat. Magiſter verò Giſlebertus omnibus Dominicis diebus & ſan-
„ ctorum feſtis in diuerſis Eccleſiis Verbum Dei ad populum prædicans, rudis in
„ Anglicana lingua, ſed expeditus & profundus in Latina & Gallicana ſua contra
„ Iudaïcum morem maximè diſputabat. Ferialibus autem diebus Litteratis ac Sa-
„ cerdotibus ad eius Auditorium ſpecialiter confluentibus ante ſextam horam
„ Textum Sacræ paginæ exponebat. Cumque nonnulli increduli & adhuc Iudaï-
„ ca perfidia cœcati ad eius verba in ſinum matris Eccleſiæ relicto prius ſuo errore
„ priſtino compuncti accurrerent & fides Chriſtiana in dies ſolidior quotidie fir-
„ maretur, non modicum commodum eorum induſtria Monaſterio affluxit. *Sic*
„ *vero concludit.* Ex iſto itaque fonte paruo, qui creuit in fluuium iam magnum, vi-
„ demus nunc lætificatam Ciuitatem Dei & totam Angliam factam frugiferam
„ per plurimos Magiſtros Doctoreſque de Cantabrigia exeuntes ad ſimilitudi-
„ nem ſanctiſſimi Paradiſi.

Ex his intelligitur, quæ fuerit forma Pariſienſis Studii iſtis temporibus: credibile eſt enim Aurelianenſe, cuius exemplum ſumpſit Croilandenſis Schola, à Pariſienſi formam fuiſſe mutuatum. Nam cum Academia Pariſienſis non poſſet omnes Auditores omneſque Magiſtros vndequaque confluentes capere & continere, neceſſe erat vt eos alibi remitteret. Vnde factum eſt, vt in prouinciis plurimæ Scholæ celeberrimæ inſtitutæ fuerint, quæ veluti palmites fuerunt vitis Pariſienſis, ſeu veluti fluuii ex hoc litterarum Oceano refluentes: quæ verò ex iis numero Diſcipulorū magis abundarunt, procul dubio Pariſienſis Matris modum regimenque magna ex parte aſſumpſerunt: quas inter nemo in Hiſtoria verſatus dubitabit, quin reponendæ ſint Aurelianenſis & Remenſis. Aurelianenſis quidem regnante Roberto Rege maximè florebat, vt ad an. 1017. retulimus, quo

tempore illius præfectus erat Heribertus: & ex ea prodierunt inter alios Ioffridus prædictus, & Odelirius Aurelianenſis Conſtantii filius vir ingenio & facundia & litterarum eruditione præpollens, quem Ordericus Vitalis filius ad an. 1083. in Hiſtoria ſua commemorat. Itaque Dom. Lucas Dacherius, cui multum certè litteræ debent, minus rectè in Notis ad vitam Lanfranci per *Aurelianenſe Studium*, interpretatur *Floriacenſe*, quod in agro Aurelianenſi ſitum eſt. Nam vt demus hocce adhuc tempore floruiſſe ſcholas Floriacenſes, (quod non crediderim) non ſequitur tamen, quod Aurelianenſes minus floruerint: cum certiſſimum ſit ex iis quæ ad an. 1017. de Liſoio, Stephano & Heriberto Doctoribus Aurelianenſibus retulimus, maxime tunc fuiſſe famæ & celebritatis: & in iis à puero inſtructum & educatum fuiſſe Ioffridum prædictum Croilandenſium ſcholarum inſtitutorem, ipſummet patria Aurelianenſem.

Cæterum vt ait Brianus Thwynus lib. 1. Apologiæ pro antiquitate Academiæ Oxonienſis, Manerium de Cotenham primum illud Cantabrigienſis Studii ſeminarium, ab Edredo Rege Monaſterio S. Guthlaci Croilandiæ an. 948. datum & confirmatum fuerat, quo Monachi Croilandenſes poſt ſuas lectiones ſe recipiebant, & infra biennij ſpatium centum marcas docendo compararunt.

Eodem anno 8. Kal. Maii hominem exuit Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Chriſti Philoſophus, cuius inquit Mathæus, vitam laudabilem, cuius actus eximios, cuius tranſitum ab hac luce ad cœleſtem patriam crebra miraculorum inſignia perſecuta ſunt. Eodem anno 3. Kal. Martii in Francia idem naturæ debitum ſoluit Hugo Semurius Cluniacenſium Abbas anno ætat. 85. præfecturæ 61. aut circiter. Huic ſucceſſit Pontius de Mergueil filius Petri Mergulienſis Comitis, rexitque annis 12. profectus verò Hieruſalem ſucceſſorem habuit Hugonem II. Priorem Monialium de Marcigniaco, cui poſt annum ſucceſſit Petrus dictus Venerabilis.

Ad eundem annum narrat Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum multos ſacro igne accenſos fuiſſe, *membris inſtar carbonum nigreſcentibus*, qui morbus iam à centum annis Galliam afflictabat. Ademarus enim Cabanenſis, S. Eparchi Engoliſmenſis Monachus ſcribit in Chronico ea peſte Lemouicinum agrum fuiſſe correptum circa an. 1000. *His*, inquit, *temporibus peſtilentiæ ignis ſuper Lemouicinos exarſit. Corpora enim virorum & mulierum ſupra numerum inuiſibili igne depaſcebantur, & vbique planctus terram replebat.* Obidque ait à Ioffredo S. Martialis Abbate & Alduino Epiſcopo indictum fuiſſe triduanum ieiunium.

Anno 1110. M. Thomas Treſſentis inſignis quondam in profeſſione litterarum Magiſter fit Abbas S. Trinitatis Stampenſis: cùm enim in Cœnobio Stampenſi nomen olim dediſſet ſub Alberto Abbate relictis ſcholis ſecularibus, deinde ad Columbenſe Cœnobium, quod in agro Carnotenſi ſitum eſt profectus, ibi per decem annos litteras profeſſus fuiſſet, tandem inde ad Stampenſe Monaſterium iam fere collapſum inſtaurandum reuocatus eſt, vt legitur in Chronico Mauriniacenſi his verbis. *Denique cum ex aliis Monaſteriis perſonas expeterent, quas non potuiſſent adipiſci, ad Eccleſiam Columbenſem, cum qua maximam ſocietatis familiaritatem habebant, recurrunt, & Thomam illum ætate quidem iuuenem ſed litteris præditum veluti quodam iure repoſcunt. Nam ſub Abbate Alberto ſcholis ſecularibus abnegatis in Eccleſia hac Monachum profeſſus fuerat, & Columbis per decennium vitæ Clauſtrenſi & litterarum ſtudio deditus demoratus eſt. Benedictione paulo poſt Epiphaniorum dies regulariter perceptâ magnis & fratrum ſuorum & totius populi fauoribus excipitur.* 1110.

Hiſce quoque temporibus Rupertus Abbas Limpurgenſis in Philoſophiæ profeſſione clarebat. De quo ſic ſcribit Trithemius ad annum 1124. Rupertus quoque Abbas Monaſterij Limpurgenſis noſtri Ordinis in Diœceſi Spirenſi vir tam in Diuinis ſcripturis quam in ſecularibus litteris egregiè doctus, qui Philoſophiæ multo tempore *apud Gallos Pariſius* operam dedit & ſatis eruditus euaſit. Reuerſus tandem ad patriam ſuam, hoc eſt Ciuitatem Wormacienſem, ſecularem Philoſophiam commutauit in Diuinam, factuſque Monachus in præfato Monaſterio Limpurgenſi ac deinde Abbas, tanta diſtrictione, ieiunio & abſtinentia conuerſationem tam ſibi quam Monachis ſuis præter morem catenus in eodem Monaſterio obſeruari conſuetum his temporibus induxit, vt aliqui ex Monachis licet numero pauciores de Cœnobio fugerent & Arnoldum Epiſco-

pum Spirenſem accedentes grauem illi perſecutionem ſuſcitarent. Introduxit enim viuendi modum Abbas, vt non ſolum à carnibus omnino ſecundum regulam ſanctiſſimi Patris Benedicti abſtinerent, verum etiam à piſcibus, ouis, lacticiniiſque & omnibus generaliter, quæ vel vixerunt vnquam, vel viuere potuiſſent.

Vno verbo accuſatus nimiæ auſteritatis apud Epiſcopum Spirenſem Arnoldũ, poſt multas concertationes, poſtulata & reſponſa, multa paſſus eſt mala tam ab eo quam ab eius ſucceſſore Sigefrido. Habebant enim illum pro fatuo, quia multa prædicebat, quæ ſe Deo reuelante aſſeuerabat edoctum: & reuera multa eundem euentum habuerunt, quem prædixerat. Idem Trithemius in lib. de ſcriptoribus ait eum fuiſſe nobilem Philoſophum. *Hic multis annis in Gymnaſio Pariſienſi Philoſophiæ ſeculari operam dedit & Philoſophus nobilis euaſit.* Multa autem opera edidit de quibus nos in Catalogo agemus.

Eodem quoque tempore florebat Rupertus Tuitienſis, qui paulo poſt ſub Beringero Abbate in Tuitienſi cœnobio Monachus factus, multa edidit opera profundæ doctrinæ: inter alia verò libros 12. de Diuinis officiis per anni circulum. Nec de Euchariſtiæ myſterio, quæ tum temporis frequens erat in ſcholis materia diſputandi, omiſit dicere quid ſentiret. Verum ſatis obſcurè rem iſtam tractauit, adeo vt hæretici eum inter ſuos cõnumerent: malè tamẽ, meo iudicio, nam in Ep. Nuncupatoria ab Hugonem præfixâ libris de Diuinis Officiis clarè Berengarianos impugnat, ſuamque mentem Catholicæ fidei conformem explicat, & referens quorundam in ſe calumnias, ſic ait. *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, niſi quod aliqui ex eis dum volunt Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini ſolummodo ſignum eſſe ſacræ rei iuxta errorem quondam Berengarij Turonenſis, etiam dictum B. Auguſtinum ita ſentire putant: quod omnino falſum eſt. Ego autem verum Corpus Chriſti quod pro nobis traditum eſt, verum eſſe decerto ſanguinem, qui pro nobis effuſus eſt, ſicut Eccleſia Catholica tenet. Hoc quia probant, conati ſunt Beato me derogare Auguſtino contra illum ſentiendo, quem in ſui erroris patrocinium Berengarius citare conſueuerat, dicta eius malo ſenſu diripiendo. Verùm hoc iam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, Vniuerſa ſciente Eccleſia Catholica, quia verum Corpus & verus Chriſti ſanguis eſt.* Et poſtea. *Pater ille mihi veritatem Corporis & Sanguinis Domini offerre contendebat.* Et infra. *Breuiter nunc tibi pando, quod vel quomodo ſentiens de viuifico Corporis & Sanguinis Domini ſacramento tractauerim illa eiuſdem Domini verba, quibus ſacramentum illud commendat.* Ille tandem factus Abbas Tuitienſis obiit an. 1135.

Eodem tempore florebat Algerus ex Scholaſtico Leodienſi factus Monachus Cluniacenſis, vixitque ad an. 1130. quo nemo melius, nemo clarius & eloquentius hanc materiam tractauit. Florebat quoque Stephanus de Balgeio Gall. de Baugé poſtmodum Æduenſis Epiſcopus, qui ſimiliter in eandem rem tractatum edidit, qui legitur tom. 2. Biblioth. Patrum, vtiturque verbo *Tranſubſtantiationis.* Oramus inquit, vt cibus hominum fiat cibus Angelorum, ſcilicet vt oblatio panis & vini *tranſſubſtantietur* in Corpus & Sanguinem Ieſu Chriſti. O inſigne miraculum! ô mirabile & diuiniſſimum ſacramentum! quæ mens non expaueat? quis intellectus non deficiat? omnis ratio euaneſcit. Prorſus Dialecticorum inquiſitio abſit. Hoc ſola fides probat & agnoſcit, quia cibus hominum fit cibus Angelorum. Quod ſacerdos eleuat, non deponit. Eleuatum & depoſitum idem videntur eſſe in ſpecie, colore & ſapore: prorſus tamen aliud apparet & aliud intrinſecus latet. Eleuatus eſt ide altari panis communis, deponitur Caro Chriſti immortalis. Quod erat cibus animalis, factum eſt cibus ſpiritualis. Quod erat momentanea refectio hominum, factum eſt æterna & indeficiens ſaturitas Angelorum. Itaque fides noſtra eſt, & verè credendum eſt, quod ſacerdote proferente hæc verba Hoc est Corpvs mevm, iam non eſt panis terrenus, ſed ille panis qui de cœlo deſcendit, mediator Dei & hominum Ieſus-Chriſtus. Item virtute verborum iſtorum. Hic est Calix Sangvinis mei vinum conuertitur in Sanguinem ſuum. Sub vtraque ſpecie & ſub vtriuſque ſpeciei particula ſingula totus eſt Chriſtus Ieſus, & ſumitur reſidens in cœlo ſedens ad dextram Patris. Ipſe verè eſt in hoc ſacramento, dentibus teritur & integer manet. Manducatur & non corrumpitur, immolatur & non moritur.

Tranſubſtantiatio.

Qualem ſe præbuit Diſcipulis edendum, talem ſe præbet nobis communicandum. Et qui poſt reſurrectionem incorruptibilis & impalpabilis præbuit ſe Diſcipulis palpabilem, mortalis eiſdem potuit ſe dare immortalem.

Similiter Algerus in Prologo tractatus de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini *Super omnia eſt mirabile exiſtentem ſubſtantiam Panis in coexiſtentem ſubſtantiam Carnis ſuæ conuertere: quod eſt, non videri: quod videtur, non eſſe: ipſamque carnem cum ſit localis præſentem in cœlo & in terra verè & ſubſtantialiter eſſe, & cum verè Caro comeſta & ſanguis eius bibitus fuerit à populo, ipſum tamen Chriſtum viuum & integrum ſuo permanere in Regno: ſed hæc rationi cæca, fidei ſunt manifeſta.*

Hildebertus Lauardinus ex Magiſtro ſcholarum Epiſcopus Cenomanenſis deinde Archiepiſcopus Turonenſis factus, vir eloquens & facundus profundæque doctrinæ, qui ab an. circiter 1090. ad an. 1135. inſigniter floruit, Carmine de Officio Miſſæ explicans verba conſecrationis ſic habet.

Si qua fides Patribus, quos vita beata perennat,
Eſca fit hæc animæ quæ modo Carnis erat.
His verbis vtrumque nouas acquirere vires,
Maioreſque ſuis ſcripta probata docent.
Sub cruce, ſub verbo natura nouatur & aram
Panis honorificat carne, cruore calix.
Presbyter idcirco, cum verba venitur ad illa,
In quibus altari gratia tanta datur,
Tollit vtrumque, notans, quod ſit communibus eſcis
Altior, & quiddam maius vtrumque gerat.
Quæque parans animæ Carnis fomenta parauit,
Omnia ſacratis inferiora cibis.

Prætereo Iuonem Carnotenſem & multos alios qui hiſce temporibus ſublimem hanc materiam præclaris ſuis ſcriptis illuſtrarunt, & contra quos nemo inſurgere auſus eſt, donec Petrus Brius qui Petrobruſianis Hæreticis nomen dedit & originem, poſt aliquot annos Eccleſiam turbare aggreſſus eſt, vt ſuo loco dicetur.

Anno IIII. Paſchalis Papa ab Henrico Imperatore in cuſtodiam datus eſt, propterea quod Epiſcopatuũ & Abbatiarum inueſtituras concedere renuebat, quas à trecentis annis & à ſexaginta Romanis Pontificibus Imperio conceſſas fuiſſe contendebat. Eam igitur ob rem, ſed diſſimulatâ cauſâ Romam profectus eſt Henricus cum triginta armatorum millibus: ſatis pacificè ingreditur, honorificentiſſimè verò tam ab ipſo Pontifice & à Cardinalibus Clericis vniuerſo, quàm à Nobilibus & à ciuibus excipitur. At cum ille ad altare, ad ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem acceſſiſſet, Papa qui Miſſam celebrabat, dixiſſe fertur. DOMINE IMPERATOR HODIE CORPVS DOMINI NATVM EX MARIA VIRGINE, PASSVM PRO NOBIS IN CRVCE, SICVT SANCTA TENET ECCLESIA, DAMVS TIBI IN CONFIRMATIONEM VERÆ PACIS INTER ME ET TE. Poſt ſacrum peractum, actum eſt de Inueſtituris. Sed renitentibus Papa & Clero concedere quod petebat, milites Imperatoris acceptâ occaſione diſcordiæ turbas in vrbe miſcent, ſpoliant, diripiunt, trucidant. Imperator Papam & nonnullos Cardinales carceri mancipat, qui tandem neceſſitatis lege coacti conditiones accipiunt, quas imperat; Epiſcopatuum & Abbatiarum per Annulum & Baculum inueſtituras concedunt, & rebus ita pacatis Papa Romam, Imperator Germaniam repetit. IIII.

Quia verò Paſchalis ob hoc omnibus ſe inuiſum ſenſit, ſibique puſillanimitatis notam inuri, ad 15. Kal. Aprilis Romæ Concilium indixit, ad quod quamplurimi Cardinales, Epiſcopi, Abbates virique Docti vndequaque conuenerunt: atque ſuffragantibus omnium votis & animis pactum quod cum Imperatore pepigerat, reſciſſum eſt. Tunc in Curia Romana verſabantur Robertus Pariſienſis, quem ſupra diximus fuiſſe inter Nominales inſignis notæ, Gualo Leonenſis Epiſcopus & Pontius Abbas Cluniacenſis qui præcipui authores fuerant conuocandi Concilij & pacti reſcindendi. Meminit huiuſce rei Ordericus Vitalis. *Tunc Papa ſolerti cuſtodia detentus omnique ſolatio deſtitutus Imperatori quidquid petierat, conceſ-*

ſit. Vnde ab illo dimiſſus multis poſtmodum vilior extitit. Nam Robertus Pariſienſis, Gualo Epiſcopus Leonenſis & Pontius Abbas Cluniacenſis aliique plures de Cardinalibus & Prælatis Eccleſiarum Papam redarguebant, & quidquid Imperatori verbo ſeu ſcripto conceſſerat, irritum eſſe debere indubitanter cenſebant. Ille vero reprehenſiones Sophiſtarum (id. virorum Doctorum) *patienter tolerabat & aſſertiones eorum legitimas & veraces eſſe allegabat.*

Concilio Romano è Gallis præter ſupradictos adfuerunt Sugerius & Gerardus Engoliſmenſis nuper ab ipſo Papa Legatus in Gallia conſtitutus, iique omnes pacti reſcindendi authores fuerunt præcipui. Et quia Gerardus vir erat eloquentiſſimus Magiſterque fuerat Primariorum Imperatoris Miniſtrorum, ad eum cum vno è Cardinalibus miſſus fuit, vt quod Concilio placuerat, ſignificarent. Res ſic ſe habet in Codice Pontificum Engoliſmenſium.

» Promotus eſt in Epiſcopatum Gerardus natione Normanus ciuitate Baiocenſi
» oriundus Patre Giraudo. Qui cum in Ciuitate Engoliſma & Petragorico & in
» quibuſdam Caſtellis circumadiacentibus *regimina ſcholarum* habuiſſet, defun-
» cto Ademaro Engoliſmenſi Epiſcopo ob inſignem eius ſcientiã & honeſtam vitã
» in Engoliſmenſem Epiſcopum promotus eſt petitione populi, electione cleri,
» honoratorum aſſenſu. Qui cum Romam tenderet, audito quod Paſchaſius Papa
» Concilium congregaſſet, maximis dietis ad vrbem retendit, in quã quamuis tar-
» dè venit, tamen reſidentes Epiſcopos cum Domno Papa in Concilio inuenit.
» Cauſa ſiquidem quâ conuenerunt, talis fuit. Imperator ſiquidem Henricus Pa-
» pam Paſchalem, Cardinales & nobiles Romanos ceperat. Hac occaſione Papa
» reliquit Imperatori inueſtituras quæ fiebant per annulum & virgam, & ſuper ſa-
» croſancta iurauit propria manu & curiæ eius Imperatorem ſe non excommuni-
» care pro inueſtituris. Quia vero Papa rem illicitam fecerat, deponere ſe à Papa-
» tu promiſerat & Pontianas Inſulas habitu religioſo exul ire diſpoſuerat, ſi inueſti-
» turas ſaluo ſacramento ad priſtinam libertatem non reſtitueret. In qua re nullum
» remedium à toto Concilio inueniri poterat. Gerardus Epiſcopus exquiſitus tan-
» dem tale conſilium dedit quod inueſtituræ reuocari poterant ſaluo ſacramento;
» ita tamen quod Imperator dans Inueſtituras non excommunicaretur. Quod
» Conſilium omne Concilium laudans dixit. *Tu non locutus es, ſed Spiritus S. in ore tuo.*
» Placuit itaque Papæ & toti Concilio, quatenus Gerardus Epiſcopus, per quem
» Deus Eccleſiæ ſuæ Conſilium tale reuelauerat, cum quodam Cardinale Diui-
» niaco ad Imperatorem dirigeretur, qui voluntatem Imperatoris conſulerent,
» quatenus Eccleſiæ inueſtituras reſponderet (forte reponeret) alioquin habitum
» conſilium reuelaretur.
» Quod cum in præſentia Imperatoris ſupradictus Pontifex Gerardus mirabili-
» ter peroraſſet, & à Cancellario Imperatoris qui illius interpres erat, ſingula
» exponerentur, vehemens tumultus ortus eſt in Curia; ita quod Colonienſis Ar-
» chiepiſcopus (Fridericus) qui eum ſolemniter in hoſpitio ſuo ſuſceperat (in
» Galliis namque diſcipulus Gerardi fuerat) de vita illius dubitans dixit, *Magiſter*
» *maximum ſcandalum generaſti in Curia noſtra.* Indignatus autem Gerardus reſpon-
» dit, *Tibi ſit ſcandalum, mihi eſt Euangelium.* **Dedit tamen Gerardo Pontifex Impe**
» rator multa munera.

Licet igitur Pontifex metu coactus & vt qualemcunque pacem Eccleſiæ reſtitueret, quam Henricus occupatam tenebat, iuramento ſe obligaſſet, liberum tamen Concilium nullo ſacramento aut iuramento conſtrictum, pactum iſtud legitimè irritauit, quaſi extortum & ſine ſuo conſenſu & authoritate factum: immo Eccleſia Gallicana Imperatorem anathematis vinculo innodauit teſte Sugerio, *Verum*, inquit, *Dominus Ieſus Redemptor & defenſor Eccleſiæ ſuæ nec eam diutius conculcari, nec Imperatorem impune ferre ſuſtinuit. Qui etenim nec tenti, nec fide obligati fuerant cauſam Eccleſiæ fluctuantis ſuſcipientes Domini deſignati Ludouici ſuffragio & conſilio Gallicanâ in celebri Concilio collectâ Eccleſiâ Imperatorem tyrannum anathemate innodantes mucrone B. Petri perfoderunt.*

1112. Anno 1112. Vitalis egregius Diuini verbi Concionator, inſignis Theologus & litterarum eruditione clarus, Comitis Moretonij olim Capellanus, quem Roberti Arbricellenſis & Bernardi Tironenſis collegam & ſocium fuiſſe ſupra diximus, fundamenta iecit Cœnobij Sauiniaci in confinio Normaniæ, Britanniæ

liæ & Cœnomaniæ opibus adiutus Radulfi de Fulgeriis viri nobiliſſimi & piiſſimi, quam Abbatiam ipſe rexit decem annis & obiit an. 1122. de ea ſic habet Orderi-
cus Vitalis contemporaneus Scriptor l. 8. Hiſt. Eccleſ. Venerandus Vitalis qui
quondam fuerat Roberti Comitis Moretonij Capellanus & apud Moritolium S.
Ebrulfi Canonicus, ſecularium curarum ac diuitiarum depoſitis oneribus leue
iugum Chriſti per Apoſtolorum veſtigia ferre decreuit & in deſertis locis ali-
quandiu cum Religioſis quibuſdam habitauit. Ibi mollioris vitæ priſtinas con-
ſuetudines edomuit & rigidioris obſeruantiæ cultus edidicit. Denique Sauigna-
cum vicum, vbi antiquorum ingentes ædificiorum minæ apparerent conſidera-
uit, ſedemque ſibi ſuiſque ad habitandum delegit & in contiguo ſaltu Mona-
ſterium in honore S. & indiuiduæ Trinitatis condere cœpit: ritus Cluniacenſium
vel aliorum qui Monachalibus obſeruantiis iamdudum mancipati fuerant, imita-
tus non eſt, ſed modernas inſtitutiones Neophytorum, prout ſibi placuit, am-
plexatus eſt. Hic eruditione litterarum erat apprime imbutus, fortitudine ac fa-
cundia præditus, & ad proferendum quidquid volebat, animoſus, non parcens in
populari ſermone infirmis. Vitali ſucceſſit Gaufridus qui opus ædificij inceptum
perfecit, obiitque an. 1138.

Eodem anno Eccleſia Pariſienſis miſſum ab Anſello Clerico quondam ſuo & in ſcholis Atrienſibus educato ac litteris informato lignum Dominicæ crucis accepit ab vrbe Hieroſolyma. Vbi in Eccleſia S. Sepulchri Cantoris officium obibat. Litteræ Anſelli leguntur in magno Paſtorali, & hiſce Annalibus inſeri merentur.

Galloni Dei Gratia Pariſiorum Epiſcopo & Stephano Archidiacono, cuius
laudis & poteſtatis magnitudo per multa terrarum loca & apud nos celebris ha-
betur & B. (Bernero) Decano, & R. (Rainaldo) Archidiacono, N. Præcento-
ri omnique Conuentui S. Mariæ Pariſienſis Anſellus glorioſiſſimi ſepulchri Can-
tor & preſbyter licet indignus ſubiectionem, reuerentiam & amorem, & ſic in
hoc ſeculo viuere vt per orationes veſtras in futuro vobiſcum merear ſine fine
gaudere. *Cum ab Eccleſia veſtra & à vobis in qua & cum quibus nutritus & eruditus fui*
iam per 24. annos remotus ſim, tamen animo feruens in amore veſtro, & Eccleſiæ ve-
ſtræ vobiſcum cohabito mente. Namque cum his qui per ſingulos annos à vobis
ad nos venerunt, qui vos nouerunt & à vobis noti fuerunt ſemper fuit mihi ſer-
mo, & eſt ſedulæ inquiſitionis de ſtatu Eccleſiæ veſtræ, & de vobis quid agatis,
& quomodo vos habeatis, de vobis præcipuè quos vidi, & quos cognoui, & quan-
diu vixero, licet abſens, ſemper amabo, ſæpe quoque per ſomnia in ſolemnita-
tibus & proceſſionibus, nec non & ferialibus Matutinis, & officiis veſtris videor
intereſſe, & vobiſcum pſallere. Hac ergo dilectione pro vobis ſollicitus Dominum
venerabilem Patriarcham, & canonicos noſtros rogaui, vt orationibus, & be-
neficiis noſtræ congregationis fratres, & participes iungeremini: cui petitioni
concedentes itidem à vobis rogant, & requirunt. Præterea, de donis quæ dedit
mihi Deus ad honorem & gloriam, & ſublimationem Eccleſiæ veſtræ, & veſtri
veſtræque ciuitatis, donum maximum, & incomparabile, videlicet Crucem
vnam de ligno ſanctæ Crucis per Anſelmum fidelem veſtrum vobis deuotus
tranſmiſi, à quo & litteras veſtras nobis miſſas accepi. Sicut à Græcorum & Sy-
riacorum ſcripturis didicimus, patibulum Crucis Chriſti, de quatuor lignis fuit,
vnum in quo Pilatus titulum ſcripſit, aliud in quo brachia eius extenta, & pal-
mæ affixæ fuerunt, tertium in quo corpus eius appenſum eſt, quartum cum quo
Crux affixa fuit, quod tamen aſperſione ſanguinis lateris, & pedum intinctum,
& ſanctificatum eſt; & Crux iſta, quam vobis miſi, de duobus eſt lignis, quæ
Crux inſerta eſt Cruci; Inſerta eſt de eo in quo pependit, in quâ inſeritur, de
ſuppedaneo in quo Crux affixa fuit, vtrumque dignum, vtrúmque ſanctum.
Porrò Dauid Rex Georgianorum, qui cum ſuis prædeceſſoribus portas Caſpias
tenuit, & cuſtodiuit, vbi ſunt incluſi Gog & Magog, quod & filius eius adhuc
facit, cuius terra & Regnum contra Medos & Perſas eſt nobis quaſi antemura-
le. Hanc verò Crucem, quandiu vixit, in ſummâ veneratione & dilectione ha-
buit, quo defuncto, & filio in Regno promoto, vxor eius venerabilis plus ſan-
ctitate, quàm generis nobilitate caput totundit, habitúmque religionis ſuſcepit,
& aſſumptâ Cruce iſtâ, multo auro Hieruſalem cum paucis non reditura; ſed

» vt ibi in quieto ſilentio, & oratione vitam finiret, aduenit, & de auro quod at-
» tulerat, congregationibus ſanctæ ciuitatis partes diſtribuit, pauperibuſque, &
» peregrinis eleemoſynas erogauit, poſtea ſub manu Domini Gibelini Patriar-
» chæ congregationem Sanctimonialium Georgianarum, quæ eſt in Hieruſalem, inſti-
» tuit. Nec multo poſt rogatu ſororũ, & Patriarchæ, regimen congregationis ſuſce-
» pit, denique diſtributis, & erogatis, in neceſſitatibus commiſſæ congregationis
» omnibus quæ attulerat, expenſis, cum inedia regionem noſtram oppreſſiſſet, ipſa
» cum ſubditis cœpit egere, cumque iam multa dono, multa mutuo recepiſſet, quod
» nullo modo pro neceſſitatibus ſui corporis faceret, pro neceſſitatibus eõgregatio-
» nis ſibi commiſſæ, pio affectu facere compulſa eſt. Itaque iſtud lignum nulli pre-
» tio comparandum hac ratione pretio comparatum, ecce illud vobis miſi, pre-
» cor habetote illud honorificè ſicut debetis. Veruntamen, vt memoriale ſit
» poſteris & ſucceſſoribus noſtris, vnde & quomodo illud habuiſtis, ſcribite in
» libris veſtris: *Anſellus Clericus noſter hanc Crucem de ligno Sanctæ Crucis Eccleſiæ no-*
» *ſtræ, & nobis, de Hieruſalem tranſmiſit.* Poſtulo igitur à vobis, vt me diligentem
» vos diligatis, & poſt mortem meam in orationibus veſtris mei memoriam habea-
» tis. Quid vero tanti theſauri latori contigerit, vtrùmne ad vos proſpere peruene-
» rit, per litteras veſtras mihi notum faciatis.

Extat & alia eiuſdem Anſelli ad eoſdem in hanc rem Epiſtola, qua multa reuelat de Cruce Domini noſtri I. C. quæ latebant & ignorabantur: ea videtur reſpondere quibuſdam Quæſitis per Epiſtolam Eccleſiæ Pariſienſis: ſic enim ille.

» Quæſiſtis qua ratione, qua neceſſitate portio iſta de Dominica cruce aſſumpta
» fuerit; ego quid inde ex litteris & relatione ſeniorum Surianorum audiui, & didi-
» ci, vobis manifeſtabo. Legitur in Euangelio, multa quidem & alia ſigna fecit Ie-
» ſus in conſpectum Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, &
» vos multa legiſtis, ſed non omnia: multa tamen habent Græci, quæ non habent
» Latini: legiſtis tamen quod ſancta Helena Crucem Dominicam per medium
» ſecari fecit, & Crucem Conſtantinopolim ad filium detulit Crucemque Hie-
» roſolymis reliquit, reliquiam Choſrhoe vaſtatâ Hieruſalem rapuit & in Perſidem
» detulit, quam interfecto Choſrhoe Heraclius Hieroſolymam retulit, & in Cal-
» uariæ loco vt à populo Chriſtiano veneraretur, repoſuit. Poſt mortem vero Hera-
» clij populus infidelium adeo Chriſtianos oppreſſit, vt nomen Chriſti conaren-
» tur extinguere, & memoriam Crucis, & ſepulchri delere. Itaque congerie li-
» gnorum ſuppoſita partem ſepulchri combuſſerunt, & Crucem ſimiliter combu-
» rere voluerunt, ſed Chriſtiani eam abſconderunt; quocirca multos ex eis occi-
» derunt. Denique Chriſtiani habito conſilio ſecatam in multas portiones diui-
» ſerunt & per Eccleſias fidelium diſtribuerũt, quatenus ſi eis vna pars ad combu-
» rendum auferretur, tali modo aliæ partes reſeruarentur. Itaque in Conſtantino-
» politanâ vrbe, præter Imperatoris Crucem, ſunt inde tres Cruces, in Cypro duæ,
» in Cretâ vna, in Antiochiâ tres, in Edeſſa vna, in Alexandria vna, in Aſcalone
» vna, in Damaſco vna, in Hieruſalem quatuor, Suriani habent vnam, Græci de
» ſancto Saba vnam, Monachi de Valle Ioſaphat vnam, nos Latini ad ſanctum ſe-
» pulchrum habemus vnam, quæ habet palmum & dimidium longitudinis, & pol-
» licem vnum latitudinis, & groſſitudinis in quadro. Patriarcha quoque Geor-
» gianorum habuit vnam, Rex Georgianorum habuit vnam, quam modo Deo gra-
» tias, vos habetis. Nunc verò ad ſupplendum gaudium veſtrum, & ad gloriam
» & honorem Eccleſiæ veſtræ, & Regiæ dignitatis & ciuitatis veſtræ, & veſtrum
» donum maximum, & theſaurum incomparabilem nec inferiorem priore videli-
» cet Crucem vnam de lapide Dominici ſepulchri per Bernardum Sanctæ Geno-
» uefæ præceptorem, teſtimonio veſtro virum honeſtum vobis deuotus tranſmiſi,
» quam obnixè imploro, vt honorificè ſicut dignum eſt, habeatis. Poſtulo igitur
» à vobis vt poſt mortem meam in orationibus veſtris mei memoriam habeatis.
» Quid verò tanti theſauri latori contigerit, vtrum proſperè ad vos peruenerit, per
» litteras mihi veſtras notum faciatis.

» Eodem anno Lauduni à ſeditioſis Ciuibus miſerrimè & immaniſſimè trucida-
tur Gualdricus Epiſcopus Regis Anglicani quondam Referendarius, de cuius electione non videtur extra rem pauca ſubiicere. Initio quidem inuiſus fuerat

omnibus, vt vir planè illiteratus & militaribus Officiis magis addictus, quàm Clericalibus miniſteriis; emptiſque ſuffragiis ad Epiſcopatum Laudunenſem promoueri ſe curaſſe credebatur, ob idque viris bonis & doctis deſpectui habebatur, quia tum Eccleſia illa plurimis abundabat in omni Artium genere verſatiſſimis. Eius verò electioni emptitiæ vnus omnium maxime refragatus eſt Anſelmus Laudunenſis, qui concitatis in ipſum aliquibus de Clero coëgit eum cauſam ſuam agere Diuione apud Vrbanum Pontificem, atque ad plurima ſibi obiecta & obiicienda crimina reſpondere. Habuit quoq; aduerſarios acerrimos Gualterium & Ebalum Archidiaconos, qui dum de Electione ageretur, per mutuas Eligentium contentiones fuerant à nonnullis nominati. Verum ille tandem ope Regis Anglicani Cathedram quomodocunque partam retinuit. De qua eius electione & promotione ſic habet Guibertus Abbas Nouigentinus l. 3. c. 4. *Mortuo* Ingelrano, inquit, *cum biennio vacaſſet Eccleſia, tandem Gualdricum eligunt, quendam Regis Anglorum Referendarium, quem auro argentoque audierant opulentum. Ante quam electionem duo Eccleſiæ Archidiaconi per mutuas eligentium contentiones in Cathedram fuerant euecti, Gualterius ſcilicet & Ebalus, ſed Apoſtolicæ ſedis Iudicio ſunt eiecti. Spe igitur falſiſſimâ commodorum electus ille prædictus à Clero, Ingelrano primum elaborante & cæteris malo ſuo adnitentibus Rothomagi à Rege Anglorum de Curia contra Canones expetitur, qui nequaquam huius electionis incertus, quod ſub nullius Eccleſiæ titulo erat, nec quippiam ſacri Ordinis præter Clericatum exceperat, factione egit, vt è veſtigio Subdiaconus fieret & Canonicam in Eccleſia Rothomagenſi ſuſciperet, cum hactenus ſe ſe omnino militariter habuiſſet. Cum igitur omnes aſſenſum in eius ſuſceptione dediſſent*, Solus Magiſter Anſelmus *vir totius Franciæ, imò Latini Orbis lumen in liberalibus Diſciplinis ac tranquillis moribus ab eius electione diſſenſit.*

De eodem Pontifice breuiter ſic ſcribit Canonicus Laudunenſis. *Waldricus in litteratura nihil valens, omnino litteratos deſpectui habens, milites ſuper omnes diligebat, proteruus fuit pariter & præſumptuoſus.* Nihilominus quacumque ratione viam ſibi aperuerit in vrbem, tandem receptus eſt, & apud Papam poſtea obiecta crimina purgauit. Accidit verò vt Henricus Rex Anglorum à Laudunenſibus exigeret ſibi pendi tributum aliquod, cui exactioni cum fauere crederetur Epiſcopus, prohibebat enim ne Ciues conſpirarent & tumultum excitarent: illi verò aliunde malè erga eum affecti eſſent, concitatâ ſeditione, impetuq; facto eum truncidarunt 25. April. quæ erat feria 5. Hebdomadæ Paſchalis, Eccleſiamque Cathedralem & Epiſcopum ſuppoſitis flammis incenderunt, incentore ſeditionis Gualtero Archidiacono perpetuo ipſius Epiſcopi aduerſario.

Trucem populi rabiem in mactando Epiſcopo deſcribit idem Guibertus cap. 8. qui poſtquam explicuit, quâ fronte quóque furore in ipſum irruerint, quomodo fugâ conatus ſit ſaluti conſulere, & tandem in Angiportu Clauſtri Clericalis ante domum Godefridi Capellani ſubſtiterit, ſubiicit, *cum eis miſerabiliſſimè ſupplicaret, iureiurando ipſis adſtruere volens ſe nunquam deinceps ipſorum Epiſcopum futurum, infinitas eis pecunias præbiturum, de patriâ receſſurum, omneſque contra obſtinatis animis inſultarent, vnus nomine Bernardus cognomento de Brueriis eleuatâ bipenni ſacrum quamuis peccatoris verticem truculenter exterebrat: qui cum laberetur inter tenentium manus, antequam decideret, ab altero ſub ocularibus per medium ex tranſuerſo percuſſus occubuit. Ibi peſſundato & tibias conciderunt & vulnera plurima indiderunt. Itaque exſpoliatus ad nudum in angulum ante Capellani ſui domum proiicitur. Deus meus quis retexat quot in iacentem à tranſeuntibus ſunt ludibria iacta verborum, quot glebarum iactibus, quot ſaxis eſt corpus oppreſſum?*

Hæc rabies, hæc Epiſcopi licet inuiſi funeſta mors etiam inimicos mouit ad commiſerationem, inter cæteros M. Anſelmum Laudunenſem, qui medias inter furentium turbas eum ad ſepulturam extulit. Rem quoque iſtam deſcribit Guibertus c. 10. Poſtquam fusè funeſtum Eccleſiæ, ornamentorum, Palatij, aliorumque templorum incendium proſecutus eſt. *In craſtino*, inquit, *quoniam nemo erat pene, qui iacens Epiſcopi cadauer ſine iactu aut probro ſeu maledicto præteriret, de ſepultura verò nullus cogitaret, M. Anſelmus ad Tragœdiæ huius Authores preces fudit, vt hominem vel qui Epiſcopi nomen & inſigne habuerat, ſinerent quoque humari. Vix annuunt. Quia ergo nudus ad terram caninâ quadam vilitate à Veſpertinis*

feriæ 5. horis tertiam craſtini diei horam vſque iacuerat, iubetur tandem à Magiſtro leuari & Salbano ſupericcto ad S. Vincentium deportari. Delatus ad Eccleſiam nihil prorſus Officij, non dico quod Epiſcopo, ſed quod Chriſtiano competeret, in exequiis habuit. Paulo ante in eadem Eccleſia occiſus fuerat Gerardus de Syriciaco Princeps & Caſtellanus Laudunenſis, eiuſque ſanguine reſperſum fuerat pauimentum; & tunc *M. Anſelmus Laudunenſis Eccleſiæ Decanus, vir ſcientiâ celeberrimus quibuſdam ſecretè Colloquiis pronunciaſſe fertur illam ſanguinis effuſionem non niſi eiuſdem Eccleſiæ concrematione diluendam, cum tantum ſcelus non aqua, ſed potius igne eſſet expiandum,*

Cæterum mortem Gualdrici Epiſcopi Ludouicus Rex Eccleſiaſticorum Procerum & præſertim Cononis Prænestini Epiſcopi tunc temporis Apoſtolicæ ſedis Legati precibus adductus, ſeuerè vltus eſt, vt decebat, expugnato Nouigentino Caſtello, quò ſe parricidæ receperant, omnes ſcilicet latrones & ſicarii potius quàm milites Thomæ de Marna perditiſſimi & profligatiſſimi hominis, qui funeſtam illam tragœdiam excitarat & confecerat. Qua de re ſic habet Sugerius in vita Ludouici Groſſi. *Et cum ad aliud Caſtrum nomine Nouigentum tetendiſſet, adeſt qui ei referat. Nouerit Serenitas tua, Domine mi Rex, in hoc ſcelerato Caſtro ſceleratiſſimos illos demorari, qui ſolo inferorum loco digni erant: illi, inquam, qui occaſione iuſſu veſtro amiſſæ Communiæ non ſolum Ciuitatem Laudunenſem, ſed & nobilem matris Domini cum multis aliis Eccleſiam igne ſuccenderunt. Nobiles Ciuitatis fere omnes, eo quod veri fide ſuffragari Domino ſuo innitebantur Epiſcopo, tam causâ quàm pœnâ martyrizauerunt, ipſum Epiſcopum Gualdricum venerabilem Eccleſiæ defenſorem, non veriti manum mittere in Chriſtum Domini, crudeliſſimè interfecerunt, beſtiis nudum & auibus in platea expoſuerunt, digitum cum annulo Pontificali truncauerunt, & cum ipſo ſuo nequiſſimo perſuaſore Thoma Turrim veſtram ad veſtri hæredationem occupare concertauerunt. Dupliciter ergo Rex animatus ſceleratum aggreditur Caſtrum, diſrumpit inſtar Inferorum pœnalia & ſacrilega loca, innocentes dimittens & noxios graniſſimè puniens.*

Ex verbis iſtis Sugerij patet Gualdricum, ſi cenſicipiti belluæ diſplicuit, non omnino Clero ſuo viriſque bonis diſplicuiſſe, quandoquidem eum vocat *Venerabilem Eccleſiæ defenſorem*; quod & teſtatur ipſiuſmet Epitaphium, quale legitur in Notis ad Guibertum.

Fructus amorque gregis, vtriuſque modeſtia legis,
Viuere dum licuit, Vvaldricus iſte fuit.
Præſul prudentis ſuper alta negotia mentis,
Eccleſiæ Clypeus, ſit ſuus inde Deus.
. . . . . *vix terra recepit.*
Paſtorem iugulauit ouis.

1113. Gualdrico Hugo ex Decano Aurelianenſi ſubrogatur; at eo poſt ſex menſes e viuis ſublato ſubſtituitur an 1113. Bartholomæus de Vir Falconis Dynaſtæ de Vir & de Serre nobiliſſimi Toparchæ in Burgundia filius, in ſcholis Remenſibus à Manaſſe auunculo Matris ſuæ traditus litteris imbuendus, deinde Eccleſiæ Remenſis factus Canonicus, poſtea Theſaurarius, poſtremo ad Epiſcopatum Laudunenſem promotus: ſicque vt habet Hermannus Monachus l. 1. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis c. 2. quod opus ipſi Bartholomæo dedicauit, *Electus vnanimi totius Cleri & populi aſſenſu ad Pontificatum Vrbis Laudunenſis Radulfo Remorum Archiepiſcopo præſentatur, & ab eo multiſque aliis Epiſcopis tempore Paſchalis Papæ & Ludouici Regis Francorum celeberrimè conſecratus Ouibus deſolatis nouus paſtor tranſmittitur. Sed ille Laudunum veniens, & non Eccleſiam, non Domum Epiſcopalem, imò nihil pene præter fauillas & cineres inueniens, dici non poteſt quantum doluerit. Protinus ergo Eccleſiam ſimul & Domos Epiſcopales cœpit renouare & velut à fundamentis reparare.*

Initio verò propè tantum onus detractauit: vnde Guibertus Abbas Nouigentinus eum in præfatione Moralitatum Geneſeos conſolatur propoſitis duabus quaſi columnis Eccleſiæ Laudunenſis, ſeu potius duobus oculis Anſelmo & Radulfo fratribus, quorum toto orbe Chriſtiano magna erat fama ingenſque commendatio: *Indidit*, inquit, *tanto Deus Capiti duos oculos ſideribus clariores, dum à dextrâ habes*

Anſelmum totius Latini orbis Magiſterio prædicatum, cuius tam ſincera eſt in Scripturarum ac fidei aſſertione ſeueritas, vt plures viros ſuis probetur documentis fuiſſe Catholicos, quàm inſtituiſſe potuerit erroneus quiſpiam temporis huius hæreticos: altrinſecus Radulfum.

Scribit autem Hermannus lib. 3 cap. 1. tanta cum celeritate Baſilicæ ruinas reparaſſe, vt infra anni vnius ſpatium eam inſtaurarit. Cuius conſecrationi, ſeu potius reſecrationi interfuerunt cum Radulfo Remenſi Guillelmus Campellenſis recens factus Catalaunenſis Epiſcopus, Liſiardus Sueſſionenſis, Godefridus Ambianenſis, Hubertus Siluanectenſis: tanta verò plebis ad dedicationem eiuſdem multitudo confluxit, vt ducenta hominum millia vtriuſque ſexus dicantur ea die Lauduni interfuiſſe. Rexit verò Bartholomæus hanc Eccleſiam ſummo ipſius bono vſque ad an. 1150. cuius legitur Epitaphium in Gallia Chriſtiana.

Eodem anno Guillelmus de Campellis ex Canonico S. Victoris fit Epiſcopus Catalaunenſis poſt mortem Hugonis: ſeditque in ea Cathedra vſque ad an. 1119. vel vt alii melius ſcribunt, vſque ad an. 1121. 8. Kal. Feb. quo exceſſit e viuis. A natali ſolo dictus de Campellis, ab oppido ſcilicet Campellenſi vulgo de *Champeaux* Pariſienſis Diœceſis in Bria, nono ab vrbe Melidunenſi lapide; qui locus inſignem Eccleſiam Collegiatam habet: & in ea Canonici San-victorini etiamnum hodie præbendam obtinent. Fuerat ille Anſelmi Laudunenſis Diſcipulus & Sectator, magnique etiam nominis in Scholarum exercitio: vt ſupra ex Abaëlardo retulimus. *Rurſum de Domo San-Victorina.*

Guillelmo autem aſſumpto Gilduinus Domus San-victorianæ Prior fit Abbas, factâ Canonicis per Paſchalem Papam & Ludouicum Regem poteſtate, Abbatem eligendi, vt ex eorum litteris patet. Ludouicus quidem Comitiorum & Suffragiorum in cooptandis e Grege ſuo Rectoribus vult eſſe tantam, vt non exſpectandus ſit Regis conſenſus; & eius tales ſunt in hanc rem litteræ.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Quoniam Deo diſponente bona quæ temporaliter agimus, & contra aduerſarium noſtrum arma ſunt inexpugnabilia & æternæ hæreditatis indubitanter nobis acquirunt præmia, ratio conſulit, neceſſitas cogit, vt dum tempus habemus, bonum ad omnes, maximè vero ad domeſticos fidei operemur, Vt pauperes ſpiritu noſtræ largitatis munificentia neceſſitatis ſuæ obtineant remedium, & noſtra fragilitas eorum orationibus adiuta in diſtricto examine iudicem ſibi miſericordem inueniat ac propicium. Eleemoſyna enim teſte ſcriptura & oratio iuſti aſſidua vitiorum incentiua extinguere, & Deum cuius imaginem portamus valet inoffenſum reddere, in cuius manus durum & horrendum eſt incidere. Illuſtris vero memoriæ Anteceſſores noſtri quorum excellentiâ, quorum virtute Regnum Francorum vſque in hodiernum diem floruit ad laudem & gloriam Dei, cui ſeruire regnare eſt, multas in Regno noſtro Eccleſias fundauerunt & immenſis eas donariis honorare decreuerunt: eleemoſynis quidam peccata redimentes & amicos in æterna tabernacula facientes. Ego igitur Ludouicus Dei gratia Francorum Rex Anteceſſorũ meorum exẽplis informatus & accuſante conſcientia diem extremi examinis ante oculos reducens, ob remedium animæ noſtræ, pro ſalute etiam Patris noſtri Philippi Regis & Anteceſſorum noſtrorum in Eccleſia B. Victoris, quæ iuxta Pariſiorum ciuitatem ſita eſt, conſultu quidem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum & Optimatum Regni noſtri Canonicos regulariter viuentes ordinari volui. Qui videlicet tam pro nobis, quàm pro ſalute Regni noſtri Dei miſericordiam implorarent, & memoriam noſtri & noſtrorum Anteceſſorum in ſuis orationibus haberent. Et ne cura temporalis neceſſitudinis fratrum ſpiritale propoſitum ad exteriorum ſollicitudinem inclinaret, præfatam noſtram Eccleſiam noſtræ largitatis Beneficio dotaui & ditaui. Conuenientibus verò in vnum Catalauni Archiepiſcopis, & cæteris Regni noſtri Optimatibus communi aſſenſu diffiniuimus *quatenus prædicti Canonici de grege ſuo vel de alia Eccleſia quem vellent Abbatem ſibi eligerent: itaut pro illa Abbatis electione, nec Regis aſſenſum quærerent, nec Regis authoritatem vllatenus exſpectarent, nullius que alterius perſonæ voluntatem vel laudem attenderent, ſed quem Deus eis concederet, inconſulto vt diximus Rege vel qualibet alia* perſona canonicè eligerent & Pariſienſi Epiſcopo irrefragabiliter conſecrandum offerrent. Promulgauimus etiam in eodem conuentu villas, prædia & cætera

" beneficia, quæ ad vſum Canonicorum præfatæ contulimus Eccleſiæ. Et hæc om-
" nia perpetuo iure, perpetuâ libertate eis habenda conceſſimus, nihil poteſtatis,
" nihil iuris noſtri reſeruantes nobis, ſed omnia quæ ad nos pertinere videbantur, eis
" omnino emancipantes. Hæc ſcilicet Puteolis villam quæ eſt in Territorio Nan-
" thonenſi cum ſeruis & ancillis, cum feodis Militum cũ terris cultis & incultis, cum
" vineis & ſiluis, cum omnibus ad eam pertinentibus. Mercatum etiam in eadem
" villa fieri per ſingulas hebdomadas Regia poteſtate in perpetuum annuimus.
" Aquam etiam quæ proxima eſt eidem villæ, quæ ſcilicet aqua Eſſonia vocatur,
" omnia inquam iſta, quemadmodum poſſidebam, eis perpetuò poſſidenda con-
" ceſſimus. Orgeniacum etiam quod in territorio Melidunenſi ſitum eſt cum ſeruis
" & ancillis & cæteris omnibus quæ ibidem poſſidebam, huic domo adiunximus
" vnum etiam ex Molendinis noſtris qui ſunt apud veteres Stampas, prædictis Cano-
" nicis perpetuo poſſidendum tradidimus. Apud Corbellas etiam iuxta caſtrum
" Nantonis 20. Arpennos Pratorum & viaturam de Buſſiaco quam à Teſcelino
" Bunonenſi comparauimus, & quidquid apud idem Buſſiacum quod iuxta Liri-
" cantum ſitum eſt, habebam. Buſſiacum inſuper villam quæ in territorio Aurelia-
" nenſi ſita eſt, cum ſeruis & ancillis & omnibus appendiciis ſuis. Hæc omnia in-
" quam eiſdem Canonicis plenâ libertate perpetuò obtinenda annuimus. Apud
" Fontanetum etiam in territorio Pariſienſi terram duabus Carrucis ſufficientem &
" quinque hoſpites & decem ſolidos cenſus in eadem villa partim à ſupradictis
" hoſpitibus, partim ab alia terra: & ibidem torcular vnum & dimidium cum
" preſſuris ad ea pertinentibus, & apud Muſteriolum quod eſt iuxta idem Fonta-
" netum, terram vnius Carrucæ cum vno hoſpite præfatæ concedimus Eccleſiæ.
" Præterea ſciendum eſt quod Canonici S. Seuerini de Caſtro Nantonis apud Vria-
" cum villam, terram, ſeruos & ancillas antiquitus poſſidebant, medietatem cu-
" ius poſſeſſionis Prædeceſſori noſtro Regi videlicet Philippo ſano vti conſilio con-
" ceſſêre, hac ſcilicet commutatione, quod idem Philippus noſter prædeceſſor pro
" hac conceſſione eiſdem Canonicis Sancti Seuerini omnes conſuetudines, quas
" apud Brolium eorundem Canonicorum villam iuxta Puteolis ſitam iuſtè vel
" iniuſtè obtinere videbatur præter Coruatas ter in anno omnino remiſit. Præter
" hæc etiam, apud prædictum Vriacum, terram ad fiſcum noſtrum pertinentem
" poſſidebamus: quam ſcilicet terram cum medietate ſupradictæ poſſeſſionis
" cum prædictis etiam Coruatis præfatæ S. Victoris Eccleſiæ plena libertate in
" perpetuum habenda tradidimus. Notum etiam omnibus fieri volumus, quia
" Eccleſiam B. Mariæ de Puteolis & altare de Amponuilla exiſtente, panes
" etiam ad altare de Eſkagoſa pertinentes, omnia quidem iſta ſicut poſſidebamus,
" præmemoratis Canonicis Regularibus ex integro poſſidenda conceſſimus. Vt
" autem præfata S. Victoris Eccleſia præſcripta noſtræ largitatis Beneficia legiti-
" mo haberet dono, legitimo obtineret ordine, ea quæ Regij iuris, quæ noſtræ
" proculdubio erant poteſtatis, eidem Eccleſiæ inuiolabiliter obtinenda erant,
" noſtra tradidimus. Eccleſias verò & quæ iuris Eccleſiaſtici ſunt, in manus Daim-
" berti Senonenſis Archiepiſcopi reddidimus. Ipſe autem vtilitati fratrum proui-
" dens præfatis Regularibus eadem omnino conceſſit. Confirmatum eſt etiam
" **in ſupradicto Epiſcoporum ac Procerum noſtrorum Conuentu**, quod quicum-
" que Alludia ſua quæ ſub noſtra tutela ſunt, vel quidquid quod ad fiſcum vel
" feodum noſtrum attinet, eiſdem Regularibus impertiri voluerit, diligenter an-
" nuimus & Regia authoritate confirmamus. Annuimus etiam, quod ſi aliquos ex
" ſeruis vel ancillis ſuis præfati Canonici manumittere voluerint, noſtro ſuper hoc
" aſſenſu minimè requiſito, quos vel quot voluerint ſeruos vel ancillas iugo ſerui-
" tutis abſoluant & perpetuæ libertati tradant remotâ ſcilicet omnium calumniâ
" & ſopitâ totius retractionis moleſtiâ. Illud inſuper ſummopere determinauimus
" & determinando definimus, quod omnia quæ ſuperior continet pagina, eo iu-
" re, ea liberate quâ tenuimus, prædicta S. Victoris Eccleſia in æternum poſſideat.
" Et hoc præceptum noſtrum, quod noſtri nominis charactere ſignauimus in ſi-
" gnum & argumentum perpetuæ firmitatis obtineat. In ſupradictis tamen omni-
" bus ſalua authoritate, ſaluo iure, ſalua debita obedientia Senonenſis Archiepiſ-
" copi & Pariſienſis Epiſcopi. Sig. Daimberti Senonenſis Archiepiſcopi. S. Radul-
" fi Remorum Archiep. S. Ludouici Regis. S. Liſiardi Epiſcopi Sueſſionenſis. S.

Iuonis Carnotenſis Ep. S. Manaſſæ Meldenſis Ep. S. Huberti Siluanectenſis Ep. S. Galonis Pariſienſis Ep. S. Ioannis Aurelianenſis Ep. S. Godefridi Ambianenſis Ep. S. Humbaldi Antiſſiodorenſis Ep. S. Philippi Trecenſis Ep. Actum Catalauni in Palatio publicè. Anno Incarnationis Dominicæ 1115. Anno verò Regni noſtri 5. Data per manum D. Stephani Cancellarij. S. Anſelmi tunc temporis Dapiferi noſtri. S. Hugonis Conſtabularij. S. Guillielmi Camerarij S. Gilleberti Buticularij.

Hæc fundatio & inſtitutio à Paſchale II. Papa poſtmodum confirmata eſt, extatque in eam rem eius Bulla. *Paſchalis Epiſc. S. S. D. Dilectis filijs Gilduino Priori & eius Fratribus in Eccleſia S. Victoris Pariſienſis Canonicam vitam profeſſis tam præſentibus, quàm futuris, in Domino ſalutem. Religioſis deſiderijs dignum eſt facilem præbere conſenſum vt fidelis deuotio celerem ſortiatur effectum. Filius ſiquidem Chariſſimus noſter Ludouicus Illuſtris Francorum Rex pro ſua & patris ſui anima veſtram Eccleſiam ſuis beneficijs donans noſtra hæc petijt authoritate firmari. Statuimus ergo vt Canonicæ obſeruantiæ diſciplinæ Domino præſtante in veſtra ſemper Eccleſia conſeruetur.*

Cæterum quia nonnulli dubitare videntur, an tum Gilduinus, qui primus San-victorinæ ædis regimen ſuſcepit, nomen Abbatis aſſumpſerit primus, necne, notare conuenit Abbatis nomen antiquitus tribui ſolitum Decano Canonicorum etiam ſecularium, vt multis exemplis probare licet: & ne extra Pariſios pedem efferamus, certum eſt fuiſſe apud S. Genouefam iam inde à Clodouæo 1. ad annum vſque 1148. Canonicorum ſecularium Collegium, eiuſque Decanum nomen Abbatis aſſumpſiſſe. Sic enim legitur in Priuilegio Philippi I. Francorum Regis Eudoni le Maire & toti eius ſtirpi conceſſo an. 1085 *Notum fieri volumus, quòd Odo maior de Challo nutu Diuino, conceſſu Philippi Franciæ Regis cuius famulus erat, ad Sepulchrum Domini perrexit, qui Anſoldum filium ſuum & quinque filias ſuas in manu & cuſtodia ipſius Regis dimiſit...* Et in fine. *Actum Stampis menſe Martij in Palatio, anno ab incarnatione 1085. anno verò Regni eius 25. Ego frater Andreas B. Maglorij Pariſius humilis Abbas teſtificor me vidiſſe Priuilegium illuſtriſſimi Regis Philippi & in verbo ad verbum legiſſe, prout continetur in præſenti ſcripto. Ego Frater Anſelmus S. Victoris Pariſius humilis Abbas. Ego Frater Theobaldus S. Genouefæ Pariſius humilis Abbas teſtificor &c.* Hoc priuilegium integrum in lucem editum eſt à Labbeo Ieſuita ex veteri membrana D. d'Herouual. Et ex eo inſtrumento intelligitur nomen *Abbatis* conueniſſe tam ſecularibus quàm Regularibus Conuentibus. Inſuper verò hinc patet Capellam S. Victoris poſſeſſam fuiſſe à Collegio Cœnobitarum ante Canonicorum Regularium inſtitutionem inibi factam & fundationem.

In priuilegio quoque an. 1165. Capitulo & Eccleſiæ Pariſienſi conceſſo Alexander III. haſce enumerat Abbatias, ſcilicet *Abbatiam S. Eligij, Abbatiam S. Germani Rotundi* (al. Antiſſiodorenſis) *Abbatiam S. Marcelli, Abbatiam S. Clodoaldi & S. Martini, Abbatiam S. Petri quæ dicitur Cariacus, Abbatiam S. Martini quæ eſt in Campellis.* Et infra. *A Regali via ex parte Monaſterij S. Germani Rotundi à S. Mederico vſque ad locum qui vulgò vocatur Tudella in ruga eiuſdem S. Germani.* At certum eſt paucas ex Abbatiis quæ hîc enumerantur, fuiſſe Monachales & Regulares: non enim Abbatiam S. Germani Antiſſiodorenſis; antiquitus dicti *Teretis* ſeu *Rotundi*, non S. Marcelli, nec S. Clodoaldi; quæ Secularium Canonicorum conueſcentium & cohabitantium Collegia duntaxat fuerunt.

Neque omittenda verba quæ huic Bullæ Pontificiæ præmittit Renatus Choppinus l. de Sacra Politia. *Cæterum ex communi Eccleſiæ vtilitate certis Monaſteriis adſcripti ſunt quorundam ſacerdotiorum reditus primi anni, quo hæc ipſa poſſeſſionem amiſerint. Vt pote Cœnobio D. Victoris Pariſienſis competit annaria quædam Caducorum lege ſportula Eccleſiaſtica ſeu prebenda recens mortui Canonici in Sacratiſſimo Lutetiæ Fano apud D. Marcellum, B. Germanum Antiſſiodorenſem, in vrbe Pariſienſi, tum in Collegio Canonicorum Fani Clodoaldi & templi Martini de Champeaux intra Sacram Pariſiorum Dioceſim, extra quam dehinc Cœnobitæ illi fruuntur ſimili annonarum Eccleſiæ prouentu in Meduntenſi ſodalitio Canonicorum atque in Melodunenſi Baſilica S. Almæ Dei Genitricis. Cuius rei etiologiam ſecum præfert vetus coniunctio affinitaſque Cœnobitarum & Canonicorum iſtorum arctiſſima. Nam horum quoque delubra Alexander III. P.P. vocanit Abbatias, ſignificans Canonicos fuiſſe tum Cucullatos ſacerdotes, Reſcripto memorabili, quod*

Alexander ipſe Lutetiæ tum degens edidit in gratiam Cathedralis Pariſiorum Eccleſiæ.

Et Adrianus Valeſius eiuſdem Alexandri verba expendens in lib. de Baſilicis Pariſiacis ſic ſcribit. *Abbatias appellat Alexander partim Monaſteria Monachorum, vt Cœnobium S. Eligij & Resbacem, partim Collegia Canonicorum Secularium, quales erant cætera Abbatiæ ab Alexandro memoratæ.* Legi quoque ego in quadam Charta Cameræ Computorum fol. 58. hæc verba, quæ ſunt 21. Sept. an. 1353.

Abbas & Confratres S. Iuonis Pariſius de amortizatione 40. libras Pariſienſes annui reditus. Antiquitus ergo quia Canonici etiam ſeculares ſub quadam vitæ regula & Canone, vnde nomen Canonicorum habuerunt, conueſcebantur & cohabitabant, hincque etiamnum Clauſtra Canonicorum dicuntur, eorum Præpoſitus ſeu Decanus, quemadmodum apud Regulares, appellabatur Abbas à voce Syriaca *Abba*, quæ Patrem ſonat, & à primitiua Hæbraïca Ab, quæ eſt *Pater, Prior, Antiquus, Primus Doctor, Dominus, Rector, Magiſter.* Denique, vt explicat Fungerius in Etymologico, Pater natura, ætate, honore, cura, authoritate, fidei propagatione, doctrina, officio, inuentis, moribus. Cui *Patris* voci reſpondet in Nouella Iuſtiniani & l. *Reddentes.* C. de ſumma Trinitate (Ἀρχιμανδρίτης) ſeu Cœnobiarcha. Et hinc fulciri poteſt quod ait Adrianus Valeſius in Notis ad Carmen Adalberonis Epiſcopi Laudunenſis, Gerbertum ſcilicet Aquitanum vocatum fuiſſe *Scholarem Abbatem* id. *Caput ſchola*, à præfectura Scholarum Remenſium. Et hoc nomine ipſe Gerbertus ita ſe inſcribit. Ep. 148. *Gerbertus Scholaris Abbas Remigio Monacho Treuirenſi.* Quam tanti viri interpretationem licet non improbem, ob aliam tamen quoque rationem Gerbertus ſe Abbatem ſcholarem appellat. Ille enim ſcholam quidem Remenſem regebat, ſed & ipſe quoque Abbas erat cuiuſdam Abbatiæ S. Columbani in Italia, quæ flagrante bello Italico deprædationibus & rapinis expoſita fuit: vt patet ex pluribus eiuſdem Epiſtolis.

De Abaelardo & Anſelmo Laudunenſi.

Verum vt ad id vnde digreſſi ſumus, redeamus, poſtquam intellexit Abaëlardus (qui rei familiaris & domeſticæ cauſâ Patriam repetere coactus fuerat, & ſcholam quam in monte San-Genouefiano exercebat, dimittere) Magiſtrum ſuum Guillelmum Campellenſem Epiſcopatu donatum fuiſſe Catalaunenſi, ratus ſe deinceps liberius & pacatius in litterarum profeſſione victurum, vt ſe omni parte cæteris Comprofeſſoribus æqualem redderet, inuidiam verò quam concitarat, abſentiâ ſuâ aliquantulum mitigaret & imminueret, ad M. Anſelmum Eccleſiæ Laudunenſis Decanum inſignem Theologum ſe contulit, vt qui iam optimè humaniores diſciplinas & Dialecticam didicerat, Theologiam quoque ab optimo Magiſtro perciperet, quam aliis deinde traderet. Tantæ autem famæ ſenex Anſelmus tum adhuc erat, vt ad eius ſcholam ex toto propeorbe Latino Diſcipuli paſſim conuolarent. Hunc ergo adiit Abaëlardus partim diſcendi ſtudio, partim etiam curioſitate ductus & animo experiundi, num rumori veritas reſponderet. Verum ipſius famam, vti & M. Campellenſis exiſtimationem poſt breue tempus valde labefactauit, cum ſe vix bene Diſcipulus, in tradenda illâ diſciplinâ quam nunquam ante didicerat, ſtatim peritum publicè oſtentauit, & ſacram Scripturam diſcere volentibus ſingulari ingenij vi & perſpicacitate expoſuit aſſumptis tantummodo quibuſdam Commentatoribus & Scholiaſtis. Quàm paruiautem hunc Magiſtrum ſuum fecerit, ipſemet declarat. Ep. 1. his verbis.

Reuerſus ſum in Franciam, maximè vt de Diuinitate addiſcerem, quando iam ſæpe fatus Magiſter noſter Guillelmus in Epiſcopatu Catalaunenſi pollebat. In hac autem lectione Magiſter eius Anſelmus Laudunenſis maximam ex antiquitate authoritatem tunc tenebat. Acceſſi igitur ad hunc ſenem, cui magis longæuus vſus quàm ingenium vel memoria nomen comparauerat. Ad quem ſi quis de aliqua quæſtione pulſandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auſcultantiũ, ſed nullus in conſpectu quæſtionantium: verborum vſum habebat mirabilem, ſed ſenſu contemptibilem & ratione vacuum. Cum ignem accenderet, domum ſuam fumo implebat, non luce illuſtrabat. „ Arbor eius tota in foliis aſpicientibus à longè conſpicua videbatur, ſed propin„ quantibus & diligentius intuentibus infructuoſa reperiebatur. Ad hunc itaque „ cum acceſſiſſem vt fructum colligerem, deprehendi illam eſſe Ficulneam cui ma„ ledixit Dominus, ſeu illam veterem quercum, cui Pompeium Lucanus com„ parat dicens.

Stat

Stat magni nominis vmbra
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro.

Hoc igitur comperto non multis diebus in vmbra eius ocioſus iacui. Paulatim vero me iam rarius ad lectiones eius accedente, quidã tum inter Diſcipulos eius eminentes grauiter id ferebant, quaſi tanti Magiſtri contemptor fierem. Proinde illum quoque aduerſum me latenter commouentes, prauis ſuggeſtionibus ei me inuidioſum fecerunt. Accidit autem quadam die, vt poſt aliquas ſententiarum collationes nos ſcholares inuicem iocaremur. Vbi cum me quidam animo intentantis interrogauiſſet, quid mihi de Diuinorum lectione librorum videretur, qui nondum niſi in Phyſicis ſtudueram, reſpondi ſalubertimum quidem huius Lectionis eſſe ſtudium vbi ſalus animæ cognoſcitur; ſed me vehementer mirari quod his qui litterati ſunt, ad expoſitiones ſanctorum intelligendas ipſa eorum ſcripta vel gloſſæ non ſufficiant, vt alio ſcilicet non egeant Magiſterio. Irridentes plurimi qui aderant, an hoc ego poſſem & aggredi præſumerem, requiſierunt. Reſpondi me id ſi vellent experiri, paratum eſſe. Tunc conclamantes & amplius irridentes. Certè inquiunt & nos aſſentimus. Quæratur inquã & tradatur nobis expoſitio alicuius inuſitatæ ſcripturæ, & probemus quod vos promittitis. Et conſenſerunt omnes in obſcuriſſima Ezechielis Prophetia. Aſſumpto itaq; expoſitore ſtatim in craſtino eos ad lectionem inuitaui. Qui inuito mihi conſilium dantes dicebant ad rem tantam non eſſe properandum, ſed diutius in expoſitione rimanda & firmanda mihi hanc inexperto vigilandum. Indignatus autem reſpondi non eſſe meæ conſuetudinis per vſum proficere, ſed per ingenium: atque adieci vel me penitus deſiturum eſſe, vel eos pro arbitrio meo ad lectionem accedere non differre. Et primæ quidem lectioni noſtræ pauci tunc interfuere, quod ridiculum omnibus videretur me adhuc quaſi penitus ſacræ lectionis expertem id tam properare aggredi. Omnibus tamen qui affuerunt in tantum lectio illa grata extitit, vt eam ſingulari præconio extollerent, & me ſecundum hunc noſtræ lectionis tenorem ad gloſandum compellerent. Quo quidem audito ij qui non interfuerunt, cæperunt ad ſecundam & tertiam lectionem certatim accedere, & omnes pariter de tranſcribendis gloſſis quas prima die inceperam, in ipſo eorum initio ſolliciti eſſe.

Hinc itaque prædictus Senex vehementi commotus inuidia & quorundam perſuaſionibus iam aduerſum me vt ſupra memini ex tunc ſtimulatus, non minus in ſacra lectione me proſequi cœpit, quàm antea Guillelmus noſter in Philoſophia. Erant autem tunc in Scholis huius Senis duo, qui cæteris præeminere videbantur; Albericus ſcilicet Remenſis & Lotulfus Lombardus, qui quanto de ſe maiora præſumebant, amplius aduerſum me accẽdebantur. Horum itaque maximè ſuggeſtionibus ſicut poſtmodum deprehenſum eſt, ſenex ille perturbatus impudenter mihi interdixit incœptum gloſſandi opus in loco Magiſterij ſui amplius exercere. Hanc videlicet cauſam prætendens, ne ſi forte in illo opere aliquid per errorem ſcriberem, vt pote rudis adhuc in hoc ſtudio, ei deputaretur. Quod cum ad aures ſcholarium peruenifſet, maxima commoti ſunt indignatione ſuper tam manifeſta liuoris calumnia, quæ nemini vnquam vlterius acciderat. Quæ quanto manifeſtior, tanto mihi honorabilior extitit & perſequendo glorioſiorem effecit.

Eodem anno Bernardus Fontanenſis cum 30. ſociis Ciſtercium ſe confert annos natus circiter 23. Veſtemque ſumit Monachalem ab Abbate Stephano: vbi quanto feruore quantaque deuotione Dei cultum amplexatus ſit, vix exprimi poteſt. Siquidem, vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi *Ab ingreſſu tanta diſtrictione corpus affligere ſtuduit, vt tota deinceps vita ſua infirmitate multiplici laborauerit.* Biennio poſt fit Claræ-Vallis Abbas permittente & volente Stephano, & à M. Guillelmo Catalaunenſi Epiſcopo conſecratur.

Eodem anno 5. Octob. hominem exuit Sigebertus Gemblacenſis Monachus, Chronographus inſignis, ſed Schiſmaticus & Schiſmaticorum fautor. In libello de Geſtis Abbatum Gemblacenſium quem edidit nuper Lucas Dacherius in 6. To-

mo Spicilegij legitur fuiſſe morum probitate & ſcientiæ multiplicitate laudabilis gratuſque ſui temporis ſapientibus, in iuuenilibus annis in Cœnobio S. Vincentij Martyris apud Metenſes cum Fulcuino Abbate diu conuerſatus Sapientię fons patens fuiſſe non ſolum Monachis ſed & Clericis ad ſe vndiq; confluentibus, ibique Metenſium rogatu multa edidiſſe ſcripta, vt ipſe oſtendit in lib. Virorum Illuſtrium quem compoſuit. Poſt multum vero temporis vix impetrata licentia rediiſſe ad Cœnobium Gemblacenſe, multaque contuliſſe ad vſum & ornatum Eccleſiæ, quę acquiſierat *voluntaria eorum quos inſtruxerat, liberalitate.* Eum è Leodienſibus frequentaſſe maiores natu, excellentiores gradu & ſenſu acutiores, ad eumque deferre & cum eo conferre ſolitos, ſi quid quæſtionis occurreret: denique rogatu Henrici Archidiaconi & Decani Eccleſiæ S. Lamberti ſcripſiſſe ad Treuirenſes librum de Ieiuniis quatuor Temporum, & multa quæ commemorat in libro Virorum illuſtrium. Obiit igitur 3. Non. Octobris tempore Lietardi Abbatis, qui menſe Februario ſequente fato quoque functus eſt: eique ſubſtitutus eſt Anſelmus.

1114. Circa annum 1114. Petrus Abaëlardus Lauduno Lutetiam reuerſus, in Scholis Atrienſibus vnde à Magiſtro ſuo Guillielmo Campellenſi expulſus fuerat, Theologiæ profeſſionem aggreſſus eſt non minori nominis fama quam ante, cum Dialecticam docebat, nec Philoſophiam profiteri deſtitit. Verum ecce ob nimiam rerum ſuarum proſperitatem elatus, Cœleſtium immemor beneficiorum frena libidini laxare cœpit qui ante caſtiſſimus fuerat, & impuro amore captus pudicum Muſarum amorem pene abiecit. Initium ergo calamitatum ſuarum his duabus cauſis tribuit, ſuperbiæ propter ingenij vim artiumque doctrinam, & impudicitiæ propter amorem Heloïſſæ Fulberti Canonici Pariſienſis Neptis. *Poſt paucos dies,* inquit, *Pariſius reuerſus ſcholas mihi iam dudum deſtinatas atque oblatas, vnde primo fueram expulſus, annis aliquibus quietè poſſedi: atque ibi in ipſo ſtatim Scholarum initio Gloſſas illas Ezechielis quas Lauduni inceperam, conſummare ſtudui. Quæ quidem adeo legentibus acceptabiles fuerunt, vt me non minorem gratiam in ſacra lectione adeptum iam crederent, quam in Philoſophia videbant. Vnde vtriuſque Lectionis ſtudio ſchola noſtra vehementer multiplicata, quanta mihi de pecunia lucra, quantam gloriam compararent, ex fama te quoque latere non potuit. Sed quoniam proſperitas ſtultos ſemper inflat, & mundana tranquillitas vigorem eneruat animi, & per carnales illecebras facile reſoluit, cum iam me ſolum in mundo ſupereſſe Philoſophum æſtimarem, nec vllam vlterius inquietationem formidarem, frena libidini laxare cœpi qui antea vixeram continentiſſimè. Et quo amplius in Philoſophia vel ſacra lectione profeceram, amplius à Philoſophis & Diuinis immunditia vitæ recedebam. Conſtat quippe Philoſophos nedum Diuinos, ideſt ſacræ lectionis exhortationibus intentos continentiæ decore maximè polluiſſe.*

Opportunitas loci amoris ſcintillas excitauit. Erat enim in proximo Domus Fulberti Canonici, qui neptem quandam ſuam, quod admirabili ingenio prædita eſſet, habebat apud ſe & litteris humanioribus imbui curauerat. In quibus adeo profecerat, vt inſtar miraculi haberetur. Et quia eodem tempore magna erat nominis Abaëlardi celebritas, vtriuſque fama vtrique deſiderium peperit inuiſendi ſe & colloquendi: & hinc per vtrique flamma nata eſt. Senſit Abaëlardus ſe Heloiſſæ amoribus illaqueatum ipſam quoque ſuis illaqueaſſe: ipſe Fulbertus flammam aluit oblatâ occaſione potiundi votis: quippe Abaëlardum vltro inuitauit, & rogauit, vt ſucciſiuis horis puellam acuti ingenij & ſcientiarum capaciſſimi erudire tam lingua Latina quam Philoſophicis aliiſque liberalibus artibus imbuere dignaretur. Rem ſic ipſe narrat.

» Erat in Ciuitate Pariſius adoleſcentula quædam nomine Heloïſſa, Neptis
» Canonici cuiuſdam qui Fulbertus vocabatur, qui eam quanto amplius diligebat,
» tanto diligentius in omnem quã poterat ſcientiam litterarũ promoueri ſtuduerat.
» Quæ cum per faciem non eſſet infima, per abundantiam litterarum erat ſuprema.
» Nam quo bonum hoc litteratoriæ ſcilicet ſcientiæ in mulieribus eſt rarius, eo amplius puellam commendabat & toto Regno nominatiſſimam fecerat. Hanc igitur omnibus circunſpectis quæ amantes allicere ſolent, commodiorem cenſui in
» amorem mihi copulare. Et me id facillimè credidi poſſe. Tanti quippe tunc nominis eram & iuuentutis & formæ gratia præminebam, vt quamcumque fœmina-

tum noſtro dignarer amore, nullam vererer repulſam. Tanto autem facilius hanc « mihi puellam conſenſuram credidi, quanto amplius eam litterarum ſcientiam « & habere & diligere noueram, noſque etiam abſentes ſcriptis internunciis in- « uicem liceret præſentare & pleraque audacius ſcribere quam colloqui, & ſic ſem- « per iocundis intereſſe colloquiis. In huius itaque adoleſcentulæ amorem totus « inflãmatus occaſionẽ quęſiui, cã qua mihi domeſtica & quotidiana conuerſatione « familiarem efficerem & facilius ad conſenſum traherem. Quod quidem vt fieret, « egi cum prædicto Puellæ auunculo quibuſdam ipſius amicis interuenientibus, « quatenus me in domum ſuam quæ ſcholis noſtris proxima erat, ſub quocunque « procurationis pretio ſuſciperet. Hanc videlicet occaſionem prætendens, quod « ſtudium noſtrum domeſtica noſtræ familiæ cura plurimum præpediret & impen- « ſa nimia nimium me grauaret. Erat autem cupidus ille valde, atque erga neptim « ſuam, vt amplius ſemper in doctrinam proficeret litteratoriam, plurimum ſtudio- « ſus. «

Quibus duobus facilè aſſenſum aſſecutus ſum, & quod optabam obtinui: cum « ille videlicet & ad pecuniam totus inhiaret, & neptim ſuam ex doctrina noſtra « aliquid percepturam crederet. Super quo vehementer me deprecatus ſupra quã « ſperare præſumerem, votis meis acceſſit & amori conſuluit: eam videlicet totam « noſtro Magiſterio committens, vt quoties mihi à Scholis reuerſo vacaret, tam « in die quam in nocte, ei docendæ operam darem, & eam ſi negligentem ſenti- « rem, vehementer conſtringerem. In qua re quidem quanta eius ſimplicitas eſſet, « vehementer admiratus non minus apud me obſtupui, quam ſi agnam teneram « famelico Lupo committeret..... Quid plura? primum domo vna coniungimur, « poſtmodum animo. «

Ipſa quoque Heloïſſa in Ep. 2. ad Abaëlardum narrat, vnde natus ſit amor ille mutuus, quamque ſe beatam putauerit amantẽ radamari præſertim à tanto viro, cuius fama totũ replebat orbẽ. *Quis etenim Regũ*, inquiebat, *vel Philoſophorum tuam exæquare famam poterat? quæ te Regio aut Ciuitas ſeu villa videre non æſtuabat? qui te rogo in publicum procedentem conſpicere non feſtinabat, ac deſcendentem collo erecto, oculũ directũ non inſectabatur? quæ coniugata, quæ virgo non concupiſcebat abſentem & non exardebat in præſentem? Quæ Regina vel præpotens fœmina gaudiis meis non inuidebat vel thalamis? Duo autem fateor tibi ſpecialiter inerant, quibus fœminarum quarumlibet animos ſtatim allicere poteras, dictandi videlicet & cantandi gratia, quæ cæteros minimè Philoſophos aſſecutos eſſe nouimus. Quibus quidem quaſi ludo laborem exercitij recreans Philoſophici, pleraque amatorio metro vel rithmo compoſita reliquiſti carmina, quæ præ nimia ſuauitate tam dictaminis quàm cantus ſæpius frequentata tuum in ore omnium nomen inceſſanter tenebant, vt etiam Illiteratos melodiæ dulcedo tui non ſineret immemores eſſe. Atque hinc maximè in amorem tui fœminæ ſuſpirabant. Et cum horum pars maxima carminum noſtros decantaret amores, multis me regionibus breui tempore nunciauit, & multarum in me fœminarum accendit inuidiam. Quod enim bonum animi vel corporis tuam non exornabat adoleſcentiam? Quam tunc mihi inuidentem, nunc tantis priuatæ deliciis cõpati calamitas mea non compellat? quem vel quam licet hoſtem primitus debita compaſſio mihi non emolliat?* Vno verbo Abaëlardus virgine potitus & **ex ea ſuſceptâ prole maſculâ nẽpe filio, quem Aſtrolabium nominari voluerunt,** cum ſcelus ſuum honeſtis nuptiis conſentiente Fulberto filiæ auunculo velare & imminuere voluiſſet, poſtmodum verò Heloïſſam cum Argentolienſibus Monialibus recluſiſſet, dum interim Scholis vacaret, furorem expertus eſt væſani auunculi, & qua parte peccauerat, crudeliter mutilatus eſt: qua de re amplius infra dicetur.

Meminit Fulberti Canonici Ordericus Vitalis, aitque eum Os integrum de ſpina S. Ebrulfi habuiſſe, quod Capellanus de Capella Henrici Regis Francorũ ſubſtraxerat, eique iamdudum pro amoris pignore dederat. *Qui timens pro diuerſis cauſis*, inquit, *illud habere Fulcone presbytero Mauliæ mediante accerſit Guillelmum de Monſterolo Priorem Mauliæ, eique reliquias tradidit deferendas Vticenſi Eccleſiæ.*

Eodem anno Rodolfus Epiſcopus Roffenſis in Anglia Anſelmi Laudunenſis olim Diſcipulus eligitur in Cantuarienſem Archipræſulem 6. Kal. Maij & anno ſequente conſecratus eſt ab Anſelmo legato Apoſtolico 5. Kal. Iulij, ab eoque pallium accepit. Statim verò inter eum & Turſtanum Eboracenſem diſſidium

emerſit de Primatia Eccleſiæ Anglicanæ, quod diu Anglicam turbauit.

1115. Anno 1115. tria Concilia celebrata ſunt in Gallia à Conone ſedis Apoſtolicæ Legato, Epiſcopo Prænestino: primum Remis, alterum Bellouaci, tertium Catalauni teſte Roberto Antiſſiodorenſi in Chronico. In Concilio quidem Bellouacenſi, cui interfuit Radulphus Viridis Archiepiſcopus Remenſis tum Regi reconciliatus, Fulco de Grandiuilla cum Radulpho Abbate S. Quintini concordiam iniit. Legatus anathemate feriit Thomam illum de Marna, de quo ſupra verba fecimus, & qua de re ſic ſcribit Sugerius, *cuius intolerabili fatigata moleſtia cum ſederet Beluaci generali Conuentu Gallicanæ Eccleſiæ, vt in hoſtes veri ſponſi I. C. hic etiam Iudicij primordia & damnatiuam incipiat promulgare ſententiam, venerabilis S. Romanæ Eccleſiæ Legatus Cono Prænestinus Epiſcopus innumerarum pulſatus moleſtia querelarum, Eccleſiarum, pauperum & Orphanorum diuexationem & tyrannidem mucrone B. Petri, anathemate ſcilicet generali detruncans, cingulum militarem ei licet abſenti decingit, ab omni honore tanquam ſceleratum, infamatum, Chriſtiani nominis inimicum omnium iudicio deponit.*

Eodem anno 5. id. Iulij ab eodem Legato habitum eſt Concilium Catalaunenſe, in quo teſte Simeone Dunelmenſi in Hiſt. de Geſtis Anglorum, excommunicauit Epiſcopos qui Concilio non interfuere, quoſdam verò gradu mouit, plurimos Abbates baculis priuatos depoſuit de ſedibus, Eccleſiaſticum illis interdicens officium. Hæc Simeon. Cononis auxiliator præcipuus in omnibus conſiliis & executione Guillelmus fuit Campellenſis tunc Epiſcopus Catalaunenſis, de quo ſcribitur in Chronico Mauriniacenſi quod *ſublimes ſcholas rexerat*, vt ad an. 1119. referemus. Cæterum is eſt Cono legatus qui in Concilio Sueſſionenſi an. 1119. habito quendam Petri Abaëlardi de Theologia Tractatum damnauit.

Eodem anno extincta ſunt duo fulgentiſſima Galliarum luminaria, Iuo Carnotenſis & Petrus Pictauienſis; vterque Eccleſiæ libertatum aſſertor acerrimus, vterque intrepidus: quamobrem vterque à Principibus grauia damna malaque paſſus eſt; Iuo à Philippo ob nuptias Bertradæ: Petrus à Willielmo Comite Pictauorum ob ſimilem cauſam aliaque crimina, quibus infamis apud omnes Chriſtianos habebatur. Iuo Collegium Carnotenſe reparauit, Eccleſiæque ſuæ bona multa contulit. De eo ſic habet Martyrologium Carnotenſe. *Idibus Decembris anno Incarnationis Dominicæ 1115. obiit Pater Iuo huius ſacratiſſimæ ſedis Antiſtes, vir magnæ religionis, Eccleſiaſticorum & ſecularium negotiorum prudentiſſimus, mitis affatu, patientia inſignis, caſtitate pollens & tam in Diuinis quàm in Philoſophia eruditiſſimus. Qui ſex Pallia bona & Cappas & Infulas tres & Tapetia tria decori huius Eccleſiæ contulit. Librum Miſſarum & Epiſtolarum & textum Enangeliorum & vnum Lectionarium matutinale dedit & omnes argento parauit. Pulpitum miri decoris conſtruxit, Scholas fecit, Domum Epiſcopalem, quam vilem & ligneam (quam in obitu Epiſcoporum vel diſceſſu, quibuſdam prauis conſuetudinibus per violentiam Carnotenſium Comitum inductis ancillatam inuenerat) ſpecioſam & lapideam à fundamento refecit, & cum omnibus ad ipſam pertinentibus ſiue mobilibus ſiue immobilibus ex ancilla liberam reddidit, libertatemque ipſam adſtipulatione priuilegiorum & Romanæ ſedis, & Regis & Comitis, quæ in Archinis huius Eccleſiæ habentur, confirmauit, &c.*

Inter cætera autem quæ vir incomparabilis fecit, poſt Burchardum Vormacienſem & Anſelmum Lucenſem, Canones SS. Patrum & Conciliorum Genera. Illum edidit in lucem, Compendioſumque Decretum, appellauit, quo ante Gratiani tempora per ſexaginta circiter annos vſi ſunt Iuriſtæ, de quo opere ſic ipſe habet in Prologo. *Excerptiones Eccleſiaſticarum Regularum partim ex Epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum, Catholicorum Epiſcoporum, partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex Inſtitutionibus Catholicorum Regum nonnullo labore in vnum corpus adunare curaui: vt qui ſcripta illa ex quibus excerpta ſunt, ad manum habere non poterit, hinc ſaltem accipiat, quod ad commodum cauſæ ſuæ valere perſpexerit. A fundamento itaque Chriſtianæ Religionis ideſt fide inchoantes, ſic ea quæ ad quæque negotia diſcutienda vel definienda pertinent, ſub generalibus titulis diſtincta congeſſimus, vt non ſit quærenti neceſſe totum volumen euoluere.* Huc pertinent hi verſus in modum Epitaphij ad eius laudem conſcripti, quibus præcipua eius facta comprehenduntur.

Præſulis Iuonis Corpus iacet hîc tumulatum,
Cuius honos pulſat limen vtrumque Poli.
Iuris hic Antiſtes Canonum Decreta ſacrorum
Perlegit, legum dogmata dans breuius.
Myſtica ſacra alibi dantur, Rex, quàm tibi Remis
Conſultorque tuis Rex vocitatus abis.
Hunc capit Hugo Comes Carnutum mœnia tentans,
Quem pia plebs redimit ſumptibus innumeris.
Ære ſuo atque operâ renouauit Præſulis ædes,
Firmat Ioannis, quâ iacet, Abbatiam.
Atque Decanatum Andreæ formauit & auxit,
Te duce ſit Mariæ pulpitus Eccleſiæ.
Fundamenta loci iecit Belli Prioratus.
Hic Magdalenæ præparat Eccleſiam.
Vicenos annoſque duos ſine crimine ſedem
Rexit ab integris moribus atque fide.

Eius corpus iacuit in Choro Abbatiæ S. Ioannis in Vallibus: donec Hæreticorum rabies hoſtilis pios eius cineres in auras diſperſit. Illam autem Abbatiam e ſeculari Collegio in Regulare conuerterat. Ei in Epiſcopali ſede ſucceſſit Gaufridus de Lieues, quem aliqui Diſcipulum fuiſſe dicunt Abaëlardi, ſed verius crediderim, Guillelmi Campellenſis.

Petrus verò Pictauienſis perpetuâ neceſſitudine & amicitia cum Roberto Arbricellenſi coniunctus, quem in condendo Monaſterio Fontebraldenſi authoritate, conſilio, opibus adiuuerat, à Willelmo VIII. Aquitaniæ Duce & Pictauorum Comite, quem ob adulterium ſacris arcuerat, in exilium pulſus eſt, & in exilio obiit, multiſque poſt mortem miraculis inclaruit. De eo fusè Malmesburienſis l. 5. de Geſtis Henrici I. Anglorum Regis. Erat, *inquit*, tunc Willelmus Comes Pictauorum fatuus & lubricus, qui priuſquam de Hieroſolymâ rediit, ita omne vitiorum volutabrum premebat, quaſi crederet omnia fortuitò agi non prouidentia regi. Nugas porro ſuas falsâ quadam vetuſtate condiens ad facetias reuocabat, audientium rictus cachinno diſtendens. Dumque apud Caſtellum quoddam Iuor habitacula quædam quaſi monaſteriola conſtruens Abbatiam Pellicum ibi ſe poſiturum delirabat, nuncupatim illam & illam, quæcumque famoſioris proſtibuli eſſet, Abbatiſſam vel Priorem, cæteras verò Officiales inſtituturum cantitans: legitimâ quoque vxore depulsâ Vicecomitis cuiuſdam vxorem ſurripuit, quam adeo ardebat, vt clypeo ſuo ſimulachrum mulierculæ inſereret, perinde dictitans ſe illam velle ferre in prælio, ſicut illa portabat eum in triclinio. Vnde increpitus & excommunicatus à Girardo Engoliſmorum Epiſcopo, iuſſuſque illicitam venerem abiicere, antea inquit criſpabis pectine refugam a fronte capillum quàm ego Vicecomitiſſæ indicam repudium, cauillatus in virum, cuius pertenuis cæſaries pectinem non deſideraret. Nec minus cum Petrus Pictauorum Epiſcopus eum liberius argueret & detractantem palam excommunicare inciperet, ille præcipiti furore percitus crinem Antiſtitis **inuolat ſtrictumque mucronem vibrans**, iam inquit, morieris, niſi me abſolueris. Tum verò Præſul timore ſimulato inducias petens loquendi, quod reliquum erat excommunicationis, fidenter perorauit; ita Comitem à Chriſtianitate ſuſpendens, vt nec cum aliquo conuiuari nec etiam loqui auderet, niſi maturè reſipiſceret. Ita officio ſuo vt ſibi videbatur peracto, martyriique trophæum ſitiens collum prætendit, Feri, inquiens, Feri. At willielmus refractior conſuetum leporem intulit: vt diceret, tantum certè te odio, vt nec meo te digner odio, nec cœlum vnquam intrabis meæ manus miniſterio. Verumtamen poſt modicum vipereo meretriculæ infectus ſibilo, inceſti diſſuaſorem detruſit exilio. Vbi beato fine concluſus frequentibus & magnis miraculis innuit mundo quàm gloriosè viuat in cœlo. Quibus auditis Comes dicacitate inſolenti non abſtinuit profeſſus palam pœnitere ſe, quod non ei iamdudum mortem acceleraſſet, vt ipſi anima ſancta grates haberet & potiſſimum, cuius furore cœleſte mercatus eſſet commodum. Vitam Petri & mortem verſus iſti commendant.

De viuo dictum eſt.

Corpus, opes, ſtudium, mores, cibus aſper, egenus,
Lectio, probra, domat, carpit, alit, fugiunt,
Virtutes, culpas, fructum, colit, amputat, auget
Ius, litem, pacem, protegit, odit, amat.
Fert miſero, tribuit peccanti, ſeruat amico
Auxilium, veniam, continuamque fidem.
Mente Maria vacat, ſed in actum Martha laborat,
Eſt intenta gregi Martha, Maria Deo.
Sic apud hunc regnat Deus intra, proximus extra,
Hic deſiderio, proximus obſequio.
Diligit ille Rachel, nec Liam ferre recuſat.
Vxoremque nouus duxit vtramque Iacob.
Huius amat vultum, iuuat huius carpere fructus,
Cum ſit pulchra Rachel, fertilioreque Lia.

De mortuo dictum eſt.

Exutus rebus, intentus, pulſus ab vrbe
Præſul pauperiem, vincla fugamque tulit.
Nunc diues, liber, ſtabilis, ſua præmia Chriſtum
Aſtra capit, ſequitur, poſſidet iſta Petrus.
Vitam Relligio, mentem diſcretio, famam
Lux operum, ſtudium lectio, verba modus.
Iudicium ius, Iuſtitiam rigor, ora venuſtas,
Ornabant pietas viſcera, virga manum.
Promouit, priuauit eum, profugumque recepit
Papa, Comes, Chriſtus, ordine, ſede, polo.

Obiit autem, vt legitur in Chronico Malleacenſi, in Caluiniaco Caſtro & ſepultus eſt apud S. Cyprianum Pictauii, cum hoc Epitaphio.

Captio, vincla, minæ, cenſus Domuumque ruinæ,
Nunquam paſtorem flexêre ſuumque rigorem,
Immo magis fortis inſtanti tempore mortis
Nulla relaxauit quæ iure liganda ligauit.

1116. Anno 1116. obiit celeberrimus ille ſcholæ Laudunenſis Præfectus & Magiſter Anſelmus, tum multorum diſcipulorum vndequaque ad ſe conuolantium Doctor eximius: ſepultuſque eſt Lauduni in Eccleſia S. Vincentij. Ne quis verò erret in nomine Anſelmi, animaduertere neceſſe eſt tres fuiſſe Anſelmos Laudunenſes. Primum antiquiorem: ſecundum medium; tertium poſteriorem. Primus cognomento vocabatur Beeſſus, vnus è Theſaurariis Eccleſiæ Laudunenſis; qui deceptis diu Canonicis ſub ſpecie probitatis & pietatis, non exiguam gemmarum partem quibus ſacræ Cruces diebus ſolennioribus ornabantur, furatus Aurificibus tradidit & vendidit.

Alter qui medius, noſter eſt Anſelmus, qui ſuper hoc Theſauri furto, cuius aliquandiu Reus ignoratus eſt, conſultus à Canonicis & Ciuibus Laudunenſibus tanquam Orbis lucerna & lumen, reſpondit tanti facinoris authorem aquæ iudicio inquirendum. Qua de re ſic ſcribit Author ille qui Laudunenſis Eccleſiæ inſtaurationem deſcripſit. *Protinus ergo*, inquit, *Generalis Conuentus Canonicorum & Ciuium conuocatur: quid opus ſit facto, diſcutitur; & præ omnibus M. Anſelmus tunc temporis totius vrbis lucerna conſulitur. Ille vt diuinæ legis peritiſſimus continuo Ioſue replicat hiſtoriam: quomodo ſcilicet furtum in Hierico nullo ſciente factum Dominus iuſſit ſorte perquiri: primò per tribus, deinde per familias ac domos: ad vltimum ſigillatim per viros. Inſtar huius tam ſubtilis perquiſitionis conſulit M. Anſelmus, vt tanti facinoris author iudicio aquæ perquireretur, ac ſingulis vrbis parochiis vnus infans innocens in vaſe aquæ benedictæ repleto poneretur, & quæcumque parochia forte culpabilis reperiretur, de ſingulis domibus eiuſdem Parochiæ vnus infans in aqua poneretur, & quæcumque domus deprehenſa fuiſſet, omnes viri vel fœminæ ad eam pertinentes iudicio aquæ ſe purgare cogerentur.*

Fuit autem iſte Anſelmus Magiſter Canonicus & Decanus Eccleſiæ Laudunenſis, eumque in ſerie Decanorum primum ſcribit Lucas Dacherius in Notis ad Guibertum: errant vero qui aiunt fuiſſe Epiſcopũ Laudunenſem. Docuit Lutetiæ & Lauduni per quadraginta & amplius annos, & ad mortem vſque Theologiam publicè profeſſus eſt. Inter alios verò Lectionum ſuarum auditores habuit hoſce viros inſignes & Magiſtros, Guillelmum ampellenſem, qui & ipſe Magiſterij dignitate & munere perfunctus ad Catalaunenſem Epiſcopatum promotus eſt, & poſtremis vitæ ſuæ temporibus Petrum Abaelardum, Albericum Remenſem qui poſtea fuit Bituricenſis Archiepiſcopus, Lotulfum Nouarienſem, Gaufridum Britonem, qui anno 1111. Rhothomagenſi Archipræſulatu donatus eſt, Radulfum & Guillielmum qui in Cantuarienſi ſede ſibi inuicem ſucceſſerunt. De Guillielmo Cantuarienſi ſic habet prædictus Hiſtoricus. *Nos itaque aſſumpto Dominæ noſtræ feretro atque Reliquiis Cantuariam venimus, vbi tunc erat Archiepiſcopus D. Willielmus nobis notiſſimus: quoniam iamdudum pro audienda lectione M. Anſelmi Laudunenſis petens multis diebus in Epiſcopi domo manſerat, ibique filios Radulfi Cancellarij Regis Anglorum docuerat.* Nempe iſte Guillielmus credo Gallus, de Corbolio, de Chiche cognominatus anno 1123. ab Henrico I. Anglorum Rege Archiepiſcopatu Cantuarienſi donatus, præceptor fuerat filiorum Radulfi eiuſdem Regis Cancellarij, viri in Regno Anglicano potentiſſimi, qui vt ſcribit Ioannes Brompton, 20. annis infirmitate decoctus, in Curia nihilominus ad omnia ſcelera Iuuene promptior erat, innocentes opprimens & multas ſibi terras diripiens.

Poſterior denique Anſelmus fuit Abbas S. Vincentij Laudunenſis ex Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis cooptatus an. 1131. cum religioſè, doctè ac prudenter Monaſterium ſuum rexiſſet annos plus minus 17. & pro vtilitate eiuſdem Cœnobij Romam profectus fuiſſet, inquit ſcriptor Laudunenſis, demum *à Clericis Tornacenſibus ibi repertus in Epiſcopum electus eſt & à D. Papa Eugenio inuitus & reluctans obedientiæ vinculo conſtrictus Pontifex conſecratus eſt, ſicque per eum Tornacenſi Eccleſiæ antiqua dignitas reſtituta an. ab incarnatione Domini 1145.*

Eodem quoque anno obiit Galo Pariſienſis Epiſcopus, vt ſcribunt Sammarthani, vel vt alij an. 1114. 23. Feb. Illi ſucceſſit Gilbertus ſeu Gerbertus è Maiore Archidiacono, cuius extant nonnullæ litteræ in Magno Paſtorali & in monumentis S. Martini Pariſienſis. Hemeræus Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis fuiſſe ſcribit ab an. 1107. Chartamque Donationis, quâ Galo Epiſcopus Monaſterium S. Eligij Pariſienſis quod Sanctimonialium eatenus fuerat, conceſſit Abbati S. Petri Foſſatenſis, confeciſſe Bernero tum Decano, Adam Præcentore: in cuius Chartæ fine leguntur hæc verba. *Scripſit Gilbertus Cancellarius.*

Hocce tempore Prima Scholaſticæ ſapientiæ lineamenta Pariſiis figurari cœpiſſe ſcribit Hemeræus. His annis, inquit, prima Scholaſticæ Sapientiæ lineamenta in Academia Pariſienſi figurantur, publica iſtam profeſſione tractantibus Campellenſi, & Abaïlardo, Porretano Terrico, & qui in vita ſancti Godefridi nominatur Goſſenus, aliiſque Magiſtris in Schola Epiſcopali primum illis quidem; tum eodem Campellenſi in ſeceſſu Victorino, qui paulo poſt Ludouico Craſſo fundatore in nobiliſſimum domicilium euaſit Theologiæ Pariſienſis: Petro autem Abaïlardo in Schola Genouefiana. Augeſcente autem Academia numero Profeſſorum Mercurialiumque, & obortis perſæpe tumultibus Scholaſticis aliiſque ſimilibus cauſis, quo effrænes illi adoleſcentiæ motus Chriſtiano metu continerentur, Cancellario Scholæ Principi conceſſa ab Epiſcopo Galone Facultas eſt Scholares Eccleſiaſticis cenſuris illigandi: *Quæ erant illa præſertim ætate & formidales & frequentes.* Errat tribuens Galoni Epiſcopo Conſtitutiones ſynodales de quibus diximus ad an 1105. Porro Gilberto ad Epiſcopalem ſedem prouecto, Theobaldus in Cancellarij munere ſucceſſit.

Eodem quoque anno Petrus Abaëlardus ſuſceptâ ex Heloiſſa ſua prole maſculâ & contractis cum ea infeliciter nuptiis, dum dedecus euitare cupit, crudeliſſimè euiratur. Sed antequam facinoris circunſtantias deſcribamus, iuuat exponere quantas illi miſerias & infortunia furtiui & illiciti ſui amores attulerint. Imprimis enim tædium illi ſuæ profeſſionis induxerunt & negligentiam ſummam in Officio Scholaſtico explendo: adeo vt non is amplius eſſe videretur

Abaëlardus qui ante fuerat; cuius mutata ſtudia primi ſenſerunt Diſcipuli, & tanto Magiſtri malo indoluerunt. Narrat ipſe. *Quo me amplius*, inquit, *hæc voluptas occupauerat, minus Philoſophiæ vacare poteram & ſcholis operam dare. Tædioſum mihi vehementer erat ad ſcholas procedere vel in eis morari, pariter & laborioſum, cum nocturnas amori vigilias & diurnas ſtudio conſeruarem. Quem etiam ita negligentem & tepidum lectio tunc habebat, vt iam nihil ex ingenio, ſed ex vſu cuncta proferrem, nec iam niſi priſtinorum recitator eſſem inuentorum; & ſi qua inuenire liceret, carmina eſſent amatoria, non Philoſophiæ Secreta. Quorum etiam Carminum pleraque adhuc in multis, ſicut & ipſe noſti, frequentantur & decantantur regionibus ab his maximè quos vita ſimilis oblectat. Quantam mœſtitiam, quos gemitus, quæ lamenta noſtri ſuper hoc ſcholares aſſumerent, vbi videlicet hanc animi mei occupationem, imò perturbationem præſenſerunt, non eſt facile vel cogitare. Paucos enim iam res tam manifeſta decipere poterat, ac neminem credo, præter eum, ad cuius ignominiam maximè id ſpectabat, ipſum videlicet puellæ auunculum.*

Narrat deinde quo tandem pacto Fulbertus facinus agnouerit, Neptemque ſuam diligentius omni commercio arcuerit, quomodo vero ambo diſiuncti corporibus animos fortius coniunxerint. Item quomodo Puellam, poſtquam concepiſſe comperit, de domo auunculi furtim ſuſtulerit, & in patriam ſuam ad ſororem ſubitò tranſmiſerit, donec pareret filium, quem Aſtrolabium nominarunt. Item quomodo tentatis variis adminiculis ea tandem lege ſibi puellæ auunculum demeritus fuerit, vt ipſam in vxorem acciperet. Quanquam illa conditionem reprobabat quaſi præſaga calamitatis inde euenturæ. Malebat quippe Abaëlardi amica quàm vxor legitima videri: multas præterea rationes ſubiungebat quibus
„ ipſum ab hoc propoſito dimoueret. Vt autem inquiebat, hoc Philoſophici ſtu-
„ dij nunc omittam impedimentum, ipſum conſule honeſtæ Conuerſationis ſta-
„ tum. Quæ enim conuentio ſcholarium ad pediſſequas, ſcriptoriorum ad cuna-
„ bula, librorum ſiue tabularum ad colos, ſtylorum ſiue calamorum ad fuſos? quis
„ denique ſacris vel philoſophicis meditationibus intentus pueriles vagitus, nu-
„ tricum quæ hos mitigant, nænias, tumultuoſam familiæ tam in viris quam in fœ-
„ minis turbam ſuſtinere poterit? quis etiam inhoneſtas illas paruulorum ſordes aſ-
„ ſiduas tolerare valebit? Id inquies diuites poſſunt, quorum Palatia vel Domus
„ amplæ diuerſoria habent, quorum opulentia non ſentit expenſas, nec quotidianis
„ ſollicitudinibus cruciatur. Sed non eſt, inquam, hæc conditio Philoſophorum
„ quæ Diuitum. Nec qui opibus ſtudent vel ſecularibus implicantur, curis diuinis
„ ſeu philoſophicis vacabunt officiis. Vnde & inſignes olim Philoſophi mundum
„ maximè contemnentes, nec tam relinquentes ſeculum quàm fugientes, om-
„ nes ſibi voluptates interdixerunt, vt in vnius Philoſophiæ requieſcerent amplexibus.

„ Reſiſtendum eſt occupationibus, nec explicandæ ſunt ſed ſubmouendę. Quod
„ nunc igitur apud nos amore Dei ſuſtinent qui verè Monachi dicuntur, hoc deſi-
„ derio Philoſophiæ qui nobiles in gentibus extiterunt Philoſophi. Si autem ſic
„ Laici Gentileſque vixerunt nullâ ſcilicet profeſſione Religionis adſtricti, quid
„ te Clericum atque Canonicum facere oportet, ne Diuinis officiis turpes præ-
„ feras voluptates? ne te præcipitem hæc Carybdis abſorbeat, ne obſcenitatibus
„ iſtis te impudenter atque irreuocabiliter immergat? Qui ſi Clerici prærogatiuam
„ non curas, Philoſophi ſaltem defende dignitatem. Si reuerentia Dei contemni-
„ tur, amor ſaltem honeſtatis impudentiam temperet.... addebat denique ipſa &
„ quàm periculoſum mihi eſſet eam reducere & quam ſibi charius exiſteret mihi-
„ que honeſtius amicam dici quàm vxorem, vt me ei ſola gratia conſeruaret, non
„ vis aliqua nuptialis vinculi conſtringeret.

Nihilominus ille pactis cum Fulberto nuptiis vt ſic honori puellæ conſuleret & familiæ dedecus eleuaret, eam poſt partum Aſtrolabium Pariſios reducendam cenſet, & depoſito apud Sororem pignore cum ea reuertitur ad auunculum, atque poſt paucos dies de nocte ſeu ſummo manè in quadam Eccleſia propinqua, Fulberto & quibuſdam aliis amicis præſentibus & teſtibus nuptiali benedictione confœderantur; moxque occultè diuiſim abſcedunt: nec deinceps niſi raro & latenter ſe ſe inuiſunt, diſſimulantes vterque quod egerant. Quo vero magis cela-

re

re nitebantur coniugium, tanto euidentius illud manifeſtare contendebat Fulbertus ignominiæ ſuę ſolatium eiuſmodi quærens. Contra Heloiſſa interrogata paſſim de rei veritate negabat & pernegabat; indeque male omnino ab auunculo tractabatur. Quæ res omnium calamitatum quæ vtrique deinde acciderunt, fons fuit & origo. Nam vt eam ab impropertiis huiuſcemodi eriperet Abaëlardus eam ad Argentoilenſe Monialium Cœnobium tranſmittit, vbi olim Puella educata fuerat & erudita; vtque Coniugij demeret opinionem, ſacras veſtes excepto velo ei aptari fecit, vt ſic pro Moniali haberetur. Quo audito auunculus & conſanguinei ſe ita deluſos arbitrati conſilium capiunt, Abaëlardi ſeruum pecunia corrumpunt, & nocte quadam intempeſta quieſcentem & dormientem in ſecreta hoſpitij camera inuadunt, & partibus illis quibus peccauerat, mutilant. Quibus ſtatim in fugam conuerſis (nam ſine clamore res fieri non potuit) duo qui comprehendi potuerunt, oculis & genitalibus eodem furore priuati ſunt, quorum vnus fuit ſeruus ille proditor. Hæc ipſe narrat Abaëlardus, quid vero mane facto contigerit, ſi ſcire cupis, ſubiungit quæ ſequuntur.

Mane autem facto, inquit, tota ad me Ciuitas congregata quanta ſtuperet admiratione, quanta ſe affligeret lamentatione, quanto me clamore vexarent, quanto planctu perturbarent, difficile, imo impoſſibile eſt exprimi, maximè vero Clerici & præcipuè Scholares intolerabilibus me lamentis & eiulatibus cruciabant, vt multo amplius ex eorum compaſſione quàm ex vulneris læderer paſſione, & plus erubeſcentiam quàm plagam ſentirem, & pudore magis quam dolore affligerer. Occurrebat animo quanta modo gloria pollebam, quam facili & temporali caſu hæc humiliata, imo pœnitus eſſet extincta, quam iuſto Dei iudicio in illa Corporis mei portione plecterer, in qua deliqueram; quam iuſta proditione is quem antea prodideram, vicem mihi retuliſſet. Quanta laude mei æmuli tam manifeſtam æquitatem efferrent: quantam perpetuò doloris contritionem plaga hæc parentibus meis & amicis eſſet collatura, quanta dilatatione hæc ſingularis infamia vniuerſum mundum eſſet occupatura. Quæ mihi vlterius via pateret, qua fronte in publicam prodirem omnium digitis demonſtrandus, omnium linguis corrodendus, omnibus monſtruoſum ſpectaculum futurus. Quid inde ſecutum ſit, dicemus infra ad an. 1117.

Interim non omittendum graue bellum hoc anno exarſiſſe inter Regem Francorum Ludouicum & Henricum Anglorum. Cauſa fuit Comes Bleſenſis, Henrici nepos qui prior Ludouicum laceſſiuerat, ſed viribus impar Henricum ad ſuas partes adduxit. Ludouicus cum Comitibus Flandrenſi & Andegauenſi coniurat, minantur Normaniam ſe Henrico ablaturos & Vuilielmo Roberti nuper Ducis filio hæredi legitimo tradituros: initium belli à Giſortio & Brayo Caſtellis, quæ licet neutrius partis eſſe debebant, ea Anglus occupauerat. Dimicarunt ergo fortiter ambo Reges, ſed infeliciter Francus. Henrici facta miris laudibus extollit Sugerius, eique Ambroſii Merlini vaticinationes omnino accommodat quod & multi huiuſce ſeculi 12. Scriptores fecerunt. Inter cæteros verò Alanus de Inſulis Magiſter Pariſienſis, qui in eius Prophetiam Commentaria edidit regnante Henrico II. Sic ergo Sugerius in vita Ludouici.

Ea tempeſtate ad partes Normanorum contigit deueniſſe Regem Anglorum Henricum virum fortiſſimum pace & bello clarum. Cuius admirabilem & pene per vniuerſum Orbem declaratam excellentiam ille etiam agreſtis vates Anglorum ſempiterni euentus mirabilis ſpectator & relator Merlinus tam eleganter quàm veraciter ſummo præconio commendat, ac in eius laude voce Prophetica erumpens ex abrupto vt vatum mos inoleuit. Succedet inquit, Leo Iuſtitiæ, ad cuius rugitum Gallicanæ turres & Inſulani tremebunt. In diebus eius Aurum ex Lilio & vrtica extorquebitur & argentum ex vngulis mugientium manabit. Calamiſtrati varia vellera veſtibunt, quia exterior habitus interiora ſignabit, pedes Latrantium truncabuntur, pacem habebunt feræ, humanitas ſupplicium dolebit, findetur forma commercij, dimidium rotundum erit, peribit Miluorum rapacitas & dentes Luporum hebetabuntur. Catuli Leonis in æquoreos piſces transformabuntur, & Aquila eius ſuper montes Atauium nidificabit.

Singula deinde explicãs Sugerius Henrico aptat; ita vt nec *vnũ iota nec vnum verbum diſſenſerit.* Per Catulos quidem Leonis tansformatos in Piſces, *Henrici filios*

filiamque naufragatos intelligit à maritimis piſcibus deuoratos *& conuertibiliter phyſicè transformatos*. Ideo autem Leo Iuſtitiæ vocatus eſt Henricus, quia ſtatim poſt occupatum regnum Anglicanum de proborum virorum conſilio antiquas Regni conſuetudines ad captandam Subditorum beneuolentiam ſe ſeruaturum iureiurando confirmauit. Item Normanis, qui prædationibus aſſueti erant, nihil niſi *eruitionem oculorum & furcarum ſupplicia* ſi rapiant, promiſit. Hinc explicatur quod Merlinus ait, *Perit Miluorum rapacitas & dentes luporum hebetabuntur*: cum nec nobiles nec ignobiles deprædari aut rapere quacunque audacia præſumerent. Quod autem, inquit Sugerius, dicit Merlinus. *Adrugitum Leonis Iuſtitiæ Gallicanæ turres & Inſulani dracones tremebunt.* Huc accedit quod fere omnes turres & quæcunque fortiſſima Caſtra Normaniæ, quæ pars eſt Galliæ, aut euerſum iri fecit, aut ſuos intrudens & de proprio ærario procurans, aut ſi dirutæ eſſent, propriæ voluntati ſubiugauit. Inſulani Dracones tremuerunt, cum quicunque Angliæ proceres nec etiam mutire in tota eius adminiſtratione præſumpſerunt. In diebus eius aurum ex Lilio quod eſt Religioſis boni odoris, & ex vrtica, quod eſt ex ſecularibus pungentibus ab eo extorquebatur: hoc intendens, vt ſicut ab omnibus proficiebat, ab omnibus ei ſeruiretur. Argentum ex vngulis mugientium manabat, cum turris ſecuritas horreorum plenitudinem, horreorum plenitudo argenti copiam plenis ſcriniis miniſtrabat: *qua occaſione*, inquit, *& Caſtrum Giſortium tam blandiciis quam minis à Pagano de Giſortio eum extorquere contigit. Caſtrum munitiſſimum, ſitu loci compendioſum, quod ad vtrumque terminum Francorum & Normanorum fluuio gratæ piſcium fœcunditatis, qui dicitur Epta, interfluente, antiquo fune Geometricali & Danorum concorditer merito collimitat, ad irruendum in Franciam gratum Normanis præbens acceſſum, Francis prohibens.*

1117. Anno 1117. Petrus Abaëlardus poſtquam à vulnere paulum conualuit, Monaſticum ſumpſit habitum apud San-Dionyſium ab Adamo tunc Abbate, non tam pietate & religione ductus, quàm pudore calamitatis ſuæ ſuffuſus. Videbat enim ſe, ſi ſecularem vitam vltra degeret, omnium opprobriis & dicteriis impetitum iri. Heloiſſa quoque iam ſerio inter Moniales Argentolienſes adſcribi poſtulauit, velumque tandem cum Epiſcopali benedictione accepit. At Petrus vltionis deſiderio tactus Romam ire cogitauit, vt de impio & crudeli Fulberti facinore apud Curiam quereretur: cuius facti pœnas repoſcere ab Epiſcopo & Capitulo putabat fore inutile. Ne tamen iret, effecit Fulco Diogillenſis Prior, quod cœnobium in agro Pariſienſi prope Montmorenciacum ſitum eſt, Gall. Dueil: cuius ad eum hæc legitur Epiſtola dehortatoria, ſimulque conſolatoria de infortunio quod ipſi contigerat

Epiſtola Fulconis Diogillenſis ad Abaelardum.

Petro Deo Gratias Cucullato Frater Fulco vitæ conſolationem præſentis & futuræ. Secularis vitæ pericula, qui ſine periculo ſe putat euadere, non minus deſipere videtur, quàm ſi cum inſipiens ſit quiſpiam ſe exiſtimet ſapientem. Quanto vtique inuoluatur errore ſtultitiæ, non opus eſt me monſtrare, cum luce clarius » pateat ſapienti. Fortuna reguntur qui diutius ſibi permanere in huius felicitatis » mutabilitate promittunt. Quam ſit contrarium rationi hoc opinari, monſtrat ſui » mutatione infida felicitas. Non eſt humanum ſtabilitate durare. Et licet res humanæ quotidie in deteriora labuntur & felicitatis iocunda vanitas frequenter » feriatur contrariis; homines tamen miſeri huius temporis familiares & amiciſſimi finem verum attendere negligunt, & quam multis ſubiaceant periculis » quantulacunque deliniti proſperitate oculo prouidentiæ metiuntur. Sed cum ferit aduerſitas, aut in deſperationem præcipitat, aut ad fructum animaduerſionis eleuat; attamen demum quod homines ſint, agnoſcunt. Deſperatis & impœnitentibus neque in hoc ſeculo neque in futuro remiſſionis venia relinquitur » vlla: *ſperantes autem in Domino miſericordia circundabit.* His ſubiungit, quanta eſſet Scholæ Abaëlardi fama & celebritas quamque frequentes ad eam vndequaque Diſcipuli conuolarent, Itali, Romani, Angli, Britanni, Germani, Sueui, Teutones, Flandri, Hiſpani, præter Gallos & Francigenas.

» *Affluentiſsimè tibi paulo ante mundi huius gloria blandiebatur & te incertis fortunæ* » *caſibus eſſe obnoxium non ſinebat aduertere. Roma ſuos tibi docendos tranſmittebat alum-* » *nos, & quæ olim omnium Artium ſcientiam auditoribus ſolebat infundere, ſapientiorem* » *te ſe ſapiente tranſmiſsis Scholaribus monſtrabat. Nulla terrarum ſpatia, nulla montium*

cacumina, nulla concaua vallium, nulla via difficilis licet obſita periculo & latrone, quominus ad te properarent, retinebat. Anglorum turbam iuuenum mare interiacens & vndarum procella terribilis non terrebat: ſed omni periculo contempto, audito tuo nomine ad te confluebat. Remota Britannia ſua animalia erudienda deſtinabat. Andegauenſes eorum edomitâ feritate tibi famulabantur in ſuis. Pictaui, Vaſcones & Hiberi; Nomania, Flandria, Teutonicus & Sueuus tuum calcre ingenium, laudare & prædicare aſsiduè ſtudebat. Prætereo cunctos Pariſiorum Ciuitatem habitantes & intra Galliarum proximas & remotiſſimas partes, qui ſic à te doceri ſitiebant, ac ſi nihil diſciplinæ niſi apud te inueniri potuiſſet. Ingenii claritate & ſuauitate eloquii & linguæ abſolutioris facilitate, necnon & ſcientiæ ſubtilitate permoti quaſi ad limpidiſſimum Philoſophiæ fontem iter accelerabant. Nam illud quod ſic te vt aiunt, præcipitem dedit, ſingularum ſcilicet fœminarum amorem & laqueos libidinis earum, quibus ſuos capiunt Scortatores, melius mihi videor præterire, quàm aliquid dicere quod Ordini noſtro & Regulæ noſtræ religionis non concordet; quandoquidem ſermo de talibus ſæpe magis ſoleat nocere bonis quàm prodeſſe. Hac fortaſſis in te bonorum congregatione in te & ſuper te elatus (quamuis ſapiens, ſi huius nominis ſignificationem in ſe, non extinguat, his animi bonis minimé moueatur) in ſuperbiam initium & peſtem omnium malorum & inaniſſimè efferbueras, & te iactantiæ vento oſtentandi *omnes fere alios etiam ſanctos qui ante te ſapientiæ operam dederant, vt aiunt, qui te frequentius audiebant, inferiores te exiſtimabas.* At omnipotens Dei dignatio & benignitas, qui ſuperbiæ ventum facit euaneſcere & humilitatis gratiam multiplicat; qui neminem morbo ægrotantem ſuperbiæ aliiſque animi ægritudinibus laborantem non iuſto iudicio deſpicit; tuæ mentis inflationem & oculorum extollentiam hoc aduerſitatis genere tui miſerando perdomuit: quatenus & in te ſuperbè non ſaperes, & alios quoſque bonos vituperando negligere deſiſteres, caſtimoniæque ſanctitate & continentiæ laudabili deuotione de reliquo polleres. Hæc corporis particula, quam omnipotentis Dei iudicio & beneficio perdidiſti, quantum tibi nocuerat, ac nocere quandiu permanſit, non deſiſtebat, melius tuarum diminutio rerum, quàm mea poſsit monſtrare oratio, docet. Quidquid verè ſcientiæ tuæ venditione perorando præter quotidianum victum & vſum neceſſarium, ſicut relatione didici, adquirere poteras, in voraginem fornicariæ conſumptionis demergere non ceſſabas. Auara meretricum rapacitas cuncta tibi rapuerat. Nulla audierunt ſecula meretricē velle alteri miſereri, vel pepercisſe rebus appetitorum, quas quoquomodo auferre potuerunt. Videtur hoc probare tua profunda paupertas, qui nihil vt dicitur præter pannos ex tanto quæſtu habebas, cum his primum caſibus ſubjacuiſti fortunæ. Damnum quidem in hoc tempore tui corporis pertuliſti, & ſecundum ſeculi vanitatem te forſitan reputas aut reputari æſtimas viliorem: omnium infelicem æſtimationem & penitus à vera ratione deſtituram reputationem! Si verius quod iuſtum & bonum eſt perſcrutari tecum & ſolus ſtudioſa frequentique meditatione velles, poſtpoſita vanitate inuenires, quantum tibi aſſerat vtilitatis particularum iſta mutilatio. Primum quidem quod plurimas euaſiſti paſsiones, quibus frequenter quatiuntur qui tale aliquid minimé perdiderunt, & quibus nequaquam tenentur obnoxii, vt Phyſici affirmant, qui huius partis corporis priuatione ab omni felicitate ſe cecidiſſe ſtolidiſsimè putant. Deinde autem quod ardore libidinis & luxuriæ facibus, quo malo aliquando tanguntur etiam ſancti, nullam ex hoc iam niſi ſola cogitatione patieris vexationem, ſed extinctâ feralis flammâ incendii ad te redeas neceſſe eſt, mentemque quæ per multa & dulcia luxuriæ inſania vagabatur, in ſolidum recolligas. Iam poteris liber nullâ retractante libidine omnium vias cognoſcere rationum & cauſas quas aut parum, au- nihil percipiunt, qui per diuerſa libidinis incitamenta raptantur: adde quod pecunia tua, ſi quam tibi habere licuerit (non eſt enim Monachorum ſine licentia proprium quid habere) vexationi diſtrahentium non erit obnoxia. A modo incipies poſsidere, quod multis paulo ante diſtrahebatur euiſcerationibus. Hoc quoque magni exiſtimare debes, quod nulli ſuſpectus, ab omni hoſpite hoſpes tutiſsimè recipieris. Maritus vxoris violationem ex te vel lectuli concuſsionem minimé formidabit. Decentiſſimé ornatarum turmas Matronarum inuiolabiliter pertranſibis. Virginum choros in flore iuuentutis ſplendentium, quæ etiam ſenes

» iam calore carnis deſtitutos ſuis motibus in feruorem libidinis inflammare con-
» ſueuerunt, non timens earum inceſſus & laqueos, ſecurus & ſine peccato mira-
» beris. Sodomitarum ſecretos receſſus, quos deteſtatur ſuper omnes turpiſſimos
» Diuinæ Iuſtitiæ veritas & eorum turpia & maligna conſortia, quæ quidem ſem-
» per odiſti, de cætero te ſine intermiſſione vitare verum eſt. Et omnino poſt hos
» huius fragiliſſimæ fragilitatis fluxus, quod magnum Dei gratiæ munus in hoc
» ordine æſtimo, nocturnas ſomniorum illuſiones te minime ſentire ita certum
» eſt, ſicut certum eſt, quoniam voluntatem ſi forte aderit, nullus ſeque-
» tur effectus. Blandiciæ vxoris corporumque contactus, ſine quo vxor haberi
» non poteſt, ac liberorum cura ſingularis, quominus Deo placeas, minimè retar-
» dabunt. Quam magnum æſtimas bonum peccandi periculis te ſubſtrahi & in
» non peccandi ſecuritate conſtitui? Leoninam itaque Meretricum ferociam
» quam primum ad ſe introëuntibus oſtendunt ſerpentinæ deceptionis aſtu-
» tiam, captiuæ earum luxuriæ incontinentiam poteris vitare ſuperbus. Quod lo-
» quor, melius de reliquo rerum experientia es cogniturus, quàm verbis valeam
» explicare. Origenes ille cuius alta ſapientia vbique prædicatur & colitur præter
» hoc quod quædam errata minimè correxerit, referens tamen culpam in Ambro-
» ſium Diſcipulum vt dicit B. Hieronymus, qui clanculum edita ante tempus in
» lucem protulerit, ille inquam Origenes deuitans omnem libidinis ſuſpicionem,
» hac parte corporis ſe ſponte priuauit. Ioannes & Paulus, Protus & Hiacynthus
» aliique plures glorioſi Martyres gloria & honore in ſupercœleſtibus in præſentia
» Dei coronati in hac temporis breuitate gaudent genitalibus caruiſſe. Et beati
» ſunt qui propter Regnum Cœlorum ſe caſtrauerunt. Poteram fortaſſe plurima
» talium exempla ponere, ſed quæ dicta ſunt ſufficiunt. Ergo frater ne doleas, nec
» contriſteris, nec perturbatione huius incommodi quatiaris, præſertim cum hoc
» tam plures, vt dictum eſt, vtilitatis afferat fructus, & quod hoc modo factum eſt,
» ſemper & irreparabile permaneat & euulſum. Sit hoc tibi ſolamen aſſiduè, Quod
» redintegrari natura non patitur, Ieuius poteſt tolerari.

Fer & hæc, vt ait ille, *ſolatia tecum.*

Quoniam tempore huius diminutionis vel thorum violando, vel in aliquo fornicationis veneno minimè deprehenſus es. Membra quieti dederas & ſopori, nullique malum inferre parabas; cum ecce manus impietatis & ferramentum exitiale ſanguinem tuum innoxium gratis fundere non dubitauerunt. *Plangit ergo hoc tuum vulnus & damnum venerabilis Epiſcopi benignitas, qui quantum licuit, vacare iuſtitiæ ſtuduit. Plangit liberalium Canonicorum ac Nobilium Clericorum multitudo. Plangunt ciues ciuitatis hoc dedecus reputantes & dolentes ſuam vrbem tui ſanguinis effuſione violari. Quid ſingularum fœminarum referam planctum, quæ ſic hoc audito lachrymis more fœmineo ora rigarunt propter te militem ſuum, quem amiſerunt, ac ſi ſingulæ virum ſuum aut amicum ſorte belli reperiſſent extinctum? Tantus ergo omnium luctus extitit, vt melius mihi videaris te debere velle periiſſe, quàm ſeruaſſe quod periit.* Felix ſe neſcit amari. *Pene tota Ciuitas in tuo dolore contabuit. Habes arrham veræ dilectionis in te, quam ſi prius agnouiſſes, nullas meo iudicio diuitias illi comparabiles æſtimares.* Sed forſitan illo ſermone Prophetico mihi reſpondere contendes, *renuit conſolari anima mea.* **Non poſſum non dolere tam proboſo tactus incommodo:** quoniam hoc hominum genus ſuam ſolet ætatem adducere. Nudantur genæ poſt modicum ornamento pilorum & gloria cutis in facie in rugam contrahitur, pallor inconueniens confundit vultum, & qui me aliquando nouerunt, ex quo faciem meam viderint, ſtatim eſſe mutilum hac corporis parte ſunt cogniturі. *Exigam ergo mei vindictam dedecoris, & totum meæ pondus iniuriæ Romanis auribus intimare ſtudebo, & tam Epiſcopum quam Canonicos quoniam primum Iudicium de illo, qui in me mutilus extitit, mutare machinati ſunt, quantum potero perturbabo, ac tunc demum intelligent quam ſit contrarium honeſtati à rigore iuſtitiæ deuiaſſe. O miſerum valde conſilium & omni deſtitutum vtilitate! Nunquid non audiſti aliquando de Romanorum auaritia & impuritate? Quis vnquam ſuis potuit opibus meretricum voraginem ſatiare? quis potuit ſacculis cupiditatis earum ſufficere crumenis? Quantum ergo ratione colligo, nec tibi, nec Eccleſiæ tuæ hoc etiam cogitare ſalubre Conſilium eſſe dignoſcitur. Et plurimum Monaſterio tuo, cui addictus es, debes ſtudere prodeſſe potius quam obeſſe.* Quam plurimum te obeſſe, ſi hoc agere intenderis, nulli qui ſapiat, erit in incerto. Sub-

ſtantia tuæ rei ad viſitationem Romani Pontificis, cum aut modica ſit aut nulla, minimè ſufficit. Quid Palatinis morſibus obiectabis ? Parentum vel amicorum tuorum (omnes enim oderunt te propter te) rei familiaris ſubuentio vel aliorum in nullo miniſtrabit tibi. Reſtat ergo, vt ſi Romam expetieris, Monaſterij tui opibus, quæ res ei grande damnum extiterit, neceſſe eſt iter arripias. Quod ſi defecerit & iter tamen impleueris, incaſſum te ſudaſſe nulli dubitare fas eſt. *Quotquot enim noſtris temporibus ad illam ſedem ſine pondere pecuniæ acceſſerunt, perdita cauſa confuſi & reprobi abſceſſerunt.* Si proteruus extiteris & cauſam tuam inter eos exponere volueris, de te quidem commouebis riſum, iuſtitiam vero conſequeris nullam. Perdes itaque tanti laboris fructum & operam, & Eccleſiæ Pariſienſis Pontificem & Canonicos Monaſterio tuo & fratribus reddes acerbiſſimos & infeſtiſſimos inimicos. *Fruſtra autem niti* vt dicit Hiſtoricus, *& nil niſi odium acquirere extremæ dementiæ eſt.* Si de vindicta quereris, quam multum ſitit anima tua & deſiderat, noli continuo morderi dolore & tabeſcere; quia iam in maxima parte viſa eſt adimpleri. Nam Quidam illorum qui tibi nocuerunt, oculorum priuatione & genitalium abſciſſione mutilati ſunt. Ille autem qui perſe factum abnegat, iam ab omni poſſeſſione ſua bonorum ſuorum comportatione exturbatus eſt.

Noli ergo Canonicos vel Epiſcopum tui Sanguinis effuſores vel perditores vocare, qui propter te & propter ſe, quantum potuerunt, intenderunt. Sed audi conſilium bonum & veri amici conſolationem. Monachus es & ſanctæ Religionis habitum non inuitus & ſponte ſumpſiſti. Non igitur amplius tibi vindictam exigere licet, ſi in veritate vis tenere & amare, quod in huius nominis ſignificatione monſtratur contineri. Si vero odio habueris etiam inimicum, qui hoc opus fecit, nec odire deſinis, afferat aliud qui velit, ego confidenter aſſero veſtē quidem Chriſti portare potes, ſed ad nullam tibi vtilitatem proueniet. *Sequimini* inquit Apoſtolus *pacem cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Mihi vindicta*, dicit Dominus, *& ego retribuam.* Si vis eſſe perfectus, incipe Chriſtum perfectè diligere & vſque ad inimicum diligendum pertinges. Remitte minas & verba ampulloſa incaſſum effundere. Neque enim potes implere quod cupis. *Iniuria iniuſtè irrogata, non cui irrogatur, ſed ei qui irrogat infamia eſt.* Noli de cætero de amiſſa dolere felicitate, quam ſemper aduerſitatis incommoda proſequuntur. Si ergo in ſancto propoſito permanſeris vſque in finem nec defeceris, Chriſtus omnia quæ perdidiſti multipliciter & mirabiliter reformabit in glorificatione Corporum in futuro beatorum: ac tum demum *regula Dialecticorum falſa apparebit dicentium, in habitum nunquam poſſe redire priuationem.* Vale in Domino.

Ex hac Epiſtola tria intelligimus. Vnum eſt, quod Epiſcopus & Capitulum Pariſienſe de Fulcone & ſceleris participibus vindictam quantum in ipſis fuit, ſumpſerunt, non tamen omnino Abaëlardi deſiderio & expectationi ſatisfecerunt. Quam vero ſententiam tulerint, ex dictis intelligitur. Et hinc quoque patet Epiſcopum ſuum habuiſſe forum Eccleſiaſticum, iudiciumque in cauſis Academicis ſeu Scholaſticis exercuiſſe. Quod amplius infra patebit vbi de Stephano Epiſcopo & M. Galone ad an. 1132. agemus. Tunc autē Epiſcopus Pariſienſis erat Gerbertus ſeu Gilbertus vt ante dictum eſt, Bernerus Decanus, Adam Præcentor, Stephanus & Henricus Archidiaconi, Theobaldus vero Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarius.

Alterum, quod tum Romana Curia, vt & ante ſœpe, auaritiæ & rapacitatis famâ ita laborabat, vt nemo quantumuis innocens ſine pecuniæ largitione abſolui poſſet, nemo nocens & diues ſi ſacculos nummis plenos deferret, damnaretur: quod & Satyricè deſcribit Bernardus Cluniacenſis, quem aiunt circa an. 1058. floruiſſe.

Roma dat omnibus omnia dantibus : omnia Romæ
Cum pretio : quia Iuris ibi via, Ius perit omne.
Vt rota labitur, Ergo vocabitur hinc rota Roma,
Quæ ſolet vbere laude fragreſcere ſicuti aroma.
Roma nocens nocet, atque viam docet ipſa nocendi,
Iura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.

Sæpe Notarius eſt ibi carius emptus, vt illa
Quæ cupis exaret, & ſacra præparet ipſe ſigilla,
Si tua Nuncia præuenit vncia, ſurge, ſequaris.
Expete limina, nulla grauamina iam verearis
Quam ſapientia non valet, vncia dat tibi pacem.
Vncia fœderat, vncia temperat ore minacem.
Aurea lamina dat tibi lumina cæca Quiritum.
Oſtia peruia, verbaque Tullia, cor ſtabilitum.
Si datur vncia, ſtat prope gratia Pontificalis:
Sin procul hæc valet, hæc tibi lex manet & ſchola talis.

Tertium eſt, quod tũ Vniuerſitas Pariſienſis erat omnino celeberrima; ad quam nimirum ex toto orbe Chriſtiano Scholaſtici confluebant. Neque enim credendum eſt ad vnum Abaëlardum ex Italia, Germania, Sueuia, Dania, Hiſpania, Anglia, Flandria & ex aliis Nationibus excitos conuolaſſe ſcholares, ſed cum illi ad Academiam Pariſienſem conuenirent ſuis in locis ſcientiarum multiplicitate & docendi peritia prædicari ſolitam, Abaelardi ſcholam maximè frequentaſſe, tunc ſupra cæteras florentem.

Neque poſtquam Monachus factus eſt, deſtiterunt ſcholares ad eum accedere, ſuiſque precibus & importunis expoſtulationibus ab Adamo S. Dionyſij Abbate obtinuerunt, vt ei Scholas reſumere concederet. Itaque poſtquam Heloiſſa velata eſt atque à Gilberto Epiſcopo Pariſienſi Cœnòbio Argentolienſi mancipata, ille vero à vulnere conualuit, Abbate permittente in Cella quadam San-Dionyſiana ſcholam aperuit vt prius de Philoſophicis & Theologicis inſtitutionibus. Primum autẽ ipſe deſcribit quomodo vterque Monaſticum habitum ſumpſerint his verbis. *In tam miſera me contritione poſitum confuſio fateor pudoris potius quam deuotio conuerſionis ad Monaſticorum latibula Clauſtrorum compulit. Illâ tamen prius ad Imperium noſtrum ſponte velatâ & Monaſterium ingreſſâ. Ambo itaque ſimul ſacrum habitum ſuſcepimus; Ego quidem in Abbatia S. Dionyſii, illa in Monaſterio Argenteoli ſupradicto. Quæ quidem, memini cum eius adoleſcentiam à iugo Monaſtico regulæ tanquam intolerabili pœna plurimi fruſtra deterrerent ei compatientes, in illam Cornelię querimoniam inter lachrymas & ſingultum prout poterat, prorumpens ait.*

Abaëlardus Monachatus docere pergit.

—— O maxime Coniux
O Thalamis indigne meis! hoc iuris habebat
In tantum fortuna caput! cur impia nupſi
Si miſerum factura fui? nunc accipe pœnas
Sed quas ſponte luam.

Atque in his verbis ad altare mox properat & confeſtim ab Epiſcopo benedictum velum ad altare tulit & ſe Monaſticæ profeſſioni coram omnibus alligauit Non ſponte quidem, ſed iuſſu mariti, vt ipſa ad eum ſcribit. *Me Iuuenculam ad Monaſticæ conuerſationis aſperitatem non Religionis deuotio, ſed tua tantum pertraxit iuſſio.*

Deinde narrat Abaëlardus, quomodo Scholaſticam Profeſſionem reſumpſerit. *Vix autem de vulnere adhuc conualueram*, cum ad me confluentes Clerici tam
" ab Abbate noſtro, quàm à me ipſo continuis ſupplicationibus efflagitabantur,
" quatenus quod hucvſque pecuniæ vel laudis cupiditate egeram, nunc amore Dei
" operam ſtudio darem, attendens quod mihi fuerat à Domino talentum com-
" miſſum, ab ipſo eſſe cum vſuris exigendum & qui diuitibus huc vſque intende-
" ram, pauperibus erudiendis amodo ſtuderem.

Et paulo poſt. *Diu itaque illis inſtantibus* atque importunè pulſantibus, Abbate quoque noſtro & fratribus interuenientibus ad Cellam quandam receſſi ſcholis
" more ſolito vacaturus. Ad quas quidem tanta Scholarium multitudo confluxit,
" vt nec locus hoſpitiis nec terra ſufficeret alimentis. Vbi quod profeſſioni meæ
" conuenientius erat, ſacræ plurimum lectioni ſtudium intendens, Secularium ar-
" tium diſciplinam, quibus amplius aſſuetus fueram & quas à me plurimum requi-
" rebant, non pœnitus abieci, ſed de his quaſi hamum quendam fabricaui, quo
" illos philoſophico ſapore ineſcatos ad veræ Philoſophiæ lectionem attraherem,

ſicut & ſummum Chriſtianorum Philoſophorum Origenem conſueuiſſe hiſtoria meminit Eccleſiaſtica. Cum autem in Diuina ſcriptura non minorem mihi gratiam quàm in ſeculari Dominus contuliſſe videretur, cœperunt admodum ex vtraque lectione Scholæ noſtræ multiplicari & cæteræ omnes vehementer attenuari.

Notat autem idem Author tunc temporis Abbatiam illlam San-Dionyſianam fuiſſe valde diſſolutam, & tam Abbatem quàm Monachos licentiori vitæ fuiſſe tum dediticſſimos. *Erat*, inquit, *Abbatia illa noſtra, ad quam me contuleram, ſecularis admodum vitæ atque turpiſſimæ. Cuius Abbas ipſe quò cæteris prælatione maior, tantò vitâ deterior atque infamiâ notior erat. Quorum quidem intolerabiles ſpurcitias Ego frequenter atque vehementer modò publicè redarguens omnibus me ſupramodum oneroſum atque odioſum effeci. Qui ad quotidianam Diſcipulorum noſtrorum inſtantiam maximè gauiſi occaſionem nacti ſunt quâ me à ſe remouerent.*

Abbatiæ illius tunc Abbas & Rector erat Adam, de quo nihil tale vſpiam memini me legere. De eo Sugerius eius ſucceſſor ſemper honorificè loquitur. Paſchalis Papa paulò ante Abbatiam illam inuiſerat, de qua Galo Epiſcopus Pariſienſis conquerebatur quidem, ſed ob id tantùm quod ſuam detractaret authoritatem & Iuriſdictionem. Quinimo Adam qui ab an. 1099. Cœnobium regebat, pietatis operibus & officiis valde deditus fuiſſe videtur, magnamque pauperum curam habuiſſe; vt patet ex nonnullis Donationis Tabulis, quibus conſtat eum tempore famis magnas pauperibus eleemoſynas fuiſſe elargitum. Non eſt itaque facile credendum homini leui & inconſtanti, qui priſtinæ exiſtimationis memor ſuperbiam & faſtum nondum adhuc animo depoſuerat, quem alij ferre non poterant; aut qui ſuum illi infortunium improperabant, quod ipſi moleſtum & graue videbatur.

Neſcio quid tamen turbarum in Cœnobio illo accidit, ob quas Adam apud Ludouicum Regem accuſatus eſt: quale verò crimen ei fuerit impoſitum, non legi quod ſciam: ſed in eius gratiam Iuo Carnotenſis ad Regem ſcripſit hoc modo. *Dictum eſt mihi, quod ad ſuggeſtionem inimicorum Abbatem S. Dionyſij grauiter accuſatis, & teſtimonio cuiuſdam pſeudomonachi de obiecta ſibi falſitate infamare contenditis. Quod nec leges habent, nec Anteceſſorum veſtrorum Regum inſtituta permittunt, vt alicui de ſe confeſſo credi debeat ſuper crimen alienum. Vnde Excellentiæ veſtræ ſupplico, vt Maieſtati Regiæ primò conſulatis, & nobilis Monaſterij, quod cum omnibus ſibi appendentibus veſtræ voluntati obnoxium eſt, ne in aliquo iure minuatis, ſed potius beneficia quæ prædeceſſores veſtri eidem venerabili loco contulerunt, tanquam in propriam Eleemoſynam defendendo vendicetis. Et quia periculoſum eſt loca ſanctorum perturbare, militantes in ſanctis locis inquietare, ſalubre conſilium mihi viderctur, vt poſtpoſitis æmulorum inſimulationibus tales perſonas ad hanc diſcuſſionem inuitaretis, vel exſpectaretis qui ſine omni fuco malitiæ conſilium vobis darent, & veſtræ vtilitati & quieti Monaſterij ſalubriter prouiderent. In his autem omnibus det vobis Dominus ſpiritum conſilij, fortitudinis & pietatis.*

Eodem anno obiit clariſſimus ille Theologus Pariſienſis & Diuini verbi Concionator egregius **M. Robertus Arbricellenſis**, de quo iam plura diximus ſupra. Obiit autem 25. Feb. 5. fer. in Prioratu Vrſani Gall. *Orſan*, quò ad ſecuriorem ſolitudinem receſſerat: atque hinc corpus eius ad Fontebraldenſe monaſterium per Petronillam Abbatiſſam & Leodegarium Archiepiſcopum Bituricenſem, Roberti dum viuebat, amiciſſimum delatum eſt. Eius extremos vitæ actus & obitum deſcripſit F. Andreas Monachus Fontebraldenſis, qui eidem morienti adfuit & viaticum porrexit. Eius exequias celebrarunt idem Leodegarius, Radulphus Turonenſis Archiepiſcopus, Reginaldus Andegauenſis Præſul, Fulco Iunior Fulconis Andegauenſium Comitis filius & alij plures. Elogium eius funereum legitur quotannis in Martyrologio Fontebraldenſi, quod eſt eiuſmodi.

Eodem die in Biturica Patria apud Vrſanum præclara dormitio Reuerendi Domini Roberti de Arbruiſſel Doctoris Theologi, venerabilis Preſbyteri, ac Chariſſimi Patris noſtri, qui vir fuit Chriſtianiſſimus, ſanctæ Eccleſiæ Lucifer ſplendidus, & in ſancta prædicatione alter quodammodo Paulus. Redonenſis Diœceſis Prouinciæ Britannicæ fuit oriundus, fonteque cœleſtis doctrinæ fundi-tus repletus & in religione probabiliter fundatus, à primo lapide author Fon-

» tiſ-Ebraldi Baſilicam eiaſdemque Baſilicæ quamplures cellas fundauit, ædifica-
» uit, multiplicauitque & in eiſdem locis, Deo inſpirante, viros ac mulieres ad
» ſeruiendum Deo omnipotenti fideliter coadunauit; quos etiam dum adhuc vi-
» ueret, & ſanctorum Patrum exemplis & regulis omnique ſana doctrina verbo &
» exemplo ad plenum informauit. Hic fortis Athleta, verbi Domini fideliſſimus
» diſpenſator, dum ex more ſuo ad Exteras nationes prædicationis ſanctæ gratia
» procederet, apud prædictum locum, quem ipſe Deo fauente ædificauerat, qui
» Vrſamis dicitur, & abiturica Ciuitate duo de viginti milliaribus, hoc eſt 12.
» leucis defungitur vocante Deo, ſenex & plenus dierum viam vniuerſæ carnis
» ingreſſus eſt cœlo gaudente, terrâ plorante, glorioſo fine quieſcens corpus terræ
» ſpiritumque polo reddidit an. ab Incarn. Dom. 1117. Non conſentiunt tamen
» authores de anno quo Robertus obiit. Nam in Chronico Paruo Andega-
» uenſi legitur obiiſſe 5. Kal. Martij an. 1116. & in Chronico Malleacenſi ſi-
» militer 6. Kal. Martias eiuſdem anni: ſed facilis eſt conciliatio iſtorum Au-
» thorum cum Martyrologio Fontebraldenſi: ſi attendamus iuxta morem Galli-
» canum fuiſſe annum 1116. quia computabantur anni à Paſchate: more verò
» Romano fuiſſe annum 1117. quia iuxta illum annus à Kalendis Ianuarijs in-
» cipiebat. Sunt & qui Roberti vitam extendunt ad annum vſque 1120. ſed
» communis opinio eſt obiiſſe an. 1117. Eodem anno, quo Robertus vt habetur
» in Chronico Malleacenſi, obiit 7. Kal. Maij Bernardus Fundator Cœnobij
» Tironenſis in Pertico; eique ſucceſſit Hugo Monachus eiuſdem Cœnobij.

1118. Anno 1118. Paſchalis Papa obiit: cui legitimè ſuffectus eſt Ioannes Gaietanus Creſcentis Romani Filius: nomenque Gelaſij aſſumpſit: cui ab Imperatore Henrico Burdinus Quidam Hiſpanus Bracarenſis Archiepiſcopus Antipapa oppoſitus eſt nomine Gregorij VII. quamobrem Gelaſius inſidias veritus in Franciam more prædeceſſorum ſuorum fugit. Qua de re ſic habet Sugerius in vita Ludouici Groſſi. *Ea tempeſtate veneranda memoriæ ſummum Pontificem Paſchalem ab hac ad lucem perpetuam contigit demigrare. Cui cum de Ioanne Gaetano Cancellario Electione Canonicâ conſtitutus Papa Gelaſius ſucceſſiſſet, & cuiuſdam Burdini depoſiti. Bracarenſis Archiepiſcopi Imperatoris Henrici violentiâ in ſedem Apoſtolicam intruſi & populi Rom. conductitia infeſtatione intolerabiliter fatigaretur, & à ſancta ſede eorum tyrannide arceretur, ad tutelam & protectionem ſereniſſimi Regis Ludouici & Gallicanæ Eccleſiæ compaſſionem, ſicut antiquitus conſueuerunt, confugit.*

Initium Ordinis Præmonſtratenſis. Concilium habuit Remis circa mediam Quadrageſimam & de Imperatore queſtus eſt qui Burdinum excommunicatum Antipapam fecerat: ſed præuentus ægritudine nihil agere potuit. Ad eum Norbertus natione Teutonicus nudis pedibus acceſſit, mentiſque propoſitum pandens, ſeminandi vbique verbi Diuini poteſtatem accepit. Et anno ſequenti teſte Alberico Præmonſtratenſem Ordinem inſtituit, Eccleſiamque fundauit in agro Laudunenſi ſub Epiſcopo Bartholomæo, ad quam è ſchola M. Radulfi Laudunenſis 7. iuuenes Lotharingos, quos conuertit, deduxit: vt legitur apud Hermannum Monachum l. 3. c. 4. titulo QVOMODO PRÆMONSTRATENSIS ECCLESIA INCEPTA SIT. *Poſt paucos dies vir Dei Laudunum veniens*, inquit, *Scholam M. Radulfi, qui Germano ſuo M. Anſelmo defuncto ſucceſſerat, ingreditur, & Scholaſticis eius ſermonem exhortatorium faciens, protinus ſeptem ex eis ditiſſimos, qui nuper de Lotharingia venerant, conuertit & cum magna pecuniâ ad Eccleſiam ſuam duxit.* Anno 1126. ab Honorio Pontifice Ordinis ſui confirmationem accepit. Qui Ordo tempore conſequente Lutetiæ Collegium habuit illudque Scholaribus ſuis deſtinauit. Vnde inter Religioſos Ordines Vniuerſitatis Pariſienſis in ſolennibus Supplicationibus cum cæteris ab Apparitore ſeu Bidello appellantur.

Origo Templariorum. Circa hæc quoque tempora Templariorum originem notant Hiſtorici, qui Clericorum Regularium exemplo Chriſti ſe ſeruitio & militiæ manciparunt. Inſtitutores Ordinis duo fuerunt nobiliſſimi Equites, Hugo de Paganis & Godefridus de S. Audomaro. Qui cum non haberent domicilium, inquit Mathæus Pariſienſis, à Balduino Rege Hieroſolymorum locum in Palatio, quod ſecus Templum Domini ad Auſtralem habebat plagam, ad habitandum obtinuerunt. Canonici verò Domini plateam quam iuxta palatium prædictum habebant, conſtruendis officinis conceſſerunt. Patriarcha quoque & Rex cum

ſuis

ſuis Primoribus & aliis Eccleſiarum Prælatis de propriis Dominicis ſuis pro victu & veſtitu certa eis Beneficia contulerunt. Prima eorum profeſſio hæc fuit; vt in remiſſionem peccatorum ſuorum viar & itinera ad ſecuritatem Peregrinorum contra Latronum inſidias tutarentur, eaſque pro viribus eiuſmodi hominum fæce mundarent. Tandem poſt nouem annos in Concilio Trecis habito inſtituta eſt Regula, eiſque Habitus Albus ab Honorio Papa aſſignatus. Demum Eugenius Papa Cruces rubeas Palliis ſeu Mantellis eorum aſſui voluit, vt à cæteris poſſent commodius hoc ſigno diſcerni. Hæc ferè Mathæus Pariſienſis cum his quæ ſequuntur.

Numerus eorum in breui ita multiplicatus eſt, vt in Conuentu pluſquam 300. habeant Equites exceptis fratribus aliis, quorum numerus eſt infinitus. Poſſeſſiones verò tam citra quam vltra mare adeo immenſas habere dicuntur, vt iam non ſit in orbe Chriſtiano Prouincia, quæ eis bonorum ſuorum portionem non contulerit, & Regiis hodie diuitiis præſtantiores exiſtant. Qui quoniam iuxta Templum Domini manſionem habent, Fratres Militiæ Templi dicuntur. Et cum diu in honeſto ſtarent propoſito, nunc adeo profeſſionis ſuæ humilitate neglecta, Domino Patriarchæ, à quo Ordinis Inſtitutionem & prima beneficia ſuſceperant, ſe ſubſtraxerunt, & obedientiam & Eccleſiæ Dei decimas ſubtrahentes, facti ſunt omnibus valde moleſti. Tales iam erant Templarij tempore Mathæi Pariſienſis qui florebat circa an. 1250.

Eodem anno obiit Balduinus Rex Hieroſolymitanus, ſepultuſque eſt in Golgotha iuxta Godefridum Ducem Germanum ſuum. Cui Fulcherius Carnotenſis hoc inſcripſit Epitaphium.

Cum Rex iſte ruit, Francorum Gens pia fleuit,
Huius erat ſcutum, robur & auxilium.
Nam fuit arma ſuis, timor hoſtibus, hoſtis & illis,
Dux ſimilis patriæ, conſimilis Ioſuæ.
Achon, Cæſaream, Berytum nec ne Sidonem
Abſtulit infandis hoſtibus indigenis.
Poſt terras Arabum, vel quæ tangunt Mare rubrum,
Addidit Imperio, ſubdidit obſequio.
Et Tripolim cæpit, ſed & Arſuth non minus vrſit,
Pluraque præterea fecit honore rata.
Obtinuit Regnum Rex octo decemque per annos
Menſibus atque tribus inſuper appoſitis.
Sex decies Phœbus veruecis viſerat Aſtrum,
Cum Baldwinus Rex obit eximius.
Octies & decies faciens menſes duodenos
Regis habes annos, patrium quibus optimè rexit.

Ad eundem annum narrant ſcriptores Angli cruentum prælium in Normania commiſſum à Regibus Franciæ & Angliæ, quo nullum obſtinatius vnquam fuit; in eoque victos fuiſſe Francos, Ludouicum in fugam verſum, plurimoſque Regni optimates aut interfectos aut captos. Quæ victoria Normanis & Anglis animos addidit ſupra quam dici poſſit, audaces & inſolentes. Mathæus Pariſienſis hoc prælium commiſſum ait fuiſſe an. 1119. in eo Baldwinum Flandriæ Comitem grauiter vulneratum poſtmodum obiiſſe, eique Karolum Kanuti Danorum quondam Regis filium ipſius Balduini cognatum ſucceſſiſſe.

Anno 1119. mortuo apud Cluniacum Gelaſio Pontifice Wido ſeu Guido natione Burgundus, Viennenſis Archiepiſcopus *Imperialis & Regiæ celſitudinis deriuatiuâ conſanguinitate generoſus*, inquit Sugerius, à Cardinalibus qui tunc aderant, eligitur in ſucceſſorem Kalendis Februarij, nec minus vnanimi conſenſu ab alijs, qui cum Pſeudopapa Burdino Romæ remanſerant, optatur: adeo bonæ famæ erat apud omnes. Is Callixti II. nomen accepit, vir de Deo hominibuſque bene meritus, inquit Platina: Iuris Ciuilis & Theologiæ Doctor à Laziardo Cœleſtino appellatur. Ante omnia autem Toloſæ primùm, deinde Remis Concilium celebrat, menſe Octobri 12. Kal. Nouemb. Radulpho Viridi tunc ad- 1119.

huc ſedente in Cathedra Remenſi, cui Concilio interfuerunt, vt loquitur Ioannes Brompton, 414. *Perſonæ Paſtoralium Virgarum.* In eo proſcripti ſunt ab Eccleſia Simoniaci, qui pro ſepulturis, Chriſmate & oleo pretium exigebant. Imperatori Henrico anathema dictum, quod Eccleſiæ reconciliari nollet. Decretum quoque latum aduerſus vxoratos preſbyteros, & aduerſus eos qui dignitates Eccleſiaſticas aut vlla Beneficia à Laicis Principibus accipiebant. Habentur autem iſta Decreta apud Rogerium Houedenſem in Annalibus Anglicanis & in Chronico S. Petri Viui his verbis.

" Quæ SS. Patrum Sanctionibus de Simoniaca prauitate ſtabilita ſunt, nos " quoque iudicio S. Spiritus & authoritate Apoſtolicæ ſedis vnanimiter confirma- " mus. Si quis ergo vendiderit aut emerit vel per ſe vel per quamlibet ſubmiſſam " perſonam Epiſcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Preſby- " teratum, Archipreſbyteratum, Præbendam, altaria vel quælibet Eccleſiaſti- " ca Beneficia, promotiones, ordinationes, conſecrationes, Eccleſiarum de- " dicationes, Clericalem tonſuram, ſedes in Choro, aut quælibet Eccleſiaſtica " officia vendens, emens & dignitatis officij ſui & Beneficij periculo ſubia- " ceat.

" Quod niſi reſipuerit, anathematis mucrone perfoſſus, ab Eccleſia Dei quam " læſit, modis omnibus abſcindatur. Epiſcopatuum & Abbatiarũ inueſtituram per " manum Laïcam fieri penitus prohibemus. Quicunque igitur Laïcorum deinceps " inueſtire præſumpſerit, anathematis vltioni ſubiaceat. Porro qui inueſtitus fuerit " honore quo inueſtitus eſt, abſque vlla ſpe recuperationis omnimodo careat. Vni- " uerſas autem Eccleſiarum poſſeſſiones quæ liberalitate Regum, largitione Prin- " cipum, vel oblatione quorumlibet fidelium eis conceſſæ ſunt, inconcuſſas & in- " uiolatas in perpetuum permanere decernimus. Quod ſi quis eas abſtulerit, aut " poteſtate tyrannica detinuerit, iuxta illud B. Symmachi Capitulum anathemate " perpetuo feriatur.

" Nullus Epiſcopus, nullus preſbyter, nullus omnino de Clero Eccleſiaſticas " dignitates, vel Eccleſiarum Beneficia cuilibet quaſi iure hæreditario derelin- " quat. Illud adiicientes præcipimus, vt pro baptiſmatis, chriſmatis, olei ſacri & " ſepulturæ acceptione & infirmorum viſitatione vel vnctione nullum omnino pre- " tium exigatur.

" Preſbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, vxorum & Concubinarum contuber- " nio prorſus interdicimus. Si quit autem huiuſmodi reperti fuerint, Eccleſiaſticis " Officiis priuentur & beneficiis. Sanè autem ſi neque ſic immunditiam ſuam cor- " rexerint, communione careant Chriſtiana. Malè vero ſcribit Matheus Pariſien- " ſis in Concilio iſto damnatam fuiſſe Gilberti Porretani hæreſim à Calixto, quæ " longè poſt ab Eugenio damnata eſt, vt ſuo loco dicetur.

In eodem Concilio Ioannes Cremenſis pro Cluniacenſibus perorauit, eorum Priuilegia recenſuit, illud vero præſertim quo habent, vt Soli Romano Pontifici ſubiiciantur, queſtuſque eſt quod ea à Laïcis Principibus & Epiſcopis violarentur & infringerentur. Plurimum vero Poteſtatem Pontificiam extulit aſſumpto hoc argumento quod *nulla ſit ſuperior in terris*: quain re plurimorum aures & animos offendit, occaſionemque dedit & materiam ad diſputandum in ſcholis de Poteſtate ſummi Pontificis. Sic autem perorauit, vt legere eſt apud Ordericum.

" Ducenti & eo amplius anni ſunt, ex quo Cluniacenſis Eccleſia fundata eſt & " ab ipſo primordio fundationis ſuæ Rom. Papæ donata eſt, à quo vtilibus Priui- " legiis in Romana ſynodo coram multis arbitris diuerſæ dignitatis euidenter inſi- " gnita eſt. Ratum eſt & in Chartis inſertum legentibus liquidò pateſcit, quod Ge- " rardus Aquitanicus Cluniacenſe Cœnobium in Alodio ſuo conſtruxit, & illud " Romam pergens Rom. Pontifici deuotiſſimè commiſit, nec id fruſtra fieri voluit: " nam ipſe tunc 12. aureos Papæ obtulit & exinde totidem ſingulis annis dari decre- " uit. Præfata ergo Eccleſia nulli Principum ſeu Præſulum vſque nunc niſi Papæ " ſubiacuit. Deo largiter opitulante fundis & religioſis habitatoribus feliciter cre- " uit: vnde bonus odor laudabilis famæ longè lateque per orbem fragrauit exem- " plumque ſanctitatis pié quærentibus Diſciplinam ſalubriter exuberauit. Con- " uentus Monachorum ſecundum Regulam S. Patris Benedicti Abbatem eligit, le-

ctum Papæ cum litteris atteſtantibus dirigit, quem ipſe ſecundum Eccleſiaſticum morem conſecrat & benedicit. Omnis credentium multitudo credit ac perhibet, quod qui Apoſtolicæ ſedi iubente Deo præſidet, ligandi atque ſoluendi poteſtatem habet. Principis enim Apoſtolorum Petri Vicarius eſt cui diuinitus dictum eſt, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram adificabo Eccleſiam meam, & Porta inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolueris &c.* Ergo Apoſtolica ſedes cardo & caput omnium Eccleſiarum à Domino & non ab alio conſtituta eſt. Et ſicut Cardine oſtium regitur, ſic Apoſtolicæ ſedis authoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur. Ecce B. Petro conceſſum eſt à filio Dei, vt cæteris præemineret Apoſtolis. Vnde Cephas vocatur, quia caput & primus eſt omnium Apoſtolorum, & quod in Capite præceſſit, in membris ſequi conuenit. Quis ei reſiſtere poteſt, cui tanta poteſtas à Domino conceſſa eſt? quis audet ſoluere quod Petrus ligauit, ſiue ligare quem ipſe abſoluit? Igitur cum Cluniacenſis Abbatia ſoli Papæ ſubiiciatur, & ille qui præcipiente Deo in terris ſuper omnes eſt, ipſam patrocinetur, Romana authoritas Cluniacenſium Priuilegia corroborat, & in virtute Dei omnibus Eccleſiæ filiis imperat, nequis eos temerè priſtinâ libertate priuet, nec poſſeſſionibus olim habitis ſpoliet, nec inſolitis exactionibus prægrauet. In pace omnia poſſideant, vt quieti ſemper ſeruire Deo valeant.

Hæc Ioanne dicente, ſubiungit Ordericus, *plures Præſulum & aliorum qui confines illis erant tumultuati ſunt, nec ea quæ per Cardinalem conſtanter edita ſunt (quamuis aperte contradicere iuſſionibus Papæ non auderent) conceſſa ſunt. In altercationibus multifluæ iaculabantur ſententiæ abundanter emanantes de profundo fonte diuitis ſapientiæ. Sed omnia Concilij Geſta nequeo ſingillatim retexere.* Arguti Sophiſtæ *de multiplicibus Eccleſiæ negotiis ſubtiliter tractauerunt & multa ſtudioſis auditoribus documenta luculenter intimauerunt, Ibi Girardus Engoliſmenſis, Hato Viuarienſis, Gofridus Carnotenſis & Guillelmus Catalaunenſis Duces verbi præ cæteris innotuerunt, & dicacibus Scholaſticis atque feruidis amatoribus Sophiæ, inuidioſi enituerunt.*

Eidem Concilio interfuerunt Baldricus Dolenſis, Hildebertus Cenomanenſis, Radulfus cognomento Viridis Archiepiſcopus Remenſis cum multis Abbatibus & Monachorum ac Clericorũ multitudine. Sic amplificatâ & exaggeratâ Priuilegiorum Pontificiorum vi non illic tantum, ſed & iam ſœpè alibi ex quo Gregorius VII. Imperatorem ſibi ſubiecit, Monachi, qui eorum numero longè ſuperant ſeculares, audentius animos attollere cœperunt; & omnium primi Mauriniacenſes de Laicorum ſepulturis cum Canonicis Stampenſibus quæſtionem mouerunt magno æſtu vehementique animorum agitatione. Canonici auxilio & gratia Algrini Palatini Clerici Regalis & Stephani Cancellarij Regis, qui ambo Canonici Stampenſes erant, apud Miledunum, vbi tum Rex erat & cum Rege Archiepiſcopus Senonenſis, de Monachorum inſolentiâ conqueruntur, & cauſam obtinent, iuſſo Archiepiſcopo interdicere Monachis omni officio Sepulturæ: quamobrem Thomas tunc Mauriniacenſis Abbas ſic reſcripſit ad Archiep: vt legitur in Chronico.

Domino venerando & in Chriſto dilectiſſimo Patri D. Dei gratia Senonenſium Archiepiſcopo Thomas Mauriniacenſium Miniſter indignus ſalutem & debitam obedientiam. Legimus in litteris veſtris, quod apud Milodunum Canonici Stampenſes de nobis grauiſſimè conqueſti ſunt, quoniam Eccleſiam B. Mariæ & redditus Canonicorum quantum in nobis eſt, vt aiunt, omnino annulare ſatagimus & ſepulturam loci ipſius iam ad nos ex parte contraximus & etiam Parochiæ ipſius Eccleſiæ terminos occupauimus. Senſimus etiam Paternæ correctionis verba quæ licet grauiora ſint quàm vel cauſa vel perſona mea promeruiſſet, reuerſus tamen ad me cogitare ſtudui, quod pœnitentiæ locum in Eccleſia teneam, cœpique ruminare quod iuxta Salomonem *verba Sapientum ſunt quaſi claui in altum defixi.* Scribitur & infra puto ad conſilium dandum non ad incutiendum terrorem, Regem Ludouicum huic clamori interfuiſſe, qui fauet omnimodo partibus Clericorum & deteſtatur & improbat graues & intolerabiles impetus Monachorum. Monemurque vt in hac cauſa ita nos deinceps habeamus, ne fortè ſuper his quæ paulo ante tetigiſtis, Regis odium importabile incurramus. Ad hæc noſtra eſt

» hæc reſponſio breuis. Primum quidem quòd Canonici ſpretâ Senonenſis Eccle-
» ſiæ authoritate ad ſecularem Curiam fugiunt, Regem pecuniâ contra Priuile-
» gium Romanæ Eccleſiæ conducunt, contra Canones faciunt. Deinde men-
» daciter & impiè dicunt Sepulturam loci illius nos ex parte contraxiſſe,
» Parochiæ terminos occupaſſe. Nihil enim horum facimus. Scimus nam-
» que quàm deteſtabile malum ſit accipere ſepulturam & diuinarum ſcriptu-
» rarum eruditione & pauperum oppreſſione quos in vicinia noſtra & ſolum in
» Diœceſi veſtra videmus ad ſepulchra mortuorum plorare magis amiſſiones bono-
» rum quàm corpora defunctorum. Iuxta verò antiquam Eccleſiarum conſuetu-
» dinem, iuxta veſtram inſtitutionem (neque enim adhuc Romanæ dignitatis Pri-
» uilegium nominamus) ſciatis nos & ambulare & ambulaſſe. Quod ſi in aliquo fo-
» ret exceſſum, debuiſſem ab illis Canonicè pulſari, non ſic inaniter & de nullis
» adhuc coram Epiſcopis exclamari. Cæterum pace veſtra dixerim, veſtrum eſ-
» ſet ſi veſtræ Paternitati placuiſſet, contra latratus eorum qui ſe putant amittere
» quidquid nobis datur à fidelibus, baculum defenſionis opponere, tum propter
» paruulam ac nouiciam Mauriniacenſem Eccleſiam, quæ veſtra eſt & à veſtro de-
» ceſſore Piæ memoriæ R. fundata talibus initiis excreuit. Tum quia per priuatum
» ac fideliſſimum vobis Legatum eorum laqueos præueniens mandaueram, quod
» veſtro tota res penderet arbitrio. De Rege poſtremò quid dicam, didici præcepto
» primi paſtoris & Deum timere & Regem honorificare. Satis & illius & habuimus
» & habemus præter hoc negotium familiaritatem, & in multis ſi dici fas eſt, ei ne-
» ceſſarij fuimus. Sed quibus multotiens abducatur conſiliis, vos qui totius veſtræ
» regionis caput eſtis, experimento aliquando didiciſtis. Sed ne multis immorer,
» timeant eum qui diuitiis & deliciis ſuffocantur, vel ad vtilitatem proximorum
» Eccleſiaſticis honoribus occupantur. *Nam nos Chriſti pauperes ſumus.* Vulgare mi
» Domine, prouerbium eſt, *Nudus homo non poteſt exſpoliari.* Nemo timet amitte-
» re quod appetit ſponte ſua deſerere. Vt veritatem vobis pandam, ante mori pa-
» ratus ſum, quàm contra Priuilegium aliquid facere.

» Priuilegium iſtud non refertur in Chronico Mauriniacenſi, ſed ſupponitur re-
cens indultum à ſummo Pontifice Paſchale ex conceſſione Richerij & Daim-
berti Archiepiſcoporum Senonenſium. Ibi vero legitur ad an. 1120. à Calixto fuiſ-
ſe Mauriniacenſem Eccleſiam 5. non. Octob. dedicatam in honorem S. Trinita-
tis & S. Crucis, B. Virginis, BB. Apoſtolorum Petri & Pauli omniumque Sancto-
rum, eodemque menſe celebrato Remis Concilio Papam Romam profecturum
de Pariſius Corbolium adueniſſe ibique Canonicos conqueſtos *ſuorum Parochianorum corpora ſibi violenter auferri*, Papamque id Abbati ſignificaſſe *vt ſe præpararet, quatenus de talibus ante ipſum placitando ratio ventilaretur.* His ſubiungit Chronologiſtes. *Rurſus pœnæ, rurſus curæ, rurſus timores laboreſq; & tumultus oriuntur. Clerici latrabant, Rex eorum partes fouebat, Domnus Stephanus à Rege ſecundus inſtabat, Algrinus furebat. In itinere quoque quo die ſequente Ferrarias, quæ Regalis Abbatia eſt, tendebant, Domnus Stephanus apertiſſimè in contentionem atque certamen contra Abbatem exiuit. Terrores, minas, verbera potius quam verba multiplicauit. Ad hæc illius Complicumque ſuorum tota nitebatur intentio, vt ſi Regis, ſi Collateralium ſuorum amicitiam Abbas retinere voluiſſet, ipſe Priuilegium quod habebat, diſcinderet.*

Interim Papam vlterius progredientem comitatur Algrinus aſſumptiſque ſecum duobus Canonicis Simone Cantore & Philippo conatur reuocatoriâ Priuilegij Monaſtici ſententiam obtinere, & iactat ſe obtinuiſſe. Monachi nonnullos è Primoribus Ciuium Stampenſium ſibi demeritos Legatos ad Griſogonum Cardinalem Papæ Cancellarium & ad ipſum Papam mittunt nomine Ciuium, ſartum tectumque conſeruari quod Monachis indultum fuerat, Priuilegium poſtulantium. Litteræ ad Griſogonum tales ibidem leguntur.

» Griſogono Sanctæ Dei Rom. Eccleſiæ Diacono Cardinali ac Bibliothecario
» Thomas Mauriniacenſium Abbas ſalutem. Cum audiſſem Legatum Stampen-
» ſium procerum pergere ad D. papam, commiſi ſibi litteras in quibus & vos ſalu-
» tarem, & eorum hactenus inauditorum malorum, quæ circa nos aguntur, pau-
» ca vobis intimarem confiſus de promiſſa mihi amicitia veſtra; immo de ea chari-
» tate quæ nos ſub Capite vno in Corpore vno facit vnum, quod & iuſta & Ca-
» nonica diligatis, & ad ea corrigenda quæ dignitatem S. Romanæ Eccleſiæ ſau-

ciant, conſilium præbeatis. Feciſſem id libentius per me, ſed multis ex cauſis retentus ſum, ſperans & confidens in eo qui non deſerit ſperantes in ſe, vos in veſtra proſperitate deuotius & officioſius aliquando me viſurum. Canonici Quidam in vicinia noſtra, ſi tamen Canonici dicendi ſunt, qui irregulariter & turpiter viuunt, qui in templo Dei columbas & vendunt & emunt, qui de præbendis ſuis filios ſuos hæredes faciunt, qui de baptiſmate pretium, de mortuis ſepulturam violenter exigunt, dum eſſetis in partibus noſtris, Iudicium ſubterfugerunt, in diſceſſione veſtra ad auxilia quorundam, qui in Eccleſia illa & redditiuum & facinorum participes ſunt, confugerunt. *His Inuentoribus, quorum conſiliis Regnum Francorum turbatur & turpatur. Simplices aures Regis ſicut & in aliis multis deceperunt,* & à Domino noſtro ſi tamen id credi poteſt, Priuilegium quod nuſquam & nunquam auditum fuit, latenter (non audeo enim dicere qualiter ipſi dicunt) extorſerunt. Has inſidias & Dei & veſtro auxilio me putauerunt præueniſſe. Sed vt video, non eſt via hominis in manu eius, nec viri eſt vt dirigat greſſus ſuos. A Domino enim greſſus hominis diriguntur. Ipſi vero quod ad ignominiam Domini noſtri Papæ ſanctæque Rom. Eccleſiæ pertinet, Priuilegium ſe habere garrientes, ſolito nequiores effecti ſunt. Et contra patriũ morẽ, contra conſuetudinẽ omnium Eccleſiarum, contra Ius, contra Canones, contra Deum ſepulturas grauiores exigunt, & omnibus, vt alibi pro ſalute animæ ſuæ ſepeliri non poſſint, contradicunt. Dici non poteſt quantus hinc populi tumultus oriatur, quantæ nobilium querimoniæ, quanta conuicia, quantæ maledictiones. Scandalum hoc iam multa homicidia ſeminauit. Stupent & admirantur omnes à vobis, qui ſepulturam tam ſeuerè damnaſtis, tanti mali fomenta progredi potuiſſe. Non enim diuerſas ſicut ſe res habet, ſed penitus contrarias Canonici ſententias aſſeuerant; & quod ſolo auditu nefas eſt, Priuilegio Priuilegium contriuiſſe ſe iactitant.

Precor igitur Excellentiam tuam, vt ſubuenias animabus pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ne Princeps tenebrarum & prædo nocturnus eas rapiendi per vos inueniat occaſionem. Vt enim iuuarentur orationibus ſanctè ac regulariter viuentium, & ſua & amicorum Corpora non ſolum in loco noſtro, verum etiam & alia loca & temporibus noſtris & antequam locus noſter fundaretur, conſuetudinariè faciebant portari, liberè ſepeliri. Quod quam iuſtum ſit & ratio monſtrat & authoritas firmat & conſuetudo clamat. Exceptis autem his quæ de hac ſententia in promptu vos habere conſpexi, accipe quid hinc B. Auguſtinus ſentiat. Scribit enim ſic in libro de cura agenda pro mortuis ad Paulinum Nolanum Epiſcopum. *Si patenna, veſtis, & annulus ac ſi quid huiuſmodi tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes maior affectus eſt, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius quàm quælibet indumenta geſtamus. Quod ſi verum eſt, prof.ctò etiam prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum. Quoniam ſi nonnulla Religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliantur, attenditur.* Hæc Auguſtinus. Sollicitus igitur de ſalute animæ tuæ, fac vt Legatus iſte loquendi locum habeat, & ſuggere Domino noſtro, vt tam horrendo, tam peſſimo malo medicinam prouideat. **Miſereatur animarum earum, quæ ſe petierint adiuuari & non** potuerint adipiſci. Miſereatur pauperis Eccleſiæ, quam ipſe propria manu dedicauit; ad cuius oppreſſionem, imò deſtructionem tales machinas Diabolus fabricauit. Vale.

Quamobrẽ vero tam multa de Monachis, deque ſepulturis, quæ ad Vniuerſitatẽ pariſienſem non pertinent? imo pertinent: ſæpe enim mota eſt illa Quæſtio in Conuentu Academico, præſertim ex quo Mendicantium Ordines inſtituti ſunt: ſæpe quoque ab Epiſcopis in eam rem conſulta eſt Vniuerſitas, vt ex hiſtoria patebit. Cæterum non eget commento iſthæc Epiſtola: palam inuehuntur Monachi in eos qui primas in Regni adminiſtratione partes obtinebant, palam in ipſum Regem, quem ſimplicem appellant, hoc eſt *credulum* & *fatuum*, quia iuri quod ſibi contra morem Eccleſiæ aſſumebant, aduerſabatur. Nolunt quidquam exigi à Canonicis pro ſepulturis, & tamen pauperem ſuam Eccleſiam repręſentãt, quaſi eo adminiculo egeat, vt ſuſtentetur: quibus verbis neque ſe gratis ſepelire velle Laicorum defunctorum corpora ſatis declarant. Et cum de Richerio &

Daimberto Archiepiſcopis Senonenſibus loquuntur, illum huic præferunt, quia plus diligebat Eccleſiam ſuam, & quia Daimbertus inuitatus & rogatus confirmare Priuilegium à Richerio deceſſore conceſſum, dixerat. *Monachos impetuoſos atque rebelles Epiſcopis exiſtere.* Cæterum huiuſce litis deciſio ad Cononem Legatum Apoſtolicum Abbatis Thomæ amiciſſimum à Pontifice remiſſa eſt, vt ex eodem Chronico intelligitur.

Narrat idem Author ab ipſo Cononе, qui forte ad Cœnobium Mauriniacenſe diuerterat, quorundam bonorum Eccleſiaſticorum, quæ à ſecularibus numeratâ pecuniâ ipſi emerant, obtinuiſſe confirmationem, & quaſi à S. ſede Apoſtolica donationem; idque de conſilio Guillelmi Catalaunenſis Epiſcopi. *Mordebat* inquit, *Abbatis & aliorum quorumdam fratrum conſcientiam, quod Anteceſſores noſtri Eccleſias ac Decimas quaſdam non ſolum donis, verum etiam pecuniis acquiſierant. Neque enim tunc in initio ſcilicet Conſtitutionis huius Eccleſiæ quæſtio de Simonia ſic ventilata erat, ſicut poſterorum diligentiâ factum eſt. Sed ſi quid Eccleſiaſticum à Secularibus hominibus emeretur, non Emptio ſed Redemptio vocabatur. Sed cum diutius ſuperhac re titubaſſent, diuina prouidentia factum eſt, vt rurſus Dominus Cono Prenestinus Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus apud nos hoſpitandi gratia diuertiſſet, habens ſecum velut Auxiliatorem Magnum Willielmum Catalaunenſem Epiſcopum* QVI SVBLIMES SCHOLAS REXERAT, *& tunc Zelum Dei habens ſuper omnes Epiſcopos totius Galliæ* DIVINARVM SCRIPTVRARVM SCIENTIA FVLGEBAT. *Abbas igitur in manu Cardinalis omnia illa de quibus ſcrupulum habebat, reddidit, vt in eius diſpoſitione eſſet, quidquid inde facere voluiſſet. Die ſubſequente viri ſapientes & Eccleſiaſtici diſpenſatores ante præſentiam ſuam Abbatem vocauerunt, & vt ea de manu B. Petri acciperet, ſecurè in Abbatia Deo ſeruiret, per obedientiam iniunxerunt.*

Iſte Cono ſub Paſchale Pontifice an. 1115. Legatus fuerat in tribus Prouinciis conſtitutus Rothomagenſi, Senonenſi & Remenſi: & in iiſdem à Calixto II. cum eadem authoritate relictus. Vnus fuerat ex ipſius Electoribus, vt in Hiſtoria Vezeliacenſi legitur. Concilio Toloſano Idibus Iulij habito interfuit, primuſque poſt Calixtum ei ſubſcripſit. Adfuit quoque Mauriniacenſis Eccleſiæ dedicationi, & Concilio deinde Remenſi. Poſt abſceſſum verò Pontificis multas Synodos in Francia habuit, multaque ad Eccleſiæ tranquillitatem & pacem conſtituit Ludouici Regis gratiâ & fauore adiutus, cui acceptiſſimus erat.

1120. Anno 1120. idem Cono 4. Kal. Nouemb. celebrauit Concilium Bellouaci, ad quod Archiepiſcopos tres ſuæ legationis cum Suffraganeis inuitauit. Cui inter cæteros interfuit Guillelmus Campellenſis, tunc Epiſcopus Catalaunenſis, vt diſertè teſtatur Liſiardus Sueſſionenſis in vita Arnulfi deceſſoris ſui cap. 15. Vnde conuincuntur erroris illi, qui ſcribunt Guillelmum anno 1119. obiiſſe: paulo melius tabulæ M. S. Catalaunenſes, in quibus legitur Eccleſiam rexiſſe annos 7. menſes 6. cum regere inceperit an. 1113. eſt at verior ſententia eſt obiiſſe an. 1121. 8. Kal. Feb.

In eo Concilio actum eſt præcipuè de Apotheoſi, ſeu vt obtinuit loquendi **vſus, de Canonizatione B. Arnulfi Sueſſionenſis quondam Epiſcopi, viri mira**culis frequentibus clari ab an. 1080. procurantibus Lamberto Atrebatenſi & Liſiardo Sueſſionenſi Epiſcopis, viris quoque nominatiſſimis & tam litteris quàm pietate conſpicuis; quorum iſte ex Præpoſito Sueſſionenſi ad Epiſcopatum prouectus fuerat an. 1108. Ille autem de conſenſu Epiſcoporum, qui Concilio intererant, (inter quos nominat Guillelmum Catalaunenſem) Vitæ B. Arnulfi libellum quem compoſuerat, examinandum tradidit Magiſtris Scholarum, ex quorum relatione ſolennis facta eſt eiuſdem Apotheoſis. Qua de re ipſe ſcribit c. 15. quod eſt de Eleuatione corporis.

Hæc & alia ſuperne patriæ documenta poſtquam ad aures D. Lamberti, ſiue ad notitiam deuoti populi latius pernenerunt, idem Epiſcopus iniit Conſilium in Conſilio Beluacenſi 15. Kal. Nouemb. cum quibuſdam Coepiſcoporum ſuorum, quid facto opus eſſet ad tantam Dei magnitudinem. Intererant ibi Epiſcopi Vvillielmus Catalaunenſis *Columna Doctorum*, Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus, Daimberrus Senonenſis Archiepiſcopus. Et ego Liſiardus indignus Sueſſionenſis Epiſcopus. Abbatum, Archidiaconorum, Præpoſitorum & copioſa Cleri multitudo. Inter

cætero affuit ipſe Aldenbergenſis Abbas ferens in manibus libellum de vita & moribus miraculorumque geſtis ipſius S. Arnulfi, quem libellum Ego de manibus eius accipiens aperui & apertum obtuli Epiſcopis dicens Ecce, Domini, libellus ipſe qui me conſcio meque authore de vita eius conſcriptus eſt, cui quod vera ſunt omnia quæ narrat, teſtimonium in fide perhibeo, & de cuius miraculis & hic quoſdam & domi plures valde teſtes veraces adhibeo. Hunc libellum poſtulo à vobis diligẽter conſiderari, vtex eius notitia valeatis quid de illo agendum ſit, melius informari. Veſtra autem ſanctitas audiat iudicium meum. Quoniam ſi in Diœceſi mihi commiſſâ pauſaret, longum eſt quod in terra non iaceret. Tunc Vvillielmus Catalaunenſis Epiſcopus accepit libellum & inſpiciens à principio vidit numeroſitatem Capitulorum, & ait ad Epiſcopum Tornacenſem *Lambertum*, Domine quid amplius quæritis? abſque libello iſto ſufficit vobis teſtimonium D. Epiſcopi Sueſſionenſis & Clericorum eius, debet vobis magnam fiduciam præbere iſte talis Abbas cuiu & ætas ſuſpicienda eſt & prudentia bene placet. Libellum vero iſtum quia ſynodalibus negotiis occupamur, percurrere non vacat. Ioffredus (ſeu Gaufridus) Epiſcopus Carnotenſis ait, Domine Tornacenſis, dico vobis in veritate, ſi Dominus talia vel ſemel feciſſet circa aliquem Prædeceſſorũ meorum, ego nec Papã, nec Legatum, nec vel Archiepiſcopum conſulerem. Interim dum hæc ab Epiſcopis decernuntur, *Quidam nobiles Magiſtri Scholarum* acceperunt libellum & curſim perlegerunt quædam geſtorum capitula. Quidam ergo eorum concurrentes vbi erant Epiſcopi, cum magna conſtantia fatebantur *Reuera ex Deo non eſt, qui huius Sancti Exaltationi contrarius eſt.* Tunc Guillielmus Catalaunenſis Epiſcopus ait, Per Deum turpe eſt, quod de re tam aperta dubitamus. Vnde vos Domine Tornacenſis cum Domini gratia remota omni ambiguitate ſtatuite diem quo ad locum conueniatis & ſanctum Dei ſeruum de terra eleuando honorificè recondatis. Lambertus Epiſcopus ait, Ecce Legatus in hac ipſa Baſilica cum noſtro Archiepiſcopo Remenſi vel Turonenſi eminus reſidet, rogo vos placeat vobis ante illos venire & veſtram ſententiam illorum iudicio confirmare. Epiſcopi dixerunt, In nomine Domini fiat. Vt ventũ eſt, Lambertus Epiſcopus dixit Domino Catalaunenſi, Rogo agite cauſam meam. Cumque ille breui facundia ante Legatum & Archiepiſcopos cauſam explicuiſſet, tam Legatus Conon quàm & Remenſis Archiepiſcopus vnâ voce reſponderunt, Iudicium veſtræ authoritatis plenè ſuſcipimus & decretum veſtri conſenſus roboramus. Ita Epiſcopus Lambertus conuocans Abbatem deſignauit diem, quo Aldenborg conueniret, id eſt Kalendis Maii, & viri Dei Corpus ſanctum ex humo leuatum iuxta morem Gallicanæ Eccleſiæ ceu reuera ſanctum reponeret. Dedit etiam litteras cum ſigillo quibus omnem Tornacenſis Diœceſis populum ad tam ſanctum officium conuocaret.

Fama volans paſſim ſceleri currente meatu
Diuerſos populos has ſedes viſere fecit.

Ex his intelligimus 1. Guillielmum Catalaunenſem huic ſynodo interfuiſſe, ac proinde eos errare qui anno 1119. obiiſſe ſcribunt, verioremque eſſe Epocham tabularum S. Stephani & Alberici, quibus dicitur è viuis exceſſiſſe 8. Kal. Feb. an. 1121. 2. Morem Eccleſiæ Gallicanæ hunc obſeruari ſolitum in Apotheoſi ſeu conſecratione Sanctorum, vt poſtquam de eorum ſanctitate conſtiterat, corpora defunctorũ e tumulis in quibus recondita fuerant, eleuarentur, vt non iam terreni homines, ſed Angeli in cœlo conuerſantes iudicarentur: demumque in editiore loco & honorificentiore tumulo adſtante populorum multitudine reponerentur, ſicque vt Cælites venerandi proponerentur.

Porro quanti nominis fuerit Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus, vel ex ſolo Guiberti Abbatis Nouigentini teſtimonio liquet, cui nempe hiſtoriam Geſtorum Dei per Francos hocce tempore dedicauit; in Epiſtola autem Præliminari ſic eum alloquitur. *Patri & Domino S. Sueſſionis Eccleſiæ Epiſcopo Liſiardo Guibertus perpetuo ſuæ liberalitati debitor. Ratus ipſam per ſe claram* (hiſtoriam) *præclari hominis titulo poſſe fieri clariorem, ad te tandem appuli & operi ſui authoris notâ depreſſo iocundiſſimum luminare propoſui. Cum enim vetuſtiſſimæ nobilitati ſcientia litteralis, ſereni-*

tas ſpecialis, modeſtiáque moralis accederet, Deo iuſtè creditur Prouiſore diſpoſitum, vt tantæ reuerentiæ munus Pontificis dignitas honeſtaret. Sequens itaque ſchedula tuo amplectendo nomine inſloreret, quæ ad ſe quidem inconditos ſui, cui ſcribitur, amore condiatur, & officij quo præemines authoritate, firmetur.

Commendatur præcipuè Pontifex iſte à pietate, litteratura & nobilitate generis: erat e gente Creſpiaca oriundus, ex Præpoſito Sueſſionenſi factus an. 1108. Epiſcopus: obiit vero, vt legitur in Chronico Remenſi anno 1127. eique ſucceſſit Ioſlenus ſeu Goſlenus celeberrimus Magiſter Pariſienſis.

Summiſtarum origo. Eodem anno M. Hugo de S. Victore Magiſter quoque nominatiſſimus & primariæ notæ, habitus omnium Theologorum ſui temporis doctiſſimus librum edidit, quem *Summam ſententiarum* appellauit. Hinc *Summæ & ſummarum Theologicarum libri* dici & appellari cœpti: eiq; *Summiſtæ Theologi* ſuam originem & appellationem debent. Hunc nonnulli natione Saxonem fuiſſe prædicant; alij Lotharingum ad Scholas Pariſienſes iuxta morem ſuæ ætatis profectum. Vincentius Belloуacus eum vocat Hugonem Pariſienſem, S. Victoris Monachum, Religione & litterarum ſcientia clarum & in ſeptem liberalium Artium peritiâ nulli ſuo tempore ſecundum. Extant eius ſcripta Theologica magnæ apud omnes Theologos & Diuini Verbi præcones authoritatis. Chronicon digeſſit ab initio mundi ad annum incarnati verbi 1123. vel vt ſcribit Radulfus de Diceto in Abbreuationibus Chronicorum, ad an. 1128.

Extat ad eum elegans Epiſtola M. Guillielmi de Mauritania non ita pridem edita à Hugone Mathoud Monacho Benedictino in ſuis ad Robertum Pullum Annotationibus pag. 332. Eſt autem huiuſmodi qua eum reprehendit quod diceret animam Chriſti tantam habuiſſe ſcientiam, quantam ipſa Diuina natura habet.

„ Hvgoni S. Vigtoris Priori Guillielmus ſalutem. D. Arnulfus Sagienſis Ar-
„ chidiaconus narrauit nobis, quod de quadam quæſtione apud nos ante ventila-
„ ta vobiſcum tractauerat. Eſt autem hæc, vtrum anima quam in perſona Chriſti aſ-
„ ſumpſit Diuinitas, tantam penitus habeat ſcientiam & ſapientiã, quantam habet
„ Diuinitas, dixitque vos reſpondiſſe quod anima Chriſti tantam habeat de omni-
„ bus omnino notitiam, quantam habet Diuinitas. Adiecitque vos reſponſionem
„ veſtram authoritatibus & argumentis ſubtilibus ſatis ingeniosè confirmaſſe. Ego
„ autem, ſi fas eſſet à prudentia veſtra diſcrepare, contrariam ſententiam potius
„ eligerem. Arbitror animam illam quamuis omnium creaturarum digniſſimam,
„ tamen ad æqualitatem diuinæ ſapientiæ nullatenus peruenire, quod tali ratione
„ videtur comprobari. Chriſtus loquens ad Patrum ait. Vita æterna eſt cognoſce-
„ re te vnum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Liquet igitur vitam æter-
„ nam id. Summam beatitudinem maximè conſtare in notitia Trinitatis: apparet
„ etiam quod æqualem haberet anima Chriſti cum Diuinitate beatitudinem, ſi
„ æqualem haberet de Trinitate notitiam. Si enim haberet æqualem no-
„ titiam, non eſſet ratio cur non æqualem haberet charitatem & cætera in qui-
„ bus beatitudo conſiſtit, æqualia: quod etiam vos fortaſſe conceditis. Quis
„ autem audeat dicere animam illam ex quo fuit, æqualem cum Deo ha-
„ bere beatitudinem, cum in Deo nulla poſſit omnino eſſe eadem miſeria? cum
„ anima illa multis & magnis miſeriis fuerit implicita? De miſeriis enim huma-
„ næ naturæ quam aſſumpſit Diuinitas, ſic ait Propheta. *Ego ſum vermis & non homo,*
„ *opprobrium hominum & abiectio plebis.* Et alibi. *Tribulatio proxima eſt, & non eſt qui*
„ *adiuuet, Improperia improperantium mihi ceciderunt ſuper me.* Ipſe quoque Chriſtus.
„ *Turbata eſt anima mea.* Et quid dicam? Item. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Cũ
„ igitur conſtet animã Chriſti ante paſſionem fuiſſe miſeram, impoſſibile fuit, quòd
„ ipſa tum haberet æqualem cum Deo beatitudinem. Non enim poſſibile eſſet in
„ eadem anima ſimul eſſe miſeriam & ſummam Dei beatitudinem, quæ nequit
„ augeri vel minui Non igitur verum eſt animam Chriſti æqualem cũ Deo habe-
„ re S. Trinitatis notitiam & cætera in quibus beatitudo conſiſtit. Item hac alia
„ ratione. Liquet animam Chriſti minorem habere ſapientiam, quàm Diuinitatem,
„ cum ſapientia ſit magnum & ſpirituale bonum. Tunc, ſi anima habet æqualem
„ cum Deo ſapientiam, falſum erit in omni bono maiorem habere ſufficientiam
„ quàm eius Creaturam. Hoc autem non concordat rationi; ſicut enim creatura

non

non poteſt æquari Creatori, ita nec bonum vnius bono alterius, nec ſufficientia vnius ſufficientiæ alterius æquari poteſt. Non ſolum autem his rationibus confirmatur; Sed & authoritate Apoſtoli, qui ait, *Quis enim ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo nouit niſi ſpiritus Dei.* Nec moueant quicquam quædam verba Ambroſij dicentis animam Chriſti habere per gratiam omnia quæ Deus habet per naturam. Non enim hoc adeo generaliter exponendum eſt, vt dicant animo Chriſti iam eſſe prorſus omnia æqualia per gratiam quæ Deo conueniant per naturam. Hoc enim falſum eſſe nemo ignorat, cum Deus ſit æternus, carens principio & fine, anima vero exordium habeat ex tempore. Hæc igitur Ambroſius intellexit verbis illis affirmare, quod ſicut in Deo eſt ſufficientia bonorum omnium, ita fere eadem omnia bona ſunt in anima Chriſti, & abundant in ea præ cæteris creaturis: nec tamen abundant in ea & in Deo æqualiter. Simile genus locutionis alibi reperitur, quale illud. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et illud Apoſtoli: *omnia mihi licēt, ſed non omnia expediunt.* Si autem contra hoc quod aſſero animam maiorem habere ſapientiam & Deum maiorem opponat quis dicens, ex his ſequi quod perſona Chriſti duas habeat ſcientias, Reſpondeo quod non ſolum duas, ſed omnem ſcientiam habet conteſtante Apoſtolo *in eo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri ſunt abſconditi.* Vt autem ſuper his de quibus ago, ſenſum meum vobis breuiter aperiam, affirmo quod ſicut Chriſtus æqualis eſt Patri ſecundum Diuinam naturam, ita ſecundum eandem naturam omnia habet, quæcunque Pater habet & omnia eodem modo vt Pater. Sicut vero ſecundum hominem minor Patre eſt, ita ſecundum hominem minorem habet ſapientiam, ſicut & minorem potentiam. Nam ſecundum aſſumptum hominem nec creator eſt nec omnipotens. Nam cum Chriſtus ſecundum Diuinam naturam ſit Creator dicente Ioanne, *per ipſum omnia facta ſunt*, ipſe ſecundum hominem factus eſt ex tempore dicente Apoſtolo. *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum Carnem.* Hactenus ea intentione ſola ſcripſi vobis, vt ſi quid in eo quod ita ſentio vobis diſplicet, rationibus & authoritatibus me inſtruendo reſcribatis. Vale.

Hæc Guillielmus de Mauritania: ita enim eum vocat Matholdus, quem conſtat fuiſſe virum Theologum & hominem in ſacris Scripturis verſatiſſimum. Tunc autem vt videtur Scholas reliquerat, & vt veriſimile eſt, Eccleſiæ Sagienſis Clericus erat aut Canonicus, frequenterque cum Arnulfo Sagienſi Archidiacono, viro quoque doctiſſimo, qui deinde fuit Lexouienſis Epiſcopus, quæſtiones eiuſmodi agitabat. Ac ne quis illum cum M. Gualtero de Mauritania confundat, obſtare videtur ratio temporis: nam Gualterus tunc erat iunior, quàm vt eiuſmodi Tractatus ſublimes cum Hugone Victorino conferret: obiit enim ille Epiſcopus Laudunenſis an. 1174 niſi dicamus ipſum non hocce tempore, ſed circa an. 1135. Epiſtolam prædictam ſcripſiſſe: cum Hugo anno tantum 1139. obiiſſe legatur: & Arnulfus Archidiaconus Sagienſis fuerit ad annum ſaltem vſque 1142. quo factus eſt Epiſcopus Lexouienſis. Adde quod ſcripſit idem contra Abaëlardum, qui obiit an. 1142. & contra M. Albericum Remenſem, qui anno tantum 1136. factus eſt Archiepiſcopus Bituricenſis.

Eodem anno menſe Septembri Henricus I. Anglorum Rex rebus in Normania compoſitis in Angliam felici nauigatione reuertitur. At eius filij duo Willielmus & Richardus cum aliis nobilibus 140. conſcenſis nauibus non longè à portu ſubmerſi ſunt: tum Merlini Prophetia fecit fidem, quam ſupra retulimus. De hocce miſerabili naufragio ſic cecinit Quidam eiuſdem temporis Poëta.

Cum Normanigenæ Gallis clarè ſuperatis
Anglica Regna petunt, obſtitit ipſe Deus.
Namfragilis toruum dum percurrit mare cymba,
Intulit excito nebula denſa mari.
Dumque vagi cæco rapiuntur tramite nautæ,
Ruperunt imas abdita ſaxa rates.
Sic mare dum ſuperans tabulata per vltima ſepſit,
Merſit Rege ſatos, occidit orbis honos.

1121. *Synodus Sueſſion. Abaelardum habita.*

Eodem anno vel potius anno 1121. in ciuitate Sueſſione habita eſt Epiſcoporum Litteratorumque virorum frequens ſynodus Præſide Conone Apoſtolicæ ſedis Legato contra quoſdam Petri Abaëlardi errores, quos ille ſparſerat in ſcriptis, quoſque Diſcipulis ſuis dictauerat in Tractatu de Trinitate: inſtigantibus perpetuis eius aduerſariis & æmulis Alberico Remenſi & Lotulfo Lombardo Anſelmi Laudunenſis & Guillielmi Campellenſis olim primariis auditoribus & Sectatoribus, qui tunc ambo Remis adhuc ſcholas regebant, quique Petro gloriam ſuam inuidentes apud Radulfum Archiepiſcopum Remenſem & Cononem Legatum efficere nitebantur, vt ei authoritate Apoſtolica omnis litterarum profeſſio abrogaretur, ægre ferentes Scholas ſuas imminui & contemni, ipſius vero Auditorium Scholaſticorum frequentiâ redundare. Duo autem illi abſenti obiiciebant, vt ipſe ſcribit. *Quod ſcilicet propoſito Monachi valde eſſet contrarium ſecularium litterarum ſtudio detineri, & quod ſine Magiſtro ad Magiſterium Diuinæ lectionis accedere præſumpſiſſet.* Vt ſic videlicet omne illi *doctrinæ Scholaris exercitium interdiceretur: ad quod inceſſanter Epiſcopos, Archiepiſcopos, Abbates & quaſcunque poterant religioſi nominis perſonas incitabant.*

Obiter ex his intelligitur 1. Licet extra clauſtra nonnunquam docuiſſe legantur Monachi, non eis tamen docere licuiſſe liberales ſeu humaniores artes, ſed tantummodo Theologiam. Hoc enim illi obiiciebant aduerſarii, quod certe non erat moris neque conſuetudinis illius temporis: nec verò iure obiecissent, ſi cuilibet Monacho artes profiteri licuiſſet. 2. Nec licuiſſe cuilibet etiam Docto Theologiam profiteri, niſi ſe Theologiæ Magiſtros audiuiſſe teſtaretur. At Abaëlardus valde pauco tempore in Anſelmi Laudunenſis Schola Theologica demoratus, eâ ſtatim relictâ Theologiam ipſe docere publicè contra leges Academiæ præſumpſerat, Stephani Cancellarij aliorumque Magnatum & Curialium potentia & fauore fretus. Vnde omnium in ſe animos inuidiamque concitarat, ne dicam odium, quod fuit pene dum vixit, immortale.

Synodo verò dedit occaſionem Tractatus de Trinitate & vnitate Diuina, quem rogantibus Diſcipulis compoſuerat & dictauerat: quo in opere quæcunque aduerſus myſterium illud ineffabile dici poterant, tam humanis ratiocinationibus refellebat, quam Diuinæ Scripturæ authoritate; vnde pluribus præſertim curioſis vehementer placere cœperat. At aduerſarij, ſeu quia moleſtè ferebant famam ſuam minui, ſeque minus peritos, eruditos & doctos haberi; ſeu quia verebantur, ne ſi humanis ſubtilitatibus Diuina myſteria examinarentur, fides vileſceret, vt paulo ante acciderat in ſchiſmate Berengariano, ſynodum illam efflagitauerunt. *Æmuli mei*, inquit, ille *vehementer accenſi Concilium congregauerunt maximè duo illi antiqui Inſidiatores, Albericus ſcilicet & Lotulfus, qui iam defunctis eorum Magiſtris & noſtris, Guillielmo ſcilicet atque Anſelmo poſt eos quaſi regnare ſe ſolos appetebant, atque etiam ipſis tanquam hæredes ſuccedere. Cum autem vtrique Remis Scholas regerent, crebris ſuggeſtionibus Archiepiſcopum ſuum Radulphum aduerſum me commouerunt, vt adſcito Conone Preneſtino Epiſcopo qui tunc legatione fungebatur in Gallia, Conuenticulum quendam ſub nomine Concilij in Sueſſionenſi Ciuitate celebrarent, meque inuitarent quatenus illud opus clarum quod de Trinitate compoſueram, mecum afferrem, & factum eſt ita.*

Ex hoc loco intelligitur hanc ſynodum habitam fuiſſe poſt Beluacenſem: ſiquidem Beluacenſi interfuit Guillielmus Campellenſis tum Epiſcopus Catalaunenſis: in hac vero defunctum commemorat Abaëlardus. Iuſſus ergo ille ad ſynodum ire, in vitæ diſcrimen incidit. Sparſerant enim æmuli in vulgus tres illũ Deos aſſerere, propiuſq; nihil abfuit quàm vt in eũ & Diſcipulos eius lapidatio fieret à populo, exiſtimante ſe facturum Deo Sacrificium ſi hæreticum obrueret. At pacatis tandem animis ad Legatum admiſſus porrexit ille ſcripta ſua ſeu tractatum de Theologia, ſpondens ſe, ſi quid contra Catholicam fidem ſcripſiſſet, paratum corrigere. Legatus vero Radulfo Remenſi Archiepiſcopo & Magiſtris illis æmulis Alberico & Lotulfo examinandum tradidit, vt propoſitiones, ſi quas hæreticas inuenirent, notarent, cenſuræque ſubiicerent. Verum ſi fides homini pro ſe contra aduerſarios dicenti habenda eſt, cum nihil inuenirent cenſura dignum, viderentque ſe fabulam Concilij futuros, extremâ tandem Seſſione de Cenſura

libri retulerunt ad Prælatos, vt deliberationibus præcipitatis damnationem facilius impetrarent, reſpondendique facultatem adimerent. *Extrema vero die Concilij*, inquit, *priuſquam reſiderent, diu Legatus ille atque Archiepiſcopus cum æmulis meis & quibuſdam perſonis deliberare cœperunt, quid de me ipſo & libro meo ſtatueretur, pro quo maximè vocati fuerant. Et quoniam ex verbis meis aut ſcripto quod erat in præſenti non habebant quod in me pretenderent, omnibus aliquantulum confitentibus, aut iam mihi minus aperte detrahentibus, Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus qui cæteris Epiſcopis & religionis nomine & ſedis dignitate præcellebat, ita exorſus eſt.*

Noſtis Domini omnes qui adeſtis, Hominis huius Doctrinam qualiſcunque ſit, « eiuſque ingenium in quibuſcunque ſtuduerit, multos aſſectatores & ſequaces « habuiſſe, & Magiſtrorum tam ſuorũ quàm noſtrorũ famã maximè compreſſiſſe, « & quaſi eius vineã à mari vſq; ad mare palmites ſuos extendiſſe. Si hunc præiudi- « cio, quod non arbitror, grauaueritis, etiam ſi rectè multos vos offenſuros ſciatis, & « nõ deeſſe plurimos qui eum defendere velint, præſertim cum in præſenti ſcripto « nulla videamus, quæ aliquid obtineant apertæ calumniæ; & quia iuxta illud « Hieronymi ſemper in propatulo *Fortitudo æmulos habet, feriuntque ſummos Fulgura montes*, videte ne plus ei nominis conferatis in violenter agendo, & plus no- « bis criminis ex inuidia, quàm ei ex iuſtitia conquiramus. *Falſus enim rumor*, vt « prædictus Doctor meminit, *citò opprimitur, & vita poſterior iudicat de priore.* Si autem « Canonicè agere in eum diſponitis, dogma eius vel ſcriptum in medium proferatur; & interrogato liberè reſpondere liceat, vt conuictus vel confeſſus penitus ob- « muteſcat iuxta illam ſaltem B. Nicodemi ſententiam, qua Dominum ipſum li- « berare cupiens aiebat, *nunquid lex noſtra iudicat hominem vbi audierit ab ipſo & co-* « *gnouerit quid faciat?* «

Hæc Gaufridi verba non placuiſſe indicat Abaëlardus ſuis obtrectatoribus: exclamauerunt enim illi obſtrepentes & irridentes. *O ſapiens conſilium! vt contra eius verboſitatem contendemus, cuius argumentis in ſophiſmatibus vniuerſus obſiſtere mundus non poſſet!* Cum ergo videret Epiſcopus eos ſe non poſſe ad id quod propoſuerat, inducere, aliam viam modumque propoſuit: nimirum rem eſſe maioris momenti & longioris examinis, atque ad *diſcuſſionem tanta rei paucos qui aderant, non poſſe ſufficere, maioriſque examinis cauſam hanc indigere. In hocque vlterius tantum ſuum & ſe Conſilium, vt ad Abbatiam meam, hoc eſt ad Monaſterium S. Dionyſij Abbas meus qui aderat, me reduceret, ibique pluribus ac Doctioribus perſonis conuocatis diligentiori examine quid ſuper hoc faciendum eſſet, ſtatueretur.* Ex his verbis nemo eſt qui non intelligat ita ſenſiſſe Gaufridum Carnotenſem, vt in ſynodo Pariſienſi vbi plures adeſſe poſſent Magiſtri & doctiores, Abaëlardi Tractatus examinaretur & diſcuteretur.

Et certè huius viri authoritate rationibuſque permotus Legatus Concilium Sueſſionenſe re infecta dimiſiſſet, niſi concurrentes æmuli conclamaſſent ſatis eſſe ad damnationem iſtius Tractatus ſeu Libelli, quod ipſe author ſine vlla aut Pontificis Rom. aut Epiſcopi Pariſienſis authoritate docere præſumpſiſſet. Atque vt Radulfum Archiepiſcopum Remenſem ad ſuas partes adducerent, dicebant valde ignominioſum futurum ipſi, ſi ſineret cauſam iſtam ad forum aliud [illegible] retur, non amplius ipſum, ſed Archiepiſcopum Senonenſem præfuturum. *Tunc æmuli mei nihil ſe egiſſe cogitantes ſi extra Diœceſim ſuam hoc negotium ageretur, vbi videlicet iudicium exercere minimè valerent, qui ſcilicet de iuſtitia minus confidebant, Archiepiſcopo perſuaſerunt hoc ſibi valde ignominioſum eſſe, ſi ad aliam audientiam cauſa hæc transferretur, & periculoſum fieri ſi ſic euaderem. Et ſtatim ad Legatum concurrentes eius immutauerunt ſententiam & ad hoc inuitum pertraxerunt, vt Librum ſine vlla inquiſitione damnaret atque in conſpectu omnium ſtatim combureret, & me in alieno Monaſterio perenni clauſurâ cohiberet. Dicebant enim ad damnationem libelli ſatis hoc eſſe debere, Quod nec Romani Pontificis nec Eccleſiæ authoritate commendatus legere publicè præſumpſeram, atque ad tranſcribendum iam pluribus eum ipſe præſtitiſſem. Et hoc perutile futurum fidei Chriſtianæ, ſi exemplo mei multorum ſimilis præſumptio præueniretur.*

Ex his verbis conuincit Hemæreus nemini licuiſſe Theologiam publicè pro-

fiteri qui non ante eius profitendæ licentiam obtinuiſſet, quique nulla aut Pontificia aut Eccleſiaſtica Cancellarij Facultate commendatus Publicæ Profeſſionis nomen ac munus ſibi aſſumpſiſſet. Qua de re alibi diximus. Porro vocatus ad Concilium Abaëlardus nulla, vt ait, præuia interrogatione, ſine vllo Libelli examine, ſed hoc ſolo damnationis capite inuento, quod in eo ſcripſiſſet *Solum Deum Patrem omnipotentem eſſe*; iuſſus eſt manu propria librum prædictum de Trinitate in ignem coniicere & Symbolum Athanaſij recitare. Quod quidem inuitus & coactus inter ſuſpiria ſingultuſque fecit: tum in cuſtodiam Anſelmo S. Medardi Sueſſionenſis Abbati traditus. Sic ipſe rem narrat c. 10. *Vocatus ſtatim ad Concilium adfui, & ſine vllo diſcuſſionis examine me ipſum compulerunt propriâ manu librum memoratum meum in ignem proiicere. Et ſic combuſtus eſt. Vt tamen, cum nihil dicere viderentur, Quidam de aduerſariis meis id ſubmurmurauit, quod in libro ſcriptum deprehenderat,* SOLVM DEVM PATREM OMNIPOTENTEM ESSE. *Quod cum Legatus ſubintellexiſſet valde admirans ei reſpondit, hoc nec de puerulo aliquo credi debere, quod adeo erraret, cum communis, inquit, fides & teneat & profiteatur tres Omnipotentes eſſe. Quo audito Terricus quidam Scholarum Magiſter irridendo ſubintulit illud Athanaſij* ET TAMEN NON TRES OMNIPOTENTES, SED VNVS OMNIPOTENS.

Cum autem Archiepiſcopus ſententiam Legati confirmaſſet aiens reuera Patrem eſſe omnipotentem, omnipotentem Filiũ, omnipotentem Spiritum ſanctum, eoſque qui ſecus ſentirent, hæreticos eſſe cenſendos, exiſtimarunt neceſſe eſſe vt Abaëlardus ipſe ſuper his mentem aperiret, fidemque ſuam coram omnibus exponeret: ſed obſtantibus aduerſariis legit ſolummodo ſymbolum Athanaſij: quod vt potuit recitauit. *Inde*, inquit, *quaſi reus & conuictus Abbati S. Medardi qui aderat traditus, ad Clauſtrum eius tanquam ad carcerem trahor, ſtatimque Concilium ſoluitur.*

Eiuſdem Hiſtoriæ meminit Otho Frinſinghenſis lib. 1. de Geſtis Friderici I. c. 47. huiuſque calamitatis originem arceſſit à ſententiâ Nominalium, quam tenuiſſe ait Abaelardum primùm in Philoſophia, deinde in Theologia. *Sententiam ergo vocum ſeu nominum in naturali tenens facultate non cautè Theologiæ admiſcuit. Quare de S. Trinitate docens & ſcribens tres perſonas quas ſancta Eccleſia non vacua nomina tantum, ſed res diſtinctas ſuiſque proprietatibus diſcretas hactenus & piè credidit & fideliter docuit, nimis attenuans non bonis vſus exemplis inter cætera dixit:* Sicut eadem oratio eſt propoſitio, aſſumptio & concluſio, ita eſſentia eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus. *Ob hoc Sueſſionis Prouinciali contra eum Synodo ſub præſentia Romanæ ſedis Legati congregata, ab Egregiis viris & nominatis Magiſtris,* Alberico Remenſi & Leutaldo Nouarienſi *Sabellianus hæreticus iudicatus, libros quos ediderat, propria manu ab Epiſcopis igni dare coactus eſt nullâ ſibi reſpondendi facultate, eo quod diſceptandi in eo peritia ab omnibus ſuſpecta haberetur, conceſſâ. Hæc ſub Ludouico Seniore Francorum Rege facta ſunt.*

Durum id multis viſum eſt, quod homo doctus inauditâ causâ damnaretur; quod ad interrogata reſpondendi facultatem obtinere non potuiſſet, quodque nulli vnquam Hæretico, non ipſi Berengario denegatum fuerat, id ipſi denegatum fuiſſet, libertas ſcilicet explicandæ mentis. Imprimis verò moleſtè id tulit & grauiter Gaufridus Carnotenſis (quem cæteris Epiſcopis & religionis nomine & ſedis dignitate præcelluiſſe dicit) & quibus potuit rationibus afflictum ſolari conatus eſt, egreſſus eam ob rem e conſeſſu, vt quid in ipſum pararetur admoneret, patienterque ferre ſuaderet. *Quod cum*, inquit ille, *Carnotenſis præſenſiſſet Epiſcopus, ſtatim machinamenta hæc ad me retulit, & me vehementer hortatus eſt vt hoc tanto lenius tolerarem quanto violentius agere eos omnibus patebat. Atque hanc tam manifeſtæ inuidiæ violentiam eis plurimum obfuturam non dubitarem.* Imo qui damnationem iſtam procurauerant, vt ſe à multis reprehendi viderunt, à ſe quantum poterant, inuidiam facti amoliri curabant: aliuſque in alium culpam reiiciebat: quod ipſe quoque Abaëlardus teſtatur eadem Ep. c. 10. *Cum autem hoc tam crudeliter & inconſideratè factum omnes ad quos famâ delatum eſt, vehementer arguerent, ſinguli qui interfuerunt, à ſe culpam repellentes, in alios transfundebant: adeo vt ipſi quoque æmuli noſtri id conſilio ſuo factum eſſe denegarent, & Legatus coram omnibus inuidiam Francorum ſuper hoc maximè deteſtantur, qui ſtatim pœnitentiâ ductus poſt aliquot dies, cum ad tempus coactus ſatisfeciſſet illorum inuidiæ, me de alieno edu-*

ctum Monaſterio ad proprium remiſit ; vbi fere quotquot erant olim iam, vt ſupra memini, infeſtos habebam, cum eorum vitæ turpitudo & impudens conuerſatio me ſuſpectum penitus haberent, quem arguentem graniter ſuſtinerent.

Porrò quod ad Tractatum illum Theologicum attinet, quem modo *Opuſculum de fide S. Trinitatis*, modo *Theologiam ſuam*, *ſacræ eruditionis Summam*, communiter verò, *Introductionẽ ad Theologiam vocat*, diuiſit in 3. libros. Primus continet ſummam totius tractatus de Fide, Charitate & Sacramentis. 2. ſpecialius agit de Trinitate, & ad teſtimoniorum authoritatem intelligentiæ commendat rationem. 3. de Attributis, potentia ſapientia, & bonitate Dei, in quibus Trinitas conſiſtit. In Prologo verò ſic habet.

Scholarium noſtrorum petitioni, prout poſſumus ſatisfacientes, aliquam ſacræ eruditionis Summam, quaſi Diuinæ Scripturæ introductionem conſcripſimus. Cum enim à nobis plurima de Philoſophicis ſtudiis & ſecularium litterarum ſcriptis ſtudioſè legiſſent, & eis admodum lecta placuiſſent, viſum illis eſt vt multo facilius Diuinæ paginæ intelligentiam, ſiue ſacræ fidei rationes noſtrum penetraret ingenium, quàm Philoſophica abyſſi puteos, vt aiunt, exhauſiſſet. Addebant etiam nec me aliter Philoſophiæ curſum conſummare, nec ad eius peruenire metam, aut aliquem ex ea me fructum colligere, niſi eius ſtudium ad Deum, ad quem omnia referri conuenit, terminarem. Ad hoc quippe fidelibus Secularium Artium ſcripta & libros Gentilium legere permiſſum eſt, vt per eos locutionum & eloquentiæ generibus atque argumentationum modis aut naturis rerum præcognitis, quidquid ad intelligentiam vel decorem ſacræ Scripturæ ſiue ad defendendam vel aſtruẽdam veritatem eius pertinet, aſſequi valeamus. Quo enim fides noſtra id eſt Chriſtiana, inquiunt, difficilioribus implicita Quæſtionibus videtur & ab humana ratione longius abſiſtere, validioribus vtique munienda eſt rationum præſidiis ; maximè vero contra impugnationes eorum qui ſe Philoſophos profitentur. Quorum quanto ſublimior videtur inquiſitio, tanto difficilior ad ſoluendum & ad perturbandam fidei noſtræ ſimplicitatem facilior inuenitur. Ad has itaque diſſoluendas controuerſias cum me ſufficere arbitrarentur, quem quaſi ab ipſis cunabulis in Philoſophiæ ſtudiis ac præcipuè Dialecticæ, quæ omnium Magiſtra rationum videtur, conuerſatum ſciant, atque experimento, vt aiunt didicerint, vnanimiter poſtulant, ne talentum mihi à Domino commiſſum multiplicare differam. Quod cum vſuris vtrique diſtrictus ille atque horrendus Iudex, quando exigat, ignoratur. Addunt etiam noſtræ iam ætati & profeſſioni conuenire, vt ſicut mores & habitum, ita commutem & ſtudium & humanis diuina præferam volumina, qui ad Deum ſeculo relicto totum me iam transferre propoſui. Et qui olim ſtudium ad lucrandam pecuniam inſtitueram, nunc ad lucrandas animas hoc conuertam. Tale igitur fuit Conſilium Tractatus Theologici.

Contra hunc Tractatum è Pariſienſibus Magiſtris ſcripſit elegantiſſimè & modeſtiſſimè M. Gualterus de Mauritania, qui Canonicus, Decanus, poſtremo tandem Epiſcopus Laudunenſis fuit. Is igitur Epiſtola ad Petrum Abaelardum, quæ D. Lucæ Dacherij operâ prodiit in lucem & in 2. tomo *Spicilegij* legitur, ſic habet.

Magiſtro Petro Monacho Gualterus Salutem. Quidam Diſcipuli veſtri ſubtilitatem & ſapientiam veſtram, ſicut iuſtum eſt, latè & gloriosè prædicantes, affirmant inter cætera vos in tantum eſſe rimatum ſanctæ Trinitatis profunda myſteria, quod perfectè & ad plenum cognoſcatis, qualiter tres perſonæ ſint in vna diuina eſſentia, & in perſonarum pluralitate vnitas diuinæ eſſentiæ. Dicunt etiam quòd ad plenum diſſerere & aliis intimare ſoleatis qualitet à Patre ſit genitus Filius, & qualiter Spiritus S. procedat ab vtroque. Soletautem frequenter contingere quod Diſcipuli diſcordent à ſenſu Magiſtrorum, ſiue per imperitiam verba eorum male exponendo, ſiue ad oſtenſionem ſui aliquas nouitates inducendo, quas cauſa maioris authoritatis Magiſtris ſuis licet ignorantibus conſueuerunt adſcribere.

Gualteri de Mauritania Ep. contra Tractatum Abælardi.

Ego igitur hoc attendens, ea quæ ſupradiximus à Diſcipulis veſtris prædicari, nullarenus adſerberem vobis, niſi quod ad oculos noſtros peruenit, Pars prima cuiuſdam tractatus veſtri, quem librum Theologiæ appellatis : in qua parte ſatis confidenter de diſtinctione & proprietatibus perſonarum diſſerendo promittitis in parte poſteriori exponere modum generationis filij à Patre & proceſſionis S. Spiritus ab vtroque. Vbi etiam quædam legi, quæ à conſuetudine ſcriptorum

» Orthodoxorum diſcrepant, velut illud quod in Prologo poſuiſtis in hæc verba,
" *Summam quaſi Diuinæ Scripturæ Introductionem conſcripſimus, non nos tam ve-*
» *ritatem docere promittentes, quàm opinionis noſtræ ſenſum quem efflagitant, expo-*
» *nentes.* Hoc in Tractatu veſtro legi. Quis autem Orthodoxus de fide Ca-
» tholica tractaturus non veritatem ſed ſenſum opinionis ſuæ promittat exponere?
» Quis etiam audiens non veritatem, ſed opinionem promitti, fidem audeat ſe-
» quentibus adhibere? Quædam etiam ibi legi, quæ videntur à fide Catholica diſ-
» crepare. Vbi ſcilicet maiorem omnipotentiam eſſe Patris, & filij minorem vide-
» mini affirmare his verbis. *Si potentiam* tam ad naturam ſubſiſtendi quàm ad effi-
» caciam operationis referamus, inueniemus ad proprietatem perſonæ Patris ſpe-
» cialiter attinere potentiam, quæ non ſolum cum cæteris duabus perſonis æquè
» omnia efficere poteſt, verùm etiam ipſa ſola à ſe non ab altero exiſtere habet: &
» ſicut exſe habet exiſtere, ita etiam ex ſe habet poſſe. Cæteræ verò perſonæ ſicut
» ab ipſo Patre habent eſſe, ita & ab ipſo habent poſſe, quod volunt, efficere. Et
» poſt pauca. Per Filium quippe intelligimus Diuinam Sapientiam. Sapientia au-
» tem cùm ſit quædam potentia diſcernendi, ſcilicet quaſi quædam portio eſt
» diuinæ omnipotentiæ: Sicut quilibet filius quædam propria patris portio eſſe di-
» citur. Hæc verba in Tractatu veſtro legi. In quo etiam authoritate Martini Epiſ-
» copi conamini adſtruere quòd omnipotentia Patris conſiſtat in vtroque.

» Quis autem ex verbis veſtris diligenter attendens nequeat manifeſtè concipere
» quod omnipotentiam dicitis Patri conuenire, non ſolum in hoc quod omnia fa-
» cere poteſt, ſed inſuper in hoc quod ex ſe habet exiſtere & poſſe, non ab alio. Si
» vero in his duobus conſiſtit omnipotentia Patris, tunc nimirum Filius qui de
» alio eſt, cum altero de prædictis duobus careat, ideſt non à ſe eſſe vel poſſe habeat,
» ſed à patre, & alterum ſolummodo habeat id eſt poſſe quemcumque quodcum-
» que vult efficere, inæqualem & minorem habet potentiam: & ſicut verba veſtra
» teſtantur, partialem: velut cùm humana potentia, partim ex Diuinis, partim
» ex ſtrenuitate proueniat, profectò minoris eſt potentiæ, qui ſolas habet diuitias &
» maioris qui cum ſtrenuitate æquales poſſidet diuitias. Eſt autem nefas affirmare
» Patris maiorem & filij minorem eſſe potentiam, cum Patri ſit æqualis filius ve-
» ritate teſtante quæ ait, *Ego & Pater vnum ſumus.* Et Apoſtolo dicente, *Qui cum*
» *in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo.* Nunc autem in-
» terpoſitis his ad ea redeamus, de quibus cœpimus ſuperius.

» Inſpecto ſiquidem Tractatu veſtro, in quo proprietates perſonarum diſtinguere
» & generationem Filij & proceſſionem Spiritus exponere confidenter promittitis,
» cum promiſſiones veſtræ dictis Diſcipulorum veſtrorum conſonarent, fere com-
» pulſus ſum credere illius iactantiæ, vt non dicam veſaniæ originem à vobis pro-
» ceſſiſſe. Sed rurſus compellor non credere, cum ſapientiam veſtram & mode-
» ſtiam conſidero, quæ nollet aliquatenus à ſcriptis Canonicis deuiare, nec tantis
» & manifeſtis authoritatibus obuiare, quæ affirmant homines in hac vita non poſ-
» ſe peruenire ad perfectam & plenam S. Trinitatis notitiam. Vnde Dominus lo-
» quens Moyſi ait, Non videbit me homo & viuet. Et Ioannes. Deum nemo
» vidit vnquam. Ipſa quoque veritas S. Trinitatis perfectam notitiam non ad præ-
» ſentem ſed ad futuram vitam & æternam pertinere inſinuat dicens; *Vita æterna*
» *eſt cognoſcere te vnum Deum* & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

» Fortaſſe etiam vobis viſum eſt, ſicut etiam Diſcipuli veſtri teſtantur, cum
» quibus locutus ſum, quod iſtæ authoritates non remouent ab hac vita S. Trini-
» tatis perfectiſſimam notitiam id eſt ſcientiam, ſed perfectam delectationem de
» illa ſcientia prouenientem, quæ perfecta Dei notitia non pertinet ad hanc vi-
» tam; Sed ſolis Sanctis conuenit æternâ vita fruentibus: & fortaſſe prædictas au-
» thoritates ad veſtram ſententiam quoquomodo retorquere conamini, vt ſic ali-
» quo modo eas exponatis. *Nemo Deum vidit vnquam*, videlicet nemo habuit de
» viſione Dei perfectam delectationem. Verumtamen quàm abſurdum & ab
» omni vſu ſit remotum pro viſione delectationem exponere, ſatis nouit ve-
» ſtra diſcretio. Sed concedatur modo, vt prædictas authoritates tam abſur-
» dè, tam euidenter exponatis, nunquid tamen omnes alias ſimiliter expo-
» netis? Audite Clementem Petri Apoſtoli Succeſſorem falſitati quæ nobis im-
» ponitur, ita manifeſtè repugnantem. Vt nulla expoſitio quantumcunque violen-

ta prætexatæ falſitati Clementis verba valeat applicare, quæ ſunt eiuſmodi: Nec quæratur quomodo genuit Filium, quod Angeli neſciunt, & Prophetis eſt incognitum. Vnde illud dictum eſt, *Generationem eius quis enarrabit?* Quis ſecretam originem cum proprio filio ſuo nouit? ipſe ſolus qui genuit. Cùm itaque dicat Clemens Angelos neſcire genituram Filij à Patre, an de ipſa ſententia, vel de ipſa delectatione loquitur? Sancti quidem Angeli iam ad præſens habent eandem beatitudinem & delectationem, quam ſancti homines habituri ſunt in futuro. Reſtat igitur vt loquatur de perfectiſſima ſcientia illius genituræ. Sed ſi ad eam ſancti Angeli non aſcendunt, tunc profectò eſt incredibile vos ad illam perfectiſſimam ſcientiam peruenisſe, quod veſtri iactitant Diſcipuli. Nondum enim, vt opinor, perfectionem Angelicam tranſcendiſtis. Quòd ſi vobis Clemens non ſufficit, attendite Paulum Apoſtolum contra temeritatem illius iactantiæ, quam vobis imputant, apertè reclamantem, qui ait: *Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue ſcientia deſtruetur; ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Nonne Apoſtolus hîc apertè teſtatur ſe imperfectam habere ſcientiam? Si verò Apoſtolus imperfectam habuit, quid aliud eſt niſi furor manifeſtus, ſi quis ſe perfectam habere iactauerit? Verumtamen ne dicatis Apoſtolum habere ſcientiam imperfectam de rebus cæteris, perfectam autem de Deo, quæ tamen præ cæteris ſcientiis profunda eſt & inſcrutabilis, audite ſequentia verba Apoſtoli: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc facie ad faciem.* Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. His equidem verbis apertè inſinuat, ſe ad præſens imperfectè & obſcurè videre Deum, ſed in futuro ad perfectam & claram Dei notitiam perventurum, & ſicut à Deo eſt cognitus, ita in futuro ſe diuinam eſſentiam noſciturum. His auctoritatibus monſtratum eſſe arbitror homines adhuc humano more conuerſantes in corpore, quod adgrauat animam, ad perfectam Dei notitiam non poſſe peruenire.

Vt autem de incomprehenſibili natura Diuinæ maieſtatis deſcendam ad res inferiores, quæ ad eius comparationem nihil ſunt, quis hominum carnem fragilem adhuc gerens, naturam animæ propriæ, nedum alienæ, valeat perfectè cognoſcere? Quid enim occurrit animo contemplanti, & in rem incorpoream interiorem oculum figere volenti, niſi imagines corporeæ, quæ à ſpecie rei inuiſibilis penitus ſunt diuerſæ? Quis etiam animæ ſuæ varietates, & augmenta meritorum in bono vel in malo ad plenũ poteſt comprehendere? Prætereà quis adeò ſapiens eſt, vt ſui patris & ſuæ matris animas, poſtquam ſolutæ ſunt à corporibus, recognoſcere queat, & ab inuicem diſcernere, etiam ſi fortè eas præſentes adeſſe contigerit? Proinde vt adhuc deſcendam inferiùs, ſcilicet ad naturam corporis, nemo eſt ita peritus in mundana ſapientia vel diuina, qui omnes naturas proprij corporis, & cauſas varias morbi, ſanitatis plenariæ inueſtigare & cognoſcere valeat. Cùm igitur nemo de ipſis creaturis, & natura propriæ animæ & corporis perfectam habeat notitiam, quis audeat aſpirare ad comprehendendam ſanctæ Trinitatis maieſtatem, quæ exſuperat omnem ſenſum, & humanam rationem?

Poſtquam monſtratum eſt quòd ſumma & plena ſanctæ Trinitatis notitia ad hanc vitam temporalem minimè pertineat, conſequenter propoſui facere mentionem de quibuſdam locis Scripturæ, ex quibus forſitan videri poſſit illam ſummam ſanctæ Trinitatis notitiam ad vitam præſentem pertinere. Si quis itaque in mortali adhuc corpore poſitus ſe æſtimat ad eam peruenisſe exempli Pauli Apoſtoli, qui ad eam tunc peruenit quando raptus ad tertium cœlum audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui, quiſquis ille eſt, hoc attendat quòd nondum raptus eſt vſque ad tertium cœlum, verùm adhuc nobiſcum in terra moratur. Nec ideò credat aliquis hominem in hac vita ad perfectiſſimam Dei venire notitiam, quia ſcriptura dicit à Patribus antiquis Deum eſſe viſum, & Moyſi locutum, ſicut loquitur vicinus ad vicinum. Non enim de ipſo Deo, ſed de Angelis ſcriptura hoc aſſerit, quos ſibi loquentes ex perſona Dei Moyſes & reliqui Patres viderunt in aſſumptis corporibus. Si enim de ipſo Deo hoc ſcriptura diceret, quare Moyſes poſt multas viſiones & collocutiones oraret Dominum dicens: *Oſtende mihi gloriam tuam?* & quomodo reſponderet ei Dominus: Non pote-

» ris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet.
» Præterea in Euangelio inueniuntur quædam verba Domini, ex quibus non be-
» ne expoſitis fortaſſe poſſit intelligi, quod perfectiſſima Dei notitia hominibus in
» hac vita conueniat, velut illa in Euangelio Mathæi. *Nemo nouit Patrem niſi filius*
» *& cui voluerit filius reuelare.* Et illa in Euangelio Ioannis, *Tanto tempore vobiſcum ſum*
» *& non cognouiſtis me. Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Et alibi. *Omnia quæcunq;*
» *audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Poſſunt vero hæc verba Domini referri non ad
» præſentis vitæ notitiam, ſed ad eam quam habebunt ſancti in futuro, quando vi-
» debunt Deum facie ad faciem. Nec mirum ſi per hæc verba præteriti temporis
» Chriſtus agit de illis quæ ad futurum pertinent, cùm non ſolum Chriſtus, ſed &
» Prophetæ hoc frequenter facere ſoleant pro certitudine futuræ veritatis. Si au-
» tem ſuperiora verba ad notitiam vitæ præſentis referantur, quemadmodum &
» hæc alia, *Hæc eſt voluntas Patris vt omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vi-*
» *tam æternam*, proculdubio in eis agitur de imperfecta Dei notitia, in quâ nondum
» perfectè videmus Deum facie ad faciem, ſed per fidem obſcurè tanquam per ſpe-
» culum in ænigmate. Nec intelligendum eſt quod ſanctis in hac vita poſitis filius
» notificauerit omnia quæ audiuit à Patre ad futurum ſeculum pertinentia, ſed
» potius omnia quæ ſunt eis in præſenti neceſſaria, vt ſalutem conſequantur. Iuxta
» quem modum etiam illa verba Domini intelligenda ſunt. *Cum venerit ille ſpiri-*
» *tus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem.* Non enim ait omnem veritatem eo-
» rum quæ ad futurum ſeculum pertinent, ſed quæ in præſenti eſſent neceſſaria ad
» ſalutem aſſequendam. Hactenus determinaſſe ſufficiat ea loca ſcripturarum
» quæ malè intelligentibus videntur affirmare, quod ad homines huius vitæ perfe-
» ctiſſima Dei notitia pertineat.
» Hæc ſcripſi vobis non præſumens vos docere, qui in Diuina ſcriptura præ cæ-
» teris eminetis, ſed per litteras veſtras ſcire deſidero, ſi in notitia Dei vos im-
» perfectum eſſe creditis, aut ſi iam in hac vita ad ſummum eius augmentum vos
» perueniſſe confiditis. Hoc enim veſtri iactitant diſcipuli, quibus ſcripta veſtra
» videntur atteſtari. Præterea notificate mihi ſi adhuc creditis, quod Deus eſſen-
» tialiter non ſit in mundo vel alibi, & quod Angeli & animæ nuſquam ſint. Quod
» ſi bene memini, audiui vos fateri, quando nouiſſimè inuicem contulimus de
» quibuſdam ſententiis. Præterea apud nos ventilatum eſt veſtram affirmare ſa-
» pientiam, quod Chriſtus prædicando, laborando, ad extremum moriendo nihil
» meruerit, & quod nemo propter opera ſua bona vel mala, niſi pro ſola voluntа-
» te remunerari debeat vel puniri. Quid itaque de his ſentiatis, mihi breuiter reſ-
» cribite, & ſcribendo materiam vobis inuicem reſcribendi mihi præbete. Nec
» conuenit vt aliquam occaſionem pretendatis, quominus mihi reſcribatis, cum
» nullo alio modo tam quietè tam exquiſitè poſſit inueſtigari veritas; Sicut in reſ-
» cribendo de abſentibus ad abſentes. Qui enim ſcribunt ad abſentes, authorita-
» tes intuentur & in omnes apud ſe perſcrutantur ſine ira & diſceptatione, quæ ani-
» mos diſputantium & præſentialiter colloquentium frequenter ſolent commoue-
» re, & mentis oculum offuſcare. Præterea quod ſolo verbo à Diſputantibus pro-
» fertur, obliuione deletur. Sed è contra quod ſcribitur, memoriæ commendatur:
» & quæ pars præualeat, indicio ſcripturæ declaratur. De ſupradictis igitur mihi reſ-
» cribite, & quod in aure Diſcipulorum dicitis, ſuper tecta prædicate, ne incur-
» ratis reprehenſionem illius ſtultæ mulieris, quæ cum ſit inops panis & aquæ,
» prætereuntes tamen inuitat occultum panem & aquæ latentis dulcedinem at-
» tingere. Valete.

Ex his intelligitur prædictum M. Gualterum fuiſſe in Theologicis rebus verſa-tiſſimum & in fide Catholica conſtantiſſimum; atque idcirco omnis nouitatis in myſteriorum Diuinorum enarratione inimiciſſimum: nam eiuſdem extant ad alios quoſdam Magiſtros Epiſtolæ quibus eos reprehendit, quod ſingulares opiniones & in fide periculoſas haberent & ſuſtinerent: imprimis vero M. Guillielmum Monachum aientem effectum baptiſmi non conferri paruulo ab Hæreticis baptizato ante annos diſcretionis. M. Theodericum, qui cum Abaelardo negabat Eſſentiam Dei eſſe vbique: & M. Albericum Remenſem, quamuis inter Diſci-pulos Anſelmi Laudunenſis, quondam nominatiſſimum, qui negabat Chriſtum mortem timuiſſe aut fuiſſe verè contriſtatum. Placet haſce Epiſtolas noſtris An-

nalibus

nalibus inſerere, quas e tenebris eruit Dacherius & in lucem emiſit. Prior ad Theodericum eſt ciuſmodi.

Magiſtro Theoderico Gualterus ſalutem. Peruenit ad nos quod dicere ſoleatis eſſentiam Dei non vbique adeſſe. Quod de vobis credere non potui, cum plures authoritates tam veteris quam noui Teſtamenti Deum vbique præſentem & totum eſſe atteſtentur. Quia verò aſſerunt quidam imperiti, quod Deus vbique tantummodo potentialiter non eſſentialiter eſt, idcirco contra eorum errorem partim rationibus quas inuenire potui de natura Dei incomprehenſibili, partim authoritatibus confirmare propoſui. *Quod Deus eſſentialiter vbique ſit*, in multis locis ſcripturarum inuenitur. Quod Deus vbique præſens & totus eſt, nec æſtimo eſſe aliquem qui verbis iſtis contradicat. Si autem Deus vbique præſens & totus eſt, tunc non ſolum potentialiter vbique eſt, ſed etiam eius eſſentia vbique eſt. Non enim verum eſſet, Deum præſentem & totum vbique adeſſe, quia ſuam potentiam vbique exerceret, niſi etiam eius eſſentia vbique præſens eſſet. Sicut non eſt verum de aliquo Rege potentiſſimo quod vbique ſit præſens & totus in ſuis Ciuitatibus omnibus, quamuis voluntatem ſuam per totum Regnum ſuum potenter exerceat. Conſtat ergo quod eſſentia Dei vbique eſt, cum ipſe Deus vbique præſens & totus ſit. Si vero eſſentia Dei vbique eſt, tunc Deus eſſentialiter vbique eſt.

Præterea quicunque negant in multis & diuerſis locis eſſe Diuinam eſſentiam, hæc attendant. In vtero virginis conceptus eſt Dei filius, qui cum Patre idem eſt Deus, ibique humanitati quam aſſumpſit vnita eſt Diuina eſſentia, quod nemo ſanæ mentis denegabit. Conſtat itaque quod tunc in terra fuit Deus eſſentialiter, nec tamen à cœlo receſſerat Deus. Quod Romana Synodus confirmat his verbis, *Si quis dixerit quia in carne degens Dei filius cum eſſet in terra, in cœlo autem cum Patre non fuit, anathema ſit.* Sicut autem in cœlo eſſentialiter erat Dei filius, quando præſentia corporis aſsũpti & Diuinitatis in terra fuit, ſic quoq; in terra eſt præſẽtiâ Diuinitatis, cum in cœlo ſit ad dexteram Patris præſentiâ Corporis & Diuinitatis. Quod ipſe in Cœlum coram Apoſtolis aſcenſurus declarauit dicens, *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Quæ verba exponit Gregorius ſic. Verbum incarnatum manet & recedit; recedit corpore, manet diuinitate. De ipſo quoque Dei filio dicit Origenes. Verbum Dei vnigenitus vbique totus eſt & in Cœlo & in terra, & apud Patrem & in Virgine: & non diuiditur neque in partes efficitur, ſed totum totus tenet, totum implet. Cum autem conſtet Dei filium, qui eſt Deus, & vt dicam expreſſius, qui eſt ipſa Diuina eſſentia, in cœlo & in terra eſſentialiter fuiſſe vel eſſe in præſenti, quæ ratio eſt cur magis in illis mundi partibus eſſe concedatur quàm in aere & in mari? vbicunque autem eſt Dei filius, neceſſariò eſt Pater & Spiritus S. cum S. Trinitas tota ſit inſeparabilis.

Nec ſolum apparet ex præcedentibus vbique eſſe Diuinam eſſentiam, ſed etiam ex ſacris ſcripturis. Ipſe quippe Deus per os Prophetę ſic loquitur. *Cælum & terram ego impleo.* Et Dauid. *Si aſcendero in Cœlum, Tu illic es. Si aſcendero in infernum, ades.* Et Paulus in Actibus Apoſtolorum. *In quo viuimus, mouemur & ſumus.* Et Leo Papa: Cum ad conſiderandum Deum aciem mentis intendimus, diſcedat à corde quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur & quidquid nec ſemper nec vbique totum eſt. Auguſtinus. Vt eum amitteremus, non eius abſentia, qui vbique eſt, ſed noſtra fecit auerſio. Hieronymus. Nunquid localis eſt Deus, quia vbique eſt? Caſſiodorus. Adeſt per ineffabilem naturam ſuam vbique totus, cuncta penetrans & continens, nec more Creaturarum, vt alibi ſit & aliunde diſcedat.

Sufficiunt hęc ad confutandum errorẽ eorum qui Diuinam eſſentiam vbique adeſſe negant, & ad confirmandã contrariæ ſententię veritatẽ quam breuiter ſubnotaui. Deus eſt quędam eſſentia incorporea, indiuiſibilis, penitus ſimplex, quę proculdubio eſt in mundo quem creauit, dicente Euangeliſta: *In mundo erat & mundus eum non cognouit.* Nec aliqua eſt particula Mundi, in qua non ſit Diuinę Maieſtatis præſentia. Vnde liquet, quod omni Creaturę adeſt Deus eſſentialiter, & in ipſo eſt omnis Ceatura dicente Apoſtolo, *Ex quo omnia & per quem*

„ *omnia.* Licet autem ſit vbique id eſt in omni loco, non tamen in loco, ſed ſine
„ loco eſt. Vnde Auguſtinus: Intelligimus Deum, quantum poſſumus, ſine ſitu
„ preſentem, ſine loco vbique totum. Non igitur eſt localis, ſed incircunſcripti-
„ bilis, quia cum vbique ſit, in nullo loco incluſus continetur. Nec reperitur lo-
„ cus Canonicę ſcripturę, qui huic veritati contradicat. Si quis verò propter quo-
„ rundam locorum immunditiam abhorret credere, quod vbique ſit Deus,
„ ſciat quod ita preſentialiter omnibus locis adeſt, quod tamen nullam ex eorum
„ propinquitate contrahit maculam, nec ſuę glorię patitur detrimentum, dicen-
„ te Auguſtino, *Qui cum illo non eſt*, de quo dicitur: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es.*
„ *Si deſcendero in infernum ades.* Cum illo totum eſt, ſed non ſic eſt cum illo, vt ali-
„ quam ex his quæ creauit contagionem, aut eorum indigentiam patiatur. De
„ Diuina eſſentia quæ vbique eſt, iſta ſufficiant. Illos vero qui de Deo turpiter &
„ irriſorię loqui ſolent, moneo vt reſipiſcant. Si enim contra mortales dominos
„ proferre turpia non audemus, quanto magis cauendum eſt, ne de Deo turpia & ir-
„ riſoriè proferamus. Vale.

Contra M. Guillielmum Monachum, qui ſingularem quoque de Baptiſmo Paruulorum ab Hæreticis collato tuebatur & habebat opinionem, oſtendit effectum baptiſmi non pendere ab inæqualitate meritorum Miniſtri. Quis autem fuerit ille M. Guillielmus, non planè conſtat, cum multi fuerint hoc ſeculo Guillielmi Profeſſores. Nec conſtat anis cognomento, an Profeſſione Monachus diceretur. Forte is eſt M. Guillelmus S. Theoderici Abbas, qui cum Bernardo Clare-Vallenſi Abaëlardum diu & vehementer oppugnauit. Sic ergo Gualterus cum eo agit.

„ Magiſtro Guillelmo Monacho Gualterus de Mauritania ſalutem. Dixiſtis
„ quòd non credatis firmiter peccatorum remiſſionem conferri paruulis ante tem-
„ pus diſcretionis ab hæretico Chriſti baptiſmo baptizatis. Indubitanter verò
„ credendum eſt Chriſtum æqualiter in diſpenſatione ſuorum Sacramentorum
„ per quoſcumque miniſtros operari. Quis enim dubitet Hæreticum qui per igno-
„ rantiam ab Eccleſia ordinatur & Catholicum ſe eſſe ſimulat, in adminiſtratione
„ ſacramentorum æqualem Catholicis habere poteſtatem, cum ipſa veritas dicat:
„ *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæ dicunt facite, quæ autem*
„ *faciunt, facere nolite.* Quod non dixiſſet Dominus, niſi Phariſæi, quamuis
„ Chriſtum perſequentes, veritati non crederent, tamen eandem quam & Moy-
„ ſes haberent in ſacramentis poteſtatem. Iudas quoque fur & proditor inter Apo-
„ ſtolos poteſtatem dęmones expellendi, & morbos curandi & poſtea ligandi &
„ ſoluendi recepit à Domino. Nec legimus eum hanc amiſiſſe quandiu fuit cum
„ Domino, quamuis Dominum prodere moliretur. Caiphas quoque nequam Pon-
„ tifex cum tractaret de morte Domini, ex officio Pontificatus prophetauit. Sic
„ igitur cum occultus Hęreticus in Eccleſia ordinatur, & iuxta poteſtatem quam
„ in ordinatione ſuſcepit, & iuxta inſtitutionem Diuinam celebrat ſacramenta,
„ quis audeat affirmare ſacramenta ab Hęretico celebrata eſſe minus ſancta &
„ efficacia quàm ea quę fuerunt ab Apoſtolo Petro celebrata? alioquin veram
„ non haberent Scribę & Phariſęi ęqualem Moyſi poteſtatem.

„ **Prętereа hoc attendite: in ſacramentis Eccleſiaſticis qualeſcumque ſint mini-**
„ ſtri, ſolus Deus inuiſibile donum gratię ſpiritualiter operatur, non illi per quos
„ ſacramenta diſpenſantur. Quod Dominus in libro Numeri declarauit de Aaron
„ & filiis eius ſic dicens. *Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedi-*
„ *cam eis.* Sacramenta quoque ſolius Dei ſunt, non eorum per quos diſpenſantur.
„ Quis enim homo ſanę mentis audeat dicere, *Hic Baptiſmus meus, hæc Confirma-*
„ *tio mea.* Cum ergo ſacramenta ſolius Dei ſint, & talia, qualis eſt ille cuius ſunt,
„ non quales illi per quos adminiſtrantur, manifeſtum eſt Deum, qui totius ge-
„ neris author eſt, & largitor, eandem ſanctitatem & efficaciam ſuis conferre ſa-
„ cramentis & per ea æqualem præſtare gratiam baptizatis paruulis per quoſcun-
„ que miniſtros. Abſurdum eſt enim dicere quòd Chriſtus remiſſionę præſtet pa-
„ uulo per Petrum baptizato, & non ei quem ipſe Chriſtus baptiſmo ſuo baptizat
„ per Miniſterium Hæretici, vel etiam ipſius Iudæ Proditoris. Iam enim videtur
„ Miniſtri fides Chriſto ſuffragari, ſine qua nihil conferre poſſunt paruulis. Etiam
„ indubitanter prodeſſet vel noceret baptizatis baptiſmo Chriſti diuerſitas Bapti-

ſtarum, ita vt meliùs eſſent baptizati per Baptiſtam fidelem & peius per infidelem, etiam illi qui eſſent à fidelibus baptizati non irrationabiliter præſumendo de fide & ſanctitate ſuorum Baptiſtarum dicere poſſent, *Ego ſum Apollo, Ego Cephæ*. Sed de tali præſumptione Corinthios reprehendit Apoſtolus.

Fateamur igitur æqualiter inundari paruulos Chriſti baptiſmo, per quoſcumque miniſtros baptiſatos. Ait enim Auguſtinus: Quos baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit. Non timeo adulterum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, *Hic eſt qui baptizat*. Nicolaus quoque ad conſulta Bulgarorum ſic dicit: A quonam neſcitis, vtrum Chriſtiano an Pagano multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde agendum ſit, conſulitis. Hi profecto ſi in nomine S. Trinitatis baptizati ſunt, vnum quippe & idem eſt ſicut exponit Ambroſius. Præterea quod per quemque baptiſtam baptiſmo Chriſti baptizantem conferat dona ſuæ gratiæ ſpiritus S. niſi infidelitas vel alia baptizati peruerſitas impediat, teſtatur Iſidorus dicens: Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet paganus ſit, qui baptizat. Nec vos moueat quod Simoni Mago à Philippo baptizato nihil profuit baptiſmus Chriſti & Paulo ab Anania baptizato profuit. Nec ideo dicatis Deum inæqualiter per diuerſos Miniſtros in ſacramentis ſuis operari. Non enim ideo dicimus Deum in baptiſmo ſuo per quoſcunq; Miniſtros celebrato æqualiter operari, quod omnes baptizati veniam peccatorum inde conſequantur, ſed quia in ſimilibus perſonis baptizatis per quoſlibet Miniſtros æqualiter operetur Spiritus S. Iuſtis ſcilicet qui baptizantur, gratiam conferendo tam per malos quam per bonos, iniuſtis autem omnibus gratiam ſubtrahendo tam his qui à Catholicis ſacerdotibus, quàm eis qui ab Hæreticis baptizantur. Inueniuntur tamen nonnullæ authoritates Rom. Pontificum qui videntur aſſerere quod baptiſmus Chriſti per Hæreticos conſecutus nihil conferat baptizatis. Quibus ſuperſedendum iudicaui, cum prædictæ authoritates magis conſentiant rationi. Vale.

Denique idem Gualterus M. Albericum Remenſem præcipuum & capitaliſſimum Abaëlardi æmulum & inimicum, aſſerentem Chriſtum non timuiſſe mortem, nec verè fuiſſe contriſtatum, fortiſſimis rationibus authoritatibuſque confutat hac Epiſtola.

Magiſtro Alberico Gualterus ſalutem. Aſſeritis vt Quidam dicunt, Saluatorem noſtrum nullo modo timuiſſe mortem nec eſſe contriſtatum imminente ſua paſſione, nec eſſe turbatum. Quia vero in hoc à vobis diſſentio, quid inde credam, vobis explanare propoſui: vt ſi à veritate deuio, à vobis corrigar cum amore. Credo Dominum Chriſtum, qui vt ait Leo in ſe ſuſcepit omnia infirmitatis noſtræ præter peccatum, timuiſſe mortem & eſſe contriſtatum & conturbatum. Ipſe enim dicit, *Anima mea turbata eſt valde*. Et quid dicam? In reſurrectione quoque Lazari, fremuit ſpiritu & turbauit ſemetipſum. Hieronymus ſic ait. *Cor meum conturbatum eſt*, ideſt ſecundum hominem, ſed diuina virtute confirmatum & confortatum eſt. Nam & Euangeliſta inquit: *Angelus aſcendens confortabat eum.*

Liquet his authoritatibus Dominum conturbationis moleſtiam ſuſcepiſſe, nec tamen credimus ex ipſa conturbatione eum aliquam peccati maculam contraxiſſe, nec obliuionis defectum incurriſſe. Quod autem contriſtatus ſit, Mathæus inſinuat dicens, Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, ipſeque ait *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem* Et B. Ambroſius de infirmitate Chriſti loquens ait, *Triſtitiam prædico*. Et Auguſtinus. Triſtitiam ſic aſſumpſit quomodo Carnem. Si enim non fuit triſtis, cum Euangelium dicat, *Triſtis eſt anima mea*. Ergo quando dicit, dormiuit Ieſus, non dormiuit Ieſus. Ergo triſtis fuit, ſed voluntate triſtitiam ſuſcepit veram. Et Hilarius: Non erat ſine perturbatione, qui infirmitatem & triſtitiam fatebatur. Et Leo Papa de Chriſto, Nec quia in illo omnia erant plena ſacramentis, ideo aut falſis lachrimis fleuit, aut mendaci eſurie cibum ſumpſit; in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro dolore eſt Crucifixus. Nec moueant vos verba Hieronymi, quibus videtur affirmare Dominum non eſſe contriſtatum, quæ ſunt hæc: *Ne Paſſio in illius animo dominaretur, propter paſſionem cœpit contriſtari*. Aliud eſt enim contriſtari, aliud incipere contriſtari. Sic Hieronymus.

» Sed ſciendum eſt, quod quamuis hoc dixerit, non tamen triſtitiam ab eo ſepara-
» uit, ſed eum contriſtatum verbis ſequentibus affirmauit; addidit enim, Cõtriſta-
» batur propter infeliciſſimum Iudam & ſcandalum Apoſtolorum. Nos igitur tot
» apertis teſtimoniis Euangelij & Sanctorum Patrum fidem adhibentes credi-
» mus Saluatorem noſtrum eſſe contriſtatum & conturbatum, nec aliquas autho-
» ritates reperimus, quæ apertè contradicere huic veritati videantur.

» De Timore autem Domini diuerſas & quaſi contrarias authoritates inuenimus;
» quarum quædam videntur timorem Domini aſſerere, aliæ remouere. Nam quod
» Dominus timuerit, inſinuat Euangeliſta dicens, cœpit pauere & tædere. Hie-
» ronymus quoque ex perſona Domini ſic ait, Timor & tremor venerunt ſuper me.
» Timor animi & tremor corporis. Hilarius verò ſuper illum verſum, *Inſuper &*
» *vſque ad mortem increpuerunt renes mei*, ſic ait, ſi alibi Dauid ait, Mortis me-
» tus cecidit ſuper me & operuerunt me tenebræ, rectè hæc tenebra ex timore
» mortis veniens, quam nimiam fuiſſe in filio Dei non conuenit, nec nox ſed qua-
» ſi nox appellatur. Beatus quoque Leo de Chriſto ſic ait, per omnia incrementa
» corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit non ſine fletu miſera-
» tionis, non ſine pauore fortitudinis. Hæ ergo authoritates manifeſtè indicant Sal-
» uatorem ex veritate aſſumptæ humanitatis timuiſſe.

» Inueniuntur autem aliæ ſiue prædictorum ſiue aliorum authorum, quæ viden-
» tur ab eo timorem paſſionis penitus remouere. B. Hieronymus ſic ait. Erubeſ-
» cant qui putant Saluatorem timuiſſe mortem & paſſionis pauore dixiſſe, *Pater ſi*
» *fieri poteſt, tranſeat à me Calix iſte*: poſt biduum tradendum ſe vt crucifigeretur, no-
» uit, & tamen non trepidus fugit in tantum vt cæteris ire nolentibus pergat intre-
» pidus B. etiam Auguſtinus infirmos in ſe præſignans ait, *Tranſeat à me Calix iſte.*
» Non enim timebat Dominus pati tertia die reſurrecturus, cum arderet Pau-
» lus diſſolui & eſſe cum Chriſto. Beda quoque ſic ait, Transferri à ſe Calicem po-
» ſtulat, non quidem timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illo bi-
» bat calicem propinatum. Hæ poſteriores authoritates affirmant Chriſtum Do-
» minum mortem non timuiſſe & prioribus videntur repugnare. Vnde Quidam ar-
» bitrantes has ſuperioribus eſſe contrarias, diuerſa ſenti ũt: alij autem credunt Do-
» minum timuiſſe. Ego autem æſtimo has omnes authoritates veras eſſe, & licet
» verbis diſſentire videantur, in ſenſu tamen non arbitror diſſentire ſed potius cre-
» do eas ſecundum vſum loquendi prolatas & de diuerſis timoribus agere, & nil ni-
» ſi quod verum ſit, affirmare.

» Dicendum ergo de diuerſitate Timorum: quorum alter in Chriſto fuit; alter
» eſſe non potuit. Eſt vnus timor de morte corporali ſiue de alia temporali aduer-
» ſitate proueniens, qui quandoque tam vehemens eſt, & in tantum ſubiugat
» rationem vt hominem contempto Domini præcepto inducat in peccatum grauiſ-
» ſimum. Pro tali ſiquidem timore, negauit Petrus ſe nouiſſe Dominum qui prius
» cum eo in carcerem & in mortem ire promiſerat. Pro tali etiam timore multi fi-
» deles à fide receſſerunt, cum pro fide trucidari Martyres aſpicerent. Quicunque
» autem hunc timorem habuerit, de illo veraciter dici non poteſt, iuxta aliquem
» vſum loquendi, quod non timuerit.

» **Eſt alius timor moderatus, qui pro morte imminente naturaliter ineſſe ſolet om-**
» ni homini, & ſi modum non excedat, ſine peccato eſt: quemadmodum fames &
» ſitis & alia naturalia. Tali timore moderato Helias Propheta timuit, quando ti-
» mens crudelitatem Iezabel, in ſpeluncis latuit. Nec in eo tamen fuit timor ve-
» hemens: non enim propter hunc à lege Domini declinauit. Paulus quoque tali
» timore timuit, quando timens ne à Romano Præſide traderetur Iudæis occiden-
» dus Cæſarem appellauit. Nec tamen timor vehemens in eo præualuit, qui in fide
» perſeuerans paſſionem fortiter tulit. Quando autem homo aliquis caret
» timore vehementi & timet timore moderato, iuxta communem loquendi vſum
» ſolent ita loqui, vt ipſum indifferenter affirment timere & negent. Alij enim at-
» tendentes quod homo ille contriſtatus eſt, & tormentis imminentibus trepidat,
» credunt & affirmant, quod mortem verè timeat. Et hoc eſt verum, qui timet ti-
» more moderato. Alij vero attendentes quod poſſet aufugiſſe ſi vellet & mortem
» euaſiſſe, dicunt quod mortem non timeat. Nam aufugiſſet, ſi timeret. Et hoc
» quod iſti dicunt, verum eſt, quia non timet timore vehementi. Itaque iuxta hunc
» locutionis modum verum eſt Saluatorem timuiſſe mortem, quam ſicut verus ho-

mo naturaliter & moderatè timuit. Verum eſt igitur, quod dicit Euangeliſta, cœpit pauere & tædere. Et quod alij ſancti dicunt, qui affirmant Dominum timuiſſe. Quia vero Dominus caruit timore vehementi, & vt Patris compleret voluntatem, paſſioni ſe obtulit, idcirco iuxta vſum loquendi verum eſt etiam quod non timuit mortem, ſicut teſtantur alij authores, quorum verba ſuperius appoſui. Et cum quidam authores dicunt, Dominus mortem timuit, in ſententia non diſcrepant licet eorum verba repugnare videantur. Nam vt ſupra dictum eſt, verum eſt cum timuiſſe, quia timore moderato timuit. Et verum eſt iuxta vſum loquendi, non timuiſſe, quia timore vehementi non timuit. Sed falſum eſt dicere, quod nullo modo timuerit. Vale.

Hæc Gualterus terſè, nitidè & Latinè: vnde intelligitur quanto ſtudio Magiſtri affectarent latinè loqui. Reuera haud ſcio an vllo alio ſeculo magis, quàm iſto floruerint Muſæ Pariſienſes; idque euidenter agnoſcitur ex ſcriptis Magiſtrorum eiuſdem ætatis, quos Noſtri vix hodie aſſequantur. At hoc habebat ſupra cæteros Gualterus, quod Rhetoricam diu in monte San-Genouefiano profeſſus fuiſſet teſte Ioanne Sareſberienſi: nec dubito quin ad Theologiam deinde ſe contulerit.

Extat quoque inter Epiſtolas Bernardi Clareuallenſis vna, quæ eſt ordine 77. ad M. Hugonem de S. Victore, ex qua intelligitur eum ab iſto Magiſtro conſultum fuiſſe, de cuiuſpiam alterius Magiſtri Theſi ad Baptiſmum pertinente, qua ſcilicet aſſerebat, ex quo primùm dictum à Domino legitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Cœlorum*, ex eo neminem abſque eodem præcepto actualiter viſibili ſacramento, vel eius vice, martyrio vllatenus potuiſſe ſaluari: ſed etſi forte illud quiſpiam cum vera fide & contritione cordis expeteret, ſed preuentus mortis articulo aſſequi quod cuperet, non valeret, tamen omnino damnari.

Poſtquam verò Quæſtionem illam productis pluribus rationibus & teſtimoniis pro ſenſu ſuo agitauit & diſſoluit, tranſit ad aliam eiuſdem Magiſtri innominati, (opinor, Abaëlardi) quæ erat eiuſmodi, *Omnes antiquos iuſtos, quot quot videlicet Chriſtiaduentum præceſſerunt*, tantam omnino hauſiſſe præſcientiã futurorum, quantam Nos qui poſt ſumus, præteritorum ſcientiam: itavt nullus vel ſimplicium Iuſtorum aliquid prorſus ignoraret ex omnibus quæ modò nobis Euangelica pandit hiſtoria. v. g. Verbum Incarnatum, partum virginalem, doctrinam Saluatoris, miracula, crucem, mortem, ſepulturam, deſcenſum ad inferos, reſurrectionem & ad cœlos Aſcenſionem, ſic omnino omnibus illorum temporum iuſtis & apertè omnia, diſtinctè ſingula fuiſſe prægnita, quemadmodum ſuo ſunt tempore poſt exhibita & modò cognita nobis: adeo vt nec iuſti fuerint, nec ſalui ſint, quibus ita clara omnia & perſpicua non fuerunt.

Subiungit verò Bernardus. *Ad refellendum tu tanta in tua Epiſtola poſuiſſe videris, vt nihil addendum penitus putem, & pene quid addi poſſit non inueniam. De homine tamen qui iſta loquitur, pace ipſius, dico paucis quod ſentio. Videtur plus nouitatis curioſus, quàm ſtudioſus veritatis grauarique de omni re ſentire cum aliis & dicere quod aut ſolus non dixerit aut primus. Vnde fit vt in his quæ ſentit & loquitur, modum omnino tenere aut ignoret, aut diſſimulet.* Ecce enim & in hac aſſertione ſua dum pares in ſcientia facit omnes qui ventura ſperabant iis qui præterita legunt, Deum profectò aut nimis parcum prædicat aut nimis largum, oculum diſcretionis ex nulla parte aperiens. Hæc contra M. Petrum Monachum dici, patet ex ſupra relatis.

Sed vt ad Abaëlardum redeamus, obiiciebant illi præſertim Aduerſarij, quod Dialecticæ regulis nimium confiſus, ſophiſticis fallaciis incautos deciperet: quamobrem Dialecticam & eos qui eâ nimis vtebantur, criminabantur. Contra quos ille Epiſtolam edidit, quâ inuehitur in quendam Dialectices ignarum, qui quod eius vim & vſum ignoraret, eius ſtudium reprehendebat, omniaque eius dogmata putabat eſſe ſophiſmata & deceptiones. Hæc autem Epiſtola inter eius opera legitur ordine 4. & eſt eiuſmodi.

Myſtica quædam de Vulpe fabula in prouerbium à vulgo eſt aſſumpta. Vulpes, inquiunt, conſpectis in arbore ceraſis repere in eam cœpit vt ſe inde reficeret. Quo cum peruenire non poſſet, vt relapſa decideret, dixit *Non Curo ceraſa*,

» *peſſimus eſt eorum guſtus*. Sic & Quidam huius temporis *Doctores* cum Dialectica-
» rum rationum virtutem attingere non poſſint, ita eam execrantur, vt cuncta
» eius dogmata putent ſophiſmata, & deceptiones potius quàm rationes arbitren-
» tur. Qui cœci duces cœcorum neſcientes, vt ait Apoſtolus, de quibus loquun-
» tur, neque de quibus affirmant, quod neſciunt, damnant, quod ignorant, accu-
» ſant. Lethalem iudicant guſtum, quem nunquam attigerunt. Quidquid non
» intelligunt, ſtultitiam dicunt: quidquid capere non poſſunt, æſtimant delira-
» mentum. Quos quidem rationis expertes, quia rationibus refellere non va-
» lemus, teſtimoniis ſaltem ſanctarum Scripturarum, quibus ſe plurimum niti fa-
» tentur, eorum præſumptionem compeſcimus. Agnoſcant igitur eam quam ve-
» hementius deteſtantur Artem, hoc eſt Dialecticam quaſi ſacræ lectioni contra-
» riam, quantum Eccleſiaſtici Doctores commendent, quantum eam ſacræ Scri-
» pturæ neceſſariam iudicent. Hanc quippe ſcientiam tantis præconiis efferre
» beatus auſus eſt Auguſtinus, vt comparatione cæterarum artium eam ſolam do-
» cere fateatur, tanquam ipſa ſola ſit dicenda ſcientia. Vnde lib. 2. de Ordine ita
» meminit. *Diſciplinam Diſciplinarum, quam Dialecticam vocant. Hæc docet docere,*
» *hæc docet dicere. In hac ſe ipſa ratio demonſtrat atque aperit quæ ſit, quid velit: ſcit*
» *ſola, ſcientes facere non ſolum vult ſed etiam poteſt.* Idem in 2. de Doctrina Chriſt.
» cum inter omnes artes præcipuè Dialecticam & Arithmeticam ſacræ lectioni
» neceſſarias eſſe profiteatur, illam quidem ad diſſoluendas Quæſtiones, hanc
» ad allegoriarum myſteria diſcutienda, quæ frequenter in naturis numerorum
» inueſtigamus, tanto amplius Dialecticam extulit, quantò amplius eam neceſſa-
» riam aſſignauit, ad omnes videlicet Quæſtionum dubitationes terminandas, ait
» autem ſic. *Reſtant ea quæ non ad corporis ſenſus, ſed ad rationem animi pertinent,*
» *vbi Diſciplina regnat Diſputationis & numeri. Sed diſputationis diſciplina ad om-*
» *nia genera Quæſtionum quæ in litteris ſanctis ſunt, penetranda & diſſoluenda*
» *plurimum valet.* Tantum ibi cauenda eſt libido rixandi & puerilis quædam
» oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim multa quæ appellantur Sophiſ-
» mata, falſæ Concluſiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, vt non
» ſolum tardos, ſed ingenioſos etiam minus diligenter attentos decipiant. Quod
» genus captioſarum Concluſionum Scriptura quantum exiſtimo, deteſtatur in
» illo loco, vbi dictum eſt, *Qui Sophiſticè loquitur, odibilis erit.* Plurimum autem
» Dialecticam atque Sophiſticam artem ab invicem conſtat eſſe diſcretas, cum illa
» in veritate rationum, hæc in ſimilitudine conſiſtat earum: iſta fallaces argumen-
» tationes tradat, illa fallacias earum diſſoluat, & ex diſcretione verarum argumen-
» tationum falſas reprehendi doceat. Vtraque tamen ſcientia tam Dialectica ſcili-
» cet quam Sophiſtica ad diſcuſſionem pertinet argumentorum, nec aliter quis in
» argumentis diſcretus eſſe poterit, niſi qui falſas ac deceptorias argumentationes
» à veris & congruis argumentationibus diſtinguere valebit. Vnde & à Scriptori-
» bus Dialecticæ nec huius artis Tractatus eſt prætermiſſus; cum ipſe Peripatetico-
» rum Princeps Ariſtoteles hanc quoque tradiderit, Elenchos ſcribens Sophiſticos.
» Vt enim homini iuſto mali quoque notitia neceſſaria eſt, non vt malum faciat,
» ſed vt malum cognitum cauere queat: ita & Dialectico Sophiſmatum non poteſt
» deeſſe peritia, vt ſic ab eis ſibi cauere queat. Nec diſcretus in rationibus argu-
» mentorum erit, niſi falſis pariter & veris cognitis, hæc ab illis diſcernere, & vtra-
» que diiudicare diligenter valebit. Vnde B. atteſtante Hieronymo ipſe quoque
» Salomon ad falſas pariter & veras argumentationes cognoſcendas plurimum ad-
» hortatur. Sic enim aduerſus calumnias magni oratoris vrbis Romæ ſcribens, ſi-
» cut & nos nunc aduerſus conſimiles, ait inter cætera de ſummo illo ſapiente Sa-
» lomone. *In exordio prouerbium commonet vt intelligamus ſermones prudentiæ verſutiaſ-*
» *que verborum, Parabolas & obſcura dicta Sapientum & ænigmata quæ propriè Diale-*
» *cticorum & Philoſophorum ſunt.* Quid enim per Sapientiæ Sermones verſutiaſque
» verborum, niſi veratum & fallacium argumentationum diuerſitatem intel-
» ligit? Quæ, vt diximus, ita ſibi ſunt adiunctæ, vt diſcretus in his eſſe non poſſit
» qui illas ignorauerit: cum ad cognitionem quarumlibet rerum neceſſaria ſit no-
» titia contrariarum. Nemo enim virtutes diligenter nouerit, qui vitia ignorarit:
» præſertim cum nulla vitia ita virtutibus finitima ſint, vt ex ſimilitudine ſua faci-
» le multos decipiant: ſicut & falſæ argumentationes ex ſimilitudine verarum ple-

roſque in errorem pertrahunt. Vnde non ſolum in Dialectica diuerſitas incidit ſententiarum, verum in fide Chriſtiana multiplicitas earum, cum verboſi Hæretici aſſertionum ſuarum laqueis multos ſimplices in diuerſas pertrahunt ſectas: qui nequaquam in argumentationibus exercitati ſimilitudinem pro veritate & fallaciam pro ratione ſuſcipiunt. Aduerſus quam peſtem nos in Diſputationibus exercere ipſi quoque Doctores Eccleſiaſtici commonent, vt quod non intelligimus in ſcripturis, non ſolum orando petamus à Domino, verum inuicem quæramus diſputando. Vnde & illud eſt Auguſtini in Tractatu de Miſericordia, cum illa Domini exponeret verba. *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Petite*, inquit, *orando, quærite diſputando, pulſate rogando* id. *interrogando.* Non enim Hæreticorum vel quorumlibet infidelium infeſtationes refellere ſufficimus, niſi Diſputationes eorum diſſoluere poſſimus, & eorum ſophiſmata veris refellere rationibus, vt cedat falſitas veritati & ſophiſtas reprimant Dialectici, parati ſemper, vt B. ammonet Petrus, ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem, de ea quæ in nobis eſt, ſpe vel fide. In qua profectò Diſputatione cum illos ſophiſtas conuicerimus, Nos Dialecticos exhibebimus, & tantò Chriſti, qui veritas eſt, Diſcipuli memores erimus, quantò veritate rationum amplius pollebimus. Quis denique neſciat ipſam Artem diſputandi, quâ indifferenter hos quàm illos conſtet nuncupatos eſſe? Ipſum quippe Dei filium quem Nos Verbum dicimus, Græci λογον appellant, hoc eſt Diuinæ mentis Conceptum ſeu Dei Sapientiam vel Rationem. Vnde & Auguſtinus in lib. Quæſtionum 83. cap. 44. *In principio*, inquit, *erat verbum, quod Græcè* λόγος dicitur. Idem in lib. contra 5. Hæreſes. *In principio erat verbum.* Melius Græci λόγος dicunt. λόγος quippe verbum ſignificat & rationem. Et Hieronymus ad Paulinum de Diuinis Scripturis. *In Principio erat Verbum.* λόγος *Græcè multa ſignificat. Nam & verbum eſt & Ratio & ſupputatio & cauſa vniuſcuiuſque rei per quam ſunt ſingula quæ ſubſiſtunt. Quæ vniuerſa rectè intelligimus in Chriſto.* Cum ergo verbum Patris Dominus I. C. λογος Græcè dicatur, ſicut & σοφία Patris appellatur, plurimum ad eum pertinere videtur ea ſcientia, quæ nomine quoque illi ſit coniuncta, & per deriuationem quandam à λόγος Logica ſit appellata: & ſicut à Chriſto Chriſtiani, ita à λόγος Logica propriè dici videatur. Cuius etiã Amatores tantò verius appellantur Philoſophi, quantò verius ſint illius Sophiæ ſuperioris amatores. Quæ profecto sũmi Patris ſumma Sophia cũ noſtrã induceret naturã, vt nos veræ ſapientiæ illuſtraret lumine & nos ab amore mũdi in amorem conuerteret ſui, profecto nos pariter Chriſtianos & veros effecit Philoſophos. Qui cũ illam ſapientiæ virtutem Diſcipulis promitteret, quâ refellere poſſent Contradicentium diſputationes, dicens *Ego enim dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri*, poſt amorem ſui vnde veri ſunt Philoſophi, patenter & illam rationum armaturam eis pollicetur, quâ in diſputando ſummi efficiantur Logici. Quæ duo de hoc videlicet amore & Doctrina eius quibus tam Philoſophi quam ſummi efficerentur Logici, hymnus ille Pentecoſtes *Beata nobis gaudia*, diligenter diſtinguit cum dicitur. *Verbis vt eſſent proſlui & charitate feruidi.* **Hæc enim duo maximè ille ſuperni Spiritus aduentus in igneis** linguis reuelatus eis contulit, vt per amorem Philoſophos & per rationum virtutem ſummos efficeret Logicos: vnde benè Spiritus in ignis & linguarum ſpecie eſt demonſtratus, qui eis amorem & eloquentiam in omni genere linguarum conferret. Quis denique ipſum Dominum I. C. crebris diſputationibus Iudæos ignoret conuiciſſe, & tam ſcripto quam ratione calumnias eorum repreſſiſſe non ſolum potentia miraculorum, verum virtute verborum fidem plurimum adſtruxiſſe? Cur non ſolis vſus eſt miraculis vt hæc faceret, quibus maximè Iudæi qui ſigna petunt, commouerentur, niſi quia proprio nos exemplo inſtruere decreuit, qualiter & eos qui ſapientiam quærunt, rationibus ad fidem pertraheremus? Quæ duo Apoſtolus diſtinguens ait, *Nam & Iudæi ſigna petunt, & Græci Sapientiam quærunt.* Hoc eſt rationibus plurimum iſti, ſicut illi maximè ſignis ad fidem mouentur. Cum autem Miraculorum iam ſigna defecerint, vna nobis contra quoſlibet enotradicentes ſupereſt pugna, vt quod factis non poſſumus, verbis conuincamus: cum apud diſcretos vim maiorem Rationes quàm miracula teneant, quæ vtrum illuſio Diabolica faciat, ambigi facile poteſt. Vnde & veritas, *Surgent*,

* *Locus corruptus.*

inquit, *Pſeudo-Prophetæ & dabunt ſigna magna & prodigia, vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* At vero, inquit, quia & in Rationibus plurimus error ſe ingerit, vt non facilè diſcernat, cum rationes inducuntur argumentorum, quæ & pro rationibus ſuſcipiuntur & quæ tanquam ſophiſmata reſpuuntur. Ita, inquam, his accidit, qui peritiam argumentorum non ſint adepti. Quod ne fortè accidat, rationi differendi, hoc eſt Logicæ Diſciplinæ opera eſt danda, quæ vt B. meminit Auguſtinus ad omnia genera Quæſtionum penetranda quæ in ſacris litteris incidunt, plurimum valet. Sed hoc certè apud illos Doctores neceſſarium eſt, qui ſoluendis Quæſtionibus ſe ſufficere confidentes, eas minimè ſubterfuginnt.

Ita Dialecticam defendebat Abaëlardus, quâ in arte plurimum excellere & cæteris præeminere non immerito exiſtimabatur: vnde illi inuidebant maximè; & ſicubi carpendi & vellicandi occaſionem nanciſci poterant, arripiebant auidiſſimè; modo Sophiſticas argumentationes redarguendo, modo Monaſticam eius profeſſionem aut irridendo, aut deprimendo. Et quia inter Religioſos viros, duos præcipuè nactus eſt inimicos Bernardum & Norbertum Præmonſtratenſis Ordinis inſtitutorẽ, alterũ vt ignarũ & rudem contemnebat, alterũ vt præſumptorem & miraculorum affectatorem ſuggillabat. Contra quem videtur Epiſtolam quandam emiſiſſe quæ eſt ordine 3. Erat autem Norbertus Canonicus Regularis, in quem acriter inuehitur Sermone 31. de S. Ioanne Bapiſta his verbis. *Ad maiora veniam & ſumma illa miracula* de reſuſcitandis *quoque mortuis inaniter tentata. Quod quidem nuper præſumpſiſſe Norbertum & Coapoſtolum eius Farſitum mirati ſumus & riſimus. Qui diu pariter in oratione coram populo proſtrati & de* ſua præſumptione fruſtrati, cum à propoſito confuſi decíderent, obiurgare populum impudenter cœperunt, quod deuotioni ſuæ & conſtanti fidei infidelitas eorum obſiſteret. O calliditas *incautorum! ô excuſatio friuola inexcuſabilium!* Ita ille in Norbertum & M. Hugonem Farſitum, qui relictis Scholis ad Præmonſtratenſes ſe contulerat.

In Epiſtola ergo prædicta inuehitur in quendam Canonicum Regularem, qui Monaſticum ordinem deprimebat ſuumque illi anteferebat, & Clericorum ſtatum omnino Monaſtico excellentiorem eſſe conteſtabatur. Nec inter Abaëlardum ſolum & illum innominatum Canonicum altercatio fuit, ſed illis temporibus in Academia Pariſienſi & Oxonienſi vehemens erat diſputatio de perfectione ſtatus Clericalis & Monaſtici, vt notat Balæus Centur 2. c. 72. Apendicis Sic ergo Abaëlardus. Epiſt. 3.

Multorum relatione ad noſtras delatum eſt aures, noſtri Ordinis ideſt Monaſti-
" ci ſtatum à te ſœpius in præſentia multorum non mediocriter læsũ Quod non alia
" de cauſa præſumptum eſſe credimus, niſi vt noſtros humiliando, tuæ profeſſionis
" Clericos, quos Canonicos Regulares vocatis, ſic efferre laborares. Miramur au-
" tem ſi ita ſit, ſed amplius miramur ſi ita non ſit, cum nullam aliam ſuſpicari poſſi-
" mus cauſam. Dicis, vt dicunt, longè Ordine tuo noſtrum inferiorem eſſe & plu-
" rimum Monachos à Dignitate Clericorum abeſſe. In quo quidem primum à te
" ſciſcitari volumus, de qua id dignitate intelligas, vtrum prælationis inter ho-
" mines, an religionis apud Deum. Quod Religionis, profectò hæc dignitas
" veriſſima eſt, quæ nos Deo maximè commendat atque virtutibus adornat, &
" tantò glorioſiores in cœleſtibus efficit, quantò humiliores habemur in ter-
" renis. At verò qua ratione vel authoritate hanc ſibi dignitatem Clerici ven-
" dicare valeant, dicas ſi poſſis, aut adiicias cur non poſſis. Quis enim neſciat quod
" quotidianis docemur experimentis, hos etiam Clericos qui maiore gradu præmi-
" nent, Monaſticam eligere vitam, cum quod in Clericatu deliquerint, perfectè
" corrigere ſatagunt & cum eis ad Monachatum tranſire liceat, ad Clericatum nul-
" latenus redire permittuntur? Aut ſi quandoque per Religionis excellentiam Ec-
" cleſiaſticæ perſonæ de Monaſteriis electæ Clericorum officiis præficiantur, ipſe
" quoque habitus Monachalis tanta dignitate præminet, vt ſemel aſſumptus depo-
" ni non debeat: pro quo non ſolum ſecularis, verum etiam Clericalis abiiciendus
" eſt. Quid eſt etiam quod cum ſæpe Monachi Epiſcopi facti Clericis præ-
" ponantur, vel quibuſcunque officiis Eccleſiaſticis applicentur, Cur non è con-
" uerſo de Clericis Abbates in Monaſteriis fiant, vel officiorum Monachicorum

curam

curam ſuſcipiant? Cur inquam, cur obſecro, niſi quod indigniſſimum cenſetur, vt eius vitæ regimini præponatur, pro qua etiam ipſa contemnenda eſt, & vt diximus, per eam corrigenda? Cur etiam vos ipſi & vniuerſa Eccleſia in ſupplicatione Letaniarum dicitis, *Omnes ſancti Monachi & Eremita. Omnes Sanctæ Virgines. Omnes ſanctæ viduæ & Continentes, orate pro nobis.* Et non Omnes Sancti Clerici, vel ſancti Preſbyteri, vel Sancti Epiſcopi? Certè quia hæc nomina officij magis ſunt, ſicut illa Religionis. Quid eſt etiam quod in illis hymnis feſtiuitatis omnium Sanctorum, in quibus tam à vobis quam à cæteris ſuffragia ſanctorum poſtulantur, nulla veſtri mentio fiat, ſicut fit Monachorum & virginum, ſic quippe ſcriptum eſt.

Chorus ſanctarum Virginum
Monachorumque omnium
Simul cum Sanctis omnibus
Conſortes Chriſti facite.

Item

Monachorum ſuffragia
Omneſque ciues Cælici
Annuant votis ſupplicum
Et vitæ poſcant præmium.

Audio te tamen ſolere opponere nobis illud quoque Hieronymi noſtri. *Monachus ſi ceciderit, rogabit pro eo Sacerdos, pro Sacerdotis lapſu quis rogaturus eſt?* Quod certè quacunque ratione diceres, ſi nullatenus Monachos ſacerdotes eſſe contingeret. Cum vero dicit, Monachus eſt ſacerdos, vtique illud diſtinguit Monachum à ditione ſacerdotis, qui ſacerdos non ſit. Sic enim cum dicimus Rex & miles, vel Epiſcopus & ſacerdos, vel ſacerdos & Diaconus, quamuis etiam Reges ſint milites, vel Epiſcopi ſacerdotes, vel Sacerdotes Diaconi, militem eum intelligimus, qui Rex non ſit, & Sacerdotem qui non ſit Epiſcopus & Diaconum ſimplicem. Vbi etiam cum dicit, *Rogabit pro eo ſacerdos*, ſpecialem illam Miſſam orationem intelligit, quæ propria eſt ſacerdotis, non quæ cuilibet iuſto competit. Quam & Apoſtolus generaliter commendans ait, *Multum enim valet deprecatio Iuſti aſſidua.* Quo enim quiſque iuſtior eſt, ab eo exaudiri meretur, qui non tam verba, quam opera penſat, nec tam linguam quam vitam conſiderat. Quantum autem de perfectione ſua vitam Monaſticam idem Doctor veſtræ præferat, patenter inſinuat ad Heliodorum Monachum his ſcribens verbis, *Interpretare vocabulum Monachi. Hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba qui ſolus es? Quid ergo! Quicunque in Ciuitate ſunt, Chriſtiani non ſunt? Non eſt tibi eadem cauſa quæ cæteris? Dominum auſculta dicentem, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, ſequere me. Tu autem perfectum te eſſe pollicitus es: nam cum de relictâ militiâ mundiali caſtraſti te propter Regnum Cœlorum, quid aliud quam perfectam ſequutus es vitam?* Etpoſt aliqua. *Alia*, inquit, *vt ante perſtrinxi, Monachi cauſa eſt, alia Clericorum.* Hoc eſt, longe ab inuicem eorum profeſſio & conuerſatio diſtat & ipſorum propoſitum tendit ad diuerſa, ſicut ait, ante perſtrinxi. Quod quidem vbi faceret, aſſignari non poteſt niſi vbi perfectionem Monaſticam à vita fidelium in Ciuitate commorantium diſtinxit, dicens: *Quid ergo? Quicunque in Ciuitate ſunt, Chriſtiani non ſunt?* Qui etiam ad Paulinum Preſbyterum ſimul & Monachum ſcribens, Clericos magis inter homines conuerſari debere, quam Monaſticæ ſollicitudinis perfectionem tenere patenter his verbis inſinuat. *Quia igitur fraternè interrogas, per quam viam incedere debeas, reuelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere Presbyteri, ſi Epiſcopatus te vel opus vel honor forte delectat, viue in Vrbibus & Caſtellis & aliorum ſalutem fac lucrũ animæ tuæ. Sin autem cupis eſſe quod diceris, Monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? habet vnum quodque propoſitum Principes ſuos: & vt ad noſtra veniamus, Epiſcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus Propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios: & vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter Princeps Helias, noſter Heliſæus, noſtri Duces filij prophetarum qui habitabant in agris & ſolitudinibus & faciebant ſibi taber-*

» *nacula prope fluenta Iordanis. De his ſunt* & illi filij Rechab qui vinum & ſiceram
» non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Hieremiam voce laudan-
» tur, & promittitur eis, quod non deficiat de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domi-
» no. Nec ſolum Heliam qui in antiquo populo tantus enituit, vt in cœlum viuus
» ſuſtolli mereretur, inter noſtros mirare Principes: verum etiam Ioannem in ſpiri-
» tu eius venientem, & quaſi alterum Heliam, cui Dominus tantum teſtimonium
» dedit, vt pro eminentia vitæ, ipſum ex teſtimonio Prophetæ Angelum nuncupa-
» ret, nec ſolum Prophetis, verum etiam vniuerſis hominibus anteferret. De quo
» Chryſoſt. Homilia Euangeliorum 23. quæ ſic incipit. De Ioanne dicitur *fuit ho-*
» *mo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Gratia in homine comprehenditur. Ioan-
» nes enim interpretatur Dei gratia, quia maiorem accepit gratiam. Propterea in
» Eremo philoſophatur, & reſeruat ſe in Aduentum Chriſti, quia nunciaturus erat
» Chriſtum. Statim in eremo nutritur, ſtatim ibi creſcit: non vult cum hominі-
» bus conuerſari, in Eremo cum Angelis philoſophatur. Conſiderate Monachi di-
» gnitatem veſtram. Ioannes Princeps veſtri eſt dogmatis ipſe Monachus. Statim
» vt natus eſt, in eremo viuit, in ſolitudine nutritur, Chriſtum exſpectat in ſoliti-
» dine. Eo tempore, quo Ieſus natus eſt, erat in Eremo. Hoc templum quod vi-
» demus eſſe deſtructum quantas habebat diuitias, quid auri, quid argenti Ioſe-
» phus deſcribit, quantum gemmarum, quantum ſerici, quanti erant ſacerdotes
» & ſcribæ & vniuerſa genera officiorum. Chriſtus *in templo naſcitur & in eremo*
» *prædicatur. Hoc totum quare dico? vt doceam dogmatis veſtri Principem eſſe Baptiſtã Ioan-*
» *nem.* Audiſti, fratres, Noſtri pariter & veſtri propoſiti Principes ſuperius inductos,
» vt vtriuſque ordinis differentia clareat. Si gaudetis Apoſtolos quoque veſtris con-
» numerari Principibus, atque Pontifices tã veteris quàm noui Teſtamenti ab ipſo
» videlicet Aaron vſque ad Annã & Caïphã, ne obſecro doleatis Heliam & Ioannẽ
» maiores iſtis noſtri Duces eſſe propoſiti. Clericatum pro Monachatu Ioannem
» commutaſſe dubium non eſt, qui cum filius Pontificis eſſet, cui eo tempore
» Pontificalis dignitas hereditario iure debebatur, Ciuitatem ſolitudini, Pontifi-
» cem Monacho poſthabuit & perfectionem vitæ prælationi præpoſuit Eccleſiaſti-
» cæ. De quo & Hieronymus ad Ruſticum Monachum ſcribens, *Audio*, inquit,
» *religioſam te habere Matrem multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudiuit in-*
» *fantem. Et Ioannes Baptiſta ſanctam matrem habuit, Pontificiſque filius erat: & tamen*
» *nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo*
» *viueret caſtitatis. Viuebat in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtum nihil aliud digna-*
» *batur aſpicere. Filij Prophetarum quos Monachos in veteri Teſtamento legimus, ædifi-*
» *cabant ſibi caſas propter fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis polenta & herbis*
» *agreſtibus victitabant.* De quibus & alibi meminit. *Virgo Helias, Heliſæus, Virgo,*
» *Virgines filij Prophetarum.* Quid eſt obſecro, Frater, quod electurus Apoſtolos
» Dominus nequaquam de eremo acciuit Ioannem, nec ab eo baptizandus, ipſum
» à ſolitudine vel ad horam reuocauit; ſed ſicut cæteri hominum ad eum venit,
» inter cæteros & ipſe baptizandus à Monacho ſicut ſcriptum eſt, *factum eſt cum*
» *baptizaretur omnis populus & Ieſu baptizato.* Quid inquam, niſi quia vt dixit, par-
» tem Mariæ præferendam cenſuit parti Marthæ; quietem ſcilicet contemplatio-
» nis ſollicitudini & crebris perturbationibus ſeculi? Quibus quidem ſollicitudi-
» nibus occupatus Apoſtolus ingemiſcit dicens *Præter illa quæ extrinſecus ſunt, In-*
» *ſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur & ego non*
» *infirmor? Quis ſcandalizatur & ego non vror?* In quibus quidem occupationibus
» atque moleſtiis quàm difficile ſit puritatem cuſtodire mentis & terrena itinera
» ſine aliquo pulueris contagio frequentare, ipſe Dominus patenter edocuit,
» cum pedes Apoſtolorum abſoluere decreuit. Quod diligenter ſponſa in Cantico
» Canticorum attendens, ſponſo ad oſtium eius pulſanti, & vt de lectulo ſurgens
» ei aperiat roganti, prouidè his verbis ſe excuſat. *Expoliauit me tunicâ meâ, quomodo*
» *induar illâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quid enim lectulus ſponſæ, niſi
» quies eſt animæ contemplatiuæ & à ſolicitudinibus & curis ſæculi remotæ? Quæ
» quidem in clauſtro quaſi ſponſa in thalamo tantò amplius Deo vacat, & arctius ei
» toto adſtringitur deſiderio, quantò longius ab occupationibus ſeculi remota eſt
» & iam in ſecreto cœleſtium camerarũ per contemplationem ita ei coniuncta eſt,
» vt ſit vnus cum Deo ſpiritus, iuxta quod de B. Martino legitur *Artus quippe fatiſ-*

centes ſpiritui ſeruire cogebat ſtatuque ſuo recubans nec terram videre iam dignatus Cælo totus inhiabat. Ad talem lectuli quietem contemplationis ſecretum ſponſus veniens ſibi aperiri poſtulat, cum plebs Chriſtiana animæ cuicunque contemplatiuæ ſupplicat, vt ſuſcipiendo regimen ipſorum eos ad ſe ſic admittat. Quod & ipſe Chriſtus in membris ſuis agere dicitur, quo inſpirante id agitur, & ſub cuius nomine & authoritate hoc imploratur. Perfecta verò anima illa quietem ſuam vehementer diligens, dum laborem refugit, ne aliorum lucro detrimentum incurrat ſuæ perfectionis, ſurgere de lectulo renuit, & ſponſo vt dictum eſt, inſtanti dicit *Expoliaui me tunica mea*, hoc eſt exteriorem curam mundanarum actionum ex voto poſtpoſui. Interior quippe veſtis & ſubtilior eſt interula; exterior & groſſior, tunica. Vnde bene hic ornatus, contemplatiuus; ille verò habitus, aſſignandus eſt actiuus. Hi quippe Clauſtris ſe Monaſticis recludentes tantò ſubtilius atque perfectius ſummi luminis ſplendorem contemplantur, quantò ab exterioribus ſeculi curis amplius ſunt remoti. Hanc profectò curarum occupationem, quam Martha proximi neceſſitudinibus impendit, & qui populo præſunt, exercent, quaſi tunicam reſumere ſponſa refugit, cum à contemplatione ad actionem redire nullatenus acquieſcit. Vnde & cauſam annectens ait, *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Affectus quippe noſtri quibus ad quodlibet agendum trahimur, quaſi quidam pedes ſunt, quibus ducimur. Iſtos pedes abluit, qui à curis ſeculi mentem retrahit, quibus animus per diuerſa diffuſus, difficile eſt, ne ſaltem cogitationum maculis aliquibus reſpergatur, vel quandoque cedat tentationibus. Quod ſponſa conſiderans de lectulo pedes ad terram deponere trepidat, hoc eſt ſe iterum implicare curis, dum nullum à ſordibus vacare locum extra lectulum ſuum credit. Quæ tandem ſponſo inſtante de lectulo ſurgere compellitur & ei ſicut poſtulauit, aperire: de quo cum eum tenere vellet, atque vt ſolita fuerat, comprehendere, ſubiunctum eſt, *At ille declinauerat atque tranſierat.* Non enim ita in publico ſicut in occulto Deus inueniri poteſt, nec ſolicitudo Marthæ circa plurima turbatæ Chriſto aſſiſtere valet aſſiduè, nec curis ſeculi mens intenta in Deo poterit vigilare quieta. Vnde & ipſe ſponſus quò deuotius oremus, oſtium cubiculi admonet claudi, alioquin declinat & tranſit à nobis, quia quò minus ei vacamus, eo magis ab ipſo deſerimur & ab eius gratiæ donis amplius deſtituimur. Etiam ſponſa eius ad publicum de ſecreto thalami tranſgreſſa, quantum de perfectione ſua pro lucris aliorum minuit, reperit; & tantò magis accedit periculum, quantò de commiſſis animabus maior illi ſupereſt reddenda ratio. Attende obſecro, frater, tui Ordinis dignitatem & Officij conditionem, in quo & minuitur meritum & imminet periculum. Vide quid ſit profectus dignitatis, vbi perfectio tollitur religionis, vbi maior apud ſeculum, minor fit apud Deum & graue ſui ſuſtinet diſpendium. Liam quam duxiſti gaudes eſſe fœcundam, ſed doles cum reſpexeris eam Lippam. Nocturnum Lia coniugium habuit, quaſi talis copula luce digna non fuerit. Quandiu ſterilis Rachel permanſit, incolumis vixit, fœcunda poſtmodum facta proprio partu eſt extincta. Ex quo patenter innuitur quàm periculosè id vnde gloriamini, ſuſcipiatur; & quod hæc gloria, ruina potius ſiue deiectio quàm exaltatio ſit dicenda. Quorum quidem facilem caſum & periculoſum aſcenſum iuxta illud Pſalmiſtæ *Deiecisti eos dum alleuarentur*, B. Hieronymus attendens quodam loco ad Heliodorum Monachum ſcribit his verbis: *Quod ſi te quoque ad eundem Ordinem pia fratrum blandimenta ſolicitant, gaudebo de aſcenſu, ſed timebo de lapſu.* Idem aduerſus Vigilantium ſolitariæ, hoc eſt Monaſticæ vitæ ſecuritatem commendans ait. *Cur*, inquit, *pergis ad Eremum? videlicet vt te non audiam, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Reſpondebo hoc non eſſe pugnare, ſed fugere. Sta in acie, aduerſarijs armatus obſiſte, vt poſtquam vicerís, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam: ſi fugero gladium, deuitaui: ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut cadendum. Quid autem neceſſe certa dimittere & incerta ſectari? aut ſcuto aut pedibus mors vitanda eſt. Tu qui pugnas, & ſuperari potes & vincere: Ego cum fugero, non vinco in eo quod fugio, ſed ideo fugio ne vincar. Nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire. Poteſt fieri vt me non mordeat, tamen poteſt fieri vt aliquando me mor-*

„ *deat.* Idem ad Oceanum de morte Fabiolæ. *Caueat Religioſus ibi viuere, vbi ne-*
„ *ceſſe habeat quotidie aut perire aut vincere.* Securius enim eſt perire non poſſe, quàm
„ iuxta periculum non perire. Hanc & Seneca maximus ille morum Philoſophus
„ ſententiam tenens & ſic philoſophari Lucilio ſuo conſulens ait Epiſtolarum
„ quas ad eum ſcribit 53. *Non tantum corpori ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere*
„ *debemus.* Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profu-
„ giamus. Indurandus eſt animus & à blandimentis voluptatum procul abſtrahen-
„ dus. Vna Hannibalem Hiberna ſoluerunt & indomitum illum niuibus atque
„ Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt.
„ Nobis quoque militandum eſt, & quodam genere militiæ, quo nunquam otium
„ datur. Debellandæ ſunt imprimis voluptates; quæ vt vides, ſæua quoque ad ſe
„ ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit quantum operis aggreſſus ſit, ſciet ni-
„ hil delicatè, nihil molliter eſſe faciendum.

„ Sed ad hæc fortaſſis tam SS. Patrum quàm Philoſophorum Conſilia reſpon-
„ debis reuera periculoſum eſſe adminiſtrationem Eccleſiaſticam ſuſcipere, ac
„ difficillimum in ea quantum oportet, deſudare: ſed profectò tantò maiora con-
„ ſtat eſſe præmia, quantò huic labori maior incumbit difficultas. Cui primùm
„ illud reſpondeo Tullianum *Quod ſi laborioſum, non ſtatim præclarum.* Alio-
„ quin in Eccleſia Dei, qui quotidianis nuptiarum moleſtiis & ſolicitudinibus im-
„ plicantur aſſiduis, his præferendi eſſent, qui cælibem vitam ducentes minus
„ onere ſeculi premuntur, & ob hoc liberius atque purius Deo vacant, tanquam
„ lectuli quietem adepti. Denique ſi pro augmento meritorum eos extollis, qui de
„ virtutibus ſuis confidentes, pugnas tentationum & illecebras mundi magis ſu-
„ ſtinere quàm fugere decreuerunt, vide vtrum his qui continentiam vouerunt,
„ conſulendum ſit, vt in Lupanaribus, vèl vbi crebras fornicationes exercent.....
„ Vide aut hanc virtutem ſtudeant conſeruare, & ſe ſponte periculis obiicientes,
„ ſed quæ magis Angelos quàm homines attendentes tantâ ſecuritate ſui Deum
„ præſumant tentare.

„ Cur etiam Clerici fœminas in contubernio ſuo habere prohibentur, niſi tales
„ conſanguinitatis perſonas, de quibus nulla ſuſpicio turpitudinis poſſit haberi?
„ quas quoque veſter, vt dicitis, Præceptor Auguſtinus in tantum declinare de-
„ creuit, vt nec ſanctiſſimam ſororem ſecum habitare pertulerit, dicens *Quæ cum*
„ *ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. Cur & vos ipſi Canonici Regulares à vobis ipſis*
„ *nouiter appellati*, ſicut & nouiter exorti, magno ambitu murorum clauſtra veſtra
„ ſepientes more Monachorum ab illecebris & tentationibus ſeculi manſiſtis di-
„ uiſi? Si ergo vt vos quoque docetis, & omnibus patet, imbecillitati huma-
„ næ magis prouideri conuenit à periculis quàm vltro ſe obiicere illis, pro-
„ fectò conſilium eſt omnia tentamenta, quoad poſſumus euitare, præſertim
„ ſi eam eligamus vitam, quæ & maioris ſit meriti & minus pateat tentationi.
„ Quod tam auctoritate Patrum quàm certis rerum declaratur exemplis. Vitam
„ contemplationis, quietem tumultuoſæ fidelium actioni conſtat à Domino præ-
„ latam fuiſſe; & Mariæ partem, quam optimam dixit, parti Marthæ certum eſt
„ anteferri. Quamuis enim Martha reficeret Dominum, felicius Maria reficieba-
„ tur à Domino, & longè meliorem Dominus quàm Martha miniſtrabat refectio-
„ nem. Marthæ miniſtratio eſt neceſſaria Corporis prouidere, verbum prædicatio-
„ nis erogare, aliorum magis ex officio proprio, quàm ſui curam gerere. Non enim
„ Eccleſiæ Paſtores in eo quod Paſtores ſunt tam de propriis quàm de ſubiectorum
„ pabulis habent cogitare, nec in hoc tam ſibi quàm aliis proficiunt. Vnde & Do-
„ minus cum in hoc officio Petrum conſtitueret, nequaquam ait *Paſce te ipſum*, ſed
„ *Paſce oues meas*, ſiue Agnos meos, hoc eſt pane ſpiritalis Doctrinæ, vel exhorta-
„ tionis ipſos inſtrue vel confirma. De quo quidem Pane Diuini verbi ſcriptum eſt
„ alibi, *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quod ſi
„ hoc tempore Clericorum ac Monachorum laborem ac vitæ duritiam conferatis,
„ non eſt hoc longa diſputatione diſcutiendum, quod quotidianis experimentis fit
„ manifeſtum. Confer Epiſcopos cum Abbatibus, Archipreſbyteros Eccleſiarum
„ cum Prioribus Monaſteriorum, Clericos cum Monachis & quoſlibet conſule,
„ qui quibus inter ipſos magis aſperam vel laborioſam vitam ducant, vt ſi laborem
„ penſes, ad meritum nos longè ſuperiores inuenias, quibus vos ipſi non aliam quã

pœnitentium vitam adſcribitis, & Clauſtra noſtra non loca dignitatis, ſed pœnitentiæ carceres nuncupatis. Quam & B. Hieronymus à vita Clericorum diſtinguens ad Heliodorum de morte Nepotiani ſcribit his verbis. *Si quis relicto Clericatu duritiæ ſe tradiderit Monachorum, ſit creber in orationibus, vigilans in precando, lachrymas Deo non hominibus offerat.* Certè ſi Clericorum arctior eſſet vita & qui Eccleſiaſtica præſunt dignitate, vitæ quoque præminerent auſteritate, nequaquam Monachi tanto deſiderio appeterent Epiſcopari, nec ſpiritales Patres tanta ſolicitudine Clericos etiam ad Monaſticam conuerſationem inuitarent. Quale & illud eſt prædicti Doctoris Præſidium Diaconum exhortantis.

Diaconus, inquies, Eccleſiam tutò deſerere non poſſum. Vereor ne incurram Sacrilegium, ſi altaria derelinquam. Sed conſidera, obſecro, ſatis eſſe difficile locum Stephani implere vel Pauli, in Angelico ſtare Miniſterio & populos ſubiacentes candenti deſuper veſte deſpicere. Pretioſum eſt margaritum, ſed citò frangitur, fractumque non poteſt inſtaurari. Item. *Cum vitam in vrbibus lacerent bonam, quid facies frater in medio? aut ſectaberis quæ ſunt aduerſa continentiæ, aut ſi facere nolueris, ipſe damnaberis. Prætermitto varias illecebras, quibus etiam rigidiſſimi emolliuntur animi. Nunc illud affirmo. Quod etiamſi ita non eſſent, ad comparationem tam ingentis boni minora deſerere debueras. Adde quod Diaconus es, ſed abſceſſu tuo Eccleſiæ damna non ſentient. Helias vixit in Eremo: Heliſæum Prophetarum ſecutus eſt Chorus. Præcurſor Domini Ioannes nutritus in ſolitudine ad hoc tantum deſcendit ad Iordanis ripas, vt populos argueret confluentes, & Phariſæos, intelligens Clericos Iudæorum, generationes vipereas denotaret. Nuper Ægypti deſerta vidiſti. Intuitus es Angelicam familiam. Quanti ibi flores ſunt? quam ſpiritualibus gemmis prata vernantia? vidiſti ſerta quibus Dominus coronatur. Item habebis cellulam quæ te ſolum capiat. Imo non eris ſolus. Angelica tecum turba verſabitur. Tot ſocij quot ſancti. Leges Euangelium. Fabulabitur tecum Ieſus. Replicabis Apoſtolos vel Prophetas. Nunquid poteris talem alium tuis ſermonibus habere conſortem?* Sectemur ſaltem mulierculas, ſexus nos doceat infirmior. Quantæ diuitiis pariter & nobilitate pollentes (nolo enim vocabula dicere ne adulari videar) relictis facultatibus pignoribuſque contemptis id factu facilè iudicauerunt, quod tu proprio putaſti timore difficile?

Eandem Quæſtionem tractat in Sermone de S. Ioanne Baptiſta & Monaſticorum ſtatum longè anteponit Clericali, quod Epiſcopus ſiue Clericus vocabulum ſit officij & operis magis, quam deuotionis.

Anno 1122. Miſertimus Abaëlardus è malis in mala & è calamitatibus in calamitates nouas relabens à Commonachis San-Dionyſianis peſſimè habetur, imò vt fama eſt, virgis excipitur. Nam cum tandem in Monaſterium ſuum à Cononе Legato reductus fuiſſet, & vt prius veterum Authorum Lectioni ſe applicuiſſet, ecce illi noua miſeriarum materia ſuccedit. Inter legendum ei fortè occurrit ſententia Bedæ in expoſitione Actuum Apoſtolorum, qua aſſerit Dionyſium quem vocabant Areopagitam & Pariſiorum Præſulem, Corinthiorum, non Athenienſium fuiſſe Epiſcopum. Quem locum cum nonnullis Commonachis monſtraſſet, interrogatus ab iis quid ea de re ſentiret, reſpondit ſibi veriorē Bedæ quam Hilduini videri eſſe ſententiam. Continuò illi **arrepta occaſione clamant**, vociferantur, hominem deuitant & veluti Apoſtatam auerſantur, atque apud Abbatem ſuum Adamum de noua hominis inſolentia & hæreſi conqueruntur. Abbas non ſe, nec Cœnobium tantummodo læſum & infamatum, ſed Regiam quoque ipſam Maieſtatem imminutam ratus, Apoſtatatæ illius nomen ſe Regi delaturum minatur. Cuius iram ille pertimeſcens, confugit ad Theobaldum II. 1122. *Rurſus de Abaelardo.*

Fortuitò mihi quadam die legenti occurrit quædam ſententia, quâ in expoſitione Actuum Apoſtolorum aſſerit Dionyſium Areopagitam Corinthiorum potius quam Athenienſium fuiſſe Epiſcopum. Quod valde eis contrarium videbatur, qui ſuum Dionyſium eſſe illum Areopagitam iactitant, quem ipſum Athenienſem Epiſcopum geſta eius fuiſſe profitentur. Quod cum reperiſſem, quibuſdam circunſtantium fratrum quaſi iocando monſtraui teſtimonium ſcilicet illud Bedæ, quod nobis obiiciebatur. Illi vero valde indignati dixerunt Bedam mendaciſſimum Scriptorem, & ſe Hilduinum Abbatem ſuum veriorem habere teſtem, qui pro hoc inueſtigando Græciam diu perluſtrauit, & rei veritate agnita in geſtis illius quæ conſcripſit, hanc veraciter dubitationem remouit. Vnde cum vnus eorum importuna interrogatione pulſaret, quid ſuper hac controuerſia Bedæ

videlicet atque Hildoini videretur, reſpondi Bedæ authoritatem, cuius ſcripta vniuerſæ Latinorum Eccleſiæ frequentant, gratiorem mihi videri. Ex quo illi vehementer accenſi clamare cæperunt, nunc me patenter oſtendiſſe quod ſemper Monaſterium illud noſtrum infeſtauerim, & quod nunc maximè toti Regno derogauerim, ei videlicet honorem illum auferens, quo ſingulariter gloriaretur, cum eorum Patronum Areopagitam fuiſſe denegarem. Ego autem reſpondi nec me hoc denegaſſe, nec multum curandum eſſe, vtrum ipſe Areopagita an aliunde fuerit, dummodo apud Deum tantam adeptus ſit coronam. Illi verò ad Abbatem ſtatim concurrentes quod mihi impoſuerant, nunciauerunt. Qui libenter hoc audiuit gaudens ſe occaſionem aliquam adipiſci quâ me opprimeret, vt pote qui quanto cæteris turpius viuebat, magis me verebatur. Tunc Conſilio ſuo congregato & fratribus congregatis grauiter mihi comminatus eſt, & ſe ad Regem cum feſtinatione miſſurum dixit, vt de me vindictam ſumeret, tanquam Regni ſui gloriam & coronam ei auferente. Et me interim bene obſeruare præcepit, donec me Regi traderet.

At ille commodam & opportunam nactus occaſionem cuſtodes incautos & incogitantes fallit, atque ad Theobaldum M. Tricaſſinæ Ciuitatis & Pruuini Dominum cui ſciebat ſuas valde diſplicere miſerias confugit, & apud Pruuinum in Cella S. Aigulfi cum Monachis S. Petri Trecenſis, volente eius loci Priore commoratur, donec cum Abbate ſuo redire poſſet in gratiam. A quo interim hoc ſolum & per litteras & per amicos petebat, vt ſibi viuere liceret Monaſticè vbiuis locorum, dum non in Cœnobio San-Dionyſiano, vbi ſe ſciebat inuiſum eſſe, & ſi rediret, vulnera refricaturum. At Abbas fraudem ſibi factam à Monacho ſuo ægre ferens, comminatur ni redeat, ſe illum excommunicationi ſubiecturum, interdicitque ſimiliter Priori ne diutius hominem apud ſe morari patiatur. Præterea ad reparationem iniuriæ Cœnobio San-Dionyſiano illatæ iubet palinodiam cantare & Dionyſij Areopagitæ hiſtoriam ab Hilduino conſcriptam ſcriptis ſuis confirmare. Iuſſis ille acquieſcit ſeu volens ſeu inuitus, Epiſtolamque dirigit Abbati ſuo aduerſus eos qui ex authoritate Bedæ Preſbyteri ſuadere conabantur Dionyſium creditum Areopagitam fuiſſe Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, non Athenienſium. Sic autem inſcribit.

" Adæ Dilectiſſimo Patri ſuo Abbati D. G. Glorioſiſſimorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij ibidem corpore quieſcentium vnaque Fratribus & Commonachis ſuis chariſſimis Petrus habitu Monachus vita peccator. Gratia vobis & pax vt ait Apoſtolus, à Deo Patre noſtro & Domino I. C. Sæpius error multos inuoluit, & proni homines in malum facilius per vnum in falſitatem, quàm per multos in veritatem trahuntur. Ideo dico quod multi ei, quam tenemus veritati de Dionyſio Areopagita vnius Bedæ authoritatem opponere ſoleant, grauioribus qui nobis fauent, aut per malitiam, aut fortaſſis per ignorantiam authoribus poſtpoſitis. Hic quippe Dionyſium Areopagitam Corinthiorum Epiſcopum fuiſſe profitetur, cum alij, quorum longè validior eſt authoritas, cum potius fuiſſe Athenienſium Antiſtitem aſtruant, & omnino alium fuiſſe Dionyſiũ Areopagitam, alium Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum ſuis conuincant aſſertionibus. Ponamus itaque ſingulorum verba, ac deinde conſideremus ſi non ſolum diuerſa, verum etiam inuicem aduerſa ſibi ſint ac ſibi penitus repugnantia. Quod ſi viderimus, diiudicemus authoritates ipſas, vt cum omnes ſaluari non valeant, illa periclitetur quæ minori nititur dignitate. Scriptum itaque de hoc in Eccleſiaſtica Hiſt. l. 4 c. 3. his verbis. *Veniendum nobis eſt tandem ad B. Dionyſij Commemorationem Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopi, cuius eruditione & gratia quam habebat in verbo Dei fruebantur non hi populi tantum, quos regendos acceperat, ſed & procul poſiti quibus per Epiſtolas præſentiam ſui reddebat.* Extat denique eius Epiſtola ad Lacedæmonios ſcripta de Catholica fide, vt alia ad Athenienſes, in qua ad Euangelij credulitatem inuitat & concitat ſeniores. Et illud deſignat in eadem Ep. quod Dionyſius Areopagites, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto ſecundum ea quæ in Apoſtolorum actibus deſignantur, primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus fuerit ordinatus. Sed & Hieronymus, ille inquam Eccleſiæ Doctor egregius ſuper hoc ipſo in lib. de illuſtribus viris ita meminit. *Dionyſius Corinthiorũ Eccleſiæ Epiſcopus tantæ eloquentiæ fuit & induſtriæ, vt non ſolum ſuæ Ciuitatis & Prouinciæ populos, ſed & aliarum Prouinciarum & vrbium Epiſtolis erudiret: E quibus vna eſt ad Lacedæmonios, ad Athenienſes* &c. Et poſt pauca. *Claruit. Sub*

Imperatore D. Antonino vero & Lucio Aurelio Commodo.

Nunc & ipſius Bedæ verba ponamus, qui in explanatione Actuum Apoſtol. eo videlicet loco quo dicitur, In quibus & Dionyſius Areopagita, ait ſic. *Hic eſt Dionyſius* qui in Epiſcopatu ordinatus Corinthiorum gloriosè rexit Eccleſiam multaque ad vtilitatem Eccleſiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenij ſui volumina reliquit, cognomen à loco cui præerat accipiens. Areopagus enim eſt Athenarum Curia, nomen à Marte trahens. Siquidem *Græcè Mars* Ἄρης *villa dicitur* πάγος. Inductis itaque ſicut propoſuimus authoritatibus, earum ſicut promiſimus diuerſitatem aut repugnantiam conſideremus.

Videntur autem duæ ſuprapoſitæ authoritates, quæ ſibi conſonæ ſunt, authoritati Bedæ omnino contrariæ. Ex illis quippe conuincitur alium fuiſſe Dionyſium Areopagitam, alium Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum. Nam iuxta Eccleſiaſticam Hiſtoriam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus de Dionyſio Areopagita ſcripſiſſe perhibetur, & ibidem Dionyſius Areopagita Athenienſium fuiſſe Epiſcopus aſſignatur. Nec minus ex verbis Hieronymi alium hunc eſſe, quàm illum apparet, cum videlicet dicat Dionyſium Corinthiorum Epiſcopũ ſub Marco Antonino & L. Aurelio claruiſſe. Conſtat quippe Dionyſium Areopagitam qui prædicatione Pauli conuerſus eſt, tempore Chriſti & Apoſtolorum extitiſſe, ac iam virum adultum adeo fuiſſe, vt vxorem Damarim iam tunc eum conſtet habuiſſe, de qua pariter cum eo in actibus Apoſt. fit commemoratio. Vnde & ibidem ſcriptum habetur, Quod Quidam viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita & mulier nomine Damaris & alij cum eis. A tempore autem Tiberij Cæſaris, ſub quo Dominus paſſus eſt, vſque ad tempora prædictorum Imperatorum, ſub quibus Dionyſius Corinthiorum claruiſſe dicitur, amplius quàm 160. annos Chronicorum ſupputatio aſſignat, vt nequaquam tanto tempori vita prædicti viri ſufficeret. Scriptum quippe eſt in Pſalmis. Si autem in Potentatibus 80. anni, & amplius eorum labor & dolor. Ex quo liquidè colligitur alium Dionyſium Areopagitam, alium Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum extitiſſe. Atque ita prædictorum authorum ſententiis Bedæ refellimus opinionem; præſertim cum & illorũ longè grauior ſit, & in ore duorum potius quam vnius ſtare verbum conueniat. Ad Eccleſiaſticam quippe Hiſtoriam quaſi primum & maximum Eccleſiaſticorum geſtorum fundamentum, tam Bedam quam cæteros ſcriptores Eccleſiaſticos recurrere certum eſt. Quid itaque videtur tibi reſpondere poſſe Beda, ſi illa ſcripta ei aduerſari monſtrauerìs, quorum ſe frequenter authoritatibus protegit? Nihil equidem notius quam Sapientis illum verſiculum, *Conueniet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.* Ne quis autem grauiter ferat ac vehementer abhorreat Bedam nonnunquã decipi & ſuo ſpiritu non Diuino quædam protuliſſe, eo videlicet quod eius expoſitiones Latinorum maximè frequentet Eccleſia, ad memoriam Nathan Prophetam reducat de ædificando templo deceptum, atque ipſius quoque Principis Apoſtolorum pernicioſam ſimulationem à Coapoſtolo Paulo correctam; quia inquit, reprehenſibilis erat: nec non & venerabilem Doctorem Auguſtinum qui errores proprios ſponte corrigendo, omnia fere ſcripta ſua retractare non erubuit. Recogitet & illud Heliæ Prouerbium. *Non enim meliores ſumus quam Patres noſtri.* Et tunc profectò cum tantorum virorũ errores commemorauerit, iam de errore Bedæ mirari deſiſtet. Vt enim B. aſſerit Gregorius in prima ſuper Ezechielem homilia, *nonnunquam Spiritus S. ad humilitatis cuſtodiam mentibus fidelium ſe ſe ſubtrahit, & eos in errorem labi permittit, vt videlicet recognoſcant quam inutiles ſpiritu S. abſcedente remaneant: qui etiam cum mentibus præſidet ſanctorum, ſic renelet aliqua, vt occultet nonnulla.* Non magnopere curandum eſt ſi in Hiſtoriis, aut in his quæ ad fidei Catholicæ periculum non attinent, erraſſe ſanctos nonnunquam annuamus, cum aperte Auguſtinus de hiſtoria 7. Pſalmi, in cuius videlicet Pſalmi titulo legitur. *Pro verbis Chuſi filij Iemini* per Hieronymum erraſſe conuinci poſſit, tanquam Hebraicæ penitus expers veritatis. Si quis autem Bedæ quoque authoritate nitatur, vt omnibus ſatisfaciat, dicere fortaſſe licebit hoc loco Bedam aliorum opinionem potius ſequutum eſſe quàm ſuam conſtituiſſe ſententiam. Sæpe etenim vt ſanctorum authoritates illæſas cuſtodiamus, ea quæ ſcribunt ad opinionem aliorum potius quam ad ſententiam ipſorum referimus. Sic & in hoc loco dicamus Bedam aliorum intro-

» duxiſſe ſententiam, qui ex æquiuocatione nominis decepti eundem eſſe exiſti-
» mauerunt Dionyſium Areopagitam & Dionyſium Corinthiorum, quippe cum
» & B. Ambroſium adeo ab Hiſtoricâ veritate quodam loco per æquiuocationem
» nominis videamus exorbitaſſe, & Iacobum Fratrem Ioannis, quem pariter cum
» Ioanne fratre ſuo & Petro ad transfigurationem ſui ſeorſum Dominus aſſumpſit,
» eum Iacobum fuiſſe aſſerat, qui primus ſolium ſacerdotale conſcendit. Quod
» quidem de alio Iacobo & qui frater Domini nuncupatus eſt, & primus in Hie-
» roſolymorum Eccleſiam eſt ordinatus, conſtat intelligi debere: vt videlicet ille
» primus hoc modo ſacerdotale ſolium intelligatur conſcendiſſe. Si ergo tantus
» Doctor per æquiuocationem nominis Iacobi à veritate hiſtorica, in expoſitione
» Euangelica permiſſus ſit deuiare, quid mirum ſi Bedam æquiuocatio quoq; no-
» minis Dionyſij, vel pleroſque alios fefellerit, præſertim in illa actuum Apoſt. ex-
» poſitione quam ab ipſo Beda certum eſt poſtea retractatam eſſe? In cuius quidem
» retractationis præfatiuncula, vt breuiter verba eius comprehendamus, ita exor-
» ſus ait.

Scimus eximium Doctorem Auguſtinum libros Retractationum in quædam opuſcula ſua feciſſe. Cuius induſtriam nobis quoque placuit imitari, vt poſt expoſitionem Actuum Apoſt. quam ante annos plures conſcripſimus, nunc in idem volumen breuem Retractationis libellum condamus, ſtudio maximè vel addendi quæ minus dicta, vel emendandi quæ ſecus quam placuit, dicta videbuntur.

Qui etiam in prædicta expoſitione ſua verſus Arati frequenter introduxit: cu-
» ius nonnullos nouimus errores, cum apertè eum Hieronymus in prædicto illu-
» ſtrium virorum libro erraſſe oſtendit, de eodē die quo Petrus & Paulus paſſi ſunt.
» Quem quidem non aliter eundem tam Aratus quàm Beda in Martyrologio, eius
» authoritate fretus accipiat, niſi anni reuoluto tempore, cum Hieronymus eodem
» die, anno 14. Neronis tam Petrum quam Paulum paſſos eſſe nunciet. Denique
» vt hanc litem variarum ſententiarum pacatiſſimo fine ſopire penitus valeamus;
» facilè fortaſſis, ſi duos Dionyſios Corinthiorum Epiſcopos extitiſſe ponamus, &
» Bedam veracem poterimus tenere & nihil per opinionem accipere, ita quidē vt
» vnus & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus & Dionyſius Areopagita idem ſit de
» quo Beda ſcribit, & in diuerſis temporibus idem Athenis & Corintho præeſſet
» Epiſcopus, & poſtmodum à S. Clemente Galliarum ſit ordinatus Apoſtolus: alius
» vero ex Dionyſiis Corinthiorum Epiſcopis ille fuerit Dionyſius, de quo Eccleſia-
» ſtica Hiſtoria & Hieronymus meminerunt: atque ita arbitror omnem controuer-
» ſiam abſolui poſſe. Omnium igitur quæ ad ſolutionem propoſuimus, hæc ſum-
» ma eſt, vt vel Bedam deceptum fuiſſe concedamus, vel eum aliorum nobis opi-
» nionem præſentaſſe, vel duos Corinthiorum Epiſcopos extitiſſe. Valete in Do-
» mino dilectiſſimi.

Dum autem inter Abbatem & Priorem Cellæ S. Petri Trecenſis atque ipſum Abaëlardum de reditu tractatur, obit Abbas, eique ſubſtituitur concordantibus omnium Monachorum ſuffragiis Sugerius tum abſens, Vir ex humili quidem ortus loco, ſed peritiâ & litterarum humaniorum notitiâ eloquentiaque præclarus, annos natus circiter 40. **Quia verò electionem iſtam Monachi inconſulto** Rege perfecerant, factamque tantummodo confirmari ab eo poſtularant, Rex nonnullos eorum apud Aureliam incarcerauit. Itaque Sugerius licet tunc pro Regni negotiis apud Calixtum Papam legatione fungeretur, non auſus eſt à Pontifice ſuæ confirmationem electionis petere, donec Regis animus demitigatus fuiſſet. Sic ipſe ſcribit. *Occurrit ſubitò puer familiaris, qui meos meque recognoſcens lætus & triſtis ſingularem educit Domini noſtri bonæ memoriæ Abbatis Adæ Anteceſſoris deceſſum denunciat, communem de perſona noſtra pleno Conuentu factam electionem. Sed quia inconſulto Rege factum fuerat, meliores & religioſiores fratrum, milites etiam nobiliores cum obtuliſſent D. Regi electionem, vt aſſenſum præberet, multis affectos conuitiis, Aurelianis Caſtello incluſos reportat. Obortis itaque lachrymis Patri ſpiritali & Nutritori meo humanitatis & pietatis affectu compatiens, de morte temporali grauiter dolens, à perpetua eum erui deuotiſſimè diuinam implorabam propitiationem.*

Verum paulo poſt Rex mitigatus incarceratos ſolui iuſſit, Electionemq; comprobauit. Quâ de re certior factus Sugerius maturato reditu apud S. Dionyſium Regem conuenit, Archiepiſcopum Biturienſem, Epiſcopum Siluanectenſem

& alios complures aduentum ſuum præſtolantes. Eadem ergo hebdomadâ quâ rediit, ordinatus eſt Preſbyter, & ſequente Dominica conſecratus Abbas. Atque vt erat vir pacificus & valde moderatus, cum ſtatim conuenit pauper Abaëlardus cum Burchardo Meldenſi Epiſcopo, conaturque ab eo obtinere quod ab Adamo deceſſore non potuerat impetrare, ſcilicet vt ſibi in aliqua alia Abbatia extra San-Dionyſianam viuere liceret. Vix obtinet; à obtinet tamen interuentu Conſilij Regij & Stephani de Garlanda tunc Dapiferi & Archiminiſtri, vt priuatus ſcilicet Monachus viuat, nec ſe vlli alij Abbatiæ ſubiuget: quod quidem eo facilius ait ſe à Conſilio impetraſſe, quia cum immenſis Abbatiæ bonis inhiaret, ſperabat ſe quoque facilius & iuſtius ea ablaturum, ſi licentiorem vitam Monachi; ducerent, quàm ſi inibi Abaëlardo degente, monente & reprehendente caſtigatius, & modeſtius viuerent. Hac de re ſic ille.

Abbas in hac obſtinatione poſt paucos dies defunctus eſt. Cui cum alius ſucceſſiſſet, conueni cum cum Epiſcopo Meldenſi, vt mihi hoc quod à prædeceſſore eius petieram, indulgeret. Cui rei cum nec ille primò acquieſceret, poſtea interuenientibus amicis quibuſdam noſtris Regem & Conſilium eius ſuper hoc compellaui; & ſic quod volebam, impetraui. Stephanus quippe Regis tunc Dapifer vocato in partem Abbate & familiaribus eius quæſiuit ab eis cur me inuitum retinere vellent, ex quo incurrere facilè ſcandalum poſſent, & nullam vtilitatem habere; cum nullatenus vita mea & ipſorum conuenire poſſent. Sciebant autem in hac Regij Conſilij ſententiam eſſe, vt quo minus regularis Abbatia illa eſſet, magis Regi eſſet ſubiecta atque vtilis, quantum videlicet ad lucra temporalia. Vnde me facile Regis & ſuorum aſſenſum conſequi credideram, ſicque actum eſt. Sed ne gloriationem ſuam quam de me habebat Monaſterium noſtrum amitteret, conceſſerunt mihi ad quam vellem ſolitudinem tranſire, dummodo me nulli Abbatiæ ſubiugarem: hocque in præſentia Regis & ſuorum vtrimque aſſenſum eſt & confirmatum. Ego itaque ad ſolitudinem quandam in Trecenſi pago mihi antea cognitam me contuli, ibique à quibuſdam terrâ mihi donatâ, aſſenſu Epiſcopi terræ Oratorium quoddam in nomine S. Trinitatis ex calamis & culmo primùm conſtruxi. Vbi cum quodam Clerico noſtro latitans illud verè Domino poteram decantare. Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine.

Eodem anno Petrus Cluniacenſis, vulgò dictus Venerabilis cœpit Abbatiam regere Cluniacenſem. Septimus ille filius fuit Mauricij de Montboiſier Caſtellani de Montboiſier in Aruernia & Raingardis; frater Heraclij Lugdunenſis Archiepiſcopi, Pontij Vezeliacenſis, Iordani Caſæ-Dei Abbatum & Armanni Prioris Cluniacenſis: vir autem non magis claritudine generis, quam diuinarum humanarumque litterarum notitiâ eximiè conſpicuus. Initio ſui regiminis vexatus eſt plurimum à Pontio Melgolienſi quondam Abbate, qui Romam ad Calixtum profectus omnem à ſe Abbatiæ dignitatem munuſque abdicarat Hieroſolymitanæ peregrinationis deſiderio captus: vnde eo abdicante & Papa mandante Hugo quidam Prior Monialium de Marcigniaco ſuffectus fuerat: eo verò poſt quinque menſes defuncto Petrus electus. Pœnituit Pontium abdicaſſe, & ab vrbe Hieroſolymitana reuerſus, Abbatiam quam eiurarat, quandoquidem iure non poterat, armis recuperare contendit, & ad annum vſque 1126. quo ab Honorio Papa damnatus eſt, & obiit, Petrum variis modis exagitauit.

Sub finem eiuſdem anni, nempe 4. Kal. Decemb. obiit Daimbertus Archiepiſcopus Senonenſis, anno Ordinationis ſuæ 27. pene tranſacto, vt habetur in Chronico S. Petri Viui; cui ſucceſſit poſtulante Rege Henricus cognomento Aper ex antiqua familiâ Dominorum de Boiſrogues Pagi Lodunenſis, ſedemque tenuit ad annum vſque 1144. vir celeberrimus, Regi fideliſſimus, & Academiæ Pariſienſis Academicorumque amantiſſimus vt ex dicendis conſtabit.

Anno 1123. occaſione huiuſce nouæ electionis & promotionis rurſus mota eſt 1123.
quæſtio & controuerſia de Primatia Galliarum, quam ſibi vindicabat Archipræſul Lugdunenſis, vulnuſque recruduit Curiæ Gallicanæ non ſatis adhuc obductum. Lis enim iſta iam diu Gallicanam Eccleſiam turbabat, ſed præſertim ab an. 1078. quo Gregorius VII. Gebuino Archiepiſcopo Primatiam in 4. Lugdunenſes attribuit ſingulari & ſpeciali Bullâ datâ Romæ 12. Kal. Maias; & aliâ ſimiliter datâ ad Archiepiſcopos Rothomagenſem, Senonenſem & Turonenſem, quâ variis rationibus probauit ita expoſcere Ordinem Eccleſiæ: Paruerunt eo- *De Primatia Galliarum.*

rum duo: reſtitit Richerius Senonenſis, Eccleſiæ ſuæ id honoris ex Iure & conſuetudine deberi contendens: datum nempe Anſegiſo à Ioanne VIII. & confirmatum à ſucceſſoribus; neque ipſe, cum ea quæſtio in Concilio Claromontano an. 1095. agitata eſt, ſubſtractaque eſt ab Vrbano II. Suffraganeorum obedientia, ius ſuum imò Eccleſiæ ſuæ tueri deſtitit, ſuadente licet Iuone Carnotenſi, *vt acquieſceret interim Apoſtolicis ſanctionibus abſque præiudicio priuilegiorum, ſi quando reperiri poterunt, quæ hanc ſubiectionem ab eius Eccleſia remouerent & eius libertatem defenderent.*

Diu quoque refragatus eſt parere Daimbertus Richerij ſucceſſor, nec niſi ab ipſo Pontifice coactus Primatiam illam agnouit. Demum Calixtus è Gallia diſcedens, Humbaldo ſeu Humberto, à quo Lugduni honorificentiſſimè exceptus fuerat, ius illud aſſeruit, Senonenſemque cum cæteris Lugdunenſibus Diœceſibus ipſi ſubiecit: vnde non potuit ſibi temperare Ludouicus, quin durioribus verbis ad Papam ſcriberet profitereturque ſe nunquam paſſurum eiuſmodi ſubiectionem, ſic ergo ille.

De primatu Lugdunenſi.

» *Scripſit Nobis ſublimitas veſtra de captione illius Apoſtatæ Burdini & de incolumitate ſtatus veſtri.* Vnde, Pater dilectiſſime, plurimum & præ cæteris vos
» amamus, honoremque veſtrum ſtudium noſtrum in omnibus eſſe intelligimus. De ſententia ſane in Metropolitanum Senonenſem noſtro honore relaxata animum noſtrum ex parte mitigaſtis: ſed quoniam ad tempus eſt relaxata,
» ſuſpenſum vehementer ac dubium reddidiſtis. Videtur enim aliquam adhuc
» ſpem habere Lugdunenſis Archiepiſcopus ſuper illâ quam quærit ſubiectione.
» Sed vt verum fatear, *ſuſtinerem potius Regni noſtri totius incendium, Capitis etiam
» noſtri periculum, quam huius ſubiectionis & abiectionis opprobrium.* Videtur enim ad
» noſtrum reſpicere contemptum contra Nos hoc modo fieri, quod nunquam
» extiterit factum. Nouit autem experientia veſtra Regnum Francorum in
» obſequiis promptum, in neceſſitatibus amicum vobis extitiſſe, nec à fidelitate Rom. Eccleſiæ precibus aut promiſſionibus Imperatoris Nos auelli vnquam
» potuiſſe. Et quanto animi feruore, quanta mentis humilitate vobis obedierimus, vtſi taceat vox veſtra, clament opera noſtra, monſtrent obſequia mea. Vt
» enim cætera dimittam, illud inter alia meminerit Paternitas veſtra, quod quamuis graui, vt ſcitis, laborarem infirmitate, moleſtia corporis vehementer vrgente, Remenſi tamen Concilio cum labore quidem noſtro, ſed cum honore veſtro
» intereſſe ſtuduimus, & plus veſtræ voluntati quàm noſtræ facultati, plus honori veſtro quàm Dominio noſtro conſuluimus. Hoc vobis, dulciſſime Pater, memorando ſcripſimus, non quia non placeat nobis hoc feciſſe, ſed quia volumus
» hoc à memoria veſtra non receſſiſſe. Si quid igitur valet, ſi quid poteſt apud
» vos amor noſter & obſequium noſtrum, rogamus & petimus vt Senonenſis Eccleſia, quæ ab iſta, de qua nunc pulſatur, ſubiectione huc vſque aliena extitit
» & libera, per vos non fiat ancilla, ſed antiqua eius libertas authoritate Apoſtolica roboretur, & priuilegij firmitate muniatur; in quo tamen nihil à vobis
» contra Iuſtitiam exigitur. *Si enim opponitur, quod veterum Inſtitutio Lugdunenſi
» Eccleſiæ Primatum contulerit, reſpondetur ex oppoſito quod antiquæ libertatis poſſeſſio
» Senonenſem Eccleſiam ab eius ſubiectione defendit. Quod enim antiqua poſſeſſione acquiritur, nullo vt fertur, iure adimitur, etiamſi de iure Rom. Eccleſiæ fuiſſe cognoſcitur.* Hac igitur ratione Senonenſis Eccleſiæ libertas remanere debet inconcuſſa
» & intacta, nec pulſari aut violari debet pro ſubiectione nouiter & imprudenter
» facta. Facta eſt enim vt dicitur, latenter & furtiuè ſubiectio iſta *neſciente ſcilicet
» Clero Senonenſi, inconſultis etiam Epiſcopis illius Diœceſis, ignorante etiam Rege*, in
» quibus omnibus dignitas pendet Eccleſiæ; Et ſubiectio taliter facta reſpicere
» potius videtur ad ignominiam malè accipientis, quàm ad commodum Eccleſiæ
» neſcientis. *Res enim communis communi tractanda eſt conſilio, non latenti & priuato
» terminanda colloquio.* Cum igitur dignitas ſit Eccleſiæ non perſonæ, ſi Senonenſis Archiepiſcopus iſte Daimbertus, & quidem ſolus de non ſua fecit quod non
» oportuit, ſi promiſit quod non debuit, Eccleſia tamen Senonenſis quod ſuum
» eſt, non amiſit, nec priuatam libertatem quam ex antiquitate habuit, nec
» cogenda eſt ad ſubiectionem quam nunquam exhibuit. His ita ſe habentibus
» videat, Dulciſſime Pater, Diſcretio veſtra, ne Ciuitas Lugdunenſis quæ de

alieno eſt Regno, de noſtro florebat detrimento, nec ſubiiciatur amicus amico: quia ſi decipitur pro amico amicus, iuſtè fiet de amico inimicus. Rex ergo Franciæ qui proprius eſt Rom. Eccleſiæ filius ſi in facili cauſa, ſi in leui petitione contemnitur, nulla ſpes in maiori relinquitur, nec vlterius in aliis patietur repulſam, ſi in iſtis ſuſtinet repulſionis offenſam. *Melius eſt enim Regiæ honeſtati à precibus deſiſtere quàm de repulſa næuum ruboris contrahere. Quod minus in litteris continetur, præſentium lator Algrinus viuâ voce ſupplebit, cuius verba tanquam ex ore noſtro ſuſcipite & cuſtodite.*

Ex his patet ab Anſegiſi Senonenſis Archiepiſcopi temporibus, qui primus à Ioanne VIII. Regnante Carolo Caluo Primatum Galliarum obtinuerat, Archiepiſcopos Senonenſes id iuris habuiſſe aut habere contendiſſe vſque ad Daimbertum, qui Romam profectus Conſiſtorio Romano iudicante, præſentibus Legatis Archiepiſcopi Lugdunenſis ſubiectionem & obedientiam ſupradictam iurauit. Sed eam ideo putauit irritam *Curia Gallicana*, quod non petito neque exſpectato Eccleſiæ Senonenſis, nec Suffraganeorum, nec Regis conſenſu (quorum tamen præcipuè intererat) eam præſtitiſſet. Nam ante ipſum Richerius, etſi amicorum precibus & admonitionibus ſollicitatus, nullatenus acquieſcere voluerat: quanquam ex Ep. 50. Iuonis ad ipſum Richerium intelligitur veterem iſtam fuiſſe controuerſiam: nam cum Richerius ex eo quæſiſſet, quid facto opus eſſe putaret, ſic ille reſcripſit.

De veteri querela quam habet aduerſus Senonenſem Eccleſiam Lugdunenſis Eccleſia, laudo & conſulo vt ſi habetis priuilegia Apoſtolicâ manu roborata, vel ſcripta authentica quæ Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem aliquando ex Catalogis Ciuitatum coniicimus extitiſſe, ab Eccleſia veſtra remoueant, & libertatem quam deſideramus, eidem Eccleſiæ defendant, ea Confratribus noſtris oſtendatis, & eadem paruitati noſtræ tranſmittatis, quibus tanquam firmis ſuſtentaculis innitamur, & libertatem matris noſtræ pro poſſe noſtro tueamur. Quæ ſi modo ad manum non habetis, non eſt conſilium meum vt contra torrentem brachia dirigatis; imò Apoſtolicis ſanctionibus interim acquieſcatis abſque præiudicio priuilegiorum vel authenticarum Scripturarum, ſi quando reperiri poterunt, quæ hanc ſubiectionem ab Eccleſia veſtra remoueant, & eiuſdem Eccleſiæ libertatem defendant. Qui melius ſentiunt, melius conſulant. Hinc intelligitur tunc non extitiſſe, aut inueniri non potuiſſe Priuilegia illa Senonenſi Eccleſiæ à ſummis Pontificibus conceſſa, ſed tantùm aut traditionem aliquam, aut hiſtoriarum fragmenta nonnullarum, non ſatis firma atque authentica.

Eodem anno habitum & celebratum eſt à Calixto Pontifice Romanum Concilium in Laterano; in quo ſpeciatim & maximè de collationibus ſeu Inueſtituris Prælaturarum actum eſt, quas Henricus Imperator more Prædeceſſorum ſuorum ſibi vindicabat: tandemque inter Imperium & Sacerdotium inſignis illa pax & concordia coaluit anno plus minus quinquageſimo, ex quo inter Gregorium VII. & Henricum IV. ob ſacerdotiorum collationes contentio & diſcordia excitata fuerat. Itaque cedente Imperatore Epiſcoporum & Abbatum electiones, quas ſibi Principes vbique attribuerant, Clero & Monachis reſtitutæ ſunt. Cuius rei adhuc monimentum extat in Pictura vetuſti Palatij Pontificii in Laterano, vbi legitur hoc Epitaphium. *Pax inter ſacerdotium & imperiũ.*

Ecce Calixtus honor patriæ, decus Imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemque reformat.

Ille eſt Burdinus, quem Henricus Imperator Calixto oppoſuerat: quemque Calixtus Sutrii captum & camelo verſâ ad caudam facie impoſitum circumduxerat, atque in arce Sirmionis retruſerat. Concilio autem Romano è Noſtratibus adfuit inter cæteros Sugerius San-Dionyſianus Abbas, qui de eo ſic ſcribit. *Sequente ordinationis noſtræ anno, ne ingratitudine argueremur, ſancta quippe Romana Eccleſia ante noſtram promotionem tam Romæ quàm alibi multis & diuerſis Conciliis, tam pro Eccleſia noſtra quàm pro aliis agentem benignè ſuſceperat, gratanter diſſerentem audierat, negotia noſtra, me alternis erexerat, ad eam viſitandam properantes à D. Papa Calixto & tota Curia honorificè valde recepti per ſex menſes cum apud eum demorando magno Concilio 300. & amplius Epiſcoporum Lateranis compoſitione pacis de*

querela Innueſtituram adſtitiſſemus orationis causâ frequentatis diuerſis ſanctorum locis videlicet S. Benedicti Caſsini, S. Bartholomæi Beneuenti, S. Mathæi Salerni, S. Nicolai Barri, SS. Angelorum Gargani Deo opitulante cum gratia & D. Papæ amore & & formatis Epiſtolis proſpere remeauimus.

Huiuſce concordiæ tam vtilis tamque neceſſariæ præcipui promotores & authores fuiſſe leguntur Albertus Moguntinenſis Archiepiſcopus, Fridericus Colonienſis, Bruno Treuerenſis, & hi tres Epiſcopi, Arduinus Ratisbonenſis, Otho Bauemburgenſis, Bruno Spirenſis. Extant quoque vtriuſque Principis Litteræ tranſacti fœderis & pacti teſtes, legunturque apud Simeonem Dunelmenſem ſcriptorem illorum temporum ad an. 1122. taleſque ſunt.

„ *Ego Calixtus Ep. ſer. ſer Dei. Tibi dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad* Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque Simonia & omni violentia, vt ſi „ qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Prouincialium iudicio „ vel conſilio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia „ à te accipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperij „ conſecratus infra ſex menſes Regalia per ſceptrum à te recipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat exceptis omnibus quæ ad Eccleſiam Rom. pertinere noſcuntur. De quibus verò querimoniam mihi feceris, & auxilium poſtulaueris, ſecundum officij mei debitum auxilium præſtabo. Do tibi veram pacem & omnibus „ qui in parte tua ſunt aut fuerunt tempore huius diſcordiæ.

In Nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Ego Henricus D. G. Romanorum Imperator Auguſtus pro amore Dei & S. Romanæ Eccleſiæ & Domini Calixti Papæ & pro remedio animæ meæ dimitto Deo & ſanctis Dei Apoſtolis Petro & Paulo ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ inueſtituram per anulum & Baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, Canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem.* Poſ- „ ſeſſiones & Regalia B. Petri quæ à Principio huius diſcordiæ vſque hodiernam „ diem ſiue tempore Patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem S. „ Romanæ Eccleſiæ reſtituo. Quæ autem non habeo, vt reſtituantur fideliter iu- „ uabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum & Principum & aliorum „ tam Clericorum quam Laicorum quæ in Werra iſta amiſſæ ſunt, Conſilio Prin- „ cipum vel Iuſtitia, quæ habeo reddam, quæ non habeo, vt reddantur, fideliter „ iuuabo. Et do veram pacem Domno Papæ Calixto & S. Rom. Eccleſiæ & om- „ nibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt, & in quibus ſancta Rom. Eccleſia au- „ xilium poſtulauerit, fideliter iuuabo, & de quibus mihi fecerit querimoniam, „ debiram ſibi Iuſtitiam faciam.

Bononienſis Academia. Ad hunc annum narrat Carolus Sigonius Scholares Bononienſes nondum certum Corpus conſtituiſſe, ſed iiſdem legibus fuiſſe ſubiectos quibus cæteri ciues ſubiiciebantur. Sic enim ille poſt titulum de Collegiis Ciuitatis. *Schola in qua liberales Artes exercebantur quantum colligi coniectura poteſt, nondum erat in fama celebritate, qua poſtea fuit: neque Scholares vllum adhuc Corpus, vt poſtea, neque Corporis Caput nacti erant: verum eidem foro eidemque legi, cui reliqui ciues, parebant.* Nimirum licet hæc Academia à Carolo M. inſtaurata fuiſſet vt vulgo creditur, lapſu tamen temporis, incuria Pontificum & Imperatorum contabuerat, nec niſi poſt reparatam opere Warneri ſeu Irnerij Iureconſulti Iuris Ciuilis ſcientiam. bene refloruit. Quo etiam tempore Gratianus Ius Canonicum in meliorem ordinem redegit, & in ſcholis legendum propoſuit; vt infra dicemus. Itaque ante ea tempora nimirum ante an. circiter 1130. vix Academia Bononienſis leges habuit à Ciuilibus diſtinctas: neque Rectorem ſeu Caput, quia nullam videtur habuiſſe celebritatem: at poſt compilatam Iuris vtriuſque methodum magno concurſu frequentari cœpit ad hauriendas in ipſo fonte illas Diſciplinas: quemadmodum ad Theologiam & liberales artes diſcendas frequentabatur Academia Pariſienſis: ad Medicinam vero Salernitana & Monſpeſſulana: donec tandem ipſa Pariſienſis Schola Diſciplinas illas ad ſe traduxit & in iis Doctores ſeu Profeſſores habere cœpit.

De Stephano Pariſienſi Epiſcopo. Eodem anno 8. Kal. Feb. obiit Girbertus ſeu Gerbertus Epiſcopus Pariſienſis, cui ſucceſſit Stephanus Guidonis Siluanectenſis, de Turre nuncupati, Domini de Chantilly & d'Ermennonuille filius: quæ nobilis familia Buticulariatu Franciæ

ſub primis tertiæ Dynaſtiæ Regibus condecorata fuit. Ille autem, vt loquuntur Sammarthani in Gallia Chriſtiana, in omni diſciplinarum genere excultus primo factus eſt Decanus Aurelianenſis an. 1113. deinde poſt mortem Girberti hoc an. 1123. Epiſcopus Pariſienſis. Non conuenit autem inter Criticos quodnam ille munus in Regni adminiſtratione geſſerit. Communis quidem ſententia eſt fuiſſe illum Stephanum de Garlanda cognominatum, Cancellarium & Dapiferum antea Ludouici Regis, Guillielmique de Garlanda fratris ſuis in Dapiferatu ſucceſſorem. Quæ quidem ſententia confirmatur authoritate Chronici Mauriniacenſis, in quo legitur Stephanum illum Cancellariatum Franciæ diu exercuiſſe, & defuncto fratre Guillielmo Maiorem-Domus factum. Item authoritate Hugonis de Cleriis in Commentario de *Maioratu & Seneſcalcia Franciæ*, Comitum olim Andegauenſium hæreditariâ, ſic enim ſcribit *Poſt Willielmum ſit Seneſchallus Stephanus de Garlanda qui fecit hominium Comiti.* Iſte autem Stephanus, vt ante dictum eſt, anno 1100. ſe in ſedem Beluacenſem intruſerat: ſed de ea tandem deiectus eſt, nec in Pariſienſi inuadenda felicior fuit: (quippe Galo ei prælatus eſt) Itaque ad an. vſque 1123. aiunt eum geſſiſſe Cancellariatum & Dapiferatum: poſt mortem vero Girberti Epiſcopatu Pariſienſi fuiſſe donatum.

Alij Stephanum Cancellarium à Dapifero diſtinguunt; illumque non hunc Epiſcopum Pariſienſem fuiſſe arbitrantur. Quâ in ſententiâ eſt Andreas Quercetanus in Notis ad Abaëlardum, quia in antiquis monimentis cum mentio fit Epiſcopi Stephani, fit quidem mentio Cancellariatus, non vero Dapiferatus. Teſtis inſcriptio eius tumulo appoſita apud San-Victorinos. *Hic iacet felicis memoriæ Reuerendus Pater & Dominus Stephanus quondam Franciæ Cancellarius, poſt Pariſienſis Epiſcopus.* Item in Tabulis B. Mariæ de Gornaio referuntur ad an. 1129. ſimul duo Stephani, ſcilicet Stephanus Dapifer & Stephanus Cancellarius. Nam Chartham quæ eſt Ludouici Groſſi ſubſignant *Stephanus Dapifer*, Guibertus Buticularius, Hugo Conſtabularius, Albericus Camerarius: quibus hæc verba ſubiunguntur. *Data per manum Stephani Cancellarij.* De hac controuerſia ſic videtur ſentiendum.

Certum eſt 1. Stephanum de Garlanda fuiſſe ſub initia huiuſce ſeculi & ad mortem vſque fratris Guillielmi, Franciæ Cancellarium, Clericum virum & Stampenſem olim Canonicum: de quo ſic habet Chronicon Mauriniacenſe ad an. 1119. *Stephanus Cancellarius Anſelli Dapiferi frater & priuatiſſimus Regis Conſiliarius, cuius tunc temporis arbitrio Regnum Francorum diſponebatur.* Et paulo poſt loquens de Canonicis Stampenſibus, *ad auxilium Algrini Clerici Regalis, Canonici militaris, hominis animalis Domnique Stephani Cancellarij Regis & à ſecretis confugerunt.* Idem poſt mortem Fratrum Anſelli & Guillielmi Dapiferatum obtinuit: vt legitur in eodem Chronico. *Interea defuncto Willielmo Anſelli Dapiferi Germano Stephanus Cancellarius de quo ſuperius fecimus mentionem, Frater amborum Maior Regiæ Domus effectus eſt.*

Certum eſt 2. hunc Stephanum nunquam fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem: ſiquidem an. 1124. quo Chartam fundationis B. Mariæ de Gornaio ſubſignauit, **Dapifer erat, & Stephanus alius Pariſienſem ſedem tenebat: neque Stephanus** Dapifer alium in Eccleſia legitur habuiſſe ordinem, quàm Diaconatus. Poſtremo ea quæ ipſi in alta illa ſublimique fortuna Regni acciderunt, nullatenus cum Epiſcopatu Pariſienſi conueniunt. Sic enim de eo habetur in dicto Chronico. *Hoc retroactis generationibus fuerat inauditũ, vt homo qui Diaconatus fungebatur officio, militiæ ſimul poſt Regem duceret Principatum. Hic vir induſtrius & ſeculari præditus ſapientia cum multis Eccleſiaſticorum bonorum reditibus, tum familiaritate Regis quam ſic habebat, vt ei potius à quibuſdam diceretur imperare quam ſeruire, temporali felicitate ſupra cæteros mortales noſtris temporibus efflorebat. Tradita verò nepti ſuâ in Coniugio Almarico de Monte-forti cum honore de Rupeforti, qui puellæ de Matrimonio obuenerat, tumefactus oblituſque ſui Adelam Reginam frequentiſſimis moleſtiis ſibi reddidit infeſtam, odiiſque creſcentibus Rege turbato, depoſitus ab honore pulſatur à Curia. Ipſe vero veluti quadam correptus inſania Regnum turbare totis viribus annititur, & viri in armis ſtrenui, Almarici, dico, fretus auxiliis Patriam hanc bellis accendit. Sed cum ſuos affectus deducere non poſſet ad effectus, reuerſus ad ſemetipſum Seneſcalciam quam iure poſſidere ſe dicebat hæreditario, dimiſit & cum Rege Ludouico, Adelaide Regina interueniente pacificatus eſt.*

Iam vero an Stephanus Epiſcopus Pariſienſis fuerit Regni *Cancellarius*, merito dubitari poteſt, quia in Inſtrumentis Publicis nec ſibi aſſumit hoc nomen, nec à Rege aut Pontifice illi quod ſciam tribuitur. Itaque cum in eius Epitaphio quod apud Victorinos legitur, *Cancellarij* dignitas cõmemoratur, credibile eſt ab aliquo è poſteris inſcriptum illud Epitaphium, qui nomine deceptus è duobus Stephanis vnum fecerit. Et licet in Charta fundationis Eccleſiæ B. Mariæ de Gornaio legantur hæc verba. *Data per manum Stephani Cancellarij*, Incertum ad huc relinquitur, an fuerit ille Epiſcopus Pariſienſis. Verum ſi Stephanus Epiſcopus eo munere functus eſt aliquandiu, non diu certè functus eſt. Nam in Chartis Regiis ſubſcriptum videmus *Algrinum Cancellarium*, quarum vna eſt Ludouici VII. data Pariſius an. 1138. *Per manum Algrini.*

At quis ille fuit Algrinus? Chronicon Mauriniacenſe ait eum fuiſſe Canonicum Stampenſem, Clericum Regalem & Palatinum. *Fouebat eorum partes*, id eſt Canonicorum Stampenſium, *Algrinus quidam Palatinus & Regalis Clericus, & Stephanus Cancellarius Anſelli Dapiferi frater, qui ambo Canonici Stampenſes erant.* Et infra. *Ad auxilium Algrini Clerici Regalis, Canonici militaris, hominis animalis Domnique Stephani Cancellarij Regis & à Secretis confugerunt.* Et is eſt Algrinus quem Rex ad Calixtum Papam miſit cum literis contra Primatum Eccleſiæ Lugdunenſis, vt ſupra oſtenſum eſt.

Dubium vero eſt, an idem ille Algrinus fuerit quoque Eccleſiæ Cancellarius: nam ſub Stephano prædicto, imo paulo ante Algrinus quidam Cancellariatum geſſit & Theobaldo ſucceſſit anno circiter 1122. diuque geſſit; ſepultus vero eſt apud Victorinos, & eius habetur memoria in Necrologio ad 7. Kal. Iulij. his verbis. *Anniuerſarium ſolemne D. Algrini Aurelianenſis Archidiaconi, & B. Mariæ Pariſienſis Canonici & Cancellarij.* At nihil hic de Cancelariatu Franciæ. Vnde coniicitur hunc ab illo fuiſſe diſtinctum eodemque tempore duos Algrinos Cancellarios fuiſſe, vnum Regis, alterum Eccleſiæ Pariſienſis. Iſte vero diu munus hoc geſſit & vltra an. 1146. vt ex diuerſis monimentis intelligitur donationum Eccleſiæ San Victorinæ factarum: quale illud inquit Hemeræus, quo continetur confirmatio omnium Beneficiorumquæ in eandem Eccleſiam S. Victoris Epiſcopi Pariſienſes & Capitulum hactenus contulerunt *Theobaldo Epiſcopante, Bartholomeo Decano & Algrino cancellante.*

Hiſce temporibus florebant inſignes Academici Pariſienſes, Vvillielmus de Conchis Normanicæ Nationis, Theodericus Rhetorices Profeſſor in monte San-Genouefiano. Goſlenus ſeu Ioſlenus de Vierzy dictus Rufus, inſignis Theologus & paulo poſt Suellionenſis Epiſcopus poſt Liſiardum. Gilbertus Porretanus de quo nos alibi. Henricus de Murdach Anglus, Robertus Pullus ſeu de Pollen Anglicanæ quoque Nationis, de quibus infra. Apud Canonicos San Victorinos, Gilduinus Abbas, Hugo, Iuo, Thomas & Andreas de S. Victore cognominati & alij pene immunerabiles. His quoque temporibus in Scholis militabant Nicolaus de Brekſpere Anglus, & Guido de Caſtello, qui ambo Pontifices maximi fuerunt.

1124. Anno 1124. Ludouicus Rex Indictalium Nundinarum Priuilegium San-Dionyſianis Monachis in gratiam Sugerii Abbatis, cuius conſiliis plurimum vtebatur, confirmauit, vt patet ex eius diplomate dato Pariſiis, quod ex Chirographo Exemplari in Scriniis Caſtelleti Pariſienſis conſcripto tranſcripſit Renatus Chopinus l. 1. De Moribus Pariſiorum. In eo autem ſic loquitur Ludouicus. » Præterea omnimodam Poteſtatem, omnem Iuſtitiam atque vniuerſas conſuetudines Nundinarum Indicti, quoniam Indictum præfatum honore & reuerentia SS. Reliquiarum Claui ſcilicet & Coronæ Domini Apoſtolica authoritate, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum confirmatione, Anteceſſorum noſtrorum Regum Franciæ conſtitutione ſtatutum eſt, in perpetuum condonauimus. Actum Pariſius publiciter anno incarnati Verbi 1124. Regni noſtri 18. Adelaidis 11. *meminit huiuſce rei Sugerius in lib. de rebus in ſua adminiſtratione geſtis, c. 1. his verbis.* De Indicto verò quod Dominus Ludouicus Pater S. Dionyſio dedit, 300. ſolidos quietè & pacificè. 35. de cenſu ſtallorum Piſtorum in Pantera, quos in feſto BB. Apoſtolorum Petri & Pauli refectioni fratrum appoſuimus: 10. ſolidos de Girardo nepote meo, quinque de domo ſua, & quinque de teloneo Garantiæ.

Notum fieri volumus tam præſentibus quam poſteris quod Ego Sugerius Dei patientia B. Dionyſij humilis miniſter, communi fauore Capituli noſtri culturam quæ iuxta Indictum eſt, quam glorioſus Rex Francorum Ludouicus B. Dionyſio dedit, Eleemoſynæ ad ſuſtentationem pauperum Chriſti pro remedio ac ſalute animæ meæ in perpetuum tenendam conceſſimus. Et vt hoc ratum exiſtat, ſcripto mandari & ſigillo noſtro confirmari fecimus. De Indicto fusè ad 1. ſeculum diximus.

Hocce quoque anno Petrus Abaëlardus extorris & vagus, quoniam ex compacto cum Sugerio Abbate nulli ſe Monaſterio addicere poterat, condito in agro Trecenſi Oratorio ex calamis primum & culmo, vbi in ſolitudine credebat ſe cum quodam Clerico ſuo victurum deinceps pacatius & tranquillius, tantâ ſcholarium frequentiâ circumcingitur, vt nunquam Pariſiis in ampla ciuitate plures, quam in ea ſolitudine habuerit. Itaque dum ille cedere inuidiæ cupiebat, Scholarum exercitium abdicando, maiorem æmulis inuidiam concitauit. Qua de re ſic Franciſcus Petrarcha, l. 2. de vita ſolitaria. *Qui Abaëlardus, inuidiæ cedens, ſolitudinis Trecenſis abdita penetrauit; & ſi non ſine magno ſtudioſorum conuentu, quos è multis vrbibus ſolitario illi diſcipulos doctrinæ celebris fama contraxerat, ſine requie tamen optata, quam ſibi radicitus tenax liuor odiumque conuulſerant.*

Sed quid Petrarcham commemoro? audiamus ipſummet Abaëlardum de ſe loquentem. Poſtquam enim narrauit ſe ad ſolitudinem quandam in pago Trecenſi ſibi ante cognitam contuliſſe, ibique in agro ſibi à quibuſdam donato, de conſenſu Hattonis Trecenſis Epiſcopi, Oratorium quoddam in nomine S. Trinitatis ex calamis & culmo conſtruxiſſe, ſubiungit hæc verba. *Quod cum cognouiſſent ſcholares, cœperunt vndique concurrere, & relictis Ciuitatibus & Caſtellis ſolitudinem inhabitare, & pro amplis domibus parua tabernacula ſibi conſtruere, & pro delicatis cibis, herbis agreſtibus & pane cibario victitare, & pro mollibus ſtratis culmum ſibi & ſtramen comparare, & pro menſis glebas erigere. Et vero eos priores Philoſophos imitari crederes, de quibus & Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, his commemorat verbis.* Per ſenſus quaſi per quaſdã feneſtras vitiorum ad animũ introitus eſt. Non poteſt metropolis & arx mentis capi, niſi per portas irruerit hoſtilis exercitus. Si Circenſibus quiſpiam delectatur, ſi Athletarum certamine, ſi mobilitate hiſtrionum, ſi formis mulierum, ſi ſplendore gemmarũ, veſtium & cæteris huiuſmodi, per oculorum feneſtras animæ capta libertas eſt, & impletur illud Propheticum *Mors intrauit per feneſtras noſtras. His igitur rationibus inuitati multi Philoſophorum, reliquerunt frequentias vrbium & hortulos ſuburbanos, vbi ager irriguus, & arborum comæ & ſuſurrus auium, fontis ſpeculum, riuus murmurans, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum, animæ fortitudo molleſceret,* & eius pudicitia ſtupraretur. ſubiungit de Platone. *Sed & ipſe Plato cum dines eſſet, & thronum eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt poſſet vacare Philoſophiæ elegit Academiam villam ab vrbe procul non ſolum deſertam ſed & peſtilentem, vt curâ & aſſiduitate morborum libidinis impetus frangerentur, Diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum quas diſcerent. Talem & filij Prophetarum Haliſæo ad hærentes vitam referuntur duxiſſe. De quibus ipſe quoque Hieronymus, quaſi de Monachis illius temporis, ad Ruſticum Monachum inter cætera ita ſcribit.* Filij Prophetarum quos Monachos in veteri legimus teſtamento, ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis, & turbis & vrbibus derelictis, polenta ex herbis agreſtibus victitabant. *Tales Diſcipuli noſtri ibi ſuper Arduzonem fluuium caſulas ſuas ædificantes, Eremitæ magis quam ſcholares videbantur.*

Non autem ſic ibi latere potuit, vt non inuidiam excitarit: moleſtè enim tulerũt æmuli ſuas ſcholas deſeri, in vrbibus & ciuitatibus ampliſſimis vaſtitatem eſſe & infrequentiam Scholarium, ſolitudinem verò illius Diſcipulorũ frequentiſſimo concurſu inhabitari, atque ita ſe operam perdidiſſe videbant, cũ libelli de Theologia damnationem eiuſdemq; Magiſtri de Cœnobio ſuo expulſionem procurauerant. *Quanto autem, inquit, illuc maior Scholarium erat confluentia, & quanto duriorem in doctrina noſtra vitam ſuſtinebant, tanto amplius mihi æmuli æſtimabant glorioſum, ſibi ignominioſum. Qui cũ cuncta quæ poterant, in me egiſſent, omnia cooperari mihi in bonum dolebant; atque ita iuxta illud Hieronymi, me procul ab vrbibus, foro, litibus, turbis re-*

motum, ſic quoque vt ait Quintilianus, latentem inuenit inuidia.

Quamobrem vero ibi ſe ad ſcholarum regimen conuerterit tot eam ob rem iam paſſus miſerias & calamitates narrat ipſemet, nimirum ad ſubleuandam paupertatem. Cum enim extorris eſſet & omnium rerum inops, nec ſibi in Cœnobiis habitare liceret, vnde victum & veſtitum aliunde ſibi compararet, non habebat.

» Tunc autem præcipuè ad Scholarum regimen intolerabilis me compulit paupe-
» tas cum fodere non valerem & mendicare erubeſcerem. Ad artem itaque quam
» noueram recurrens, pro labore manuũ ad officium linguæ cõpulſus ſum. Scola-
» res autem vltro mihi quælibet neceſſaria pra parabant tam in victu ſcilicet quàm
» in veſtitu vel cultura agrorum, ſeu in expenſis ædificiorum, vt nulla me ſcilicet
» à ſtudio cura domeſtica retardaret. Cum autem Oratorium noſtrum modicam
» eorum portionem capere non poſſet, neceſſariò ipſum dilatauerunt, & de lapidi-
» bus & lignis conſtruentes meliorauerunt.

Cum ergo ille ibi præter omnem ſpem à Deo tam ſingularem conſolationem accepiſſet, Oratorium illud ſuum in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ſub Paracleti, hoc eſt Conſolatoris Dei nomine dedicauit. Nec contumeliâ caruit iſta dedicatio, & Paracleti nominis impoſitio. Exiſtimarunt enim æmuli illud in honorem S. Spiritus excluſis cæteris perſonis ab eo fundatum & dedicatum fuiſſe, non aduertentes *Paracleti* nomen commune eſſe toti Trinitati, ſingulisque perſonis, & Deo applicari.

Sed & Heloiſſa ipſius Abaëlardi coniux elegantius deſcribit, quomodo ille de ſolitudine & habitaculis ferarum Templum conſtruxerit nobiliſſimũ & celeberrimũ. Huius quippe loci, *inquit*, tu poſt Deũ ſolus es fundator, ſolus huius cõſtructor, ſolus huius congregationis ædificator. Nihil hic ſuper aliorum ædificaſti fundamentum. Totum quod hic eſt, tua creatio eſt. Solitudo hæc feris tantum ſiue latronibus vacans nullam hominum habitationem nouerat, nullam domum habuerat. In ipſis cubilibus ferarum, in ipſis latibulis latronum, vbi nec nominari
» Deus ſolet, diuinum erexiſti tabernaculum & Spiritus S. proprium dedicaſti tem-
» plum. Nihil ad hoc ædificandum ex Regum vel Principum opibus intuliſti, cum
» plurima poſſes & maxima, vt quidquid fieret tibi ſoli poſſet adſcribi. Clerici ſiue
» ſcholares huc certatim ad Diſciplinam tuam confluentes omnia miniſtrabant
» neceſſaria & qui de Beneficiis viuebant Eccleſiaſticis, nec oblationes facere no-
» uerant ſed ſuſcipere, & qui manus ad ſuſcipiendum non ad dandum habuerant,
» hic in oblationibus faciendis prodigi atque importuni fiebant.

Eodem anno obiit Radulfus ille Viridis Archiepiſcopus Remenſis, qui cum Brunone Carthuſiano Eremiticæ vitæ deſiderium conceperat, ſed mundo tandem relictus Archiepiſcopatum Remenſem laudabiliter geſſit. De eo ſic ſcribit Ordericus Vitalis lib. 12. Hiſt. *Radulfus cognomento Viridis Remorum Archiepiſcopus eruditione & facundia inter Patres præcipuus ſtudiiſque bonis noſtro tẽpore laudabiliter deditus, Pater & Inſtitutor Monachorum & Clericorum, Patronus & defenſor Pauperum & omnium ſibi ſubiectorum poſt multa laudabilia opera in ſenectute bona defunctus eſt*, Poſt eum Rainaldus Andegauorum Epiſcopus in pluribus priori diſpar ſedem adeptus eſt.

1125. Anno 1125. defuncto Papa Calixto ſubſtituitur Lambertus Epiſcopus Oſtienſis, Patria Imolenſis, & Honorii II. nomen aſſumit: vir omnibus doctis amabilis & charus, eorumque Mecenas liberaliſſimus: quorum quippe familiaritate maximè delectabatur, & conſiliis vtebatur. Ad hunc profectus Norbertus Colonienſis, Præmonſtratenſium Inſtitutor, honorificentiſſimè ſuſceptus eſt. Pontium quoque Cluniacenſem olim Abbatem, vt virum induſtrium Romæ aliquandiu detinuit, donec eius malitiâ cognitâ Abbatiam & omnia Abbatis iura Petro Venerabili adiudicauit. Hildebertum ex Epiſcopo Cenomanenſi Turonenſem Archiepiſcopum fecit: quem virum cum in inferiori ſtatu eſſet conſtitutus, nouerat. Hugonem de S. Victore magni fecit, & alios viros litteraturæ dignitate præcellentes. Iuonem de Sancto Victore ad Cardinalatum extulit. De eo ſic ſcribit Platina.

» Pontificatum adeptus Cardinales quoſdam viros inſignes creauit, quorum ope-
» ra poſtea magnis in rebus vſus eſt. Familiaritate enim præclarorum virorum mi-
» rificè delectatus eſt. Nam Pontium quendam Abbatem Cluniacenſem virum

induſtrium

induſtrium Romæ retinuit. Ingenium quoque Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi mirificè extulit, quem deinceps Turonenſem Archiepiſcopum creauit, quod plurimum Heroico elegiacóve carmine valeret. Huius quoque tempora clariora fecit Hugo de S. Victore, ſi cognomentum inſpicis: ſi Patriam, Pariſienſis, Doctor inſignis. Hic enim tum dicendo tum ſcribendo ingenij ſui præclara monimenta reliquit. Extat eius liber de ſacramentis, liber ſententiarum, liber in Dialogo, qui didaſcalus appellatur. Liber de cura animæ, liber de artibus & doctrinis. Hos omnes tanta beneuolentia Honorius Pontifex amplexus eſt, vt nullum genus officij prætermiſerit, quo eos ad honeſtiorem Dignitatis gradum euehi poſſe exiſtimaret.

Erat ſcilicet is genius huius ſeculi, doctrinas amplecti & doctos viros amare. Hinc tam multos videmus ad omnes Dignitates tam Eccleſiaſticas quàm Ciuiles promotos & à Pontificibus Romanis & à Regibus Francorum & Anglorum, quorum nomina paſſim hiſtoria ſuppeditat. Nec ob aliam rationem Hildebertus ad Turonenſem ſedem tranſlatus eſt, & Guido Stãpenſis ei in Cenomanenſi ſuffectus quàm quia erant viri in litterarum Profeſſione celebres. Extant apud Ordericum Vitalem plurima Hildeberti elogia. Imprimis de eius ad Cathedram Turonẽſem promotione ſic ſcribit. *Egregius verſificator Hildebertus fere 30. annis Præſulatũ laudabiliter tenuit. Baſilicam vero Epiſcopÿ quam prædeceſſor eius* (Hoelus) *inchoauerat, conſummauit, & cum ingenti populorum tripudio veneranter dedicauit. Qui non multum poſt anno ſcilicet ab incarnatione Domini 1125. Indict. 4. vt Giſlebertus Turonenſis Archiepiſcopus cum Calixto II. Papa Romæ obiit, ſub Honorio Papa Metropolitanam ſedem Turonicæ vrbis ſanctâ Eccleſiâ, precibus & iuſſu cogente aſcendit, ibique laudabilibus ſtudiis & actibus adhuc inſiſtit.* Hinc intelligitur quo tempore hoc ſcribebat Ordericus nimirum ante an. 1135. quo Hildebertus obiit.

Multa autem Hildebertus pertulit pro Chriſti nomine & Eccleſiæ libertate à Rotroco Cenomanenſi Comite, à quo bonis omnibus ſpoliatus & carceri mancipatus eſt. Quo in ſtatu poſitus multa compoſuit tam ſtrictâ quam ſolutâ oratione, imprimis vero hos Elegos de inſtabilitate fortunæ.

Nuper eram locuples multiſque beatus amicis,
Et riſere diu proſpera fata mihi.
Sæpe mihi dixi, quæ ſunt tam proſpera rerum?
Quid ſibi vult tantus, tam citus agger opum?
Hei mihi nulla fides, nulla eſt conſtantia rebus.
Res ipſæ quid ſint, mobilitate docent.
Res hominum atque homines leuis aura verſat in horas:
Et venit à ſummo ſumma ruina gradu.
Cuncta ſub ancipiti pendent mortalia caſu,
Et ſpondent propria mobilitate fugam.
Quidquid habes hodie, cras te fortaſſe relinquit,
Aut modò dum loqueris deſinit eſſe tuum.
Has ludit fortuna vices, Regeſque ſuperbos
Aut ſeruos humiles non ſinit eſſe diu.
Illa doloſa Comes ſolâ leuitate fidelis
Non impune fauet, aut ſine fine premit.
Illa mihi quondam vultu blandita ſereno,
Mutauit vultus nubila facta ſuos.
Acceſſit damnis nouus ille grauiſque tyrannus,
Quo Cenomanorum Conſule Ius periit.
Cuius auos ſcelerum puduit genuiſſe Patronum
Fortunæque parem mobilitate, dolis.
Ille pudor Patriæ me non impune tuentem
Iuſtitiæ leges expulit à Patria.
Inde ratem ſcando, vitam committo procellis,
Vela tument, gemina cymba iuuatur ope.
In fragilem Pinum totus prope congerit iras
Mundus, & eſt hoſtis quidquid obeſſe poteſt.

Ecce rapax turbo tollens ad ſidera fluctus
Impulit ad littus iam ſine puppe ratem.
Sic miſer & felix, quaſſâ rate, rebus ademptis
Euaſi ventos, aquora, ſaxa, Iouem.
Ecce quid eſt hominis, quid iure vocare paternum,
Quid miſer ille ſibi plaudere dote poteſt?
Hoc eſt hic hominis ſemper cum tempore labi,
Et ſemper quadam conditione meri.
Eſt hominis naſci nudum, nudumque reuerti
Ad matrem, nec opes tollere poſſe ſuas.
Eſt hominis putrere ſolo ſaniemque fateri
Et miſeris gradibus in cinerem redigi.
Iſtius eſt hæres homo proprietatis, & illum
Certius his Dominum præmia nulla manent.
Res & opes præſtantur, & famulantur ad horam
Et locuples mane, veſpere pauper erit.
Nemo poteſt rebus ius aſſignare manendi,
Quæ nutus hominis non didicere ſequi.
Ius illis Deus adſcripſit, ſtatuitque teneri
Legibus, & nutu ſtare vel ire ſuo.
Ille ſemel ſimul & ſolus præuidit & egit
Cuncta, nec illa aliter vidit agitque aliter.
Vt vidit facienda facit, regit abſque labore,
Diſtinguit formis tempore ſiue loco.
Creſcendi ſtudium rebus metitur & illas
Decernit, verſat legibus ipſe manens.
Ipſe manens dum cuncta mouet, mortalibus ægris
Conſulit, & quo ſit ſpes ſtatuenda, docet.
Ille potens mutis, tenor & concordia rerum
Quidquid vult in me degerat, eius ero.

Habuit igitur Hildebertus ſucceſſorem in Cathedra Cenomanenſi M. Guidonem de Stampis eiuſdem Eccleſiæ Scholaſticum & Cantorem, virum quoque eximiæ litteraturæ. Quem ipſe Hildebertus his verbis commendauerat Epiſcopo Saliſburgenſi. *Guidonem fratrem filiumque noſtrum eo non debeo fraudare teſtimonio, quod non minus vita quàm litteratura promeruit, vnus ex Eccleſia noſtra exceptus eſt, cui ad fructum ſcientia, ad exemplum mores exuberant, vnus ille tibi pro multis erit: in illo vno multos Magiſtros inuenies.* Ordericus eum alio nomine vocat Guinmarum Britonem: cui ait ſucceſſiſſe Hugonem dictum Paganum ex oppido S. Carileſi oriundum Hildeberti olim Diſcipulum.

Eodem anno Ioannes de Crema Cardinalis Romanus qui in Concilio Remenſi an. 1119. habito pro Cluniacenſibus perorauerat, Londini Synodum habuit contra Sacerdotes concubinarios, eoſque à conſecratione Corporis & Sanguinis Chriſti arcuit: qua die interemptus eſt, forte ab iis qui moleſtè ferebant ſibi ſuas adimi concubinas. Eteum cum meretrice inuentum vulgarunt ad ſacrilegij excuſationem.

1126. Anno 1126. innoteſcere cœperunt nonnulli Hæretici in Gallia & Flandria peſtilentiæ venenum ſpargentes. In Flandria Laicus quidam nomine Tanquelmus, vel vt alij ſcribunt, Tanquelinus, vel Tandenus licet indoctus, multos tamen doctos viros, ſed maximè plebeculam dementare cœpit falſis propoſitionibus, dogmatis & aſſertionibus, aiens nimirum ſe Dei filium eſſe, ſacri Ordinis Miniſtros, Epiſcopalem, ſacerdotalemque Gradus nihili eſſe putandos; nihil prodeſſe Corpus & Sanguinem Chriſti, fruſtraque Miſſam à Sacerdotibus celebrari. Ille autem 3000. Diſcipulis comparatis incedebat magno apparatu, inauratis veſtibus & triplici funiculo crinibus intortis ſuos magnificis conuiuiis excipiebat, filias Matribus præſentibus & ſponſa cornentibus Maritis corrumpi iubebat, coniugiaque promiſcua eſſe volebat. Præſertim verò ſacerdotes oderat & in eos paſſim inuehebatur, donec tandem à Pio Preſbytero occiſus eſt.

Sed nec eo mortuo conſepulta omnino iacuit eius hæreſis, ita pertinaciter dementatorum animis adhæſerat. Ad eam igitur eradicandam & euellendam conſtitutus eſt Norbertus Præmonſtratenſis Ordinis inſtitutor, qui ſacris ſuis concionibus adeo profecit, vt omnes fere quos illa peſtis infecerat, ad Catholicam fidem conuerterit, coëgeritque in Eccleſiam referre Corpus Dominicum, quod per decem annos in ciſtis & forminibus ſecluſerant, atque ad pœnitentiam vos compulerit corde vehementer compunctos.

In Galliæ parte ſimiliter, nempe in Prouincia Arelatenſi ſurrexit deteſtandus & impiiſſimus Petrus Bruis Preſbyter aiens 1. Infantes infra intelligibilem ætatem conſtitutos non poſſe Chriſti baptiſmate ſaluari. 2. Templa non eſſe conſtruenda, & quæ conſtructa erant, eſſe deſtruēda. 3. Cruces ſacras eſſe confringendas & ſuccendendas, quia in Cruce paſſus fuerat Chriſtus. 4 non ſolum veritatē Corporis & Sanguinis Domini negabat, ſed omnino nihil eſſe contendebat, neque Sacrificium illud offerri Deo debere. 5. ſacrificia, oblationes, orationes & alia eiuſmodi pro Defunctis vana, futilia & inutilia eſſe. Demum ille, cum omnes Cruces ſacras ipſo die Paſſionis Dominicæ congeſtas combuſſiſſet, apud S. Ægidium à fideli populo in ignem quem accenderat, coniectus eſt. Verum ex eius cineribus prodierunt alij Hæretici ab eius nomine dicti *Petrobruſiani*.

De his porro Hæreticis Abaëlardus lib. 2. Introductionis ad Theologiam. Ad hæreticos venio *inquit*, qui quanto domeſticiores, tanto peiores Ciuilibus bellis inquietare Eccleſiam non ceſſant. Atque vt ad noſtra veniamus tempora, quibus iam aiunt adeo reprobatas eſſe hæreſes, vt iam nullo fidei fundamento ſit opus, nullos in tantam olim inſaniam prorupiſſe Hæreticos quiſquam audierit, quanta nonnulli contemporaneorum noſtrorum debacchati ſunt. Tanquelmus quidam Laïcus nuper in Flandria, Petrus Preſbyter nuper in Prouincia, vt ex multis aliquos in medium producamus: quorum quidem alter, Tanquelmus ſcilicet in tantam ſe erexerit dementiam, vt ſe Dei filium vocitari atque decantari, & à ſeducto populo, vt dicitur, templum ædificari ſibi faceret. Alter vero ita fere omnem Diuinorum & ſacrorum & Eccleſiaſticæ Doctrinæ inſtitutionem euerſarit, vt multos rebaptizari cogeret, & venerabile Dominicæ ſignum Crucis remouendum penitus cenſeret, atque altaris ſacramentum nullatenus celebrandum eſſe amplius adſtrueret.

Hæc de indoctis illis & dementibus Hæreticis Abaëlardus: at de Theologiæ Magiſtris quibuſdam, qui ſibi bellum indixerant immortale, ſubiungit quæ ſequuntur. *Sed nec Magiſtros Diuinorum librorum* qui nunc maximè circa nos peſtilentiæ Cathedras tenent, prætereundos arbitramur, quorum vnus in Francia, alter in Burgundia: tertius in Pago Andegauenſi; quartus in Bituricenſi multa Catholicæ fidei vel ſanctis Doctrinis aduerſa non ſolum tenent, verum etiam docent. Primus quidem ille quem diximus, ſine fide venturi multos qui ante incarnationem eius extitetunt, ſaluandos aſſerit. Dominum noſtrum I. C. in aperto vtero Virginis fuiſſe natum, ſicut cæteros homines, niſi quod ipſe ſolus ſine virili ſemine ſit conceptus. In ipſa quidem Diuinitatis natura ac diuinarum **perſonarum diſtinctione ita præſumptuoſus aſſertor** inuenitur, vt quia Deus pater generauit filium, profiteatur Deum genuiſſe ſeipſum. Quem apertè errorem imo hæreſim B. Auguſtinus in 2. de Trinit. refellit dicens. *Qui putat eius potentiæ Deum* vt ſeipſum ipſe genuerit, eo plus errat, quod non ſolum ita Deus non eſt, ſed nec ſpiritualis Creatura nec Corporalis, nulla enim res eſt omnino quæ ſeipſam gignat.

Cum ait Theologum illum innominatum docere in *Francia*, ſatis indicat tum docuiſſe Pariſiis: nam cum omnes fere Prouinciæ Regni Gallicani poſſiderentur à Ducibus aut Comitibus, quicunque ex illis Pariſios veniebant, dicebantur *in Franciam* venire. Sic ait Alcuinus *Athenem nouam* fuiſſe à Carolo M. collocatam *in Francia*; & ita intelligendi ſunt ſcriptores, cum aiunt Gerbertum Aquitanum, Berengarium, Lanfrancum & Anſelmum Cantuarienſem docuiſſe aut ſtuduiſſe *in Francia*. Item quomodo dicitur Berengarius multos habuiſſe in *Francia* viros doctos defenſores. Quomodo etiam Baldricus Burgulienſis ait M. Robertum Arbricellenſem luſtratis Prouinciis & perambulatis *Franciam adiiſſe*, & vrbem

quæ Pariſius dicitur, intraſſe. Quomodo etiam Arnulphus Sagienſis Archidiaconus, poſtea Lexouienſis Epiſcopus, ſcribit Petrum Leonis Antipapam vacaſſe litteris *in Francia*: quem certum eſt ſtuduiſſe Pariſiis. Item quomodo M. Gualterus de Mauritania dicitur in Hiſtoria Abbatum Lobienſium, *Summus inter Francie Magiſtros*. Quis autem fuerit ille Theologus, de quo loquitur Abaëlardus, non inuenio. Pergit verò cæterorum trium errores commemorare his verbis.

" Alter quoque totidem erorribus inuolutus tres in Deo proprietates, ſecundum
" quas tres diſtinguuntur perſonæ, tres eſſentias diuerſas ab ipſis perſonis & ab ipſa
" Diuinitatis natura conſtituit, vt ſcilicet paternitas Dei vel filiatio ſiue Proceſſio,
" res quædam ſint tam ab ipſis perſonis, quàm ab ipſo Deo diuerſæ. Qui etiam Do-
" minum Ieſum in corpore more aliorum hominum creuiſſe denegat, & eius lon-
" gitudinis corpus in vtero Matris vel in cunis extitiſſe, cuius poſtmodum fuit in
" Cruce. Monachos autem atque Moniales poſt publicum etiam ſuæ profeſſionis
" votum & benedictionis vel conſecrationis vinculum poſſe Matrimonium con-
" trahere: vbi licet ſit voti tranſgreſſio, nulla tamen fiet initæ copulæ ſeparatio,
" ſed in ipſo permanentes matrimonio, de tranſgreſſione pœnitentiam agent. Iſte docebat in Burgundia; at quo in loco, qua ve in vrbe, incertum.

Tertius vero prædictorum non ſolum prædictarum perſonarum proprietates, res diuerſas à Deo conſtituit, verum etiam potentiam Dei, Iuſtitiam, miſericordiam, iram & cætera huiuſmodi quæ iuxta humani ſermonis conſuetudinem in Deo ſignificantur, res quaſdam & qualitates ab ipſo diuerſas, ſicut & in nobis concedit, vt quot fere vocabula de Deo dicuntur, tot in Deo res diuerſas conſtituat. Iſte eſt tertius Theologus quem Abaëlardus ſcribit docuiſſe Andegaui, ſed quis ille fuerit, ignoratur: niſi forte eſt Vlgerius, qui poſt aſſumptionem Marbodi ad Epiſcopatum Redonenſem, Scholarum Magiſterium tenuit, & anno demum 1125. factus eſt Epiſcopus Andegauenſis Rainaldo ad Remenſem Cathedram tranſlato.

Quartus autem in tantam prorupit inſaniam, vt quia res aliter euenire poſſunt, quam Deus prouiderat, Deum poſſe falli concedat. Hoc illi attendant, qui de fide amplius minimè ſcribendum autumant, cum mille, vt aiunt, hoc tempore hæreſes pullulent, quaſi ipſi omnium conſcientias & fidem cognouerint.

Eodem anno obiit Henricus V. Romanorum Imperator abſque prole maſcula: cui tandem poſt multas deliberationes conſultationeſque ab Electoribus ſubſtitutus eſt Lotharius Saxoniæ Dux licet inuitus, vt pote tanto oneri ferendo imparem ſe arbitratus. Contra quem Conradus Dux Francorum Orientalium arma mouit. Sed vicerunt Saxonum vota, & Lotharius hortatu tandem Alberti Archiepiſcopi Moguntini Oratoris & Legati Pontificij Dignitatem accepit & egregiè defendit: memorque iniuriarum quas ab Henrico acceperat, à quo nempe perduellis iudicatus & carceri mancipatus fuerat, Henricianam familiam modis omnibus afflixit. Imperauit autem annis prope 12.

Eodem anno Romæ Cluniacenſe diſſidium ab Honorio Pontifice dirimitur. Pontius inuaſor cauſa cadit. Petrus Venerabilis voto potitur, reconciliantur Cluniacenſes, qui in duas diuiſi factiones & turmas Cœnobialem diſciplinam omnino peruerterant. Non multò verò poſt latum iudicium Pontificis moritur, eiuſque morte animorum calor deferbuit, & boni ingenti gaudio perfuſi fuut: qua de re ſic canit Petrus Pictauienſis Abbatis Petri Notarius.

Grande lucrum facimus, quia cauſa ſchiſmatis huius
Corruit, ex toto perfidus ille Draco.
Cumque caput lubricum ſuſtollere nititur anguis,
Rumpitur, & moriens atra venena vomit.
Interiêre nigri præſtigia ſæua colubri,
Nec patitur Monſtrum viuere Roma diu.
Sed mox ancipiti gladio fera corda trucidans
Defendit Petrum Petrus ab hoſte ſuum.

Extant in Bibliotheca Cluniacenſi eiuſdem Petri Epinicia, ſeu verſus poſt victoriam de Pontio Pontianiſque reportatam, deque laudibus Petri Victoris,

quem cum Hugone I. cognomento *de Semur* Odilonis ſucceſſore, viro incomparabili confert.

Plaudite felices, hilareſcite Cluniacenſes,
Redditus eſt vobis moribus alter Hugo.
Nobilis ille fuit, magniſque parentibus ortus:
Hunc quoque præclarum reddit origo Patrum.
Ille ſuper cunctos quos excolit ac veneratur
Gallia, Lugduni nobilitate nitet.
Hunc Latiæ Gentes Regum de ſtirpe potentes
Aruerni populi progenuêre Duces.
Vatibus antiquis æquatur acumine mentis;
Par illi noſtro tempore nullus erit.
In Proſa Cicero nouus eſt, in Carmine Maro:
Sicut Ariſtoteles diſputat aut Socrates.
Æquiparat primos, ſuperat cum laude ſecundos,
Qui nos eloquiis educuêre ſacris.
Vix Auguſtinus ſubtilius abdita cernit,
Vix hunc Hieronymus vlla docere poteſt.
Nil huic Gregorius clarè blandéque loquendo,
Nil huic Ambroſius Rhetoricando tulit.
De tanto ſenſu breuiter quid ſentio, dicam
Ne tibi ſim, Lector, ruſticus aut nimius.
Muſicus, Aſtrologus, Arithmeticus & Geometra,
Grammaticus, Rhetor & Dialecticus eſt.
Sed iam pertimeo ſuccumbere materiei,
Mores egregios dum recitare volo.
Obſecro quid primum referam? ſuccurrite Muſæ,
Dicite de tanto Carmina digna viro.
Ingenio facili grauitas accedere morum
Raro ſolet, nec ſunt hæc duo ſæpe ſimul.
Inde magis ſtupeo, quod & in iuuenilibus annis
Splendida lux Iuuenum Petrus vtrumque tenet.
Cui merito laudem recitat ſtudioſa Iuuentus,
Laus etenim propriè noſtra ſit eius honor.
A Patre perpetuo datus eſt lux vnica mundo,
Quâ duce terrigenæ Cælica Regna petunt.
Simplicitas in eo ſimul & prudentia regnant,
Iugis ſobrietas atque pudicitia.
Maxima virtutum comes illi ſemper adhæret
Intus & exterius ſemper eam retinet.
Lingua referre nequit, quàm ſit diſcretus vbique,
Quamque ſit ad cuncta congruus officia.
Non opus eſt multis implere volumina verbis
Qui breuis & bonus eſt, ille Poëta placet.
Cum bene Petre tuos aliquis laudauerit actus,
Alter Virgilius, alter Homerus erit.
Mitis pacificè, clemens, affabilis aptè,
Quàm bonus exiſtat, dicere nemo valet.
Prabeat ergo locum nobis annoſa ſenectus,
Ne regimen ſacrum ſola tenere velit.
Robuſti iuuenes animi virtute venite,
Vos populi ſancti publica cura decet.
Hic eſt ad ſummos qui vos inuitat honores,
Quos ſibi primæuo ſobria vita dedit.
Hunc Cluniace tibi tellus Arnernia miſit,
Quâ nil vberius Gallia noſtra tenet.
Felix quæ tantum meruit producere fructum,

Pluribus Eccleſiis edidit ipſa Patres.
Semper clarorum genitrix ſolet eſſe virorum,
Inde tibi datus eſt Odilo magnificus.
Prodiit hinc etiam Iuliani dulcis alumnus,
Qui bene Turonicæ præfuit Eccleſiæ.
Arua tuis ſcriptis vernant Aruerna, Sidoni,
Et veteris linguæ tu reparator eras.

Idem author mutato ſtylo de ſuo Abbate ſic ſcribit. *Quis vnquam Plato ſubtilius? quis Ariſtoteles argumentoſius? quis Cicero pulchrius aut copioſius aliquando quicquam diſſeruit? quis Grammaticus inſtructior? quis Rhetoricus ornatior? quis Dialecticus fortior? quis Arithmeticus numeroſior? quis Geometricus regularior? quis Muſicus cantilenoſior? quis Aſtronomicus perſpicacior extitit? Sed etſi de SS. Patribus aliquid dicere audeamus, vos ab vnoquoque 4. fluminum Paradiſi, quæ poſt ſanctos Euangeliſtas totum orbem irrigant, aliquid ſimile reportaſtis; quia cum Hieronymo velox, cum Auguſtino profuſus, cum Ambroſio profundus, cum Gregorio clarus incedit* Præfuit Abbatiæ regimini 35. annis, menſibus 4. regere cœpit an. ætatis 28. Abaëlardum profugum excepit, vt ſuo loco dicetur.

Eodem anno Norbertus Colonienſis Romam ad Honorium profectus Ordinis Præmonſtratenſis confirmationem obtinuit, & Spiræ quò ſe contulerat cum eſſet Theobaldi Campaniæ Comitis ad Engelbertum Ducem Carinthiæ legatus, Magdeburgenſis Archiepiſcopus factus eſt & conſecratus. Vnde Petrus Abaëlardus occaſionem arripuit inuehendi in Monachos ſtrictioris vitæ Cultores, qui oblatos Epiſcopatus non reſpuerent. Sic enim ille in ſermone de S. Ioanne Baptiſta.

„ Quanta ſit impudentia tales Epiſcopos de Monachis factos habitum Monachi retinere & non Monaſticè viuere? imò ſuæ profeſſioni contraria prorſus „ agere quis non videat quanta ſit impudentia? quis ignorat de talibus, vt verbis „ vtar Apoſtolicis, quia primam fidem irritam fecerunt, & quàm contrarij reperiantur ſanctis Patribus ſimiliter promotis? Non B. Martinus aſperitatem cilicii ſeu „ cibi pro prælatione mutauit Epiſcopali. Quare in hoc Officio non quæ ſua eſſent, ſed quæ Ieſu Chriſti quærebat. *Quis denique non miretur quod hoc tempore ſoliti ſunt præſumere, vt Romam pergentes cum neceſſitas exegerit aliqua, vt ad ſummum Pontificem vadant, ipſum quoque Monaſticæ Religionis habitum deponant: quò liberius in via ſub Laicali habitu ſeculariter viuere audeant, & ſimulatione peſſima ſe id eſſe quod ſunt tam re quam voce mentiantur. Qui nec Clericatus ſigna retinentes, comam pariter & barbam nutriunt, quò facilius intuentes fallant atque tutius ſub habitu lecatorum lecaciter ſe gerant, vt tamà Monachi quàm Epiſcopia propoſito apoſtatantes nec Monachi meritum habeant, nec Epiſcopi reuerentiam ſeruent.*

1127. Anno 1127. Iuo à S. Victore vir magnæ famæ in litterarum profeſſione apud San-Victorinos ab Honorio ad Cardinalatus dignitatem promouetur ſub titulo SS. Laurentij & Damaſi: qui Iuo ſedis Apoſtolicæ Legatus in Gallias miſſus eſt an 1141. ab Innocentio II. & ad eum extat D. Bernardi Epiſtola contra Abaëlardum his verbis. *M. Petrus Abaëlardus ſine Regula Monachus, ſine ſolicitudine Prælatus nec Ordinem tenet nec tenetur ab Ordine.*

Eodem anno Gilbertus cognomento *Vniuerſalis* ex Magiſtro Pariſienſi Canonicus Antiſſiodorenſis, ex Canonico creatur Epiſcopus Londonienſis poſt mortem Richardi, & à Vvillielmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui Anſelmi Laudunenſis Diſcipulus fuerat, munus conſecrationis ſuſcepit teſte Mathæo Pariſienſi. De eo ſic Petrus Faber ex veteri Necrologio Eccleſiæ Antiſſiodorenſis. *Pridie idus Auguſti obiit venerabilis memoriæ. Gilbertus, veteris & noui Teſtamenti Gloſſator eximius, qui* Vniuerſalis *meritò apellatus eſt, huius Eccleſiæ Canonicus, poſtmodum vero Londinenſis factus Epiſcopus.* Errat Ioannes Brompton ſcriptor Anglus aiens eum factum à Rege Henrico Epiſcopum Lincolnienſem poſt Richardum: nullus enim huius nominis legitur fuiſſe hiſce temporibus Lincolnienſis Epiſcopus.

Extat ad hunc Magiſtrum Gilbertum Ep. Bernardi Clareuallenſis ordine 24. ex qua quantus vir fuerit, intelligimus. *Longè ſatis exiit ſermo quem feciſti,* & ma-

gnum dedit ſuauitatis odorem ad quoſcunque potuit peruenire. Extincta eſt auaritia, cui non ſuaue redoleat? Charitas regnat, cui dulce non ſapiat? Quando hoc cognoſcunt omnes, quia verè ſapiens ſis, qui ſapientiæ hoſtem maximum contriuiſti, hoc certè & tuo ſacerdotio dignum & nomine. Tali profectò decebat ſpecialem tuam Philoſophiam clareſcere teſtimonio, hoc præclara illa tua ſtudia fine compleri. Vera illa & indubitata ſapientia eſt, quæ turpia lucra contemnit & indignum ſibi iudicat eodem cum idolorum ſeruitute, contubernio frui. Non magnum fuit M. Gilbertum Epiſcopum fieri, ſed Epiſcopum Londonienſem pauperem viuere, id planè magnificum. Nec enim tanto nomini quicquam augere gloriæ potuit ſublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Paupertem æquo animo ferre virtus patientiæ eſt, ſponte appetere ſapientiæ laus eſt: laudatur denique & admirabilis prædicatur, qui poſt aurum non abiit, qui verò & abiecit, plus nihil merebitur? niſi quod vigil ratio mirandum minimè ducit, ſi ſapiens ſapienter agit, & ille ſapiens qui in cunctis huius mundi ſapientium litteris & ſtudiis ludens, omnem quoque ſtuduit & potuit diuinam quodammodo reuocare & renouare ſcripturam. Quid enim? diſperſiſti, dediſti pauperibus: ſed pecuniam. Quid verò pecunia eſt ad illam quam pro ea commutaſti iuſtitiam? Iuſtitia, inquit, eius manet in ſeculum ſeculi. Num ita & pecunia? Quæſtuoſum ſanè honeſtumque commercium: illam quæ præterit, pro illa dare quæ permanet. Sic ſemper tibi negotiari detur bone & omni laude proſequende Magiſter. Supereſt vt laudabile Principium condignum conſequatur finem, & cauda hoſtiæ capiti coniungatur. Benedictionem tuam libenter accepimus, præſertim quod tantæ tuæ huius perfectionis fuerit cumulata iucunditate. Latorem Epiſtolæ etſi pro ſe ipſo ſatis commendabilem, tamen etiam pro me veſtræ magnificentiæ eſſe cupio commendatum. Eſt ſiquidm mihi pro ſua honeſtate & religioſitate chariſſimus.

Eodem anno Sugerius Abbas San Dionyſianus ab Honorio Papa impetrat, vt Argentolienſe Monialium Cœnobium quod Abbatiæ San-Dionyſianæ ſubiectum olim fuerat, ipſi reſtituatur occaſionem ſcilicet nactus vitæ parum pudicæ caſtæque quam ducebant Moniales ſub Heloïſſa, quæ quia cæteris ingenio, doctrinâ & virtute præire & præfulgere videbatur, Prioriſſa conſtituta fuerat: quo munere functa eſt, donec Sugerius Abbatiam illam ad ius Monaſterij ſui antiquitus pertinentem reuindicauit & Moniales diſperſit. Quomodo vero id ab eo geſtum ſit, narrat ipſe in lib. de Rebus in adminiſtratione ſua geſtis.

Cum ætate docibili adoleſcentiæ meæ antiquas armarij poſſeſſionum reuoluerem Chartas & immunitatum biblos propter multorum Calumniatorum improbitates frequentarem, crebrò manibus occurrebat de Cœnobio Argentolienſi fundationis Charta ab Hermenrico & Coniuge eius Numma: in qua continebatur quod à tempore Pipini Regis Beati Dionyſiij Abbatia extiterat: ſed quadam occaſione Contractus incommodi in tempore Caroli Magni filij eius alienata fuerat. Præfatus enim Imperator vt quandam filiam ſuam matrimonium humanum recuſantem ibidem Abbatiſſam ſanctimonialium conſtitueret, **eo pacto vt poſt mortem eius in vſum Eccleſiæ reuerteretur, ab Abbate & Fra**tribus obtinuerat. Sed turbatione Regni filiorum filij eius, videlicet Ludouici Pij altercatione, quoad vſque ſuperuixerat, perfici non potuit. Vnde cum Anteceſſores noſtri ſæpius ſuper hoc laborantes parum profeciſſent, communicato cum fratribus noſtris conſilio nuncios noſtros & Chartas antiquas fundationis & donationis & confirmationum priuilegia, bonæ memoriæ Papæ Honorio Romam delegauimus, poſtulantes vt Iuſtitiam noſtram canonico inueſtigaret & reſtitueret ſcrutinio. Qui vt erat vir conſilij & Iuſtitiæ tutor, tam pro noſtra Iuſtitia quàm pro enormitate Monacharum ibidem malè viuentium, eundem nobis locum cum appendiciis ſuis, vt reformaretur ibi Religionis ordo, reſtituit. Rex verò Ludouicus Philippi chariſſimus Dominus & amicus noſter eandem reſtitutionem confirmauit, & quæcumque Regalia ibidem habebat, authoritate Regiæ Maieſtatis, Eccleſiæ præcepto firmauit.

Idem Sugerius in vita Ludouici Craſſi eadem de re ſic ſcribit. *Succeſſit Papæ Honorius vir grauis & ſeuerus. Qui cum iuſtitiam noſtram de Monaſterio Argentolienſi Puellarum miſerrimâ conuerſatione infamato, tum Legati ſui Mathæi Albanenſis*

Epiſcopi, tum D. Carnotenſis, Pariſienſis, Sueſſionenſis, Domini etiam Archiepiſcopi Remenſis Rainaldi & multorum virorum teſtimonio cognouiſſet Præcepta Regum antiquorum Pipini, Caroli M. Ludouici Pij & aliorum de iure loci præfati à Nunciis noſtris oblata perlegiſſet, Curiæ totius perſuaſione tam pro noſtra iuſtitia, quam pro earum fœtida enormitate B. Dionyſio & reſtituit & reformauit. Quid autem de Monialibus quæ ibi conuerſabantur, actum fuerit, quóque modo diſperſæ fuerint, dicemus ad annum proximum.

Ad hunc quoque annum refertur abſolutio Regis Ludouici ab Honorio Pontifice, quam Bernardus Clare-Vallenſis Abbas datis ad Pontificem binis litteris improbauit. Illum enim Stephanus Epiſcopus Pariſienſis Cenſurarum vinculis innodarat, eo quod Eccleſiæ bona nonnulla vſurpaſſet necdum ſatisfeciſſet: eamque ob rem litteras, vt vocant circulares, ad omnes Eccleſiarum Prælatos & Abbates, ad ipſum quoque Pontificem dederat rogans vt ſuæ ſe cauſæ adiungerent. Extat Epiſtola Stephani Abbatis Ciſtercienſis totius Abbatiæ & Ordinis nomine, qua Ludouicum, apud quem plurimum gratiâ valebat, admonet niſi res Epiſcopo Pariſienſi ablatas reſtituat, fore vt & ipſe & omnes Prælati contra ipſum armis Eccleſiaſticis, nempe fulminibus excommunicationis inſurrecturi ſint. *Si non meremur exaudiri*, inquit, *ſed contemnimur, & nos fratres & amici veſtri, & qui quotidie oramus pro vobis & filiis veſtris & Regno, ex hoc iam noueritis paruitatem noſtram, inquibus valuerit, non poſſe deeſſe Eccleſiæ Dei & miniſtro eius, videlicet Patri & amico noſtro Epiſcopo Pariſienſi, qui noſtram aduerſus vos humilitatem interpellans, noſtras pro ſe ad D. Papam iure fraternitatis litteras requiſiuit.*

Verùm amicorum conſiliis Rex paruit, vt ex Charta quadam eiuſdem Stephani intelligitur, qua concedit Eccleſiæ B. Martini Campenſis Eccleſiam S. Dionyſij de Carcere, quam ſuo tempore vſurpatam reddiderat. Sic enim habet. *Quapropter Eccleſiæ B. Martini de Campis & fratribus inibi Deo ſeruientibus Eccleſiam S. Dionyſii de Carcere quam diu manus Laica iniuſtè inuaſerat, quæ etiam tempore noſtro ad manus Regias redacta fuerat, ipſam in manibus noſtris redditam ex conſenſu, petitione & voluntate ipſius D. Regis Ludouici, Adelaide Regina, filiis etiam Ludouico Rege & Henrico eiuſdem Eccleſiæ Abbate concedentibus, ſaluo in omnibus iure Pariſienſis Eccleſiæ in perpetuum donauimus.*

Eodem anno Bernardus Clare-Vallenſis ſcripſit Honorio Pontifici in gratiam M. Alberici Remenſis Electi Catalaunenſis, quem virum in exercitio Scholarum celeberrimum eſſe nouerat, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ fideique Orthodoxæ contra Nouatores acerrimum defenſorem. Aiunt apud vos, *inquit*, plus valere pauperis preces quàm potentis vultum. De qua veſtra „ ſingulari dignatione tam ſancta opinio facit me dignitatis celſitudinem non ve- „ reri, quominus audeam loqui ad vos id præſertim quod Charitas ſuggerit. „ De Eccleſia dico, Domine, Catalaunenſi, cuius quantum in me eſt nec debeo „ nec valeo diſſimulare periculum. Videmus nimirum iam iamque imminere ſen- „ timus Nos qui vicini ſumus, pacem videlicet memoratæ Eccleſiæ grauiter mox „ eſſe turbandam, ſi electioni illuſtris illius viri, ideſt M. Alberici, in quem vti- „ que totus tam Clerus quàm populus pari voto & voce conuenerunt & conue- „ niunt, veſtræ pietatis aſſenſum impetrare nequiuerint. De quare ſi & noſtra „ quæritur & curatur ſententia, nouimus hominem ſanæ fidei & doctrinæ hacte- „ nus extitiſſe: in diuinis pariter & humanis prudentem eſſe, & ſperamus in Do- „ mo Dei, ſi tamen ipſe elegit eum, vas fore in honorem & vtilem futurum non „ ſolum illi, ſed & omni Gallicanæ Eccleſiæ.

Idem teſtatur Albericus in Chronico ad an. 1126. *Obiit Ebalus Catalaunenſis, ſuccedit quidam M. Albericus.* At electio iſta confirmatione caruit. Ebalo enim ſucceſſit Herbertus quidam an. 1127. teſte eodem Alberico qui Epiſcopatum geſſiſſe videtur vſque ad an. 1131. Magiſter vero Albericus paulo poſt factus eſt Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, & cum in Scholarum Magiſterio conſenuiſſet, tandem ad Archiepiſcopatum Bituricenſem promotus eſt, vt alibidicemus.

1128. Anno 1128. habita eſt Synodus Trecis, in qua ſacra Templariorum Societas & militia fuit confirmata. Huic ſynodo interfuerunt inter cæteros Hatto Epiſcopus Trecenſis MM. Albericus Remenſis & Fulgerius ſeu Fulcherius Carnotenſis, vt narrat Ioannes Michaelenſis illius Synodi ſcriba. *Fuerunt autem*, inquit, *& M. Albericus*

Albericus Remenſis & M. Fulgerius & complures alij. Caterum de non litteratis Comes Theobaldus. Ex quo intelligitur litterarum Profeſſores ad ſynodos & Concilia vocari ſolitos ab omni æuo. De Alberico iam ſæpe diximus. Fulgerius vero ſeu Fulcherius erat Patria Carnotenſis, eiuſdemque Eccleſiæ Canonicus: Expeditionis Hieroſolymitanæ, cui ipſe interfuit, ſcriptor vſque ad an. 1127. Sed eam non abſoluit.

Eodem anno Willielmus Normanus Flandriæ Conſul cognomine Longa-Spata, Roberti Hieroſolymitani Normaniæ Comitis filius, Ludouici Regis auxilio & opibus confiſus Flandriam poſt Caroli Comitis miſerabiliter occiſi mortem Rectore carentem inuadit & occupat; ſed poſt victoriam ex hoſtibus tam feliciter quàm fortiter reportatam leuiter vulneratus, ob neglectam curationem vulneris febri correptus interiit, magnumque ſui reliquit omnibus deſiderium. De eo ſic ſcribit Mathæus Pariſienſis. Comes Willielmus obuiam venit cum paucis agminibus ordinatis. Pugnatum eſt vtrinque viriliter, ſed Conſul Flandrenſis numerum ſuorum, cum pauci eſſent, inuincibili probitate ſupplebat. Cruentus enim in armis enſe fulmineo cuneos hoſtium findebat; nec potuerunt hoſtes perferre terribile pondus brachii iuuenis fugæ dediti & horribiliter diſſipati. Victorioſus igitur Comes Vvillielmus dum Caſtrum Angi contra Regem Henricum obſediſſet & in craſtino reddi debuiſſet, hoſtibus iam pene ſubiugatis paruo vulnere idem iuuenis in manu telo percuſſus interiit, ſed tamen mortuus famam promeruit æternam.

Huius fortiſſimi Conſulis obitum fleuerunt Muſæ Pariſienſes, quia Regi & Regno gratiſſimus & acceptiſſimus erat. Imprimis vero M. Galo Academicus Profeſſor & inſignis Poeta, de quo ad an. 1132. amplius dicetur, eius memoriam hiſce præclaris verſibus poſteritati conſecrauit.

Mars obit in terris, deflent par ſidera ſidus,
Numina par Numen parque decora decus.
Res noua. temporibus moriuntur Numina noſtris.
Amodo credibile eſt Numina poſſe mori.
Vnicus ille ruit, cuius non terga ſagittam
Cuius noſſe pedes non potuere fugam.
Nil niſi fulmen erat, quoties res ipſa manebat,
Et ſi non fulmen, fulminis inſtar erat.
Flandria ſe iactat tumulo, Normania cunis,
Hìc fuit occaſus ſideris, ortus ibi.

Puer tum erat octennis vel decennis ad ſummũ Alanus de Inſulis, de quo ad an. 1179. ait enim ipſe ſe puero fuiſſe Theodericũ ex Alſatia à Gandenſibus & Brugenſibus euocatum vt legitimum hæredem, ad capeſſendum Flandriæ Comitatum, quem Ludouicus Rex Vvillielmo Henrici Anglorum Regis nepoti & hoſti dederat, vt ait Ioannes Brompton. Non potuit tamen ſuppetias ferre metu Henrici in Normania toto anno commorati.

Hoc quoque anno inclareſcere cœpit Arnoldus de Brixia Petri Abaëlardi quondam diſcipulus, egregius diuini verbi concionator, ſed forte nimis audax ac temerarius. Dum enim Romæ in luxum & diuitias ſacerdotum & Cardinalium inuehitur, palam & publicè mores eorum carpit, viuendique rationem inſectatur, apud Honorium Papam Hæreſeos nomine ſuſpectus inſimulatur & damnatur. De eo ſic ſcribit Platina. *Verum ſuis* (id. Honorii) *temporibus accidit quod nequaquam probandum eſt. Arnulphus enim Chriſtianæ Religionis prædicator egregius Clericorum inſidiis Romæ necatur, quod acerbè nimium in eorum laſciuiam & libidinem inueheretur, quodque eorum pompam & in comparandis diuitiis nimium ſtudium improbaret, paupertatem Chriſti & integerrimam vitam ad imitationem omnibus proponens. Hunc multi ex nobilitate Romana tanquam verum Chriſti Diſcipulum & Prophetam ſequebantur. Hunc laudibus ad cælum tollebant. Hinc odium, hinc iræ in perniciem bene ſentientis vſque ad necem excitatæ. Fuerit ne hic ſanctiſſimus vir Presbyter, an Monachus, an Eremita, haud ſatis conſtat. Sunt qui ſcribunt Honorio ipſi id admodum diſplicuiſſe, non tamen tanti facinoris authores inuentos.* *De Arnoldo Brixenſi.*

Trithemius pariter ait eum fuiſſe magnæ pietatis virum, Concionatorem egre-

gregium veniſſeque Romam Honorio II. ſummo Pontifice circa a n. 1128. Clericorum laſciuiam, libidines, auaritiam, ſuperbiam & faſtum è ſacro ſuggeſtu reprehendiſſe. A Romana quidem Nobilitate, vt Chriſti diſcipulũ maxima in veneratione habitum; à Cardinalibus verò & Clericis odio habitum; poſtremo denique de nocte captum & interfectum: quod martyrium in eremo prædixerat. Vnde hæc verba ad eos habebat ſæpe, quæ leguntur apud Trithemium. *Scio quod animam meam quæritis. Scio quod me breui clam occidetis. Sed quare? veritatem vobis dico; faſtum, ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, nimiumque ſtudium, quod comparandis diuitiis miſeri intenditis, reprehendo. Propterea vobis non placeo. Ego teſtem inuoco cœlum & terram, quòd annunciauerim vobis ea quæ mihi Dominus præcepit. Vos autem contemnitis & me & Creatorem veſtrum, qui vos per vnigenitum Filium ſuum redemit. Nec mirum ſi hominem me peccatorem vobis veritatem annunciantem morti tradituri eſtis, cum etiam ſi S. Petrus hodie reſurgeret, & vitia veſtra quæ nimis multiplicata ſunt, reprehenderet, ei minimè parceretis.*

Hi authores & nonnulli alij qui eos ſequuntur, affirmant præfatum Arnoldum ſeu Arnulphum fuiſſe ſub Honorio II. interfectum. Sed malè, nam Martinus Polonus longè illis antiquior diſertis verbis docet, eum Conrado imperante (imperare autem cœpit an. 1136. quo tempore iam obierat Honorius) verbi Diuini præconem fuiſſe. *Huius tempore*, inquit, *quidam M. Arnoldus nomine prædicauit in vrbe Roma reprehendens diuitias, & ſuperfluitates. Poſt cuius dicta multi Magnates Romanorum ſequebantur eum. Qui poſtea captus in odium Clericorum eſt ſuſpenſus.*

Similiter Innocentius II. qui Honorio ſucceſſit, illum comprehendi & incarcerari præcepit, vt & Abbaëlardum, ſi capi poſſet. Et plures extant de eo Bernardi Clare-Vallenſis Epiſtolæ. Otho quoque Friſinghenſis damnatum eum ſcribit fuiſſe an. 1139. vnde neceſſe eſt concludere aut Arnulphum illum, de quo Platina & Trithemius loquuntur, alium eſſe ab Arnoldo Brixienſi, quod non eſt veriſimile: aut eoſdem falli, cum aiunt captum fuiſſe & intefectum ſub Honorio Pontifice. De eo rurſum dicemus ad an. 1139.

De Abaelardo. Hoc quoque anno Petrus Abaëlardus nuſquã & nullibi ſecurus ad ſcholas Paracletenſes quas S. Gildaſii Ruienſis in Epiſcopatu Venetenſi minoris Britanniæ factus Abbas paulo ante dimiſerat, arreptâ occaſione expulſarum ex Argentolienſi Cœnobio Monialium, reuertitur, atque in Paracleto ſuo miſerrimas illas virgines profugas & extorres collocat & Heloiſſam ſuam eis præficit: quod factum Innocentij II. authoritate comprobari curauit. Quamobrem verò ille Paracletenſes ſcholas tam breui tempore poſtquam illas conſtituerat, deſeruerit, ipſemet commemorat. Cum enim viderent æmuli ſe tanti viri extinguendæ famæ impares eſſe, duos inſignes Abbates qui tum ſanctitate vitæ cæteris præminere videbantur, quique Galliarum habebantur Apoſtoli, aduerſus eum concitarunt; ſcilicet Norbertum Colonienſem Canonicæ Præmonſtratenſium Congregationis Inſtitutorem, & Bernardum Monaſtici Ciſtercienſium Ordinis amplificatorem, primumque Cœnobij Clare-Vallenſis Abbatem: qui duo viri ipſum ad mortem vſque inſectari non deſtiterunt.

Quandoquidem igitur huc hiſtoriæ filo deducti ſumus, non erit extra rem obſeruare his temporibus hoſce duos præſtantes Ordines Eccleſiæ Dei mirum in modum profuiſſe. De quibus ſic ſcribit author Chronici Lemouicenſis ad an. 1130. Sub his temporibus, *inquit*, Ordo Canonicus Præmonſtratenſium & Monaſticus Ciſtercienſium quaſi duæ oliuæ in conſpectu Dei, pietatis lumen & deuotionis pinguedinem mundo miniſtrabant: & quaſi vites frugiferæ religionis palmites circumquaque propagabant, & per omnes fere Chriſtiani orbis terminos bonæ opinionis paulatim odore diffuſo nouas Abbatias, vbi antea cultus Dei non fuerat, conſtruebant. Vnde & in Syriam & in Paleſtinam de vtroque Ordine fratres miſſi nonnullas Abbatias ædificauerunt. Eratque circa ea tempora pulchra ac decora facies diuerſorum Ordinum ac Profeſſionum circundata varietate: dum hinc Præmonſtratenſes, inde Ciſtercienſes Monachi; inde etiam diuerſi habitus atque profeſſionis ſanctimoniales & mulieres Deo deuotæ in continentia atque paupertate ſub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore Religionis ſe inuicem prouocarent & noua certatim diuerſis in locis Monaſteria fundarent.

A prædictis igitur viris horumce duorum Ordinum Principibus, qui vbique pro Sanctis in terra conuerſantibus habebantur, exagitatus Abaëlardus quo ſe verteret, non habebat. Illi enim cum in ſacris Concionibus, tum in colloquiis apud magnates & apud populum famam de illo ſiniſtram ſpargentes efficiebant vt non modo apud amicos perfugium non inueniret, imo ab omnibus veluti ſacris arcitus & anathema euitaretur. Quibus malis affectus animum ita deſpondit & timidus euaſit, vt quoties alicubi Conuentum aut ſynodum quacunque de cauſa indici & haberi audiebat, contra ſe haberi exiſtimaret. Ita ergo ipſe mala ſua deſcribit. *Priores æmuli cum per ſe iam minus valerent, quoſdam aduerſum me nouos Apoſtolos, quibus Mundus plurimum credebat, excitauerunt. Quorum alter Regularium Canonicorum vitam, alter Monachorum ſe reſuſcitaſſe gloriabatur. Hi prædicando per mundum diſcurrentes & me impudenter quantum poterant, corrodentes non modicè tam Eccleſiaſticis quibuſdam quam ſecularibus poteſtatibus contemptibilem ad tempus effecerunt, & de mea tam fide quam vita adeo ſiniſtra diſſeminauerunt, vt ipſos quoque amicorum noſtrorum præcipuos à me auerterent: & qui adhuc priſtini amoris erga me aliquid retinerent, hoc ipſi modis omnibus metu illorum diſſimularent. Deus ipſe mihi teſtis eſt, quotiens aliquem Eccleſiaſticarum Perſonarum Conuentum adunari noueram, hoc in damnationem meam agi credebam. Stupefactus illico quaſi ſuperuenientis ictum fulguris exſpectabam, vt quaſi hæreticus aut profanus in Conciliis traherer aut ſynagogis.*

Inter haſce agitationes tumultuſque mentis poſito accidit occaſio opportuna vacantis Abbatiæ Sancti Gildaſij Ruienſis: ad quam vt ait ipſe, Monachorum concors electio cum aſſenſu Toparchæ ſeu Terræ Domini cum vocauit, atque ab Abbate Sugerio & Fratribus San-Dionyſianis impetrauit. *Nunquam autem*, inquit *huic rei acquieuiſſem, niſi vt quocunque modo has quas inceſſanter ſuſtinebam oppreſſiones declinarem. Terra quippe barbara & terræ lingua mihi incognita erat, & turpis atque indomabilis illorum Monachorum vita omnibus fere notiſſima, & gens terræ illius inhumana & incompoſita.* Suſcepit ergo tandem illius Abbatiolæ regimen, vt quoquo modo quietem ab æmulis & inimicis longè ſemotus haberet. Verum è Scylla in Charybdim incidit, tum propter Tyranni cuiuſdam qui Abbatiæ poſſeſſiones inuaſerat, terribiles minas, vim & diras extorſiones, tum propter Monachorum quos regendos ſuſceperat, mores indiſciplinatos. *Foris*, inquit, *me Tyrannus ille & ſatellites ſui aſſiduè oprimebant: intus mihi fratres inceſſanter inſidiabantur, vt illud Apoſtoli in me ſpecialiter dictum res ipſa indicaret.* Foris pugnæ *intus timores.* Sœpius igitur miſerias ſuas ipſe plangebat, leuitatem & inconſtantiam accuſabat, quod ſpe vitandi leuis mali Paracletenſe Oratorium Conſolationemque deſerens in certam ſe deſolationem iniecisſet, minaſque Monachorum illorum, Bernardi ſcilicet & Norberti euitare cupiens, ad certiſſima pericula, non ad quietis & ſalutis portum confugiſſet.

In eo itaque ſtatu poſitus dum ſuas ipſe calamitates deflet omnis conſilij inops, ecce ſubitam & inopinatam nanciſcitur occaſionem Abbatiæ Ruienſis deſerendæ & Oratorij ſui recuperandi. Nam cum, vt ad an. 1127. retulimus, à Sugerio Abbate San Dionyſiano **ea qua diximus ratione, Moniales Argentolienſes è cœnobio ſuo** electæ & expulſæ fuiſſent, in quo Heloiſſa Prioratum gerebat, tam deplorandæ miſertus calamitatis vltro illam & quaſdam comites ei adhærentes ad Oratorium ſuum Paracletenſe inuitauit, eiſque ipſum ad habitandum, & quæcunque ibi poſſidebat, conceſſit & donauit. Quam donationem paulo poſt aſſenſu atque interuentu Hattonis Trecenſis Epiſcopi Innocentius II. ipſis & earum ſequacibus authentico Reſcripto & ſingulari Priuilegio in perpetuum corroborauit.

Illæ autem initio vix habuerunt, vnde vitam ſuſtentarent. Cum enim perpauco admodum tempore Petrus ibi docuiſſet, nimirum ab an. 1124. quo illuc conceſſerat, vſque ad annum fere 1127. quo Abbatiam Ruienſem ſuſcepiſſe videtur, neque prædia multa, neque magnos etiam ibi reditus ex quæſtu ſcholarum comparare potuerat. At poſtmodum miſericordia populi circumvicini & ſingulari Dei prouidentia ita ditatæ ſunt, vt, vno anno earum opes plus multiplicatæ ſint, quam ſi Petrus ibi centum annos permanſiſſet & docuiſſet. *Quippe*, inquit, *quo fœminarum ſexus eſt infirmior, tanto earum inopia miſerabilior facilè humanos com-*

mouet affectus, & earum virtus tam Deo quàm hominibus eſt gratior. Tantam autem gratiam in oculis omnium illi ſorori noſtræ, quæ cæteris præerat, Dominus annuit, vt eam Epiſcopi quaſi filiam, Abbates quaſi ſororem, Laïci quaſi Matrem diligerent: & omnes pariter eius religionem, prudentiam, & in omnibus incomparabilem patientiæ manſuetudinem admirabantur.

Huic igitur ſuo Cœnobio Abbatiſſam conſtituit Heloïſſam, fœminam litteris Hebraïcis, Græcis & Latinis apprimè eruditam & imbutam. Et huiuſce ad Paracletenſe Oratorium tranſlationis meminit Chronologiſtes Antiſſiodorenſis, *Hic Abaëlardus*, inquiens, *ſubtiliſſimus mirabiliſque Philoſophus conſtruxerat Cœnobium in territorio Tricaſſino in Prato quodam, vbi legere ſolitus fuerat: in quo ſanctimoniales plurimas Epiſcopali authoritate congregauit, quod Paracletum nominauit. Quibus ſanctimonialibus Heloïſſam quondam vxorem ſuam, Religioſam fœminam, & litteris tam Hebraïcis, quam Latinis apprimè eruditam præfecit Abbatiſſam.* Similiter Nangius Monachus San-Dionyſianus vbi de Abaëlardo. *Sed & ibi*, inquit, *Heloiſſam, quæ per induſtriam Sugerij Abbatis S. Dionyſij in Francia poſtmodum electa, venire fecit cum nonnullis Monialibus Religionis, quæ ibi Abbatiſſa effecta.*

Atque quemadmodum non ſufficit exercitui Ducem præficere, ſed neceſſe quoque eſt alios ſub eo Præfectos & Centuriones conſtituere; ita & Cœnobiali militiæ plures ſint Præfecti & Miniſtri neceſſe eſt. Igitur ille Abbatiſſæ adiunxit ad regimen Cœnobij Sacriſtam, Cantricem, Infirmariam, Veſtiariam, Cellerariam & Portariam, quas ſex Officiales ſub Diaconiſſa ſeu Abbatiſſa Ducum ſiue Conſulum loca poſſidere voluit: cæteras verò Clauſtrales militum more diuinum peragere expeditè officium. Extat in hanc rem eius ad Heloïſſam Ep. 8. ſeu potius liber tripertitus, in quo de tribus agit præcipuis virtutibus Monaſterij, continentia, paupertate voluntaria & ſilentio; de conſtitutione verò ſeu regimine Cœnobii ſic habet, *Sicut in Caſtris ſeculi, ita & in Caſtris Domini id eſt Congregationibus Monaſticis conſtituendi ſunt qui præſint cæteris.* Ibi quippe Imperator vnus ad cuius nutum omnia gerantur, præeſt omnibus. Qui etiam pro multitudine exercitus vel diuerſitate Officiorum ſua nonnullis impertiens onera quoſdam ſub ſe adhibet Magiſtratus, qui diuerſis hominum cæteruis aut Officiis prouideant. Sic & in Monaſteriis fieri neceſſe eſt, vt ibi vna omnibus præſit Matrona, ad cuius conſiderationem atque arbitrium omnes reliquæ omnia operentur, nec vlla ei in aliquo præſumat obſiſtere, vel etiam ad aliquod eius præceptum murmurare. *Nulla quippe hominum Congregatio vel quantulacumque domus vnius familiæ conſiſtere poteſt incolumis, niſi vnitas in ea conſeruetur, vt videlicet totum eius Regnum in vnius perſonæ Magiſterio conſiſtat.* Vnde & Arca typum Eccleſiæ gerens cum multos tam in longo quàm in lato cubitos haberet, in vno conſummata eſt. Et in Prouerbiis ſcriptum eſt, *propter peccata terræ multi Principes eius.* Vnde etiam Alexandro mortuo, multiplicatis Regibus mala quoque multiplicata ſunt. Et Roma pluribus communicata Rectoribus concordiam tenere non potuit. Vnde Lucanus in 1. ſic meminit.

——Tu cauſa malorum
Facta tribus Dominis Roma
In turbam miſſi feralia fœdera Regni.

Et poſt pauca.

——Dum terra fretum terramque leuabit
Aër, & longi voluent Titana labores,
Noxque diem cælo totidem per ſigna ſequetur,
Nulla fides regni ſociis OMNISQVE POTESTAS
IMPATIENS CONSORTIS ERIT.

Tales profectò & illi erant Diſcipuli S. Frontonij Abbatis, quos ipſe in ciuitate in qua natus eſt, cum vſque ad 70. congregaſſet, & magnam ibidem gratiam tam apud Deum quàm apud homines adeptus eſſet, relicto Monaſterio Ciuitatis cum mobilibus rebus nudos ſecum ad Eremum traxit. Qui poſtmodum more Iſraëlitici populi aduerſus Moïſen conquerentis, quòd eos etiam de Ægypto relictis ollis carnium & abundantia terræ in ſolitudinem eduxiſſet, murmurantes incaſſum dicebant. *Nunquid ſola in Eremo caſtitas quæ in vrbibus*

non eſt? Cur itaque non in Ciuitatem reuertimur, de qua ad tempus exiuimus? an in Eremum ſolum Deus exaudiet orantes? quis cibo Angelorum viuat? quem pecorum & ferarum delectat fieri ſocium? quanta nos habet neceſſitas hic morari? cur itaque non regreſſi in locum in quo nati ſumus, benedicimus Dominum? Hinc & Iacobus admonet Apoſtolus, *Nolite*, inquit, *plures Magiſtri fieri, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis.* Hinc quoque Hieronymus ad Ruſticum Monachum de inſtitutione vitæ ſcribens. *Nulla*, inquit, *Ars abſque Magiſtro diſcitur. Etiam muta animalia & ferarum greges Ductores ſequuntur ſuos. In apibus vnum precedentem reliquæ ſubſequuntur, Grues vnum ſequuntur ordine litterato. Imperator vnus, Iudex vnus Prouinciæ. Roma vt condita eſt, duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Eſaü & Iacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi & omnis Ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur. In Naue vnus Gubernator. In domo vnus Dominus. In quamuis grandi exercitu vnius ſignum ſpectatur. Per hæc omnia ad illud tendit oratio vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in Monaſterio ſub vnius Diſciplina Patris conſortioque multorum.*

Hæc eò pluribus retulimus, vt conſtet quàm verum ſit non potuiſſe Vniuerſitatem Pariſienſem tot annos, imò tot ſecula ſubſiſtere ſine legibus, ſine Magiſtratibus & ſine Rectore. Nam cum ex dictis cuidens ſit fuiſſe celebrem regnante Carolo M. fuiſſe quoque ſub aliis Regibus non modo à Francigenis ſed ab extraneis frequentatam, nemo ſanus negauerit, quin Moderatores ſeu Rectores ſuos habuerit.

Hiſce adhuc temporibus Otho Auſtrius vulgò dictus Friſinghenſis Lutetiæ ſtudebat. Vnde cum quindecim ſociis, inter quos erat Henricus Carinthius, qui deinde fuit Trecenſis Epiſcopus, ad Morimundenſe Ciſtercienſium Cœnobium in Lingonenſi diœceſi ſitum ſe contulit: vbi aliquandiu Monaſticam vitam profeſſus, eiuſdem loci Abbas poſtea factus eſt, & tandem Epiſcopatu Friſinghenſi donatus. Annales tamen Ciſtercienſes priuseum volunt nomen dediſſe Cœnobio Morimundenſi, quàm Lutetiam Studiorum cauſâ proficiſceretur: ſic enim in iis legitur. Otho Auſtriacus *in Monaſterio Morimundi Ordinem profeſſus regulares induit diſciplinas: mox verò id eſt ab ipſa profeſſione Pariſius miſſus apud celeberrimam illam Scholam toto orbe famoſam liberales artes ipſamque totius vitæ Magiſtram Philoſophiam ſectatus eſt, ac denique altiſſimæ Theologiæ addiſcendis arcanis totum ſe tradidit. Quibus in rebus cum reliquis ſui æui doctiſſimis etiam viris præſtare videretur, eorum Magiſterium conſequi meruit, quorum antea Diſcipulus extiterat.* Vir fuit eruditione clarus & Philoſophiæ Peripateticæ peritiſſimus, vt de eo tradit æqualis Radewicus Friſinghenſis Eccleſiæ Canonicus Chronici Othoniaci continuator. De eo plura in Catalogo virorum Illuſtrium.

Ad annum 1129. vulgo referunt Hiſtorici Philippi Maioris natu filij ſuſſu Patris Ludouici deſignationem in Regem, cui apud Remos Rex Anglorum Henricus interfuiſſe legitur, vt Normaniæ Dux. At in priuilegio quodam Monachis San-Maglorianis conceſſo an. 1128. de piſcatione Sequanæ, cui ſubſcripſit Simon Cancellarius, videmus iam mentionem fieri Philippi Maioris natu filii in Regem deſignati & coronati: de cuius miſerabili morte dicetur ad an. 1130. 1129.

Eodem anno Honorius Papa communi Mortalium fato fungitur, quamquam aliqui ſcribunt, & è veteribus Robertus Monachus Antiſſiodorenſis, obiiſſe tantum an. 1130. Verum Scriptores antiquiores Ioannes Berardi qui Chronicon Caſaurienſe ſeu Piſcarienſe ad an. 1182. perduxit, & author Chronici Mauriniacenſis qui temporibus iſtis ad annum vſque 1150. Chronicon ſuum ſcripſit, diſertè aſſerunt Honorium hoc anno obiiſſe. Eo verò defuncto vehemens & prorſus exitiale ortum eſt in Eccleſia Dei Schiſma & ſcandalum: dum vna pars Electorum Gregorium Cardinalem Diaconum tituli S. Angeli Pontificem creat: altera Petrum-Leonis ex Monacho Cluniacenſi Cardinalem Preſbyterum: quæ pars ſi non iure & ratione, vi & potentiâ aliquandiu prævaluit propter Magnatum Romanorum, quos proximâ cognatione Petrus attingebat, authoritatem. Itaque Gregorius, qui Innocentius II. appellari voluit, viribus impar vrbe cedere cogitur & ad Ludouicum Franciæ Regem atque ad commune Pontificum afflictorum aſylum more prædeceſſorum ſuorum confugere, regnante interim

in Italia & in vrbe Petro ſub Anacleti nomine. Vterque autem Franciæ & Academiæ Pariſienſi notus erat. Vterque legationem obierat in Francia & Carnuti Beluacique ſynodos celebrarat. Vterque Pariſienſis Vniuerſitatis alumnus & Regi Ludouico Proceribuſque notiſſimus : quamobrem vterque magnum cauſæ ſuæ momentum in Regis patrocinio ponens, nihil non ambo moliti ſunt, vt eius ſibi gratiam, opem & fauorem demererentur. De toto hoc ſchiſmate clarè & dilucidè multi ſcriptores coætanei ſcripſerunt, imprimis verò Author Chronici Mauriniacenſis his verbis.

Anno Incarnationis Domini noſtri I. C. 1129. Honorius II. qui poſt Calixtum Papam ſuper Cathedram Petri ſederat, Romæ in Eccleſia B. Andreæ quam apud Cluuum Æmilij Scauri Beatus ac præcipuus Doctor Magnus Gregorius ſuis ſumptibus ædificauit, defunctus eſt. Cardinales qui cum Cancellario inibi aderant & Honorio infirmanti aſſederant, Gregorium quendam ſcientiâ ac religione præclarum ſibi præficiunt & nimis feſtinanter, vt à quibuſdam dicitur, Pontificalibus induunt inſignibus. Id illius gratiâ diſpenſationis factum dicunt, vt Petrum quendam qui ſeculariter ad Papatum videbatur adſpirare, ſpe ſuâ fruſtrarentur. Fuit hic Petrus Petri filius filij Leonis. Leo verò à Iudaiſmo Paſcha faciens ad Chriſtum, à Leone baptizari & eius nomine meruit inſigniri. Hic vir quia ſcientiſſimus erat in Curia Romana, magnificus effectus genuit filium nomine Petrum, magnæ famæ magnæque potentiæ poſt futurum. Ea tempeſtate inter Regem Teutonicum qui ex ſucceſſione Caroli M. Romanorum Patricius erat & Eccleſiam Romanam illa de inueſtituris turbulentiſſima orta eſt ſeditio. In qua vir ille in tantum armis ſtrenuus, conſilio prouidus & Eccleſiæ Rom. fidelis extitit, vt ei cum cæteris munitionibus quæ Romæ ſunt, illam quoque quæ illius vrbis videtur obtinere ſimilitudinem, Turrim dico Creſcentij, quæ à parte Galliarum in capite Tiberini Pontis ſita eſt, Papa committeret, & illum præ cæteris familiarem haberet. Hac occaſione mirabiliter excreſcens quotidie ſui melior efficiebatur, & diuitiis, poſſeſſionibus, honoribus augmentabatur.

Pergit idem Author, & poſtquam qui fuerunt Petri parentes, explicuit, deinde quomodo ipſe fuerit inſtitutus & cuiuſmodi moribus præditus, exponit. *Inter cæteram ſobolem cuius plurima multitudine ſexus vtriuſque à quibuſdam Antichriſti præambulus appellabatur, Iſte STVDII gratia GALLIAS ATQVE PARISIVS adiit; & cum repatriaret, apud Cluniacum ditiſſimum atque ſanctiſſimum Cœnobium Monachalem habitum induit, aliquantiſper inibi regularibus Inſtitutionibus imbutus. A Papa Paſchali II. Patris admonitione retrahitur ad Curiam, & Cardinalis effectus tempore Calixti Papæ cum eodem Gregorio Legatus miſſus ad Gallias Carnoti Beluacique Concilia celebrauit. Mortuo Honorio potentiſſima fratrum ſuorum familiæque quàm maximæ numeroſitate fretus & Portuenſis Epiſcopi cuiuſdam LITERATISSIMI, & ſicut putabatur, religioſiſſimi ſenis impetu animatus, Pontificatus culmen accipit, Cleri populique non paruâ conſuetudine ſibi conſentiente. Id in Eccleſia Dei ſeminarium maximi ſchiſmatis erat, & vt ſecularis ille Hiſtoriographus de aliis dicit,* RES MALA, SPES MVLTO ASPERIOR.

Igitur Innocentius certum ſibi videns imminere periculum ſi diutius in vrbe moraretur, communicato cum Cardinalibus & ſeruis ſuis fidelibus conſilio procuratis clam nauigiis per Tyberim ad Portum Piſanum applicat. Inde in Galliam ad Ludouicum præmittit nuncios ſuos, qui eum de re geſtâ deque Electionis ordine & modo certiorem eum facerent, vt ſe Regnumque ſuum Parti pro qua videretur æquitas ſtare, adiungeret. Nec defuit quoque ſibi Petrus, ſimiliterque per Legatos Regem adſe traducere conatur. Rex nihil cunctandum ratus, ſtatim Archiepiſcopos, Remenſem, Senonenſem, Turonenſem & Bituricenſem omneſque Regni ſui Epiſcopos & Abbates Stampis conuocat : ibique non de electionis tantùm ratione, ſed de perſonis inſuperinquiri iubet, communicatoque tandem Conſilio, vt habetur in Chronico Mauriniacenſi, Innocentium, quia & vitâ ſanctior & famâ melior & electione ſuperior apparebat, cum omni Regno ſuo Romanorum Papam ſibique Patrem denunciat.

Porro de vtriuſque electi moribus & fama non videtur prætereundum: quod habet Arnulphus tum Sagienſis Archidiaconus, poſtea Lexouienſis Epiſcopus c. 3. & 4. contra Girardum Engoliſmenſem qui Petro adhæſerat, ciuſque Legationem in Aquitania obibat. Ac de Petro quidem ſic primum c. 3. *Petro*

ipſum à cunabulis, ab ipſius nutricis vberibus Apoſtolatui præſaga Parentum deſtinauit ambitio, atque poſt prima litterarum rudimenta docendum deleganit in Galliam, vt illius Regni beneuolentiam ipſi morum linguæque conformatio vindicaret. Totis igitur annis pueritiæ ſuæ, vt honeſtiùs inhoneſta dicantur, ad omne ſe quod alteri collibuiſſet, expoſuit, metuque Romani nominis importunus exactor alienis adoleſcere non refugit expenſis. Et tamen hæc aliquantulum modeſtiùs exacta ſunt, dum ipſum diſciplina ſcholaris inhibet, & quotidiana præpedit inſtantia lectionis, & quædam crimina naturalis impotentia remouet ab ætate. Ex hoc Arnulphi loco intelligitur, quanti tum momenti res eſſe putaretur ſtuduiſſe Pariſiis, vt nemo Eccleſiaſticis Gradibus ſatis dignus exiſtimaretur eſſe, qui non ibi ſtudiorum curriculum confeciſſet.

Innocentii vero qui ante Promotionem Gregorius Papa ſeu Papareſcus cognominabatur, mores ſic depingit. c. 4. *At ſi vita conſideretur integritas & à primis annis ſub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo enim nihil illiberale pueritia, nihil adoleſcentia fluxum, nil iuuentus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcuſſa fides operationi bonæ fundamenta præſtruxit. Conſilio prouidus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum faſtus elatam, nec multitudo faciat effluentem.*

Eadem & alia plura de vtroque commemorata ſunt à Bernardo Clare-Vallenſi Abbate, cui Rex & qui aderant Eccleſiarum Prælati, authoritatem poteſtatemque definiendi quodammodo commiſerant. Ergo ſecuta eſt vnanimis omnium ſententia, Innocentium pro Papa recipiendum, non tam attentâ electionis ratione, quàm dignitate & meritis perſonæ: nam vtait Sugerius, fit ſæpe vt Romanorum tumultuantium quibuſcunque moleſtiis Eccleſiæ electio minus ordinariè fieri valeat. Protinus vero à Rege & Conſilio mittitur Sugerius ad Innocentium ſignificaturus Franciæ obedientiam.

Ille accepto Regis nuncio lætus, qui per Prouinciam in Burgundiam delatus iam Cluniacum attigerat, iter arripit Aureliam verſus, eumque Ludouicus cum Philippo filio Rege deſignato apud Floriacenſe Cœnobium honorificentiſſimè excipit & acclinis iuxta morem, Pontificis pedes oſculatur, eumque vt Chriſti & Petri vicarium lætus & hilaris veneratur. Idem præſtitit apud Carnutum paulò poſt Rex Anglorum Henricus, qui tunc in Normania morabatur. Legati quoque ad Lotharium Imperatorem mittuntur: & ille eidem electioni ſubſcribit.

Igitur Innocentij partes tuebantur Franci, Angli, Scoti, Germani; acceſſerunt Hiſpani & Hieroſolymitani. Ab Anacleto verò ſeu Petro Leonis ſteterunt Romani, Itali, Siculi & quædam aliæ gentes. Lutetiæ concionatores, & inter cæteros maximè Bernardus Clare Vallenſis Innocentij probitatem, innocentiam caſtoſque mores prædicabant. Petri vero nequitiam, fraudes, ſimoniam execrabantur, & tanti monſtri horrorem populi mentibus fortiter incutiebant. Vnus inuentus eſt Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus, qui obtentâ ſeu potius conſeruatâ ab Anacleto Legationis Apoſtolicæ dignitate, Guillielmo Aquitaniæ Duci perſuaſit, vt quicunque illum Papam agnoſcere detrectarent, **aut bonis mulctaret,** aut exilio damnaret, aut pœnis veluti rebelles & ſibi inimicos afficeret. Quo audito Bernardus contra eum cæteros excitauit Epiſcopos, vt patet ex Ep. ad Epiſcopos Aquitaniæ, in qua hæc verba leguntur.

Taceo multitudinem cæterorum Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ & Aquitaniæ, Galliarum denique & Hiſpaniarum omnium, nec non & vniuerſæ Orientalis Eccleſiæ tam Archiepiſcoporum, quàm Epiſcoporum, quorum nomina ſunt in libro vitæ, ſed Epiſtolæ breuitas non admittit. Hi omnes vnanimes non conducti pecuniâ, non ſeducti fallaciâ, non illecti priuato carnis vel cognationis amore, non timore compulſi potentiæ ſecularis, ſed Dei procul dubio voluntatem ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes Petrum Leonis ingenuè refutauerunt, ac ſecurè Gregorium in Papam Innocentium ſuſcepe-
runt.

Idem ſcripſit ad M. Gaufridum de Lauratorio inſignem Theologiæ Profeſſorem & Diuini verbi præconem, hortatuſque eſt vt in ſuis concionibus & ſermonibus ad populum Innocentij cauſam partemque promoueret pro ſua inſigni famâ &

dicendi peritiâ concionandique celebritate. Extat ad eũ data Ep. 125. hoc modo.
" *Odor in flore, ſapor in fructu ſapor requiritur. Odore prouocati*, chariſſime frater, olei effuſi nominis tui cupimus & ex fructu operis cognoſcere te. Non enim nos tantum, ſed ipſe quoque qui nullis eget Deus, opus tamen habet hoc in tempore opere tuo, ſi non diſſimulas. Glorioſum tibi eſt eſſe poſſe Dei coadiutorẽ, poſſe & non eſſe, damnoſum. Porro autem gratiam habes apud Deum & homines, habes ſcientiam, habes ſpiritum libertatis, habes verbum vitum & efficax & ſale conditum. Nec oportet te pro tantis viribus ſponſæ Chriſti deeſſe in tanto diſcrimine, cum ſis amicus ſponſi. Amicus ſiquidem in neceſſitate probatur: quid enim tu tibi quieſcis, & mater tua Eccleſia conturbatur? Habuit ſua tempora quies, & ſanctum otium hactenus ſua negotia licenter libenterque exercuit. Tempus faciendi nunc, quia diſſipauerunt legem. Beſtia illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias & bellum gerere cum Sanctis, Petri Cathedram occupat, tanquam Leo paratus ad prædam. Altera quoque beſtia iuxta vos ſubſibilat ſicut catulus habitans in abditis. Illa ferocior, iſta callidior, pariter conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Demus operam citò dirumpere vincula eorum & proiicere à nobis iugum ipſorum. Nos in noſtris partibus vna cum aliis Dei ſeruis diuino igne accenſis Deo cooperante laborauimus in conueniendo populos in vnum & Reges ad diripiendum prauorum conſenſum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Nec infructuoſe: Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum & Hieroſolymorum Reges cum vniuerſo Clero & populis fauent & adhærent D. Innocentio, tanquam filij Patri, tanquam Capiti membra ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Meritò autem illum recipit Eccleſia, cuius & opinio clarior & electio ſanior inuenta eſt, numerum eligentium & numero vincens & merito. At tu frater, quid adhuc negligis? quouſque vicino ſerpente tua malè ſecura dormitat induſtria? ſcimus quidem te filium pacis nullâ poſſe ratione induci deſerere vnitatem, ſed profectò non ſufficit, niſi & defenſare atque ipſius quoque turbatores totis viribus debellare ſtudueris. Nec quietis timeas detrimentum: non paruo tuæ gloriæ incremento recompenſabitur, ſi fera illa vicina vobis tuo ſtudio manſueſcat, vel obmuteſcat, & tantam Eccleſiæ prædam, Comitem dico Pictauienſem, in manu tua Dei pietas de ore Leonis eripiat.

Prius quam autem in apertum diſſidium cum Vvillielmo Aquitaniæ Duce prorumperetur, vt audiuit Innocentius qui in Galliis adhuc morabatur, Gerardum nonnihil aduerſus Eccleſiam Dei machinari, ad Ducem miſerat Bernardum Clare-Vallenſem cum Ioſleno Sueſſionenſi Epiſcopo viro doctiſſimo, ipſoq; olim Pariſienſi Profeſſore, vt eum à ſchiſmate diuertere tentarent. Verũ cum eo & cum Girardo apud Pictauium collocuti nihil profecerunt: imò cum iniuriis & contumeliis eiecti ſunt. Quamobrem Innocentius Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum virum omni exceptione maiorem Legatum direxit in Aquitaniam, qui deinde ſibi Bernardum ſocium ad tale opus adlegit, vt ſcribitur in lib. 2. vitæ B. Bernardi.

Quamobrem autem Gerardus Engoliſmenſis poſt obedientiã Innocentio cum aliis Galliarum Prælatis præſtitam ad partes Petri Leonis tranſierit, docet Bernardus Bonæ-Vallis Abbas lib. 2. Vitæ B. Bernardi Clare-Vallenſis c. 6. his verbis.
" Laborabat ea tempeſtate ſub ſchiſmaticorum oppreſſione tota Burdegalenſis Eccleſia & non erat in Aquitania, qui poſſet reſiſtere Principi, cuius animam indurauerat Deus, qui annuente Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo & inſtillante in cor eius diſſenſionis ſemina, factus eſt ſchiſmatis defenſor & author. Quicunque ſuſceptioni Petri Leonis non ſubſcribebant, perſecutionibus expoſiti, alij à ſedibus propriis pulſi exulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris perſuaſionibus quaſi ſerpens antiquus veterator ille, (Gerardus) qui diu in partibus illis ſedis Apoſtolicæ fuerat Legatus, & nunc à Magiſtratu tanto deiectus non poterat ſe pati ſuæ ſolius Eccleſiæ Epiſcopum, qui ſe viderat totius Aquitaniæ Principem & Magiſtrum. Erubeſcebat enim ad primam domum redire, cuius potentatui & Turonenſis & Burdegalenſis & Auxienſis Prouinciæ ſubditæ

ſubditæ fuerant, & quidquid à collibus Iberorum vſque ad Ligerim complecti-
tur & claudit Oceanus, paruerat eius imperio. Conſuetus igitur prædari Pro-
uincias & ſub titulo Iuſtitiæ de cauſis emergentibus facere quæſtum, infinitas
aggregauit pecunias, quæ ſibi erant in idolum & in Apoſtaſiæ ſimulachrum. Vi-
dens igitur periſſe ſibi exactionum authoritatem, & ſolam domum quæ nuper
multis ſtipata clamoribus, iam carebat ærariis, impatienter ferens, quod manus
eius non implerentur muneribus, homo ſerpentinæ aſtutiæ feſtinato ad Petrum
Leonis miſit, vt ei Legationem concederet, & ipſe ei fidelitate iurata obediret;
inſuper & Principem terræ & quoſcumque poſſet, ad eius Imperium inclina-
ret. Gauiſus homo perditionis quia locum in quo dilataret malitiam ſuam ſe
inueniſſe putauit, citò annuit & libenter ei in adſtipulationem erroris Gilonem
Tuſculanum Cardinalem Epiſcopum, qui ſolus ex Romanis ei cum Petro Por-
tuenſi Epiſcopo adhæſerat, celeriter delegauit. Porro Gerardus qui prius mu-
tilatum ſe dolebat, reſumpſit cornua & deinceps cœpit ſecurior & audacior
apparere. Nam & quod ante non fecerat, publicè procedebat mitratus, vt ip-
ſa ſacri Officij inſignia ampliorem ei reuerentiam in populos vindicarent. Ag-
greditur ergo Comitem multis pecuniis, inuadit eius animum rationibus ve-
nenatis & hominem promptum facile ſeducit & corrumpit. Imprimis ab vrbe
Pictauienſi Willielmus Epiſcopus vir honeſtus homo Catholicus in ſocietate &
defenſione vniuerſalis Eccleſiæ ſtabilis violenter expellitur, & à Gerardo &
Cardinale adiutore ſuo quia Petrum abdicabat, damnatur. Quid plura? alium
ſubſtituunt Epiſcopum nempe Petrum de Chaſteleraud, ſed poſt mortem Gi-
rardi an. 1135. Vvillielmus Pictauienſem Epiſcopatum recuperauit, vt ſcribit
Gaufredus Prior Voſienſis in Chronico. Vno verbo, qui volet cætera Gerardi
Engoliſmenſis pro ſuo Pſeudo-Pontifice Acta videre, leget Tractatum Arnul-
phi tunc Sagienſis Archidiaconi de Schiſmate contra Gerardum. Ad Innocen-
tium redeamus.

Anno 1130. poſtquam à Regibus Francorum & Anglorum exceptus eſt modo 1130.
quo diximus, Carnuto Mauriniacum proficiſcitur abſente tum loci Abbate Tho-
ma & Guarino Priore, qui tamen per Curſorem de aduentu Papæ certiores facti
ſubitò redierunt, & Papam aduenientem quàm honorificentiſſimè potuerunt,
exceperunt. Ibi demoratus eſt Pontifex biduo: & alterâ die rogatus ab Abbate
conſecrauit altare, quod erat ante Crucifixum in honorem S. Laurentij & om-
nium Chriſti Martyrum die ſcilicet 13. Kal. Feb. Huicce Conſecrationi inter-
fuerunt Cardinales plurimi, Epiſcopi & Abbates, quos commemorat Author
Chronici Mauriniacenſis; quorum iſti erant inter ceteros conſpicui, Cardi-
nales Epiſcopi Guillelmus Preneſtinus, Matthæus Albanenſis, Ioannes Oſtien-
ſis, Guido Tiburtinus. Cardinales preſbyteri, Ioannes Cremenſis titulo S.
Chryſogoni, Petrus Rubeus tit. S. Martini, Humbertus Rubeus tit. S. Clemen-
tis, Gotfelmus tit. S. Ceciliæ. Diaconi Cardinales Romani tit. S. Mariæ in Porti-
cu, Haimericus Cancellarius Diaconus Cardinalis, tit. S. Mariæ Nouæ, Guido, tit.
S. Mariæ in Via lata. Et hi Abbates Adinulfus Abbas Farfenſis, *Bernardus Abbas
Clarorum-Vallium, qui tunc temporis in Gallia Diuini verbi famoſiſſimus prædicator
erat. Petrus Abaëlardus Monachus & Abbas, & ipſe vir Religioſus EXCELLENTIS-
SIMARVM RECTOR SCHOLARVM, ad quas pene de tota Latinitate viri litterati
confluebant. Girardus Abbas vir æquè & litteratus & Religioſus, Samſon Abbas S.
Luciani de Beluaco. Henricus verò Senonenſis Archiepiſcopus iuxta Domnum Papam in
loco Capellani fuit. Gaufridus autem Carnotenſis Epiſcopus ad populum ſermonem fecit.*
Hinc tertia die Papa iter arripit Leodium verſus ad Colloquium cum Impera-
tore Lothario incundum.

Inde regreditur in Franciam rebus ad votum cum Auguſto confectis & die
Cœnæ Domini à Sugerio Abbate apud S. Dionyſium hilariſſimè excipitur: quò
quanta ad eum inuiſendum hominum multitudo confluxerit, quàm feſtiuo
plauſu omnes Ciuitatis Pariſienſis Ordines eum conſalutatum iuerint, vix ex-
primi poteſt. Tantæ feſtiuitati non ipſi Iudæi deeſſe voluerunt, Legiſque ſuæ
codicem pulcherrimo velamine adornatum obtulerunt. *Cum autem*, inquit Su-
gerius, *& militiæ cunei & populi multi concurſus ei honeſtiſſimè occurreret, nec ipſa
etiam Iudæorum Pariſienſium excæcata defuit ſynagoga, quæ legis litteram, Rotulam*

ſcilicet velatam offerens, ab ore eius hanc miſericordiæ & pietatis obtinet ſupplicationem, AVFERAT DEVS OMNIPOTENS VELAMEN A CORDIBVS VESTRIS.

Ibi tranſactis feſtis Paſchalibus Ciuitatem demum ſubit Pariſienſem, *cui ingredienti*, inquit Author Chronici Mauriniacenſis, *tota Ciuitas obuiam iuit. Sic homo ille & comitate vultus & affabilitate ſermonis intuentium mercabatur beneuolentiam. A Rege Ludouico filioque eius Philippo fauorabiliter excipitur, & egrediens ab vrbe honorabiliter educitur.* Nempe Remos verſus, quò Papa ad celebrandum Concilium profectus eſt. Eum autem progredientem innumerabilis cum Clericorum, tum Laïcorum multitudo proſecuta eſt, nec defuit ingens pariter Litteratorum ſeu Scholarium comitatus, vt infra dicetur.

Antequam autem è Ciuitate Pariſienſi Remos proficiſceretur, inſtituit annuum feſtum *B. Genouefæ de Miraculis Ardentium.* Nimirum annis ſuperioribus igneus morbus, ſeu ſacer quidam ignis ita populum inuaſerat, vt illorum qui eo morbo correpti fuiſſent, membra, præſertim à Genitalibus veluti ardente igne conſumerentur, adhibitis fruſtra quibuſcumq; Artis Medicæ remediis. Huic tandem malo B. Genouefa Pariſiorum Patrona in ſolemni ſupplicatione, cui omnes Vrbis Ordines adfuerant, delata ad B. Mariæ Baſilicam auxilio fuit; vt iam ante Sequanæ inundatio ſemel atque iterum eiuſdem Virginis ope compreſſa fuerat. Quod verò prorſus mirabile eſt, cum infirmi tanto numero B. Virginis ædem occupaſſent, vt vix locus Canonicis ſupereſſet, ſtatim atque eam ingreſſi ſunt qui Genouefæ thecam ferebant, omnes tribus exceptis ſanati ſunt, nec vltra id tempus morbus ſæuiit. Cuius miraculi veritate compertâ & omnibus patente Innocentius rogatu Stephani Epiſcopi & populi feſtum inſtituit perennandum: poſtea verò ad perpetuum rei monumentum ædificata eſt Eccleſia iuxta Seniorem Baſilicam, dicataque Deo ſub honore & nomine B. Genouefæ *de Miraculo Ardentium.*

Hocce igne diu vexata eſt Gallia. Gaufredus Prior Voſienſis ſcribit ad an. 1094. Aquitaniam tunc temporis eo atrociſſimè arſiſſe: ex omnique parte ad S. Martialem Lemouicenſem confluxiſſe populorum ac principum turmas, eius interuentu leuamen mali quærentes: tumque S. Pardulphum innumeris coruſcaſſe miraculis. Idem ignis ſacer an. 1128. extinctus eſt Sueſſione precibus Deiparæ Virginis, qua de re M. Hugo Farſitus tunc in re litteraria inſignis libellum edidit, vt ex membranaceo codice Bibliothecæ San-Victorinæ refert Ioannes Picardus in Notis ad Ep. 35. D. Bernardi.

Paulò poſt Pontificis ab vrbe egreſſum & reuerſis ab eius comitatu Pariſienſium cateruis Philippus Regis filius maior 14. annos natus & ipſe Rex deſignatus Ludouico patri moritur. Ille enim cum extra muros Pariſienſes equo veheretur, forte inter crura laſciuientis Quadrupedis ſue domeſtico incurrente, vnde equus ferociter ceſpitauit, deturbatus nocte inſecutâ interiit. Quam mortem Craſſo patri in pœnam ſcelerum accidiſſe vulgatum eſt, quia in Ordinem Eccleſiaſticum paulò immoderatius ſæuiens eius bona ſibi vſurpabat Auliciſque diſtribuebat & Libertates Clero auferebat nolens ſe inconſulto & non conſentiente Epiſcopos & Abbates eligi. **Quamobrem vt ſupra memoratum eſt, à Stephano Pariſienſi Epiſcopo fuerat Cenſuris innodatus.** Grauis fuit interitus iſte Regnicolis omnibus, magnam enim de ſe ſpem adoleſcens concitarat. De eo caſu ſic ſcribit Sugerius. *Regis Ludouici filius floridus & amœnus puer Philippus Bonorum ſpes timorque malorum, cum quadam die per Ciuitatis Pariſienſis ſuburbium equitaret, obuio porco diabolico offenſus equus graui ſſimè cecidit, ſeſſoremque ſuum nobiliſſimum puerum ſilice conſternatum mole ponderis ſui concalcatum contriuit. Quo dolore Ciuitas, & quicumque aderant, conſternati (ea ſiquidem die exercitum ad expeditionem aſciuerat) vociferabantur & flebant & eiulabant, tenerrimum recolligentes puerum pene extinctum in proximam domum reportant: nocte verò inſtante, proh dolor! ſpiritum exhalauit.*

Author Chronici Mauriniacenſis poſt narrationem funeſti illius interitus pergit hoc modo. *Denique D. Papam Remim proficiſcentem Epiſcoporum, Abbatum, Litteratorum nobiliumque Clericorum grandis numerus, qui ſequebatur, ipſo die Pariſius aduenerat. Sic Ordinis virique totiuſque ſexus & ætatis multitudine congregatâ luctus intolerabilis & eiulatus ſuſtollitur ad ſidera affectu naturali, vt in re huiuſmodi*

fieri ſolet, alijs alios excitantibus, corpus pueri ad Eccleſiam B. Dionyſij deportatum ibique ſepultum eſt.

Hac audita clade Innocentius conſolatorias ad Regem dat litteras per Gaufridum Catalaunenſem & Mathæum Albanenſem Epiſcopos: vt habet eiuſdem Author Chronici, qui addit inſuper Mathæum illum ante fuiſſe S. Martini de Campis Priorem & ab Honorio ad Epiſcopatus faſtigium fuiſſe ſublimatum. Gaufridus autem ille cognomento Collum-Cerui, cum ad Regem miſſus eſt, erat Abbas S. Medardi, poſtmodum vero factus eſt Catalaunenſis Epiſcopus; eique in Abbatiæ moderamine Odo ſucceſſit.

Eodem anno more Gallicano, vel an. 1131. more Romano Concilium ſolenne & frequens habet Remis Pontifex Innocentius, 14. Ian. ad quod ex omnibus ſubiectionis & obedientiæ ipſius terris confluxerunt Eccleſiarum Prælati de pace Eccleſiæ deliberaturi. In eo verò Pſeudo-Pontifex Anacletus vnà cum ſchiſmatis fautoribus excommunicatus eſt. Qua de re fusè Bernardus Bonæ-Vallenſis Abbas l. 2. de vita B. Bernardi Clare-Vallenſis c. 1. Ad idem Concilium Ludouicus Rex profectus magno Nobilium Francorum comitatu, & aſcenſo tribunali D. Papæ de more pedes oſculatus ſellâ iuxta poſitâ paucis de filio defuncto peroratis omnes proceres totumque conſeſſum & populum ad lachrymas excitauit: demum verò Ludouicum iuniorem filium ad ſolatium ſuæ ſenectutis in ſucceſſorem inungi poſtulauit. Pontifex autem his verbis orſus eſt, vt legitur in Chronico Mauriniacenſi.

Oportet te Rex optime, qui ſuper nobiliſſimam Francorum Gentem tenes Imperium, ad illius ſummi Regis per quem Reges regnant, Maieſtatem mentis attollere & eius voluntatem per omnia venerari. Ipſe enim gubernat omnia qui creauit omnia, & omnium habens ſcientiam in vniuerſitate rerum nihil omnino facit vel fieri permittit iniuſtè, quamuis multa fiant iniuſta. Morem habet ille piſſimus Dominus, ô bone Rex, fideles ſuos & proſperitatibus conſolari & aduerſitatibus erudire. Sicut enim in ſancta ſcriptura legimus, quæ eius Epiſtola de cœlo per Spiritum Sanctum ad nos in terra poſitos directa eſt, ipſe percutit & medetur & flagellat omnẽ filium quem diligit. *Ego*, inquit, *occidam & ego viuere faciam, percutiam & ego ſanabo.* Ne videlicet homo qui ad imaginem Dei conditus reatu tranſgreſſionis ad huius mortalitatis tenebras deuolutus eſt, pro patria diligat exiliũ, ſed quantocius redire feſtinet ad illam, de qua peregrinatur in terris, cœleſtem ciuitatem Sanctam Hieruſalem, cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis, hoc eſt in Apoſtolis noſtris, quæ ſurſum eſt, quæ eſt Mater noſtra. Aduenæ etenim ſumus & peregrini ſicut omnes Patres noſtri, nec habemus hic manentem Ciuitatem, ſed futuram inquirimus. In ea cum Deo perenniter exultant, qui carnales hîc concupiſcentias viriliter conculcant. Ad eam filius tuus ſimplicitatis & innocentiæ puer emigrauit. Talium enim eſt regnum Cœlorum. *Dauid, ô Rex, qui bonis Regibus exemplar virtutum fuit, dum filius illius langueſceret grauiſſimè plorauit: poſtquam vero mortuus nunciatus eſt, de cinere & cilicio in quo iacebat, exſurrexit, veſtes mutauit, manus lauit, ad conuiuium familiam conuocauit.* Impoſſibile enim eſt non fieri quod factum eſt, & ſciebat vir Deo plenus quantum peccaret, qui diuinæ iuſtitiæ vel voluntati contrairet. **Depone nunc igitur hanc quam tibi carnalis generauit** affectus, quam pectore vultuque geris animi mœſtitiam, quia qui ſibi vnum ſecum regnaturũ ſuſcepit, plures qui poſtea regnare poſſent, tibi de reliquit. Debes etiam & nos conſolari ſcilicet homines extraneos & à propriis ſedibus expulſos, quos tu primus pro amore Dei & B. Petri in Regno tuo honorificè ſuſcepiſti, obſequiis honoraſti, beneficiis oneraſti. Reddat tibi Dominus vicem & perpetuam mercedem, Domine Rex, in illa de qua glorioſa dicta ſunt Ciuitate, in qua eſt vita ſine morte, æternitas ſine labe, gaudium ſine fine.

Die craſtina, quæ erat dies Dominica ne Regem moraretur Pontifex præſentibus & adſtantibus omnibus Regni & Eccleſiæ proceribus Ludouicum iuniorum ita volente Patre inaugurauit, cui inaugurationi interfuerunt plurimi Magiſtri Pariſienſes & Scholares ipſius Ludouici in Scholis Clauſtralibus tum litteris operam dantis condiſcipuli, vt indicat Author prædicti Chronici Mauriniacenſis. Cum enim à Patre ad Regni conſortium aſſumptus eſt, in iſtis Scho-

lis degebat: idque ipſemet fateri videtur in quodam diplomate quo vt grati animi argumentum ederet, ſingulare Canonicis indulſit Priuilegium quod petebant. *Nos*, inquit, *Eccleſiam Pariſienſim in cuius Clauſtro, quaſi quodam maternali gremio incipientis vitæ & pueritiæ noſtræ exegimus tempora, Anteceſſoribus noſtris chariorem & inter Regni Eccleſias eminentem conſiderantes &c.* Nempe ille licet Roberto fratre iunior, de conſenſu tamen Optimatum à Rege prælatus eſt maiori, quia Robertus ignarus erat litterarum tardoq; & hebeti nimis ingenio, Ludouicus verò iam pro ætate multum in artium rudimentis profecerat. Quanta vero huiuſce inaugurationis celebritas ſolennitaſque fuerit, habemus ex Chronico Mauriniacenſi his verbis.

» Eo die ſolito clarior ſol illuxit, & rebus agendis ſuum obſequium ouanter præ-
» ſentare viſus eſt. Papa mane ſummo de Palatio Pontificis egrediens cum ſuis
» Curialibus & Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus ad Eccleſiam B. Remigij,
» vbi Rex cum filio hoſpitatus erat, perrexit, ac cum magna deuotione atque pro-
» ceſſione Monachorum decentiſſimè ſuſcipitur. Ibique Romani Pontificis omni-
» bus inſignibus indutus, ac vt ſibi conſuetudinis eſt, in ſacris magniſque feſtiui-
» tatibus, phrygio coronatus, innumerâ Eccleſiaſtici atque militaris ordinis plebiſ-
» que multitudine conſtipatus ad Eccleſiam Matricem, quæ in honore B. Mariæ
» conſecrata eſt, cum Puero conſecrando peruenit. Ante fores Eccleſiæ eos ex-
» ſpectabant, Rex, Proceres eius, Archiepiſcopi quidam, Epiſcopi, Abbates, Mo-
» nachi, Canonici, *Clerici*, *Conſcholaſtici*, qui de diuerſis Galliæ ac Germaniæ
» partibus ad Concilium confluxerant. Intrant Eccleſiam, puerum ad altare præ-
» ſentant, & oleo quo S. Remigius per Angelicam manum ſibi præſentato Clodo-
» uæum Regem Francorum in Chriſtianum vnxerat, paruulum decem annos plus
» minus habentem cum ingenti tripudio D. Papa conſecrauit.

Poſtridie huius diei Pontifex in Concilio ſedens ex diuerſis Chriſtiani orbis partibus Legatos & litteras ſuſcipit Regum & Principum ad ſuas partes contra Schiſmaticos accedentium, Lotharij Imperatoris, Henrici Regis Anglorum, Hildefonſi Hiſpaniarum. Miſſæ quoque à Carthuſienſibus litteræ iuſſu Pontificis per Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum recitatæ ſunt, vehementerque placuerunt: quibus nimirum illi electionem Innocentij ſuſcipiebant, Anacleti vt ſchiſmatici reiiciebant. Gerardum Engoliſmenſem vnicum in Aquitania pacis Eccleſiaſticæ perturbatorem damnabant: Pontifici vero nouicios Ordines Ciſtercienſem nempe & Fontebraldenſem commendabant. Extant hæ litteræ in Chronico Mauriniacenſi, taleſque ſunt.

Domino & Patri Chariſſimo & Reuerendiſſimo Apoſtolicæ ſedis ſummo Pontifici Innocentio ſerui & filij Carthuſiæ pauperes illam quam mundus dare non poteſt pacem, ſueque paruitatis deuotam ſeruitutem & licet non neceſſarium obſequium. Multas ad veſtri Apoſtolatus ſacras aures preces, multas pro Eccleſia Gratiopolitana diſponebamus
» offerre ſupplicationes cogentibus eiuſdem Eccleſiæ Clericis & præcipuè Chariſ-
» ſimo omni & veneratione digniſſimo Patre & Epiſcopo noſtro, qui quod ſine la-
» chrymis non ſcribimus, diſſolutus morbis & ſenio inter defunctos, quan-
» tum ad Epiſcopale ſpectat officium, poteſt adnumerari. Sed Diuina vt credi-
» mus miſeratione prouenit à viro venerabili & circa veſtræ ſerenitatis obe-
» dientiam valde deuoto Abbate Pontiniacenſi, noſtram exiguitatem interim vi-
» ſitari. Cuius auribus cuncta quæ conceperamus, infundimus efficacius &
» plenius viua voce veſtris conſpectibus inferenda, & quia ſemel & nihil ſimus,
» forte non ſine præſumptionis periculo cœpimus loqui ad Dominum noſtrum,
» rogamus ſupplices & obſecramus admonere vel exhortari minus idonei, quate-
» nus in omnibus quæ Romana veſtris diebus vel patitur vel facit Eccleſia,
» nequaquam terreamini. Sed magis confortamini in Domino & in potentia vir-
» tutis eius inſuperabilibus armis munitus, quæ ſuis commilitonibus & copiis
» Vniuerſalis Imperatoris Beatus offert Apoſtolus, ſcuto ſcilicet fidei & galea ſa-
» lutis, & qui non membra ſed errores & vitia trucidat gladio ſpiritus. Nunc
» enim reuera non aduerſus carnem tantum & ſanguinem, quæ regnum Dei non
» poſſidebunt, ſed aduerſus rectores tenebrarum & ſpiritales nequitias pugnan-
» dum eſt & pugnatum. Nam quid aliud Petrinam duritiam & Leoninam rabiem
» quæ aduerſatur & extollitur aduerſus Principis Apoſtolorum Vicarium, ni-

ſi Diabolica nequitia, inſpiratio viperea tam atrociter concitauit? quid aliud inueteratum dierum malorum, Engoliſmenſem videlicet Gerardum, niſi veternoſa cupiditas & ambitio Diabolicis immiſſa ſuggeſtionibus contra Catholicam pacem & veritatem tam impudenter tamque pertinaciter ire coëgit? quid niſi ſerpentina calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens tam deteſtandi ſchiſmatis flendis authoribus, ex his quoque de quorum ſcientia præſumebatur, & fide plurimos copulauit? Sed hæc religioſos animos & in Catholica veritate fundatos tantò minus mouere tantoque minus terrere debent, quantò ſunt & ab ipſo Domino longius ante prædicta & à miniſtris iniquitatis crebrius tentata, & à veritatis ſectatoribus numeroſius & felicius ſuperata. Quis enim annumerare ſufficiat, quotiens & poteſtatum ſeculi crudelitatibus ſit impugnata, & Schiſmaticorum atque Hæreticorum inſidiis & fraudibus impetita? Quare autem ab eo quo permittente vel iubente cuncta fiunt, aliquid aliquando poſſe permiſſi ſunt? itaut infirmi quaterentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur, ſapientes oſtenderentur, & vniuerſaliter boni coronarentur, mali condemnarentur. Nunc quoniam ſacri pectoris intentionem à melioribus auocatam & diuinioribus, diutius quàm decuit, noſtris tenuimus ineptiis occupatam, veſtræ maieſtatis pedibus aduoluti, pro cunctis ſed maximè pro nouellis Religionibus, Ciſtercienſi ſcilicet ac Fonteuraldenſi, necnon pro vniuerſo mundo preces offerimus. Non enim pars vna, ſed totus potius orbis eſt veſtra Diœceſis. Nam ſicut Deus eſt vnus, mundus vnus, ſol vnus, & vt minora inferamus, in animalibus cunctis caput vnum; ita B. Petri Vicarius id. Papa non poteſt eſſe niſi vnus. Vniuerſo itaque mundo rigorem diſciplinæ, rectitudinem iuſtitiæ, lumen doctrinæ & ipſius quam nomine quoque præfertis, incomprehenſibilis debetis exemplar eſſe innocentiæ. Nam ſicut in hoc viſibili mundo lux eſt tenebris & calor contrarius frigori, ita veſtra totius ſeculi peccatis innocentia, erroribus ſapientia, luxuriis temperantia & vitiis eſt obiecta iuſtitia. Vt dum ab vno vincitur vnus, id eſt à B. Petri Vicario mundus, quo ſine multitudinis viribus fuerit parta victoria, eo maior Deo, cuius eſt totum, honor reddatur & gloria: per Dominum noſtrum I. Chriſtum, qui cum Deo & Spiritu S. viuit & regnat Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Tunc erat Carthuſiæ Prior Guigo de S. Romano, vir nobilis, Diœceſis Valentinenſis, litteris tam ſecularibus quàm diuinis admodum eruditus, acer ingenio, memoriâ tenax, facundiâ admirabilis, exorator efficaciſſimus, vt legitur in codice S. Remigij Remenſis. Tunc adhuc quoque Epiſcopatum Gratianopolitanum regebat Hugo ille, qui primus Brunonem & ſocios exceperat, ſed effœtus annis & viribus. Non paruum autem momentum ponit Arnulphus Sagienſis Archidiaconus in acceſſione Carthuſiani Ordinis ad cauſam Innocentij. Commemorans enim quàm multi partes eius tuerentur, ſic habet præclarè lib. contra Gerardum Engoliſmenſem. *Partem noſtram, ſi tamen hoc tantilla cogat exceptio, vt nomine* partis vniuerſitas fere tota vocetur, omnis Imperator, omnis Rex, omnis Princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque Chriſtiani nominis inſignitur honore. Sed ego ſi qua fides eſt, fauorem Principum populique, quos adhuc ſecularis tenet affectio compeditos, in tam diuino negotio negligenter attendo. Horum in hoc mihi conſenſus præcipuus eſt, horum me mouet, motum trahit, tractum tenet authoritas, quibus datum eſt noſſe myſterium Dei, quorum in cœlis eſſe iam ex parte conuerſatio perhibetur. *Quales reuera qui Carthuſiæ perpetuas niues inhabitant, & qui à Ciſtercienſi vel Cluniacenſi Monaſterio profluentes lucis ſuæ radios vndique diffuderunt. Hi enim à manibus ſuis & animo, ſaniore conſilio terrea remouentes, aſpera veſte, cibo cum raro, tum arido, vigiliis multiſque laboribus corpus macerant, ad eam tantum retributionem totis animi viribus anhelantes quam diligentibus ſe gratiam repromiſit. Horum ſancta conuerſatio, ſermo ſapiens, in diuinis diſcretio perſpicax, quàm denique nulla nubes terrenæ denſitatis obfuſcat. Patitur quidem eos Deus moleſtiis affici, vt tanquam aurum in fornace probentur, ſed vltra eorum non excreſcit tentatio facultatem. Licet igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, vt promiſſas augeant deſideria protracta coronas, à Diuinis tamen conſiliis non creduntur excluſi. Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris, & eos familiari S. Spiritus viſitatione faciunt illuſtrari.*

1131. Anno 1131. Ioannes Epiſcopus Sagienſis in Normania Ioannis Lexouienſis Epiſcopi nepos & fater primogenitus Arnulphi dicti Lexouienſis aſſumptos ex Cœnobio San-Victorino Canonicos Regulares pro expulſis ſecularibus in Eccleſia ſuà collocauit: remque antea tentatam, Honorij Papæ ſuffragio comprobatam, Gaufridi Archiepiſcopi Rothomagenſis & Henrici Anglorum Regis conſilio & fauore munitam perfecit. Atque ipſe habitum regularem aſſumpſit nouo certè exemplo & parum dubitaturo: quod ſimiliter Ioannes Lexouienſis eius auunculus & Gaufridus Carnotenſis in Eccleſiis ſuis tentare voluerant, ſed in ipſo conatu defecerant, vt legitur in veteribus Chronicis Normanicis. Non erit autem extra rem quam tractamus Annalibus iſtis ea quæ tum geſta ſunt, inſerere: quoniam Victorina Domus inter Academica Collegia ſemper habita fuit, & à Magiſtris Academicis tam ad vſum exercitiumque litterarum, quàm ad Religionis obſeruantiam inſtituta fuit. Extat in hanc rem Inſtrumentum publicum Ioannis Epiſcopi in Tabulario Sagienſi hoc tenore.

„ Ioannes Dei gratiâ Sagienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Garino Priori, & fratribus
„ in eadem Sagienſi Eccleſia ſub Regula B. Auguſtini Canonicis profeſſis, eorum-
„ que ſucceſſoribus ſub eadem profeſſione regulariter viuentibus in perpetuum.
„ Quamdiu authoritate Epiſcopali fungimur, & curam ſollicitudinemque ſanctæ
„ Eccleſiæ, licet minus dignè tractamus, iuſtis actionibus inſiſtere, maximéque
„ ſanctæ religioni ædificandæ, noſtrum ſtudium atque diligentiam adhibere de-
„ bemus, vtquorum mens atque anima vna in Domino legitur, & quorum vita at-
„ que ſinceritas in cœleſtibus conuerſatur, eorum paci & quieti oportet intende-
„ re, vt vnitatem S. Spiritus in vinculo pacis poſſint ſeruare. Quapropter Sagien-
„ ſem Eccleſiam iamdudum & per multa tempora diuino atque debito officio val-
„ de deſtitutam, annuente Dei gratiâ totis nitibus in meliorem ſtatum reducere
„ atque in regulare propoſitum ordinemque transformare laborauimus; primum
„ ſiquidem per Apoſtolicas litteras, hoc eſt authoritate & conſilio reuerendæ me-
„ moriæ Honorij P. nec non & conſilio atque conceſſione bonæ memoriæ Gau-
„ fridi Rothomagenſis Archiepiſcopi, inſuper & fauore & conſilio Henrici vene-
„ rabilis Regis Anglorum, ac Ducis Normanorum, fratres in eadem Sagienſi Ec-
„ cleſiâ ſub paupertate Chriſti aggregauimus, eoſque ibi dudum aluimus; deinde
„ poſt multas difficultates per Dei miſericordiam inuentâ, atque in capitulo con-
„ firmatâ opportunitate ſanctæ pacis & concordiæ cum Clericis eiuſdem Eccleſiæ
„ Sagienſis, vt fratres qui causa Religionis conuenerant, eorumque ſucceſſores in
„ Eccleſia illa liberè & abſolutè omnipotenti Deo deſeruirent, & præbendæ quæ
„ vacuæ erant, & aliæ ſicuti vnuſquiſque clericorum deficeret, ſtatim in com-
„ munes vſus prædictorum fratrum ceſſiſſent. Quod diu ardenti deſiderio noſtra
„ ſollicitudo quæſierat, omni diligentia peragere feſtinauit. Idibus ergo Martij, id
„ eſt ea quadrageſima die, quæ Dominica *vacat*, intitulatur, præſentibus eiſdem
„ Sagienſis Eccleſiæ Clericis atque annuentibus, ego Ioannes Sagienſ. Eccleſiæ
„ Epiſcopus, habitu ſanctæ religionis iam ſuſcepto, deſignatis fratribus qui causâ
„ communis vitæ conuenerant, eidem Eccleſiæ Beatorum Martyrũ Geruaſij & Pro-
„ thaſij ſeipſos deuouentibus atque ſub Regula B. Auguſtini in eadem Eccleſiæ ſe
„ viuere profitentibus habitum ſanctæ Religionis ſolenniter & cum benedictione
„ tradidimus, idcirco dilectiſſime fili in Chriſto, Garine prior Eccleſiæ Sagienſ. tibi
„ cæteriſq; fratribus in Eccleſia eadem omnipotenti Deo regulariter famulantibus
„ veſtriſque in perpetuum ſub eadem regula atque profeſſione S. Auguſtini ſuc-
„ ceſſoribus, authoritate Dei & noſtra damus vobis atque concedimus poteſta-
„ tem in Eccleſia Sagienſi Diuinum officium cum reuerentia Chriſti & deuotione
„ peragere atque obſeruantiam ſanctæ religionis ſecundum ſanct. Scriptur. ibi te-
„ nere, præbendas quoque vacuas, & alias omnes ſicuti vnuſquiſque Clerico-
„ rum Sagienſium Eccleſiæ qui eas poſſident, deceſſerit, ita vt ſine omni dilatione
„ atque calumnia in regulares vſus veſtros, atque communes ſtatim proueniant,
„ vobis eas concedimus atque damus. Decernimus quoque atque conſtituimus, vt
„ Archidiaconi Sagienſis Eccleſiæ, de veſtris fratribus, vel veſtro Capitulo ve-
„ ſtroque conſilio ab Epiſcopo eligantur, & beneficia & redditus, & quidquid eis
„ de Archidiaconatibus prouenerit, in veſtros regulares vſus atque communes

redigantur. Poſtquam autem Archidiaconus ad Sagienſem villam accesſerit, ad nullum locum, niſi ad communem domum fratrum ſuorum diuertendi habeat licentiam. Secundò poſtquam venērit, modum & ordinem aliorum exequatur, & niſi licentia ſui ſuperioris poſteà non egrediatur: de exceſſibus vero ſuis, quemadmodnm & alij fratres, in capitulo ſatisfaciat: quod ſi culpa talis fuerit, adhibito Epiſcopi conſilio, iudicio ſui Prioris & fratrum ſuorum in Capitulo deponatur. Inſuper concedimus vobis atque confirmamus terram quam Henricus Rex Anglorum dedit in Angliâ Eccleſiæ Beatorum Martyrum Geruaſij & Prothaſij in dedicatione ipſius Eccleſiæ, & quæcunque deinceps futuris temporibus donatione Regum, liberalitate Principum, Dei annuente gratia, vel quolibet modo aliquid iuſti acquirere poteritis & vobis & ſucceſſoribus veſtris firma & inconcuſſa permaneant. Concedimus atque firmamus poſſeſſiones veſtras & omnia ad communes vſus veſtros pertinentia, ab omnibus angariis, vexationibus, perturbationibus, atque ab omnibus exactionibus omnino eſſe libera atque quieta, authoritate Dei & noſtrâ conſtituimus, decernimus atque firmamus. Si qua igitur Eccleſiaſtica ſeculariſue perſona contra hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens obuiare tentauerit, ſecundò tertióue commonita, niſi reſipuerit, atque Canonicè ſatisfecerit, authoritate Dei & noſtra à liminibus S. Eccleſiæ arceatur, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu-Chriſti. Amen. Facta eſt autem atque firmata ſupraſcripta Confœderatio noſtræ Inſtitutionis, anno Incarnationis Dominicæ 1151. Henrico in Angliâ regnante, Innocentio Papâ ſecundo Auſoniæ Cathedræ præſidente, quæ vt certior & firmior habeatur, eam poſtea ſcripto inſeri & ſigillo noſtro muniri fecimus.

De eadem Inſtitutione præclarè ſcribit Arnulphus Lexouienſis prædicti Ioannis frater ad Alexandrum III. Pontificem pro retinenda illa Canonicorum Regularium quam frater inſtituerat, ſocietate: nam poſt mortem Ioannis quæ accidit an. 1143. Girardus è Canonicis ſecularibus ad Epiſcopatum eiuſdem Eccleſiæ aſſumptus ſeculares reſtituere conatus eſt, ſed inſurgentibus contra eum Bernardo Clare-Vallenſi & Arnulpho Lexouienſi coactus eſt ipſe habitum Regularem aſſumere: quo decendente an. 1157. Frogerius Henrici II. Anglorum Regis Eleemoſynarius factus Epiſcopus idem rurſus tentauit. Contra quem Arnulphus hanc ſcripſit ad Alexandrum Epiſtolam.

Habuit Eccleſia Sag. Epiſcopum, cui me fraterni ſanguinis neceſſitudo coniunxit, ſed arctius gratia beneficentiæ liberalis aſtrinxit: hic cùm prædictam Eccleſiam ſuſcepiſſet, magnam temporalibus curam, maiorem ſpiritualibus homo ſanctus impendit. Ipſam igitur theſauris ornatam, inſtructam ædificiis, poſſeſſionibus reddidit ampliatam, adeò quod pro XIII. Canonicis quos Seculares appellant, ipſiſque pauperibus, moriens ibidem XXXVI. Canonicos Regulares cùm omni ædificiorum ſufficientia, & reddituum copia dereliquit. Cúmque eam in temporalibus nobilem reddidiſſet, in ſpiritualibus ſemper nobiliorem ſtuduit exhibere vir magnificus, & omni ſanctitate laudabilis, cui nec ſanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia ſanctitatem. Quod bonum à prædeceſſoribus veſtris viris Apoſtolicis, Honorio primùm, poſtmodum Innocentio, denique Eugenio & Adriano cœptum eſt & firmatum; precedente ſiquidem glorioſiſſimi Regis Anglorum Henrici deuotione, qui ob eandem cauſam Eccleſiæ bona contulit, & præcepti regalis valituro in perpetuum munimine roborauit. Cúmque res hæc à prædicto viro religioſiſſimo Honorio traxiſſet initium, ab irreparabili viro Innocentio meruit incrementum, cuius auctoritate prædictus Epiſcopus electas ab Eccleſia S. Victoris Pariſienſis perſonas accepit, quarum ſanctitas & prudentia ſuis meritis tantæ rei poſſet initia conſecrare. Quorum ſtudiis tantum inter varias tribulationes ſanctum opus excreuit, vt inter omnes Gallicanas Eccleſia illa cœperit de nobilioribus illius Ordinis æſtimari, ſi quis circa eos hoſpitalitatis gratiam, vel ordinis vellet attendere diſciplinam. Porrò ne qua poſſet oriri ſecularitatis in poſterum reuocandæ ſuſpicio, & quia potior fructus poterat de regularium adminiſtratione ſperari, ſtatutum eſt & Romanæ Eccleſiæ nihilominus auctoritate firmatum, quòd in regulares perſonas ſicut Prebendæ, ita & Archidiaconatus, & omnium rerum tam poteſtas, quàm adminiſtratio conferretur; ita nimirum, vt omnes obuentiones deberent in commune referri, ne cupiditati daretur occaſio, ſi eas liceret priuatis vſibus applicare. Quod adeò verum eſt, vt defuncto ſæpedicto Epiſcopo, eum qui ſucceſſit Epiſcopari Eccleſia Romana nulla ratione permiſerit, donec eundem Ordi-

nem in propriâ perſonâ profeſſus eſt, & quòd ipſum in Eccleſiâ fide bonâ ſeruaret, iuramento corporaliter interueniente firmauit. Tantus ſiquidem fauor religionis extitit apud eam, ne ſtatuæ aureæ, quod abſit, caput æneum ipſius opificio diceretur affixum. Verùm Epiſcopus iſte qui ad præſens, Domino permittente, ſucceſsit, deteſtabilem concepiſſe prædicatur affectum, ſcilicet plantationem hanc penitus euellendi, deſtruendíque bonum, quod fidelium deuotio, quod auctoritas Principum, quod Sanctorum religio, quod Eccleſiæ Romanæ priuilegia duraturo in perpetuum anathemate firmauerunt. Quòd ſi totum à diſcretione veſtrâ non poterit impetrare, Archidiaconatus ſaltem ad ſeculares ſtudebit reuocare perſonas, ſcilicet vt habeat carnalis affectio quod nepotibus tribuat & propinquis. Sed hunc ipſum pietatis ſpecie palliabit affectum, dicturus Eccleſiam illam idoneas non habere perſonas, quæ talibus ſufficere probentur officiis, tanquam ſi ſanctæ ſimplicitati præualere debeat ſecularis aſtutia, aut de Eccleſia S. Victoris, aut S. Rufi, vel aliis ſimilibus perſonæ non poſſint auctoritate veſtra ad hæc officia diſpenſanda transferri. Et ego quidem Eccleſiæ illius Archidiaconus extiti, ipſíuſque beneficiis educatus ſum, ipſius inſtitutionibus eruditus, iuſtúmque eſt ipſius me ſemper detrimentis occurrere, & vtilitatibus debita diligentia prouidere. Sed & bonum quod tanto domini & fratris mei labore contractum eſt, humeris meis ſuſtinendum memoria fraternæ caritatis imponit, propter quod inter me & Epiſcopum loci illius cùm domeſticus noſter extiterit, multiſque à me beneficiis ſit præuentus; nouiter eſt oborta diſcordia, quia Fratrum illorum iniurias ſuſtinere non poteram, eique ad Ordinis ſubuerſionem, opem & conſilium non præſtabam. Vnde illum, & eos qui cum ipſo ſunt, tanquam aduerſarios noſtros & manifeſtos hoſtes ſapienter accipite, quoniam vltrices linguæ neque fidem, neque facilem promerentur auditum, &c. Abſit igitur à vobis, vt prædeceſſorum veſtrorum ſancta plantatio veſtris conuellatur manibus, veſtris viribus extirpetur. Abſit, vt per vos tot Romanorum Pontificum anathemata ducantur in irritum. Abſit vt per eos remota ſecularitas auctoritatis veſtræ ſententia reuocetur.

Nihilominus prædictus Frogerius Epiſcopus Sagienſis ab Alexandro videtur hoc obtinuiſſe, vt quemadmodum Ioannes prius obtinuerat vbi decedentibus Canonicis ſecularibus ſubſtituere poſſet Regulares, ita versâ vice decedentibus Regularibus ſubſtitueret ipſe ſeculares. Quamobrem Arnulphus paulò acrioribus verbis ita expoſtulat apud Pontificem. *Maieſtatem veſtram ſiuduit præmunire ſuper zelo quem ad remouendam de Eccleſia ſua Religionem Sagienſis intendit Epiſcopus. Miror admodum multique miràti ſunt, quomodo factum huiuſmodi ſcriptumque publicum ſuper eo facto veſtræ potuit ſubripi ſanctitati. Quid enim? Epiſcopalem Eccleſiam miſerabili paupertate damnatam, Religioſus Epiſcopus reditibus, ædificiis, ornamentis & eâ ad quam plurimum intendebat Religione fundauerat, ipſamque de paupere diuitem, prædicabilem de obſcura, de ignobili ſi dici fas eſt, fecerat glorioſam.* Tum ſub finem de Epiſcopo Sagienſi loquens. *Procedit interim inter cilicia pauperum fratrum & ſordes Chartulary filius ſericis adornatus. Auget metum quod vacans Archidiaconatus in eadem ſeruatur Eccleſia minori Nepotulo conferendus, quàm citò in legitimam ætatem videbitur excreuiſſe. Præterea Priore Clauſtri remoto, qui acrioris ingenij credebatur, & ad iniurias Eccleſiæ non ſilebat, ex conſcientia Epiſcopus Priorem conſtituit Idiotam, vt ipſe ſcilicet locum ſuppleat Idiotæ & bona eorum in vſus proprios ſine contradictione conuertat.*

Plurimum quoque facit ad laudem & commendationem San-Victorinæ Domus, quod ſcribit Innocentius II. ad Stephanum Pariſienſem Epiſcopum & ad Capitulum. *Non dubium eſt*, inquit, *dilectioni veſtræ Eccleſiam B. Victoris tam in religione & honeſtate venerabilium perſonarum, quàm in obſeruatione Regularis Ordinis & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ clareſcere, adeo quod ſuæ laudabilis inſtitutionis Magiſterio in diuerſis partibus iam Eccleſiæ multæ Deo gratias profecerint: in quibus vtique Maieſtati diuinæ, quæ humilia reſpicit, laus, honor & gloria exhibetur, & populus Dei bonæ vitæ & ſanctæ conuerſationis exemplo ad meliora plenius informatur.* Stephanus quoque Pariſienſis iam an. 1124. Præbendam vnam in Eccleſia Pariſienſi San-Victorinis conceſſerat: vt & alibi multæ ſimiliter conceſſæ fuerunt.

Pari modo Gaufridus Epiſcopus Catalaunenſis petiit ab eodem Epiſcopo Stephano, vt e Conuentu Victorino aliquem deligeret, quem Collegio ſeu Abbatiæ Virtuenſi præficere poſſet. *Multiplici*, inquit, *ſeminario diſcordiæ Ciuitas noſtra longo iam tempore conquaſſata, etiam nunc in eo ſtatu eſt, vt ſine grandi diſcri-*

mine

nine abſentiam noſtram ſuſtinere non poſſit. Ecce vinculum quo alligatus teneor. Ecce neceſſitas quæ ſancto Conuentui veſtro non patitur nos intereſſe. Sed hæc hactenus. Frater & amicus noſter Abbas Virtuenſis & Fratres eius loci vocauerunt nos multo Religionis deſiderio, Deo gratias, accenſi, vnanimiter poſtulantes, vt ad honorem Dei & ſalutem animarum ſuarum, Paſtorem eis vtilem ſolicitudo noſtra prouideret. Curam & adminiſtrationem Abbas ipſe in manu noſtra depoſuit. Vna fuit totius Capituli illius vox, vnanimis in præſentia noſtra conſenſus & electio, vt paſtor eis concederetur de Monaſterio S. Victoris Pariſienſis. Quia verò Domus illius Religioſas perſonas non cognouerunt ex nomine, nullam quæſierunt; ſed ſanctitatis veſtræ Religioni curam hanc & ſollicitudinem, commiſerunt. Locus enim ille eſt vobis familiaris & Religio perſonarum. Sanctitatis igitur veſtræ prudentiæ quâ poſſumus humilitate ſupplicamus, vt iuſto deſiderio conſilij & auxilij manum porrigatis. Suſcipient enim cum gratiarum actione perſonam, quam de prædicto B. Victoris Monaſterio electio veſtra eis obtulerit.

Codex M. Thomæ de S. Victore.

Eodem anno die 20. Auguſti trucidatus eſt miſerrimè & crudeliſſimè M. Thomas à S. Victore inſignis olim in Academia Pariſienſi Profeſſor, qui cum M. Guillelmo Campellenſi, cumque Gilduino, Guarnero, Godefrido, Roberto & Guntero Canonicorum Regularium habitum ſuſceperat, tunc verò ſub Gilduino Abbate Prior Stephanique Epiſcopi Vicarius & Pœnitentiarius erat; cuius ille conſiliis in omnibus rebus, præſertim verò in adminiſtratione Eccleſiæ ſuæ vtebatur: trucidatus, inquam eſt, die Dominica in manibus ipſius Epiſcopi à Nepotibus M. Theobaldi Noterij Archidiaconi Pariſienſis. Tanti viri cædem omnes viri boni luxerunt, ſed eam maximè Stephanus Epiſcopus, qua ratione potuit, vltus eſt.

Cauſa & origo mali videtur hæc fuiſſe. Archidiaconus ob res cuidam Canonico per Archidiaconatum ſuum iter facienti raptas, totum ipſum Archidiaconatum interdicto ſuppoſuerat. Stephanus autem Epiſcopus, qui ea de re nullatenus fuerat ammonitus, licet tunc in Archidiaconatu illo eſſet, ſuam putans authoritatem Iuriſdictionemque Epiſcopalem, interdictum relaxauit. Id quoque in iniuriam ſuam factum arbitratus Archidiaconus, petiit inſolenter factam ſibi iniuriam reparari & emendari. Epiſcopus cauſam ſe cum Capitulo cogniturum pollicetur: At ille præſentiens Capitulum in ea eſſe ſententia, vt inſolentiam eiuſmodi reprimi oporteret, Sedem Apoſtolicam appellauit. Capitulum verò & totus clerus Pariſienſis rei veritatem ad Innocentium perſcripſit hoc modo.

Dominus Stephanus Pariſienſis Epiſcopus vocauit nos ad cauſam ſuam Pariſius. Contendebat enim cum eo Theobaldus Noterius Archidiaconus ſuus ius Epiſcopi ſui vſurpans ſibi. Quidam Canonicus Pariſienſis iter agens in Archidiaconatu ſuo res ſuas amiſit, quas ei quidam prædo rapuit, perſona quidem Canonici neque læſa neque captâ. Archidiaconus verò die altera Archidiaconatum ſuum interdixit, & prædonem excommunicare cœpit, Epiſcopo ſuo in eodem Archiepiſcopatu exiſtente & inconſulto. Epiſcopus verò Archidiaconi ſui ægrè ferens præſumptionem & contemptum, laxauit interdictum, ſoluit ligatum abſque aliqua vocatione anathematis vinculo innodatum. Hoc foris-factum emendari ſibi ab Epiſcopo voluit Archidiaconus, Abbatibus & Clericis qui ad cauſam venerant, ſuper hoc admirantibus. Cum potius Archidiaconi feſtinata interdicti præſumptio & iniuſta excommunicatio puniri deberet ab Epiſcopo. Veruntamen audita eius pulſatione & Epiſcopi Reſponſione, Nos Abbates & Clerici in partem iuimus, & iniuncta ſententia Archidiaconi præſumptionem & Epiſcopi officium oſtendente ad eam proferendam reuerſi ſumus. Cum vero ſententia in communi audita à quodam Diacono B. Mariæ Pariſienſis Canonico proferri deberet, Theobaldus Romam proficiſci audientiam appellauit, in hoc dicens ſe grauari, quod proferens ſententiam à Iudicibus iniunctam de menſa erat Epiſcopi. Vnde veſtræ ſanctitatis diſcretionem humiliter exoramus, quatenus ſic in iſto tantæ præſumptionis temeritatem compeſcatis, vt cæteri Archidiaconi timeant, nec Epiſcopo præſente & inconſulto totius Epiſcopatus eius interdicere & ora omnium ſacerdotum claudere audeant, & cum iam multa præſumpſerint, hoc inauditum, hoc inſolitum vſque ad tempora veſtra facere auſi ſunt. Valeat Sanctitas veſtra.

Hinc videtur ortum Archidiaconi odium erga Epiſcopum: & quia putauit eum M. Thomæ conſilio in agendis vti, ipſum ſibi deſtinauit ad necem; quam ſeu

ille imperaſſet, ſeu iniuriam auunculi vlciſci voluerint nepotes, vltro perpetrarunt ipſo in conſpectu, ipſiſque in manibus Epiſcopi. Archidiaconus præuidens ſibi facinus imputatum iri, ad Papam ire conſtituit: Epiſcopus verò ad eum his verbis ſcribit, vt habetur apud D. Bernardum Ep. 159.

» Piiſſimo Patri Innocentio ſummo Pontifici Stephanus miſerandus Epiſcopus
» Eccleſiæ Pariſienſis miſericordiam & Iudicium. Vir Religioſus Prior S. Victo-
» ris M. Thomas in obſequio Charitatis, in itinere quod indixerat pietas, in opere
» ſancto, in ſanctorum comitatu, in Dominico die, certè in ſinu meo & inter ma-
» nus meas crudeliter ab impiis pro iuſtitia excerebratus eſt factus obediens vſque
» ad mortem. Nunc opus eſt prece, vbi pietatem melius in ſilentio lachrymæ pro-
» uocant, & ſingultus qui interrumpit precem, exprimit affectionem. Hæc planè
» compaſſionem veram, etſi non poſtulant, merentur tamen, vt pote quia verum
» indicant produntque dolorem & ſimulationis fugant ambiguum. Puto proinde
» ſufficere mihi ad incutiendam paternis viſceribus calamitatem quam patior, rem
» vt eſt ſimpliciter intimaſſe; triſtis flebiliſque hiſtoria ſatis pro ſe agit præſertim
» apud vos & ſuaſorijs fucari non indiget. Exitus aquarũ deducite oculi mei, quo-
» niam dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt
» mecum. Nec enim illum lugeo ſed me. Nam ille quo pacto lugeatur qui mor-
» tis pretioſæ compendio tranſiuit ad vitam? quis illum non magis laudibus quam
» fletibus proſequatur, cui viuere Chriſtus fuit, mori eſt lucrum? Epiſcopi no-
» men ego gerebam, ille exercebat opus. Honore ſpreto onus totis viribus ſuppor-
» tabat. Idcirco ille reuera mortuus ad vitam, ego viuus in morte. Ille mortis in
» vincula non incidit ſed euaſit: & ecce circundant me dolores mortis & torrentes
» iniquitatis conturbant me. Ego igitur, Ego miſer, Ego miſerandus in morte tua
» mi frater dulciſſime Thoma, blando heu ablactatus ſolatio, cauto priuatus conſi-
» lio & certè tuto patrocinio deſtitutus. Expediebat me magis mori pro te quã pro
» te viuere. Propter hoc defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus. Con-
» dolet mihi Eccleſia, ſed dolet & pro ſe cõmune damnum, communis deſolatio eſt,
» mecum omnis religio plorat, paternam pariter implorat conſolationem. Si Theo-
» baldus Noterius adierit vos, ſentiat vel in ſe quoniam exaudiuit Dominus vocem
» fletus mei. Nepotes ipſius authores extitêre ſceleris, ipſe cauſa, vtrum & dicta-
» tor, in quæſtione eſt. Non attendatis ad verba eius, donec veniat qui mittendus
» eſt, qui vobis plenius inſinuans veritatem, cautam faciat à labiis iniquis & à lin-
» gua doloſa.

Similiter ad Haimericum Cardinalem Diaconum & Romanæ Eccleſiæ Cancellarium, amicum ſuum in eandem rem ſic ſcribit. *Amicus in neceſſitate probatur. Quod dico, non quia de ſanctitate dilectionis veſtræ dubitem, ſed ne contingat vt dubitem. Continget autem proculdubio ſi zelum illum veſtro modo (quod abſit) diſſimulare comperero. Porro diſſimulationis id mihi argumentum inexcuſabile fore noueritis, ſi Theobaldum Noterium non recipere pro meritis quacunque occaſione contigerit, qui dimidium animæ meæ nepotum ſuorum manibus crudeli ambitione præcîdit, ſoli cruciatui parte aliqua reſeruatâ.*

Interim Stephanus Clericidas publicâ Cenſurarum Eccleſiaſticarum fulminatione extorres & extra gremium Eccleſiæ poſitos eſſe denunciat, datiſque ad omnes Archipreſbyteros ſuos litteris declarat. Stephanus D. G. Pariſienſis Epiſ-
» copus F. R. E. H. Archipreſbyteris ſalutem. Ex authoritate Dei Patris Omni-
» potentis & Filij & Spiritus S. & S. Dei Genitricis Mariæ, & omnium ſanctorum
» excommmunicamus, anathematizamus & à S. Matris Eccleſiæ limitibus ſeque-
» ſtramus illos qui D. Thomam Priorem S. Victoris interfecerunt, & qui in forti-
» tudine interfectoribus affuerunt. Et eos quorum conſilio & ammonitione & auxi-
» lio interfectus eſt. Omnes etiam illos excommunicamus, qui eius interfectores
» & interfectorum præſentes coadiutores in ſuo hoſpitio receperint, vel qui cum
» eis aliquam communionem vel participationem habuerint in potu, in conſilio
» & locutione, niſi forte pro eorum correptione, in emptione & venditione, in da-
» ti & accepti communione, in ſuſceptione & protectione. Omnes iſtos ſupradi-
» ctos excommunicamus donec reſipiſcant & ad ſatisfactionem veniant. Manda-
» mus itaque vobis atque præcipimus, quatenus per ſingulos dies Dominicos hoc
» modo & his verbis excommunicetis & cæteros preſbyteros excommunicare fa-

ciatis. Mandamus etiam vobis quatenus vnuſquiſque veſtrum in ſuo Archipreſbyteratu prohibeat, vt nullus omnino preſbyter nec de ſeculo, nec de Religione, nec Abbas, nec Canonicus, nec Monachus, nec Eremita, nec Incluſus, nec etiam Abbas S. Victoris huius Excommunicationis reum ad ſe pro confeſſione venientem ſuſcipiat, nec ei abſolutionem huius culpæ tribuat aut pœnitentiam iniungat. Quia ego de tanto reatu mihi ſoli abſolutionem & pœnitentiam reſeruaui. Hoc quoque præcipimus, vt preſbyteri quando excommunicant, hanc noſtram prohibitionem omnibus dicant. Valete. Legitur hæc Ep. in 4. Tomo Hiſtor. Duchef.

Quare Stephanus Abbati S. Victoris interdicit abſolutione Reorum ſi forte facinus confeſſuri ad ipſum accederent? nimirum Pœnitentiariam exercebat Epiſcopalem, & ab iniectione manuum in Clericos abſoluendi poteſtatem ſibi à ſupremo tribunali Romano & Epiſcopali conceſſam habebat, vt ſub finem huius ſeculi amplius dicemus. Res autem iſta tam cordi fuit Stephano tamque penitus animo inſedit, vt nihil non egerit, quo illatam Eccleſiæ iniuriam vlciſceretur. Vnum tantum verebatur, ne Noterius Romanæ Curiæ Proceres ſibi deuinciret: itaque apud Innocentium interceſſores præcipuos ſibi comparauit Gaufridum Epiſcopum Carnotenſem tunc in Aquitania Legatum Pontificium, & Bernardum Clare-Vallenſem. Ad priorem ſic ſcribit.

Gaufrido D. G. Venerabili Carnotenſium Epiſcopo & Apoſtolicæ ſedis legato Stephanus eadem gratia Pariſienſis Eccleſiæ Miniſter indignus, nunc autem miſeriæ & afflictionis Præco infelix valere in Domino. Calamitatis nouæ pondus quam veſtris auribus imo cordi veſtro illaturus ſum, neſcio ſi verbis aliquibus dignè valeat explicari. Nuncium durum & graue auditu omnibus quidem Chriſti Ieſu & S. Matris Eccleſiæ opprobria dura & grauiora ſunt præcipuè nobis ſuper habitu & ſigno Religionis conſtitutis: quibus hæc tanto plus omnibus grauiora futura ſunt, quanto ſpecialius ad noſtrum grauamen, imo oppreſſionem & ruinam omnium ſpectat noſtrum vnius occaſus. M. Thomam Priorem Cœnobij S. Victoris virum approbatum omnibuſque bonis amicum & dilectum, ac in ſanctæ Eccleſiæ defenſione illum coadiutorem & propugnatorem ſanctiſſimum & ſtrenuiſſimum impiorum manibus extinctum ſciatis, carne quidem mortuum, ſed vt indubitanter quidem credimus, viuentem in Chriſto.... Nam pro Iuſtitia tunc mecum aderat. Ego enim ipſius præſertim admonitione ſicut ei ſemper de his cura eſſe ſolebat, rogatu & aſſenſu Regis, per eum quoque ad ipſum perſuaſi, ad Abbatiam Monialium quæ eſt Cellis emendandam & ordinandam perrexeram aſſumptis mecum viris Religioſis Abbate ſcilicet S. Victoris & S. Maglorij, & Sub priore S. Martini aliiſque compluribus Monachis, Canonicis ac Clericis, cumque pro viribus negotio peracto reuerterer iuxta D. Stephani Caſtrum quod Gorniacum dicitur, ſubitò ab eius hominibus ſcilicet neporibus Theobaldi Archidiaconi inſidias mihi in via præſtruentibus aſſultum paſſus ſum. Cumq; nos inermes vt pote die Dominico & pacem ferentes incederemus, ſubitò euaginatis gladiis irruunt ſuper nos & nec Deo nec diei ſacræ, nec mihi, nec iis qui mecum erant, Religioſis viris honorem dantes, inter manus noſtras Innocentem trucidauerunt, mihique mortem comminati ſunt, niſi abſcederem à conſpectu eorum celeriter. Nos autem fiducialius agentes, in medios gladios nos coniecimus & iam ſemiuiuum diréque laniatum è manibus eorum abſtraximus, atq; vndique circundantes eum de ſua confeſſione & de eius quam paſſus fuerat, inimicorum impietate dimittenda allocuti ſumus. Tunc ille libenti animo omnibus qui in ſe peccauerant, dimittens & ſuorum peccatorum intimè remiſſionem petens, percepta tandem communione Corporis & Sanguinis Chriſti libera voce ſe coram omnibus pro Iuſtitia mori conteſtatus eſt & ſic reddidit ſpiritum.

Bernardus Clare-Vallenſis facinoris quoque indignitate motus ſcripſit ad Innocentium contra Archidiaconum Noterium, cuius exactiones & vexationes exaggerat Ep. 158. ſuper interfectione M. Thomæ Prioris S. Victoris Pariſienſis, quæ eſt eiuſmodi.

Amantiſſimo Patri & Domino Innocentio ſummo Pontifici Bernardus Claræ Vallis Abbas indignus minimum id quod eſt, & quod poteſt in Domino.

» *Fera peſſima quæ deuorauit Ioſeph, Canum noſtrorum importunitatem non ferens ad veſtræ*
» *dicitur defenſionis auxilium confugiſſe.* In quantã miſera deuenit amentiam, vt vaga
« & profuga & tremens ſuper terram illuc potiſſimum fugam inierit, vbi plus time-
» re oportuit. Sceleratiſſime, tu ſummæ æquitatis ſedem putas eſſe ſpeluncam la-
» tronum aut cubile leonum! Tu filij cruorem adhuc recentem ore rabido ac fera-
» li ſpumans & maſticans fugis ad ſinum matris, patris audes apparere cõſpectibus?
» tamen ſi pœnitentiam petis, neganda ei non eſt. Quod ſi audientiam, accipiat il-
» lam ſi placet, quam vel Moyſes indulſit populo ante conflatile curuanti genu,
» vel Phinees fornicanti Iſraelitæ, vel Mathathias Dæmonibus immolanti, vel certè
» vt vobis de veſtris aliquẽ proponamus, quam à B. Petro Ananias & Saphyras me-
» ruerunt: quam denique audientiam dedit negotiantibus in templo Saluator. An
» ignoramus quorundã peccata præcedere ad iudicium? Nonne vox ſanguinis fra-
» tris tui clamat aduerſum te de terra? Credimus & noſtri Martyris ſpiritum, quem
» nouiſſimè diebus iſtis tua crudelitas morti dedit, cum cæteris animabus inter-
» fectorum voce valida ſub altari clamare & flagitare vindictam, eoque in-
» ſtantius quo recentius ipſius ſanguis effuſus eſt ſuper terram. Sed nunquid Ego,
» inquit, occidi eum? non vtique tu, ſed tui & propter te. An & per te, videat Deus
» & iudicet. Si excuſabilis tu es, cuius dentes arma & ſagittæ, cuius lingua gladius
» acutus; proinde nec Iudæi Chriſti de morte culpandi ſunt, quippe & ipſi manus
» continuêre cauti. *Ob illicitas exactiones quas ſibi occaſione Archidiaconatus in Presby-*
» *teros minimè iam vt conſueuerat, vſurpare liceret, beati vtique Thomæ obuiante zelo atque*
» *induſtria, vt pote iuſtitiæ amatoris & defenſoris, oderat illum & mortem ei iam ipſo odio*
» *homicida minitari ſolebat. Multi ſe audiuiſſe nunc perhibent, quibus diſcredendum non*
» *eſt. Poſtremo nepotes eius, vt impias manus in ſanctum Domini mitterent, quid aliud*
» *vnquam aduerſus eum habuerint, ipſe certè dicat ſi poteſt.* Si ergo iſte, qui cauſa, qui
» incentor, qui etiam vt omnium pene ſuſpicio eſt, extitit & dictator facinoris: ſi
» is inquam impune ferat, quod vtique merâ impudentiâ de veſtrâ Apoſtolica
» authoritate præſumit; quanta putamus impunitas iſta in Eccleſia parturiet punien-
» da? Vnum è duobus fore neceſſe eſt, aut nullos & ex nobilibus ſiue potentibus ſe-
» cundum hoc ſeculum admitti deinceps ad honores Eccleſiaſticos, aut paſſim ad
» omne illicitum permitti libere Cleticos ſacris abuti officiis, ne forte quiſpiam
» zelo Dei accenſus prohibere tentauerit, ferro illico militari reus iuſtitiæ truci-
» detur. Atque ita quid ſpirituali gladio, quid Cenſuræ Eccleſiaſticæ, quid Chri-
» ſtianæ legi & Diſciplinæ, quid reuerentiæ ſacerdotali, quid denique Diuino tem-
» porali relinquitur, ſi metu potentiæ ſecularis nullus mutire iam audeat contra
» inſolentiam Clericorum? quid enim inſolentius, quidue indignius in Eccleſia
» eſſe poteſt, quàm vt ſibi quiſque Eccleſiaſticas vindicet dignitates feritate ar-
» morum, non morum probitate?

Inter iſtas anguſtias poſitus Stephanus, neque enim ſe domi ſuæ ſecurum ſatis putabat, ad Claram-Vallem ſeceſſit. Inde Gaufrido S.R.E. Legato & Carnotenſium Epiſcopo dat haſce litteras.

„ Gaufrido D. G. venerabili Carnotenſium Epiſcopo Apoſt. ſedis Legato Ste-
„ phanus eadem gratia Pariſienſis Eccleſiæ Miniſter indignus, nunc autem miſe-
„ riæ & afflictionis Præco infelix valere in Domino. Calamitatis nouæ pondus
„ quam veſtris auribus, imo cordi veſtro illaturus ſum, neſcio ſi verbis aliquibus
„ digne valeat explicari. Nuncium durum & graue auditu omnibus quibus Chri-
„ ſti Ieſu & S. Matris Eccleſiæ opprobria dura & grauia ſunt, præcipuè nobis ſub
„ habitu & ſigno religionis conſtitutis: quibus hæc tantò plus omnibus grauiora
„ futura ſunt, quanto ſpecialius ad noſtrum grauamen imo oppreſſionem & ruinam
„ omnium ſpectat noſtrum vnius occaſus. M. Thomam Priorem Cœnobij S. Vi-
„ ctoris virum approbatum omnibuſque bonis amicum & dilectum, ac in ſanctæ
„ defenſione Eccleſiæ illum coadiutorem & propugnatorem deuotiſſimum & ſtre-
„ nuiſſimum Impiorum manibus extinctum ſciatis, carne mortuum, ſed vt indu-
„ bitanter, credimus viuentem cũ Chriſto. Cui enim Chriſtus verè cauſa moriendi
„ fuit, in gloria omnino deeſſe non poterit; quoniam & ipſe cum vltimum in
„ noſtris manibus exhalaret ſpiritum, libera voce ſe pro Iuſtitia mori proteſtatus
„ eſt, certiſſimum præteritæ præſentiſq; Iuſtitiæ ſuæ, quia in Eccleſia Chriſti con-
„ tra impios pugnauerat, teſtimonium relinquens, quoniam in ipſa cõſummaretur,

Hæc enim prima, hæc & vltima cauſa fuit laboris illius. Nam pro ipſa Iuſtitia tunc mecum aderat. Ego enim ipſius præcipuè admonitione, ſicut ei ſemper de his cura eſſe ſolebat, rogatu & aſſenſu Regis per eum quoque ad ipſum perſuaſi ad Abbbatiam Monialium quæ eſt Chellis, emendandam & ordinandam perrexeram aſſumptis mecum viris Religioſis, Abbate ſcilicet S. Victoris & Sancti Maglorij & Suppriore S. Martini aliiſque compluribus Monachis, Canonicis ac Clericis. Cumque pro viribus negotio peracto reurterer iuxta Domini Stephani Caſtrum quod Gornaium dicitur, ſubitò ab eius hominibus, ſcilicet nepotibus Theobaldi Archidiaconi inſidias mihi in via præſtruentibus aſſultum paſſus ſum. Cumque nos inermes vt pote die Dominico & pacem ferentes incederemus, ſubitò euaginatis gladiis irruunt ſuper nos, & nec Deo, nec diei ſacræ, nec eis qui mecum erãt, Religioſis viris honorẽ dantes inter manus noſtras & innocentem trucidauerunt, mihique mortem comminati ſunt, niſi abſcederem à conſpectu eorum celeriter. Nos autem fiducialius agentes in medios gladios nos coniecimus, & iam ſemiuiuum diréque laniatum à manibus eorum abſtraximus, atque vndique circundantes eum de ſua confeſſione, & de eius quam paſſus fuerat inimicorum impietate dimittenda allocuti ſumus. Tunc ille libenti animo omnibus qui in ſe peccauerant, dimittens & ſuorum peccatorum intimè remiſſionem petens, perceptâ tandem communione Corporis & Sanguinis, Chriſti libera voce ſe coram omnibus pro iuſtitia mori conteſtatus eſt & reddidit ſpiritum. Hinc ergo licet noſtræ ſpei fiducia certa, quantum ad eius ſpectat ſalutem & gloriam exultandum omnino non dubitet, pretioſamque in conſpectu Domini mortem ſanctorum eius ſci. mus, mœror tamen & luctus grauis, qui de amici orbatione & communi omnium noſtrum confuſione oboritur, nulla prorſus conſolatione in noſtro animo temperatur. Me enim in ipſo occiſum video, & multo magis me occiſum quàm ipſum: quia me in eius morte periculis expoſitum cerno, ipſum autem à periculis liberatum. Supereſt igitur, vt quia me nunc tam grauiter deſolatum & contriſtatum cernitis, ad me conſolandum ſimul & conſiliandum venire non differatis. Ego enim quaſi qui ipſam deteſtandam loci faciem ſuſtinere non valeam, Claræ-Vallis fugiens ſeceſſi illic vos exſpectaturus, vt conſilium pariter capiamus, quid nobis pro ſanctæ Eccleſiæ tam intolerabili ruina faciendum ſit. In omnes enim nos impetus iſte caſum minatur, & veniet niſi præueniat Dominus. Mando ergo vobis & ſummopere deprecor vt omni dilatione poſtpoſita Clare-Vallis properetis, quia pericula vndique mihi imminent, pro quibus conſilium differri non poteſt.

Gaufridus his acceptis litteris ad Claram-Vallem conuolat, mandatque Remenſi, Rothomagenſi, Turonenſi & Senonenſi Archiepiſcopis eorumque Suffraganeis, vti certa die apud *Iotrum* Diœceſis Meldenſis, quod Cœnobium eſt Puellarum, Gall. *Iouare* frequentes conueniant. Quibus congregatis acceptæ ſunt ab Hugone Gratiano-Politano atque à tota Carthuſienſium familia litteræ, tam impiam cædem commiſerantibus & execrantibus.

Dominis & Patribus in Chriſto Reuerendiſſimis Archiepiſcopis & cæteris **Religioſis perſonis in præſentem locum deffendendæ Iuſtitiæ gratia congregatis** Hugo Gratianopolitanæ Eccleſiæ vocatus Epiſcopus & filij eius, Carthuſienſium pauperum ſeruus inutilis Guigo, & qui ſecum ſunt fratres agenda cognoſcere, cognita viriliter adimplere per Chriſtum Dominum noſtrum. Quod homines ſumus, ad naturam; quod iuſti, ad meritum: quod Epiſcopi vel Preſbyteri vel Archidiaconi vel aliquid huiuſmodi, ad Eccleſiaſticum pertinet officium. In primo exiſtimus: in ſecundo ſaluamur: in tertio prouidendi aliis quæ ſubtiliora ſunt, poteſtatem accipimus. Duo ergo priora ad nos, tertium refertur ad proximos. Quod ſi manifeſtum fuerit iuxta illud Ficulneæ Euangelicæ exemplar, quæ tandiu exſpectata fructum non attulit, officium nos ſimiliter habere ſuſceptum, nulla iuſta cur in eo relinquamur, remanebit occaſio. Quid ergo ſi non ſolum inutiles Eccleſiæ, ſed etiam pernicioſi vel verbis, vel exemplis extiterimus? nonne non ſolum deiici ſed etiam digni ſumus puniri? Etſi igitur B. Thomæ & cæterorum qui recenter lotis in ſanguine agni ſtolis ſuis ad cœleſtia demigrarunt, in conſpectu Domini mors pretioſa mundanâ vltione non egeat, tamen ſi Eccleſia Dei (ſine qua nec publicæ res ſaluæ ſunt nec priuatæ,) vtilitate careat Diſciplinæ, rogamus

» ſupplices & obſecramus, quatenus armatura fidei protecti & rectitudinis zelo
» ſuccenſi, & ſanctorum Moſis, Phinees, Mathathiæ, Beatorum quoque Apoſto-
» lorum Petri & Pauli aduerſus Simonem, Ananiam & Barieu pie deſæuientium
» maximeque ipſius Domini venditores de templo cædendo proturbantis exem-
» plis animati, in ſacrilegos homicidas Eccleſiaſtici rigoris intrepidè gladium pro-
» ducatis, eoſque ſi fieri poteſt, omnibus ſacrorum officiis priuetis & beneficiis, qua-
» tenus omnis Iſraël audiens timeat, & nequaquam vltra quiſpiam faciat ſimile.
» Ipſi enim magis quàm homicidæ, in quorum cruentas delicias, vota complen-
» da & odia ſatianda, ſanctorum ſunt corpora laniata. Qui niſi tantæ nequitiæ non
» ſolum fructu caruerint, ſed & pœnam ſenſerint, omnibus apud nos iuſtitiæ defen-
» ſoribus ſimilia ſunt metuenda. Valete. Orate pro nobis, & ſacris eleuatis dextris
» ſuper partem mundi in qua ſiti ſumus, benedictionem & obſecrationem profun-
» dite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus ſanctorum operum veſtrorum
» geſtorum & gerendorum. Valete tertiò cum reuerendis Principibus Bleſenſi &
» Niuernenſi.

» Ipſe quoque Innocentius Bernardi Abbatis litteris inuitatus confirmare quæ
apud Iotrum decreta fuerant, reſcripſit in hunc modum.

» Innocentius Epiſcopus S. S. D. Venerabilibus Fratribus Rainaldo Remenſi,
» Hugoni Rothomagenſi, Hugoni Turonenſi Archiepiſcopis & eorum Suffra-
» ganeis Epiſcopis Sal. & Apoſt. Bened. Grauiora delicta amarioribus grauis pœ-
» nitentiæ fletibus purganda ſunt, & quod aduerſus ſacros Ordines committitur,
» expedit vt celeriter dignis animaduerſionibus expietur. Quis enim locus tutus,
» & cui perſonæ ſit præſtanda ſecuritas, ſi Eccleſiæ Dei violenter Clerici cœle-
» ſtibus obſequiis mancipati iniuriis vel captionibus vel cruciatu corporis à per-
» ditis hominibus affligantur, aut quod deteſtabilius eſt, morte & ſacri ſangui-
» nis effuſione multentur? Aduerſus ergo tam Deo odibile & tam piaculare flagi-
» tium quod in dilectos filios noſtros bonæ memoriæ Thomam Priorem S. Victo-
» ris & Archembaldum Subdecanum Aurelianenſem commiſſum eſt, tepiditate ſe-
» poſita, aſſumpto vigore Iuſtitiæ exurgant Canones, armentur iura, & ſi res ex-
» poſtulat, nouum ſcelus nouæ ſynodi librata ſententia conteratur. Quod ergo à
» veſtra dilectione apud Iotrum nuper iudicatum eſt, Apoſtolica auctoritate
» ſtatuimus eſſe firmatum. Sed quia nimis remiſſa videtur eſſe veſtra ſententia,
» addendo cenſemus, vt in quibuſcunque locis præfati Sanguinarii præſentes fue-
» rint, diuina ibi non celebrentur officia; & ſi quis ſacrilegos illos Clericidas ac
» Cœleſtis Collegij perturbatores & effuſores Dominici Sanguinis in ſeculo rema-
» nentes manutenere & confouere tentauerit, anathematis ſententia percellatur.
» Ad hoc addentes ſtatuimus, vt quia de nefaria parentum nequitia & horrendo
» furore Clerici nec adipiſci nec retinere Eccleſiaſticũ debent emolumentũ (Ipsum
» enim non pretio, non violentia, non terrore, non conſanguineorum truculen-
» ta nequitia ſed ſolis interuenientibus meritis oportet acquiri & acquiſitum ſer-
» uari) tam Theobaldus Noterius quàm alij qui honores ſub hac peſſima forma
» acquiſierint vel retinuerint, ſalua nimirum ſedis Apoſtolicæ reuerentia Eccle-
» ſiaſticis priuentur Beneficiis. *Et quia ſuperabundat iniquitas, ſummopere proſpicien-*
» *dum eſt, vt Clerici de cætero nihil humanum metuant, & vt gratâ tranquillitate famu-*
» *latibus valeant vacare diuinis Apoſtolica eis ſuffragia propenſius impertimur.*

Quia autem Archiepiſcopi prædicti paulo tardiores fuerunt in exequenda ſententia Pontificis, ipſe aliis litteris ad eos datis ſignificauit quàm moleſtè tarditatem iſtam ignauiamque ferret, eoſque vehementiſſimè reprehendit. Tales autem ſunt ipſius ipſius litteræ, quæ leguntur in 5. Tomo Spicilegij Dacheriani.

Contra' interfectores Thomæ à S. Victore.

Innocentius Epiſcopus S. S. D. Venerabilibus fratribus R. Remenſi H. Senonenſi & eorum Epiſcopis Sal. & Apoſt. Bened. Horrenda cædes dilecti filij noſtri bonæ memoriæ Thomæ Prioris S. Victoris audientium corda turbauit, & nos
» ac fratres noſtros graui mœrore perfudit. Quid autem prodeſt Galliam monſtro-
» rum horribilitate non fœdari, nec hæretica prauitate non pollui, ſi in ea ſacra di-
» gnitas effuſione ſanguinis ſacerdotalis fœdatur? Vnde mirandum valde eſt, quo-
» niam regnante filio noſtro chariſſimo Illuſtri & Glorioſo Ludouico Francorum
» Rege, cuius Regalis vigore Iuſtitiæ homicidæ ſacrilegi & flagitioſi grauiſſima

ſunt animaduerſione coërcendi, tam atrox tam deteſtabile facinus aliquorum temerariorum nefandis auſibus temporibus ſuis fuerit attentatum. Exurgant igitur Leges, quoniam in tanti atrocitate facinoris ſilere non debent: & tam Eccleſiaſtica quàm mundana Cenſura propriis mucronibus accingatur. Quæ namque bellica clades & immanis hoſtilitas vel aëris inclementia tantam ſtragem populo Dei inferre valebit, quàm ſi ſacerdotes quibus animarum cura & diuina ſacramenta commiſſa ſunt, quibus non obedire periculoſum eſt, & Clericos in ſorte Dei aſſumptos & Monachos contingat occidi? Quia igitur perpetrata flagitia, ſi ſequatur impunitas audaciam cæteris conferunt delinquendi, ne tanti ſceleris immanitas & profana temeritas poſteris veſtigia fœda relinquat & ſui contagij imitatores efficiat, eiuſdem flagitij complices ſacræ rigore Diſciplinæ proſternite, vt iuſtus de promulgata iuſtitia gaudeat, & hoc audiens impius conquieſcat. *Si enim Zelus veſtræ vltionis in conſimili crimine exarſiſſet, nefas geminatum hodie non fuiſſet admiſſum.* Euigilate igitur fratres, quibus legis Diuinæ diſpenſatione commiſſa eſt poteſtas, & omni diſſimulatione remota aduerſus parricidas illos & huius criminis conſcios grauiter plectendos iuſtè animaduertite. Si quid enim à vobis diſſimulatum vel omiſſum fuerit, cognoſcetis id ad animarum veſtrarum & officij periculum pertinere. Sane quidquid ſuper his Prudentia veſtra decreuerit, B. Petri & noſtra erit firmitate ſubnixum. Sanctorum ſiquidem Patrum Decreta & nouiſſima & antiqua Conciliorum ſtatuta vos inſtruunt quid oporteat in huiuſmodi caſu decerni. Ad hæc mandamus, vt Corpus præfati boni viri qui coram Iudice ſuperno modò de ſua Iuſtitia & innocentia teſtimonium perhibet, & ſub obedientia viuens in obſequio proprij eſt interfectus Epiſcopi, in ſua Eccleſia honorificè tumuletur. Data Piſis 21. Decemb.

Diſcordia Aurelianenſis.

Dum in his turbis erat Eccleſia Pariſienſis, non minoribus agitabatur Aurelianenſis à Ioanne Archidiacono, qui perpetratis quoque paulò ante cœdibus in Epiſcopatum ſe intruſerat: quam in rem extat ad Innocentium Papam Bernardi Abbatis Ep. 161. *Si vigor*, inquit, *Eccleſiaſticus pepercit iſtis, Ioanni dico & Theobaldo Noterio, quorum etſi non manu, aſſenſu certè, fortè & inſtinctu ſanguis innoxius effuſus eſt ſuper terram, quis non videat quid ſequatur?* Extat quoque Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis in tom. 3. Spicilegij Dacheriani, ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem: in qua queritur de Ioannis Archidiaconi intruſione, de vi per eum illata, perque fautores eius Bartholomæum Capicerium, Zachariam, Paganum Archidiaconum, Iacobum S. Aniani Subdecanum, eorumque familias, tam Clericos ſcilicet quàm Laïcos *violenta fraude & conſilio Algrini* Cancellarij Aurelianenſis mala innumera bonis viris importantes: ſimiliterque de Philippo Præcentore & Rodulfo Archidiacono & Hûberto conqueritur. Extat etiam pro eodem Archembaldo Epiſtola Gaufridi Epiſcopi Carnotenſis ad eundem Henricum, quâ eum rogat, vt tantæ turbationi ſedulam diligentiam adhibeat. Nam ipſe ſupra cæteros, quia ſupra cæteros Ioannis intruſioni ſe ſe oppoſuerat, impiiſſimè & immaniſſimè tractabatur, ſuaque dignitate & bonis ſpoliatus fuerat. Vnde Innocentius datis Placentiæ ad Gaufridum Carnotenſem & Stephanum Pariſienſem litteris mandauit, vt eidem Subdecano ac ſociis hònores & bona ablata reſtitui ſatagerent.

Innocentius Ep. S. S. D. Venerabilibus fratribus Gaufrido Carnotenſi Apoſtolicæ ſedis Legato Stephano Pariſienſi Epiſcopis Sal. & Apoſt. Ben. *Prout nouit veſtra fraternitas, damna & iniurias dilectis filiis noſtris Archembaldo Aurelianenſi Subdecano, Magiſtro G. & eorum ſociis irrogatas & honores ſibi ablatos reſtituendos in veſtro arbitrio & æſtimatione poſuimus. Quod quia minimè impletum eſſe accepimus, Dilectioni veſtræ mandamus atque præcipimus, vt quemadmodum bene inchoaſtis, in nomine Domini procedatis & eandem cauſam effectui mancipetis. Datum Placentiæ Nonis Nouembris.*

Paracletenſe Cœnobium à S. Sede approbatur.

Hæc ſcribebat Innocentius hoc anno auxilio & copiis Lotharii Imperatoris in Italiam reductus: priuſquam verò è Gallia demigraret, Antiſſiodori ſedens Paracletenſe Cœnobium M. Petri Abaëlardi rogatu & meritis inductus ſpeciali Bullâ approbauit & confirmauit; quæ talis eſt ex Chartulario prædicti Cœnobij.

Innocentius E. S. S. D. Dilectis in Chriſto Filiabus Heloïſſæ Prioriſſæ cæte-

„ riſque ſororibus in Oratorio S. Trinitatis, quod in pago Trecenſi, in Parochia „ Quinceij ſupra fluuium Arduconem ſitum eſt, diuino famulatui mancipatis „ tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Quotics à nobis illud petitur, „ quod rationi cognoſcitur conuenire, animo nos decet libenti concedere & pe„ tentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Proinde Dilectæ in Domi„ no filiæ, veſtris iuſtis poſtulationibus aſſenſum præbentes, Monaſterium S. „ Trinitatis, in quo Diuino vacatis ſeruitio, ſub Apoſtolicæ ſedis protectione „ ſuſcipimus & præſentis ſcripti paginâ communimus. Statuentes vt quaſcum„ que poſſeſſiones, quæcumque bona impræſentiarum iuſtè & legitimè poſſide„ tis, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, „ oblatione fidelium ſeu aliis iuſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, „ firma vobis in perpetuum, & illibata permaneant. Sanè laborum veſtrorum „ decimas quas propriis excolitis ſumptibus, ſeu annualium abſque contradictio„ ne aliqua vobis concedimus poſſidendas. Nulli ergo hominum fas ſit præfatum „ Monaſterium temere perturbare aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas reti„ nere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed hæc omnia integra con„ ſeruentur veſtris vſibus perpetuò profutura. Ad indicium autem perceptæ hu„ ius à Rom. Eccleſia libertatis ſex nummos quotannis Lateranenſi Palatio per„ ſoluetis. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtræ „ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundò „ tertióque commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendauerit, poteſtatis ho„ noriſque ſui dignitate careat & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domi„ ni Redemptoris noſtri I. C. aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vl„ tioni ſubiaceat. Conſeruantes autem interuenientibus BB. Apoſtolorum Petri „ & Pauli meritis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti & æternæ felicitatis præmia „ conſequantur. Amen. Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum „ Antiſiodori per manum Aldierici (forte, Aimerici) S. Rom. Eccleſiæ Diaco„ ni Cardinalis & Cancellarij 4. Kal. Decemb. Indict. 10. Incarnationis Dom. an. „ 1131. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ II. an. 2.

1132. *Lis inter Epiſcopum Pariſienſem & Galonē Rectorem Scholæ Pariſienſis.*

Anno 1132. nondum compoſitâ pace in Eccleſia Pariſienſi ob M. Thomæ San-Victorini Prioris necem, ecce duplex alia exoritur diſcordia; vna inter eundem Epiſcopum Stephanum & Galonem Rectorem Scholæ Pariſienſis: altera inter ipſummet Epiſcopum & Stephanum Archidiaconum. Quæ cauſa prioris fuerit, non omnino liquet. Si quid tamen augurari & ſuſpicari licet, Algrinus tum Eccleſiæ & Vniuerſitatis Pariſienſis Cancellarius priori dediſſe videtur occaſionem, propterea quod nonnihil pretij & honorarij exigebat ab iis quibus docendi licentiam impertiebatur: quæ cauſa fuit tam multorum in Academia Pariſienſi diſſidiorum, vt ex hiſtoria patebit. Galo ſeu Walo & cæteri Magiſtri cum Scholaſticis Algrino comminati fuerant & forte etiam iniurias aut contumelias intulerant. Quamobrem Epiſcopus, quia Cancellarii ſui cauſam tuebatur, Galonem, vt ſuo ſe iudicio ſiſteret, compellere voluit; erat enim Scholaſticorum & Magiſtrorum Iudex iure ipſo conſtitutus: at ille Præſulis in propria cauſa iudicium detrectauit. Epiſcopus totum Montem San-Genouefianum, in quo iam tota fere ſcholarium Vniuerſitas, exceptis forte Theologis, habitabat, interdicto ſubiicit. Hinc ad Innocentium confugiunt Canonici tum adhuc ſeculares, conquerentes ſe nullâ ſuâ culpâ interdictum pati, Montiſque ſui Eccleſias eidem ſupponi, nihil tale commeritas. Innocentius eorum querelis aures præbens mandat Epiſcopo vti Eccleſias interdicto ſubleuet, ſaluo tamen Eccleſiæ Pariſienſis & fori Epiſcopalis iure; cuius litteræ nondum mihi venerunt in manus. At cum Epiſcopus mandato non obtemperaſſet, iteratò ad eum ſcripſit Pontifex, eaſdemque Eccleſias Interdicto leuari iuſſit. Tales verò ad eum leguntur litteræ in tom. 3. Spicilegii Dacheriani.

Innocentius Ep. S. S. D. Venerabili Fratri noſtro Stephano Pariſienſi Epiſcopo Sal. & Ap. Bened. *Olim fraternitati tuæ ſcripſiſſe meminimus, quatenus Eccleſias S. Genouefæ ab Interdicto quo eas alligaſti, ſalua Iuſtitia Eccleſiæ Pariſienſis abſolueres. Quod profectò nondum eſſe impletum tantò ammiramur, quantò præfata Eccleſia ſub B. Petri tutela & protectione conſiſtit. Cuius rei gratiâ dilectioni tuæ per iterata ſcripta mandamus, vt Eccleſias ipſas ab eodem interdicto abſoluas: poſtmodum verò ſi quam te iuſtitiam habere*

bere ſubſidis, congruo loco & tempore, quod iuſtum fuerit, conſequêris. Rogamus praterea charitatem tuam, quatinus ſi filius noſter La. quem tibi procurandum commiſimus, à te diſceſſit, filio noſtro Io. cognomine Piccuto in victualibus & aliis neceſſaria largiaris, eumque pro reuerentia B. Petri attentius habeas commendatum.

Poſtremis hiſce verbis commendat Pontifex Epiſcopo Scholares Romanos, quos Lutetiam ad ſtudia litterarum miſerat, vt quæ illis neceſſaria forent tam ad victum quàm ad veſtitum, miniſtrari procuraret. Tunc enim in Clauſtro & locis Baſilicæ vicinis frequentia erant conueſcentium ſcholarium habitacula præſertim vero Theologorum & Clericali militiæ deputatorum : vt Canonicorum Pariſienſium conuerſatione & familiaritate edocti Deo militare condiſcerent. Vnde ſæpe in hiſtoria noſtra miſſos legimus à ſummis Pontificibus & Cardinalibus nepotes & conſanguineos ſuos ad Epiſcopum Pariſienſem aut ad Capitulum, quos nempe ſupremis Eccleſiæ Dignitatibus deſtinabant.

Porro Epiſcopus Galonem & reliquos Magiſtros parere detrectantes Cenſuris quoque illigat : illi Henricum Archiepiſcopum Senonenſem, vt pote Metropolitanum & ſuperiorem adeunt abeoque deciſionem litis non ab Epiſopo, pronunciari poſtulant : Henricus Supplices audit, diemque dicit Epiſcopo, vt auditis Partibus quod æquum fuerit, conſtituat. Epiſcopus Tribunal iſtud detrectat, aiens nimirum in ea re ſibi iuribuſque ſuis derogari, ſi cuius nempe rei iudex eſſet legitimus, Metropolitanum ſineret eſſe iudicem. Contra Galo negat Epiſcopum eſſe debere in propria cauſa Iudicem, remque ſi nolit Epiſcopus adire Metropolitanum, ad Innocentij defert Tribunal & prouocat. Innocentius donec amplius liqueat, Algrinum Cancellarium ſua ſub tutela & manu poſitum eſſe vult. Itaque Stephanus Epiſcopus fruſtra inuitante Henrico Senonenſi ad Iudicium Tribunalque Metropolitani, reſpondet litem ad Pontificem delatam, ſibique eſſe in animo vadimonium obire. Sic igitur Henrico reſcribit.

« Significauit nobis in litteris veſtris ſublimitas veſtra quod placuit : quibus obtemperare minimè contemnimus, ſed terminos quos poſuerunt patres noſtri antiquos tranſgredi formidamus. Nunquam enim reuerenda Patrum ſanxit authoritas, nuſquam hoc ſeruare conſueuit antiquitas, vt aliarum Eccleſiarum cauſas alicui Metropolitano liceat terminare, vel ſine conſenſu illius Epiſcopi, cui cura commiſſa eſt, iudicia iudicare. Vnde ſcribit Papa Calixtus 15. Petro Benedicto Fratri Epiſcopo, *Nullus Metropolitani Diœceſani Eccleſiam vel Parochiam aut aliquem de Parochia præſumat excommunicare*, aliquidue agere abſque eius conſilio vel iudicio, ſed hoc obſeruent quod ab Apoſtolis ac Patribus & prædeceſſoribus noſtris ſtatutũ & à nobis confirmatum eſt. *Iterum* Si quis Metropolitanus non quod ad ſuam ſolummodo propriam pertinet Parochiam ſine conſilio & voluntate omnium Comprouincialium Epiſcoporum aliquid agere tentauerit, Gradus ſui periculo ſubiacebit, & quod egerit, irritum habeatur. *Iterum.* Nullus alterius Parochiam diſponat aut ordinet aut iudicet, quia ſicut ordinatio, ita & miniſtratio & aliarum rerum diſpoſitio prohibetur. *Radulfo ſiquidem Bituricenſi Archiepiſcopo de re ſimili ita ſcribit Papa Nicolaus.* Conqueſtus eſt Apoſtolatui noſtro frater noſter **Sigebodus Narbonenſis** Archiepiſcopus, quod Clericos ſuos eo inconſulto ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus eo inuito quaſi iure Patriarchatus tui diſponas : cum hoc nec antiquitas, cui Patres ſanxêre reuerentiam habeat, & authoritates ſacrorum Canonum penitus non habeant. »

His igitur & aliis authoritatibus muniti nolumus nec debemus ad præſens noſtræ & fratrum meorum Eccleſiis inauditam nouitatem inducere & earum iura antiquitus ſtatuta permutare. Hoc dicentes non inſtruimus prudentiam veſtram, quæ ſatis nouit plura de paucis colligere; nec tollimus quin poſſint Metropolitani Epiſcopos Comprouinciales conuocare, & quæ præcipienda ſunt, præcipere, ſed antiquum ius pro paruitate noſtra volumus conſeruare. Vnde non ſatis mirari poſſumus, quod verba Galonis fallacia & R. nobis inobedientis ſuſcipitis, cum cauſam iſtam à nobis ipſis & à religioſis viris veraciter audieritis, & manifeſtam eius culpam, ſi placet plenius ipſo cognoueritis. Pro illius itaque irrationabili & non Canonica inuitatione (quam nullius ponderis eſſe, quando & vbi oportuerit, manifeſtiſſimè monſtrabimus) ante veſtram quam valde diligere & honorare volumus præſentiam »

ad præſens ire viſum fuit nobis non eſſe opus, *cum per nos tam ſibi quam Scholaribus ſuis plenariam iuſtitiam obtulerimus, & ad* vltimum in præſentia D. Papæ, ad quem huius cauſæ finis maximè ſpectat, inuitati fuerimus. *Mandatum etenim ſedis Apoſtolicæ habuimus, cuius authoritate tam Algrinum* (Cancellarium) *quàm omnes res ſuas ſibi retinet & munit.* Inſuper & vobis & nobis præcipitur, ne ſuper eo ab aliquo iudicetur, ſed potius Apoſtolicæ ſedis iudicio omnis eius cauſa decidatur. Cũ igitur eius cauſa ad Domni Papæ audientiam fuerit inuitata, & à nobis vt antè ipſius præſentiã monſtrabimus, huc vſque rationabiliter ſit tractata, quod iuſtè fecimus ſalua reuerentia veſtra, quia ſine contemptu Domini Papæ facere nequimus, & eo inconſulto relaxare non audemus. Redeat ergo ad ſe manſuetudo veſtra, & ne in amicum ſubitò inſurgat, indignationem ſuam erga nos compeſcat, qui ſic parati ſumus veſtræ parere amicitiæ, vt honorificemus miniſterium veſtrum ſatisfaciendo iuſtitiæ. Valete in Domino Deo. Valete in Chriſto.

Ex hiſce litteris intelligimus 1. Pontificem tum primum videri ſibi arrogaſſe cognitionem litium Academicarum. 2. cauſam diſſidij fuiſſe Algrinum Cancellarium, quem ipſe pontifex iniurias forte paſſum, & metuentem maiores deinceps pati, ſingulari ſuo Patrocinio tutari voluit. 3. Henricum Senonenſem fuiſſe Galoni ac proinde Academicis impensè addictum, cui acceſſit Stephanus de Garlanda Archidiaconus Pariſienſis Eccleſiæ, & Regis Dapifer, vt infra conſtabit.

Interim vero cenſuris illigatus manebat Galo. Interdictum ei fuerat ab Epiſcopo legere ſeu docere publicè, nec tamen docere deſtiterat exiſtimans ſatis fuiſſe ad Curiam Romanam prouocaſſe. Res iſta maximi videtur fuiſſe momenti. Epiſcopi in eam conſulti fuerant & eorum conſilio denegare perſtitit Epiſcopus relaxationem interdicti, nec quidquam profecit Legatus Pontificis, litem decidere fruſtra conatus; quippe renitente Epiſcopo, quia videbat Legatum fauere Academicis, & Romanum Tribunal adire parato, niſi Galo ſatisfaceret. Legitur Epiſcopi ad Legatum Epiſtola in 3. Tomo Spicilegij Dacheriani, eſtque eiuſmodi.

„ Viſis litteris veſtris non minimum doluimus & ſupra modum moti ſumus ſuggeri vobis poſſe, quod vos nolumus exaudire. Nouit ſiquidem Curia noſtra, nouit Pariſienſis Eccleſia, vt pote quod vidit & audiuit, *quoniam litteras veſtras nobis miſſas in præſentia Galonis legi fecimus, & quod mandaſtis, ſi voluiſſet, feciſſimus. Ipſe autem non in cauſa ſua ſed in Archiepiſcopi & Dapiferi fiſus potentiã contempſit, & ad cõtemptum Dei & noſtrum legit. Nos vero cum Rege & Epiſcopis habuimus conſilium, quid ſuper hoc eſſet agendum: & quia iuxta eorum conſilium in Clericos & Parochianos noſtros ſententiam dedimus, & quia defuerunt auditores, Galonem ſilere compulimus.* Videat itaque dilectio, videat veſtra diſcretio, ſi inobedientes, & ideo mortuos & fœtentes quos iuſtè ligauimus, ante diſcuſſionem ſoluere debeamus, maximè cum Domni Papæ præcepto & authoritate ſententiam excommunicationis nos promulgaſſe conſtiterit. *Ipſe enim Domnum Algrinum ſuſcepit in protectionem ſuam & nobis iniungit vt de malefactoribus ſuis plenariam ei faciamus Iuſtitiam & ſi qua forte ſuper ea cauſa emerſerit, ſibi emancipauit, & in Curia Romana finiendum ſtatuit:* ſicut in litteris eius quas vobis mittimus, videbitur, ſi diligenter inſpiciantur. Et quia ſuper Domni Papæ ſtatuto & ſententia nolumus auferre aut vnum apicem aut vnum iota, iuxta Galonis inuitationem in feſto S. Andreæ Romam ſtatuimus ire, ſi interim congrua ſatisfactione non deleuerit, quod in nobis, imo in Domno Papa contumaciter commiſit. Quod ſi vultis & ſi conſulitis cauſam iſtam tractari in Curia veſtra & vos terminare, non renuimus. Sciatis proculdubio quoniam nos temerè periculis nonofferimus, imo quantum in nobis eſt, declinamus. Attamen & Alpium aſperitatem & viæ longitudinem parui pendimus, vt primæ ſedis & Rom. Pontificis dignitas quantum ad nos ſpectat, conſeruetur, & ne in aliquo per nos Romana authoritas minuatur. Vnde paternitatem veſtram ſuppliciter exoramus, vt quod iuſtè, quia Domni Papæ & Epiſcoporum conſilio fecimus, interim ſtare permittatis, nec mutari præcipiatis, donec in Romana aut in veſtra diſcutiatur audientia, ſi conſulitis vt diximus, & Galo in ſua pertinacia perſeuerauerit & Eccleſiæ Rom. non ſatisfecerit. Scimus proculdubio & ſcitis pro certo, quoniam *Pariſienſis Eccleſia & omnes*

Perſonæ vnâ exceptâ tuebantur eam cauſam, ſi veſtram peruenerit ad audientiam. Et quoniam Epiſtolari breuitate omnem negotij noſtri qualitatem non poſſumus comprehendere, Legatos noſtros, Canonicos videlicet Pariſienſis Eccleſiæ dirigimus ſanctitati veſtræ, vt cum mora & perſpicaci diligentia ius noſtrum poſſitis ad plenum cognoſcere.

Quodnam fuerit huiuſce cauſæ iudicium & à quo prolatum, non habemus. Sed tria videmus ſucceſſu temporis fuiſſe Magiſtris & Scholaribus conceſſa. 1. Ne Cancellarius Pariſienſis pro impertitione licentiarum quidquam exigeret, idque ab Alexandro III. confirmatum eſt. 2. Vt Cauſarum Academicarum duo Iudices eſſent Eccleſiaſtici, Epiſcopus & Abbas San-Genouefianus: idque à Cœleſtino III. ſub finem huius ſeculi conſtitutum eſt. 3. Ne quis in Rectorem, Magiſtros & ſcholares Excommunicationis ſententiam promulgare auderet. Quod ſtatutum nonnulli tribuunt Innocentio III. 4 addere poſſumus, Ne Magiſtros & ſcholares liceat extra vrbem Pariſienſem ad vllum Tribunal vocare.

Porro ſatis intelligitur Galonem iſtum fuiſſe plurimæ authoritatis, & vt opinor Academiæ Rectorem, neque enim credibile eſt Magiſtrum priuatum & ſingularem auſurum fuiſſe Epiſcopo reſiſtere, & contra veritum publicè docere, totque habiturum amicos tantoſque patronos. Cæterum ille eſt Galo ſeu Walo verſificator egregius, cuius epigramma de morte Willielmi Flandrenſis ſupra retulimus, cuiuſque ad an. 1125. meminit Ioannes Brompton ſcriptor Anglicus.

Diſſidium inter Ep. Pariſ. & Stephanum de Garlanda Archidiaconum

Ex hoc fortè diſſidio alterum exortum eſt inter eundem Epiſcopum & Stephanum de Garlanda Archidiaconum Regiſque Dapiferum, de quo alibi plura. Ille quoque Galoni fauebat eique Henricum Senonenſem Conſanguineum ſuum contra Epiſcopum addixerat. Sed & cauſam ipſe propriam habuit, quod nempe Gilduinus Abbas S. Victoris Epiſcopi Vicarius Archidiaconatum ſuum interdicto ſuppoſuiſſet. Graue quoque fuit iſtud diſſidium, quod Henricus Senonenſis & Gaufridus Carnotenſis Legatus Apoſtolicus componere conati, vix compoſuerunt. Extat Henrici ad Stephanum Epiſcopum Epiſtola quâ ſe cauſam iſtam ſignificat velle cognoſcere, eſtque eiuſmodi.

Henricus D. G. Senonenſis Archiepiſcopus..... *Dilectioni veſtræ querimonia & clamore D. Stephani Archidiaconi veſtri compellimur ſcribere. Idem namque Archidiaconus ſuper hoc conquerendo clamat, quod licet Abbati S. Victoris* (Gilduino) *Vicario veſtro rectitudinem offerret & per eum iuſtitiam exequi paratus eſſet, licet etiam ſe ipſum cum omnibus ſuis ſub protectione D. Papæ prætenderet, idem Abbas ſuper terram eius interdicti ſententiam poſuit. Vnde præfatus Archidiaconus ſe prægrauari dicit. Addit etiam in his ſe prægrauatum eſſe, quod à vobis iuſtitiam requiſiuit & habere non potuit de rebus Eccleſiæ Pariſienſis & rebus hominum ſuorum violenter ablatis: quamuis ſicut dictum eſt, ſub defenſione D. Papæ & cuſtodia ipſe Stephanus ſit conſtitutus. Et quoniam in his ſe prægrauari ſenſit, ad nos clamorem fecit & conuenientem diem & locum ſibi & ſuis coadiutoribus tutum dari requirit. Vnde vobis & ipſi diem in vigilia imminentis Aſcenſionis Domini & Pruuinum quia tutus locus eſt, locum conſtituimus, & veſtræ Dilectioni præcipimus, vt ad diem datam & locum conſtitutum, quantum res poſtulabit, reſponſurus veniatis, & tanquam chariſſimo conſulimus, vt interdicti ſententiam relaxetis.* Valete.

Ad hæc reſcripſit Epiſcopus ſatis acriter ſe non poſſe à Metropolitano extra ſedem Metropolitanam vocari ad examen cauſæ ſui Archidiaconi, negatque ſe Pruuinum iturum. *Audito clamore conſanguinei veſtri Domini videlicet Stephani Pariſienſis Archidiaconi aduerſum nos iniuſtè apud vos conquerentis, diem nobis & locum tutum videlicet Pruuinum in terra hoſtili ſtatuiſtis, & me Suffraganeum veſtrum neque viua voce neque litteris prius commonitum ad executionem iuſtitiæ extra Metropolitanam ſedem venire præcepiſtis: quoniam Conſanguineus veſter, vt dicit, à nobis iuſtitiam requiſiuit & habere non potuit. Hoc vero ſi placeret veſtræ Diſcretioni & Metropolitanæ grauitati, etſi non potuiſſetis non audiſſe, non debuiſſetis credidiſſe, quia ei ſine læſione fidei, cum homo meus ſit, iuſtitiam denegare non potui. Et quoniam litteris alternantibus ad inuicem locuti ſumus, & ipſas adhuc pene omnes nos habemus, cum in commune venerit, & lectæ fuerint aut nos aut ipſum de mendacio arguent*

& alterum erubeſcere cogent. Nos ſiquidem ſtatim vt Pariſius venimus, ſuper ſacrilegio, incendiis, homicidiis & aliis criminalibus Capitulis Domini Stephani Archidiaconi in terra S. Germani iniuſtè à Clerico, iniuſtius à Diacono, iniuſtiſſimè ab Archidiacono & Decano factis clamorem Abbatis audiuimus, Dominum Stephanum ſubmonuimus, diem dedimus, & quia propinquiſſimus ei videbatur, induciauimus, ſecurum locum, ſecurum conductum Regis videlicet & Reginæ & Domni Radulphi Comitis & noſtrum ei obtulimus: & fortaſſe hoc modo cum eo agere eſt ei iuſtitiam denegare? Et quia in nullo, vt auditis, quantum ad hoc ſpectat, exceſſimus, vnde Curiam noſtram exire debeamus, ſi placet benignitati veſtræ ſubmonitionem veſtram & præceptum relaxare, cui contra honorem & dignitatem Pariſienſis Eccleſiæ, nec volumus nec debemus obedire. De Interdicto autem & de litteris Domini Papæ ſufficienter reſpondebitur, ſi Dominus Stephanus, vbi iuſtum eſt, cauſam ſuam tractari non dedignetur.

Ex his intelligitur, quàm conſtans & intrepidus eſſet Stephanus Epiſcopus, quamque ſtudioſus iurium ſuorum & Eccleſiæ ſuæ defenſor. Atque ex his quoque facile eſt dubium ſoluere, quod ſupra propoſuimus, an Stephanus Epiſcopus alius ſit à Stephano de Garlanda. Manifeſtiſſimè quippe liquet errare eos qui vtrumque confundunt, quod & inſuper ex ſequenti Epiſtola Gaufridi Carnotenſis patet, quâ Epiſcopum rogat, vt quandoquidem paratus eſt Archidiaconus Stephanus ei ſatisfacere, eum benignè audiat interdictumque relaxet.

De reformanda pace inter vos & Stephanum de Garlanda dudum vobis ipſo petente locuti fuimus: nunc autem quoniam audiuimus, quod omiſſis quæ aduerſum vos videbatur habere, pacem veſtram deſiderat, ſanctitatis veſtræ diſcretioni conſulimus, quem ex cordis affectu diligimus, & cui non conſulere, quod honori veſtro ſeruiet, non poſſumus. Conſulimus inquam & petimus, vt diem ei competentem & terminum conſtituatis, in quo iuxta conſiderationem rationis pacem cum eo reformetis, quam offert vobis ad cognitionem & examinationem amicorum veſtrorum, videlicet Abbatis de Claraualle. Non enim decet paternitatem veſtram oblatam pacem reſpuere, quam etiam non oblatam modis omnibus prouocare debetis. Nam iuxta D. Saluatoris exemplum omem errantem debetis requirere & ad pacis ouile veſtris etiam humeris reportare. Si cum omnibus hominibus, vt dicit Apoſtolus, pacem debemus habere, quanto magis cum his de quibus nos oportet Domino reſpondere? vnde quod abſit, ſi prædicti viri ſatisfactionem ex amicorum ſententia non recipitis, certum eſt quod & apud Deum offenſam incurritis & amicis veſtris ruborem inuritis. Valete.

Contra hunc Stephanum Clericum & militarem virum multa habet Bernardus Clareuallenſis Ep. 78. ad Sugerium, quæ videntur eſſe huius loci. *Cuius cor non indignatur, cuius vel clam lingua non ſubmurmurat Diaconum contra Euangelium Deo & mammonæ pariter miniſtrantem?* Sic quippe ſublimatum honoribus Eccleſiaſticis, vt nec Epiſcopis inferior videatur, ſic implicatum militaribus Officiis, vt præferatur & Ducibus? Rogo quid hoc eſt monſtri, vt cum & Clericus & miles ſimul videri velit, neutrum ſit? par ſatis vtrobique abuſio, ſiue quod Diaconus menſæ Regiæ deputetur miniſterio, ſiue quod Regis Dapifer miniſterijs altaris inſeruiat. Quis ſanè non miretur, imò & non deteſtetur vnius eſſe perſonæ & armatum armatam ducere militiam, & Alba ſtolaque indutum in medio Eccleſiæ pronunciare Euangelium? tubâ indicere bellum militibus & iuſſa Epiſcopi populis intimare? Niſi forte quod intolerabilius eſt, erubeſcit Euangelium, de quo Vas Electionis admodum gloriatur, & confunditur videri Clericus, magiſque honorabile ducit putari ſe militem; Curiam Eccleſiæ præfert, Regis menſam altari Chriſti & Calici Domini Calicem Dæmoniorum. Quod planè credibilius ex eo videtur, quia cum honores non paucos, ſed quantos nec Canones niſi inuiti patiuntur, teneat in Eccleſia, vnius tamen quem & in Palatio aſſecutus eſt, magis vt aiunt, gloriatur ex nomine, quàm cæterorum quolibet appellari. Cumque ſit Archidiaconus, Decanus, Præpoſituſque in diuerſis Eccleſiis, nihil horum tamen tam cum, quàm Regis delectat vocari Dapiferum. O noua & exoſa peruerſitas! ita ne plus decet hominis quàm Dei famulum nominari? ac terreni quàm cœleſtis Regis dici Officialem, altioris ducitur dignitatis? qui Clero militiam, forum anteponit Eccleſiæ, Diuinis profecto humana, cœ-

leſtibus præferre terrena conuincitur. Ergo pulchrius eſt vocari Dapiferum, quàm Decanum, quàm Archidiaconum! Et quidem, ſed Laïco, non Clerico; militi non Diacono. Mira ſed cœca ambitio magis imis quàm ſummis delectari, & cui funes ceciderant in præclaris, inſatiabili deſiderio amplexari ſtercora; & pro nihilo habere terram deſiderabilem. Confundit penitus Ordines & vtroque officio deli catè ſatis abutitur, dum & hinc cum delectat pompa, non militia ſecularis: & illinc quæſtus, non cultus religionis. In quo quis facile non aduertat quantum ſit dedecoris non minus vtique Regno quam ſacerdotio? Vt enim Clericalis conſtat non eſſe dignitatis Regum ſtipendiis militare, ſic nec Regiæ Maieſtatis rem fortium adminiſtrare per Clericos. Denique quiſnam Regum ſuæ vnquam Militiæ Clericum præfecit imbellem, & non magis quempiam fortiſſimum ex militibus?

Extant in eodem Tomo 3. Spicilegij Dacheriani quædam aliæ amicorum ad Stephanũ Epiſcopum litteræ, quibus partim laudatur ob conſtantiam ſuam, partim vero admonetur vt vitæ ſalutique ſuæ conſulat: parari enim inſidias, mortemque intentari. Vt enim erat ille vir intrepidus, nec flagitiorum, quæ in ſua diœceſi perpetrabantur, patiens, multorum animos offenderat, præſertim vero Academicorum Pariſienſium & Archidiaconorum ſuorum Theobaldi Noterij & Stephani de Garlanda, vt ſupra demonſtratum eſt.

Neque hoc inſolens erat in Eccleſia Pariſienſi Epiſcopum turbari & vexari ab Archidiaconis. Id enim omnibus fere accidit Eccleſiis propter nimiam quam habebant in Diœceſeos adminiſtratione authoritatem: Vnde fiebat ſœpiſſime, vt illi mortuo Epiſcopo à Canonicis ſubſtituerentur, quos beneficiorum largitione aut aliis modis ſibi demeriti fuerant! & ſæpe etiam cum ſuis Epiſcopis ſimultates exercerent & aperta nonnonquam odia. Et ne externa exempla quærantur, ipſamet Eccleſia Pariſienſis illuſtre profert Lyſiardi Archidiaconi à Francone Epiſcopo diuortium: quam in rem extat Leutherici Senonenſis Archiepiſcopi & Fulberti Carnotenſis ad Clerum Eccleſiæ Pariſienſis Epiſt. 34. apud Fulbertum. *Audiuimus*, inquiunt, Chariſſimi, famam iniuriarum quas patitur Epiſcopus veſter & corde *compatimur: vos quoque illas ita ſentire credimus, ſicut fideles filios & bono Capiti bene cohærentia membra.... Inter aduerſarios vnus eſt nomine Lyſiardus olim quidem Archidiaconus, qui cum eſſe deberet oculus Epiſcopi ſui, diſpenſator pauperum, Catechiſator inſipientium, apoſtatauit ab omnibus his, & factus eſt Epiſcopo ſuo quaſi clauus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris inſipientibus; quia ſuperba & contumelioſa maledicta in Epiſcopum ſuum iaculans, ſerenitatem ſpeculationis eius turbat, decimas & oblationes altarium, ſtipem videlicet pauperum ſuo Epiſcopo inconſulto ſeculari militiæ tradit.*

Eodem anno obiit Hugo ille Gratianopolitanus Epiſcopus annorum plenus, qui Brunonem & ſocios in Eremo Carthuſienſi collocauerat ſeque illis adiunxerat. Succeſſit Hugo II. Carthuſiani quoque Ordinis profeſſor, vt & plurimi conſequentes eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi. Quo etiam anno ait Trithemius fuiſſe in diœceſi Heidelheimenſi Spiritum quendam malignum, multoque tempore ſe viſibilem exhibuiſſe in habitu ruſtico, & capite pileato. Vnde vulgo Rurales cum linguâ Saxonica vocabant *Ein Hedec Kin*, hoc eſt Pileatum: multa illum mirabilia feciſſe, cum hominibus conuerſari, victitare, loqui ſolitum, interrogare, reſpondere familiariter, aliquando viſibili, nonnunquam inuiſibili ſpecie; iniuriarum quoque acceptarum memorem iniurias reddidiſſe; vt experientia probauit in coqui puero: quem, quia ab eo fuerat irriſus, in fruſta diſcerptum coxit & verubus transfixum appoſuit comedendum. Narrat quoque idem Trithemius aliquem peregre proficiſcentem illi ſuam commendaſſe vxorem; ne quid amoris furtiui committeret, illumque amatores quos illa ſubinde introducebat, delecto re infectâ deturbare ſolitum; itaut nunquam potuerit impudica coniux laſciuis & adulteris potiri amoribus, reuerſo autem marito dixiſſe ſpiritum *Malo totius Saxoniæ porcos, quàm unam ipſam vxorem cuſtodire tuam; tantis me dolis circumuenire, tantis viis totque modis abuti ſuo corpore tentauit.*

Anno 1133. Stephanus Epiſcopus Pariſienſis ſingulari priuilegio conceſſit Monachis S. Martini Campenſis Eccleſiam S. Dionyſij de Carcere, quam e laïca manu retraxerat, vt ante retulimus, cum præbenda etiam B. Mariæ maioris 1133.

& ſodalis Eccleſiæ actumque id in Capitulo præſentibus & annuentibus Berne-ro Decano, Adamo Procentore, Stephano & Theobaldo Archidiaconis aliis ſquamplurimis. *Quapropter*, inquit, *Eccleſiæ B. Martini de Campis & fratribus ibi Deo ſeruientibus Eccleſiam S. Dionyſii de Carcere quamdiu manus Laïca iniuſtè inuaſerat, quæ etiam tempore noſtro ad manus Regias redacta fuerat, ipſam in manibus noſtris redditam, ex conſenſu, petitione & voluntate ipſius D. Regis Ludouici, annuente Adelaïde Regina, filiis etiam eius Ludouico Rege & Henrico eiuſdem Eccleſiæ Abbate concedentibus, ſaluo in omnibus iure Pariſienſis Eccleſiæ in perpetuum donauimus..... cum Prebenda etiam B. Mariæ maioris & ſodalis Eccleſiæ & cum vniuerſis appendiciis.* Eodem anno Innocentius Pontifex Piſis ſedens Romam reductus eſt à Lothario Imperatore ſatis feliciter: ſed cum Pſeudo-Papa Anacletus editiſſimas turres occupaſſet, nec prælio nec colloquio certare vellet, poſtquam Imperatorem in Laterano coronauit, Piſas rediit, vbi Concilium Generale indixit. Licet autem Imperatori plurimum deberet Innocentius, nunquam tamen adduci potuit, vt ei Epiſcopatuum & Abbatiarum Inueſtituras reſtitueret quinimo pridie. Non. Iunias coronam ei imponens coegit iurare obedientiam & ſubiectionem, atque vt ait Sigonius, ad prodendam rei nouo exemplo actæ memoriam, huius facti ſeriem Regiæ in parieti pingi, hoſque verſus ſubſcribi mandauit.

Rex venit ante fores iurans prius Vrbis honores.
Fit homo ſit Papæ, ſumit quo dante Coronam.

Narrat Abbas Vſpergenſis Innocentium in Conuentu Leodienſi à Lothario rogatum, vti ſibi inueſtituras redderet, quas anteceſſores ſui poſſederant, maluiſſe Lotharium cuius opem contra Anacletum implorabat, non habere auxiliatorem, quàm eius poſtulatis acquieſcere. *Ipſe Papa*, inquit, *adiit Imperatorem Lotharium petens ab eo fauorem contra Petrum Leonis & ſuos fautores. Sanè Imperator vſus conſilio ſuper huiuſmodi reſponſo, cœpit à Papa repetere Inueſtituras Epiſcopatuum, quas multo tempore Imperatores ante ſe habuerant. Ideoque Apoſtolicus non modicum eſt turbatus & de aduentu ſuo contriſtatus; de reditu quoque anxius effectus. Non petitionem Principis exaudire non poterat ſuper tali articulo, pro quo Eccleſia tot mala ſuſtinuerat. Interueniente tamen conſilio & orationibus S. Bernardi ſecurus reuerſus eſt ab Imperatore.* De eadem re Otho Friſinghenſis 67. c. 18.

De Iuris Ciuilis Diſciplina.

Hiſce temporibus reſtituta eſt publica Iuris Ciuilis Profeſſio in Bononienſi Academia, primuſque publicè diſciplinam illam exponere cœpit Irnerius ſeu Wernerus: nam ante hoc tempus, inquit Sigonius, Italici alii Longobardicâ, alii Salica, alii Romana lege vtebantur: in poſterum verò regnante Lothario omnes vni iuri, vni legi nempe Romanæ, reliquis abrogatis, obtemperarunt Iuſque Ciuile publicis Italiæ in Gymnaſiis maiori celebrari ſtudio & diligentiori opera coli cœptum. Primus ergo Bononiæ Irnerius, teſte Odofredo, publicè legit, primuſque Gloſſas in illud ſcripſit; idque etiam tradit Abbas Vſpergenſis, nimirum regnante Lothario Irnerium ad Pandectas interpretandas acceſſiſſe.

His ſuccenturiatur Nicolaus Ciſnerus in Orat. de veteribus Iureconſultis, ea de re ſic ſcribens.

„ Poſt Iuſtinianum Exterarum Gentium copiis cum in alias Imperii occidenta-
„ lis Prouincias influentibus, tum in Italiam ſe inferentibus ibique domicilium ac
„ ſedem Principatus ſui collocantibus, iure illo Iuſtinianæo pleriſque in locis an-
„ tiquato & obſoleto alia iura ab illis nationibus, quæ rerum in Italia potiebantur,
„ inducta eſſent, à Lothario demum III. oblatis ſibi ex præda direptæ vrbis Mel-
„ phitanæ Pandectis ſancitum eſt, vt ex vno illo iure reliquis legibus abrogatis in
„ Italia Iudicia fierent iuſque diceretur. Itaque cum poſt aliquot ſecula tandem
„ pleriſque tribunalibus reſtitutum & ſcholis redditum fuerit, mirandum eſt Ir-
„ nerium, Germanis Wernerum dictum, qui primus regnante Lothario Pande-
„ ctas in publico Bononiæ Gymnaſio interpretari cœpit, eiuſdemque ætatis alios
„ qui certatim ipſius inſtitutum ſunt æmulati præſcriptum Iuſtiniani tam accuratè
„ obſeruaſſe. Nam potiſſimum in Summis gloſſiſque ſcribendis elaborarunt: qua-

rum illæ loco Paratitlorum, hæ autem κατὰ πόδας expoſitionis ſunt. In his re- «
fero Hugolinum, Bulgarum, Martinum, Ioannem Pileum, Rogerium, Alde- «
ricum, Azonem atque alios eiuſdem ætatis viros bonos & in iuris doctrina etu- «
ditos, qui Lothario, Conrado III. Friderico I. eiuſque filiis Henrico & Philip- «
po imperantibus floruerunt. «

At id alij referunt ad initia huius ſeculi, Irnerio quidem aſcribentes operam in ea re collocatam, at pluribus annis ante Lotharium, Mathilde Heroïna iubente id ſuſceptum. qua de re ſic ſcribit Auentinus. *Vvernherus Iuriſconſultus rogante atque iubente hac Mathilda Vvelphonis II. Ducis Boiorum vxore leges Rom. populi à Iuſtiniano Imperatore inuulgatas hactenuſque neglectas ſitu & carie obſoletas cum tineis & blattis depugnantes recognouit atque publicauit, continenti ſcriptura expoſitas, in libros capitaque diuiſit, ſententiam paucis ſummatim præſcripſit legendo, commentando, interpretando, eaſdem etiam cæteris notas fecit, parum adhuc diuulgatas diligentius retractauit.*

Ex eo tempore Schola Bononienſis frequentari cœpit, nullius aut exigui ante nominis: hinc Franci Anglique qui legum diſcendarum ſtudio tenebantur, illuc proficiſci cœperunt; vt & qui Medicinæ diſciplinam accuratè percipere volebant, ad Salernitanum ſtudium concurrebant vt ante docuimus, donec tandem Academia Pariſienſis vtriuſque Diſciplinæ exercitium Theologiæ Artiumque Liberalium. Studiis adiunxit.

Anno 1134. obiit venerabilis Norbertus Præmonſtratenſis Ordinis Inſtitutor, tum Magdeburgenſis Epiſcopus. Obiit quoque Gilbertus Vniuerſalis Londonienſis Epiſcopus, Anſelmi olim Laudunenſis Diſcipulus & inſignis in Academia Pariſienſi Philoſophiæ Profeſſor, Bernardo Clarevallenſi coniunctiſſimus: vt ex eius ad eum Epiſtola patet, quam ſupra retulimus. Hugo Gratianopolitanus ab Innocentio inter Cœlites relatus eſt: qua de re ſic ipſe ad Guigonem Carthuſiæ Priorem. 1134.

Innocentius Ep. S. S. D. Dilecto filio Guigoni Priori Carthuſienſi Sal. & Apoſt. Bened. *Diuinis reſpondentes beneficiis, cognita vitâ eius & auditis quæ per B. Hugonis merita fiunt, miraculis, ſupremæ maieſtatis clementiam collaudauimus, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium atq; aliorum qui nobiſcum aderant, communicato conſilio, ipſum inter ſanctos & Electos honorari præcipimus, & diem eius aſſumtionis cum gaudio ſolemniter celebrari. Quia igitur ipſius vita quam piè duxit in corpore, & miraculorum coruſcatio, quâ Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maximè dilectioni non extat incognita, authoritate B. Petri & noſtra tibi mandamus, quatenus ea quæ tibi ſuper hoc nota fuerint, diligenter deſcribendo, poſterorum memoriæ tradas, vt & Deus honoretur in ſancto & Clerus legens ac populus audiens gratias agant Domino, atque ipſius interceſſione peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro nobis Dilectos filios noſtros Carthuſienſes fratres per te in Domino ſalutamus & benedicimus. Datum Piſis 10. Kal. Maij.* Guigo iſte vitam B. Hugonis edidit & Innocentio Papæ dedicauit, quæ legitur apud Surium tom. 2.

Hiſce temporibus florebat adhuc ſchola Lugdunenſis, tanti olim Academia nominis, cœpitque in ea moueri quæſtio de Immaculata D. Virg. Conceptione quæ magnos in Eccleſia deinde, præſertim vero in Academia Pariſienſi tumultus excitauit. Ortum autem habuit eiuſmodi. Eccleſia Lugdunenſis Conceptionis immaculatæ feſtum propria authoritate inſtituit, non exſpectato aut non petito Eccleſiæ Rom. conſenſu, quia ſe ſcriptum aliquod Cœlitus delapſum accepiſſe dicebat, in quo D. virgo mandabat placere ſibi feſtum iſtud celebrari. Bernardus Clare-Vallenſis Abbas, quanquam erga D. Virginem pio animo affectiſſimus, Canonicos Lugdunenſes Epiſtola redarguit, auſos temerè nouitatem in Eccleſiam inducere. Illi rectè factum tuentur. Hinc contentio; ſtatimque Magiſtri cum Monachi, tum ſeculares alterutram partem ſuſtinere aggreſſi ſunt. Non erit igitur extra rem hîc apponere Bernardi Epiſtolam: ex qua intelligitur fundamentum longiſſimæ Diſputationis difficiliſque Quæſtionis, quæ diu hanc Academiam vexauit: dum illinc Fratres Prædicatores, hinc Noſtri Magiſtri ſeculares depugnarunt. Sic ergo ille. *Quæſtio de Conceptione Virg. M.*

Ad Canonicos Lugdunenſes de Conceptione S. Mariæ.

Inter Eccleſias Galliæ conſtat profecto Lugdunenſem hactenus præminuiſſe ſicut digni-

„ *tate ſedis, ſic honeſtis ſtudiis & laudabilibus inſtitutis. Vbi enim æquè viguit Diſciplinæ*
„ *Cenſura morum grauitas, maturitas conſiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis*
„ *inſigne? præſertim in Officiis Eccleſiaſticis haud facile vnquam ſerpentinis viſa eſt nouita-*
„ *tibus acquieſcere: nec ſe aliquando iuuenili paſſa eſt lenitate decolorari Eccleſia plena Iu-*
„ *dicij.* Vnde miramur ſatis, quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum
„ voluiſſe mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ri-
„ tus Eccleſiæ noſtræ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.
„ Nunquid Patribus doctiores aut deuotiores ſumus? periculosè præſumimus quid-
„ quid ipſorũ in talibus prudentia præteriit. Nec vero id tale eſt, quod niſi præter-
„ eundum fuerit, Patrum quiuerit omnino diligentiam præteriiſſe. *At valde hono-*
„ *randa* eſt, inquit, Mater Domini. Bene admones. Sed honor Reginæ Iudicium di-
„ ligit. Virgo Regia falſo non eget honore veris cumulata honorum titulis, infu-
„ lis dignitatum. Honora ſane integritatem carnis, vitæ ſanctitatem. Mirare fœcun-
„ ditatem in Virgine. Prolem venerare diuinam. Extolle neſcientem vel in conci-
„ piendo concupiſcentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Ange-
„ lis, deſideratam gentibus, Patriarchis Prophetiſque præcognitam, electam ex om-
„ nibus, probatam omnibus. Magnifica gratiæ Inuentricem, mediatricem ſalutis, re-
„ ſtauratricem ſeculorum. Exalta denique exaltatam ſuper Choros Angelorum ad
„ Cœleſtia Regna. Hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decanta-
„ re. Ego vero quod ab illa accepi, ſecurus & teneo & trado quod non ſcrupuloſus
„ fateor admiſerim. Accepi ſane ob Eccleſiam illum diem cum ſumma veneratione
„ colendum, quo aſſumpta de ſeculo nequam cœlis quoq; intulit celeberrimorum
„ feſta gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia & ab Ec-
„ cleſia indubitanter habere feſtiuum atque ſanctum firmiſſimè cum Eccleſia ſen-
„ tiens in vtero eam accepiſſe vt ſancta prodiret. Et de Hieremia ſiquidem lego,
„ quod priuſquã de ventre exiret, ſanctificatus ſit. Et de Ioanne Baptiſta non ſecus
„ ſentio, qui ex vtero Dominum in vtero ſenſerit. Videris etiam tu an & de ſancto
„ Dauid idipſum liceat opinari pro eo quod dicebat Deo. In te, ait, confirmatus
„ ſum ex vtero. De ventre Matris meæ tu es protector meus. Item, de ventre Ma-
„ tris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me. Et Hieremiæ quidem ſic dictum
„ eſt. Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſancti-
„ ficaui te.

„ Quàm pulchrè inter figurationem in vtero & parturitionem ex vtero Diuinum
„ diſtinxit oraculum, vt illam tantùm præcognitam, iſtam & ſanctitatis munere
„ præornatam oſtenderet, ne quis Prophetæ prærogatiuam de ſola præſcientia ſeu
„ prædeſtinatione putauerit æſtimandam. Eſto tamen vt hoc de Hieremia conce-
„ damus, quid reſpondebitur de Ioanne Baptiſta? quem Angelus prænunciauit
„ ſpiritu S. repletum iri adhuc in vtero Matris ſuæ? prorſus hoc ad prædeſtinatio-
„ nem præſcientiamve referri poſſe non arbitror. Verba nempe Angeli, ſicut ipſe
„ prædixit, completa abſq; dubio ſunt in tempore ſuo: & quem prælocutus eſt Spi-
„ ritus S. replendum, non eſt fas credere non repletum: idque loco & tempore quod
„ prædixit. Certiſſimè autem S. Spiritus, quem repleuit, ſanctificauit. Cæterum qua-
„ tenus aduerſus Originale peccatum hæc ipſa ſanctificatio valuerit, ſiue pro iſto,
„ ſiue pro illo Propheta, vel ſi quis alius ſimili præuentus gratia fuerit, non temere
„ dixerim. Sanctificeatos tamen non dubitauerim dicere quos Deus ſanctificauit, &
„ cũ eadẽ ſanctificatione prodiiſſe ex vtero, quam acceperunt in vtero: nec reatum
„ quẽ in conceptione traxerunt valuiſſe vllatenus horũ natali iam donatã præpedi-
„ re ſeu præcipere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu S. repletum manere
„ adhuc filium nihilominus iræ? & ſi mori in vtero contigiſſet cum hac plenitudine
„ ſpiritus pœnas luiturum damnationis? durum eſt. Minimè tamen auſim hinc quip-
„ piam in mea ſententia definire: ſed quidquid de hoc ſit merito Eccleſia, quæ cæ-
„ terorum non Natiuitatem ſed mortem ſanctorum indicat & prædicat pretioſam,
„ ſingulari quadam exceptione feſtis præfert gaudiis veneraturque illius natalem,
„ de quo nunciante Angelo ſingulariter legit. *Et multi in Natiuitate eius gaudebunt.*
„ Cur enim non ſit illius exitus ſanctus ac proinde feſtiuus ac lætus, qui potuit exul-
„ tare & in vtero? Quoditaque vel paucis Mortalibũ conſtat fuiſſe collatum, fas cer-
„ te non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emer-
„ ſit ad vitam. Fuit proculdubio & Mater Domini ante ſancta, quàm nata. Nec

fallitur

fallitur omnino S. Eccleſia ſanctum reputans ipſum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuerſæ terræ votiua celebritate ſuſcipiens. Ego puto, quod hæc copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtoditet immunem, quod nemini alteri in Natis quidem mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginem ſingularis priuilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortiſque pareret peremptorem, munus vitæ & iuſtitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus quoniam immenſa prodiens ex vtero ſanctitas ſanctum fecit illum. Quid ad hæc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquis, & Conceptus, qui honorandum præiuit partum: quoniam ſi ille non præiuiſſet, nec eſſet iſte honoratus.

Quid ſi alius propter eandem cauſam etiam vtrique parenti eius feſtos honores aſſerat deferendos? ſed de auis & proauis idipſum poſſet pro ſimili cauſa quilibet flagitare: & ſic tenderetur in infinitum & feſtorum non eſſet numerus. Patriæ eſt non exilij frequentia hæc gaudiorum, & numeroſitas feſtiuitatum Ciues decet non exules. *Sed profertur ſcriptum ſuperne* vt aiunt *reuelationis* Quaſi & quiuis non queat ſcriptum æquè producere, in quo Virgo videatur idipſum mandare & de parentibus ſuis, iuxta Domini mandatũ dicentis *Honora Patrem tuum & Matrem tuã*. Ipſe mihi facile perſuadeo ſcriptis talibus non moueri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa inuenitur fauere authoritas. Nam quid conſequentiæ habet, vt quoniam ſanctum præceſſit Natalem Conceptus, propterea reputetur & ipſe ſanctus? Nunquid quoniam præceſſit eum, fecit & ſanctum? quia ſi præceſſit vt eſſet, non tamen vt ſanctus eſſet. Vnde etenim illa ipſi ſanctitas, quam ſecuturo tranſmitteret? An non potius quia præceſſit abſque ſanctitate Conceptus, oportuit nimirum ſanctificari Conceptum, vt ſanctus ſequeretur iam partus? An forte mutuatus ſit ſanctitatem à poſteriori prior? Potius ſane illa quæ iam concepta facta eſt ſanctificatio ad ipſum qui ſequebatur, tranſire natalem, redire vero retrorſum ad Conceptum, qui præceſſerat iam, omnino non potuit.

Vnde ergo Conceptionis ſanctitas? an dicetur ſanctificatione præuenta, quatenus iam ſancta conciperetur, ac per hoc ſanctus fuerit Conceptus? quemadmodum ſanctificata iam in vtero dicitur, vt ſanctus conſequeretur & ortus? Sed non valuit ante ſancta eſſe quàm eſſe. Siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales ſanctitas ſe ipſi Conceptioni immiſcuit, vt ſimul & ſanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio Quomodo namque aut ſanctitas abſque ſpiritu ſanctificante, aut S. Spiritus ſocietas cum peccato fuit? aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit? niſi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam & non de viro conceptam fuiſſe. Sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum S. in eam, non cum ea veniſſe dicente Angelo, Spiritus S. ſuperueniet in te. Et ſi licet loqui quod Eccleſia ſentit, & verum ipſa ſentit, dico glorioſam de Spiritu S. concepiſſe, non autem & conceptam fuiſſe: dico peperiſſe Virginem, non tamen & partam à Virgine: alioquin **vbi erit prærogatiua Matris Domini, qua ſingulariter creditur exultare & munere prolis & integritate carnis, ſi tantundem dederis & Matri ipſius?** Non eſt hæc virginem honorare, ſed honori detrahere.

Si igitur ante Conceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quoniam non erat, ſed nec in ipſo quidem conceptu propter peccatum quod inerat, reſtat vt poſt Conceptum in vtero iã exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit Natiuitatem, non tamen & Conceptionem. Quamobrem & ſi quibus vel paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci, non tamen & concipi, vt vni ſanè ſeruaretur ſancti prærogatiua Conceptus, qui omnes ſanctificaret, ſoluſque abſque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque D. Ieſus Spiritu S. conceptus, quia ſolus & ante Conceptum ſanctus. Quo excepto de cætero vniuerſos reſpexit ex eodem natos, quod vnus humiliter de ſemetipſo ac veraciter confitetur. In Iniquitatibus, inquiens, conceptus ſum & in peccatis concepit me Mater mea.

Cum hæc ita ſe habeant, quænam iam erit feſtiuæ ratio Conceptionis? quo pacto, inquam aut ſanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu S. non eſt, ne di-

» eam, de peccato eſt, aut feſtus habebitur, qui minime ſanctus eſt? Libenter glo-
» riola hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa videtur induci
» ſanctitas; alioqui nulla ei ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta no-
» uitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis. Nam ſi ſic videbatur,
» conſulenda prius erat Apoſtolicæ ſedis authoritas, & nonita præcipitanter atque
» inconſulte paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum. Et ante quidem apud
» aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam parcens deuotioni, quæ de ſim-
» plici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud ſapientes, atque in famo-
» ſa nobilique Eccleſia, & cuius ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa,
» neſcio an ſine graui offenſa etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim. Quæ
» autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſer-
» tim Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera quæ eiuſ-
» modi ſunt, vniuerſa reſeruo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emen-
» dari.

Quid reſcripſerit Eccleſia Lugdunenſis, non habeo: at certum eſt hoc ſeculo valde incaluiſſe Theologorum animos, pro hac vel illa parte ſtantium, vt legitur in Epiſtolis Petri Cellenſis & Alani de Inſulis, qui Conceptionem immaculatam propugnarunt. At poſtquam Dominicani in Vniuerſitate Pariſienſi radices fixerunt, longè animoſior fuit ea de re concertatio; dum illi Bernardi opinionem tuendam ſuſceperunt, Academici Eccleſiæ Lugdunenſis Inſtitutum confirmarunt.

In Anglia quoque ſub M. Guill. de Corbolio ſeu Corboilo Priore olim Chichenſi & Diſcipulo M. Anſelmi, tum verò Archiepiſcopo Cantuarienſi feſta celebritas Conceptionis in ſynodo Londinenſi confirmata eſt, teſte Harpsfeldio.

1135. Anno 1135. die 1. Decemb. obiit in Normania Henricus I. Anglorum Rex, cum regnaſſet annis 35. & 3. menſibus. Corpus eius diu iacuit Rothomagi inſepultum: ibiq; viſcera eius, cerebrum & oculi humata ſunt: reliquum corpus cultellis inciſum & multo ſale reſperſum, ac ne fœtor obeſſet, reconditum eſt in coriis taurinis, vt ait Matheus Pariſienſis. Medicus autem qui magno pretio conductus caput eius ſecuri diffiderat, vt cerebrum extraheret, nimia vi fœtoris confectus interiit, pretio ſibi pacto malè gauiſus. Hic autem vltimus fuit ex multis, inquit Mathæus, quos Henricus occidit. Ad eius tamen laudem quidam Poëta illius temporis metricè ſic cecinit.

Rex Henricus obit, decus olim, nunc dolor orbis.
Numina flent Numen deperiiſſe ſuum.
Mercurius minor eloquio, vi mentis Apollo,
Iuppiter Imperio, Marſque vigore, gemit.
Ianus Cautela, minor Alcides probitate,
Conflictu Pallas, arte Minerua, gemit.
Anglia quæ cunis, quæ ſceptro Numinis huius
Ardua ſplenduerat, iam tenebroſa ruit.
Hæc cum Rege ſuo, Normania cum Duce marcet,
Nutriit hæc puerum, perdidit illa virum.

Libera vt tum fuerunt Populi Iudicia, ita varia fuerunt. Alij nempe, vt ait Ioannes Brompton, tribus eum ferebant virtutibus radiaſſe, ſapientia, eloquentia, belli fortuna: alij tribus vitiis ſuccubuiſſe victumque fuiſſe, cupiditate, crudelitate, voluptate. Eo autem defuncto antequam Corpus eius ſepulturæ traderetur, Regnum inuaſit Stephanus ex ſorore nepos, Boloniæ Comes, Comitis Bleſenſis filius & Theobaldi Comitis item Bleſenſis minor frater, & à Vvillielmo Cantuarienſi protinus diadema accepit die ipſo Sancti Stephani.

Ad hunc quoque annum referuntur plurimæ Scholarium Pariſienſium ad religioſam vitam conuerſiones, ſacris Bernardi Clare-Vallenſis concionibus, quas inſcholis habebat, inductorum. Nam cum plurima per eum miracula patrari cernerent, cum loquebatur, nemo erat qui interno quodam pietatis affectu non

moueretur. Sic ergo legitur in lib. 6. Introductionis ad opera B. Bernardi c. 13. cuius author ait ſe ea quæ refert, accepiſſe propriis auribus ab iis qui cum Bernardo familiariter conuerſati fuerant. Quadam præterea die cum vir Domini Bernardus cauſa exigente *Pariſios* adiiſſet, rogatu Clericorum ingreſſus eſt de more *Scholas* eorum, quibus oſtendens formam veræ Philoſophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu & ſubeunda pro Chriſto Domino voluntaria paupertate. Explicato vero ſermone cum nemo ex eis conuerteretur, triſtis egreſſus eſt eo quod præter ſolitum id ei accidiſſet, venienſque ad domum cuiuſdam Archidiaconi, qui eum ad hoſpitium ſuum traxerat, receſſit in Oratorium ibidem conſtitutum. Cumque cœpiſſet orare in ſpiritu vehementi, validiſſima compunctione totus in lachrymas reſolutus eſt, itaut gemitus & ſingultus quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto præfatus Archidiaconus à ſociis eius requirere cœpit, quænam eſſet cauſa tanti mœroris. Reſpondens autem vnus ex eis vir Religioſus quondam Abbas Fuſniaci, nomine Rainaldus, qui ſecretorum famuli Dei magis conſcius erat, & cuius etiam relatu id cognouimus, dixit ad eum: Homo iſte mirabilis totus igne charitatis accenſus, & totus in Deum abſorptus nil aliud in mundo deſiderat, niſi tantùmodo vt valeat errantes ad viam veritatis reducere & eorum animos Chriſto acquirere. Et quia modo verbum vitæ ſeminauit *in Scholis*, & de conuerſione Clericorum fructum verbi ſui non recepit, Deum ſibi putat iratum, cuius hodie in ſua prædicatione non ſenſit reſpectum. Hinc iſta procella gemituum, hinc effuſio lachrymarum. Proindeque hinc certiſſimè ſpero quod hodiernam ſterilitatem Chriſtianæ ſatisfactionis vbertas grandi fœnore compenſabit. Mane itaque facto cum *Scholas* repetiſſet Prædicator egregius, ad nutum Domini nauem cogitationis duxit in altum, & ſacræ ſcripturæ retia laxauit in capturam. Finito vero ſermone plurimi ex eiſdem Clericis per manum illius ſeſe Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo tanquam de marinis fluctibus extractos & vehiculis conductis impoſitos in ſaluatorium Claræ-Vallis transferre non diſtulit. In ſequentibus narrat idem Author die ſequenti tres adhuc Clericos ſeu Scholares captaſſe.

Similiter Gaufridus Monachus Clarevallenſis Bernardi peregrinationum Comes l. 4. c. 2. ſic de eiuſdem virtutibus ſcribit. Et quod addimus, huic ſimile fuit. Patrem ſanctum *fines Pariſiorum* aliquando peragrantem, vt ad ipſam diuerteret Ciuitatem, Epiſcopus Stephanus & cæteri omnes qui pariter adierant, obnixè rogantes non poterant obtinere, magno ſiquidem zelo, niſi cauſa grauis vrgeret, Conuentus publicos declinabat. Cumque veſpere iter ſuum aliàs ordinaſſet, manè vbi primum locutus eſt fratribus, dicere iubet Epiſcopo, quia mane ibimus Parilios vt rogaſti. Conueniente igitur *Clero admodum copioſo*, ſicut ſemper ab eo ſolebant expetere verbum Dei, continuò tres ex illis compuncti ſunt & conuerſi ab inanibus ſtudiis ad veræ ſapientiæ cultum, abrenunciantes ſeculo & Dei famulo adhærentes. Quorum ille primum intuens cum ſubitò inter loquendum fugeret peteretque veſtigia eius, inclinauit ſe modicè & fratri cuidam propius aſſidenti in ore locutus eſt dicens: Iſtum ego ſicut nunc video venientem, nocturna viſione præuidi, propter quem etiam nos Dominus adduxit. Qui nimirum Nouicius in multa poſtmodum puritate & deuotione conuerſatus, plurimumque acceptus Deo & hominibus in Clara-Valle poſt annos aliquot beato fine quieuit.

Robertus quoque de Monte in ſupplemento Sigeberti de Conuerſionibus eiuſmodi verba faciens, ſic habet ad an. 1139. *Inter hos etiam alios multos tunc claros ſcientiâ viros Bernardus Abbas Clarevallenſis vir opinatiſſimæ Religionis eminentiſſimè clarebat, qui multorum miraculorum Patrator & verbi Dei feruentiſſimus prædicator atque plurimorum Monaſteriorum fundator, animarum lucra maxima Deo adhibebat, adeo vt* Magiſtri Scholarum cum magno Clericorum comitatu *etiam de longinquis Regionibus ad eius optabile Magiſterium confluentes centenario vel ampliori Nouiciorum numero Domum probationis implerent, & vno die Quadraginta Monachi fierent.*

Extant plurimi eius ſermones de Conuerſione ad Clericos. Extant & quædam Epiſtolæ ad Magiſtros Pariſienſes, quos ad Religioſam vitam è ſcholis traducere conabatur, præſertim ad M. Gualterum de Caluo-monte, ad M. Guillelmum, ad Henricum de Murdach Angligenam, quas hoc loco inſerere non erit inutile. Sic ergo ait ille Ep. 104. ad M. Gualterum de Caluomonte.

„ Sæpe meum amicum dulciſſima ſubeunte memoriâ doleo ſuper te, Gualtere
„ Chariſſime, cogitans nimirum illud tuæ iuuentutis decus & ingenij acumen,
„ ſcientiæ & eruditionis ornatum, quodque his omnibus excellentius eſt in Chri-
„ ſtiano, tuos illos mores ingenuos quàm inanibus ſtudiis atteras, dum de tantis
„ muneribus non authori Chriſto, ſed rebus deſeruias tranſitoriis. O ſi quod auertat
„ Deus, mors inopinata ſubripiens iſta cõcuſſerit: heu ſubito cũcta velut ad impul-
„ ſum vrentis & furentis venti tanquam fœnum velociter *areſcent, & quemadmodum*
„ *olera herbarum citò decident.* Quid ergo tecum tolles de omni labore tuo quem
„ operatus fueris ſuper terram? quid retribues Domino pro omnibus quæ tribuit
„ tibi? quid inquam lucri pro tot tibi creditis talentis referes creditori? O ſi va-
„ cuam manum inuenerit ille, ille donorum promptus quidem auctor, ſed impor-
„ tunus exactor! veniet enim, veniet & non tardabit ad requirendum vtique quod
„ ſuum eſt cum vſura. Suum nempe aſſerit omne, quod te in tua patria pompoſis
„ ſed periculoſis fauoribus nobilitare videtur. Genus clarum, corpus aptum, forma
„ elegans, ingenium velox, eruditionis vtilitas & honeſtas morum glorioſa quidem
„ ſunt, ſed ei à quo ſunt: ſi tibi vſurpas, eſt qui quærat & iudicet. Eſto tamen li-
„ ceat tibi hæc interim adſcribere nomini tuo & gloriari in laude tua & vocari ab
„ hominibus Rabbi, & facere tibi nomen grande duntaxat ſuper terram, quid tibi
„ poſt mortem his omnibus niſi fortaſſe memoria relinquetur, & hoc quoque ſo-
„ lummodo ſuper terram? Scriptum quippe eſt *dormierunt ſomnum ſuum & nihil in-*
„ *uenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Quod ſi hic eſt finis omnium labo-
„ rum tuorum, vt pace tua dixerim, quid habes amplius iumento? &c.

Similiter M. Henricum Murdach virum quoque eximiæ litteraturæ & magnæ famæ horratur ad idem vitæ genus amplectendum, cuius Diſcipuli nonnulli iam ſe contulerant ad Claram-Vallem, hominemque tandem emouit vt ſcholas deſereret. Sic ergo ad illum Ep. 106.

„ Dilecto ſuo Henrico Murdach Bernardus Abbas dictus de Clara-Valle ſalutem
„ & non in via. Quid mirũ ſi inter proſpera fluctuas & aduerſa, qui necdũ ſtatuiſti
„ ſupra Petram pedes tuos? At ſi iures & ſtatuas cuſtodire iudicia iuſtitiæ Domini,
„ quid horũ te poterit ſeparare à charitate Chriſti? ô ſi ſcires & quid dicam! Oculus,
„ Deus, non vidit abſq; te quæ præparaſti diligentibus te. Sed tu frater, qui vt audiui
„ Prophetas legis, putas intelligis quæ legis? Nam ſi intelligis, ſentis vtique ſenſum
„ Propheticæ lectionis eſſe Chriſtũ. Quem videlicet ſi apprehendere cupis, potius
„ illum ſequendo quam legendo conſequi potes. Quid quæris verbum in verbo,
„ quod iam Caro factum præſto eſt oculis? Iam de latibulo Prophetarum egreſſus
„ eſt ad oculos Piſcatorum, iam de monte vmbroſo & condenſo tanquam ſponſus
„ de thalamo ſuo proſiluit in campum Euangelij. Iam qui habet aures audiendi,
„ audiat illum clamantem in templo. Qui ſitit, veniat ad me & bibat. Et *venite ad*
„ *me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos.* Tu ergo times deficere, vbi
„ ſe veritas reficere te promittit? certè ſi tantum te delectat tenebroſa aqua de nu-
„ bibus aëris, quanto iucundius haurias de ſereniſſimis fontibus Saluatoris? O ſi
„ ſenex paululum quid de adipe frumenti vnde ſatiatur Hieruſalem, deguſtares,
„ quàm libenter ſuas cruſtas rodendas litteratoribus Iudæis relinqueres! O ſi
„ vnquam in ſchola pietatis ſub Magiſtro Ieſu merear te habere ſodalem!.. Exper-
„ to crede, aliquid amplius inuenies in ſiluis quàm in libris. Ligna & lapides doce-
„ bunt te quod à Magiſtris audire non poſſis. *An non putas poſſe te ſugere mel de Petra*
„ *oleumque de ſaxo duriſſimo?*

Huiuſce Henrici duo Diſcipuli willielmus & Iuo præceſſerant, vitamque Monaſticam amplexi fuerant. Et illi eadem Epiſtola Magiſtrum rogant, ne dedignetur ſequi Diſcipulos. *Oramus Deum, vt vobis quo nos præiſſe debueratis, tribuat vel ſequi: quatenus & in hoc tantæ humilitatis Magiſtrum teneamus, cum videlicet non deſpexeritis Magiſter ſequi Diſcipulos.* Tandem ille ſequutus eſt, & poſtmodum Abbas Vallis-Claræ factus: inde ad Abbatiam de Fontibus poſt mortem Richardi tranſlatus, tandemque ad Archiepiſcopatum Eboracenſem promotus. Similiter M. Vvillielmum qui deinde Abbas fuit S. Theodorici conuertit, & Gaufridum de Perona Scholaſticum, Thomam de Beuerla & alios innumeros. Neque ſolum Scholaſticos, ſed & complures quoque Magiſtros, vt ait Bernardus Bonæ-Vallenſis in præfatione ad eius vitam. *Quot in Monaſterium eius litteratos viros, quot*

Philoſophos ſeculi huius Scholæ miſerunt ad conuerſationem Theoricam & mores Diuinos? quæ nonibi floruit diſciplina, vbi erant examina Magiſtrorum & egregij viri exercitato intellectu inſignes, qui diuinis ſtudiis inhærentes multis gratiarum authoramentis inuicem ſe ipſos edocent & accendunt?

Eodem anno Guillelmus Pictauorum & Aquitanorum Comes ſchiſmatis, quod male fouerat, pœnitens, vt ſe morti propinquum ſentit, filiam ſuam Eleonoram Ludouico Regis filio deſpondet, eique totam ditionem ſuam iuxta leges & conſuetudinem coniugij addicit & mancipat. Ludouicus autem, vt legitur in Chronico Mauriniacenſi, *Iuuenis erat corporis elegantia clarus, morum honeſtate & religione magnificè præditus, ſenſûs & ſapientiæ viuacitate acutus. Hunc vt ita dicam ſapiens ille artifex inter alios coætaneos ſuos quaſi fleſculum redolentiorem protulerat, qui futuri valoris in ipſa prima ætatis teneritudine iam manifeſtè indolem præferebat.*

Iuris Canonici Prófeſſio.

Ad eundem annum refert Auentinus lib. 6 Compilationem Decreti ſeu Iuris Pontificij per Gratianum Monachum Bononienſem; qui cum videret ius Ciuile in meliorem ſtatum formamque redactum operâ Vverneri Iureconſulti & iuſſu Lotharij, Scholaſque Iuris iam maximè frequentari, animum quoque adiecit Iuris Canonici compilationi, ſeu potius, vt aliqui dicunt, dilaniationi & confuſioni. Et ſic ea de re loquitur Auentinus ad annum prædictum. *Sub idem tempus Gratianus ille ius Pontificale dilaniauit atque confudit. Etenim vti eſt in noſtris Bibliothecis ſincerum, duas continet partes. Prima, acta ſunt vniuerſorum Conciliorum, quæ quidem recepta eſſe conſtat. Altera, Conſtitutiones, Epiſtolas, Reſcripta maximorum Pontificum complectitur, vt quæque geſta fuêre. Cauſſæ, adſeſſores, teſtes adductis locorum temporumque monumentis commemorantur.* Compilatio autem iſta (quam ipſe Gratianus Concordantiam diſcrepantium Canonum inſcripſit, communiter verò Gratiani Decretum) ab Eugenio III. approbata eſt, & in ſcholis prælegi iuſſa. Vt nos alibi docebimus.

Eodem anno Guillelmus Abbas S. Theodorici relictâ Abbatiâ fit Monachus Signiaci Ordinis Ciſterc. in agro Remenſi ſub Abbate Bernardo Igniacenſi: Ille Guillelmus tam intimus & ſpecialis erat Bernardi Claræ-Vallenſis amicus, vt eorum eſſe diceretur cor vnum & anima vna.

Anno 1136. M. Albericus Remenſis, celeberrimus ille Scholarum Magiſter, quem in Epiſcopum Catalaunenſem electum fuiſſe ſupra diximus, ſed ab Honorio II. minimè confirmatum, ad Bituricenſem Archiepiſcopatum (defuncto Vvlgrino 6. idus Ian.) promouetur. Meminit Alberici Chronicon Senonenſe, & Richardus Cluniacenſis ad an. 1137. his verbis. *Circa tempora Ludouici Regis floruit Giſlebertus cognomento Vniuerſalis natione Brito, in Philoſophia clarus, poſtea Epiſcopus* (nempe Londonienſis poſt Richardum, vt ad an. 1127. retulimus) *poſtquam Remis Ciuitate ſurrexit Albericus non illo fama minor, qui promotus in Archiepiſcopum modico duranit ſpatio.* Quanti eum faceret Bernardus Clareuallenſis, liquet ex Ep. 13. ad Honorium Papam. *Nouimus*, inquit, *hominem ſanæ fidei & doctrinæ hactenus extitiſſe: in diuinis pariter & humanis prudentem eſſe, & ſperamus in Domo Dei, ſi tamen ipſe elegit eum, fore vas in honorem, & vtilem futurum non ſolum illi ſed & omni Gallicanæ Eccleſiæ.* 1136.

Hunc quoque inter primarios Eccleſiæ Gallicanæ viros commemorat Vincentius Beluacenſis in Speculo Hiſtoriali. lib. 28. c. 16. *Florebat*, inquit, *hoc tempore Eccleſia Gallicana per viros religione ac ſapientia illuſtres, Milonem Morinenſem Epiſcopum, humilitatis virtute præcipuum, Aluiſum Atrebatenſem liberalitate atque conſilio & facundia clarum, Godefridum Lingonenſem, Hugonem Antiſiodorenſem, Ioſlenum Sueſſionenſem, Goffridum Carnotenſem, Albericum Bituricenſem Archiepiſcopum ſcientia litterarum atque conſilij prudentia clariſſimum. Inter hos & alios multos tunc claros ſcientia viros ſanctus Bernardus Abbas Clareuallenſis, vir opinatiſſimæ religionis, eminentiſſimè clarebat. Florebat & M. Richardus de S. Victore Pariſienſis Canonicus Regularis & multi alij viri inſignes. Cæterum illis temporibus erat pulchra & decora facies Eccleſiæ diuerſorum Ordinum ac profeſſionum circundata varietate, dum hinc Præmonſtratenſes, hinc & Cluniacenſes Monachi, tum etiam diuerſi habitus & Profeſſionis Sanctimoniales & mulieres Deo deuotæ & continentia atque paupertate ſub obedientiæ iugo regulariter viuentes feruore Religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuerſis in locis Monaſteria fundarent. Cum his etiam Monachi Carthuſienſes*

& ipſi paulatim pullulabant. Sed & Præſules Eccleſiarum ac Principes ſeculi promptiſſimè annuebant, vel etiam ſponte offerebant priuilegia, donationes, terras, prata, nemora & cætera quæ monaſteriis ædificandis neceſſaria forent.

Complures alios commemorat Ioannes Sariſberienſis variis in locis ſui Metalogici, quorum ipſe nonnullos vel audierat, vel docentes viderat, vel in docendi munere præcelluiſſe acceperat: quales ſunt, Teuredus, Robertus Melidunenſis Philoſophiæ Profeſſor, ſic dictus quod Meliduni diu docuiſſet; Richardus cognomento Epiſcopus, *Homo*, vt ait, *nullius fere diſciplinæ expers*; Hardewinus Teutonicus, M. Adam Angligena acutiſſimi vir ingenij, Willielmus Sueſſionenſis Dialectices Profeſſor, Gilbertus Porretanus, poſtea Epiſcopus, quem ait ſe in Logicis & Diuinis audiuiſſe; Robertus Pullus, Simon Piſciacenſis, quem vocat fidum Lectorem, ſed obtuſum diſputatorem, ſub quo Theologiæ nauauit operam. Gualterus de Mauritania, M. Theodoricus à quo Rhetoricæ præcepta accepit; Petrus Helyas Rhetor quoque celeberrimus, ad quem extat Arnulphi Lexouienſis Ep. 10. quâ ſcilicet ei commendat Scholaſticum quendam fugitiuum, forte nepotem ſuum, rogatque vt eum denuo ſuo contubernio admittat, à ſe quippe & à Patre & fratribus probè caſtigatum. *Si ab adoleſcente noſtro*, inquit, *laudabilis indoles & ſperata induſtria defecit, certus ſum à Magiſtro nec doctrinam nec diligentiam defeciſſe, debueram vobis ſi ſe tractabilem præſtitiſſet, ſed pluris me conſtituit fluxa eius & repugnans inſolentia debitorem. Quantò enim in eo proſecutio veſtra minus inuenit obſequij, tantò plus laboris impendi, plus moleſtiarum oportuit ſuſtineri. Eſt igitur voluntas noſtra, quod redeat, vt tam à nobis quàm à Patre fratribuſque correptus poſſit ad vos aliquando mutata in melius voluntate reuerti.*

Sed de Profeſſoribus huius ætatis, quâ quiſque in Arte excelluerit, quamque in docendo methodum habuerit, iuuat audire Ioannem Sareſberienſem, qui hoc anno ad ſcholas Pariſienſes ex Anglia profectus, in iis duodecim annos fere continuos, ſeu ſtudendo ſeu docendo conſumpſit. Sic ergo ſcribit lib. 2. Metalog. c. 10. *Cum primum adoleſcens admodum ſtudiorum causâ migraſſem in Gallias, anno altero poſtquam illuſtris Rex Henricus Leo iuſtitiæ rebus exceſſit humanis, contuli me ad Peripateticum Palatinum, qui tunc in Monte S. Genouefæ clarus Doctor & admirabilis omnibus præſidebat.* Ibi ad pedes eius prima artis eius rudimenta „ accepi & pro modulo ingenioli mei, quidquid excidebat ab ore eius, tota men„ tis auiditate excipiebam. Deinde poſt diſceſſum eius, qui mihi perproperus „ viſus eſt, adhæſi M. Alberico qui inter cæteros opinatiſſimus Dialecticus eni„ tebat, vt erat reuera Nominalis ſectæ acerrimus impugnator. Sic ferme toto „ biennio conuerſatus in Monte Artis huius Præceptoribus vſus ſum Alberico & „ M. Roberto Melidunenſi, vt cognomine deſignetur quod meruit in ſcholarum „ regimine (natione ſiquidem Angligena eſt) quorum alter ad omnia ſcru„ puloſus locum quæſtionis inueniebat vbique, vt quamuis polita planities, „ offendiculo non careret, & vt aiunt, ſcirpus ei non eſſet enodis. Nam & „ ibi monſtrabat quid oporteret enodari. Alter autem ad reſponſionem prom„ ptiſſimus ſubterfugij cauſa propoſitum nunquam declinauit articulum, „ **quin alteram contradictionis partem eligeret, aut determinatâ multiplici**„ tate ſermonis doceret vnam non eſſe reſponſionem. Ille ergo in Quæſtioni„ bus ſubtilis & multus: iſte in reſponſionibus perſpicax, breuis & commodus. „ Quæ duo, pariter eis, ſi alicui omnium contigiſſent, parem vtique Diſputato„ rem noſtrâ ætate non eſſet inuenire. Ambo enim acuti erant ingenij & ſtudij „ peruicacis, & vt reor, magni præclarique viri in Phyſicis ſtudiis enituiſſent, ſi „ de magno litterarum niterentur fundamento, & ſi tantum inſtitiſſent veſtigiis „ maiorum, quantum ſuis applaudebant inuentis. Hæc pro tempore quo illis ad„ hæſi. Nam poſtea vnus eorum profectus Bononiam dedidicit quod docuerat, „ ſiquidem & reuerſus dedocuit. An melius, iudicent qui eum ante & poſtea au„ dierunt. Porro alter in diuinis proficiens litteris, etiam eminentioris Philoſo„ phiæ & celebrioris nominis aſſecutus eſt gloriam. Apud hos toto biennio ſic „ locis aſſignandis aſſueui & regulis & aliis Rudimentorum elementis, quibus „ pueriles animi imbuuntur, & in quibus præfati Doctores potentiſſimi erant & „ expeditiſſimi, vt hæc omnia mihi viderer noſſe. *Tanquam vngues digitoſque meos.*

Hoc enim planè didiceram vt iuuenili leuitate pluris facerem ſcientiam eam, quàm eſſet. Videbar mihi ſciolus, eo quod in iis quæ audieram, promptus eram.

Deinde reuerſus in me & metiens vires meas, bonâ Præceptorum meorum gratiâ conſultò me ad *Guillelmum de Conchis* tranſtuli, ipſumque triennio docentem audiui. Interim legi plura, nec me vnquam pœnitebit tẽporis eius. Poſtmodo vero *Richardum* cognomento *Epiſcopum*, hominem verè nullius expertem diſciplinæ & qui plus pectoris habet quàm oris, plus ſcientiæ quàm facundiæ, veritatis quàm vanitatis, virtutis quàm oſtentationis, ſecutus ſum & quæ ab aliis audieram, ab eo cuncta relegi & inaudita quædam ad Quadriuium pertinentia, in quo aliquatenus *Teutonicum præaudieram Hardewinum*, didici. Relegi quoque Rhetoricam, quam prius cum quibuſdam aliis à M. Theoderico tenuiter auditam paululum intelligebam: ſed eam poſtea *à Petro Helia* plenius accepi.

Et quia nobilium liberos qui mihi amicorum & cognatorum auxilio deſtituto paupertatis meæ ſolatiante Deo alimenta præſtabant, inſtruendos ſuſceperam, ex neceſſitate Officij & inſtantia Iuuenum vrgebar quod audieram, ad memoriam crebro reuocare. Vnde ad *M. Adam* acutiſſimi virum ingenij, & quidquid alij ſentiant, multarum litterarum, qui Ariſtoteli præ cæteris incumbebat, familiaritatem contraxi vlteriorem, vt licet eum *Doctorem* non habuerim, mihi ſua benignè cõmunicaret, & ſe quod aut nulli faciebat aut paucis alienis, mihi patentius exponebat; putabatur enim inuidia laborare.

Interim apud *Willielmũ Sueſſionenſem* qui ad expugnandã, vt aiunt ſui, Logicæ vetuſtatem & conſequentias inopinabiles aſtruendas, & antiquorum ſententias deducendas machinã poſtmodũ fecit, prima' Logices docui elementa & tandem iam dicto Præceptori appoſui. Ibi forte didici idem eſſe ex contradictione cum Ariſtoteles obloquatur, quia idem cum ſit & non ſit, non neceſſe idem eſſe & non eſſe. Nihil enim ex contradictione euenit, & contradictionem impoſſibile eſt in aliquo euitare. Vnde nec animi machinâ impellente vrgeri potui, vt credam ex vno impoſſibili omnia impoſſibilia prouenire.

Extraxerunt me hinc rei familiaris anguſtiæ, ſociorum petitio & conſilium Amicorum, vt officium docentis aggrederer. Parui. Reuerſus itaque in fine triennij reperi *M. Gilbertum* ipſumque audiui in Logicis & Diuinis, ſed nimis citò ſubſtractus eſt. Succeſſit *Robertus Pullus*, quem vita pariter & ſcientia commendabant. Deinde me excepit *Simon Pexiacenſis* ſidus Lector, ſed obtuſior diſputator. Sed hos duos ſolis in Theologicis habui Præceptores. Sic mihi duodecennium fere elapſum eſt diuerſis ſtudiis occupato. Iucundum itaque viſum eſt veteres quos reliqueram & quos adhuc Dialectica detinebat in Monte, reuiſere ſocios, conferre cum iis ſuper ambiguitatibus priſtinis, vt noſtrum inuicem ex collatione mutua commetiremur profectum. Inuenti ſunt qui fuerant & vbi: nec enim ad palmã niſi ſunt proceſſiſſe ad quæſtiones priſtinas dirimendas, neq; propoſitiunculam vnam abiecerant. Quibus vrgebant ſtimulis, eiſdem & ipſi vrgebantur. Profecerant in vno tantùm. Didicerant modum, modeſtiam neſciebant. Adeo quidem vt de reparatione eorum poſſet deſperari. Expertus itaque ſum, quod liquido colligi poteſt, quia *ſicut Dialectica alias expedit Diſciplinas, ſic ſi ſola fuerit, iacet exanguis & ſterilis, nec ad fructum Philoſophiæ fœcundat animam, ſi aliunde non concepit.*

Hæc Sareſberienſis de Illuſtribus viris huius temporis, quos ſcilicet aut Magiſtros habuit, aut docentes vidit ab anno 1136. ad annum vſque circiter 1148. In aliis verò plurimis ſui Metalogici locis exponit quæ fuerit eorum Diſciplina, quæ Methodus tradendarum Artium; quamque peruerſa inualuiſſet conſuetudo ad vnam Logicam conuolandi neglectis Grammatices & Rhetorices præceptis. Cuius praui inſtituti Cornificium quendam facit authorem, cuius hæc erat ſententia, non ſtudendum eſſe præceptis eloquentiæ, *quoniam eam cunctis natura miniſtrat, aut negat. Si vltro miniſtrat aut ſponte, opera ſuperfluit & diligentia. Si vero negat, inefficax eſt & inanis.* Diximus ad calcem primi voluminis huius hiſtoriæ de Cornificio eiuſque ſectatoribus: quos inſectatur totis libris quinque Metalogici, imprimis vero Cornificium illum ait fuiſſe hominem nullatenus facundum, ſed verboſum & ſine fructu ſen-

ſuum verborum folia in ventum continuo perferre ſolitum, Diſcipulos ſuos vana quadam & ridiculâ iactatione deludere, promittereque ſe ſine artis opera facturum eos eloquentes, & tramite compendioſo, ſine vllo labore Philoſophos. Qui tamen, ſi quid in Diſputationibus aduerſus mentem ſuam & ſententiam quam fabricarat, obiiceretur, reſpondere dedignabatur, aiens ſuas margaritas porcis alienis non eſſe communes, illas nempe felicibus audiendas & Iouis auribus reſeruare. Nouam itaque ille methodum tramitemque docendi iniuerat imitatus Nominales, contendebatque ſe neſcio quibus compendioſis regulis Philoſophiæ beneficio cæteras artes nullo negotio ſuis Diſcipulis impreſſurum. De illo igitur & de ſimilibus Nouatoribus ac Compendiariis hominibus ſic ait l. 1. c. 3. *Sed quid docebant noui Doctores*, inquit, *qui plus ſomniorum quam vigiliarum in Scrutinio Philoſophiæ conſumpſerunt, & facilius inſtituti quam illi iuxta narrationes fabuloſas, qui ſomniantes in Parnaſſo repente vates progrediebantur, aut citius quam ij qui in Caſtalio fonte Muſarum mutus hauriebant Poëticum, aut quã illi qui viſo Phœbo Muſarum, nedum Muſicorum meruerant adſcribi conſortio. Nunquid rude aliquid & incultum? nunquid aliquid vetuſtum & obſoletum? Ecce noua fiebant omnia, innouabatur Grammatica, immutabatur Dialectica, contemnebatur Rhetorica, & nouas totius Quadriuij vias euacuatis prioribus regulis de ipſis Philoſophiæ adytis proferebant.*

Denique oſtendit nullum vnquam eiuſmodi Nouatorum potuiſſe conſequi quod ſperabat, aut aliis fructum afferre quem promittebat; itaque multos ex iis & ex eorum Diſcipulis ſeriùs tandem animaduertentes ſe ſua ſpe & alienis promiſſis fruſtratos & deceptos, alios Monachorum aut Clericorum Clauſtra fuiſſe ingreſſos; alios ſuam in Philoſophia intuitos imperitiam, *Salernum* vel *Montempeſſulanum* profectos factoſque fuiſſe Clientulos Medicorum, & repente quales erant Philoſophi, tales momento Medicos erupiſſe. Alios denique plus frontis & pertinaciæ in fouendo tuendoque errore habentes, ad docendum ſimili modo parique via, quâ edocti fuerant, ſe contuliſſe; ſed minimo admodum ſucceſſu. Itaque illos, vt ſolent facere, quicunque ſe poſſe quod alij poſſident, contingere deſperant, quotidie calumnias aduerſus reliquos Profeſſores antiquæ Diſciplinæ tenaces & Artium Liberalium excultores, Diſcipulorum auribus & mentibus ingerere conſueuiſſe: impudenter quoque ſed in latebris, quia palam non audebant, offuſcare conatos ſæpe ſplendidiſſima Galliarum lumina Lauduni gloriam fratres Theologos, *Anſelmum & Radulphum, quorum nomen*, inquit, *in iocunditate erat, quos nemo laceranit impune, & qui ſolis diſplicuerunt Hæreticis, aut flagitiorum turpitudine obnoxiis.*

Cæteros verò palam & publicè lacerabant, Albericum Remenſem, Simonem Pariſienſem, (melius Piſciacenſem) quos afferebant non modo non Philoſophos eſſe, ſed nec Clericos quidem ſeu ſcholaſticos, imo vix hominum nomine dignos, ſed Boues Abrahæ vel aſinos Balaamitas: Guillielmum de Conchis etiam erroris conuinci ex propriis ſcriptis. Vix abſtinebant à M. Hugone de S. Victore, *& hoc quidem magis propter habitum Religionis, quam propter reuerentiam ſcientiæ aut Doctrinæ.* Denique Robertum Pullum qui de Doctore Scholaſtico à ſede Apoſtolica factus fuit Cancellarius, ab his hominibus vocabatur Filius ſubiugalis, cuius tamen memoria bonis omnibus iucunda erat.

Ita depingit Sareſberienſis Calumniatores & Nouatores illos, qui germanam Latinitatem in exilium amandauerant & barbariem in ſcholas inuexerant: vt ad ſuperius ſeculum retulimus.

Reparatores bonarũ Artium in Acad. Pariſ.

Tandem quo pacto & quorum virorum opera reparata fuerit eloquentia, bonæque artes reflоruerint, idem author aperit eodem lib. 1. c. 5. idque ſingulare & illuſtre beneficium tribuit quinque præſertim celeberrimis Profeſſoribus & Magiſtris Giſleberto Porretano, Theoderico, Bernardo Carnotenſi, Vvillielmo de Conchis & Peripatetico Palatino, quanquam obſtreperet Cornificius ille & tota eius familia ſeu Sectatorum turba, qui nitidè & terſè loqui parum curantes, Grammaticã, Rhetoricam & cæteras liberales ac præclaras artes contemnebant, neque tantorum virorum famam rodere abſtinebant. Sic ergo ille, poſtquam de M. Gilberto locutus eſt. *Sed & alij viri amatores litteratorum, vt pote M. Theodericus Artium ſtudioſiſſimus inueſtigator: itidem Vvillielmus de Conchis Grammaticus poſt Bernardum Carnotenſem opulentiſſimus, & Peripateticus Palatinus qui Logicæ opinionem præripuit*

præripuit omnibus coætaneis ſuis, adeo vt ſolus Ariſtotelis crederetur vſus colloquio, ſe omnes oppoſuerunt errori: ſed nec vniuerſi inſanientibus reſiſtere potuerunt. Inſipientes itaque facti ſunt, dum inſipientiæ reſiſtebant, & erronei diutius habiti, dum obuiare nitebantur errori. Veruntamen fumus ille citò euanuit, & prædictorum opera Magiſtrorum & diligentiâ redierunt Artes, & quaſi iure poſtliminij honorem priſtinum nactæ ſunt, & poſt exilium gratiam ampliorem.

Inuidit Cornificius & turpe reputans vt ſenex mitteretur ad ſcholas, & vt ſenſu puer appareret, ſenex ætate, culpare cœpit, quod ſe poſſe conſequi deſperabat. Sententias carpebat omnium, eo quod ei diſſimiliter vniuerſi ſentirent. Sic vulpes à deſperatione ceraſa culpat, & vt dici ſolet ruſticano prouerbio, quod negatur, ducit inutile. Inde ergo iræ, hinc lachrymæ, hinc indignatio quam aduerſus Diſcipulos memoratorum ſapientium concepit Cornificij domus. Vndique in eos exercet dentem, ſed in ſoliditate eorum frangit, vt dicitur, genuinum. Impudenter etiam, in latebris tamen, quia palam non licet, obfuſcare nititur *ſplendidiſſima Luminaria Galliarum, Lauduni Gloriam, Fratres Theologos Anſellum & Radulfum,* quorum memoria in iucunditate & benedictione eſt, quos nemo lacerauit impune, & qui ſolis diſplicuerunt Hæreticis, aut flagitiorum turpitudine obuolutis.

Nam de Alberico Remenſi & Simone Pariſienſi palam loquuntur & prouerbium nullum dicunt: & ſequaces eorum non modo Philoſophos negant, imo nec *Clericos* patiuntur, vix homines ſinunt eſſe, ſed boues Abrahæ vel aſinos Balaamitas duntaxat nominant, imo deridentur, aut ſi quid ſcommaticè magis aut Leodoricè in eos dici poteſt. *Guillelmus de Campellis erraſſe conuincitur* propriis ſcriptis. Vix parcitur M. Hugoni de S. Victore: Deo enim in ipſo deferunt, non perſonæ. Rodbertus Pullus, cuius memoria nobis omnibus iucunda, diceretur filius ſubiugalis niſi ſedi Apoſtolicæ deferretur, quæ ipſum de *Doctore Scholaſtice* Cancellarium fecit..... Vt autem licentius hæc familia illis derogaret, religionem extrinſecam induit Pater familias (de interna enim cognoſcet Dominus & iudicabit) & Ciſtercienſium, Cluniacenſium, Præmonſtratenſium aliorumque quorum fama hilarioreſt, familiaritatem captat, vt ab eorum authoritate poſſit eſſe inſignis.

Idem author cap. 9. proponit argumenta Cornificianorum, qui præceptis eloquentiæ ſtudendum eſſe negabant, quia cunctis, aiebant, eam natura miniſtrat aut negat. Si vltro miniſtrat, ſuperuacanea eſt opera & diligentia. Si negat, ineffi-cax & inanis. Præterea ratio Præceptorum quod pollicetur non efficit: & omnino fieri nequit vt aliquis eloquens ſit etiam diligentiſſimo ſtudio præceptorum. Sufficit enim, inquiebant, vſus verbi loquendique inter cohabitantes commercium & linguæ cuiuſque habet potiſſimam facultatem, qui officium eius crebro exercet. *Cornificianorum argumenta contra Eloquentiam.*

Addebant apud Græcos & Latinos hoc planum eſſe, item apud Gallos, Britones, Scythas, Arabas, imo vbique locorum verum eſſe quod vſus Magiſtrum reddit: laborem improbum omnia vincere & aſſiduitatem operis in quauis arte præſtantiſſimum efficere opificem. Adhæc inquiebant. *Etſi eloquentiæ præcepta proficerent, plus habent laboris, quam utilitatis, nec diſpendium operæ æquâ vnquam compenſabitur retributione mercedis. Græca plebs & Hebræa ſine præceptorum difficultate linguæ ſuæ compendio vtitur; & tam Galli quam Britones & aliæ itidem Gentes commercium verbi ante à Nutricum ſinu quàm à Cathedra Doctorum excipiunt. Nutricis linguam plerunque redolet ætas virilis, nec poteſt interdum ab eo quod ſenerior ætas ebiberat, Doctorum diligentia erudiri. Quam rectè loquuntur, quam expeditè ſingulæ Gentes in linguis quas eis Decreti Diuini conſtitutio aſſignauit? nunquid artem orationis exſpectant aut præcepta Eloquentiæ?*

Poſtremo dicebant. *Quid eſt Eloquentiæ cum Philoſophia?* altera enim conſiſtit in verbo, altera Sapientiæ vias affectat, inueſtigat & circuit, & interdum pro ſtudio efficaciter apprehendit. Planè eloquentiæ Præcepta Sapientiam non conferunt, ſed nec amorem eius, & ſæpiſſimè quidem ei obtinendæ non conferunt. Res enim Philoſophiæ aut finis eius quæ eſt ſapientia, quærit non verba: itaque ex iis liquere, quod præcepta Eloquentiæ ab operis ſuis Philoſophia eminet.

Sequentibus duobus Capitibus prædictas rationes confutat his verbis. *Corni-*

» *catur*, inquit Cap. 7. hæc Domus inſulſa ſuis tamen verbis,& quam conſtat totius
» eloquij contemptiſſe Præcepta. Sicut enim de ſe ipſa teſtatur, grauium temporum
» caſuumque non poteſt ſimul curare iuncturam, & conſtructioni ſenſuum operam
» dare. Eſto loquatur falſò, dum verum ſentiat, ſed planè non acquieſcet, quia homo
» ore mendax & ſpiritum falſum loquitur & falſum ſentit. Ait enim, ſuperflua ſunt
» præcepta Eloquentiæ, quoniam ea naturaliter adeſt aut abeſt. Quid inquã falſius?
» *Eſt enim eloquentia Facultas dicendi commodè quod ſibi vult animus expediri.* Quod
» enim in abſcondito cordis eſt, hoc quodammodo in lucem profert & producit in
» publicum. Siquidem non eſt eloquens quiſquis loquitur, quidquid voluerit, vt-
» cunque loquitur, ſed ille duntaxat qui animi ſui arbitrium commodè profert.
» Ipſaque commoditas exigit facultatem quæ à facilitate dicitur, vt ſequamur mo-
» res noſtros, quibus gratum eſt in ea parte Stoïcos imitari, qui ad verborum faci-
» liorem intelligentiam, rerum etiam originem ſtudioſius perſcrutantur. Ergo cui
» facilitas adeſt commodè exponendi verbo quidem quod ſentit, eloquens
» eſt. Et hoc faciendi Facultas rectiſſimè eloquentia nominatur. *Quo quid eſſe*
» *poſſit præſtantius ad vſum, compendioſius ad opes, fidelius ad gratiam, commodius ad glo-*
» *riam, non facile video.* Nihil enim dotem iſtam natura & gratia antecedit, aut
» rarum: ſiquidem cum virtus & ſapientia, quæ forte ſicut Victorino placet, verbis
» potius quàm ſententia differunt, in appetendis locis primum obtineant, ſecun-
» dum eloquentia ſibi vindicat, tertius autem cedit locus corporis bonis, eique ad
» materiam gerendorum, cohabitantium fauor & rerum copia quarto loco ſucce-
» dunt. Secutus eſt hunc ordinem Ethicus, votorumque ſeriem in ordine expeten-
» dorum eleganter expreſſit.

Quid vouеat dulci Nutricula maius alumno,
Quam ſapere & fari vt poſſit, quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingit abunde,
Et mundus victus non deficiente crumena?

» Si ergo verbi & rationis vſu aliorum animantium naturam humana dignitas
» antecedit, quid conducibilius ad omnia, quid ad claritatem conciliandam poten-
» tius, quàm in eo naturæ præuenire conſortes & generis, in quo ſolus homo cæ-
» teras vincit? *Hæc autem cum omnem ætatem doceat & exornet, clariorem efficit iuuentu-*
» *tem, eo quod ætas tenerior gratiæ quodammodo lenocinatur, vt ingenium vendicet. Qui*
» *ſunt enim qui florent inter Concives? qui ſunt qui opibus pollent? qui ſunt qui præualent*
» *viribus & in omnibus negotium obtinent, niſi eloquentes?* Nã vt Cicero eſt author, nihil
» eſt incredibile quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horrendum & incul-
» tum, quod non ſplendeſcat oratione & quodammodo manſueſcat, tanquam ſi
» excolatur. Qui ergo tanti boni contemptor eſt, manifeſtiſſimè deſipit. *Qui autem*
» diligit, imò diligere ſimulat, & non excolit, nimis negligens eſt & deſipientiæ pro-
» ximus.

Sequenti Cap. pluribus rationibus demonſtrat Naturam iuuandam eſſe vſu & exercitatione: & in cæteris huius lib. 1. Capitibus oſtendit non eſſe inutilem Grammaticam, contra Cornificianos, imo vtiliſſimam ad omnes artes liberales & ad omnes ſcientias acquirendas. Eſſe enim *totius Philoſophiæ cunabulum & totius Litteratorij ſtudij altricem primam*, quæ omnium naſcentium de ſinu Naturæ teneritudinem excipit, nutrit infantiam, cuiuſque gradus incrementa in Philoſophia prouehit & ſedulitate materna omnem Philoſophantis producit & cudit ætatem.

In 2. Metalogici libro contendit Logicam ſeu Dialecticam eſſe perutilem, eamque Philoſophantibus eſſe prælegendam; peruerſum autem & deprauatum illius tradendæ & docendæ modum arguit, quod nonnulli non decennium, aut vicennium, ſed totam vitam in tricis & nugis Dialecticis tradendis conſumerent, omneſque omnium authorum quicunque de Dialectica ſcripſiſſent, opiniones & dicta congererent. Præcipuam verò ſuo tempore contentionem inter Dialecticos ait fuiſſe de Vniuerſalibus, quorum plures refert opiniones. Nam aliqui, nempe Nominales in vocibus naturam Vniuerſalem reponebant: quam opinionem tribuit Roſcelino Compendienſi Canonico, de quo in ſuperiori ſeculo verba fecimus: quam tamen iam euanuiſſe ait. Alij in Sermonibus ſeu Conceptu; quâ in opinione ſcribit fuiſſe Abaëlardum. Alij reponebant in Iu-

tellectu ſeu mentis operatione, duoque tantum aſſerebant eſſe Vniuerſalia, *genus & ſpeciem*: & illi rurſum in varias ſectas abierunt. Quarum vnius Princeps fuit Gualterus de Mauritania. Alij Ideas Vniuerſales conſtituebant, vt Bernardus Carnotenſis inſignis Platonicus. Alij Vniuerſalitatem formis natiuis ſeu à parte rei attribuebant, vt Giſlebertus Porretanus, Epiſcopus Pictauienſis. Alij Vniuerſalitatem tribuebant rebus in vnum collectis, vt Gauſlenus Epiſcopus Sueſſionenſis. Denique ſubdit paucos fuiſſe eiuſdem ſententiæ : ſed vnumquemque in eo videri voluiſſe doctum hominem, ſi quid præceptoris ſententiæ adderet.

Quam difficile verò fuerit ex agro Academico ſtirpem illam vitioſam euellere, docet idem Sareſberienſis ex iis quæ ſuo tempore fiebant. Nam licet M. Bernardus Carnotenſis antiquum & probatiſſimum docendi modum in ſcholas reſtituere voluiſſet, idemque nonnulli alij facere tentaſſent, obruti tamen maiore contra ſentientium & contra facientium numero, qui nempe non modò Triuii & ſed & totius Quadriuii contemptores erant, vnique Logicæ inſiſtendum putabant, à præclaro inſtituto deſiſtere coacti ſunt. Contra eos ſic agit Sareſberienſis l. 2. Metal. c. 7. aiens dedoceri eos oportuiſſe, vt aliquid ſcirent.

Non tamen, inquit, vt in Logicam inuehar, hæc propono, *Scientia enim iucunda eſt & fructuoſa*, ſed vt illis eam liqueat non adeſſe, qui clamant in Compitis & in Triuiis docent, & in ea quam ſolam profitentur, non decennium aut viceunium ſed totam ætatem conſumpſerunt. Nam & cum ſenectus ingruit, corpus eneruat, ſenſuum retundit acumina & præcedentes comprimit voluptates, ſola hæc in ore voluitur, verſatur in manibus & aliis omnibus ſtudiis præripit locum. Fiunt itaque in Puerilibus Academici ſenes. Omnem dictorum aut ſcriptorum excutiunt ſyllabam, imò & litteram ; dubitantes ad omnia, quærentes ſemper, ſed nunquam ad ſcientiam peruenientes, & tandem conuertuntur ad vaniloquium : ac neſcientes quid loquantur aut de quibus aſſerant, errores condunt nouos, & antiquorum aut neſciunt, aut dedignantur ſententias imitari. Compilant omnium Opiniones; & ea quæ etiam à viliſſimis dicta vel ſcripta ſunt, ab inopia iudicij ſcribunt & referunt: proponunt enim omnia, quia neſciunt præferre meliora. Tanta eſt opinionum oppoſitionumque congeries, vt vix ſuo nota eſſe poſſit Authori. Accidit hoc Didymo, quo nemo plura ſcripſit, vt cum hiſtoriæ cuidam tanquam vanæ repugnaret, ipſius proferretur Liber qui eam continebat. Sed nunc multos inuenies Didymos, quorum pleni, imò referti ſunt Commentarij huiuſmodi Logicorum impedimentis. Rectè autem dicuntur Oppoſitiones, quia melioribus ſtudiis opponuntur. Obſtant enim profectui. Sed nec Ariſtoteles, quem Nugidici ſolum Ventilatores iſti dignantur agnoſcere, auditur dicens quidem fideliter, eleganter & verè, quia *quolibet contraria opinionibus proferente ſolicitum eſſe ſtultum eſt*. Refert Quintilianus Timotheum quendam clarum in arte tibiarum ſolitum exigere duplas mercedes ab his, quos alius inſtituiſſet, quàm ſi traderentur rudes omnino. Duplex enim labor eſt, alter in eluenda vitioſa doctrina quam perceperant : alter, vt verâ & rectâ **fideliter imbuantur.** ***Adhæc qui iam artificis nomen vendicat, non poteſt leuiter humiliari, ut ad minora deſcendat, ſine quibus tamen proficere nequit.*** Timotheus vtique ſapiebat, quia

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Et quiſque ſui iuris effectus

—— Currit ad illam
Quam primum rupto prædam guſtauerit ouo.

Cum autem Nugiuenduli illi ſuum iactitarent Ariſtotelem, ſeque illius Diſcipulos profiterentur, in ſequenti capite oſtendit quàm turpiter hallucinarentur, atque à vero aberrarent; quippe qui in vacuis ſubtilitatibus & futilibus Quæſtionibus totam Artem ſuam ſcientiamque conſtituerent, longè in hoc ab Ariſtotele diſcrepantes, qui rerum veritatem inquirit & docet. Non negat tamen, quin inſtitutum eiuſmodi licet prauum, verborum pareret copiam abundantiſſimam, memoriam aleret, volubilitatem linguæ gigneret, ingeniumque exerceret. Verum quæ forent iſtæ laudes in pueris & Iuuenibus, contendit id in Magiſtris &

ſenibus eſſe vituperandum, ipſumque Ariſtotelem ſi ab iis audiretur, eiuſmodi conſuetudinem improbaturum. Sic ergo ille c. 8.

» *Vſus tamen aliquis interdum eſt* in malo iſto: ſcilicet quod qui in talibus aſſueſcunt, ſi tamen modeſtia inſtituantur, *Verborum copiam præparant, volubilitatem linguæ, capacitatem memoriæ.* Ad hoc enim proficit frequens hæc & de omnibus concertatio, quæ quartum quoque adiicit *ſubtilitatem ingenij*: continuo ſiquidem proficit exercitio. Si autem moderatio deſit, omnia hæc in contrarium cedunt; ſubtrahitur namque ſubtilitati vtilitas. *Nihil autem*, vt in 1. lib. Declam. ait Seneca, *Odibilius ſubtilitate, vbi nihil aliud eſt quàm ſubtilitas.* Et ad Lucilium. *Nihil eſt acutius ariſta, ſed hæc ad quid vtilis?* Tale vtique eſt illud ingenium, quod ſolâ ſubtilitate laſciuiens nullâ reſidet grauitate. Hoc eſt quod in lib. de Inſtitutione Oratoris *Præcoquum* dicitur *& non temere peruenit ad frugem.* Laudatur in pueris, ſed in ſenibus contemnitur & culpatur. Pueri enim ex hoc facile parua faciunt, & audaciâ prouecti quid quid poſſunt, ſtatim oſtendunt: poſſunt autem id demum quod in proximo eſt, verba concinnant & continuant, hæc vultu interrito nullâ tardati verecundiâ proferunt. Non multum præſtant, ſed citò: non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus nititur. Vt quæ ſolo ſummo ſparſa ſunt ſemina celeriùs ſe effundunt & imitatæ ſpicas herbulæ inanibus ariſtis ante meſſem flaueſcunt. Et ingenia quæ ſubtilitatem aut copiam affectant, deducta grauitate, placent hæc annis comparata, deinde ſtat profectus, admiratio decreſcit. Sed nec Verborum copia perpetuò laudem habet. Vt enim ait Sidonius, *Non eſt minor gloria dixiſſe quod noueris, quàm ſiluiſſe quod neſcias.* Sed & Cicero verba redarguit, quæ ſine vtilitate aut voluptate tam dicentis quàm audientis inutiliter proferantur. Obtinet enim illud Poëticum.

Aut prodeſſe volunt aut delectare Poetæ,
Aut ſimul & iucunda & idonea dicere vitæ.
Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

Et multiloquium peccata comitantur. *Linguæ autem volubilitas* tum demum prodeſt, ſi ad ſapientiam diſponatur; in vdo enim eſt & citò labitur. Licet autem ſit membrum modicum, rotam humanæ natiuitatis ſuccendit, conturbat vitam & totum hominem, niſi moderationis vinculo refrænetur, agit in præceps. *Quid autem prodeſt illa in Archiuis memoriæ recondiſſe, quorum nullus eſt vſus?* Sicut enim de lana caprina contendere inofficioſum eſt, ſic ea quæ inutiliter proferuntur, commendare memoriæ ineptum & indiſcretum eſt. Quis vnquam inutilia folia & ariſtas theſaurizans congeſſit, vt opibus abundet? Debuerat Ariſtoteles hanc compeſcuiſſe intemperiem eorum, qui indiſcretam loquacitatem Dialecticæ exercitium putant & ſanè compeſcuerat, ſi audiretur. *Non oportet*, inquit, *omne problema nec omnem poſitionem conſiderare; ſed cum dubitabit aliquis rationis egentium & pœnæ vel ſenſus.* Nam qui dubitant vtrum oportet Deos vereri, & parentes honorare, vel non *pœnæ*, indigent: qui verò vtrum nix alba eſt aut non, *ſenſus.* Neque vero quorum propinqua eſt demonſtratio, neque quorum valde longè: nam hæc quidem non habent dubitationem, illa autem magis quàm ſecundum exercitatiuam. Sed illi eo conſulto, imo & prohibente ſemper vbique & de omnibus æquè diſputant, forte quia notitiam omnium æquè habent.

Idem Cap. 10. docet inefficacem eſſe Dialecticam, ſi aliarum Diſciplinarum deſtituatur ſubſidio, adiutam verò & corroboratam mirum in modum prodeſſe.

Eloquentiam ſine ſapientia non prodeſſe celebre eſt & verum. Vnde ipſam vt profit, à ſapientia contrahere manifeſtum eſt. Ergo & pro modulo ſapientiæ quam quiſque adeptus eſt, eloquentia prodeſt: nocet enim hæc ſi diſſocietur ab illa. Ex quo liquet Dialecticam quæ inter Miniſtras eloquentiæ expeditiſſima eſt & promptiſſima, vnicuique prodeſſe ad menſuram ſcientiæ ſuæ. Ei enim prodeſt plurimùm qui habet notitiam plurimorum. Et ei qui pauca nouit, minimum prodeſt. Nam ſicut gladius Herculis in manu Pygmæi aut pumilionis inefficax eſt, & idem in manu Achillis & Hectoris ad modum fulminis vniuerſa profternit; ſic Dialectica ſi aliarum Diſciplinarum vigore deſtituatur, quodammodo manca

eſt & inutilis fere. Si aliarum robore vigeat, potens eſt omnem deſtruere falſitatem, & vt minimum ei adſcribam, ſufficit de omnibus probabiliter diſputare. *Neque enim magnum eſt, ſi more noſtrorum iugiter in ſe rotetur, ſe circumeat, ſua rimetur arcana, & in illis duntaxat verſetur, quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in Claustro, nec in Curia, nec in Eccleſia, imo nuſquam niſi in ſchola* proſunt. Ibi enim teneriori ætati plura indulgentur, admodum & modicum, quæ mox magis ſerius Philoſophiæ tractatus eliminat. Siquidem hic cum ad maturam ſcientiæ vel vitæ venitur ætatem, non modo verba puerilia & licentioris indulgentiæ, ſed totos plerunque reiicit libros. Hoc eſt enim quod ſub Poëtici nube figmenti in Mercurij & Philologiæ docemur nuptiis, Deorum omnium auſpicio contractis & inutiliter hominibus amplectendis.

Ibi namque Philologia poſtquam Cœli templa conſcenderat, & purioris ſtatus nacta eſt libertatem, librorũ copiam quibus fœcunda erat, euomuiſſe deſcribitur. *Eſt autem cuique Opifici facillimum de arte ſua loqui, ſed ex arte quod artis eſt facere, difficillimum eſt. Quis eſt enim Medicus qui non de* Elementis & humoribus & complexionibus & morbis & cæteris pertinentibus ad Phyſicam ſæpe loquatur & multum? Sed quid ad hoc? conualeſcit? magis poterat ægrotare. Quis Ethicus morum regulis dum in lingua verſantur, non abundat? ſed planè longè difficilius eſt vt exprimantur in vita. Mechanici Opifices facile ſinguli loquuntur de artibus ſuis, ſed nemo eorum tam leui opera Architectum exercet aut Pugilem. Idem eſt in reliquis. Sic de definitione, aut argumentis, aut Genere & ſimilibus loqui facillimum eſt, ſed eadem ad artis explendum officium in ſingulis Facultatibus inuenire, longè difficilius. Ergo qui Diſciplinarum inopia premitur, quam copiam Dialectica pollicetur & præſtat, non habebit.

Hæc ita ſe habere licet nemo non videret, fatereturque pene omnes melius eſſe veterum authorum inſtitutis inſiſtere, quàm friuolas Quæſtiones & nullius vtilitatis in Commentariis tradere, atque in iis Scholaſticos exercere, deteriora tamen ſequebantur; ipſi etiam, qui prudentia & ſcientiarum claritate cæteris præfulgere putabantur, quod improbabant, nihilominus exequebantur, ne deſererentur in ſcholis, aut certe raros haberent Diſcipulos. Idque probat Sareſberienſis l. 3. Metalog. c. 3. exemplo M. Adami Angligenæ Peripatetici.

Deridebat, inquit, *eos noſter ille Anglus Peripateticus Adam: cuius veſtigia ſequuntur multi, ſed pauci prepediente inuidiâ profitentur, dicebatque ſe aut nullum aut pauciſſimos auditores habiturum, ſi ea ſimplicitate ſermonum & facilitate ſententiarum Dialecticam traderet, quâ ipſam doceri expediret. Habuit enim hominem familiarem aſſiduitate colloquij & communicatione librorum & quotidiano fere exercitio ſuper emergentibus articulis conferendi. Sed nec vnâ die diſcipulus eius fui. Ei tamen habeo gratias, quod eo docente plura ipſius, quoniam aliud ratione conſultâ prælegeram, ipſo arbitro reprobani. Itaque hîc ſicut vbique, facilitati arbitror ſeruiendum.*

Poſtremo tandem c. 4. eiuſdem libri ſuum de veteribus Authoribus & modernis iudicium interponit his verbis. *Præterea reuerentia adhibenda eſt verbis* Authorum cum cultu & aſſiduitate vtendi: tum quia quandam à magnis nominibus **antiquitatis præferunt maieſtatem; tum quia diſpendioſius** ignorantur, cum ad reſiſtendum aut ad vrgendum potentiſſima ſint. Siquidem ignaros in modum fulminis rapiunt & metu perculſos exanimant aut proſternunt: inaudita enim Philoſophorum vocabula tonitrua ſunt. Licet itaque modernorum & veterum ſit ſenſus idem, venerabilior eſt vetuſtas. *Dixiſſe recolo Peripateticum Palatinum, quod verum arbitror, quia facilè eſſet aliquem noſtri temporis librum de hac Arte componere, qui nullo Antiquorum quod ad conceptionem veri, vel elegantiam verbi eſſet inferior; ſed vt authoritas fauorem ſortiretur, aut impoſſibile, aut difficillimum.* Hoc ipſum tamen aſſerebat maioribus attribuendum, quorum floruerunt ingenia & inuentione mirabili pollentes laboris ſui fructum poſteris reliquerunt. Itaque ea in quibus multi ſua tempora conſumpſerunt, in inuentione ſudantes plurimum, nunc facile & breui vnus aſſequitur: fruitur tamen ætas noſtra beneficio præcedentis & ſæpe plura nouit, non ſuo quidem præcedens ingenio, ſed innitens viribus alienis & opulentâ prudentiâ Patrum. *Dicebat Bernardus Carnotenſis nos eſſe quaſi Nanos Gigantum humeris inſidentes, vt poſſimus plura eis & remotiora videre*: non vtique proprij viſus acumine aut eminentia corporis, ſed quia

„ in altum ſubuehimur & magnitudine Gigantes. *Ex his facile acquieuerim, quia* „ *Artis præparatitia & multos Articulos veritatis tradant Artium præceptores, etiam In-* „ *troductionibus ſuis æque bene antiquis & fortè commodius.* Quis enim contentus eſt „ iis quæ Ariſtoteles in Periermeniis docet? quis aliunde conquiſita non adiecit? „ Omnes enim totius Artis ſummam colligunt & verbis facilius tradunt. Veſtiunt „ enim ſenſus Authorum quaſi cultu quotidiano, qui quodammodo feſtiuior eſt, „ cum antiquitatis grauitate clarius inſignitur.

Hæc paulo fuſius retulimus, vt omnes clarè intelligant, quæ temporibus iſtis methodus eſſet tradendarum diſciplinarum in ſcholis Pariſienſibus, quique tum in ſingulis artibus excellerent Magiſtri, & quæ vnicuique eſſet ratio docendi. Hinc quoque intelligimus non eſſe nouum Quæſtiones Dialecticas agitare, quæ parum proſint, quæque ad exercenda & acuenda, iuuentutis ingenia plus conferant, quàm ad ſolidam alicuius veritatis intelligentiam. Neque tamen hoc abſque certâ ratione toleratum in Scholis arbitror; ne ſcilicet obtorpeſcant ſtudioſorum animi: experientia enim docet adoleſcentes longè magis ſubtilitatibus illis ſolere delectari, quàm Theorematis iis quæ conſtantem & apertam veritatem præ ſe ferunt. Itaque Quæſtiones illæ, ſi non aliter proſint, certè ſunt acres ſtimuli ſtudiorum, cotéſque ingeniorum.

Hocce quoque tempore ſcribebat Author Chronici S. Maxentij, vulgo dicti Malleacenſis, quod e Codice M. S. qui fuit olim viri doctiſſimi Ioannis Beſlij, nuncque viſitur in Bibliotheca V. C. Iacobi Puteani, deſcripſit & in lucem emiſit Labbeus Ieſuita in 2. tomo nouæ Bibliothecæ librorum Manuſcriptorum. Ille autem author qui ſcripſit ad annum vſque 1140. de primis Academiæ Profeſſoribus ſic ſcribit ad an. 816. *In illo tempore Rabanus Magnentij Monachus doctiſſimus Magiſter Alcuini, Imperatori ipſi (* Ludouico Pio *) porrexit librum valde mirabilem de Theologia S. Crucis. Beda enim doctus à Benedicto Abbate & nutritus docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à tranſmarinis oris à Domino Imperatore Carolo ſuſceptus eſt & Pontifex in Francia factus. Item Rabanus docuit Alcuinum & Alcuinus Smaragdum imbuit. Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum. Helias autem Henricum. Henricus Remigium & Vcbaldum Caluum Monachos hæredes Philoſophiæ reliquit.* Hæc iſte mutuatus eſt ab Ademaro Engoliſmenſi & in eoſdem incidit, quoad ordinem ſeriemque, errores.

Eodem anno Ludouicus Iunior Rex deſignatus Burdigalæ vxorem duxit Eleonoram Aquitaniæ Duciſſam, Willelmi filiam, illius vrbis tum Archipræſulem M. Gaufrido de Loratorio, cuius tam honorabilem mentionem facit D. Bernardus, vt ſupra retulimus: cuique Rex eodem anno ius conceſſit Regaliorum. Nuptiarum celebritati adfuerunt Gaufridus Carnotenſis Aquitaniæ Legatus, Theobaldus Comes Bleſenſis, Radulphus Veromanduorum, Vvillelmus Niuernenſis & Rotrocus Perticenſis: quorum duo præſertim, Theobaldus & Vvillelmus ab omnibus Hiſtoricis mirificè prædicantur ob pietatatem, iuſtitiam & honeſtatem. Vvillelmus quidem, vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi, de potente Principe ſeculi factus eſt in Carthuſia humillimus Pauper Chriſti: **Theobaldus verò ſenior Comes Campaniæ ibidem dicitur** ***Pater Orphanorum, &*** Iudex viduarum, oculus cœcorum ac pes claudorum, ſingulariter munificus in pauperibus ſuſtentandis, in extruendis Monaſteriis, & erga Religioſos quoſque largitor incomparabilis. Hic genuit Henricum, Theobaldum & Stephanum Comites, Guillelmum quoque Remenſem Archiepiſcopum, cui plurimum debet Academia Pariſienſis, vt alibi docebimus: filias etiam plurimas, quarum vltimam nomine Adelam Ludouicus Iunior accepit in vxorem, ex eaque Philippum Auguſtum Regni ſucceſſorem genuit. Eximias Theobaldi virtutes complectitur ſequens Exaſtichon à Poëta quodam illius temporis non ineleganter compoſitum.

Ille Comes, Comes ille pius Theobaldus erat, quem
Gaudet habere Polus, Terra carere dolet.
Non hominem poſſum, non audeo dicere Numen,
Mors probat hunc hominem, vita fuiſſe Deum.
Trans hominem citraque Deum, plus hoc, minus illo,
Neſcio quis, Neuter. Inter vtrumque fuit.

Henricum filium mirificè quoque prædicat Abbas Bonæ Spei. Theobaldus Iunior Comes Bleſenſis Patrem virtutibus adæquauit. Stephanus Regnum Anglicanum occupauit, vt ante diximus: qui tranſiens hoc anno ex Anglia in Normaniam fœdus iniit cum Rege Francorum. Innocentius Pontifex authoritate ſua Regnum Anglicanum illi aſſeruit, ex neceſſitate Regis occaſionem nactus exercendæ eiuſmodi poteſtatis. Eius Bullam refert Richardus Prior Hagulſtadenſis ſcriptor illius temporis, eſtque talis.

Innocentius Epiſc. Seruus Ser. D. Chariſſimo in Chriſto filio Stephano Illuſtri Anglorũ Regi ſal. & Apoſt. bened. Rex Regum & Dominus dominantium, in cuius manu ſunt omnium poteſtates & omnia Iura Regnorum, ex incomprehenſibili ſupernæ prouidentiæ diſpenſatione quando vult, mutat tempora, & transfert Regna. Sicut enim atteſtatur Propheta, *Dominus excelſus in Regno hominum, & cui voluerit, dat illud.* Quot commoditates, quanta iocunditas, tranquillitas, quantumque iuſtitiæ Cenſura in Regno Angliæ & Ducatu Normaniæ regnante filio noſtro glorioſæ memoriæ Henrico Rege viguerunt, eo humanis rebus exempto oculata fide perclaruit. Cum enim idem eſſet Religioſorum virorum amator, pacis & iuſtitiæ cultor, viduarum & orphanorum propitius conſolator & eorum qui impotentia defendere ſe non poterant, pius defenſor, ipſo ſublato de medio prout accepimus turbata eſt Religio in Regno Angliæ, & nullum mandatum pacis ſeu Iuſtitiæ in auditorio Regali vigebat, atque atrocitatem tantorum ſcelerum comitabatur impunitas. Ne autem diutius graſſando in populum Dei debacchari poſſet dira feralitas, inclinata eſt ad preces Religioſorum virorum diuinæ miſeratio pietatis & tantis flagitiis potenter occurrens, quemadmodum venerabilium fratrum noſtrorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum earundem regionum & amatorum S. Rom. Eccleſiæ Glorioſi Francorum Regis & illuſtris viri Comitis Theobaldi ſcripta teſtantur, & Illuſtrium virorum nobis indicauit aſſertio communi voto & vnanimi aſſenſu tam procerum quam etiam populi te in Rem eligere & à Præſulibus Regni conſecrari prouidit. Noscognoſcentes vota tantorum virorum in perſonam tuam præeunte diuina gratia conueniſſe, pro ſpe etiam certa & B. Petro in ipſa conſecrationis tuæ die obedientiam & reuerentiam promiſiſſe, & quia de præfati Regis proſapia prope poſito gradu originem traxiſſe dignoſceris, quod de te factum eſt, gratum habentes, te in ſpecialem B. Petri & S. Rom. Eccleſiæ filium affectione paterna recipimus, & in eadem honoris & familiaritatis prærogatiua quâ prædeceſſor tuus egregiæ recordationis Henricus à nobis coronabatur, te propenſius volumus retinere

Anno 1137. Ludouicus Rex cognomento Craſſus, vulgo Groſſus, diarrhea correptus de morte ſeriò cogitauit: quam quia ſentiebat in dies appropinquare, Religioſos viros, Epiſcopos, Abbates & multos Eccleſiæ ſacerdotes conuocauit, coramque illis ſua peccata publicè deplanxit & confiteri non erubuit, teſte Sugerio. Corpori Dominico, cum afferretur, occurrit & in has voces tanquam litteratiſſimus Theologus erupit, vt apud eundem Sugerium legitur. 1137. *Ludouicus Craſſus moritur.*

Ego peccator Ludouicus confiteor vnum & verum Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum: vnam ex hac Trinitate perſonam, videlicet vnigenitum & conſubſtantialem & coæternum Dei Patris filium, de ſacratiſſima Maria Virgine incarnatum, paſſum, mortuum & ſepultum tertia die reſurrexiſſe, cœlos aſcendiſſe, ad dexteram Dei Patris conſidere, viuos & mortuos extremo & magno iudicio iudicare. Hanc autem Sacratiſſimi Corporis eius Euchariſtiam illud idem credimus Corpus, quod aſſumptum eſt de Virgine, quod Diſcipulis ſuis ad confœderandum & vniendum & in ſe commanendum contradidit. Hunc ſacratiſſimum ſanguinem illum eundem, qui è latere eius in Cruce pendentis defluxit, & firmiſſimè credimus, & ore & corde confitemur, hocque ſecuriſſimo viatico deceſſum noſtrum muniri, & contra omnem aeream poteſtatem certiſſimâ profeſſione defendi præoptamus.

His actis apud Montem-Leherium cœpit melius habere, & Melidunum venit: inde Lutetiam vbi recidiui profluuij diſenteria fatigatus in dies magis ſe ſe deficere ſentiens, aduocauit Stephanum Pariſienſem Epiſcopum & Gilduinum Abbatem S. Victoris, cui ſua peccata ſolebat confiteri, iterataque confeſſione mortalem vitam cum æternâ commutauit. Qua de re ſic Sugerius. *Æſtuabant eo*

tempore æſtiui calores ſolito nociuiores, quorum conſumptione aliquantiſper ſoluti & valde contriti defatigabantur. Quorum intolerabili ſolutione cum D. Rex Ludouicus Pariſiis recidiua profluuij differentia grauiſsimè fatigaretur, omnino defecerat. Qui nunquam ſuper his improuidus accito venerabili Pariſienſi Epiſcopo Stephano & Religioſo S. Victoris Abbate Gilduino, cui familiarius confitebatur, eo quod Monaſterium eius à fundamine conſtruxerat, & confeſsionem repetit, & exitum ſuum viatico Dominici Corporis muniri deuotiſsimè ſatagit. Obiit autem Kalendis ſextilibus ætatis ferme an. 60. elatuſque eſt ad tumulum maiorum apud San-Dionyſium. Ei tamen San-Victorini Canonici Epitaphium ſequens inſcripſerunt in Clauſtro.

Illuſtris Genitor Ludouici Rex Ludouicus,
Vir clemens, Chriſti ſeruorum ſemper amicus
Inſtitui fecit Paſtorem Canonicorum
In Cella veteri tranſlumen Pariſiorum.
Hanc vir magnanimus almi Victoris amore,
Auro, reliquiis ornauit, rebus, honore.
Sancte Dionyſi, qui ſeruas Corpus humatum,
Martyr & Antiſtes Ludouici ſolue reatum.
Chriſti centeno cum mille decem & tribus vno
Templum hoc Victoris ſtruxit Regalis honoris.

Eius ergo auditâ morte Ludouicus filius, quitum erat adhuc Burdigalæ, relictâ nouâ Coniuge & Gaufrido Cârnotenſi commiſſâ ſtatim Pariſios aduolat, atque ſine vllius contentione Regni ſuſcipit gubernacula. Quanta verò fuerit omnium lætitia, legitur in libro de Geſtis eius, Editionis Francfordienſis. *Inde venit vrbem Pariſius quæ eſt Regni caput & ſedes Regia; Vbi ſolebant Reges Antiqui Conuentum Prælatorum & Principum euocare ad tractandum ſuper ſtatu Eccleſiæ & de Regni negotiis ordinandum. Ita fecit iſte Rex iuuenis ſecundum quod ætas capere poterat & ſtatus temporis exigebat. Magna erat in toto Regno lætitia & ſpes bona multorum animos demulcebat, quod tam boni Domini tam nobilem receperunt ſucceſsorem, qui malorum exterminaret nequitiam & bonorum innocentiam illibatam authoritate Regia cuſtodiret.*

Huiuſce immortalis memoriæ Principi vt Regnum debet acceſſionem Ducatus Aquitanici, quem Eleonoræ nuptiis acquiſiuit; ita Pariſienſis Academia ſplendorem ſuum, authoritatem & commendationem acceptam refert: quam ſcilicet ille & priuilegiis munitam voluit, & Regia authoritate ab omni maleuolorum perturbatione vindicauit.

Eodem anno communi fato functus eſt Rainaldus ſeu Reginaldus de Montigny Archiepiſcopus Remenſis, qui in Cœnobio Igniacenſi, quod fundauerat, tumulari voluit cum inſcriptione fidem ſuam de mortuorum reſurrectione, quæ quæſtio hiſce temporibus agitabatur, teſtificante. *Ego Rainaldus à Pratis quondam Archiepiſcopus Remenſis Presbyter Credo quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum & in Carne mea videbo Deum ſaluatorem meum.*

1138. Anno 1138. 9. Kal. Feb. obiit celeberrimus ille Gaufridus Carnotenſis Cleri Gallicani Lucerna, poſt pacatam Aquitaniam, & Innocentio Papæ acquiſitam, vbi altaria quæ Girardus Engoliſmenſis ſeditionis & ſchiſmatis author, vel Gilo Tuſculanenſis conſecrauerat, deſtruxit & propriis manibus diſſipauit, vt habetur in Chronico Mauriniacenſi. De hocce viro celebris eſt mentio in vita S. Bernardi l. 2. c. 1. 2. & 6. l. 3. c. 5. & l. 4. c. 4. quin & ipſemet Bernardus l. 4. de conſiderat. exclamat. *Sed ô mihi locum ſuauem, vbi incidit occaſio memorandi & nominandi ſuauiſſimi odoris, Epiſcopum loquor Gaufridum Carnotenſem, qui legationem in Partibus Aquitaniæ propriis ſumptibus adminiſtrauit, idque annos plures.* De eodem Anonymus, quem Ioannes Picardus in Notis ad Ep. 55. Bernardi, ſuſpicatur eſſe Mathæum Vindocinenſem, ſic præfatur initio l. 1. Reg.

Maxime Pontificum, Romanæ ſignifer aulæ,
Carnotenſis apex & Pater vrbis aue.

Illi

Illi ſucceſſit M. Goſlenus Archidiaconus eiuſdem Eccleſiæ, celeberrimus quoque & meritiſſimus in Academia Pariſienſi, ſcholæ Magiſter, de cuius electione & promotione Capitulum Carnotenſe ſic ſcripſit ad Sugerium Abbatem Sancti Dionyſij, in Regni adminiſtratione tunc primas obtinentem.

Chariſſimo Domino & amico ſuo Sugerio D. G. venerabili Abbati S. Dionyſij R. Decanus & totum Capitulum Carnotenſis Eccleſiæ plurimam in Domino ſalutem & dilectionem. Nouerit diſcretio veſtra, chariſſime Domine, quod acceptâ à vobis Regiâ licentiâ loco Domini Regis die ſtatutâ conuenimus in Capitulum noſtrum, & inuocata S. Spiritus gratia, pari voto vnanimique conſenſu elegimus nobis & Eccleſiæ noſtræ in Epiſcopum D. Goſlenum Archidiaconum noſtrum, virum vtique liberalem, idoneum & litteratum: idipſum approbantibus viris Religioſis Abbatibus qui præſentes erant, omnique applaudente populo & Deo gratias referente ſuper electione talis perſonæ, quæ vtilis eſſe creditur Eccleſiæ & Regno fidelis. Rogamus igitur Chariſſimam nobis Dilectionem veſtram, vt huic noſtræ Electioni, quæ à Domino, ſicut credimus facta eſt, & quam vobis & viua voce & ſcripto præſentare curauimus, aſſenſum præbere, & Electo noſtro Regalia reddere vice D. Regis dignemini. Valete.

Reſcriptũ vero Sugerij tale eſt. *Sugerius D. G. B. Dionyſij Abbas* Capitulo Carnotenſi, Roberto ſcilicet Decano & aliis ſalutem & dilectionem. Quod vnanimiter & communi pace Pontificem vobis D. Goſlenum Archidiaconum elegiſtis, valde nobis placet: enim vero ipſum honeſtum & liberalem & audiuimus & credimus. Nos autem quantum ex parte D. Regis cuius vices agimus facere habemus, huic electioni libenter aſſenſum præbemus. De Regalibus ſicut in Curia DD. Regum Francorum mos antiquus eſſe dignoſcitur, cum Epiſcopus conſecratus & in Palatium ex more Canonico fuerit introductus, tunc ei reddentur omnia. Hic eſt enim redditionis ordo & conſuetudo, vt ſicut diximus, in Palatio ſtatutus Regi & Regno fidelitatem faciat, & ſic demum Regalia recipiat.

Eodem anno cum M. Robertus Pullus magna nominis celebritate Lutetiæ regeret, ſanamque Doctrinam cum vberrimo fructu ſpargeret, in Angliam verò reuocaretur ab Aſcelino Roffenſi Epiſcopo, qui an. 1136. Ioanni ſucceſſerat, eum Bernardus Clare-Vallenſis rogauit Epiſtola ſingulari ad eum data, quæ eſt ordine 205. vt ſineret Pullum aliquandiu adhuc Lutetiæ commorari & docere.

Durè ſcribitis non merenti. Quid peccaui, ſi monui M. Robertum Pullum aliquantum tempus facere Pariſius ob ſanam Doctrinam quæ apud illum eſſe dignoſcitur? Id putaui neceſſarium & adhuc puto. Si rogaui ſublimitatem veſtram vt permitteretis, etiamnum idipſum rogarem, niſi eam de priori prece indignatam ſenſiſſem. Si dixi hominem fultum gratia amicorum, quorum in Curia non minima authoritas eſt, id dixi quod vobis formidaui & adhuc formido. Nam quod poſt appellationem factam extendiſtis manum, vt accepimus ad res appellantis, nec laudaui nec laudo: veruntamen voluntati veſtræ in aliquo contradicere ei nec conſului nec conſulo. De cætero veſtri ſumus, Coronam veſtram ſuſcipere & colere ſemper digna & debita veneratione parati. Huius teſtimonio conſcientiæ audemus adhuc ad vos prece duntaxat atque conſilio, vt M. Robertus cum integritate gratiæ veſtræ per aliquantum tempus poſſit Pariſius demorari. Retribuat vobis Dominus in vitam æternam, quod viſcera noſtra refouiſtis, filios noſtros loquor, quos miſimus in Hiberniam.

De hoc Roberto dicemus amplius in Catalogo Illuſtrium Academicorum: fuit enim vir magni nominis, præclaræque famæ, quem Innocentius II. vel vt alii volunt, Cœleſtinus II. Innocentij ſucceſſor Cardinalem deſignauit. Ille autem in Angliam reuerſus Oxonienſem Academiam de ſua priſtina dignitate multum dilapſam in integrum reſtituit; vir adeo Philoſophiæ deditus, vt teſte Simeone Dunelmenſi, *eius obtentu Epiſcopalem honorem ab Henrico Rege oblatum reſpuerit, victum & veſtitum habens* his contentus fuerit.

Eodem anno Deus Eccleſiæ pacem reddidit Petri Leonis ſeu Anacleti Pſeudo-Papæ morte: nam licet eiuſdem Partis fautores Gregorium quendam Cardinalem

Preſbyterum in Papam ſibi delegiſſent ſub nomine Victoris, præualente tamen Innocentij virtute & integritate, ipſe Victor & Fratres Leonis in vrbe potentiſſimi Innocentio ſeſe ſubmiſerunt. Qua de re Bernardus Clare-Vallenſis, qui tum Romæ erat, ad Gaufridum ſic ſcribit.

» F. Godefrido F. Bernardus Salutem. In Octauis Pentecoſtes ipſa die compleuit
» Deus deſiderium noſtrum, Eccleſiæ vnitatem & Vrbi dando pacem. Nam illa die
» Filij Petri Leonis omnes ſimul humiliauerunt ſe ad pedes D. Papæ, & facti ho-
» mines eius Ligij iurauerunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque, qui in ſchiſ-
» mate erant, ſimul cum idolo quod erexerant, humiliantes ſe ad pedes D. Papæ,
» obedientiam ei iuxta morem promiſerunt, & facta eſt lætitia magna in populo.
» Hanc pacem niſi cum quadam ſecuritate, occulta tamen diu à nobis exſpectauiſ-
» ſemus, iamdudum veniſſemus. De cætero iam nihil eſt quod nos hîc detineat.

Et in vita eiuſdem B. Bernardi ſic legitur. *Attamen pars illius* (Anacleti defuncti) *Papam ſibi pro illo alterum ſtatuerunt non tam pertinacia ſchiſmatis, quàm vt opportunius per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. Quod ſine mora per manum ſerui ſui Bernardi, Chriſtus effecit. Nam & ipſe ridiculus Pontifex Petri Leonis hæres ad eundem virum Dei nocte ſe contulit: & ille eum nudatum quidem vſurpatis Inſignibus ad D. Innocentij pedes adduxit. Quo facto Ciuitas gratulabunda lætatur, Innocentio Eccleſia redditur.*

Ille igitur iam ab omnibus pro vero, vno & legitimo Papa agnitus, omnibus tandem pacatis diſſidiis ſolenni & generali Decreto omnes Anacleti populares & fautores omni gradu & dignitate Eccleſiaſtica priuatos declarauit: & ne quis ſedem Apoſtolicam ſimili præſumptione in poſterum vſurparet, ſub anathemate interdixit. In his Petrum Piſanum S. Suſannæ Cardinalem honore Cardinalatus exſpoliauit: Illum tamen Bernardus Clare Vallenſis ei reconciliauit; quippe vir erat magnæ authoritatis & famæ, eloquentiæ maximæ, commendationis eximiæ, demumque tantæ, vt propter eum multi ab Anacleti partibus ſteterint, qui aduerſarios ſe præſtitiſſent, ſi minus æquum ei ſe præbuiſſet. Ille ab Anacleto miſſus ad Rogerium Siciliæ Regem, cauſam ipſius fortiter egit, Bernardo ex aduerſo pro Innocentij promotione pugnante: qua de re ſic Abbas Boneuallenſis in Bernardi vita. *Prioritaque Petrus* (Piſanus) *electionem Domini ſui Canonicam probare contendit & verba ſua multis Legum & Canonum aſſertionibus munit. At vero vir Dei non in ſermone ſed in virtute Regnum Dei eſſe intelligens, Scio, inquit, Petre te virum eſſe ſapientem & litteratum. Et vtinam ſanior pars & honeſtiora te occupaſſent negotia... Cum omnium igitur populorum fauore ſolo Rege in malicia permanente Abbas Romam reuertitur. Prædictum quoque Petrum Piſanum & quoſdam alios reconciliat Eccleſiæ & Innocentio Papæ confœderat.*

Neſcio verò vnde ob reconciliationem iſtam Bernardus Innocentio venit in ſuſpicionem proditionis. Quam in rem extat ipſius ad eum Ep. 213. quâ ſe omni crimine purgat, ipſumque Papam reconciliationis authorem facit. *Nunquid non me veſtrum vicarium dignatio veſtra conſtituit in reconciliatione Petri Piſani, ſi forte illum Deus per me reuocare à fœce ſchiſmatis dignaretur? Si negatis, probabo tot teſtibus, quot in Curia tunc temporis fuerunt. Nunquid non denique poſt hac iuxta verbum Domini mei homo in ſuo ordine & honore receptus eſt?*

Fuit quoque in iiſdem partibus Anacleti Gilo ſeu Ægidius Tuſculanus Epiſcopus ex Monacho Cluniacenſi ad Cardinalatum aſſumptus, ſeque in tuendo ſchiſmate obſtinatiſſimum præſtitit: quam ob rem eum vehementer redarguit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis l. 4. Ep. 30. maximè verò quod poſt mortem Anacleti, nihilominus in gratiam redire cum Innocentio recuſaret.

At ex eodem Cœnobio Cluniacenſi Albericum Innocentius ad Epiſcopatum Oſtienſem promouit, eumque in Angliam & Scotiam poſt pacatum ſchiſma direxit Legationis munere functurum. Et ille Londini celebrem ſynodum habuit; cuius 16 Canones leguntur in Chronico Geruaſij, quorum quintus eſt de Inueſtituris hoc modo. *Nullus omnino de manu Laici Eccleſiam ſeu quælibet Eccleſiaſtica beneficia accipiat. Cum autem inueſtituram per Epiſcopum aliquis acceperit, præcipimus vt ſuper Euangelium iuret ſe nihil propter hoc per ſe vel per aliam perſonam dediſſe alicui vel promiſiſſe. Et ſi præſumptum fuerit, irritum fore decernimus.*

7. Eſt de uxoratis ſacerdotibus. *Sanctorum Patrum veſtigiis inhærentes, Presbyte-*

ros Diaconos, Subdiaconos vxoratos, concubinarios Eccleſiaſticis beneficiis & officiis priuamus. Ac ne quis eorum miſſas audire præſumat, Apoſtolica authoritate prohibemus.

16. Eſt contra Scholaſticos ſeu Cancellarios Eccleſiarum & Vniuerſitatum Rectores, qui pecuniam ab iis exigebant, quibus docendi licentiam impertiebantur, aut ſcholas aſſignabant ad regendum; hiſque verbis conceptus legitur. *Magiſtri Scholarum, ſi aliis ſcholas regendas commiſerint, prohibemus ne propter hoc quicquam ab eis exigant, quod ſi fecerint, Eccleſiaſticæ vindictæ ſubiacebant.* In Hiſtoria Richardi Prioris Haguſtadenſis de Geſtis Regis Stephani ſic legitur. *Sancimus præterea vt ſi Magiſtri ſcholarum aliis ſcholas ſuas pro pretio tenendas locauerint, Eccleſiaſticæ vindictæ ſubiaceant.*

Idem Legatus diſſidium aliquod in Eccleſia Londinenſi inter Decanum nomine Willielmum, M. Radulfum de Langeford & Richardum de Balmeis fratres Concanonicos Clericoſque domeſticos Vvillelmi Decani & Anſelmum electum Epiſcopum eiuſque fautores intercedebat, diremit & Anſelmum licet Papæ ſententia confirmatum, à qua Decanus & alij appellauerant, ab Epiſcopatu remouit, quia electio facta fuerat citra conſcientiam aſſenſumque Decani, cuius erat in eligendo Paſtore primum ferre ſuffragium. Tum quoque Theobaldus Abbas Beccenſis ad regimen Eccleſiæ Cantuarienſis aſſumptus eſt.

Ad annum 1139 notat Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico conceſſum fuiſſe ab Hugone Epiſcopo Antiſſiodorenſi Eccleſiam S. Mariæ in ſuburbio ſitam Canonicis Regularibus Ordinis Præmonſtratenſis, cuius Eccleſiæ Canonicis ſecularibus id propoſuiſſe ſcribit, vt aut inde recederent, aut ſuperuenientium fratrũ Ordini ſe ſe conformarent. Ad hoc opus perficiendum adiutores habuit Guillelmum Niuernenſem Comitem & Theobaldum Campaniæ quoque Comitem, viros tam vita laudabiles quàm in aula præpotentes. Totius vero huius negotij author & promotor fuit Iterius quidam Eccleſiæ Antiſſiodorenſis Clericus, mediocriter litteratus, quem aiunt in ſomnio admonitum, vt Marianum Cœnobium extrueret. Primus autem huius Cœnobij Abbas fuit Rainerius ex Præmonſtratenſi Priore. *Litteraturæ tantæ tamque prudens concilij*, inquit ille, *vt in toto Præmonſtratenſi Ordine vix eo poſſet potior inueniri; mirâ gratiâ præpollens in cunctis, niſi quod laborabat incommodo modicæ ſurditatis.* 1134. *Marianum Cœnobium.*

Eodem anno legitur obiiſſe Ioannes de Temporibus anno ætatis 361. Quod ſi verum eſt, ab eo certiſſimè diſcere potuit Vniuerſitas Pariſienſis Inſtitutionis fundationiſque ſuæ primordia. Quippe regnante Carolo M. eum natum fuiſſe ferunt, eiuſque Armigerum extitiſſe. Id aſſerunt ſatis communi conſenſu Franci Germanique & Angli ſcriptores. Martinus Polonus qui ſequente ſeculo floruit circa an. 1270. ſic de eo ſcribit in vita Conradi qui poſt mortem Lotharij hoc anno aut certè ſuperiore cœpit Imperij gubernacula tractare. *Huius tempore anno Dom. 1139. Ioannes de Temporibus qui annis trecentis ſexaginta vno vixerat à tempore Caroli M. cuius Armiger fuerat, defunctus eſt.* Idem ſcribunt Nangius & poſt Nangium **Ioannes Brompton Anglus qui florebat circa an. 1300. Henricus** de Knygthon, Gaguinus & alij.

Ad eundem annum enumerat Vincentius Bellouacus plurimos illuſtres viros qui in Academia Pariſienſi aut docuerunt, aut ſtuduerunt; Milonem Epiſcopum Morinenſem, Aluiſum Atrebatenſem, cui in Aquicinctini Cœnobii regimine ſucceſſit Goſvvinus, de quo ad initia huius ſeculi diximus; Godefridum Carnotenſem, Bernardum Clare-Vallenſem. Quibus Chronicon Mauriniacenſe hos addit, Odonem S. Remigij Abbatem, Ioſcelinum S. Petri Melidunenſis Abbatem, Natalem Cancellarium Regis, Reſbacenſem Abbatem, Hugonem de S. Victore, qui omnes ad præficiendum Cœnobio Mauriniacenſi Abbatem à Ludouico Rege miſſi fuerant, quique Macharium Priorem Longi-pontis, Alberici Oſtienſis nepotem in Abbatem elegerunt. Hoc quoque tempore florebat M. Simon de Piſciaco, quem Rex paulo poſt Romam delegauit ad Innocentium; vt legitur in eodem Chronico.

Eodem anno Innocentius Concilium in Laterano celebrauit, ad quod delata eſt Arnoldi Brixienſis hæreſis, qui Magiſtros quondam ſuos Petrum de Bruis & Petrum Abaëlardum in exemplis peruerſitatis imitatus, iam à pluribus annis *Concil. Rom. contra Arnoldum Brixienſem.*

plurima ſpargebat in vulgus hæretica dogmata, calumnioſa, & Eccleſiaſticæ pacis perturbatiua, aduerſus nempe Prælatos, Epiſcopos & Abbates qui terrenarum opum aliquid poſſidebant. De eo ſic loquitur Otho Friſinghenſis ſcriptor contemporaneus l. 2. de Geſtis Friderici I. c. 20. Arnaldus iſte ex Italia Ciuitate Brixia oriundus, eiuſdem Eccleſiæ Clericus ac tantùm Lector ordinatus Petrum Abaëlardum olim præceptorem habuerat, vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluuio, quàm ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, nouitatis cupidus, cuiuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes ſchiſmatumque perturbationes ſunt plena. Is à ſtudio è Galliis in Italiam reuertens, religioſum habitum, quò amplius decipere poſſet induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum ac Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, Laïcis tantùm adulans. Dicebat enim nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione poſſe ſaluari, cunctaque hæc Principis eſſe, ab eiuſq; beneficentiâ in vſum tantum laïcorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento altaris, de baptiſmo paruulorum non ſanè dicitur ſenſiſſe. His aliiſque modis quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem Eccleſiam perturbaret, Laïciſque terræ illius prurientes erga clerum aures habentibus Eccleſiaſticas malicioſè exponeret paginas, in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito ab Epiſcopo illius Ciuitatis viriſque Religioſis accuſatur. Romanus ergo Pontifex ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit. Sicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens ad Tranſalpina ſe contulit, ibique in oppido Almaniæ Turego Officium Doctoris aſſumens pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminauit.

Damnatus igitur Arnoldus & omnium Clericorum Monachorumque infidiis appetitus Romam Italiamq; deſerens in Galliam primùm, deinde in Germaniam ſe confert, & aliquandiu apud Hermannum de Arbona Conſtantienſem Epiſcopum demoratur. Quo cognito Bernardus Clareuallenſis ſtatim dat ad Epiſcopum litteras, rogatque ne apud ſe aut in Diœceſi ſua peſtem eiuſmodi deliteſcere patiatur, iam ex Gallia & Italia pulſam fugatamque. Digna eſt eius Epiſtola, quæ hiſce Annalibus inſeratur. Eſt autem ordine 195.

„ *Si ſciret Pater-familias, quâ hora fur veniret, vigilaret vtique & non ſineret perfo-*
„ *di domum ſuam.* Scitis quia de nocte fur irruperit domum non veſtram, ſed Do-
„ mini, vobis tamen commiſſam. Sed dubium eſſe non poteſt ſcire vos, quod
„ apud vos ſit, quando id vſque ad nos vtique tam remotos potuit peruenire. Nec
„ mirum, ſi non horam præuidere aut nocturnum furis ingreſſum obſeruare quiui-
„ ſtis. Mirum autem ſi deprehenſum iam non agnoſcitis, non tenetis, non prohibetis
„ exportare ſpolia veſtra, imò pretioſiſſimas Chriſti exuuias, animas videlicet quas
„ ſua imagine præſigniuit, ſuo cruore redemit. Adhuc forſan hæretis & miramini
„ quemnam dicere velim. Arnaldum loquor de Brixia, qui vtinam tam ſanæ eſ-
„ ſet doctrinæ quàm diſtrictæ eſt vitæ. Et ſi vultis ſcire, homo eſt neque manducans, neque bibens, ſolo cum Diabolo eſuriens & ſitiens ſanguinem animarum,
„ vnus de numero illorum, quos Apoſtolica vigilantia notat, habentes for-
„ mam pietatis, virtutem illius penitus abnegantes. Et ipſe Dominus, *Venient,*
„ inquit, *ad vos in veſtimentis Ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces.* Is ergo vſ-
„ que ad hanc ætatem, vbicumque conuerſatus eſt, tam fœda poſt ſe & tam ſæua
„ reliquit veſtigia, vt vbi ſemel fixerit pedem, illuc vltra redire omnino non au-
„ deat. Denique ipſam in qua natus eſt, valde atrociter commouit terram & con-
„ turbauit eam. Vnde & accuſatus apud D. Papam ſchiſmate peſſimo, natali ſolo
„ pulſus eſt, etiam & abiurare compulſus reuerſionem, niſi ad ipſius Apoſtolici per-
„ miſſionem. Pro ſimili deinde cauſa & à regno Francorum exturbatus eſt Schiſ-
„ maticus inſignis. Execratus quippe à Petro Apoſtolo adhæſerat Petro Abaïlar-
„ do, cuius omnes errores ab Eccleſia iam deprehenſos atque damnatos cum illo
„ etiam & pro illo defendere acriter & pertinaciter conabatur. Et in his omnibus
„ non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Nam etiam ita vagus &
„ profugus eſt ſuper terram, quod iam non licet inter ſuos, & non ceſſat apud alie-
„ nos tanquam Leo rugiens, circuiens & quærens quem deuoret. Et nunc apud
„ vos ſicut accipimus, operatur iniquitatem & deuorat plebem veſtram ſicut eſ-

cam panis. Cuius maledictione & amaritudine os plenum eſt, veloces pedes eius ad effundendum ſanguinem, contritio & infelicitas in viis eius & viam pacis non cognouit. Inimicus crucis Chriſti, ſeminator diſcordiæ, fabricator ſchiſmatum, turbator pacis, vnitatis diuiſor, cuius dentes arma & ſagittæ, & lingua eius gladius acutus, molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum & ipſi ſunt iacula. Vnde & ſolet ſibi allicere blandis ſermonibus & ſimulatione virtutum diuites & potētes iuxta illud, *Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.* Demum cum fuerit de illorum captata beneuolentia & familiaritate ſecurus, videbitis hominem apertè inſurgere in Clerum fretum tyrannide militari, inſurgere in Epiſcopos & in omnem paſſim Eccleſiaſticum ordinem deſæuire. Hæc ſcientes neſcio an melius ſalubriuſue in tanto diſcrimine rerum agere valeatis, quàm iuxta Apoſtoli monitum auferre malum ex vobis, quanquam amicus ſponſi ligare potius quàm fugare curabit, ne iam diſcurrere & eo nocere plus poſſit. Hoc enim & D. Papa dum adhuc eſſet apud nos ob mala quæ de illo audiebat fieri, ſcribendo mandauit, ſed non fuit qui faceret bonum. Denique ſi capi vulpes puſillas demolientes vineam ſcriptura ſalubriter monet, num multò magis Lupus magnus & ferus relinquendus eſt, ne Chriſti dirumpat Ouilia, oues macter & perdat?

Ex hac Bernardi Epiſtola patet Arnoldum ex Italia pulſum confugiſſe primum in Galliam ad Magiſtrum olim ſuum Petrum Abaëlardum in Ruienſi Cœnobio, cuius Abbas erat, tunc forte habitantem. Quæ quidem duorum hominum in fide ſuſpectorum coniunctio & conuerſatio tam ſuſpecta & odioſa fuit omnibus viris bonis & verè Catholicis, vt vtrumque exterminare conati fuerint. Præcipuus verò eorum aduerſarius Bernardus egit apud Innocentium Pontificem & apud Guidonem de Caſtello Cardinalem Legatum, vt ſuprema in eos ſupplicia decernerentur. Igitur Innocentius protinus mandat Archiepiſcopis Remenſi & Senonenſi & Bernardo Abbati, vti viros iſtos comprehendi curent, ſeorſimque ſub arcta cuſtodia in Cœnobiis detineri.

Innocentius Epiſcopus Ser. Seru. Dei Venerabilibus Fratribus Samſoni Remenſi, Henrico Senonenſi Archiepiſcopis & Chariſſimo in Chriſto Bernardo Claræ-vallis Abbati Sal. & Apoſt. Bened. *Per præſentia ſcripta veſtræ fraternitati mandamus* quatenus Petrum Abaëlardum & Arnaldum de Brixia peruerſi dogmatis fabricatores & Catholicæ fidei impugnatores, in Religioſis locis, vbi vobis melius viſum fuerit, ſeparatim faciatis includi & libros erroris eorum vbicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani 18. Kalend. Aug. *Et adiectum in fine.* Tranſcripta iſta nolite oſtendere cuiquam, donec ipſæ litteræ in Pariſienſi Colloquio quod prope eſt, præſentatæ fuerint ipſis Archiepiſcopis.

Ex hac Bulla facilè conuincuntur erroris illi qui ſcribunt Arnoldum de Brixia ſub Honorio II. fuiſſe interfectum ante annum ſcilicet 1129. cum manifeſtum ſit Samſonem, ad quem Innocentius ſcribit, anno tantùm 1137. creatum fuiſſe Remenſem Archiepiſcopum. Cæterum non potuit Bulla iſta tam callidè prudenterque celari, vt non præſenſerit Arnoldus ſibi fabam cudi, necemque aut vincula intentari. Itaque clam ſe ſubduxit & in Germaniam ad Epiſcopum Conſtantienſem fugit, ibiq; ſubſtitit, quandiu ibi latere ignoratus eſt. At cum tandem illinc quoque expellendum ſibi aſſumpſit Bernardus, datis ad Epiſcopum præallatis litteris, & his quæ ſequuntur ad Guidonem de Caſtello Legatum Pontificis, apud quem commorari dicebatur, vt apud amicum & condiſcipulum olim ~~eum~~ ſuum in ſchola Abaëlardi.

Arnaldus de Brixia cuius conuerſatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt, quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur eſſe vobiſcum. Videte quæſo ne veſtra authoritate plus noceat: nam cum & artem habeat & voluntatem nocendi, ſi acceſſerit fauor veſter, erit funiculus triplex qui difficile rumpitur, ſupra modum, vt vereor, nociturus. Et vnum exiſtimo de duobus, ſi tamen verum eſt, quod vobiſcum hominem habeatis, aut minus ſcilicet notum vobis eſſe illum, aut vos, quod eſt credibilius, de eius correctione confidere. Et vtinam id non fruſtra. Quis det de lapide hoc ſuſcitare filium Abrahæ? quam gratum munus ſuſciperet mater Eccleſia de manibus veſtris vas in

» honorem, quod tandiu paſſa eſt in contumeliam? licet tentare, ſed vir pruden s
» cautus erit non tranſgredi non præfinitum numerum ab Apoſtolo, qui ait: *hæ-*
» *reticum hominem poſt vnam aut ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt*
» *qui eiuſmodi eſt*, & delinquit proprio iudicio condemnatus: alioquin familiarem
» habere & frequẽter admittere ad colloquendum ne dicam ad conuiuendum, ſuſ-
» picio fauoris eſt & inimici hominis feſtis armatura ſecurè annunciabit & facile
» perſuadebit quæ volet domeſticus & Contubernalis Legatus Apoſtolicæ ſedis.
» Quis enim è latere D. Papæ mali quidpiam ſuſpicetur? ſed & ſi in manifeſto per-
» uerſa loquitur, quis ſe facile opponere audeat veſtro Collaterali? Deinde videtis
» qualia poſt ſe, vbicunque habitauit, reliquit veſtigia. Nonne ſine cauſa vigor
» Apoſtolicus hominem Italia ortum tranſalpinare coëgit, repatriare non patitur?
» Quis vero extraneorum ad quos eiectus eſt, non eum omnimodè cuperet ſuis red-
» didiſſe? Et certe ſic ſe habere ad omnes, vt omnibus odio habeatur, approbatio Iu-
» dicij eſt, quod portat nequis dicat ſubreptum fuiſſe D. Papæ. Quale eſt ergo ſum-
» mi Pontificis ſuggillare ſententiam, & illam ſententiam cuius rectitudinem eius
» ipſius in quem data eſt, etſi lingua diſſimulat, vita clamat? Itaque fauere huic, D.
» Papæ contradicere eſt, etiam Domino Deo. Per quemcunque enim iuſta ſenten-
» tia iuſtè detur, ab illo certum eſt proceſſiſſe qui loquitur in Propheta: Ego qui
» loquor iuſtitiam. Confido autem de veſtra prudentia & honeſtate, quia viſis his
» litteris de veritate certus non abducemini amodo quippiam aſſentire in hac re,
» niſi quod vos deceat & Eccleſiæ Dei expediat, pro qua legatione fungimini.

Licet autem Eccleſiaſticis præſertim viris odioſus eſſet Arnoldus, non omnibus tamen bonis eius Doctrina improbabatur: carpebat ille ſacerdotum Prælatorumque mores valde diſſolutos, huiuſque diſſolutionis cauſam aiebat eſſe diuitias & amplas poſſeſſiones, quæ virtutum nouercæ eſſe ſolent. Itaque præter victum & veſtitum nihil vltra eis concedi volebat. Verum, vt mos eſt Hæreticorum cum reprimuntur, frena laxauit impudentiæ & mediocritatis atque modeſtiæ terminos tranſgreſſus eſt. De eo ſic habet Ligurinus l. 3. De Geſtis Friderici. I.

Cuius origo mali tantæque voraginis author
Extitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Peſtifero, tenui nutriuit Gallia ſumptu
Edocuitque diu. Tandem natalibus oris
Redditus aſſumpta ſapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Inſectans odio, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices ipſumque graui corrodere linguâ
Audebat Papam, ſceleratáque dogmata vulgo
Diffundens variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo
Iure ſequi Monachos, nulli fiſcalia iura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantum
Committenda viris popularibus atque regenda:
Illis primitias & quæ deuotio plebis
Offerat, & decimas caſtos in corporis vſus,
Non ad luxuriam ſiue oblectamina carnis
Concedens, molleſque cibos cultuſque nitorem
Illicitoſque thoros laſciuaque gaudia Cleri
Pontificum faſtus. Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores Monacheſque ſuperbos.
Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus, falſis admixta docebat.
Et fateor. Pulchram fallendi nouerat artem,
Veris falſa probans, quia tantùm falſa loquendo
Fallere nemo poteſt, veri ſub imagine falſum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.

Porro ſeu Arnoldus apud Guidonem Legatum qnietus manſerit, ſeu aliò fugerit, longè maiores turbas poſt Innocentij deceſſum excitauit. vt infra videbimus.

Non minor verò exarſit in Abaëlardum inimicorum rabies: vnde ille præ timore ita animũ deſpõdit, vt relictis Chriſtianis ad Gentiles tranſire cogitarit, apud quos ſecurius viuere poſſet: quoties enim ſynodum aliquam alicubi celebrari aut proximè cebrandam audiebat, toties de ſua damnatione actum iri putabat. Sed & ſæuiorem adhuc hoſtili paſſus fuit à Monachis ſuis perſecutionem in Abbatia Ruienſi, à quibus ſcilicet ſibi ſemper necem intentari videbat. *Ita*, inquit, *me Sathanas impediuit, vt vbi quieſcere poſſim aut etiam viuere, non inueniam, ſed vagus & profugus adinſtar maledicti Cain vbique circunferar, quem vt ſupra memini, foris pugnæ, intus timores inceſſanter cruciant, imo tam foris quam intus timores inceſſanter, pugnæ pariter & timores. Et multo periculoſior & crebrior perſecutio filiorum aduerſum me ſæuit quàm hoſtium. Iſtos quippe ſemper præſentes habeo & eorum inſidias iugiter ſuſtineo. Hoſtium violentiam in corporis mei periculum video, ſi à Clauſtro procellam: in Clauſtro autem filiorum id. Monachorum mihi tanquam Abbati, hoc eſt Patri commiſſorum tam violenta, quàm doloſa inceſſanter ſuſtineo machinamenta. O quotiens veneno me prodere tentauerunt? ſicut & in beato factum eſt Benedicto. A talibus autem eorum quotidianis inſidiis, cum mihi in adminiſtratione cibi vel potus quantum poſſem prouiderem, in ipſo altaris ſacrificio intoxicare me moliti ſunt, veneno ſcilicet Calici immiſſo.*

Anno 1140. obierunt inſignes Academici, Hugo à S. Victore, Stephanus Fpiſcopus Pariſienſis & Albericus Remenſis. Hugo quidem Thomæ ſucceſſerat in Prioratu San-Victorinæ Domus, vir religione omniumque artium peritia clarus, inſignis præterea Theologus in ſcholarum regimine inter præcipuos eminentiſſimè floruit. Multa egregia dictauit opuſcula: de ſacramentis, de arca Noë, de ſtudio Sapientiæ, qui Tractatus inſcribitur Didaſchalicon & de Laude Crucis. Aiunt aliqui & inter eos Ioannes Brompton Abbas Iornalenſis, eum cum in extremis vitæ eſſet, Dominicum Corpus à fratribus enixiſſimè poſtulaſſe: illis vero, quia cibum retinere non poterat, non conſecratam hoſtiam porrigentibus hæc verba retuliſſe. *Deus miſereatur veſtri fratres, cur mihi illudere voluiſtis? Iſte non eſt Dominus meus.* Tum conſecratam offerentibus, illum viſo Domino ſe retinere non valentem, dixiſſe erectis manibus. *Aſcendet filius ad Patrem & Spiritus ad Deum qui creauit illum.* Statimque expiraſſe & Corpus Domini euanuiſſe. Alij eodem teſte ſcribunt, quod cum propter iugem vomitum non poſſet Euchariſtiam retinere, hacque de cauſa fratres conſecratam afferre noluiſſent, rogauerit eos vt ſaltem lateri ſuo imponerent: hocque facto latus eius fiſſum fuiſſe & hoſtiam ſe corpori inſeruiſſe. 1140. *Hugo de S. Victore mo-ritur.*

Scribunt quoque nonnulli tam delicatæ fuiſſe complexionis, & carnis tam teneræ, vt *Diſciplinam* quam vocant ferre nullatenus poſſet: poſt mortem vero Concanonico cuidam apparuiſſe ſecurum quidem vitæ æternæ, at ob teneritudinem carnis quam in hoc mundo exercitiis vincere & domare non tentauerat, à Dæmonibus fuiſſe flagellatum. Rem ſic narrat Thomas Cantipratanus l. 2 c. 17. §. 5. **Apud S. Victorem** Pariſius in Monaſterio Canonicorum Regularium M. Hugo Canonicus fuit: qui ſecundus Auguſtinus, id eſt ſecundus ab Auguſtino in ſcientia dictus eſt, qui etſi vitæ valde laudabilis fuerit, in hoc tamẽ minus perfectè fecit, quod diſciplinas in ſecreto vel in Capitulo cum aliis pro quotidianis exceſſibus non accepit. Habebat enim vt mihi dictum eſt, carnem tenerrimam & nimis à pueritia delicatam. Quia ergo naturam vel conſuetudinem potius minus bonam in ſe virtutis exercitio non euicit, audi quid eum inde ſuſtinere contigerit. Ad extrema veniens à quodam Concanonico ſuo qui cum in vita valde dilexerat, adiuratus eſt, quatenus ei poſt obitum appareret. Libenter, inquit, ſi hoc mihi per vitæ & mortis Dominum concedatur. His conditionibus mediis M. Hugo defungitur, nec multo poſt redit ad ſocium præſtolantem dicens. *Ecce Ego. Quære quod vis, morari non poſſum.* Tunc ille etſi cum timore non tamen modicè gratulatus. Quomodo, inquit, dilectiſſime tibi eſt? Bene ait nunc mihi eſt; ſed quia dum viuerem, accipere renui diſciplinam, vix vllus Dæmonum in inferno remanſit, qui non mihi ictum validum dederit ad purgatorium tranſeunti.

Quanto autem in pretio habita ſint eius ſcripta, vnico teſtimonio probaſſe ſuffi-

ciat. Eo quippe defuncto Richardus eius Diſcipulus poſt eum S. Victoris Prior electus ea vbicunque reperiri poſſe credidit, diligenter perquiri & ad ſe perferri curauit. Imo ex Anglia ad eum quidam S. Albani Monachus reſcripſit, vt ea ſibi exſcribere liceret: vt patet ex hac ad ipſum Richardum Epiſtola.

» Venerabili fratri & amico Richardo Priori de S. Victore Fr. S. humilis Miniſter
» Eccleſiæ S. Albani ſalutem & debitum ſinceræ Dilectionis obſequium. Opuſcu-
» la M. Hugonis, quæ in partibus noſtris vndecunque quæſita reperire potuimus,
» ſummo ſtudio & exactiſſima diligentia ſicut tantæ venerationis ſcripta merentur,
» collegimus, & ex eis plurima in volumina redegimus. Quoniam autem ex me-
» moria viri Tractatibus aliquot apud vos contineri quæ in partibus Ciſmarinis
» aut omnino non ſunt, aut adhuc in Anglia rareſcunt, comperta relatione didici-
» mus, Latori præſentium, eorum quæ penes Nos habentur, notulas compendioſas
» tradidimus, de veſtra nimirum Charitate confiſi, quod in opera ſibi commiſſa in
» oculis veſtræ ſinceritatis noſtro debeat interuentu gratiæ plenitudinem obtinere.
» Sanctitatem igitur veſtrã obnixe rogamus ac petimus, quatenus memorato latori
» præſentium Tractatus M. Hugonis inſpiciendi copiam ob reuerentiam B. Alba-
» ni & noſtræ precis intuitu, benignè ſi placet, indulgeatis: & vt eos quos apud
» Nos non habere compererit, commodius quomodocunque exſcribi faciat, pre-
» camur vt ei in præſenti negotio veſtri conſilij ſimul & auxilii gratiâ reſpectus fra-
» ternæ Charitatis aſpiret.

Anno quoque eodem 4 Kal. Aug. obiit inſignis ille Stephanus Siluanectenſis Epiſcopus Pariſienſis, de quo ſupra ſatis multa, quem aiunt nonnulli paulo ante relicto Epiſcopatu ad Canonicos San-Victorinos ſe contuliſſe, vitæ nempe tædio ob amiſſum Thomam de S. Victore, à Nepotibus Archidiaconi Noterii miſerabiliter, vt diximus, trucidatum. Aliquandiu autem Cancellariam Franciæ exercuiſſe teſtantur Hiſtorici & Epitaphium eius tumulo inſculptum, quod infra referemus. Abbatiæ S. Victoris addictiſſimus certè fuit, cui præbendarum Eccleſiæ Pariſienſis annum primum conceſſit an. 1123. aut 24. item & nonnullarum aliarum præbendas Eccleſiarum. Huius itaque Præſulis in obituario San-Victorino mentio fit valde honorabilis his verbis. *Quarto Kal. Auguſt. Anniuerſarium* piæ recordationis Stephani Pariſienſis Epiſcopi qui in vita ſua hanc noſtram Eccleſiam mirabili affectu ſinceræ dilectionis amplectens multa & magna
„ ei beneficia conferens dignum & perpetuum ſui nominis & amoris memoriale
„ poſteris dereliquit: ſiquidem in omnibus Eccleſiis in quibus præbendæ ſunt, no-
„ bis in ſingulis præbendas ſingulas dedit: in ſeniori Eccleſia B. Mariæ Pariſienſis
„ præbendam vnam in Eccleſia S. Marcelli, S. Germani Antiſſiodorenſis, S. Martini
„ de Campellis præbendam vnam. Dedit etiam Nobis omnibus ſupradictis eccle-
„ ſiis Annualia præbendarum, libros quoque optimos quos ſibi parauerat, mo-
„ riens Nobis reliquit. Huius itaque tanti viri tam ſpecialis amici anniuerſarium
„ per ſingulos annos ſpecialiter & ſolemniter celebrandum & cum magna deuo-
„ tione faciendum eſt, & ante Miſſam commendatio. Statutum eſt etiam, vt pro
„ eius anima præbenda vna integra ſingulis diebus ad Eleemoſynam præbeatur, &
„ pauper vnus per ſingulos annos ex integro veſtiatur, & in die Anniuerſarij eius
„ centum pauperes pane, vino & carnibus reficerentur. Item Anniuerſarium bonæ
„ memoriæ Bartholomæi Catalaunenſis Epiſcopi nepotis eiuſdem.

Iacet in medio Chori huius Eccleſiæ: ibique hæc duo leguntur Epitaphia.

Hîc iacet Felicis memoriæ R. P. & D. Stephanus quondam Franciæ Cancellarius, & poſt Epiſcopus Pariſienſis. Huius Domus ſpecialis benefactor, qui obiit anno D. 1140. 4. Kal. Aug. *Alterum vero tale eſt.*

Hic iacet inter oues Stephanus, qui Pariſienſis
Extitit Eccleſiæ Paſtor, & huius ouis.
Hanc inopem paruamque nouam Pius pater auxit,
Extulit, ornauit, rebus, honore, libris.
Multa dedit multis, ſe nobis, pluſque daturus,
Si dare plus poſſet, qui ſua ſeque dedit.

Fluuius

Huius morte grauiter turbata eſt Eccleſia Pariſienſis, propterea quod Ludouicus Rex ſucceſſoris electionem ſibi arrogauit, nec auſum eſt Capitulum refragari, alterumque ſubſtituere. Quâ de re queritur Bernardus Clare-Vallenſis Abbas Ep. ad Stephanum Præneſtinum Epiſcopum. *Conculcantur*, inquit, *apud nos ſancta*, Eccleſia turpiter ancillatur. Nam electiones Epiſcoporum prohibentur fieri & ſicubi id præſumptum à Clericis fuerit, electus Epiſcopari non ſinitur. Denique ſedet in triſtitia Eccleſia Pariſienſis proprio deſtituta paſtore; & nemo eſt, qui de ſubſtituendo alio mutire audeat. Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus Domos Epiſcopales, etiam in terras & in homines manus ſacrilega circunquaque deſæuit, totius inſuper anni ex eis ſibi reditus vindicando. Veſtra Catalaunenſis fecit quidem electionem, ſed qui electus eſt, ecce iam diebus multis debito honore fruſtratur & ſcitis quam non abſque graui Gregis Dominici detrimento. Commiſit Rex Germano ſuo Roberto vices Epiſcopi, & ille in cunctis terris rebuſque Eccleſiæ poteſtatiuè verſans & pro vice ſua vbique haud ſegniter agens infert cœlis quotidianas hoſtias non planè pacificas. Clamores pauperum, lachrymas viduarum, planctus Orphanorum, *gemitus compeditorum & ſanguinem interfectorum.*

Hæc autem Eccleſiarum turbatio inde orta, quod poſt mortem Alberici Bituricenſis Archiepiſcopi, quæ hoc quoque anno accidit, Innocentius Papa contra Regis voluntatem, Petrum de la Chaſtre ſubſtituit. Nam licet Rex Capitulo iuxta ſua Priuilegia liberam vtcumque reliquiſſet eligendi poteſtatem, per quoſdam tamen è Canonicis quos ſibi deuinxerat, Cadurci cuiuſdam Cappellani ſui electionem tentabat fieri. Innocentius verò Petrum illum ex antiquâ ſtirpe Dominorum de la Chaſtre in agro Bituricenſi oriundum, Aimerici Eccleſiæ Rom. Cancellarij Conſobrinum, ſeu, vt alii ſcribunt, nepotem, olim Alberici Remenſis Diſcipulum Bituricenſi Eccleſiæ præfecit non exſpectata Regis voluntate; Cadurcum autem (quod grauius fuit) omni honore Eccleſiaſtico priuauit. Rex Petro Regni ſui ingreſſu; Papa in Regno Diuini Officij celebratione interdixit. Petrus ita prohibitus confugit ad Theobaldum Campaniæ Comitem, & ab eo benigniſſimè & humaniſſimè excipitur liberamque capeſſit in ditione Comitis adminiſtrandæ Eccleſiæ ſuæ poteſtatem. Rex irâ percitus Comiti bellum indicit, Vitriacum capit, & Eccleſiam illius loci, ad quam miſerrimi ciues confugerant, admoto igne ſuccendit, ſimulque mille trecentos vtriuſque ſexus homines. Quæ res adeo exacerbauit Bernardum, vt apud Pontificem, omneſque Eccleſiæ Prælatos de Rege ſupra quam dici poteſt, acriter queſtus fuerit.

Interim vero defunctis hoc anno & conſequentibus plurimis Epiſcopis, Rex propria authoritate ſucceſſores ſubſtituit, non petito nec exſpectato plebis clerivè conſenſu; aut Eccleſias ſine paſtoribus relinquit; aut electos à Capitulis in exilium amandat. Itaque Catalaunenſis Eccleſia poſt mortem Gaufridi diu viduata paſtore eſt: Pariſienſis ſimiliter poſt obitum Stephani, Remenſis Samſonem nacta male etiam ab eodem Rege habita eſt. Qua de re Bernardus Ep. 222. ad Ioſlenum Sueſſionenſem **Epiſcopum.** ***Eſto quod omnino malè meruit Comes***, ſed Eccleſia Deiquid meruit? quid, inquam, meruit non iam ſola Bituricenſis, *ſed & Catalaunenſis & Remenſis & Pariſienſis?*

Huius hiſtoriæ meminerunt author Chronici Mauriniacenſis, Gaufridus Prior Voſienſis, Guill. Nangius Monachus San-Dionyſianus qui ſic ſcribit ad an. 1142. *Defuncto Bituricenſi Archiepiſcopo Alberico miſſus eſt Petrus à Papa eiuſdem Eccleſiæ paſtor conſecratus. Sed à Rege repudiatus; nec in vrbe recipitur, eo quod ſine eius aſſenſu fuerat ordinatus. Ipſe vero Rex conceſſerat Eccleſiæ Bituricenſi libertatem eligendi Epiſcopum, quem vellent excepto dicto Petro, publicéque iurauerat quod ſe viuente non erat futurus Archiepiſcopus. Qui tamen electus Romam profectus eſt & conſecratus fuit à Papa Innocentio. Rex vero Archiepiſcopum excluſit. Redeuntem eum Comes Campaniæ Theobaldus recepit in terra ſua, & omnes ei Eccleſiæ obediebant.* Mathæus Pariſienſis eandem Hiſtoriam refert, ſed malè reiicit ad an. 1146. ſub Eugenio.

Tandem verò poſt triennale Interdictum Bernardi & Petri Venerabilis interuenientibus precibus Rex & Pontifex quanquam ægre reconciliantur. Extat Petri ad Innocentium in hanc rem Epiſtola 3. l. 4. quæ digna mihi videtur hiſce Annalibus inſeri.

Summo Pontifici Innocentio Frater Petrus humilis Cluniacenſis Abbas obedientiam & amorem... Pro Domino Rege Franciæ, magno, nobili & ſpeciali filio veſtro benignitatem Apoſtolicam deprecor: vt quia non ſolum magnificus Rector Chriſtiani populieſt, ſed etiam quia opus manuum veſtrarum eſt, quem ad Regnum prouexiſtis, quem ſacris manibus veſtris inunxiſtis, quem Gallis potentiorem patribus Regem deſignaſtis, ſi quid forte noſtris adhuc vt ætate iuuenis inconſultò egit, ei condeſtendatis & eius forte errorem ſapientiæ veſtræ lumine contegatis. Eſt enim Patris vt & filij & maximè tanti vt errorem emendet & honorem conſeruet. Hoc pro diſſidio quod inter ipſum & Dominum Bituricenſem Archiepiſcopum eſt, dico. Verum bellum quod inter Regem & Theobaldum exarſit, anno tantum 1144. ſopitum eſt. Petrus quidem electus Bituricenſis remanſit Archiepiſcopus; Theobaldus Prior S. Martini Campenſis electus Pariſienſis Epiſcopatum adeptus eſt tum liberè, & Guido de Montagu Catalaunenſem poſſedit. Demum Petrus Bituricenſis quandiu deinceps vixit, Regi fideliſſimus & addictiſſimus fuit; Rex quoque ipſum inter amicos & familiares habuit, vt ex pluribus eiuſdem Petri Epiſtolis liquet ad Regem & ad Sugerium datis. Vnde conſtat eum fuiſſe virum multæ litteraturæ & facundiſſimum. Obiit autem anno 1171.

Eodem anno M. Guillielmus Abbas olim S. Theodorici dicitur librum vnum Sententiarum edidiſſe: hincque ſententiarum nomen inualuiſſe ferunt, & ſententiarios Theologos dici cœpiſſe: inter quos Petrus Lombardus qui circa ea tempora Lutetiam venit, facile principatum tenuit. Sunt tamen qui Sententiarum inuentionem M. Hugoni de S. Victore adſcribant: qua de re nos ſupra ad an. 1120. Item ante hæc quoque tempora Petrus Abaëlardus dicitur Sententiarum librum edidiſſe, ex quo Bernardus Clare-Vallenſis nonnullos errores extraxit.

Eodem anno M. Henricus de Murdach Anglicanæ nationis huius Academiæ Profeſſor in Theologia clariſſimus, de quo ſupra diximus, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem promotus eſt teſte Rogerio Houedenſi in Poſter. Parte Annalium, his verbis. *Anno 1140 obiit Turſtinus Eboracenſis Epiſcopus quo defuncto ſtatim fit ſchiſma in Eboracenſi Eccleſia de electione Pontificis. Quidam enim elegerunt Vvillielmum Eboracenſis Eccleſiæ Theſaurarium, quem Henricus Vvintonienſis Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ legatus conſecrauit. Cæteri vero Canonicorum elegerunt ſibi Archiepiſcopum Henricum Murdach, qui præualuit & Archiepiſcopatum tenuit quandiu vixit*, hoc eſt vſque ad annum 1155. At Mathæus Pariſienſis ad finem an. 1139. ſcribit Turſtano defuncto ſucceſſiſſe Vvillielmum eiuſdem Eccleſiæ Theſaurarium, nec Henrici Murdachi meminit. Verum certum eſt vtrumque fuiſſe electum & diu vtrunque de ſede illa contendiſſe.

Eodem anno communi quoque fato functus eſt *Giſlebertus* cognomento *Vniuerſalis* Epiſcopus Londinenſis, eique ſucceſſit M. Robertus de Sigillo; Angli quidem ambo, & Magiſtri Pariſienſes. Quo anno quoque valde turbata eſt Anglia ob diſſidium Mathildis Imperatricis & Stephani Regis, qui in prælio poſt inſignia & heroïca planè facta captus, deinde liberatus viciſſim Mathildem fugauit: **ſic alternante vices fortunâ.**

Concilium Senonenſe contra Abaëlardum.

Eodem anno Concilium Senonenſe celebratum eſt aduerſus Petrum Abaëlardum, propter librum eius de Trinitate & nonnullas propoſitiones ex aliis eius Tractatibus excerptas. Cum enim ille eiuſque ſectatores Cenſuram deriderent, quæ in Sueſſionenſi Ciuitate facta olim fuerat nonnullarum illius Tractatus propoſitionum, vlterius progreſſus eſt, & in ſuo Paracletenſi receſſu plurima effudiſſe dicebatur dogmata, quæ Catholicæ fidei parum conſona eſſe videbantur. Quod cum ad aures Bernardi Clare-Vallenſis & Norberti Præmonſtratenſis peruenisſet, cum perpetuò exagitarunt, donec ad Ruienſem Abbatiam ſe contulit: quandiu verò Abbas fuit, paulatim deferbuit eorum calor: tum quia docere deſtiterat, tum quia fortaſſe in ea dignitate conſtitutus paulo moderatius & temperantius de myſteriis loquebatur, ob reuerentiam Innocentii Papæ tum in Gallia reſidentis: aut denique quia cum plurimorum & Cardinalium & Pontificum, quos Diſcipulos habuerat, gratiâ & fauore ſuffultus eſſet, Bernardus non audebat eum palam inſectari. At Papa Romam reuerſo, recruduit bel-

um inter eos. Non verò conſtat an Petrus poſt eiuratam Abbatiam ad ſcholas redierit nec ne: at certè cum clam & palam de Bernardo detraheret, quia hos modò, illos laceſſebat, ſuaque dogmata libentius ſpargeret inter Conciones & Colloquia, rurſus adeo Bernardum irritauit, vt non ante quieſcere compulerit, quàm ipſe damnatus ſit.

Opportunè verò accidit, quod cum in Concilio Lateranenſi deprehenſum fuiſſet Arnoldi Brixienſis errores ex Abaëlardi ſchola profluxiſſe, ipſumque Abaëlardum audacius loqui, iniuncta fuerit Samſoni Remenſi & Bernardo à Pontifice prouincia vtriuſque comprehendendi. Itaque Bernardus iam aliunde ipſi ſatis offenſus exultantem animo virum reprimere conatus eſt: at ille Sophiſticis captionibus confidens, petiit ab Henrico Senonenſi vt ſibi cum Bernardo publicè congredi liceret, effecitque apud Prælatos Eccleſiæ Gallicanæ & apud Regē Ludouicum, vt ad definiendas eiuſmodi lites Senonis Concilium celebraretur. Ei igitur Legatus Apoſtolus interfuit, Henricus Metropolitanus & Suffraganei, Samſon Remenſis, Ioſlenus Sueſſionenſis & Gaufridus Catalaunenſis; Ludouicus Rex cum multis Regni Proceribus, Abbates plurimi, Magiſtri quoque ſcholæ Pariſienſis plurimi.

Dies dicta eſt Abaëlardo, dicta quoque Bernardo: at iſte abnuit diſputaturus adeſſe; maximè quia de damnatis erroribus quæſtio renouabatur. Verum cum magna Prælatorum & nobilium virorum cum Rege concurriſſet multitudo, Dei tandem fretus auxilio ſeſe præſentem exhibuit; & excerpta ex Abaëlardi libris Capitula propoſuit. Ad quæ nihil audens reſpondere Abaëlardus, videnſque ſe ab amicis quos aduocarat, deſeri, ſedem Apoſtolicam appellauit. Cui appellationi ob reuerentiam S. ſedis deferentes Epiſcopi, errorum eius quædam Capita ad Innocentium tranſmiſerunt, eorumque Cenſuram obtinuerunt. Quâ de re ſic ſcribit Otho Friſinghenſis l. 1. c. 48.

Poſt hæc dum rurſus pluribus diebus legeret Abaelardus, maximamque poſt ſe ſociorum multitudinem traheret, ſedente in vrbe Roma Innocentio, in Francia verò Ludouico ſuperioris Ludouici filio regnante, ab Epiſcopis Abbateq; Bernardo denuò ad audientiam apud Senonas euocatur, præſentibus Ludouico Rege Theobaldoque Palatino Comite & aliis Nobilibus, de populoque innumeris. Vbi dum de fide diſcuteretur, ſeditionem populi timens, Apoſtolicæ ſedis præſentiam appellauit. Epiſcopi verò ſimul & Abbas miſsâ ad Romanam Eccleſiam legatione, ac ab eis pro quibus impetebatur, Capitulis, damnationis eius ſententiam in litteris reportauerunt.

Eiuſdem hiſtoriæ meminit Robertus Antiſſiodorenſis, qui hoc quoque ſeculo floruit. *Anno Domini 1140.* inquit, *Senonis præſente Rege Ludouico Epiſcoporum & Abbatum & Religioſorum ſit Conuentus contra Petrum Abailardum. Hic ingenio ſubtiliſſimus mirabiliſque Philoſophus, qui conſtruxerat Cœnobium in territorio Tricaſſino in Prato quodam vbi legere ſolitus fuerat, in quo Sanctimoniales plurimas Epiſcopali authoritate congregauit, quod Paracletum nominauit. Quibus Sanctimonialibus Heloiſſam quondam vxorem ſuam Religioſam fœminam & litteris tam Hebraïcis quàm Latinis apprimè eruditam præfecit Abbatiſſam. Quæ verè ipſius amica magnam ei poſt mortem in aſſiduis precibus fidem conſeruauit, corpuſque eius de loco vbi obierat, tranſtulit ad prædictum Cœnobium.*

Vincentius quoque Bellouacus Ordinis Prædicatorum, qui ſequente ſæculo floruit, eandem breuiter hiſtoriam refert his verbis. *Senonis*, inquit, *præſente Ludouico Rege ſit Epiſcoporum & Abbatum & Religioſorum Conuentus contra Petrum Abaëlardum, qui ſcandalizabat Eccleſiam profana quadam nouitate verborum vel ſenſuum. Et hic ab eis interpellatus, cum eſſet de Iuſtitia reſponſurus, veritus audientiam Apoſtolicæ ſedis appellauit. Et ſic cuadens, non multò poſt Cabillone apud S. Marcellum obiit.* Eadem verba leguntur apud Continuatorem Sigeberti, Antoninum Floretum in lib. de vita & miraculis D. Bernardi, Anton. Sabellicum Enneade 9. Bergomatem, Trithemium in Chronico Hirſaugienſi ad hunc annum, & alios.

Verum omnium optimè & exactiſſimè hiſtoriam hanc enarrat Gaufridus Clare-Vallenſis Monachus Abaëlardi olim Diſcipulus lib. 3. Vitæ S. Bernardi c. 5. Fuit, *inquit*, in diebus illis Petrus Abailardus Magiſter inſignis & celeberrimus in opinione ſcientiæ, ſed de fide perfidè dogmatizans. Cuius cum blaſphemiis

» plena grauiſſimis volitare vndique ſcripta cœpiſſent, profanas nouitates vocum
» & ſenſuum viri eruditi & fideles ad Dei hominem S. Bernardum detulerunt:
» qui nimirum ſolitâ bonitate & benignitate deſiderans errorem corrigi, hominem
» non confundi, ſecreta illum admonitione conuenit. Cum quo etiam tam mo-
» deſtè tamque rationabiliter egit, vt ille quoque compunctus ad ipſius arbitrium
» correcturum ſe promitteret vniuerſa. Cæterum cum receſſiſſet ab eo Petrus, idem
» conſiliis ſtimulatus iniquis & ingenij ſui viribus plurimoque exercitio diſpu-
» tandi infeliciter fidens reſiliit à propoſito ſaniori. Expectens denique Senonen-
» ſem Metropolitanum, quod in eius Eccleſia celebrandum foret in proximo gran-
» de Concilium, Clare-Vallenſem cauſatur Abbatem ſuis in occulto detrahere li-
» bris. Addit quoque paratum ſe eſſe in publico ſua defendere ſcripta, rogans, vt
» prædictus Abbas dicturus ſi quid haberet, ad Concilium vocaretur. Factum eſt,
» vt poſtulauit. Sed vocatus Abbas venire penitus recuſauit, ſuum hoc non eſſe
» renuncians. Poſtea tamen magnorum virorum meritis flexus, ne videlicet ex ip-
» ſius abſentia ſcandalum populo & cornua creſcerent aduerſario, demum pergere
» acquieuit, triſtis quidem, nec ſine lachrimis annuens, ſicut in Epiſtola ad Papam
» Innocentium ipſe teſtatur, in qua plenius lucidiuſque negotium omne proſequi-
» tur. Affuit dies, & Eccleſia copioſa conuenit, vbi à Dei famulo Petri illius in
» medium ſcripta prolata ſunt & erroris Capitula deſignata. Demum illi optio da-
» ta eſt, aut ſua eſſe negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut reſpondendi,
» ſi poſſet obiiciendis ſibi rationibus, pariter & ſanctorum teſtimoniis Patrum. At
» ille nec volens reſipiſcere nec valens reſiſtere, ſapientiæ & ſpiritui qui loqueba-
» tur, ut tempus redimeret, ſedem Apoſtolicam appellauit. Sed & poſtea ab egre-
» gio illo Aduocato Catholicæ fidei admonitus, vel iam ſciens in perſonam ſuam
» nihil agendum, reſponderet tam liberè quàm ſecurè, audiendus tantùm & feren-
» dus in omni patientia, non ſententiâ aliquâ feriendus, hoc quoque omnimodis
» recuſauit. Nam confeſſus eſt poſtea ſuis, vt aiunt, quod ea hora maximâ quidem
» ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit & interior fugerit ſenſus.
» Nihilominus tamen Eccleſia quæ conuenerat, dimiſit hominem, multauit abo-
» minationem, à perſonâ abſtinens, ſed dogmata praua condemnans. Quando
» verò Petrus ille refugium inueniret in ſede Petri tam longè diſſidens à fide Pe-
» tri? Et ipſum ergo authorem eadem ſententia cum erroribus ſuis Apoſtolicus
» Præſul inuoluens, ſcripta incendio, ſcriptorem ſilentio condemnauit. Ex hoc au-
thore cæteri qui deinde ſcripſerunt, verba fere eadem mutuati ſunt: quibus refe-
rendis ſuperſedeo.

Quæcumque tum geſta fuerunt in negotio Abaëlardi, habemus in ſupradicta narratione, veluti in tabella breuiter deſcripta. Obiter verò notare conuenit fuiſſe multos viros graues, qui Bernardum Abbatem, quod nimio fidei tuendæ ardore ſuccenſus eſſet, nimiæ credulitatis accuſarent: ſi quis enim Diuinorum myſteriorum aliquod humanis rationibus tueri vel etiam elucidare nitebatur, ſtatim illi aut hæreticus, aut ſuſpectus videbatur. Et hoc in eo redarguit Otho
» Friſinghenſis l. 1. c. 47. Erat, *inquit*, Bernardus Clare-Vallenſis Abbas tam ex
» Chriſtianæ Religionis feruore Zelotypus, quàm ex habitudinali manſuetudine
» quodammodo credulus; vt & Magiſtros qui humanis rationibus ſeculari ſapien-
» tiâ confiſi nimium inhærebant, abhorreret; & ſi quicquam Chriſtianæ fidei
» abſonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet. Ex quo factum eſt, vt non
» multò ante hos dies ipſo authore, primò ab Epiſcopis Galliæ, poſt à Romano
» Pontifice, Petro Abaëlardo ſilentium impoſitum fuerit. Petrus iſte ex ea Galliæ
» prouincia quæ nunc ab Incolis Britannia dicitur, originem trahens. Eſt enim præ-
» dicta terra Clericorum acuta ingenia & artibus applicata habentium, ſed ad alia
» negotia pene ſtolidorum ferax: quales fuerunt duo fratres Bernardus & Theo-
» doricus viri doctiſſimi: is inquam, litterarum ſtudiis aliiſque facetiis ab ineunte
» ætate deditus fuit, ſed tam arrogans ſuoque tantùm ingenio confidens, vt vix
» ad audiendos Magiſtros ab altitudine mentis ſuæ humiliatus deſcenderet.

Ad hiſtoriæ autem præſentis maiorem elucidationem & perſpicuitatem iuuat ſigillatim referre, quæcunque à Bernardo, ab Epiſcopis, & ab Innocentio Papa in hocce negotio facta fuiſſe ex eorum Epiſtolis colligimus. Imprimis igitur, vt audiuit Bernardus ſe ab Abaëlardo nimiæ credulitatis, aut in rebus Theo-

logicis ignorantiæ accuſari, nec eum detrectare Concilium, imo apud Henricum Senonenſem Archiepiſcopum inſtare, vt illud conuocaret, idque ratum & fixum in animo ſedere Archiepiſcopi Rege annuente & volente, apud quem ipſe Abaëlardus non minimâ authoritate pollebat, dat Epiſtolam, vt vocant circularem ad omnes Epiſcopos, quæ eſt inter Bernardinas ordine 187. cum hac inſcriptione *Ad Epiſcopos Senonas conuocandos*; eſtque eiuſmodi.

Epiſtola Bernardi ad Epiſcopos.

Exiit ſermo inter multos, & credimus ad vos peruenisſe, quomodo videlicet apud Senonas in Octauis Pentecoſtes vocamur & prouocamur ad litem pro defenſione fidei, cum ſeruum Dei non oporteat litigare, ſed magis patientem eſſe ad omnes. Si mea propria cauſa eſſet, poſſet non immerito fortaſſis puer ſanctitatis veſtræ in veſtro patrocinio gloriari. Nunc autem quia & veſtra eſt, imò plus quàm veſtra, fidentius moneo & obnixius rogo, vt amicos vos in neceſſitate probetis. Amicos dixerim, non noſtros, ſed Chriſti, cuius ſponſa clamat ad vos in ſilua hæreſum & in ſegete errorum: quibus ſub tutela & cuſtodia veſtra pullulantibus pene iam ſuffocatur. Amicus ſponſi non deſeret eam in opportunitatibus, in tribulatione. Nec miremini quod ita de ſubito & in arcto temporis vos inuitamus: quoniam hoc quoque aduerſa pars in ſua verſutia & calliditate prouidit, vt improuidos inuaderet, & congredi cogeret immunitos.

Habitum eſt igitur Concilium Senonenſe, cui vt ante retulimus, citati adfuerunt Bernardus, & Abaëlardus. At iſte, neſcio quo timore perculſus nec reſpondere nec diſputare auſus eſt; ſedem verò Apoſtolicam appellauit, exiſtimans ſe in Curia Romana plures habiturum Patronos & cauſæ ſuæ defenſores. Nec moratur Bernardus Papam & Proceres Romanæ Curiæ certiores de iis facere, quæ in Senonenſi Concilio facta fuerant, & ad eos Excerpta quædam mittit ex libris, vt dicebat, Abaëlardi, præſertim ex libro Sententiarum, & ex altero, cui titulus erat, *Scito te ipſum*: quos tamen libros negauit Abaëlardus à ſe ſcriptos aut dictatos. Sic igitur Bernardus ad Cardinales & Epiſcopos Romanæ Curiæ.

Eiuſdem Epiſtola ad Cardinales.

Dominis & Patribus Reuerendis Epiſcopis & Cardinalibus qui ſunt de Curia puer ſanctitatis eorum. Nulli dubium, quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de Regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas. Sic enim præcepit Moyſes, cum montem ſubiit, *Habetis*, inquiens, *Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit Quæſtionis, referetis ad ipſos.* Illum loquor Moyſen, qui venit per aquam, & non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine, & ideo pluſquam Moyſes, quia & in ſanguine venit. Et quoniam pro Hur & Aaron ſtat zelus & authoritas Rom. Eccleſiæ ſuper populum Dei, ad ipſam meritò referimus non quæſtiones, ſed læſiones fidei & iniurias Chriſti, Patrum probra atque contemptus, præſentium ſcandala, pericula poſterorum. Irridetur ſimplicium fides, euiſcerantur arcana Dei, Quæſtiones de altiſſimis rebus temerariè ventilantur, inſultatur Patribus, quod eas magis ſopiendas quàm ſoluendas cenſuerint. Inde fit quod Agnus Paſchalis contra Dei ſtatutum aut aquâ coquitur, aut crudus diſcerpitur more & ore beſtiali. Quod reſiduum eſt, non igne comburitur, ſed conculcatur. Ita omnia vſurpat ſibi humanum ingenium fidei nihil reſeruans, tentat altiora ſe, fortiora ſcrutatur, irruit in Diuina, ſancta temerat magis quàm reſerat, clauſa & ſignata non aperit ſed diripit: & quidquid ſibi non inuenit peruium, id putat nihilum, credere dedignatur. Legite ſi placet librum Petri Abaïlardi, quem dicit *Theologiæ*: ad manum eſt enim: cum ſicut gloriatur, à pluribus lectitetur in Curia: & videte qualia ibi de S. Trinitate dicantur, de genitura Filij, de proceſſione Spiritus Sancti, & alia innumera Catholicis auribus & mentibus diſſueta. Legite & alium, quem dicunt, *Sententiarum* eius; nec non & illum qui inſcribitur *Scito te ipſum*, & animaduertite quantæ & ibi ſilueſcant ſegetes ſacrilegiorum atque errorum, quid ſentiat de anima Chriſti, de perſona Chriſti, de deſcenſu Chriſti ad Inferos, de Sacramento altaris, de poteſtate ligandi atque ſoluendi, de originali peccato, de concupiſcentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et ſi quidem iudicatis me iuſtè moueri, mouemini & vos, ac ne fruſtra moueamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate, quâ polletis, pro poteſtate quam accepiſtis; quomodo qui aſcendit ad Cœlos, deſcendit vſque ad Inferos; & opera tenebrarum auſa prodire in lucem, arguantur à luce

» in lucem, vt dum qui publicè peccat, publicè arguitur, comprimant ſeſe etiam
» alij ponentes tenebras lucem, diſputantes in Triuijs de Diuinis, qui loquuntur
» mala in cordibus ſuis, & in codicibus ſuis ſcribunt, & ſic obſtruatur os loquen-
» tium iniqua.

Hìc obiter notandum hocce tempore vanis & pene inutilibus quæſtionibus miſtam fuiſſe Theologiam, & vt ait Trithemius, *ab hoc tempore Philoſophiam ſecularem ſacram Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpiſſe.* Addit quoque Balæus tunc cœptum eſſe Oxonij & Pariſiis & alibi curiosè diſputari de authoritate Petri, de dignitate Ordinis Monaſtici, de præſtantia ſacri Cœlibatus, de Conceptione Mariæ, de fermento & azymo. Hæc per tranſennam.

Eodem tenore, eodemque feruore ſuccenſus Bernardus ſcribit ad Innocentium Papam per Nicolaum ſeruum Nuntium ſuum: atque initio Epiſtolæ poſt captatam beneuolentiam, breuem contexit rerum apud Senonas geſtarum enarrationem: vtque Abaëlardus preſens auditus fuerit: ſed poſtquam nonnulla capita ex ſcriptis collecta legi cœperunt, ea nolens audire exierit, atque ad ſedem Apoſtolicam prouocarit. Præterea mittit Capitula illa præcipuarum hæreſum ex libris excerptarum, qui partim erant Abaëlardi, partim ſub eius nomine circunferebantur. Sic igitur ille.

Eiuſdem Epiſtola ad Innocentiũ Papam.

Amantiſſimo Patri & Domino Innocentio D. G. ſummo Pontifici Bernardus Clare-Vallenſis vocatus Abbas modicum id quod eſt. Neceſſe eſt vt veniant ſcandala, neceſſe, ſed non ſuaue. Et ideo dicit propheta, Quis dabit pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? & Apoſtolus cupit diſſolui & cum Chriſto quieſcere. Et alius quidam ſanctorum, *Sufficit mihi Domine*, ait, *Tolle animam meam.* Neque enim melior ſum, quàm Patres mei. Eſt mihi nunc aliquid commune cum ſanctis, in voluntate duntaxat, neque in merito. Nam vellem & ipſe de medio fieri, victus fateor à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Vereor autem ne non ſicut pariter affectus, ita pariter & paratus inueniar. Tædet viuere, & an mori expediat, neſcio: & ideo forte etiam in votis diſtem à ſanctis, quod ipſi prouocentur deſiderio meliorum, cum ego ſcandalis & ærumnis compellar exire. Denique ait diſſolui & cum Chriſto eſſe multo melius. Ergo & in facto appetitus & in hac miſerrima vita nec ille habere quod appetit bonum, nec Ego quod moleſtum patior, non habere valeamus. Et ob hoc exerceri quidem ambo pari cupimus voluntate, ſed non pari intentione. Stultè mihi dudum requiem promittebam, ſiquidem *Leonina rabies* (id. Petri-Leonis) quieuiſſet, vt pax Eccleſiæ redderetur. Nam ecce illa quieuit, ſed non Ego. Neſciebam me eſſe in valle lachrymarum, aut oblitus fueram me habitare in terra obliuionis. Non attendebam terram in qua habito, ſpinas & tribulos germinare mihi, ſuccisis ſuccedere nouas, & rurſum illis alias ſine fine, ſine intermiſſione ſuccreſcere. Audieram hæc ſed melius, vt nunc experior, ipſa vexatio dat intellectum auditui. Innouatus eſt dolor non exterminatus, lachrymæ inundauerunt, quia inualuerunt mala & expertis pruinam irruit ſuper eos nix. Ante faciem frigoris huius quis ſuſtinebit? hoc frigore refrigeſcit charitas, vt abundet iniquitas. Leonem inuaſimus, ſed incidimus in Draconem qui non minus forſan noceat ſedens in inſidiis, quàm ille rugiens de excelſo. Quanquam non iam in inſidiis, cuius virulenta folia vtinam adhuc laterent in ſcriniis & non in Triuiis legerentur. Volant libri, & qui oderunt lucem, quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem, putant lucem tenebras. Vrbibus & Caſtellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum paſſim omnibus propinatur. Tranſierunt de gente in gentem & de Regno ad populum alterum. Nouum cuditur populis & Gentibus Euangelium, noua ponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt. De virtutibus & vitiis non moraliter, de Sacramentis Eccleſiæ non fideliter, de arcano S. Trinitatis non ſimpliciter, nec ſobriè diſputatur: ſed cuncta nobis in peruerſum, cuncta præter ſolitum & præterquam accepimus, miniſtrantur. Procedit Golias procero corpore, nobili illo ſuo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque eius armigero Arnoldo de Brixia; ſquama ſquamæ coniungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas. Siquidem ſibilauit apis quæ erat in Francia, api de Italia: & venerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, intenderunt arcum, parauerunt ſa-

gittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in occulto rectos corde: in victu autem & habitu habentes formam pietatis, ſed virtutem eius abnegantes; eo decipiunt plurimos quo transfigurant ſe in Angelos lucis cum ſint Sathanæ. Stans ergo Golias vna cum Armigero ſuo inter vtraſque acies clamat aduerſus phalangas Iſraël, exprobratque agminibus ſanctorum eo nimirum audacius, quò ſentit Dauid non adeſſe. Denique in ſuggillationem Doctorum Eccleſiæ magis effert laudibus Philoſophos; adinuentiones illorum & ſuas Nouitates Catholicorum Patrum Doctrinæ præfert & fidei: & cum omnes fugiant à facie eius, me omnium minimum expetit ad ſingulare certamen. Denique ſcripſit mihi ſollicitante quidem ipſo Archiepiſcopus Senonenſis diem ſtatuens congreſſionis, quo ille in præſentia eius & Coepiſcoporum ſuorum deberet ſi poſſet ſtatuere praua dogmata ſua. Contra quæ Ego auſus mutire fuiſſem? abnui, tum quia puer ſum, & ille vir bellator ab adoleſcentia; tum quia iudicarem indignum rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac ſtabili veritate conſtat eſſe ſubnixam. Dicebam ſufficere ſcripta eius ad accuſandum eum, nec me referre, ſed Epiſcoporum, quorum eſſet Miniſterij de dogmatibus iudicare. Ille nihilominus, imò amplius leuauit vocem, vocauit multos, congregauit Complices. Quæ de me ad Diſcipulos ſuos ſcripſerit, dicere non curo. Deſſeminauit vbique ſe mihi die ſtatuto apud Senonas reſponſurum. Exiit ſermo ad omnes, & non potuit me latere. Diſſimulaui primum, nec enim ſatis populi rumore mouebar. Cedens tamen licet vix, itavt flerem, conſilio amicorum, qui videntes quomodo ſe quaſi ad ſpectaculum omnes pararent, timebant ne de noſtra abſentia & ſcandalum populo & cornua creſcerent aduerſario. Et quia error magis confirmaretur, cum non eſſet qui reſponderet aut contradiceret, occurri ad locum & diem imparatus quidem & immunitus, niſi quod illud mente voluebam: Nolite præmeditari qualiter reſpondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et illud, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Conuenerant autem præter Epiſcopos, abbates plurimi viri Religioſi, & de Ciuitatibus Magiſtri Scholarum & Clerici litterati multi, & Rex præſens erat. Itaque in præſentia omnium aduerſario ſtante ex aduerſo producta ſunt quædam Capitula de libris eius excerpta. Quæ cum cœpiſſent legi, nolens audire exiuit appellans ab electis Iudicibus, quod non putamus licere. Porro Capitula Iudicio omnium examinata inuenta ſunt fidei aduerſantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne leuitate aut certè temeritate vſus in tanto negotio putarer. Verum Tu ô ſucceſſor Petri, iudicabis an debeat habere refugium ad ſedem Petri, qui Petri fidem impugnat: Tu inquam, amice ſponſi prouidebis, quomodo liberes ſponſam à labiis iniquis & à lingua doloſa. Sed vt paulò audacius loquar cum Domino meo, attende etiam tibi, amantiſſime Pater, & gratiæ Dei quæ in te eſt. Nonne cum eſſes paruulus in oculis tuis, ipſe te conſtituit ſuper gentes & Regna? ad quid niſi vt euellas & deſtruas, & ædifices & plantes? Qui ergo tulit te de Domo Patris tui & vnxit te vnctione miſericordiæ ſuæ, attende quæſo ex tunc & deinceps quanta fecit animæ tuæ, quanta per te Eccleſiæ ſuæ in agro Dominico, **Cœlo & terra teſtibus tam potenter quàm ſalubriter euulſa ſunt & deſtructa**, quanta rurſum bene ædificata, plantata, propagata. Suſcitauit Deus furorem Schiſmaticorum in tuo tempore, vt tuo opere contererentur. Vidi ſtultum firma radice, & ſtatim maledictum eſt pulchritudini eius. Vidi, inquam, vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat. Oportet autem ait, hæreſes & ſchiſmata eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Et in ſchiſmate quidem iam vt dictum eſt, Dominus probauit te & cognouit te. Sed ne quid deſit Coronæ tuæ, & hæreſes ſurrexerunt. Itaque ad commutationem virtutum, & ne quid minus fuiſſe inueniamini à magnis Epiſcopis Anteceſſoribus veſtris, capite nobis Pater amantiſſime, vulpes quæ demoliuntur vineã Domini, donec paruulæ ſunt, ne ſi creſcant & multiplicentur, quidquid talium per te non fuerit exterminatũ, à poſteris deſperetur. Quam quã non iam paruulæ nec pauculæ, ſed certè grandiuſculæ & multæ ſint, nec niſi in manu forti, vel à vobis exterminabuntur. Iacinthus multa mala oſtendit nobis, nec enim quæ voluit fecit. Sed viſus eſt mihi patienter ferendus de me, qui nec perſonæ veſtræ, nec Curiæ in Curia illa pepercit: quod melius Nicolaus iſte meus, imo & veſter vitia refert voce.

Porrexit ergo Bernardus quædam Capitula quæ ex Abaëlardi libris, nempe partim ex libro *Theologiæ*, partim ex *libro Sententiarum*, partim denique ex libro *Scito te ipſum* aſſerebat ſe excerpſiſſe. Quanquam libros iſtos præter Theologicum ſuos eſſe negabat Abaelardus. Negabat quoque Capitula illa ad ſe pertinere, aut ſe Propoſitiones huiuſmodi vllatenus ſcripſiſſe, aut eum habere ſenſum, quem illis affingebat Bernardus: ac proinde ne tanquam earum Author & Reus damnaretur, Romanum Tribunal appellauit. Altercationem diremit ſynodus prudenter damnando quidem Capitula prout iacebant, at ab Authoris nomine, qui videbatur incertus, abſtinendo. Et hoc eſt, quod ſcribit Goffridus in vita Bernardi l. 3. c. 5. *Eccleſia quæ conuenerat, dimiſit hominem, mulctauit abominationem: à perſona abſtinens, ſed dogmata prauа condemnans.* Ita vtrique quodammodo ſatisfactum, dum damnata ſunt Capitula quæ damnari volebat Bernardus, nec damnatus Abaëlardus, quia ſe negabat eorum eſſe authorem. Sequuntur vero iſta Capitula.

CAPITVLA HÆRESVM REPERTARVM IN libro Theologiæ P. Abailardi; in libro Sententiarum, & in libro cui titulus eſt Scito te ipſum, à Bernardo Clarevallenſi ad Innocentium Papam tranſmiſſa.

1. QVod Pater ſit plena Potentia, Filius quædam Potentia, Spiritus S. nulla Potentia.
2. Quod Spiritus S. non ſit de ſubſtantia Patris aut Filij.
3. Quod Spiritus S. ſit anima mundi.
4. Quod Chriſtus non aſſumpſit carnem, vt nos à iugo Diaboli liberaret.
5. Quod nec Deus & homo, neque hæc perſona quæ Chriſtus eſt, ſit tertia perſona in Trinitate.
6. Quod liberum arbitrium per ſe ſufficit ad aliquod bonum.
7. Quod ea ſolummodo poſſit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum vel eo tempore quo facit, & non alio.
8. Quod Deus nec debeat nec poſſit mala impedire.
9. Quod non contraximus culpam ex Adam, ſed pœnam tantum.
10. Quod non peccauerunt qui Chriſtum ignorantes crucifixerunt, & quod non culpæ adſcribendum eſt quidquid fit per ignorantiam.
11. Quod in Chriſto non fuerit ſpiritus timoris Domini.
12. Quod poteſtas ligandi atque ſoluendi Apoſtolis tantum data ſit, non ſucceſſoribus.
13. Quod propter opera nec melior nec peior efficiatur homo.
14. Quod ad Patrem qui ab animo non eſt, proprie vel ſpecialiter attineat operatio, non etiam ſapientia & benignitas.
15. Quod etiam caſtus timor excludatur à futura vita.
16. Quod Diabolus immittat ſuggeſtiones per operationem lapidum vel herbarum.
17. Quod aduentus in fine ſeculi poſſit attribui Patri.
18. Quod anima Chriſti per ſe non deſcendit ad Inferos, ſed per porentiam tantum.
19. Quod nec opus, nec voluntas, neque concupiſcentia, neque delectatio, cum mouet eam, peccatum ſit, nec debemus eam velle extinguere.

Idem Abbas veritus, ne non ſatis examinarentur prædicta capita, exiſtimauit refutationes eorum eſſe ſubiungendas, quas alia Epiſtola ad eundem Pontificem data complectitur, eſtque eiuſmodi.

Amantiſſimo Patri & D. Innocentio ſummo Pontifici F. Bernardus Clare-Vallis vocatus Abbas modicum id quod eſt.

Oportet

Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt, Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium. *Propoſitionum erroneos confutat Bernardus.*

Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſimè, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptores. Habemus in Francia nouum de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſua in arte Dialectica luſit, & nunc in ſcripturis ſanctis inſanit. Olim damnata & ſopita dogmata, tam ſua videlicet quàm aliena ſuſcitare conatur, inſuper & noua addit. Quæ dum omnium quæ ſunt in Cœlo ſurſum & quæ in terra deorſum, nihil præter ſolum neſcio quid neſcire dignatur, ponit in Cælum os ſuum, & ſcrutatur alta Dei redienſque ad nos refert ineffabilia quæ non licet homini loqui. Et dum paratus eſt de omnibus reddere rationem, & contra rationem præſumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem quàm ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem quam credere nolle quod non poſſit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis, *Qui credit, cito leuis eſt corde*, cito credere eſt, inquit, adhibere fidem ante rationem: cum hoc Salomon non de fide in Deum, ſed de mutua inter nos dixerit credulitate. Nam illam quæ in Deum eſt, fidem B. Papa Gregorius negat planè habere meritum, ſi ei humana ratio præbeat experimentum. Laudat autem Apoſtolos quod ad vnius iuſſionis vocem ſecuti ſunt Redemptorem. Scit nimirum pro laude dictum. *In auditu auris obediuit mihi*: increpatos è regione Diſcipulos, quod tardius credidiſſent. Denique laudatur Maria quod rationem fide præuenit; & punitur Zacharias, quod fidem ratione tentauit. Et rurſum Abraham commendatur, qui contra ſpem in ſpem credidit. At contra Theologus noſter. Quid, inquit, *ad Doctrinam loqui proficit, ſi quod docere volumus exponi non poteſt vt intelligatur?* Et ſic promittens intellectum auditoribus ſuis, in his etiam quæ ſublimiora & ſacratiora profundo illo ſinu ſacræ fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in Maieſtate modos, numeros in æternitate. Conſtituit denique Deum Patrem plenam eſſe potentiam, filium quandam potentiam, Spiritum S. nullam potentiam. Atque hoc eſſe filium ad Patrem, quod quandam potentiam, ad potentiam, quod ſpeciem ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs. Nonne pluſquam Arrius hic? quis hæc ferat? quis non claudat aures ad voces ſacrilegas? quis non horreat profanas nouitates & vocum & ſenſuum? Dicit etiam Spiritum ſanctum procedere quidem ex patre & filio, ſed minime de Patris eſſe filiique ſubſtantia. Vnde ergo an forte ex nihilo ſicut & vniuerſa quæ facta ſunt? Nam & ipſa ex Deo eſſe non diffitetur Apoſtolus nec veretur dicere, *Ex quo omnia.* Quid igitur? **dicemus ex patre & filio Spiritum S. non alio prorſus procedere** modo quàm omnia, id eſt non eſſe eſſentialiter, ſed creabiliter, ac proinde creatum ſicut & omnia? Aut nunquid tertium inueniet ſibi modum, quo eum ex patre filioque producat, homo qui nouа ſemper inquirit & quæ non inuenit, fingit, affirmans ea quæ non parit, tanquam ea quæ ſunt? at ſi eſſet, inquit, de ſubſtantia Patris, profectò genitus eſſet & duos Pater filios haberet. Quaſi vero omne quod de ſubſtantia aliqua eſt, continuo ipſum à quo eſt, haberet Genitorem. Num verò pediculi aut lendes, aut phlegmata vel filij carnis ſunt, vel non ſunt de ſubſtantia vermis? aut vermes de ligno putrido prodeuntes aliunde quam de ligni ſubſtantia ſunt, qui tamen filij ligni non ſunt? ſed & tineæ de ſubſtantia pannorum ſubſtantiam habent, generationem non habent. Et multa in hunc modum. Miror autem hominem acutum & ſciolum, vt quidem ſibi videtur, quomodo cum Spiritum S. fateatur Patri & filio conſubſtantialem, neget tamen ex Patris filiique prodire ſubſtantia, niſi forte illos ex ipſius procedere velit. Quod quidem inauditum eſt & nefandum. Si autem nec is de illorum nec illi de huius ſubſtantia ſunt, vbi quæſo conſubſtantialitas? aut ergo fa-

„ teatur cum Eccleſia Spiritum S. de ſubſtantia illorum eſſe, à quibus non negat
„ procedere, aut certè cum Arrio conſubſtantialitatem deneget & prædicet
„ apertè creationem.
„ Deinde ſi filius de ſubſtantia Patris eſt, Spiritus S. non eſt, differant neceſſe eſt
„ à ſe inuicem, non ſolum quia Spiritus S. genitus non eſt: ſed etiam quod filius
„ de ſubſtantia Patris eſt, quod Spiritus S. non eſt. Quam quidem poſteriorem dif-
„ ferentiam fides Catholica huc vſque neſciuit. Si eam admittimus, vbi Trinitas, vbi
„ vnitas? ſiquidem Spiritu S. filioque nouarum à ſe differentiarum numeroſitate
„ diſtantibus, vnitas diſſipatur, præſertim cũ ſubſtantialẽ eſſe pateat differentiã quã
„ iſte conatur inducere. Porro autem Spiritu S. à Patris filiique ſubſtantia recedẽ-
„ te non Trinitas remanet ſed dualitas. Neque enim dignum eſt in Trinitate ad-
„ mitti perſonam, quæ nihil habeat in ſubſtantia commune cum reliquis. Deſi-
„ nat ergo Spiritus S. Proceſſionem à Patris filiique ſubſtantia ſeparare, ne duplici
„ impietate numerum & Trinitati minuat & tribuat vnitati: quod vtrumque fides
„ abnuit Chriſtiana. Et ne de re tanta ſolis videar inniti rationibus, legat Epiſto-
„ lam Hieronymi ad Auitum, certè videbit inter cæteras quas redarguit Origenis
„ blaſphemias, etiam hoc eum deteſtantem, quod dixerit ſpiritum S. de ſubſtantia
„ Patris non eſſe. B. Athanaſius in lib. de vnica Trinitate ita loquitur. *Solum Deum*
„ *vbi memoratus ſum, non ſolùm perſonam Patris indicaui, quia filium & Spiritum de hac*
„ *ipſa ſola ſubſtantia eſſe non abnegaui*. Hoc Athanaſius. Videt S. V. quomodo iſto
„ non diſputante ſed dementante & Trinitas non cohæret, & vnitas pendet, nec
„ iſtud ſanè abſque iniuria Maieſtatis. Quidquid namque illud eſt quod Deus ſit,
„ id ſine dubio eſt, quo non poſſit aliquid maius cogitari. Si ergo in vnica & ſum-
„ ma Maieſtate iuxta conſiderationem perſonarum vel parum aliquid claudicare
„ recipimus, dum quod vni plus datur, alteri minuitur, minus profecto eſt totum
„ ab eo, quo nihil maius valeat cogitari. Maius enim ſine dubio eſt quod totum
„ maximum eſt, quàm quod ex parte. Ille vero dignè pro ſua poſſibilitate diuinam
„ æſtimat Magnificentiam, qui nil in ea cogitat diſpar, vbi eſt totum ſummum:
„ nil diſtans, vbi totum eſt vnum, nihil hians, vbi totum eſt integrum, nihil de-
„ nique imperfectum vel egens, vbi totum eſt totum. Totum nempe eſt Pater,
„ quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Totum Filius, quod ipſe & Pater &
„ Spiritus ſanctus. Totum Spiritus ſanctus quod & ipſe & Pater & Filius. Et to-
„ tum vnum eſt totum, nec ſuperabundans in tribus, nec imminutum in ſingu-
„ lis. Nec enim verum ſummumque bonum quod ſunt, inter ſe particulariter di-
„ uidunt, quoniam nec participaliter id poſſident, ſed hoc ipſum eſſentialiter
„ ſunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciſſimè dicitur, perſona-
„ rum ſanè deſignatio eſt, non vnitatis diuiſio. Licet namque in hac ineffabili & in-
„ comprehenſibili Deitatis eſſentia alter & alter, id requirentibus proprietatibus
„ perſonarum, ſobriè Catholicéque dicatur, non tamen ibi eſt alterum & alterum,
„ ſed ſimplex vnum: vt nec præiudicium faciat Vnitati Trinitatis confeſſio, nec
„ proprietatum ſit excluſio, vera aſſertio vnitatis. Tam longè proinde fiat à ſenſi-
„ bus noſtris, quàm eſt & à regula veritatis execranda illa de genere & ſpecie non
„ ſimilitudo ſed diſſimilitudo, & nihilominus illa de ære æreoque ſigillo: quo-
„ niam cum genus quidem & ſpecies, quod ad ſe inuicem ſunt alterum ſuperius,
„ altera inferior ſit, Deus autem vnus ſit, nunquam bene profecto conueniet tantæ
„ æqualitati & tantæ diſparilitati. Et rurſum de ære & quodam ære quod eſt æreum
„ ſigillum, quoniam quod inde in eandem vſurpatur ſimilitudinis rationem, ſi-
„ mile eſt huic idem Iudicium. Cum enim ſpecies vt dixi minor ſit & inferior ge-
„ nere, abſit vt hanc in patre & filio diuerſitatem cogitemus. Abſit vt huic acquieſ-
„ camus dicenti hoc eſſe filium ad Patrem, quod ſpeciem ad genus, quod homi-
„ nem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs, quod aliquam potentiam ad poten-
„ tiam. Sunt quippe cuncta hæc mutua ſuæ connexione naturæ ad ſe inuicem ſu-
„ periora & inferiora: & ob hoc nulla prorſus admittenda ſimilitudo ex his ad il-
„ lud, vbi nihil eſt inæquale, nil diſſimile. Videtis de quanta vel imperitia vel
„ impietate deſcendat harum adinuentio ſimilitudinum.
„ Adhuc aduertite clarius quid ſentiat, doceat, ſcribat. Dicit propriè & ſpecia-
„ liter ad patrem potentiam, ad filium ſapientiam pertinere: quod quidem falſum.
„ Nam & pater ſapientia & filius potentia veriſſimè ſunt, ſaniſſiméque dicuntur;

& quod eſt commune amborum, non erit proprium ſingulorum. Alia illa ſunt profecto vocabula quæ non ad ſeipſos dicuntur, ſed ad alterutrum; & ideo eſt cuique ſuum & non commune cum altero. Nam qui pater eſt, filius non eſt, & qui filius eſt, pater non eſt: quoniam non quod ad ſe, ſed quod ad filium pater eſt, patris nomine deſignatur: & item nomine filij, non quod ad ſe filius, ſed quod eſt, ad partem exprimitur. Non ſic potentia, non ſic ſapientia, neque alia multa quæ ad ſe dicuntur, & pater & filius non ſingulariter alter reſpectu alterius. Non inquit, ſed ad proprietatẽ perſonæ Patris propriè vel ſpecialiter inuenimus omnipotentiam attinere, quod non ſolum cum cæteris 2. Perſonis æque omnia efficere poteſt, verum etiam ipſe ſolus à ſe, non ab alio exiſtere, ita etiã ex ſe habet poſſe. O alterum Ariſtotelem! an non eadem ratione, ſi hoc ratio eſſet & ſapientia & benignitas propriè pertineret ad Patrem, cum & ſapere & benignum eſſe æquè à ſe pater & non ab alio habeat, quemadmodum & eſſe & poſſe? Quod ſi non abnuit (nec enim de ratione poteſt) quid quæſo facturus eſt de illa nobili ſua partitione, in qua vt Patri potentiam, ſic filio ſapientiam, ſic ſpiritui S. benignitatem propriè ac ſpecialiter aſſignauit? Non enim vna & eadem res propriè poterit conuenire duobus, hoc eſt vt cuique propria ſit. Eligat quod vult, aut det ſapientiam filio & tollat eam Patri, aut Patri tribuat & auferat filio: & rurſum benignitatem, aut Spiritui S. ſine Patre, aut Patri ſine Spiritu S. aſſignet: aut certè deſinat nomina communia propria facere, & Patri quoniam à ſe ipſo habet potentiam, non ideo tamen audeat concedere propriam, ne & benignitatem ſimul & ſapientiam, quas à ſe nihilominus habet, identidem proprias ipſi ſua ratione aſſignare cogatur. Sed exſpectemus adhuc & videamus quam theoricè noſter Theologus inuiſibilia Dei contempletur. Dicit, vt dixi, propriè omnipotentiam pertinere ad Patrẽ, atque hanc vt ſit integra & perfecta, in generando & diſcernendo conſtituit.

Porro filio vt iam dictum eſt, aſſignat Sapientiam, ipſumque non ſimpliciter quidem poentiam, ſed quandam in Deo potentiam eſſe definit, ideſt potentiam tantùm diſcernendi. Forte timet iniuriam facere Patri, ſi tantum tribuat filio, quantum & ipſi: & cui non audet potentiam dare integram, concedit dimidiam. Et quod dicit, manifeſtis declarat exemplis, aſſerens potentiam diſcernendi quæ eſt filius, ita quandam eſſe potentiam, quemadmodum homo quoddam eſt animal, & ſigillum æreum quoddam eſt æs: atque hoc eſſe potentiam diſcernendi, ad gerendi diſcernendique potentiam, ideſt filium ad Patrem, quod homo ad animal eſt, quod æreum ſigillum ad æs. Sicut enim, inquit, ex eo quod eſt æreum ſigillum, exigit neceſſario vt æs ſit: & ex eo quod eſt homo vt animal ſit, ſed non è conuerſo, ita diuina ſapientia quæ eſt potentia diſcernendi, exigit quod ſit diuina potentia, ſed non è conuerſo. Quid igitur vis, vt iuxta tuam ſimilitudinem ad inſtar præcedentium etiam ex hoc quod filius eſt, exigat vt Pater ſit, hoc eſt vt qui filius eſt, Pater ſit, quanquam non è conuerſo? Si hoc dicis, hæreticus es. Si non dicis, vacat ſimilitudo. Ad quid enim tibi ipſam tanto circuitu delongè poſitis rebus & minus conuenientibus emendicas, tanto labore colligis, tanta inculcas inani multiplicitate verborum, tantis effers laudibus; ſi non facit ad quod adducitur, vt **videlicet membra ad membra** congruis proportionibus reducantur? Nonne hoc opus, hic labor eſt, vt per ipſam nos doceas eam, quæ eſt inter Patrem & filium habitudinem? Tenemus autẽ te docente ad hominis poſitionem poni animal, ſed non è conuerſo ſecundum regulam Dialecticæ tuæ, qua non quidem poſito genere ponitur ſpecies, ſed poſita ſpecie ponitur genus. Cum ergo patrem ad genus, filium ad ſpeciem referas, nonne id oratio ſimilitudinis poſtulat, vt ſimiliter poſito filio Patrem poni oſtendas & non conuerti: vt quomodo qui homo eſt, neceſſario animal eſt, ſed non conuertitur: ita quoque qui filius eſt, neceſſario Pater ſit, & æque non conuertatur? Sed contradicit tibi in hoc Catholica fides, quæ profecto vtrumque recuſat, tam Patrem videlicet eſſe qui filius eſt, quam eſſe filium qui pater eſt. Nam alius proculdubio pater atque alius filius, quamuis non aliud Pater quam filius. Nam per alius & aliud nouit pietas fidei cautè inter perſonarum proprietates & indiuiduam eſſentiæ vnitatem diſcernere, & medium iter tenens Regia incedere via, vt nec declinet ad dexteram confundendo perſonas, nec reſpiciat ad ſiniſtram, ſubſtantiam diuidendo. Quod ſi per ſimplex eſſe dicas verè conſequi, vt ſi filius

» eſt, neceſſario Pater ſit, nihil te iuuat, cum ratio relationis neceſſario exigat vt
» conuertatur & eadem veritas comitetur conuerſam: quod non congruit adductæ
» de genere & ſpecie vel de ære æreoque ſigillo ſimilitudini. Neque enim ſicut
» per ſimplex eſſe duntaxat veriſſimè dicitur, *ſi Pater eſt, Filius eſt*, & *ſi Filius eſt,*
» *Pater eſt*, ita etiam poſſumus inter hominem & animal, ſiue inter æreum ſigillum
» & æs in veritate conuertibilem texere conſequentiam. Nam etſi verum ſit dicere,
» *ſi homo eſt, animal eſt*, non tamen vera eſt conuerſa qua dicitur, *ſi animal eſt,*
» *homo eſt*. Et item ſigillum æreum eſt, neceſſario ſequitur vt æs ſit, non tamen
» ſi æs ſit, neceſſario ſequitur, vt ſigillum æreum ſit. Sed iam pergamus ad reli-
» qua.

» En iuxta iſtum habemus omnipotentiam in patre, quandam potentiam in filio.
» Dicat nobis etiam de Spiritu S. quid ſentiat. *Benignitas ipſa*, inquit, *quæ hoc nomi-*
» *ne quod eſt Spiritus S. demonſtratur, non eſt in Deo potentia ſiue ſapientia.* Videbam Sa-
» tanam tanquam fulgur cadentem de cœlo. Sic debet cadere qui ambulat in ma-
» gnis & mirabilibus ſuper ſe. Vides Pater ſancte, quas ſcalas imò quæ præcipitia
» iſte ſibi parauerit ad ruinam? *Omnipotentiam, ſemipotentiam, nullam potentiam.* Ipſa
» auditu horreo & ipſum horrorem puto ſufficere ad refellendum. Veruntamen
» teſtimonium pono quod turbato interim occurrit ad remouendam Spiritus S.
» iniuriam. In Eſaia legitur, *Spiritus Sapientiæ, Spiritus fortitudinis*. Per quod vtique
» apertè ſatis iſtius audacia, & ſi non comprimitur, conuincitur tamen. O lingua
» magniloqua! Eſto vt iniuria filij vel Patris remittatur tibi, nunquid blaſphemia
» Spiritus? Manet Angelus Domini qui te ſecet medium. Dixiſti enim, non eſt
» Spiritus S. in Deo potentia, ſiue ſapientia. Ita pes ſuperbiæ ruit cum irruit. Nec
» mirum ſi homo qui non curat quæ dicat, irruens in arcana fidei, theſauros abſ-
» conditos pietatis tam irreuerenter inuadit atque diſcerpit, cum de ipſa pietate fi-
» dei nec piè nec fideliter ſentiat. Denique in primo limine Theologiæ (vel potius
» Stultilogiæ ſuæ) *fidem* definit *eſtimationem*: quaſi cuique in ea ſentire & loqui
» quæ libeat, liceat, aut pendeant ſub incerto in vagis ac variis opinionibus no-
» ſtræ fidei ſacramenta, & non magis certa veritate ſubſiſtant. Nonne ſi fluctuat fi-
» des, inanis eſt & ſpes noſtra? Stulti ergo Martyres noſtri ſuſtinentes tam acerba
» propter incerta, nec dubitantes ſub dubio remunerationis præmio durum per
» exitum diuturnum inire exiliũ. Sed abſit vt putemus in fide vel ſpe noſtra aliquid
» vt is putat, dubiâ æſtimatione pendulum & non magis totum quod in ea eſt cer-
» ta ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis & miraculis diuinitus perſuaſum, ſta-
» bilitum & conſecratum partu Virginis, ſanguine Redẽptoris, gloria reſurgentis.
» Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis. Si quo minus ipſe poſtremo ſpiritus
» reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus. Quomodo ergo fidem
» quis audet dicere æſtimationem, niſi qui ſpiritum iſtum nondum accepit, quiue
» Euangelium aut ignoret, aut fabulam putet? *Scio cui credidi & certus ſum*, clamat
» *Apoſtolus*, & tu mihi ſubſibilas, *fides eſt æſtimatio*! Tu mihi ambiguum garris quo
» nihil eſt certius? ſed Auguſtinus aliter. *Fides*, ait, *non coniectando vel opinando ha-*
» *betur in corde in quo eſt, a beo cuius eſt, ſed certa ſcientia, acclamante conſcientia. Abſit*
» ergo abſit, vt hos fines fides habeat Chriſtiana. Academicorum ſint iſtæ æſti-
» mationes quorum eſt dubitare de omnibus, ſcire nihil. Ego verè ſecurus in Ma-
» giſtri gentium ſententiam pergo, & ſcio quoniam non confundar. Placet mihi
» fateor, illius de fide definitio, & ſi iſte etiam ipſam latenter inſimulet. *Fides eſt,*
» ait *ſubſtantia rerum ſperandarum, Argumentum non apparentium.* Subſtantia inquit, *re-*
» *rum ſperandarum, non immanium phantaſia coniecturarum.* Audis ſubſtantiam, non li-
» cet tibi in fide putare vel diſputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania
» opinionum, per deuia errorum. Subſtantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque
» præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non eſt enim fides
» æſtimatio ſed certitudo. Sed aduertite cætera. Omitto quod dicit ſpiritum timoris
» Domini non fuiſſe in Domino: timorem Domini caſtum in futuro ſeculo non
» futurum: poſt conſecrationem panis & calicis; priora accidentia quæ remanent,
» pendere in aere: dæmonum in nobis ſuggeſtiones contactu fieri lapidum & prout
» illorum ſagax nouit malitia, harum rerum vires diuerſas diuerſis incitandis & in-
» cendendis vitiis conuenire. Spiritum S. eſſe animam mundi. Mundum iuxta Pla-
» tonem tanto excellentius animal eſſe, quanto meliorem animam habet Spiritum

S. Vbi dum multum ſudat quo modo Platonem faciat Chriſtianum, ſe probat Ethnicum. Hæc inquam omnia aliaſque iſtiuſmodi nænias eius non paucas prætereo, venio ad grauiora non quod vel ad ipſa cuncta reſpondeam, magnis enim opus voluminibus eſſet. Illa loquor quæ tacere non poſſum.

Myſterium noſtræ Redemptionis (ſicut in libro quodam Sententiarum ipſius, & item in quadam eius expoſitione Epiſtolæ ad Romanos legi) temerarius ſcrutator Maieſtatis aggrediens in ipſo ſtatim ſuæ diſputationis exordio Eccleſiaſticorum Doctorum vnam omnium de hac re dicit eſſe ſententiam, & ipſam ponit ac ſpernit & gloriatur ſe habere meliorem, non veritus contra præceptum ſapientis tranſgredi terminos antiquos quos poſuerunt Patres noſtri. *Sciendum eſt*, ait, quod omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conueniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem & iure eum poſſidebat, ideo ſcilicet quod homo ex libertate arbitrij quam habebat, ſponte Diabolo conſenſit. Aiunt namque quod ſi quis aliquem vicerit, victus iure Victoris ſeruus conſtituitur. Ideo, inquit, ſicut dicunt Doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt filius Dei, vt homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur à iugo diaboli. Sed vt nobis videtur, ait, nec diabolus vnquam ius aliquod in homine habuit, niſi forte Deo permittente, vt carcerarius: nec filius Dei vt homines liberaret, *carnem aſſumpſit*. Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blaſphemiam an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem an impietatem? An non iuſtius os loquens talia fuſtibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium in ſe meritò prouocat manus, cuius manus contra omnes? Omnes, inquit, ſic; ſed non Ego ſic. Quid ergo tu? quid melius affers? quid ſubtilius inuenis? quid ſecretius tibi reuelatum iactas quod præterierit ſanctos, effugerit ſapientes? Aquas furtiuas & panes abſconditos puto, apponet nobis iſte. Dic tamen, dic quidquid illud eſt quod tibi videtur & nulli alteri. An quod filius Dei non vt hominem liberaret, hominem induit? hoc plane nemini te excepto videtur: tu videris, vbi videris. Non enim hoc à ſapiente, non à propheta, non ab Apoſtolo, non denique ab ipſo Domino accepiſti. Magiſter Gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magiſter omnium ſuam doctrinam fatetur non eſſe ſuam, non enim ait, à me ipſo loquor, tu verò de tuo nobis tradis & quod à nemine accepiſti. Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Tibi proinde ſint quæ tua ſunt. Ego Prophetas & Apoſtolos audio, obedio Euangelio ſed non Euangelio ſecundum Petrum. Tu nobis nouum condis Euangelium: quintum Eccleſia Euangeliſtam non recipit. Quid lex, quid Prophetæ, quid Apoſtoli, quid Apoſtolici viri nobis aliud euangelizant quàm quod ſolus tu negas, Deum videlicet factum hominem vt hominem liberaret? Et ſi Angelus de cœlo aliud vobis euangelizauerit, anathema ſit. Sed qui venerunt poſt Apoſtolos, Doctores non recipis, homo qui ſuper omnes docentes te intellexiſti. Denique non erubeſcis dicere, quod aduerſum te omnes ſentiant, cum ab inuicem non diſſentiant. Fruſtra proinde illorum tibi fidem doctrinamq; proponerem, quos iam proſcripſiſti. Ad prophetas te ducam. Loquitur ſub typo Hieruſalem, ad populum acquiſitionis, **non propheta, ſed in propheta Dominus dicens**, *Saluabo te & liberabo te, noli timere*. Quæris à qua poteſtate, non enim vis vt diabolus in hominem habeat vel habuerit poteſtatem. Fateor nec ego. Non tamen idcirco non habet, quia ego & tu hoc nolimus. Si non confiteris tu nec cognoſcis; cognoſcunt & dicunt qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici. Quod minimè negares & tu, ſi non eſſes ſub manu inimici. Non potes gratias agere cum redemptis qui redemptus non es. Nam ſi redemptus eſſes, redemptorem agnoſceres, & non negares redemptionem. Nec quærit redimi qui ſe neſcit captiuum. Qui autem ſcierunt, clamauerunt ad Dominum & Dominus exaudiuit eos, & redemit eos de manu inimici. Et vt intelligas hunc inimicum qui ſit, Quos redemit, ait, de manu inimici, de Regionibus congregauit eos. Sed primum quidem agnoſce hunc Congregatorem, de quo Caïphas propheta in Euangelio, quia Ieſus moreretur pro Gente. Et qui narrat, ſequitur dicens. Non tantum pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Quo erant diſperſi? in omnes regiones. Ergo quos redemit, de regionibus congregauit eos, non congregaret niſi redimeret. Erant enim non ſolum diſperſi, ſed &

» captiui. Redemit & congregauit, redemit autem de manu inimici. Non dicit,
» inimicorum, ſed inimici. Inimicus vnus, regiones multæ. Siquidem non de regio-
» nibus congregauit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari. Quis iſte
» vnus tam potens Dominus, qui non vni præfuit regioni ſed omnibus? non alius
» vt arbitror, quam ille qui ab alio Propheta dicitur abſorbere fluuium, ideſt genus
» humanum & non mirari: habere autem fiduciam quod & Iordanis, hoc eſt ele-
» ctio ipſa influat in os eius. Beati qui ſic influunt vt effluant, qui ſic intrant vt ex-
» eant. Sed quid? nondum forte credis Prophetis ſic ſibi concinentibus de Diabo-
» li poteſtate in hominem. Veni mecum & ad Apoſtolos. Dixiſti nempe te non
» ſentire cum illis qui poſt Apoſtolos venerunt: aſſentias vel Apoſtolis: ſi forte &
» tibi contingat quod vnus eorum loquitur de quibuſdam. Nequando, *inquiens*,
» det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, vt reſipiſcant
» à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Paulus eſt
» iſte qui homines à diabolo captiuos teneri aſſerit ad eius voluntatem. Audis ad
» eius voluntatem, & negas poteſtatem? ſi & Paulo non credis, veni iam ad ip-
» ſum Dominum, ſi forte audias & quieſcas. Nempe ab ipſo appellatur Princeps
» huius mundi, & fortis armatus, poſſeſſorque vaſorum: & dicis eum non habere
» poteſtatem in homines, niſi tu aliud putas hoc loco intelligi atrium quàm mun-
» dum, vaſa quàm homines. Quod ſi atrium diaboli mundus erat, & homines va-
» ſa eius, quomodo non dominabitur in hominibus? ait item Dominus capienti-
» bus ſe. Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum. Poteſtas iſta non latuit illum
» qui dicebat, Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum fi-
» lij claritatis ſuæ. Hanc ergo Dominus nec in ſe quidem negauit Diaboli poteſta-
» tem, ſicut nec Pilati, qui membrum erat Diaboli. Ait ſiquidem, Non haberes po-
» teſtatem in me vllam, niſi data fuiſſet deſuper. Quod ſi in viride lignum in tan-
» tum graſſata eſt iſta deſuper data poteſtas, aridum quomodo non fuit auſa con-
» tingere? Nec iuſtam puto ipſe cauſabitur poteſtatem datam deſuper. Diſcat er-
» go Diabolum non ſolum Poteſtatem, ſed & iuſtam habuiſſe in homines, vt conſe-
» quenter & hoc videat veniſſe vtique in carne Dei filium propter liberandos ho-
» mines.

» Cæterum etſi iuſtam dicimus Diaboli poteſtatem, non tamen & voluntatem.
» Vnde non Diabolus qui inuaſit, non homo qui meruit, ſed iuſtus Dominus qui
» expoſuit. Non enim à poteſtate, ſed à voluntate iniuſtus iuſtuſue quis dicitur.
» Hoc ergo Diaboli quoddam in hominem ius, etſi non iure acquiſitum, ſed ne-
» quiter vſurpatum, iuſtè tamen permiſſum. Sic itaque homo iuſtè captiuus te-
» nebatur: vt tamen nec in homine, nec in Diabolo illa eſſet iuſtitia, ſed in Deo.
» Iuſtè igitur homo addictus ſed miſericroditer liberatus. Sic tamen miſeri-
» corditer, vt non defuerit Iuſtitia quædam & in ipſa liberatione, quoniam
» hoc quoque fuit de miſericordia liberantis, vt quod congruebat remediis
» liberandi, iuſtitia magis contra inuaſorem quam potentia vteretur. Quid
» namque ex ſe agere poterat, vt ſemel amiſſam Iuſtitiam recuperaret
» homo ſeruus peccati, vinctus Diaboli, aſſignata eſt ei proinde aliena, qui caruit
» ſua & ipſa iic eſt. Venit Princeps huius mundi & in Saluatore non inuenit quid-
» quam, & cum nihilominus Innocenti manus iniecit, iuſtiſſima quos tenebat
» amiſit: quando is qui morti nihil debeat, accepta mortis iniuria iure illum qui
» obnoxius erat & mortis debito & Diaboli ſeruit dominio: qua enim Iuſtitia id
» ſecundò homo exigeretur; homo ſiquidem qui debuit, homo qui ſoluit. Nam ſi
» vnus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: vt videlicet ſa-
» tisfactio vnius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata vnus ille portauit nec
» alter iam inueniatur qui fore-fecit, alter qui ſatisfecit: quia caput & corpus vnus
» eſt Chriſtus. Satisfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis
» quando iuxta Euangelium Pauli quo conuincitur mendacium Petri, mortuus
» pro nobis conuiuificauit nos ſibi, donans nobis omnia delicta, delens quod
» aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis &
» ipſum tulit de medio affigens illud Cruci, expolians Principatus & poteſta-
» tes.

» Vtinam Ego inueniar in his ſpoliis quibus ſpoliatæ ſunt contrariæ poteſtates,
» traductus & ipſe in poſſeſſionem Domini? Si me inſecutus Laban arguerit quod

receſſerim clam ab eo, audiet me acceſſiſſe ad eum, & ob hoc clam receſſiſſe. Subiecit me illa cauſa ſecretior peccati, ſubduxit me illi ratio occultioris Iuſtitiæ: aut ſi gratis venundatus ſum, gratis non redimar? Si Aſſur ſine cauſa calumniatus eſt mihi, ſine cauſa cauſam exigit euaſionis. Quod ſi dixerit, Pater tuus addixit te: reſpondebo, ſed frater meus redemit me. Cur non aliunde iuſtitia, cum aliunde reatus? Alius qui peccatorem conſtituit, alius qui iuſtificat à peccato: aliter in ſemine aliter in ſanguine. An peccatum in ſemine peccatoris, & non Iuſtitia, in Chriſti Sanguine? Sed Iuſtitia, inquiet, ſit cuius eſt, quid ad te? Eſto. Sed ſit etiam culpa uius eſt: quid ad me? An Iuſtitia Iuſti ſuper eum erit, & impietas impii non erit ſuper eum? Non conuenit filium portare iniquitatem Patris & fraternæ fieri exortem Iuſtitiæ? Nunc vero per hominem mors & per hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur; quoniam non ſic illi attineo, vt non & iſti. Si illi per carnem, & per fidem huic. Et ſi infectus ex illo originali concupiſcentia, etiam & in Chriſti gratia ſpirituali perfuſus ſum. Quid mihi plus imputatur de Præuaricatore? ſi generatio, regenerationem oppono: niſi quod ſpiritualis eſt iſta, illa carnalis. Nec patitur ratio æquitatis, vt ex æquo cõtendant, ſed vincat neceſſe eſt Spiritus carnem, & ſit efficacior cauſa, cuius eſt potior & natura: quo plus videlicet profit generatio ſecunda quàm prima nocuerit. Sanè peruenit delictum ad me, ſed peruenit & gratia: & non ſicut delictum ita & donum. Nam Iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. A primo homine manauit delictum, à ſummo Cœlo egreſſio gratiæ: vtrumque à parente, illud à primo, iſta à ſummo. Terrena natiuitas perdit me, & non multò magis generatio cœleſtis conſeruat me? Nec vereor ſic erutus de poteſtate tenebrarum repelli à Patre luminum iuſtificatus gratis in ſanguine filij eius: nempe ipſe qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Non condemnabit Iuſtum qui miſertus eſt peccatori: iuſtum me dixerim, ſed illius iuſtitiæ. Quænam ipſa? finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Denique qui factus eſt nobis, inquit, iuſtitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi iuſtitia facta eſt, mea non eſt? ſi mea traducta culpa, cur non & mea indulta iuſtitia? & ſanè mihi tutior donata quàm innata. Nam iſta quidem gloriam habet, ſed non apud Deum: illa autem cum ſit ſalutis efficax, materiam non habet glo iandi niſi in Domino. Nam ſi & iuſtus fuero; inquit, non lauabo caput, ne videlicet reſponſum accipiat, Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Hæc eſt Iuſtitia hominis in ſanguine Redemptoris, quam homo perditionis exſufflans & ſubſannans in tantum euacuare conatur, vt totum quod Dominus gloriæ ſemetipſum exinaniuit, quod minoratus eſt ab Angelis, quod natus de fœmina, quod conuerſatus in mundo, quod expertus infirma, quod paſſus indigna, quod demum per mortem Crucis in ſua reuerſus, ad id ſolum putet & diſputet redigendum vt traderet hominibus formam vitæ viuendo, & docendo, patiendo autem & moriendo Charitatis metam præfigeret. Ergo docuit Iuſtitiam & non dedit, oſtendit Charitatem, ſed non infudit, & ſic rediit in ſua? Ita ne hoc totum eſt **magnum illud pietatis ſacramentum quod manifeſtatum** eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria? Inæomparabilis Doctor, qui etiam profunda Dei ſibi aperiens, & ea quibus vult lucida & peruia faciens, altiſſimum ſacramentum & myſterium abſconditum à ſeculis, hic nobis ſuo mendacio planum & apertum reddit, vt tranſire leuiter poſſit per illud quiuis etiam incircunciſus & immundus, quaſi Dei ſapientia cauere neſcierit aut neglexerit quod ipſa prohibuit, ſed dederit & ipſa ſanctum canibus & margaritas Porcis. Sed non eſt ita. Nam etſi manifeſtatum eſt in carne, ſed tamen iuſtificatum eſt in ſpiritu, vt & ſpiritualibus ſpiritualia conferantur, & animalis homo non percipiat quæ ſunt Spiritus Dei, nec fides non ſit in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Vnde Saluator ait, Confitebor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. Et Apoſtolus. Etſi, inquit, opertum eſt Euangelium meum, in his eſt opertum qui pereunt. Denique aduertite hominem irridentem quæ ſunt Spiritus Dei, quoniam ſtultitia illi videntur, & inſultantem Apoſtolo loquenti Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, inuehentem in Euange-

„ lium, Dominum blaſphemantem. Quàm prudentius quod non valet com pre-
„ hendere credere dignaretur nec auderet contemnere aut conculcare ſacrum re-
„ uerendumque myſterium? Longum eſt ad omnes eius ineptias & calumnias quas
„ diuino ſtruit conſilio reſpondere. Pauca tamen infero, è quibus cætera æſti-
„ mentur. Cum ſolos, inquit, electos liberauerit Chriſtus, quomodo eos Diabo-
„ lus poſſidebat, ſiue in hoc ſeculo, ſiue in futuro magis quàm modò? Reſponde-
„ mus, imo quia Diabolus electos Dei poſſidebat, à quo (ſicut dicit Apoſtolus)
„ captiui tenebantur ad ipſius voluntatem, vt Dei propoſitum de ipſis impleretur,
„ opus fuit liberatore. Oportuit autem liberari in hoc ſeculo, vt liberos haberet in
„ futuro. Deinde infert. Nunquid etiam Pauperem illum, qui in ſinu Abrahæ re-
„ quieſcebat, ſicut & Diuitem damnatum Diabolus cruciabat, aut etiam in ipſum
„ Abraham dominium habebat cæteroſque electos? Non, ſed habuiſſet, ſi non li-
„ berati fuiſſent fide futuri, ſicut de ipſo Abraham ſcriptum eſt. Credidit Abraham
„ Deo & reputatum eſt ei ad Iuſtitiam. Item. Abraham exultauit vt videret diem
„ meum, & vidit & gauiſus eſt. Propterea iam tunc Sanguis Chriſti rorabat etiam
„ Lazaro ne flammas ſentiret, quod & ipſe credidiſſet in eum qui erat paſſurus. Sic
„ de omnibus electis illius temporis ſentiendum, natos quidem & ipſos æquè vt
„ nos ſub poteſtate tenebrarum propter Originale peccatum, ſed erutos antequam
„ morerentur & non niſi in Sanguine Chriſti. Scriptum eſt enim, Turbæ autem quæ
„ præcedebant & quæ ſequebantur clamabant dicentes *Oſanna fili Dauid. Bene-*
„ *dictus qui venit in nomine Domini.* Ergo Chriſto in carne venienti & antequam
„ veniret, & poſt, benedictum eſt à turbis benedictorum, quamuis præeuntes ple-
„ nam minimè tunc conſecuti ſint benedictionem, ſeruata nimirũ hac prærogatiuâ
„ tempori gratiæ. Deinde laborans docere & perſuadere Diabolum nullum ſibi
„ ius in hominem vindicare potuiſſe aut debuiſſe, niſi permiſſu Dei, & quod ſine
„ iniuria Diaboli iure Deus profugum ſuum, ſi vellet miſereri, repetere & ſolo ver-
„ bo eripere poſſet, quaſi hoc quis difficeatur, poſt multa aliquando infert.

„ Quæ itaque neceſſitas, aut quod opus fuit, cum ſola iuſſione ſua Diuina mi-
„ ſeratio liberare hominem à peccato poſſet, propter redemptionem noſtram filium
„ Dei carne ſuſcepta tot & tantas inedias, opprobria, flagella, ſputa, denique
„ ipſam Crucis ignominioſam & aſperrimam mortem ſuſtinere, vt cum iniquis pa-
„ tibulum ſuſtineret? Reſpondemus. Neceſſitas noſtra fuit & neceſſitas dura ſeden-
„ tium in tenebris & vmbra mortis. Opus æquè noſtrum & Dei ipſius & SS. An-
„ gelorum. Noſtrum, vt auferret iugum Captiuitatis noſtræ. Suum, vt impleretur
„ propoſitum voluntatis eius. Angelorum, vt numerus impleretur eorum. Porro
„ ratio huius facti fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuiſ-
„ ſe alios & alios modos noſtræ redemptionis, iuſtificationis, liberationis? Verum
„ hoc non præiudicat huius quem e multis elegit, efficaciæ. Et fortaſſe is præſtat,
„ per quem in terra obliuionis, grauedinis, lapſus noſtri tot & tantis grauamini-
„ bus reparatoris fortius & viuacius admoneremur. Aliàs autem nemo hominum
„ nouit nec noſcere ad plenum poteſt qui boni ad gratiam, quid congruentiæ ad
„ ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſe ip-
„ ſam continet huius venerandi myſterij inſcrutabilis altitudo, quam Propheta con-
„ ſiderans expauit non penetrauit, & Præcurſor Domini indignum ſe iudicauit qui
„ penetraret. Cæterum ſi non licet perſcrutari diuinæ ſacramentum voluntatis, li-
„ cet tamen ſentire effectum operis, fructum vtilitatis percipere. Et quod licet ſcire,
„ non licet tacere, quia gloria Regum celare verbum, & gloria Dei inueſtigare ſer-
„ monem. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quoniam cum adhuc peccato-
„ res eſſemus, reconciliati ſumus Deo poſt mortem filij eius. Vbi reconciliatio & re-
„ miſſio Peccatorum? Nam ſi dicente ſcriptura peccata noſtra ſeparant inter nos &
„ Deum, manente peccato non eſt reconciliatio. In quo ergo remiſſio peccatorum?
„ Hic calix, inquit, noui teſtamenti in meo ſanguine qui pro vobis effundetur in
„ remiſſionem peccatorum. Et quid ipſa niſi iuſtificatio? Siue igitur reconciliatio,
„ ſiue remiſſio peccatorum, ſiue iuſtificatio ſit, ſiue etiam redemptio vel liberatio
„ de vinculis Diaboli, à quo Captiui tenebamur ad ipſius voluntatem, intercedẽ-
„ te morte vnigeniti obtinemus iuſtificati gratis in ſanguine ipſius, in quo ſicut
„ idem dicit, habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccato-
„ rum ſecundum diuitias gratiæ eius. Cur, inquis, per ſanguinem, quod potuit fa-

cere

eere per ſermonem ? Ipſum interroga, mihi ſcire licet, quod ita, cur ita, non licet? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me finxiſti ſic ? Sed hæc Iuſtitia ei videntur, non poteſt tenere riſum. Audite cachinnos. Quomodo, ait, iuſtificari nos vel reconciliari Deo per mortem filij eius dicit Apoſtolus, qui tanto amplius aduerſus hominem iraſci debuit, quanto amplius homines in crucifigendo filium ſuum deliquerunt, quàm in tranſgrediendo primum eius præceptum vnius pomi guſtu? Quaſi non poterit Deo in vno eodemque facto & diſplicere iniquitas malignantium & placere pietas patientis. Et ait, quod ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum vt expiari non poſſet niſi morte Chriſti, quam expiationem habebit ipſum homicidium quod in Chriſtum commiſſum eſt? Breuiter reſpondemus ipſum ſanguinem quem fuderunt, & interpellationem ipſius quem occiderunt. Addit etiam, Nunquid mors innocentis filij in tantum Deo Patri placuit, vt per ipſam reconciliaretur nobis qui hoc peccando commiſimus propter quod innocens Dominus eſt occiſus, nec niſi hoc maximum fieret peccatum, illum multo leuius potuit ignoſcere? Non mors, ſed voluntas placuit ſponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis ſalutem, reſtituentis innocentiam, triumphantis Principatus & Poteſtates, ſpoliantis inferos, ditantis ſuperos, pacificantis quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra omnia inſtaurantis.

Et quoniam hæc tam pretioſa mors voluntariè ſuſcipienda aduerſus peccatum, non tamen poterit fieri niſi per peccatum: non delectatus quidem, ſed tamen bene vſus malitia ſceleratorum, & mortem de morte & de peccato damnauit peccatum. Et quanto illorum maior iniquitas, tanto huius voluntas ſanctior, & eo potentior ad ſaluandum, quatenus tanta mediante potentia antiquum illud quamuis grande peccatum, neceſſario tamen hic quod in Chriſtum commiſſum eſt, cederet tanquam minus maiori. Nec peccato ſiue peccantibus adſcribitur hæc victoria, ſed bene vtenti peccato, & peccantes fortiter perferenti & conuertenti in vſum pietatis, quicquid in ipſum auſa eſt crudelitas impiorum. Fuit vero ſanguis, qui effuſus eſt, tam multus ad ignoſcendum, vt ipſum quoque peccatum maximum: quo factum eſt vt effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius vt pote leuioris delictione nullam omnino dubietatem relinqueret. Deinde iſte. *Cui verò*, inquit, non crudele & iniquum videtur vt ſanguinem Innocentis in precium aliquod quis requiſierit, aut vllo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam filij mortem habuerit, vt per ipſam vniuerſo reconciliatus ſit mundo ? non requiſiuit Deus pater ſanguinem filij, ſed tamen acceptauit oblatam, non ſanguinem ſitiens, ſed ſalutem, quia ſalus erat in ſanguine. Salus planè, & non ſicut iſte ſapit & ſcribit, ſola charitatis oſtenſio. Sic enim concludit tot calumnias & inuectiones ſuas quas in Deum tam impiè quam imperitè euomuit, vt dicat totum eſſe quod Deus in carne apparuit, noſtram de verbo & exemplo ipſius inſtitutionem, ſiue vt poſtmodum dicit, inſtructionem, totum quod paſſus & mortuus eſt, ſuæ erga nos Charitatis oſtenſionem vel commendationem. Cæterum quid prodeſt quod nos inſtituit, ſi non reſtituit? aut nunquid fruſtra inſtruimur, ſi non prius deſtruatur in nobis **corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato?** Si omne quod profuit Chriſtus, in ſola fuit oſtenſione virtutum, reſtat, vt dicatur quod Adam quoque ex ſola oſtenſione peccati nocuerit: ſiquidem pro qualitate vulneris allata eſt medicina. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Ergo ſicut hoc, ita & illud. Si vita quam dat Chriſtus non eſt alia, quàm inſtitutio eius: nec mors vtique quam dedit Adam, alia erit ſimiliter quàm inſtitutio eius: vt ille quidem ad peccatum exemplo ſuo, hic verò exemplo & verbo ad bene viuendum & ſe diligendum homines informarent. Aut ſi Chriſtianæ fidei & non Pelagianæ acquieſcentes, generatione non inſtitutione traductum in nos confitemur Adæ peccatum, & per peccatum mortem; fateamur neceſſe eſt, & à Chriſto nobis non inſtitutione, ſed generatione reſtituram Iuſtitiam & per iuſtitiam, vitam. Vt ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in Iuſtificationem vitæ. Et ſi ita eſt, quomodo is dicit conſilium & cauſam incarnationis fuiſſe vt mundum luce ſuæ ſapientiæ illuminaret, & amorem ſuum accenderet? Vbi ergo redemptio? à Chriſto nempe, vt fateri dignatur, illuminatio & prouocatio ad amorem. *Redem-*

„ *ptio & liberatio à quo? Eſto quod Chriſti aduentus illis proſit qui ſe illi poſſunt conformare*
„ *per vitã, & vicem ei dilectionis rependere, quid de paruulis? Quam dabit lucem ſapientiæ*
„ *vix adhuc captantibus lucem vitæ?* Vnde aſcendent ad Dei amorem, qui nedum
„ Matres ſuas amare nouerunt: nihil proderit eis aduentus Chriſti? nihil quod con-
„ plantati ſunt ſimilitudini mortis eius per baptiſmum, quoniam nondum poſſunt
„ prohibente ætate Chriſtum ſapere aut amare?

„ Redemptio itaque, ait, noſtra eſt illa ſumma in nobis per Chriſti paſſionem di-
„ lectio. Ergo paruuli non habent redemptionem, qui non habent ſummam illam
„ dilectionem. An ſicut non habent vnde diligant, ita nec vnde pereant, vt non ſit
„ eis in Chriſto neceſſaria regeneratio, vt pote quibus regeneratio ex Adam nihil
„ nocuerit? ſi hoc ſapit, cum Pelagio deſipit. Quidquid horum ſentiat, patet quan-
„ tum humanæ ſacramento ſalutis inuideat, quantum quod in ipſo eſt, euacuet alti
„ diſpenſationem myſterij, qui totum de ſalute tribuit deuotioni, generationi nihil:
„ qui noſtræ gloriam redemptionis & ſummam ſalutis non in virtute crucis & non
„ in precio ſanguinis, ſed in noſtræ conſtituit conuerſationis profectibus *Mihi au-*
„ *tem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri I. C. in qua eſt ſalus, vita & reſurrectio no-*
„ *ſtra.* Et quidem tria quædam præcipua in hoc opere noſtræ ſalutis intueor, for-
„ mam humilitatis, in qua Deus ſemetipſum exinaniuit; Charitatis menſuram,
„ quam vſque ad mortem & mortem Crucis extendit: redemptionis ſacramentum,
„ quo ipſam mortem quam pertulit, ſuſtulit. Horum duorum priora ſine vltimo
„ ſic ſunt, ac ſi ſuper inane pingas. Magnum profecto & valde neceſſarium humi-
„ litatis, magnum & omni acceptione dignum Charitatis exemplum: ſed non ha-
„ bent fundamentum, ac proinde nec ſtatum, ſi deſit redemptio. Volo totis niſi hu-
„ milem ſe qui Ieſum, cupio eum qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me,
„ quibuſdam brachiis vicariæ dilectionis amplecti, ſed oportet me & agnum man-
„ ducare Paſchalem. Niſi enim manducauero carnem eius, & bibero eius ſangui-
„ nem, non habebo vitam in memetipſo. Aliud eſt ſequi Ieſum, aliud tenere,
„ aliud & manducare. Sequi ſalubre conſilium: tenere & amplecti, ſolemne gau-
„ dium: manducare, vita beata. *Caro enim eius verè eſt cibus. & ſanguis eius verè eſt*
„ *potus.* Panis eſt Dei qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Qui ſtatus gau-
„ dio ſine conſilio abſque vita? nempe haud alius quam picturæ abſque ſolido: er-
„ go nec humilitatis exempla & Charitatis inſignia præter redemptionis ſacramen-
„ tum ſunt aliquid.

„ Hæc Domine Pater de labore manuum Pueri veſtri qualiacunque tenetis ad-
„ uerſus pauca quidem nouæ hæreſeos capitula, vbi ſi non aliud quam zelum
„ agnoſcitis meum, tamen propriæ interim conſcientiæ ſatisfeci. Nam cum non
„ eſſet quod agerem pro iniuria fidei quam colebam, operæ mihi precium arbitror,
„ ſi illum monui cuius arma potentis Dei ad deſtructionem contrariarum adſertio-
„ num, ad deſtruendum omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam
„ Dei, & in captiuitatem redigendum omnem intellectum in obſequium Chriſti.
„ Sunt & alia in aliis eius ſcriptis non pauca nec minus mala capitula, ad quæ nec
„ temporis, nec Epiſtolæ anguſtia reſpondere permittit. Quanquam nec neceſſa-
„ rium putem, cum ſint adeo manifeſta, vt ipſa etiam vulgatâ fide facile refel-
„ lantur. *Collegi tamen aliqua & tranſmiſi.*

Ad eundem Pontificem ſcripſit Archiepiſcopus Senonenſis Epiſtolam longiſ-ſimam, quæ mihi non venit in manus. Extat vero ad eundem Epiſtola Archiepiſ-copi Remenſis, Epiſcoporum Sueſſionenſis, Catalaunenſis & Atrebatenſis, quæ eſt huiuſmodi, legiturque apud Othonem Friſingh. l. 1. de geſtis Frideric. I. cap. 48.

REVERENDISSIMO D. ET CLARISSIMO PATRI DEI GRATIA SVMMO Pontifici Innocentio, Samſon Remorum Archiepiſcopus, Ioſlenus Sueſſionenſis, Gaufridus Catalaunenſis, Aluiſus Atrebatenſis voluntarium debitæ ſubiectionis obſequium.

AVribus occupatis ad plurima ſermonem facimus abbreuiatum de prolixo negotio, pro eo maximè, quia idipſum diffuſius ac plenius continetur in litteris D. Senonenſis. Petrus Abaelardus Chriſtianæ fidei meritũ euacuare nititur, dum totum quod totũ Deus eſt, humana ratione arbitratur ſe poſſe comprehendere, aſcendit vſque ad cœlos, & deſcendit vſque ad abyſſos. Nihil eſt quod lateat eum ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Homo eſt magnus in oculis ſuis, de fide contra fidem diſputans, ambulans in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, ſcrutator maieſtatis, hæreſum fabricator. Iamdudum fecerat librum de ſancta Trinitate, ſed ſub Legato Romanæ Eccleſiæ igne examinatus eſt, quia inuenta eſt in eo iniquitas. Maledictus qui reædificabit ruinas Hiericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreſes qui dormierant, ſurrexerunt & apparuerunt multis. Iam iam extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad Romam propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber ſuus in Curia Rom. habet vbi caput ſuum reclinet. Hinc confirmatus & confortatus eſt furor eius. Propterea cum in conſpectu Epiſcoporum ſuper his argueret eum Abbas Claræ-Vallis iuſtitiæ zelo armatus, nec confeſſus eſt nec negauit: ſed à loco & iudice quem ſibi ipſe elegerat, ſine læſione, ſine grauamine vt ſuam prolongaret iniquitatem, ſ. dem Apoſtolicam appellauit. Epiſcopi autem qui propter hoc in vnum conuenerant, veſtræ Reuerentiæ deferentes, nihil in perſonam eius egerunt, ſed tantummodo Capitula librorum eius à SS. Patribus condemnata, ne morbus ſerperet, medicinali neceſſitate abiudicauerunt: Quia ergo homo ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum qui ſibi credat, habet, neceſſe eſt vt huic contagio celeri remedio occurratis.

Sero enim medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Proceſſimus in hoc negotio quo vſque auſi ſumus. Tuum eſt de cætero, Beatiſſime Pater, prouidere ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ prauitatis maculâ decor Eccleſiæ maculetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti amici ſponſi: tuum eſt tandem in viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

Item Bernardus ſcripſit ad M. Guidonem de Caſtello Cardinalem, quia verebatur ne, quia Diſcipulus Abaëlardi fuerat, Cenſuram Propoſitionum hæreticarum pro poſſe impediret. Is autem Guido ad Papatum poſtea euectus eſt & Cœleſtinus vocatus.

VENERABILI D. ET CHARISSIMO PATRI M. GVIDONI S. ROMANÆ Eccleſiæ Dei Cr. Presbytero Cardinali Bernardus Claræ-Vallis vocatus Abbas non declinare ad dextram neque ad ſiniſtram.

INiuriam facio vobis, ſi aliquem à vobis ita diligi credam, vt cum eo pariter eius errores diligatis. Quiſquis enim ſic aliquem diligit, nondum nouit quemadmodum oporteat eum diligere. Talis namque dilectio terrena eſt, animalis, Diabolica, nocens æquè diligenti atque dilecto. Exiſtimant alii de aliis prout volunt, ego adhuc de vobis exiſtimare non poſſum, niſi quod vicinum eſt rationi, quod ad lineam pertinet æquitatis. Quidam prius iudicant & poſtea probant: ego de potione vtrum dulcis ſit an amara, ante guſtum non iudicabo. *Magiſter Petrus in libris ſuis profanas vocum nouitates inducit & ſenſuum, diſputans de fide con-*

„ *tra ſidem, verbis legis legem impugnat.* Nihil videt per ſpeculum & in ænigmate
„ ſed facie ad faciem omnia intuetur ambulans in magnis & in mirabilibus ſuper
„ ſe. Melius illi erat, ſi iuxta titulum libri ſui ſeipſum cognoſceret, nec egrederetur menſuram ſuam, ſed ſaperet ad ſobrietatem. Ego non eum accuſo apud Patrem, eſt qui eum accuſet, liber ſuus, in quo ſibi malè complacuit. Cum de Trinitate loquitur, *ſapit Arrium*, cum de gratia, *ſapit Pelagium*, cum de perſona Chriſti, *ſapit Neſtorium*. Minus de veſtra æquitate præſumo, ſi diu vos rogauero, vt in cauſa Chriſti nullum Chriſto præponatis. Illud autem ſcitote, quia expedit vobis quibus poteſtas data eſt à Domino, expedit Eccleſiæ Chriſti, expedit etiam illi homini, vt ei ſilentium imponatur, *cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine & dolo.*

Extat etiam alia eiuſdem Bernardi ad M. Yuonem Cardinalem de eodem Petro Epiſtola in hunc modum.

DILECTISSIMO SVO YVONI S. ROMANÆ ECCLESIÆ D. G. Preſbytero Cardinali Bernardus Claræ-Vallis Abbas diligere iuſtitiam & odire iniquitatem.

„ *M. Petrus Abaëlardus ſine Regula Monachus, ſine ſolicitudine Prælatus nec ordi-*
„ *nem tenet, nec tenetur ab Ordine. Homo ſibi diſſimilis eſt, intus Herodes, foris Ioan-*
„ *nes: totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen & habitum. Sed quid ad me?*
„ *Vnuſquiſque onus ſuum portabit. Aliud eſt quod diſſimulare non poſſum, quod pertinet ad*
„ *omnes qui diligunt nomen Chriſti. Iniquitatem in excelſo loquitur, integritatem fidei,*
„ *caſtitatemque Eccleſiæ corrumpit. Tranſgreditur terminos quos poſuerunt Patres noſtri*
„ *de fide, de Sacramentis, de S. Trinitate diſputans & ſcribens; ſingula pro ſuâ voluntate*
„ *mutat, auget & minuit. In libris & in operibus ſuis oſtendit ſe fabricatorem mendacij &*
„ *cultorem peruerſorum dogmatum, hæreticum ſe probans non tam in errore quàm in perti-*
„ *nacia & defenſione erroris. Homo eſt egrediens menſuram ſuam, in ſapientia verbi eua-*
„ *cuans virtutem Chriſti. Nihil neſcit omnium quæ in cœlo & quæ in terra ſunt, præter ſe*
„ *ipſum. Damnatus eſt Sueſſione cum opere ſuo coram Legato S. Rom. Eccleſiæ. Sed quaſi non*
„ *ſufficeret ei illa damnatio, iterum facit, vnde iterum damnetur, & iam nouiſſimus error*
„ *peior eſt priore. Securus eſt tamen, quoniam Cardinales & Clericos Curiæ ſe Diſ-*
„ *cipulos habuiſſe gloriatur & eos in defenſione præteriti & præſentis erroris adſumit, à*
„ *quibus iudicari timere debuit & damnari. Si quis ſpiritum Dei habet, illius verſiculi*
„ *recordetur,* Nonne qui oderint te Domine oderam & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? *Liberet Deus per vos & per cæteros filios ſuos Eccleſiam ſuam à labiis iniquis & à*
„ *lingua doloſa.*

His ita peractis Innocentius habito cum Cardinalibus conſilio & examinatis propoſitionibus præmiſſis, reſcripſit in hunc modum.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SER. D. VENERABILIBVS Fratribus Henrico Senonenſi, Samſoni Remenſi Archiepiſcopis eorumque Suffraganeis, & Chariſſimo in Chriſto filio Bernardo Claræ-Vallis Abbati Sal. & Apoſt. Bened.

Deſcriptum Papæ aduerſus Abælardum.

„ TEſtante Apoſtolo ſicut vnus Dominus, ita vna fides eſſe dignoſcitur, in quâ tanquam in immobili fundamento præter quod nemo poteſt aliud ponere;
„ firmitas Catholicæ Eccleſiæ inuiolata conſiſtit. Inde eſt quod B. Petrus Apoſto-
„ lorum Princeps pro eximia huius fidei Confeſſione à Domino & Saluatore noſtro audire meruit, *Tues*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam*
„ *meam.* Petram vtique firmitatem fidei & Catholicæ vnitatis ſoliditatem manifeſtè deſignans. Hæc ſiquidem eſt inconſutilis tunica Redemptoris noſtri, ſuper
„ quam milites ſortiti ſunt, ſed eam diuidere minimè potuerunt. Contra quam in

initio fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. *Aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum.* Verum Apoſtoli duces Dominici gregis & eorum ſucceſſores Apoſtolici viri ardore charitatis & zelo rectitudinis ſuccenſi fidem defendere & eam in cordibus aliorum proprij ſanguinis effuſione plantare non dubitarunt. Demum ceſſante perſecutorum rabie imperauit Dominus ventis & facta eſt in Eccleſia tranquillitas magna. Sed quia hoſtis humani generis ſemper circuit quærens quem deuoret, ad impugnandam ſinceritatem fidei, fraudulentam Hæreticorum fallaciam ſubinduxit. Contra quos viri Eccleſiarum Paſtores viriliter inſurgentes, eorum praua dogmata cum ipſorum authoribus condemnarunt. In magna namque Nicena Synodo Arius hæreticus eſt damnatus. Conſtantinopolitana ſynodus Manichæum Hæreticum debitâ ſententiâ condemnauit. In Epheſina ſynodo Neſtorius condignam ſui erroris damnationem excepit Chalcedonenſis quoque ſynodus Neſtorianam hæreſim & Eutychianam cum Dioſcoro & eius complicibus iuſtiſſimâ ſententiâ confutauit. Marcianus præterea licet laïcus, Chriſtianiſſimus tamen Imperator Catholicæ fidei amore ſuccenſus prædeceſſori noſtro ſanctiſſimo apæ Ioanni ſcribens aduerſus eos qui ſacra myſteria profanare contendunt, inter cætera ſic loquitur dicens. Nemo Clericus vel militaris vel alterius conditionis de fide Chriſtiana publicè tractare conetur in poſterum. Nam iniuriam facit iudicio reuerendiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuoluere & iterum diſputate contendit, & in contemptores huius legis tanquam in ſacrilegos pœna non deerit. Igitur ſi Clericus erit qui publicè tractare de Religione auſus fuerit, à conſortio Clericorum remouebitur. Dolemus autem quoniam ſicut Litterarum veſtrarum inſpectione & miſſis à veſtra fraternitate nobis errorum Capitulis cognouimus, in nouiſſimis diebus quando inſtant tempora periculoſa, in Petri Abaëlardi pernicioſa doctrina & prædictorum hæreſes & alia peruerſa dogmata Catholicæ fidei obuiantia pullulare cœperunt. Verum in hoc maximè conſolamur, & Omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus veſtris pro patribus tales filios ſuſcitauit, & tempore Apoſtolatus noſtri in Eccleſia ſua tam præclaros voluit eſſe Paſtores, qui noui hæretici calumniis ſtuderent obuiare, & immaculatam ſponſam vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto. Nos itaque qui in B. Petri Cathedra (cui à Domino eſt dictum, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos) licet indigni reſidere conſpicimur: communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & vniuerſa ipſius Petri peruerſa dogmata ſanctorum Canonum authoritate cum ſuo authore damnauimus, eique tanquam hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Vniuerſos quoque erroris ſui ſectatores & defenſores à fidelium conſortio ſequeſtrandos, excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſemus. Datum Laterani 17. Kal. Auguſti.

Interim dum hæc agerentur, Berengarius Pictauienſis vnus ex omnibus Abaëlardi Diſcipulis auſus eſt Magiſtrum contra omnes defendere, eiuſque Apologiam publicam facere plenam acrimoniæ aduerſus **Bernardum Clare-Vallenſem. Quamobrem reprehenſus à multis**, quod tam grauem ſanctumque virum laſciuientis ſtyli acumine pungere non dubitaſſet, excuſauit ſe poſtea idque ioco potius quàm ſerio factum affirmauit. Petrus verò Abaëlardus poſt ſolutum Conuentum Senonenſem, vt vidit ſe ab omnibus tanquam hæreticum deſeri, incertus quid ageret Cluniacum ſe contulit, Apologeticumque pro ſe ſcripſit & fidei confeſſionem. Quæ omnia ad perfectam huiuſce rei intelligentiam ſubiungimus.

BERENGARII SCHOLASTICI APOLOGETICVS PRO MAGISTRO CONTRA Bernardum Clareuallenſem.

" SCriptorum tuorum exemplaria, Bernarde, celebris circunquaque fama diuul-
" gat. Nec mirum ſcripta tua in famæ pulpito collocari, cum conſtet ea qua-
" liacunque ſint, à maioribus huius temporis approbari. Mirantur homines in te li-
" beralium diſciplinarum ignaro tantam vbertatem facundiæ: quia emiſſiones
" tuæ iam cooperuerunt vniuerſam ſuperficiem terræ. Quibus eſt diuinitus reſpon-
" dendum. *Quia magna opera Domini, & hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.* Sed nihil eſt
" cur admiratione percelli debeant; imo magis mirandum eſſet, te eloquij vrgeri
" ſiccitate, quoniam audiuimus à primis fere adoleſcentiæ rudimentis cantiuncu-
" las mimicas & vrbanos modulos factitaſſe. Neque certè in incerto loquimur opi-
" nionis, ſed teſtis eſt alumna tui Patria noſtri ſermonis. Nonne id etiam tuæ me-
" moriæ altius eſt inſignitum, quod fratres tuos rithmico certamine acutæque in-
" uentionis verſutia ſemper exuperare contẽdebas? Cui grauis & peracerba videba-
" tur iniuria, reperire aliquem qui pari reſponderet proteruiâ. Poſſem aliquas de nu-
" gis tuis huic Opuſculo ex teſtium probabilium adſtipulatione inſerere, ſed ve-
" reor paginam fœdi commenti interpoſitione interpolari. Cæterum cunctis nota
" teſte non indigent. Illum itaque commentandi & nugandi vſum ad diuinum ſæ-
" pe inſtrumentum accerſis; & aſtruunt imperiti grauiter & granditer dictum quod
" vbertim & eloquẽter effutis. Sed non ſic eſſe ratio neceſſaria conuincit. Frequen-
" ter enim veritas abſolutè & illepidè profertur & falſitas plauſibilis eloquij comi-
" tate commendatur. Simileſque ſunt, vt ait Auguſtinus, ſimplicitas dicendi & elo-
" quentia vaſis ruſticanis & vrbanis: falſitas verò & veritas ferculis vilibus & pre-
" cioſis. Vtraque autem ferculavtriſque poſſunt vaſis miniſtrari. *Neque hoc ideo dixe-*
" *rim vt te notabilem & ſuſpectum reddam; ſed vt veritatem, non in omnium facundia eſſe*
" *ſimpliciter aſtruam.* Sed ſuper hoc hactenus: ad reliqua tranſeamus. Iamdudum ſan-
" ctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama diſperſit, præconizauit merita, mira-
" cula declamauit. Felicia iactabamus moderna ſecula tam coruſci ſideris venuſta-
" ta nitore, mundumque iam debitum perditioni tuis meritis ſubſiſtere putaba-
" mus. Sperabamus in linguæ tuæ arbitrio Cœli ſitam clementiam, aeris temperiem,
" vbertatem terræ, fructuum benedictionem. Caput tuum nubes tangebat. Et iux-
" ta vulgare prouerbium, *rami tui vmbras montium tranſcendebant.* Sic diu vixiſti, ſic
" Eccleſiam caſtis inſtitutionibus informaſti; vt ad ſemicincta tua rugire dæmones
" autumaremus, & beatulos nos tanto gloriaremur patrono.

" Nunc proh dolor! patuit quod latebat & colubri ſoporati tandem aculeos ſuſ-
" citaſti. *Omiſſis omnibus Petrum Abaelardum quaſi ſignum ad ſagittam poſuiſti, in quem*
" *acerbitatis tuæ virus euomeres,* quem de terra viuentium tolleres, quem inter mor-
" tuos collocares. Corrogatis vndecumque Epiſcopis eum in Senonenſi Concilio
" **hæreticum pronunciaſti, ab vtero matris Eccleſiæ velut abortum præciſiſti. In**
" via Chriſti ambulantem tanquam ſicarius de occulto prodiens tunica inconſuti-
" li ſpoliaſti. Concionabaris ad populum vt orationem funderet ad Deum pro eo:
" interius autem diſponebas eum proſcribendum ab orbe Chriſtiano. Quid vulgus
" faceret, quid vulgus oraret, cum pro quo eſſet orandum neſciret? Tu vir Dei qui
" miracula feceras, qui ad pedes Ieſu cum Maria ſedebas, qui conſeruabas omnia
" verba hæc in corde tuo, puriſſimum ſacræ orationis thus coram ſupernis obtuti-
" bus adolere deberes. *Vt reus tuus Petrus reſipiſceret & talis efficeretur, quem nulla*
" *ſuſpicio inquinaret. Sed forſitan maledicebas talem, in quo reprehenſionis ideneam nanciſ-*
" *cereris occaſionem.* Inter hæc & ſequentia videtur eſſe aliquis hiatus, & nonnulla
" deſiderari quæ pertinebant ad initia Conuentus. Subiungit vero ſatyricè & hære-
ticorum more, cum ſe ſuamque Doctrinam damnatam vident.

Denique poſt prandium allatus eſt liber Petri & cuidam præceptum eſt, vt voce cla-
" moſa Petri opuſcula perſonaret. At ille & Petri odio animatus & vitis germine
" irrigatus: non illius qui dixit, *Ego ſum vitis vera*, ſed illius qui Patriarcham nu-
dum ſtrauit in area, ſonorius quàm poſtulatum fuerat, exclamauit. Poſt aliqua

Pontifices inſultare, pedem pedi applodere, rudere, nugari conſpiceres; vt facile quilibet iudicaret illos non Chriſto vota perſoluere, ſed Baccho. Inter hæc ſalutantur cyphi, pocula celebrantur, laudantur vina Pontificum, guttura irrigantur. Tunc aliquis Horatiano ſale ludere poſſet.

Nullam Vare ſacra vite prius ſeueris arborem.

Nam illud quod idem Poëta in alio carmine ponit.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus.

Ibi memoriter gerebatur. Quanto ſalubrius auditetur ſuauis Poëtæ Galli ſententia luculentis admodum verſibus vigilata? Ait enim.

Vina probo ſi pota modo, debentque probari,
Si non pota modo, vina venena puto.

Sed lethæi potio ſucci Pontificum corda iam ſepeliérat. Ecce, inquit Satyricus.

——*Inter pocula quærunt*
Pontifices ſaturi quid dira Poëmata narrent.

Denique cum aliquid ſubtile diuinumque ſonabat, quod auribus Pontificalibus erat inſolitum, *audientes omnes diſſecabantur cordibus ſuis & ſtridebant dentibus in Petrum* & oculos talpæ habentes in Philoſophum, *Hoc*, inquiunt, *ſineremus viuere monſtrum?* Mouenteſque caput quaſi Iudæi. *Vah*, inquiunt, *Ecce qui deſtruxit Templum Dei.* Sic iudicant verba luminis cœci, ſic virum ſobrium damnant ebrij; ſic contra organum Trinitatis diſſerunt calices fœcundi. Sic contra ſimplicem diſputant cornuti, ſic ſanctum canes, ſic margaritas porci corrodunt. Sic ſal terræ infatuatur. Sic legis fiſtula obturatur. Concionatur ſapiens vir, *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea*, quod nos alio poſſumus reddere verſu. *Qui tangit vinum, inquinabitur ab eo.* Biberat Epiſcoporum ſobrietas ſanguinem vuæ meraciſſimum, cuius integritatem aqua non deuirginauerat, quia ſecundum Martialem.

Grande nimis ſcelus eſt ſacrum iugulare falernum,
Nec Bacchus lymphæ coniugium patitur.

Impleuerant *Primates orbis Philoſophi* turis (al. gutturis dolia ſua viuido vino: Cuius calor ita inceſſerat cerebris, vt in ſomni letargiam oculi omnium ſoluerentur. Inter hæc ſonat lector, ſtertit auditor. Alius cubito innititur, vt det oculis ſuis ſomnum. Alius ſuper molle ceruical dormitionem palpebris ſuis molitur. **Alius ſuper genua caput reclinans dormitat.** Cum itaque Lector in Petri ſatis aliquod reperiret ſpinetum, ſurdis exclamabat auribus Pontificum, *Damnatis?* Tunc quidam ad extremam ſyllabam vix expergefacti, ſomnolentâ voce, capite pendulo, *Damnamus*, aiebant. Alij verò Damnantium tumultu excitati, decapitata prima ſyllaba, *Namus*, inquiunt. Verè *natis*, ſed natatio veſtra procella, natatio veſtra merſio. Sic milites dormientes teſtimonium perhibent, quia nobis dormientibus venerunt Apoſtoli & tulerunt corpus. Qui vigilauerat in lege Domini die ac nocte, nunc damnatur à ſacerdotibus Bacchi. Sic morbidus medicum curat. Sic damnat naufragus in littore conſtitutum. Sic arguit innocentiam, qui ad furcas ducitur ſuſpendendus. Quid agimus anima? quò nos vertimus? *Exciderunt-ne tibi præcepta Rhetorum, & occupata luctu, præpedita ſingultibus, dicendi ordinem non tenes?* Putas-ne veniens filius hominis inueniet fidem ſuper terram? Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos: *Petrus autem non habet vbi caput ſuum reclinet.* Sic iudicant in loco Iudicis ſedentes rei; in loco vindicis innocentiæ vexatores. Simul ſunt omnia talibus Iudicibus, talibus actoribus deprauata.

Hic ſatur exiguo mauult turgeſcere ſomno,
Hic exporrectis ampullat verba labellis,
Hic loquitur nimis, ille tacet: hic ambulat, hic ſtat.
Alter amat fletus, alter criſpare cachinnum.
Diuerſiſque modis, pax eſt veſania cunctis.

Quid hi tales egerint, quid decreuerint Iuriſperiti, Euangelica lectio conſolatur. *Collegerunt*, inquit, *Pontifices & Phariſæi Concilium, & dixerunt. Quid facimus? Quia hic homo multa mira dicit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Vnus autem ex ipſis nomine Bernardus Abbas, cum eſſet Pontifex Concilij illius prophetauit dicens, *Expedit nobis vt vnus exterminetur homo à populo & non gens tota pereat.* Ab illo ergo die cogitauerunt condemnare eum dicentes illud Salomonis, *Tendamus inſidias iuſto.* Supplantemus ei gratiam labiorum. Inueniamus radicem verbi contra iuſtum. Facientes feciſtis, & linguas vipereas in Abaëlardum euaginaſtis. Subuerſi ſubuertiſtis & vinum abſorbuiſtis, ſicut qui deuorat pauperem in abſcondito. Inter hæc Petrus orabat, *Domine libera animam meam à labiis iniquis & lingua doloſa.* Interdum illud Pſalmiſtæ ſedulò ruminabat, *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum.* Verè pingues, quorum colla thoris adipeis incraſſata liquidam ſudabant aruinam. Nec mirum, viſitauerant enim Domeſtici fidei neutriu. † lachrymas in miſericordia & caritate. Sedit autem in Concilio vanitatis contra Pſalmi decretum quidam memoriæ celebris Epiſcopus, in cuius auctoritatem plurimorum ſe reclinabat aſſenſus. Hic heſternam crapulam eructans huiuſmodi in Concione ſermonem euomuit. *Fratres Chriſtianæ Religionis participes omnium periculo prouidete. Ne fides in vobis turbetur, ne ſincerus columbæ oculus turgente macula obducatur. Nihil enim prodeſt aliarum virtutum poſſeſſio, vbi fuerit fidei defectio iuxta illud Apoſtoli. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil prodeſt.* O Mineruæ lepos! ô ſales Attici! ô eloquentia Tulliana! Hanc certè caudam non vult hic aſinus. Talis finis tali capiti non reſpondet. Vnde etiam qui fauerunt, preſſâ fronte ruborem confeſſi ſunt. Placet & non immeritò hanc magni nominis vmbram Gregi illorum communicare, de quibus dictum eſt, *Conceperunt ventum & telas aranex texuerunt.* Præfatus verò Epiſcopus etiam præmiſſis adiungens, *Petrus*, inquit, *ſemper turbat Eccleſiam, ſemper excogitat nouitatem.* O tempora! ô mores! ſic iudicat de ſole cœcus. Sic pingit in ebore mancus. Sic vrbem appreciatur aſinus. Sic animales Epiſcopi iudicant, ſic caſus ventilant, ſic diſcutiunt rationes. Sic pugnant contra eum filij matris ſuæ. Sic ſues craſſæ aduerſus ſilentem grunniunt.

Intra tot itaque & tantas anguſtias deprehenſus Abaëlardus ad Romani examinis confugit aſylum. *Filius ſum*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ, volo cauſa mea quaſi inpij iudicetur, Cæſarem appello.* At Bernardus Abbas, in cuius brachio fidebat Præſulum multitudo, non dixit, vt Præſes qui tenebat Paulum in vinculis, *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis: ſed* Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem non ibis. Renunciauit enim quæ geſta fuerant Apoſtolico, & ſtatim à Romana ſede leges damnationis in Petrum per Gallicanam Eccleſiam volauerunt. Damnatur taliter os illud promptuarium rationis, tuba fidei, hoſpitium Trinitatis. Damnatur, proh dolor! abſens, inauditus & inconuictus. Quid dicam? quidve non dicam, Bernarde?

Nil opus eſt bello, veniam pacemque rogamus,
Porrigimus iunctas ad tua lora manus.
Iura cadent rerum, vertetur ſanctio legum,
Si vis, ſi mandas, ſi ſic decernis agendum,
Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi.

Cuius vnquam, Ieſu bone, culpa tam cœcos habuit Iudices, vt non vtrinque cauſæ latera ventilarent? vt non in quam potiſſimum partem ius vergeret, elimarent? iſti clauſis oculis palpant negotium, & quaſi oculati rerum cognitores arcu iniquitatis intenſo toxicum ſubitò iaculantur. Quicquid inteſtinus odiorum furor, quicquid implacabilis amentiæ turbo rotaret in Petrum, quic-

quid

quid iniqua conflaret æmulatio, Cenſuræ Apoſtolicæ ſobrium nunquam dormitare deberet acumen. Sed facile deuiat à Iuſtitia, qui plus hominem quàm Deum timet in cauſa. Verumque illud eſt quod per Prophetícum organum ſonat: *Omne caput languidum, à planta pedis vſque ad ceruicem non eſt in eo ſanitas.*

Sed corrigere, inquiunt fautores Abbatis, Petrum volebat. Si Petrum, bone vir, ad integrum fidei ſtatum diſponebas reuocare; cur ei coram populo æternæ blaſphemiæ caracterem impingebas? Rurſuſque ſi Petro amorem populi tollebas, quomodo corrigere diſponebas? Ex qua complexione in ſummam redigitur, te in Petrum exarſiſſe non amore correctionis, ſed deſiderio propriæ vltionis. Præclarè dictum eſt à Propheta, *Corripiet me iuſtus in miſericordia.* Vbi enim deeſt miſericordia, non eſt correctio iuſti, ſed barbaries incondita tyranni. Teſtatur etiam rancorem animi eius Epiſtola ad Innocentium Papam directa, in qua ſic ſtomachatur. *Non debet*, inquit, *refugium inuenire apud ſedem Petri, qui fidem impugnat Petri.* Parce parce bellator inclyte. Non decet Monachum ſic pugnare. Crede Salomoni, Noli, inquit, nimium eſſe iuſtus, ne forte obſtupeſcas. Non impugnat fidem Petri, qui fidem affirmat Petri. Debet ergo inuenire refugium apud ſedem Petri. Patere quæſo tecum Petrum eſſe Chriſtianum, & ſi vis tecum erit Catholicus. Et ſi non vis, tamen erit Catholicus. Communis enim Deus eſt, non priuatus. Sed ſi ſedet ſententia cordi, pergamus pariter contemplari, quomodo Petrus fidem infeſtat Petri. Scribit enim Petrus ad ancillam Dei Heloiſſam ſacris litteris, apprimè inſtitutam, familiarem ſatis Epiſtolam, quæ inter reliqua horum etiam verborum redolet continentiam.

Soror mea Heloiſſa quondam mihi in ſeculo cara, nunc in Chriſto cariſſima, odioſum me mundo reddidit Logica. Aiunt enim peruerſa peruertentes, quorum ſapientia eſt in proditione, me in Logica præſtantiſſimum eſſe, ſed in Paulo non mediocriter claudicare. Cũq; ingenij prædicent aciem, Chriſtianæ fidei ſubtrahunt puritatem. Quia vt mihi videtur, opinione potius traducuntur ad Iudicium, quam experientiæ Magiſtratu. Nolo hîc eſſe Philoſophus, ut recalcitrem Paulo. Non ſic eſſe Ariſtoteles, vt ſecludar à Chriſto. Non enim aliud nomen eſt ſub Cœlo, in quo oporteat me ſaluum fieri. Adoro Chriſtum in dextera Patris regnantem. Amplector eum vlnis fidei in carne Virginali de Paracleto ſumpta glorioſa diuinitus operantẽ. Et vt trepida ſollicitudo cunctæque ambages à corde tui pectoris explodantur, hoc de me teneto, quod ſuper illã Petram fundaui conſcientiam meam, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam. Cuius Petræ titulum tibi breuiter aſſignabo. *Credo in Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum vnum naturaliter & verum Deum*: qui ſic in perſonis approbat Trinitatem, vt ſemper in ſubſtantia cuſtodiat vnitatem. *Credo Filium per omnia Patri ſſi coæqualem*, ſcilicet æternitate, poteſtate, voluntate, & opere. Nec audio Arrium qui peruerſo ingenio actus, imo dæmoniaco ſeductus ſpiritu, gradus facit in Trinitate, Patrem maiorem, Filium dogmatizans minorem: oblitus legalis præcepti. Non aſcendes, inquit lex, per gradus ad meum altare. Ad altare quippe Dei per gradus aſcendit, qui prius & poſterius in Trinitate ponit. *Spiritum etiam S. Patri & filio conſubſtantialem & coæqualem per omnia teſtor*, vt pote quem bonitatis nomine deſignari volumina mea ſæpe declarant. Damno Sabellium, qui eandem perſonam aſſerens Patris & filij, Patrem paſſum autumauit. Vnde & Patri-Paſſiani dicti ſunt. Credo etiam filium Dei factum eſſe filium hominis, vnamque perſonam ex duabus conſiſtere. Qui poſt completam ſuſceptæ humanitatis diſpenſationem paſſus eſt & mortuus & reſurrexit & aſcendit in cœlum venturuſque eſt iudicare viuos & mortuos. Aſſero etiam in baptiſmo vniuerſa remitti delicta, gratiaque nos egere, quâ & incipiamus bonum & perficiamus: lapſoſque per pœnitentiam reformari. De carnis autem reſurrectione quid opus eſt dicere, cum fruſtra glorier me Chriſtianum, ſi non credidero reſurrecturum. Hæc itaq; eſt fides in qua ſedeo, ex qua ſpei contraho firmitatem. In hac locatus ſalubriter latratus Scyllæ non timeo, vertiginem Carybdis rideo, mortiferos Sirenarum modulos non horreſco. Si irruat turbo, non quatior. Si venti perflent, non moueor. Fundatus enim ſum ſupra firmam Petram.

Hæc de Epiſtola Petri ad verbum excerpenda putaui, vt liquidum fieret quo-

„ modo Petrus impugnaret fidem Petri. Nunc rigide cenſor adeſto, & fidem Petri
„ ſincero perpende iudicio. Dixiſti, Non debet refugium inuenire apud ſedem Pe-
„ tri, qui fidem impugnat Petri. Hoc per ſedictum quoddam eſſet eminens & ge-
„ nerale verum. Sed quia perſonaliter dixiſti de Petro, conuinco te contraria ſenti-
„ re vero Non enim Petrus arguit fidem, ad cuius lineam vitam ſuam diſponit:
„ nec alienus eſt à Chriſti portione, cuius ſe tam humiliter inſigniuit nomine. De-
„ beret ergo refugium apud ſedem Petri inuenire, ſi non illecebræ tui eloquij clau-
„ ſiſſent viſcera miſericordiæ Romanæ Eccleſiæ. Sed dum tu Petro clementiæ
„ oſtium obſtruis, conceptæ veſaniæ ſignanter impetum prodis.
„ *Hic* fortaſſe inquies, *nimia ſuper me laceſſis iniuria*. Zelus domus Dei comedit me,
„ eo quod lepra inſanæ doctrinæ macularet corpus Eccleſiæ. Cui obuiandum in ipſo
„ ſtatim nequitiæ limine putaui, ne latè ſerperet vis veneni. Nonne cautè conſul-
„ teque egi, quod fœdum illud ſacrilegumque dogma manuali quodam indiculo
„ compleſi? Ne ſcilicet breuiter volentibus attingere ſummam rei, oneroſum eſſet
„ ire per ſpecioſos ſaltus voluminum Abaëlardi. Adhæc ego. *Laudo te*, pater, *ſed in*
„ *hoc non laudo. Indiculum vidimus in quo non Petri dogmata, ſed nefandi commenti ca-*
„ *pitula legimus*. Quod ſcilicet pater ſit omnipotentia, filius quædam potentiá, Spi-
„ ritus S. nulla potentia. Quod Spiritus S. licet ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum filio,
„ non tamen eſt de eadem ſubſtantia. Quod homo ſine noua gratia poſſit operari.
„ Quod Deus non poſſit plus facere quàm facit, nec melius facere quàm facit, nec
„ aliter facere quàm facit. Quod anima Chriſti non deſcendit ad Inferos. Hæc
„ & alia Indiculus tuus continet, quorum quædam, fateor, Petrus & dixit & ſcrip-
„ ſit: quædam vero neque protulit neque ſcripſit. Quæ autem dixerit & quæ non
„ dixerit, & quàm Catholica mente ea quæ dixerit, ſenſerit, ſecundus arrepti ope-
„ ris Tractatus Chriſtiana diſputatione ardenter & impigre declarabit. Nam talia
„ ſunt quæ dilui debent atque refelli: vt non immeritò proprio reſeruentur volumi-
„ ni. Nunc illud eſt acriter perſequendum, cur vir ſanctus & in ore famæ nomina-
„ tiſſimus, qui quædam perenni ſepelienda ſilentio ſcriptis propriis tradidit, Petro
„ Abaëlardo hæreſeos crimen impegerit. Rata namque eſt fama & ab antiquo qua-
„ ſi naturæ legibus promulgata, neminem de ſimili crimine quempiam poſſe con-
„ uincere. Quod dum feciſti, & imprudenter & impudenter egiſti.
„ Petrus errauerat, eſto. Tu quare erraſti? aut ſciens, aut neſciens erraſti.
„ Si ſciens erraſti, hoſtis Eccleſiæ comprobaris: ſi neſciens eraſti, quomodo
„ es defenſor Eccleſiæ, qui errorem neſcis diſcernere? Erraſti verè, dum origi-
„ nem animarum de cœlo aſſeruiſti eſſe. Quod qualiter in libro adſtruas, quo-
„ niam vtile & facile eſt cognitu, ſagaci lectori ab altiori cardine retexam. Eſt liber
„ quem Hebræus *Hiarifim*, Latinus nominat Canticum Canticorum, cuius lit-
„ tera vigilantibus animis diuinæ cuiuſdam intelligentiæ ſudat arcanum. Ad hunc
„ librum Bernardus manum expoſitionis applicat, vt ab hirſutis litteræ opuſcu-
„ lis egregii ſenſus frugem eliciat, vtitur ſanè mediocri & temperato genere di-
„ cendi. Sed libet paululum percunctari cur Bernardus poſt tot illuſtrium viro-
„ rum ſudores, qui in præfato opere ſua ingenia contulerunt, tam immenſæ maie-
„ ſtatis volumen tentauit in lucem proferre? Nam ſi maiores noſtri plenariè ſuffi-
„ cienterq; libri huius latebras produxerunt in ſolem, miror qua fronte auſus tuos
„ extenderis in opus climatum ad vnguem. Quod ſi aliqua ſunt tibi reuelata ſacra-
„ menta, quæ eorum notitiam fugerint, non inuideo. Imo labori vehementer ap-
„ plaudo. Sed cum eorum expoſitiones commentumque tuum ſtudioſis reuoluo
„ manibus, nihil te noui dixiſſe comperio: imo ſenſum alienum verbis tuis ve-
„ ſtitum deprehendo. Superuacua igitur explanatio tua eſſe videtur. Ac ne quis me
„ putet improbabilia prolocutum, proferam ſuper hunc librum *Quadrigam expoſi-*
„ *torum*. Originem ſcilicet Græcum, Ambroſium Mediolanenſem, Retiũ Auguſtodu-
„ nenſem, Bedam Angligenam. Quorum primus cum in cæteris libris, vt ait Hie-
„ ronymus vicerit, in Canticis Canticorum ſeipſum vicit. Secundus verò proba-
„ bili & erudito ſermone ſponſi ſponſæque firmauit amores. Tertius perplexitatem
„ voluminis ſublimi ore diſſeruit. Quartus autem eiuſdem libri opaca ſeptem li-
„ bris abſoluit. Poſt tales itaque & tam induſtrios viros Bernardus arat, quaſi
„ aliquid intentatum maiores noſtri reliquerint. Poſſemus ſanè lucubrationibus
„ diſerti hominis acquieſcere, niſi potius Tragœdiam videretur, quàm Commen-

tarios texere. Patefacta namque quadam parte operis repente mortẽ ſui fratris inducit, in cuius funeris proſecutione duos pene quaternos conſumit. Quod quàm ibi diſcrepans & inconcinnum fuerit, paucis expediam. Liber ille Salomonis in S. Spiritus officina conflatus Chriſti & Eccleſiæ ſub ſponſi ſponſæque typo maritat amplexus. Porro nuptiis gaudia conſonant. At Bernardus aut rerum obſcurarum tædio victus, aut negligens Apoſtoli dictum ſuadentis gaudere cum gaudentibus, mortuum ſuum ducit ad nuptias, cum ſcriptum ſit, Non eſt Deus mortuorum ſed viuentiũ. Diſcumbente itaque ſponſo in ſponſæ gremio, & iuuenculis ſponſi ſponſæque iuuenculabus alterna iocunditate plaudentibus, tuba funeris ſubitò clangit. Epulæ in luctum eunt, organa vertuntur in funus; Tragœdia riſum proterit nuptiarum. Non diſcretus, non elegans Citharista fuiſti, qui funebres modulos Regio Conuiuio præſentaſti? quis vnquam ſomniauit tale portentum? ſolemus ridere picturas incipientes ab homine & in Aſinum deſinentes. Reuolue quæſo priſci ſuper hunc librum monumenta ingenij, & nullum reperies qui in huiuſmodi materia triſtia lætis confœderet. Vnde Retij Auguſto dunenſis aurea ſic depromit Camœna. *Mos eſt*, inquit, *generoſæ materiæ obſeruandus, ſponſi ſponſæque tripudia feſtiua tuba perſultent. Neque enim in funera fas diſtrahi animũ, quoniam ad exponendum Cantica nuptiarum inuitat alacritas conuiuarum. Sed quoniam tantæ facultatis ratio in nobis vel nulla eſt, vel admodum orba, eius innitar gratiæ, qui per Euangelium ſuum ſonat.* Sine me nihil poteſtis facere. *Neque certè mihi deficiet tranſitorium verbum, cum credam in Verbum quod eſt in Principio apud Deum.* O vox Catholico digna Doctore! ô fidelis confeſſor gratiæ! Rectè perpendiculum ſui iudicij vir ſapiens lineauit, qui mœrorem à gaudio tanto interſtitio ſequeſtrauit. Tu vero terminos tranſgrediens quos poſuerunt patres tui, Cantica in elegos, carmina in Threnos forte miſerabili conuertiſti. Quod ſi tibi deeſſent Eccleſiaſticæ ſcita cenſuræ, recolere poteras gentilis etiam Inſtituta prudentiæ. Nam cum Zeuzis Pictor eximius ſimulacrum Helenæ pinxit, non ei brachia Simiæ nec Chimeræ ventrem, nec caudam piſcis aptauit: ſed humanorum membrorum expolitione perfectum publicis viſibus propalauit. Alioquin indecens & ridiculoſa eſſet Pictura. Vnde Horatius in arte Poëtica.

Humano capiti ceruicem Pictor equinam
Iungere ſi velit & varias inducere plumas
Vndique collatis membris; vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne;
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Concedit ars vt quod velis incipias, ſed non vt quemlibet finem cœptis tuis ſupponas. Vnde idem Poeta paulo poſt ſcripſit.

—— Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas:
Sed non vt placidis coeant immitia, non vt
Serpentes auibus generentur, tigribus agni.

Velut ægri ſomnia, Operis tui vanæ ſpecies fingunrur.

—Vt nec pes nec caput vni
Reddatur formæ.
Purpureus latè qui ſplendeat, vnus & alter
Aſſuitur pannus.

At ne quis fautorum tuorum obloquatur.

Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.

Quid plura? tota ars Poëtica iurata contra te bella ſuſcipit: deberes reuera in-

„ genij tui puerperium iuxta eiuſdem Poëtæ inſtitutionem nonum premere in an-
„ num, vt malè tornatum opus rurſus liceret incudi reddere & curare, ne te lunæ
„ labor offenderet. Deberes vtique feſtinantiam emiſſionis differre: cum ſcriptum
„ ſit, Neſcit vox miſſa reuerti. Laudamus in te *Pater*, venam ingenij, ſed artis
„ culpamus inſcitiam. Inde eſt quod veteres definierunt *ingenium eſſe mutilum, ni-*
„ *ſi opem artis ſibi aſciſcat*. Laudantur ſales Lucilij, & tamen mordetur, quod in-
„ compoſito currat pede.
„
„ *Impoſtos verſus componit & arte carentes*
„ *Ennius ingenio diues & arte rudis*
„ E quibus eſt iſte.
„ *Omnes mortales ſeſe laudari exoptant.*
„
„ Sed quoniam lippis & tonſoribus claret, quod non rectè lamenta epithala-
„ mio coniugaſti, libet aliqua de ipſo boatu tragico ſpeculari. Inter cætera, ni
„ fallor, Oratoris noſtri lugubris Muſa ſic calculat: *deceſſit frater à vita, imo vt re-*
„ *ctius fatear, mortem reliquit pro vita: frater, inquam, deceſſit, tenor continentiæ, morum*
„ *ſpeculum, vinculum religionis. Quis vlterius vegetabit me ad laborem? quis amplius læ-*
„ *tiet mœrentem?* Et poſt aliqua. *Bos inquam, boucm requirit, ſe quod ſolum putat, frequen-*
„ *ti mugitu pium teſtatur affectum. Bos inquam, boucm requirit, cum quo ducere aratra collo*
„ *conſuenit*. Pulchrum quidem eſt & tinnulum, quod Bernardus loquitur, ſed alio
„ ſudore pretium nomenque venatur. Ambroſius enim hæc verba ſyllabatim in
„ querimonia illa poſuit, quamde exceſſu Satyri amici ſui muliebri dealbatoque ſty-
„ lo procudit. Itaque Bernardus in hoc planctu adeo eſt vehemens, adeo pertinax,
„ adeo viuus, vt legenti cuilibet conſtans ſit eum non veros fletus edere, ſed verba
„ quibus veri queſtus exprimantur, effundere. Aiunt tamen quidam inſulſi, ſedu-
„ ctorio eius linguæ moderamine ſeducti, qui corpus verborum diligunt, animam
„ autem rationis ſpernunt, eum tam facundia ſublimi in lamentis illis vti, vt nulla
„ modernæ eloquentiæ facultas ei valeat exæquari. O falſi Iudices eloquentiæ, quos
„ proiicit vocis ventus vt puluerem à facie terræ? Quænam ibi ſententiarum vis?
„ quæ pocula rationum? totus in verbis fluctuat, & mors ridiculi ſyllogiſmi rotatur
„ in circulo. Vnde Poëta Citharœdus inquit.
„
„ *Ridetur cordâ qui ſemper oberrat eâdem.*
„ Læta verborum gramina, fata inſtrangulant ſententiarum. Aut fortaſſe idem
„ dicendo multipliciter, Vlixem ſimulare volebat. De quo ſcriptum eſt, Ille re-
„ ferre alij ſœpe ſolebat idem, ſed non talibus inſtrumentis mortuus ſuſcitatur,
„ nec eloquentiæ præſtigiis vita mortuo comparatur. Vnde cuiuſdam diſtichum
„ egregiè ſonat.
„
„ *Cur dantur fruſtra pro pſalmis carmina pulchra?*
„ *Plus prodeſſet ei ter Miſerere mei.*
„

Quod ſi dolorem ſuum delinimentis facundiæ remedioque carminis euapo-
rare nolebat: cur non ſaltem ſuper hoc proprium ſeparatim opuſculum conde-
bat? Nec deerant à quibus talis materiæ mutuari poſſet exemplar. Socrates mor-
tem ſui Alcibiadis Philoſophici vigoris vbertate teſtatur. Plato Alexim puc-
rum cui amatorias cantiuculas compoſuerat, inſigni titulo ducit ad tumulum.
Taceo Pythagoram, Demetrium, Carneadem, Poſſidonium reliquoſque quo-
rum excellentia Græcia ſuperbit: qui teſte Hieronymo diuerſis ſeculis, diuerſis
libris diuerſorum lamenta minuere ſunt conati.

„ Prætereo Anaxagoræ laudatam ſemper ſententiam, qui cum ei nunciaretur fi-
„ lium obiiſſe, fletu repreſſo *ſciebam*, inquit, *me genuiſſe mortalem*. Et vt peregrinos
„ omittens ad noſtra veniam, Tullius eloquij Rom. maximus auctor conſolato-
„ rium de morte filiæ ſuæ librum edidit, cui præclara magnorum virorũ monumẽta
„ quaſi ſtellas micantes impreſſit; Hieronymus dolori quem de morte Nepotiani
„ conceperat, plauſibili medetur eloquio. Ambroſius de quo præfatus ſum, duos
„ libros de exceſſu dilecti ſui Satyri ſuaui ſtylo ediſſerit. Ad horum normam plan-

ctum tuum texere debebas, non immemor illius vulgaris prouerbij. Vicini barbæ propriam debes ſimulare.

Sed quoniam ſuper hoc ſatis abundeque digeſſimus, tempeſtiuum eſt illud Capitulum in eodem libro viſitare, *in quo animarum originem de cœlis fabularis eſſe.* Vbi ſic recolo te locutum. Merito dixit Apoſtolus, noſtra conuerſatio in Cœlis eſt. Hæc verba tua ſubtiliter exploratæ Chriſtianæ mentis palato hæreſim ſapiunt. Si enim idcirco animæ originem de Cœlis aſtruis, quia quandoque beata futura eſt in cœlis: eadem ratione corporis origo erit in Cœlis, quia quandoque beatum futurum eſt in Cœlis. Sed ad hoc intimandum talia verba non accommodant. Aut ſi ideo animæ originem cœleſtem aſcribis, quia olim orta, ideſt facta ſit in cœlis, quod quidem verborum talium reſultat intentio, prauitatem Originis incurris, qui in libris Periarchon Pythagoreum Platonicumque dogma ſecutus, originariam in cœlo ſedem animabus diſponit. At quoniam de anima mentio ſe ingeſſit, non abſurdum eſt commemorare, quæ altercationis varietas occupauerit de animarum origine. Aiunt Philoſophi, quorum duces ſunt Plato & Pythagoras, quibus & tu ex parte maxima acquieſcis, animas ſcilicet olim ab initio factas conditaſque in theſauris Dei, indeque ob antiquum vitæ contagium in corporum ergaſtulum lapſas, rurſuſque ſi corpus rectè gubernauerint, ad antiquæ honeſtatis vultum meritorum vehiculo redituras ferunt. Et hæretici animam partem eſſe diuinæ ſubſtantiæ contenderunt, occaſionem huius fabulæ inde rapientes, quod ſcriptum eſt in Geneſi: *Inſufflauit Deus in faciem eius (Adæ) ſpiraculum vitæ*, contra quos intonat breuiter Auguſtinus. *Flatus*, inquit, *ille dicitur qui hominem animauit. Factus eſt ab ipſo, non de ipſo, quia nec hominis flatus hominis pars eſt, nec homo eum facit de ſe ipſo, ſed ex aereo halitu ſumpto & effuſo.* Item fuerunt quidam craſſis ignorantiæ tenebris obuoluti, qui venire animas ex traduce delirabant; quos confutare quodammodo eſt eorum ineptias roborare. His tribus næniis quaſi rationi aduerſis orthodoxæ veritatis gladio amputatis, aſſerunt SS. patres nouiter creatis corporibus creatas nouiter animas cotidie infundi iuxta id Euangelij *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Tu itaque à Doctrinæ ſalutaris tramite deuius in Philoſophorum ſcopulos ruis. Et dum dignitatem animæ iactitas, originem ei ſideream flore ieiuni eloquii nundinaris. Quod ſi in Petri Opuſculis huius vecordiam reperiſſes, non eſt dubium, quin eam inter illa quæ peperiſti, Capitulorum monſtra locaſſes.

De origine animarum.

Hinc ad alios tui ingenij fœtus articulus eſt vertendus. Quærit à te vir collo inflatus Romano, quid ſit diligendum & quomodo. Cui ſic reſcribis. *Orationes à me*, Aimeriçe, *& non quæſtiones flagitare ſolebas.* Et poſt pauca. *Quæris quid ſit diligendum.* Cui breuiter reſpondeo. *Deus.* Homo Romanus, groſſus Camelus, Gallicano argumento gibboſus trans Alpes ſaltat, vt quid ſit diligendum inquirat; quaſi iuxta ſe non habeat, qui rei huius ſibi notionem infundat. Cui noſter Philoſophus mandat non virtutem eſſe diligendam, vt Cryſippus; nec voluptatem, vt Ariſtippus; ſed Deum vt Chriſtianus. Acutulum ſanè reſponſum & docto homine dignum! ſed quænam abiecta mulierecula? quiſnam hoc ignoret extremus idiota? **Sic philoſophantur in textrinis aniculæ. Sic propoſitiones Dagani cum ioco mirari ſolemus.** De cuius propoſitionibus aliquas exempli gratia interſeram. *Filius*, inquit, *ſum Matris meæ. Placenta eſt Panis. Caput meum eſt groſſius pugno meo. Cum meridies eſt, dies eſt.* Quis eſt cui auditâ tam ridiculâ veritate labia riſu non quatiantur? Similiter & cum Bernardus dixit *Deum eſſe diligendum*, veriſſimum quidem dixit & venerabile verum: ſed ad hoc dicendum pro nihilo aperuit os ſuum. Nemo enim de hoc dubitat. Sperabat enim Romanus aliquid ſecreti audire, & Archimandrita noſter tale quid intonat quod quilibet Ruſticus valeret reſpondere. Et tamen dum Deum diligendum eſſe latenter pronunciat, ferit Romanum qui in Curia Papæ non Deum didicerat amare, ſed aurum. Sequitur poſtea de modo diligendi. *Modus*, inquit, *eſt ſine modo diligere.* Aimericum, ſic enim dictus eſt, ad quem ſcribis, lacteo ſucco pauiſti, dum Deum diligendum apertè pronunciaſti. Nunc cum ſubitò ad altiora ſubrigens dicis quod modus diligendi Deum ſit ſine modo diligere. Qui quæſiuerat quid eſſet diligendum, de quo nec pauperculus Chriſtianus quidem hæſitaret; quomodo poterit hanc ſubtilitatem intelligere, quod modus diligendi Deum

„ ſit ſine modo diligere? In quo impoſſibile quiddam ſpondere videris. Cum
„ enim ſtabile fixumque ſit Deum eâ magnificentiâ eſſe prædituin, vt nequa-
„ quam noſtra in illum dilectio eius dignitati æquipollenter reſpondere ſufficiat,
„ quomodo ſine modo diligemus quem cum modo diligere non valemus? quo-
„ modo, inquam porrigetur dilectio vltra modum, cum ſemper remaneat citra
„ modum? Aut ſi ſic intellexiſti ſine modo diligere, id eſt diligere quod non perue-
„ niatur ad congruum intelligendi modum, ridiculam intelligentiam portendit
„ ſomnium tuum. Dum itaque rhetoricari voluiſti, & obſcuritatem dediſti &
„ quiddam inopinum atque impoſſibile confeciſti, dum Deum ſine modo diligen-
„ dum docuiſti, Quanto rectius hic qui nil molitur ineptè!

„ Ieſus C. ſcilicet qui per Euangelium ſuum diligendi modum exprimens, *Dili-*
„ *ges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota mente tua & ex omnibus*
„ *viribus tuis*. Hic nullius eloquentiæ fucus, ſed mera tantum veritas ſimplici &
„ abſoluto eſt expreſſa eloquio. Hîc Romanus aurem accommodet. Hic ſuperbiæ
„ ſtrumam deponat camelus, quia Ieſus hic impoſſibile nihil pronunciat. Ieſus, in-
„ quam, ſententiæ lucem tenebris eloquij non inuoluit, vt Bernardus qui rei vene-
„ rabilis maieſtatem exquiſito quodam obnubit verborum adulterio. Vir ſapiens
„ inquit Horatius,

„ *Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem*
„ *Cogitat.*

„ Quod Bernardus malè attendit, qui quod Ieſus nudo patuloque ore, nube
„ ſermonis intelligentiæ viam ſecludit. Horum & his ſimilium ludicrorum menſu-
„ ram confertam & coagitatam in libellorum tuorum, Bernarde, ſinum dediſti.
„ Quod reprehendere facile poterit, quem oculatum eruditio reddidit. Quæ ſi vn-
„ gue tenus perſequi vellem, longitudo certè dictaminis lectorem etiam repelleret
„ diligentem.

„ Cum itaque tantas trabes loqueris, cur Abaelardi feſtucas in trabes commuta-
„ re moliris? Non eſt negotium miſericordis culpam augere, ſed minuere. Vnde
„ Pſalmiſta cum dicturus eſſet, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*;
„ commodè miſericordiam præpoſuit Iudicio; quaſi diceret, Immenſe Deus, ſcio
„ quia miſericors es & iuſtus: ſed in altero mea damnatio primoque miſericordiæ
„ canticum libentius volo. Scriptum eſt in Iſaia, Et conuertent gladios ſuos in vo-
„ meres. Gladij in vomeres conuertendi ſunt, non vomeres in gladios, quia & mali
„ ad tranquillitatis bonum trahendi ſunt leuitate, boni, ad diſcordiam commouen-
„ di non ſunt aſperitate inuectionis.

„ His & aliis delinitus exemplis, Petrum, ſi errore ſauciatus eſſet, iumento
„ tuo deberes imponere & ſic ad ſtabulum vniuerſalis fidei reuocare. Plures Ca-
„ tholici quædam culpanda dixerunt, nec tamen ob id hæreticorum collegio ſunt
„ adſcripti. Duo dixit Hilarius erroris expugnator, propugnator Eccleſiæ, in
„ quibus eum non audit ſobrietas Eccleſiæ. Primum, quod Chriſtum nil in paſſio-
„ ne doloris ſenſiſſe aſſeruit. Contra quam ſententiam Claudianus Preſbyter Lug-
„ dunenſis vir Chriſtianiſſimus, & tam ſubtilis ad diſputandum, quàm artifex ad
„ loquendum ſic perſonat. Si Chriſtus nil in paſſione ſenſit doloris, non verò paſ-
„ ſus eſt: & ſi vere non paſſus eſt..... Secundum quod nullum incorporeum dixit
„ eſſe creatum. Nec igitur, inquit, Claudianus, anima cum ſit incorporea
„ creatura Dei eſt. Sed non ob hoc, vt ait idem Claudianus, ſcientia Doctoris,
„ perdit meritum Confeſſoris, quia Eccleſiæ bono filio indulſit, quod humana
„ opinio minus cautè diſputauit. Proculdubio ſi hæc Petrus dixiſſet, eum eſſe
„ lapidandum rigoris tui ſeueritas ſanxiſſet.

„ B. Etiam Hieronymus in lib. contra Iouinianum de nuptiis quædam differit.
„ Et præcipuè illo loco, vbi ſententiam Apoſtoli inducit, quæ in hunc modum ſe
„ habet. *Bonum eſt mulierem non tangere.* Cui Hieronymus ſubiungit. *Si bonum eſt*
„ *mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere. Nihil enim bono contradictorium eſt*
„ *preter malum.* Argumentum hoc ſcit eſſe friuolum quiſquis diſputandi diſciplinâ
„ ſe profitetur imbutum. Nam ſimiliter bonum eſt carnem non comedere & vi-
„ num non bibere, nec ideo ſequitur quod ſit malum carnem comedere & vinum

bibere. Quod quidam aſſerentes inter hæreticos recepti ſunt. Sed tamen pauliſper concedatur, vt malum ſit iuxta Hieronymum, mulierem tangere. Ex quo quanta ſequatur abſurditas, nexus ipſe rationis oſtendit. Nam ſi malum eſt mulierem tangere, malum eſt cum muliere coire. Neque enim poteſt fieri vt bonus ſit coitus ſi malus eſt tactus. Et ſi malum eſt cum muliere coire, malum agit quiſquis cum muliere coit.

Peccant ergo coniugati legitimè vtendo coitu coniugali. Nam etiam coëundo mulierem tangunt. Igitur vt malè non agant Mariti, feriabuntur ab vxoribus. Aut ſi neceſſe erit coire, ita coeant, vt mulierem non tangant. Sed hoc impoſſibile eſt fieri. Sequitur ergo coniugalis boni naufragium, quod ad remedium mortalis luxuriæ ſuperna induſtria præparauit. Nam ſi Coniugium coitum non excuſat, eant mariti, certatim agant pœnitentiam, eo quod cum vxoribus ſuis aliquando coierunt. Alias in eodem libro Hieronymus inhumanius de Nuptiis diſputat ſuper illum Apoſtoli locum: *melius nubere quam vri*. Sed ſi bonum eſt nubere, quare malo comparatur? Nemo enim ratione malum bono comparat. Vri certè malum eſt, & nubere huius mali reſpectu bonum eſt. Quod autem reſpectu boni mali bonum ſit, ſimpliciter bonum non eſt. Ex his Hieronymi verbis diſtinctè colligimus nuptias non eſſe abſolutè bonas. Perit igitur nuptiale bonum. Nam nuptiale bonum ſecundum Hieronymum non eſt bonum, niſi quia vri eſt maius malum quàm ipſum. Multos fideles viros, inter quos & Pamachium ſenatorem ſcandalizauit hæc effera auſteraque diſputatio, doloremque ſuum ſcriptis ſuper hoc Epiſtolis eidem Hieronymo teſtati ſunt. Quod ſi Petrus tam crudeliter contra nuptias declamaſſet, profecto Barnardus in eius exitium coniugatorum cohortes armaſſet.

Auguſtinus erroribus ſuis inimicus eos libro Retractationum purgandos committit. Lactantius de quo ipſe Auguſtinus aſſeuerat, quod multo auro ſuffarcinatus exierit de Ægypto, cum ore fulmineo contra gentes Chriſtum defendat, quædam abſona de dogmatibus Eccleſiæ poſtea ſomniat. Longum eſt recenſere veterum ſyngrapha Tractatorum, quæ non ſunt ſic ad purum excocta, vt non inueniantur in eis multa quæ virga correctionis eſſent digniſſima. Verax namque eſt Iacobi Apoſtoli ſententia. In multis, inquit, offendimus omnes. Si quis autem in verbo offenderit, hic perfectus eſt vir. Itaque ſi Petrus in verbo offenderat iudicandus à te, miſericordiæ potius blandũ deberet ſentire tactum, quàm iracundiæ incentiuum. Æquum erat te reminiſci quod Abacuc Prophera decantat dicens: Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Vide quid diſtet inter iram Dei & iram hominis. Cum homo iraſcitur, clementiæ ab eius pectore mentio exulat. Cum autem Deus iraſcitur, per ingenitæ bonitatis affluentiam miſericordiæ recordatur. Recordatur non ſine obliuione qui iraſcitur ſine commotione. Magnus Dominus noſter qui ſic tentat ſumma, vt curam inferiorum non negligat. Huius imaginem æmulari, huius te oportebat veſtigia totis conatibus amplexari, vt calculo quem forcipe tulerat Angelus de altari, purgares vitium labiorum Petri. Nec ignorare ius erat te hominem eſſe, quem & culpæ lubricum trahere ad pœnam, & medicus gratia reparare poſſet ad veniam.

His ita decurſis ſilentium imperat prolixitas orationis. Et quoniam vox laſſata refrigerij portam iam expetit, ob recreandum Lectoris faſtidium debitus primo volumini terminus affigetur; vt ad ea quæ promiſimus enodanda, ſecundi luctamen laboris officioſius accingatur. Finis.

Hæc Apologia ſeu potius Inuectiua reuera adoleſcentem redolet, quæ nihil probat, ſed floſculis tantum ad oſtentationem abundat. Secundum autem volumen quod promittit Berengarius, non extat, nec illud edidiſſe fatetur in ſequente Ep. Cum autem ab amicis reprehenderetur, quod Bernardum ſanctiſſimum hominem tam acriter ſuo ſtylo infectatus eſſet, excuſauit non ignorantiam quidem probitatis ipſius, ſed adoleſcentiam, voluitque ioco non ſerio dixiſſe videri, quæ dixerat, vt patet ex ſequente Epiſtola ad Epiſcopum Mimatenſem.

Patri & Domino ſuo G. Mimatenſi Epiſcopo pleno dierum, renouari vt Aquilæ iuuentutem ſuam. In loco barbaro Corpus meum à latronibus eſt liberrimum. Sed ſpiritus meus apud vos in loco ſancto periclitatur. Quapropter in totius or-

Guillelmus II. tunc erat Mimatenſis Epiſ-

copus fuit- que vſque ad an. 1150.

bis conſpectu vobis baculum meæ porrigo defenſionis, vt ſanctorum dentes mordere non audeant, quem veſci ſpiraculo vitæ permittit truculentia gladiorum. Sis igitur Vlixes meæ cauſæ, vt Circe quamuis filia Solis ius meum magico murmure non audeat immutare, vt ſidus meæ conſcientiæ non poſſit inuidia denigrare: minus certè dolerẽ ſi fauces lupi biberent meum ſanguinem, quàm ſi Ouiũ dentibus in fruſta minuerer. Corrige igitur Paſtor bone tuas oues, ne contra me balent, quia non ſum lupus inſidians, ſed canis protegens ouem. Fretus tandem veſtro fauore ſermoni vela leuabo, & inter oblatrantium linguarum ſcyllas firmæ rationis remigio nauigabo. Imponit plurima dira meæ perſonæ religioſa manus, & ſacro criminum diademate caput innocentis honorat. Aiunt, *quod lingua mea inquietum malum eſt, & mentis inuidia, quæ aduerſus Abbatem Claræ-Vallis librum euomuit.*

Quippe tantæ ſanctitatis virum eſſe confirmant, vt in cœlo propinquus hominũ euaſerit opiniones. Qui hoc dicunt, etſi religioſo vellere albeſcant, tamen dum ſine ſerpente cupiunt eſſe columbæ, fatuitate linguam inficiunt. Nonne Abbas homo eſt? nonne nobiſcum nauigat per hoc mare magnum & ſpecioſum manibus, inter reptilia quorum noneſt numerus? Cuius nauis etſi proſperiori feratur nauigio, tamen ſeuentas maris in dubio eſt. Nam nec Auſter adhuc ei fidem dedit, ne ratem eius concutiat. Nec Boream calcauit ipſe ſub pedibus. Nec Euri Notique minas euaſit: nec ab Æolo Rege ventorum extorſit inducias. Quod vinum poteſt habitare in pice & ſaporem eius non mutare? Vnde & Apoſtolus Paulus vinum ſuum à conſortio picis remoueri optabat, & in vas gloriæ tranſuerſari, cum diceret: Infelix ego homo, quis meliberabit de corpore mortis huius? Ac ſi apertius loqueretur, *Vinum Dei ſum, & in pice ſum, ſed niſi picis ſed litium, derelinquam, timeo ne picem ſapiam conditori.* Poteſt igitur Abbas vt & ignis de alto ſubuehi, & vt terra deorſum cadere. Nondum ſol eſt, nondum fixus eſt in firmamento: ſatis eſt ſi luna eſt. Neque æſtimet me quiſpiam ad iniuriam eius ſtylum per terram trahere, qui meo iudicio noſtrorum temporum eſt Martinus. Simpliciter & ſine vulpe candido veſtro pectori loquor. Ego ita ſentio de Abbate, quod ſit lucerna ardens & lucens: ſed tamen in teſta eſt. Quod dedecus infigitur auro cum laudatur, ſi eius ſcoria improbetur? Laudatis Abbatem? magis ego laudo. Cur igitur inquietius contra eum ſcribis, de quo tam bene ſentis? porrigite patulas aures, vt ebibant rationem.

Damnauerat Abaëlardum Præceptorem meum, virum fidei buccinnam, legis armarium, in morum via pede recto gradientem. Damnauerat, inquam, Abaëlardum & vocem eius ſine audientia ſtrangulauerat. Eram ea tempeſtate adoleſcens, nondumque impuberes malas nubes lanuginis adumbrabat, eratque mihi velut ſcholaſtico animus in ficta crebrò materia declamare. Porro veri certaminis arridente vena, pectus appuli vt purgarem Abbaëlardum, Abbatiſque confutarem audaciam.

Quæ ſequuntur, non ſunt huius Epiſtolæ, ſed alterius quæ eſt ad Carthuſienſes; nihil enim deinceps de Epiſcopo Mimatenſi. Sed non, inquiunt, *à te Theologum talem argui oportebat.* Tu enim beſtia es & montem tangere non debes. Parcius iſta **fratres, mementote vos obiicere viro. In quo audet Abbas? *Audet in litteris, audeo & Ego. Audet in Theologia, audeo & ego. Audet in fide, audeo audeo & Ego. Audet in ſanctitate, hîc non audeo Ego.*** Quid ergo peccaui, ſi fidelis fidelem, minor maiorem ſecularis Religioſum redargui? Momordi fateor non contemplatiuum; ſed Philoſophum, non Confeſſorem ſed ſcriptorem, non mentem ſed linguam, non præcordia, ſed ſtylum, non meditationes viri, ſed ſomnium. Legant eruditi viri Apologeticum quem edidi, & ſi Dominum Abbatem iuſtè non argui; licenter me redarguant. Quærite per totam ſeriem ſcripturarum ab ortu ſolis vſque occaſum; & videbitis in campo Philoſophiæ ſemper licuiſſe, vt alter alterum iuſtis occaſionibus reprehendat. Colotes loquacitate notabilis rodit Platonem Principem Philoſophiæ, cum diuina verſans fabellas immiſcuerit. Et certè Colotes ad Platonem, mus eſt ad Elephantem. Lucilius Ennium, Horatius Lucilium lacerat. Omittam fumos Gentilium & membranulam hanc luminibus Eccleſiæ venuſtabo. Auguſtinus & Hieronymus Preſbyter & Epiſcopus alterno roſtro ſe carpunt. Fulgentius Regem Africæ notat hæreticum, non veritus Regiam poteſtatem dum diligit veritatem. Iulianus Auguſtinum

guſtinum lædit audaciter. *Ab infectione*, inquit, *hæreſis nulla te purgabit herba fullonis.* Solus Ambroſius ab omni ſuſpicionis infamia liber eſt, quem egregio præcone coronauit Pelagius quamuis hæreticus ita dicens, *Ambroſius Latinorum ſcriptorum velut quidam flos enituit. Cuius puriſſimum in ſcripturis ſenſum nec etiam inimicus audet reprehendere.* Si igitur Abbas aliqua ſilenda deſcripſit, quid peccauit in ore meo veritas ſi extirpanda notauit? Nec enim ante faciem gladij debet tremere Iuſtitia, nec ante potentem veritas adulationis chlamydem induere. Vnde Seneca Cæſarem alloquens, *Cæſar*, inquit, *qui contra te audent loqui, magnitudinem tuam ignorant; qui non audent, neſciunt te hominem eſſe.* Socrates quoque quem Apollinis oraculum ſapientiſſimum eſſe cecinit, capitalis erat authoritatis, & tamen Ariſtoteles egregiè auſus eſt dicere, *Amicus eſt Socrates, ſed magis amica eſt veritas.* Sed cur inquiunt, expleto primo volumine ſecundum vt ſpoponderas non texis? quia proceſſu temporis meum ſapere creuit, & in ſententiam Abbatis, pedibus vt dicitur, iui. *Nolui eſſe Patronus Capitulorum obiectorum Abaelardo, quia etſi ſanum ſaperent, non ſanè ſonabant.* Poſtquam igitur, inquiunt, à ſecundo libro manus torpuit, quare primum non raſiſti? Feciſſem hoc, inquam, niſi caſſa eſſet induſtria. Remanerent enim viua exemplaria, quæ iam per totam Franciam & Italiam concurrerant. Si igitur inquiunt, Apologiam illam iugulare non potes, damna vel viuam, characterem rei fronti eius infige, vt omnis qui legerit, ſciat te ætate non malicia peccaſſe. *Damnabo*, inquam, *tali conditione, vt ſi quid in perſonam hominis Dei dixi, ioco legatur non ſerio.*

Non refutamus, inquiunt, ratiocinia tua. Satis cautè aſellum exoneras. Sed Carthuſianos Eremitas genus electum, populum acquiſitionis quare inquietaſti? quare inuectione perunxiſti? vel à cellulis ſuis abſtraxiſti? Hic placidè purgationem meam audite. Improperat Propheta eis qui congregant merces, & commendant eas ſaeculo pertuſo. Congregabãt ſancti Anachoritæ Charthuſiani merces Iuſtitiæ, ſed ſaeculũ pertuſum habebant. Curaui obſtruere foramen ſaeculi, ne farina Religionis patentibus rimis exiret. Volui reſecare in eis immoderatam licentiam linguæ, qua velut quidam Geometræ totum orbem menſurabant. Cur hîc mea pietas crudelitatis arguitur? Cur ſedulus ſartor diſſipator appellatur? Hic, inquit, firmæ rationis columnæ inniteris. Sed Maſſilienſem illum Monachum cur vulneraſti vſque ad animam? quia vulnerabat anulum ſponſæ Chriſti, & puritati antiquæ fidei naufragium minabatur. Introducebat enim præter Deum, alium Creatorem, ſicut Epiſtola eius ad me ſcripta declarat. Sed quocunque, inquiunt, te perſequimur, arma defenſionis opponis. Reſponde per membra veſtra, quoniam linguæ tuæ toxicum effudiſti. Quando inquam factum eſt verbum iſtud? *miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia humilitas tetigit me.* Vbi læſi vos, vbi Maieſtatem veſtram ſauciaui?

Tunc inquiunt, non percuſſiſti quando dixiſti: *apud Religioſos Patella Pſalmus eſt & pinguis refectio Alleluya.* Fratres indulgete, nihil læſi vos, in incerto locutus ſum. Indeterminatè garriui. Nullum ſpecialiter flagellaui. Vt Apollo caſſum oraculum emiſi quaſi aerem verberans. **Sed vt video, quidquid dico, aut erit aut non.** Cur alienam vobis ſarcinam impoſuiſtis? Cur iaculo non ad vos deſtinato munditiam veſtram exulceraſtis? Dixi *Apud Religioſos Patella Pſalmus eſt & pinguis refectio Alleluya.* Quid ad vos? Et Magalonenſes Religioſi ſunt: & Canonici B. Rufi Religioſi. Apollo iaculum contorſit in aera, & ne cadat in caſſum, ſpontaneo vulneri vos offertis. Quis vnquam vidit os aperire vt ſagittam reciperet? Ego quidem fratres, alias arcum intenderam: ſed vos ferrum volatile retinuiſtis. Renui, ferre volebam: ſed vos caritate commoti vulnera eius in veſtram trahitis ſanitatem. Credite mihi non adeo fui plenus agaue, ideſt furore, vt in vos emitterem filiam pharetræ meæ. Ergo ignoſcite innocenti. Et aliud inquiunt. Cur Cyclopas conduximus, vt fulmina fabricent in caput tuũ? quid quæſo? Tunc inquiunt, dixiſti, *Epiſcopus veſter non Mimatenſium, ſed Mimorum eſt Epiſcopus.* Libet exclamare cum Hieremia Propheta. *Væ tibi mater mea, quare genuiſti me, virum rixæ & doloris in vniuerſa terra?* Vbi & quando quæſo talia eructaui? tunc forſitan quando extra mundum nundinas celebraui, tales blaſphemias veſtro Epiſcopo imprimebam. Nam verè fateor in nullo de eo talia delatraui. Aliud eſt, inquiunt, curte noſtro inebriemus aceto. Quid eſt? de nobis, inquiunt, dixiſti. Donatus veſter vulgus

» eſt. Terretis me fratres nouitatibus veſtris, & contra portenta quæ fingitis, frontem cruce ſignabo, In nomine Patris & Filij & Spiritus S. quid eſt quod dicitis?

» *Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem*
» *Oceanum?*

» Vera eſt vtique Prophetia illa: fictio veritatem in exilium mittet. Hoc fratres fingere potuiſtis: ſed vt maiori authoritate in aures publicas prodeant, me talium facitis inuentorem. Iurem me non dixiſſe? ſed quaſi mons pariat murem, ridebitis. Regnoſcam? ſed virtutem crucis ſtatim ſentiam experimento. Quid igitur faciam? veniam rogo innocens: & ſi magis placet, veniam poſtulo reus. Ad cumulum autem ſatisfactionis ſextarium mei ſanguinis offero vobis. Parcite igitur, fratres, parcite, & criminatione noſtræ perſonulæ ora veſtra nolite fœdare: lingua enim veſtris laudibus militat, & Eccleſiæ veſtræ pius ſum prædicator vbique. Hanc humilitatem abſens vobis præſenti pagina mitto, quam præſens viua voce & ſi vita comes fuerit, exhibebo.

Exhis patet Berengarium coactum etiam fuiſſe ſatisfacere D. Bernardo & fratribus Carthuſienſibus, quos acrimonia ſtyli offenderat. Extat dimidiata eius Epiſtola aduerſus Carthuſienſes. Sed parum facit ad rem præſentem. Pro Bernardo verò ſcripſit ex aduerſo Apologeticum M. Guillelmus quondam Abbas S. Theodorici, qui & eiuſdem Bernardi vitam conſcripſit vſque ad tempora ſchiſmatis Petri Leonis, at non abſoluit. Abaëlardus autem vt ſe vndequaque vrgeri & tanquam hæreticum haberi intellexit, poſtquam ſe Cluniacum contulit, primum apologiam ſeu Confeſſionem fidei euulgauit, deinde apud Petrum Cluniacenſem Abbatem effecit, vt pro ſe ad Innocentium II. ſcriberet. Quæ duo nobis videnda ſuperſunt.

APOLOGIA SEV CONFESSIO ABAELARDI.

» VNiuerſis Eccleſiæ ſanctæ filiis Petrus Abaëlardus ex eis vnus, ſed in eis minimus.

» Notum prouerbium eſt, *Nil tam bene dictum quod non poſſit deprauari.* Et vt B. meminit Hyeronymus. *Qui multos ſcribit libros, multos ſumit Iudices.* Ego quoque cum pauca ſcripſerim, parua, vel ad comparationem aliorum nulla, reprehenſionis notam effugere non potui: cum tamen in his de quibus accuſor, nullam ſciat Deus, meam cognoſcam culpam, nec ſi qua fuerit, procaciter defendam. Scripſi forte aliqua per errorem quæ non oportuit; ſed Deum teſtem aut Iudicem in animam meam inuoco, quia in his de quibus accuſor, nil per malitiam aut per ſuperbiam præſumpſi. *Multa in Scholis multis loquutus ſum, nec vnquam aquas furtiuas vel* panem abſconditum habuit mea doctrina. Palam loquutus ſum ad ædificationem fidei ſiue morum, quod mihi ſalubre viſum fuit: & quæcunque ſcripſi, libenter omnibus expoſui, vt eos iudices non Diſ ipulos haberem. Quod ſi vſpiam **per multiloquium exceſſi vt ſcriptum eſt, In multiloquio non effugies peccatum,** nunquam importuna defenſio me effecit hæreticum, paratus ſemper ad ſatisfactionem de malè dictis meis corrigendis ſiue delendis: in quo certè propoſito vſque in finem perſeuerabo. Sed ſicut meum eſt malè dicta mea ſi qua ſint, velle corrigere: ſic crimina mihi non rectè iniecta me propulſare conuenit. Cum enim dicat B. Aug. Crudelis eſt qui famam ſuam negligit; ac iuxta Tullium, Taciturnitas imitatur confeſſionem; quæ ſcripta ſunt contra me, Capitulis æquum duxi reſpondere, videlicet ratione ſeruata quacontra derogantium linguas B. Gregorius fideles his inſtruit verbis. *Sciendum eſt quia linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant*; ita per ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum creſcat: aliquando autem etiam compeſcere, ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. *Agnoſcat ergo fraterna Charitas me qualemcunque filium Eccleſiæ, cum ipſa integrè cuncta quæ recipit, recipere, cuncta quæ reſpuit, reſpuere; nec me vnquam vnionem fidei ſcidiſſe, quamuis impar ceteris morum qualitate.*

1. Quod igitur mihi vel per maliciam impoſitum eſt quod ſcripſerim. *Quia Pater plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus S. nulla potentia.* Hæc ego verba non tam hæretica, quàm Diabolica, ſicut iuſtiſſimum eſt, abhorreo, deteſtor, & ea cum ſuo authore pariter damno. Quæ ſi quis in meis reperiat ſcriptis, non ſolum me hæreticum, ſed etiam Hæreſiarcham profiteor.

2. Tam filium quàm Spiritum S. ex Patre profiteor eſſe, vt eiuſdem ſint cum Patre ſubſtantiæ, eiuſdem penitus voluntatis atque potentiæ: quæ quorum omnino eadem ſubſtantia vel eſſentia, nulla poteſt eſſe vel voluntatis diuerſitas, vel potentiæ inæqualitas. Quiſquis etiam me ſcripſiſſe aſſerit, quod de ſubſtantia Patris Spiritus Sanctus etiam non ſit, malitiæ id vel ignorantiæ maximæ fuit.

3. Solum Filium Dei incarnatum profiteor, vt nos à ſeruitute peccati & à iugo Diaboli liberaret, & ſupernæ aditum vitæ morte ſua nobis reſeraret.

4. Ieſum [illegible]ſicut verum & vnicum Dei filium ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitum, ita tertiam in Trinitate Perſonam, Spiritum quoque S. tam ab ipſo filio, quàm à Patre procedentem & aſſero & aſſerens credo.

5. Gratiam Dei ita omnibus neceſſariam credo, vt nec naturæ facultas, nec arbitrij libertas ſine illa ſufficere poſſit ad ſalutem. *Ipſa quippe gratia nos præuenit vt velimus, ipſa ſubſequitur vt poſſimus; ipſa nos conſociat vt perſeueremus.*

6. Deum ea ſolummodo poſſe facere credo quæ ipſum facere conuenit, & multa facere poteſt, quæ nunquam faciet.

7. Malaper ignorantiam facta culpæ adſcribenda: maximè cum per negligentiam noſtram contingat non ignorare, quod nobis neceſſarium erat prænoſſe. Qualis ille fuit de quo Pſalmiſta dicit: *noluit intelligere vt bene ageret.*

8. Mala Deum impedire frequenter fateor: quia non ſolum affectum malignantium præuenit, ne quod volunt, poſſint: verum etiam voluntates eorum mutat, vt à malo quod cogitauerunt, penitus diuertant.

9. Ex Adam, in quo omnes peccauimus, tam culpam quàm pœnam nos contraxiſſe aſſero: quia illius peccatum noſtrorum quoque peccatorum omnium origo extitit atque cauſa.

10. Crucifixores Chriſti in ipſa crucifixione grauiſſimum peccatum fateor commiſiſſe.

11. Multa de Chriſto dicuntur, quæ non tam ſecundum caput quàm ſecundum corpus ipſius, quod eſt Eccleſia ſunt accipienda: vt ille ſpiritus timoris, quod eſt initium ſapientiæ, quem videlicet timorem perfecta Charitas foras mittit. Huius ergo timoris ſpiritum in anima Chriſti, qui perfectiſſimam habuit Charitatem, nunquam fuiſſe credendum eſt: qui tamen in inferioribus membris non deeſt. Tantæ quippe perfectionis & tantæ ſecuritatis anima illa extitit per ipſam verbi vnionem, vt ſciret nihil omnino ſe committere poſſe, vnde pœnas incurreret, vel Deum offenderet. Caſtum quippe timorem in ſeculum ſeculi permanentem, qui propriè reuerentia Charitatis dicitur, tam ipſi animæ Chriſti quàm electis Angelis & hominibus ineſſe regnoſco. Vnde & de ipſis ſupernis ſpiritibus ſcriptum eſt, ***Adorant Dominationes, tremunt Poteſtates.***

12. Poteſtatem ligandi atque ſoluendi ſucceſſoribus Apoſtolorum omnibus, vt ipſis æquè Apoſtolis conceſſam eſſe profiteor, & tam indignis quàm dignis Epiſcopis, quamdiu eos Eccleſia ſuſceperit.

13. Omnes in dilectione Dei & proximi æquales æqualiter bonos eſſe confiteor & meritis pares: nec quicquam meriti apud Deum deperire, ſi bonæ voluntatis affectus à ſuo præpediatur affectu. Non enim Angelus cum à Deo miſſus id quod facere vult, impleuerit, aut anima Chriſti ſuæ voluntati effectum addiderit, melior inde reputari debuit: ſed æquè quilibet bonus permanet, ſiue tempus operandi habeat, ſiue non, dummodo æqualem bene operandi voluntatem teneat, nec in eo quod non operatur, remaneat.

14. Deum Patrem æquè ſapientem & Filium æquè benignum vt Spiritum S. profiteor: quia in nulla boni plenitudine, in nulla dignitatis gloria, vna perſonarum differre poteſt ab alia.

15. Aduentum Filij in fine ſeculi poſſe attribui Patri, nunquam, ſciat Deus, in mentem meam venit, nec ſe verbis meis inſeruit.

16. Sic & animam Chriſti non per ſe ad inferos deſcendiſſe, ſed per potentiam, omnino à meis verbis & ſenſu remotum eſt.

17. Nouiſſimum quoque Capitulum quod ſcripſiſſe criminor, quod neque opus, neque voluntas, neque concupiſcentia, neque delectatio, quæ mouet eam, peccatum ſit; neque debemus ea velle extingui, nec minus à meis tam dictis quàm ſcriptis alienum eſt.

Quod autem capitula contra me ſcripta tali fine amicus noſter concluſerit, vt diceret, *Hæc autem Capitula partim in libro Theologiæ M. Petri*, partim in libro *Sententiarum* eiuſdem, partim in libro cui Titulus eſt, *Scito te ipſum*, reperta ſunt, non ſine admiratione maxima ſuſcepi: cum nunquam liber aliquis, qui *Sententiarum* dicatur, à me ſcriptus reperiatur Sed ſicut cætera contra me capitula, ita & hoc quoque per malitiam vel ignorantiam prolatum eſt.

Si qua igitur conſolatio in Chriſto Ieſu, ſi qua ſunt viſcera pietatis, fraternam pietatem veſtram exoro, ne innocentiam meam, quam à culpa [illegible]tas liberat, nemo reſpergendo derelinquat. Charitatis quippe eſt, opprobrium non accipere aduerſus proximum, & quæ dubia ſunt, in meliorem partem interpretari, & illam ſemper Dominicæ pietatis ſententiam attendere, *Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini.*

Eodem tempore Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis ſcripſit ad Innocentium II. ſummum Pontificem, ſe Petrum Abaëlardum ignarum quò ſe verteret Cluniaci retinuiſſe (illuc enim diuerterat ſub Auguſtum menſem, Romam proficiſcens) eodemque tempore per Abbatem Ciſtercienſem de pace egiſſe inter Bernardum & Petrum; atque eò rem adduxiſſe, vt ambo tandem conuenerint, diſſidiaque ſua pacificè compoſuerint: cæterum Petrum dimiſſis ſcholis perpetuam ſibi ſedem elegiſſe apud Cluniacum, ſi D. Papæ ita placeret, ne deinceps occaſionem vlli daret de ſua doctrinâ conquerendi.

EPISTOLA PETRI VENERABILIS AD INNOCENTIVM II. pro Abaëlardo.

„ SVmmo Pontifici & noſtro ſpeciali Patri D. Papæ Innocentio Frater Petrus
„ humilis Cluniacenſium Abbas obedientiam & amorem. *Magiſter Petrus ſa-*
„ *pientia viſter vt credo optimè notus, nuperà Francia veniens per Cluniacum tranſitum*
„ *fecit*: qui ſiuimus quò tenderet, grauatum ſe vexationibus quorumdam qui ſibi
„ quod valde abhorrebat, nomen hæretici imponebant, Maieſtatem Apoſtolicam
„ ſe appellaſſe & ad eam confugere velle reſpondit. Laudauimus propoſitum, & vt
„ ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus: Iuſtitiam Apoſtoli-
„ cam, quæ nulli vnquam etiam extraneo vel peregrino defuit, ſibi non defutu-
„ ram diximus. Miſericordiam ipſam vbi ratio poſtularet, ſibi occurſuram promi-
„ ſimus. Venit interim D. Ciſtercienſis Abbas & de pace ipſius & D. Clareuallen-
„ ſis cuius cauſa appellauerat, nobiſcum & cum ipſo pariter egit. Dedimus & nos
„ operam paci eius, & vt ad illum cum ipſo iret, hortati ſumus. Addidimus hoc
„ monitis noſtris, vt ſi qua Catholicas aures offendentia aut ſcripſiſſet aut dixiſſet,
„ hortatu eius & aliorum bonorum & ſapientum & à verbis ſuis amoueret & à li-
„ bris abraderet. Et factum eſt ita. Iuit, rediit, cum D. Clareuallenſi, mediante
„ Ciſtercienſi ſopitis prioribus querelis ſe pacificè conueniſſe reuerſus retulit. In-
„ terim à nobis admonitus, magis autem à Deo vt credimus, inſpiratus, dimiſſis
„ ſcholarum & ſtudiorum tumultibus in Cluniaco veſtra ſibi perpetuam manſio-
„ nem elegit. *Quod nos ſenectuti eius, debilitati eius, Religioni eius congruere putantes*
„ *& ſcientiam eius vobis ex toto non incognitam magnæ fratrum noſtrorum multitudini*
„ *proficere poſſe credentes, voluntati eius aſſenſimus*: & ſi, ſic benignitati veſtræ
„ beneplacitum eſſet, benignè & cum gaudio nobiſcum, veſtris, vt no-
„ ſtris per omnia, remanere conceſſimus. Rogo igitur ego qualiſcumque ta-
„ men veſter, rogat deuotiſſimus vobis Cluniacenſis Conuentus, rogat ipſa per ſe,
„ per nos, per præſentium latores filios veſtros, per has, quas vt ſcriberem rogauit
„ litteras; vt reliquos dies vitæ & ſenectutis ſuæ, qui fortaſſe non multi ſunt, in

Cluniaco veſtra eum conſummare iubeatis, & ne à domo quam velut paſſer, ne à nido, quem velut turtur inueniſſe ſe gaudet, aliquorum inſtantia aut expelli, aut commoueri valeat, more quo omnes bonos colitis & etiam ipſum dilexiſtis, ſcuto defenſionis Apoſtolicæ protegatis.

Hæc 17. Kal. Aug. ad Innocentium Petrus Venerabilis in gratiam Abaëlardi ſed non ita cæteri, qui cum Apologiam quam pro ſe fecerat Abaëlardus, legiſſent, ſtatim ſeu Bernardi, ſeu magis veritatis & fidei amore contra eum ſcribere aggreſſi ſunt. Imprimis verò Guillelmus S. Theodorici, qui relicta expoſitione in Cantica Canticorum quam elaborabat, ſtyli ſui acumen vertit in Petrum, treſque libros compoſuit ſub hoc titulo, *Diſputatio Catholicorum Patrum contra Dogmata Petri Abaëlardi*, eoſque Hugoni Rothomagenſium Archiepiſcopo qui ab an. 1130. regere cœpit, dedicauit. De hoc autem opere ita ſcribit in Ep. ad Fratres Montis-Dei nempe Carthuſienſes, quos à Guigone miſſos Rainaldus Arch. Remenſis in Monte-Dei, qui Mons Boſonis antiquitus dicebatur, collocarat an. 1137.

Sunt præterea & alia Opuſcula noſtra, Libellus de Sacramento Altaris. Meditationes Nouitijs ad orandum formandis ſpiritibus non vſquequaque inutiles. Et ſuper Canticum Canticorum ad illum locum, Paululum cum tranſiſſem, eum inueni quem diligit anima mea. *Nam contra Petrum Abaëlardum qui prædictum opus ne perficerem effecit... Neque enim mihi integrum fore arbitrabar tam delicato intus vacare otio, ipſo foris fines fidei noſtræ, nudo vt dicitur, gladio tam crudeliter depopulante. Contra ipſum ergo quod ſcripſi, quia de fontibus SS. Patrum hauſi, melius eſt ſi ita vobis placuerit, vt ſuppreſſo nomine meo inter anonyma relinquatur.*

Sunt illi proculdubio libelli tres, de quibus Gaufridus Monachus Ciſtercienſis in Ep. ad Henricum Cardinalem Albanenſem, his verbis. *Audiui etiam*, inquit, *quod ſuper damnatione Petri Abaëlardi diligentia veſtra deſideret plenius noſſe ſimiliter veritatem; cuius libellos piæ memoriæ D. Innocentius Papa II. in vrbe Roma & in Eccleſia B. Petri incendio celebri condemnauit, Apoſtolica authoritate hæreticum illum denuncians. Nam & ante plures annos Venerabilis quidam Cardinalis & Legatus Romanæ Eccleſiæ Cono nomine Regularis quondam Canonicus Eccleſiæ S. Nicolai de Arauſia Theologiam eius Sueſſione Concilium celebrans ſimiliter concremauerat, ipſum Petrum præſentem arguens & conuictum de hæretica prauitate condemnans. Vnde veſtro ſi placuerit deſiderio per Libellum de Vita S. Bernardi & per eius Epiſtolas miſſas ad Curiam, ſatisfeci. Inueni tamen in Clareualle libellum cuiuſdam Abbatis Nigrorum Monachorum* (nempe Guillelmi) *quo errores eius Petri notantur, quem & olim me vidiſſe recordor: ſed à multis annis, vt Cuſtodes librorum aſſerunt, ſtudiosè quæſitus, primus Quaternio non potuit inueniri: propter quod propoſiti noſtri eſt in Franciam deſtinare ad Monaſterium cuius Abbas extitit, qui eundem librum compoſuit: & ſi recuperare potero, tranſcribi facere codicem totum & mittere vobis.*

Guillelmus iſte Abbas fuerat Monaſterij S. Theodorici vulgò Dumont-dor, Diœceſis Rhemenſis, quod à S. Theodorico Beati Remigij diſcipulo inſtitutum fuiſſe legitur. Deinde vaſtatum à Normanis regimini Canonicorum ſubiacuit: poſtremo ab **Adalberone Archiepiſcopo Remenſi & Lotharij** Cancellario in locum Clericorum ſecularium ſuffecti ſunt Monachi Benedictini, primuſque eis Abbas præfectus Airardus an. 977. ex Monacho S. Remigij Remenſis. Atque ex ſchedis Guillelmi Marloti Guillelmus Theologus inter Abbates ordine ſeptimus collocatur, ab anno ſcilicet 1120. vſque ad an. 1137. quo Abbatiam eiurauit. Heluinus ſeu Illinus eius ſucceſſor ſubſcripſit fundationi Carthuſienſium in Monte-Dei prope Sedanum ab Odone S. Remigij Remenſis Abbate factæ, vt patet ex autographo è Monaſterij tabulario exſcripto: qui annus erat duodecimus regiminis Rainaldi Archiepiſcopi.

Abaëlardus malè ſentit de ſacramento altaris.

Contra eundem Abaëlardum ſcripſit Gaufridus Antiſſiodorenſis, eius olim Diſcipulus, & tum apud Clare-Vallenſes Monachus: acriterq; eum reprehendit, quod de ſacramento altaris malè ſentire videretur, ſic enim ille. *Ego eum aliquando mihi Magiſtrum fuiſſe recordor*: qui cum pedibus & inteſtinis nihil amplius de Agno Paſchali aut ipſe vorans aut diſcipulis exhibens, & ſe pariter & ſuos non modicâ eius parte fraudabat. Siquidem pretium redemptionis euacuans nihil aliud nobis in ſacrificio Paſſionis Dominicæ commendabat, niſi virtutis

„ eius exemplum & amoris incentiuum. Quod enim ſcripturæ perhibent de po-
„ teſtate Diaboli, pretioſo ſanguine illo humanum genus eſſe redemptum, ineo
„ ſolo conſtare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum eſt vſque ad mortem
„ pro veritate & iuſtitia certandi; & adhibitum eſt velut quoddam incentiuum
„ amoris, cum ex impenſo amore occaſio data eſt redamandi: quaſi verò & hæc
„ duo in mortibus Prophetarum pro veritate & iuſtitia occiſorum, nobis autem
„ exhibita non ſint? & quidem magna hæc & vera, ſed non ſola. Benedictus Deus,
„ qui ſimul & ſicut vobis ita & mihi Magiſtrum dedit poſtea meliorem, per quem
„ prioris redarguit ignorantiam, inſolentiam confutauit. Ille enim tanquam ve-
„ rus Hebræus (*nempe D. Bernardus*) auidè prorſus vorabat & vorandum nobis
„ ſollicitè commendabat caput agni cum pedibus & inteſtinis: ſic imitandum Do-
„ minum prædicans patientem, & ſic redamandum amantem, vt principalem hu-
„ ius ſacrificij cauſam, velut agni caput redemptionem in eo profiteretur & ado-
„ raret humanam. Tria namque ſpecialia Chriſtus nobis in ſua paſſione exhibuit,
„ exemplum virtutis, incentiuum amoris, redemptionis ſacramentum: quod ter-
„ tium euacuanti hæretico, nihil prodeſſe cætera poterunt. Sine cauſa enim pro
„ virtute certauit vſque ad mortem, nobis patientiæ præbens exemplum. Et ſine
„ cauſa exhibuit & commendauit huiuſmodi immenſæ dilectionis affectum, ſi
„ non recipit olim iam dicta captiuitas copioſæ redemptionis effectum.

Hæc Gaufridus. Verum quæ mens fuerit Abaëlardi de ſacramento altaris, habemus ex eius lib. de Hæreſibus c. 11. vbi Hæreticorum prauè de eo ſentientium argumenta confutat, Orthodoxamque fidem aſſerit.

Poſtremo tandem M. Vvalterus de S. Victore Theologus ſcripſit contra Abaelardum ſimulque contra Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum & Petrum Pictauinum, quos quatuor Franciæ labyrinthos appellat, in ſuis ſcriptis Minotaurum hoc eſt hæreſim includentes, eoſque quatuor libris confutat, atque vt hæreticos proponit. Quamobrem verò Labyrinthos vocet, initio definit. Quæris, „ *inquit*, quid ſit Labyrinthus, quo clauſus fuit Minotaurus. Quæris quid ſit? (*Minotaurus.*) „ Non homo, non pecus eſt, Pecus eſt, homo eſt, neutrumque. Quæris „ quorſum iſta? talis Chriſtus iſtorum. Phantaſticus eſt Deus ipſorum. Non ho- „ mo, non Deus eſt; Deus eſt, homo eſt. Neutrumque. Atque vnuſquiſque Sama- „ rita fabricat ſibi Deum. Tu vero Chriſtiane verus veri Dei Iſraelita fuge vitulos „ aureos, quos iſti de cordibus ſuis impiè Chriſtianis proponunt. Exſuffla, inquam, „ iſtorum diſputationes ſubtiliſſimas quidem, ac ſi aranearum telas putidas & pror- „ ſus inutiles, in quibus cum vitulis Samariæ & Dæmones ludunt, ſolæque muſcæ „ gannientes id. filij perditionis illaqueantur ad mortem.

Hos Theologiæ Scholaſticæ Coriphæos facit, Ducemque Abaelardum conſtituit, contra quem præſertim agit l. 2. propter Tractatū quendam, cuius erat hic titulus. *Incipiunt ſententiæ Diuinitatis*, & hoc initium *Omnes ſitientes venite ad aquas & bibite amici, inebriamini Kariſſimi*; in quo multæ continebantur hæreſes & profanæ vocum nouitates: qui porro Tractatus eſſe credebatur Abaëlardi, aut certè ex eius libris excerptus, ſed cuius ipſe in Apologia ſua negat ſe vnquam fuiſſe authorem, maloque animo ſibi adſcribi queritur cum erroribus, qui ex eo dicebantur educti quorum nomine dolet ſe veniſſe in ſuſpicionem hæreſeos & ab Innocentio Papa fuiſſe damnatum. Neque ipſe Vvalterus affirmare audet fuiſſe Abaëlardi, ſed vulgò ita creditum. *Fertur hic liber*, inquit, *Petri Abaelardi fuiſſe, aut ex libris eius excerptus, de quibus quid faciendum ſit, ita legimus ex Decretis Innocentij Ep. S. S. D. Archiepiſcopis Remenſi & Senonenſi S. & H. eorumque Suffraganeis Sal. & Apoſt. Bened. Per præſentia ſcripta mandamus fraternitati veſtræ, vt libros erroris Petri Abaëlardi vbicumque reperti fuerint, igni faciatis comburi.*

Tunc ergo, vt Philoſophorum, ita & Theologorum plures erant ſectæ. Vna Veterum, qui fidei dogmata ſacræ Scripturæ & SS. Patrum authoritatibus & argumentis confirmare contenti erant. Altera Modernorum (qui & Scholaſtici dicebantur) Et illi regulis Ariſtotelicis & Dialecticis nimio fortaſſe plus quàm Theologos decuiſſet, confiſi, plurimas propoſitiones curioſas, ſed inutiles & ad errorem potius quàm ad veritatem inducentes dictabant & conſcribebant. Tertia veluti inter extremas media eorum erat, qui non reiiciebant quidem Ariſtotelem & Philoſophos; ſed intra fines circumſpectæ prudentiſque Theologiæ

ſe continebant & ad ſobrietatem ſapiebant. De quibus ſectis dicemus amplius in ſynopſi huius ſeculi.

Interim ſi quis ſcire cupit, quæ mens illorum eſſet de Incarnatione V. G. hæc accipiat breuiter, quæ leguntur in M. S. Victorino. I. Ex verbis Abaëlardi & Porretæ. *Chriſtus conſtat ex Deo & homine, ſic intelligitur, non ex eo quod Deus, non ex eo quod homo: ſed ex diuinitate & humanitate: quoniam nihil Chriſti eſt Deus: nihil Chriſti eſt homo, nec ſicut omnes poſt Apoſtolos noſtri Doctores ſentiunt, propterea ſuſcepit hominem vt hominem liberaret.*

Verba Lombardi. Alia ratione dicitur Deus & homo quàm Martinus & Ioannes. Homo enim dicitur Deus, & è conuerſo propter ſuſceptionem hominis, id. animæ & carnis: non autem ſic erat homo, vt ex anima & carne ſimul iunctis ſubſiſteret, ex qua ratione dicitur alius aliquis homo. Ipſe forte ante mortem hoc etiam modo erat homo, & poſt reſurrectionem fuit.

Verba Pictauini. Oportet ſcire quâ ratione dicitur Chriſtus homo, & quâ cæteri homines. Nam diſſimilitudo eſt in dicto. Petrus ſiue alius dicitur homo propter duo: & quia habet animam & corpus, & quia habet ea vnita: ſed Chriſtus non dicitur homo propter hæc duo, ſed per vnum ſolum, quia vnitus eſt filius animæ & corpori; nec exigitur quod anima corpori vniatur.

Hi quæ dicunt, ſumpſerunt fere omnia ex ſcriptis Ioannis Damaſceni, qui ibidem ſic habet. *Non eſt communem ſpeciem id. hominem accipere de Chriſto, ſed eſt eam accipere de Petro, quia in Petro ſignificat ſubſtantiam, in Chriſto habitum.*

Cæterum hæc Theologorum iſtorum aut praua, aut noua dicentium & ſentientium damnatio, Bernardi Clareuallenſis zelus, cæterorum Magiſtrorum antiquis inſtitutis inſiſtentium diligentia, fortitudo & animus plurimos ex iis circumſpectiores reddiderunt, & aut ad correctionem errorum, aut ad explicationem eorum quæ duriora videbantur, compulerunt. Hinc M. Gualterus de Mauritania inſignis iſtis temporibus Theologiæ Profeſſor reprehenſus, quod in ſuo de Incarnatione Tractatu nonnulla eiuſmodi noua & duriora dictaſſet, libenter retractauit & correxit. En eius retractationem, vt legitur in 2. tom. Spicilegij Dacheriani.

Gualterus omnibus in fide Catholica ſanam intelligentiam.

Quia frequenter ſolet contingere quando aliqua feſtinanter proferuntur, & curſim, vt aliter prolator & aliter auditor intelligat, idcirco mihi placuit explicare quædam verba ad vnionem Diuinæ & humanæ naturæ pertinentia. Comperi enim quoſdam quaſi de verbis illis malè ſentiant, latenter ſuſurrare. Sunt autem hæc verba. ASSVMPTVS HOMO EST DEVS, & ſimilia. Pauca ergo de myſterio Incarnationis ad quæ hæc verba pertinent, præmittamus.

Cùm genus humanum in vtraque natura ſua, ideſt corpore & anima, corruptionem & originalis peccati maculam contraxiſſet, Vnigenitus Dei filius, coæternus & æqualis Patri per omnia & cum Patre idem Deus, vt humani generis maculam mundaret, aſſumpſit in vtero Virginis totum hominem, ideſt corpus & animam, vt per naturam noſtram quam aſſumpſit, nos redimeret. Aſſumptio autem illa facta eſt tam miro & ineffabili modo, vt Creator, ideſt, Dei verbum, & creatura id eſt aſſumpta humanitas in eandem vnirentur perſonam ita tamen quod aſſumens natura, ideſt, Verbum, non eſt aſſumpta humanitas, nec in ipſa aliquatenus immutata, nec vllo modo imminuta. Similiter aſſumpta humanitas non eſt aſſumens Diuinitas, nec in eam eſt conuerſa, ſed vtraque in integritate ſuæ proprietatis ſine omni verſibilitate perſeuerat: quamuis vna non ſit altera; tamen ſicut anima & corpus ſunt vna pars hominis & vnus homo, ita Diuinitas & humanitas ſunt vna pars & vnus Chriſtus, id eſt Verbum humanatum. Vnde Auguſtinus: Vna pars eſt Deus & homo, & vterque eſt vnus Chriſtus IESVS, vbique eſt per id quod Deus eſt; in cœlo tamen per id quod homo eſt. Hæc autem perſona eſt in ſancta Trinitate, & idem Deus cum Patre. Iuxta illud *Vita æterna & cognoſcere eſt vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Eſt etiam verus homo propter aſſumptam humanitatem, iuxta illud: *Verbum Caro factum eſt.* Hîc etenim caro pro homine accipitur: nam ipſe Dei filius à Patre genitus ab æterno, in tempore natus eſt ex Virgine, in ea carnem aſſumendo: quod declarauit Angelus ſic dicens ad Mariam *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei.* Quem ſecutus

Origenes ait Patris vnigenitus Filius ex Virgine generatus eſt. Auguſtinus: Ingreſſus eſt vterum Virginis Dei Filius, vt iterum naſceretur. Suſcepit totum hominem qui à Patre habebat pleniſſimam Deitatem. Ex his patet quia eadem perſona, id eſt, verbum humanatum, Deus eſt verus, & homo verus, & Dei Filius & hominis Filius. Et quamuis in hac vna & eadem perſona aliud ſit aſſumens Verbum, & aliud aſſumptus homo, id eſt, corpus & anima, tamen non eſt alia perſona Verbum, & alia perſona humanitas, nec aliud verbum per aſſumptionem carnis ex Maria generatum, & alius homo quem aſſumpſit, nec alius Filius Dei & alius Filius hominis: ſiue per Filium hominis intelligamus verbum ex Maria generatum, ſiue hominem aſſumptum. Velut in alio homine non eſt alia perſona corpus & anima, ſed ſunt eadem perſona & idem homo, & idem filius. Vnde Auguſtinus: Sicut non alius homo corpus & alius animus, ſic poſt partum Virginis non alius Dei filius & alius hominis, ſed idem Chriſtus Dei filius & hominis; ſed ſicut in vno homine aliud animus, ſic in vno mediatore aliud Dei, & aliud hominis filius; ſed idem tamen, & non aliud Dei quam hominis Filius.

His præmiſſis ſignificationes nominum ad Incarnationem pertinentium breuiter exponamus. Chriſtus nomen Verbi ea temporali aſſumptione hominis: Chriſtus enim græcè, Meſſias hebraicè, vnctus latinè interpretatur; Filio autem Dei nullius gratiæ vnctio conuenit ab æterno, ſed propter aſſumptum hominem in tempore, in quo plenitudo gratiæ redundauit, Chriſtus, ideſt vnctus, dicitur. Vnde Auguſtinus: Quid eſt homo? anima habens corpus. Quid eſt Chriſtus? Verbum habens hominem. Et quamuis Verbum Chriſtus, id eſt vnctus, appelletur, tamen nihil accreuit ei, nec aliqua gratia collata fuit ei, ſed tantummodo homini quem aſſumpſit. Et quamuis propter incarnationem ex tempore Chriſtus appelletur, tamen hoc nomine ſignificare poſſumus Dei verbum, quando etiam de æternitate eius loquimur, hoc modo. *Chriſtus fuit ſemper & eſt æternus*: nec per hoc affirmamus Filium Dei ſemper fuiſſe hominem, ſed eum qui homo eſt factus ex tempore, affirmamus ſemper fuiſſe.

Sola humanitas aliquando appellatur Filius hominis iuxta illa præmiſſa verba Auguſtini. Aliud eſt Dei filius, & aliud hominis Filius. Aliquando vero Verbum appellatur Filius. Aliquando vero Verbum appellatur Filius hominis, ideò quia carnem aſſumpſit in Virgine. Quod ipſa Veritas inſinuat dicens: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Hîc enim per Filium hominis Verbum humanatum, id eſt Dei Filium, debemus accipere, qui vbique præſens erat, non corpus & animam, id eſt aſſumptum hominem, qui nondum in cœlum aſcenderat, nec aſſumpta caro vbique præſens erat, quia loca permutando de loco ad locum receſſerat. Quod monſtrat Dominus ita loquens ad Apoſtolos: Gaudeo propter vos quia ibi non eram. Et hoc idem monſtrat Angelus mulieribus ita dicens: Ieſum *quæritis crucifixum; ſurrexit, non eſt hic.* Vnde Gregorius. Non eſt hic per præſentiam carnis, qui tamen nuſquam deerat per præſentiam maieſtatis. Homo aliquando ſolum humanitatem nominat iuxta hæc verba Leonis. Verum homo vbi vnitus eſt Deo: aliquando eſt nomen verbi incarnati non ſolius humanitatis iuxta illud, ***Homo natus eſt in ea & ipſe fundauit eam Altiſſimus.*** Hic enim per hominem intelligitur Dei Filius ex tempore humanatus, cuius altitudo præcellit omnia, & eſt creator & fundator Eccleſiæ. Iuxta quam ſignificationem ait Leo: Dicimus Chriſtum Dei Filium natum de Deo Patre ſine initio temporis; eundemque hominem verum natum de Matre homine in plenitudine temporis.

Iam nunc reſtat inquirere, quid in perſona Chriſti aſſumptus homo ſignificet. Cum igitur in perſona Chriſti duæ ſint naturæ, ſcilicet Diuina aſſumens, & humana aſſumpta, Diuina aſſumptus homo vocari non poteſt, ipſa enim non eſt aſſumpta, ſed aſſumpſit hominem. Similiter perſona Chriſti, in qua vnita Diuina natura & humana aſſumptus homo vocari non poteſt. Non enim perſona Chriſti aſſumpta, ſed in ea humanitas ſola aſſumpta eſt. Liquet igitur cur humanitas ſola ideſt anima & corpus, quæ à Verbo aſſumpta ſunt, aſſumptus homo appellatur. De hoc autem homine aſſumpto quidam imperiti, vt non dicam inſenſati, audent dicere, quod ſit Deo coæternus, quod anima quæ Verbum aſſumpſit, omnia & ſeipſam creauerit. Nec ſufficit eis hoc verbis affirmare, ſed ad ſeducendam ſimplicitatem

plicitatem minus eruditorum errores ſuos audent ſcripto committere, & per-
uersâ expoſitione ſcripturarum, quas non intelligunt, confirmare. Quorum ſtul-
titia manifeſtis authoritatibus facilè conuincitur. Apoſtolus enim de Chriſto
ait *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Non eſt ergo æterna caro quam
aſſumpſit Verbum, cum facta ſit & creata. Vnde Auguſtinus: Non ſuſceptam
in Chriſto carnem perpetuitate Diuinæ generationis extrahendo. Et Leo Papa:
Non animam quæ ante extitiſſet, nec carnem quæ non materni corporis eſſet,
accepit: natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt prius creata poſt aſſume-
retur, ſed in ipsâ aſſumptione crearetur. His authoritatibus liquet hominem,
quem aſſumpſit Verbum, non eſſe aut creatorem, aut æternum.

Iam nunc ad exponendas propoſitiones, de quibus me malè ſentire quidam
æſtimant, veniamus. Hæc propoſitio: *Aſſumptus homo eſt Deus*. iuxta vſum locu-
tionum ſimilium exponi poteſt hoc modo: Homo quem aſſumpſit Verbum, ideſt
corpus & anima, eſt Deus, ideſt aſſumens Diuinitas. Et hunc ſenſum quidam
imperiti, de quibus ſupra mentionem fecimus, affirmant eſſe verum. Et quia tan-
to errori eorum contradico, contra me murmurant, & de expoſitione prædictæ
propoſitionis me malè ſentire dicunt. Nunc autem audiant omnes qui volunt &
reprehendant ſi poſſint. Sæpe dixi & adhuc dico & libera voce pronuncio, fal-
ſum eſſe quod homo aſſumptus ſit Deus, in hoc ſenſu; *aſſumpta humanitas eſt aſ-
ſumens Diuinitas*: quamuis enim hæ duæ naturæ in eadem perſona ſint, tamen ſi-
cut ſupra dictum eſt, vna non poteſt mutari in alteram, nec vna earum aliquo mo-
do altera poteſt eſſe: vnde Hieronymus ait Deus eſt Verbum, non cato
quam aſſumpſit. Licet autem ſuperiorem ſenſum prædictæ propoſitionis non ap-
probem, tamen propter vnionem aſſumpti hominis & Verbi aſſumentis, nego
quin veraciter exponi queat prædicta propoſitio, ſed aliterquam ſuperius. Si enim
Dii appellantur homines, ad quos factus eſt ſermo Dei; multo magis dici poteſt
aſſumptum hominem eſſe Deum: idcirco quod illæ duæ naturæ ſint vnitæ in vna
eademque perſonâ Chriſti, quæ eſt verus Deus. Nec tamen recolo hanc propoſi-
tionem in aliquo authore inueniſſe, ſed multas alias reperi ex quibus coniicitur
cur dici poſſit, *Aſſumptus homo eſt Deus*, etſi nuſquam poſſit inueniri. Dicit
enim Auguſtinus: Gloriam ſuam dicit ille Deum quem ſic ſuſcepit Verbum, vt
ſimilis cum illo Deus fieret. Et alibi: Quæ bona opera præceſſerunt quibus me-
reretur iſte homo vna fieri perſona cum Deo, nempe ex quo homo iſte homo eſſe
cœpit, non aliud eſſe cœpit quàm Dei filius.

Ad ſimilitudinem harum locutionum poteſt etiam dici cur aſſumptus eſt homo
Deus, nec tamen propter hæc vel iſtis ſimilia aliquatenus concedendum eſt, cur
humanitas aſſumpta, ſit aſſumens Diuinitas, & cur aſſumptus homo ſit æternus
aut creator. Hoc autem ideo de aſſumpto homine toties replico, quia ad noſtras
manus venerunt quædam litteræ nullius authoritatis nomine prænotatæ, quæ
affirmant aſſumptum hominem non ſolum eſſe Deum, ſed inſuper Deo coæter-
num, & animam quam aſſumpſit Verbum, rerum omnium & ſui ipſius extitiſſe
creatricem; quod nemo Catholicus recipere debet, ſed vt rem profanam & hære-
ſim manifeſtam reſpuere & prorſus abdicare, Valete.

Atque vt huic anno tandem coronidem imponamus, ſingula breuiter quæ re-
ſtant perſtringamus. Et primum quidem ſcribit Vincentius ex Helinando Cœ-
nobium S. Mariæ Frigidi-montis, vulgo de *Freſmont* fundatum fuiſſe. Reperio ta-
men iam an. 1134. id fuiſſe factum à Lancelino & Manaſſe Dominis de Bullis, &
Æleide eorum Matre, annuente Odone Epiſcopo Beluacenſi. Deinde idem Vin-
centius ad hunc annum refert Henricum Germanum Ludouici Regis, omnium
Franciæ Regalium Abbatiarum antea Cœnobiarcham, Monachum induiſſe apud
Claram-Vallem, poſtea vero nempe an. 1146. Beluacenſem factum Epiſcopum,
vt ſuo loco dicemus.

Eodem anno Sugerius Abbas San-Dionyſianam Baſilicam, inſtaurari, picturis
adornari, altaribus decorari, oratoriis inſigniri & aliis ornamentis locupletari fe-
cit, in quo voluit Paſſionem & Reſurrectionem atque Aſcenſionem Saluatoris no-
ſtri I. C. deſcribi accitis ad hanc rem peritis fuſoribus & electis ſculptoribus. Lit-
teris etiam cupro deauratis conſecrationis annum intitulari voluit, ne obliuioni
traderetur, vt ipſe ſcribit, hoc modo:

Ad decus Eccleſiæ, quæ fouit & extulit illum,
Sugerius ſtuduit ad decus Eccleſiæ.
Deque tuo tibi participans Martyr Dionyſi,
Orat vt exores fore participem Paradiſi.
Annus millenus & centenus quadragenus
Annus erat Verbi quando ſacrata fuit.

Verſus etiam Portis hos inſculpi præcepit.

Aurum nec ſumptus, operis mirare laborem.
Nobile claret opus, ſed opus quod nobile claret,
Clarificet mentes vt eant per lumina vera
Ad verum lumen, vbi Chriſtus ianua vera.
Quale ſit intus in his determinat aurea porta.
Mens hebes ad verum per materialia ſurgit,
Et demerſa prius hac viſa luce reſurgit.

Et in ſuperliminari.

Suſcipe vota tui Index diſtricte Sugeri,
Inter oues proprias fac me clementer haberi.

Superioris quoque Eccleſiæ partis aggreſſus eſt inſtaurationem, eodemque anno perfecit. Idem quoque memorat nonnullorum Oratoriorum dedicationem, imprimis S. Romani ab Hugone Archiepiſcopo Rothomagenſi factam præſentibus quamplurimis Epiſcopis. In Inferiori teſtitudine Eccleſiæ hinc & inde duo Oratoria ſimiliter dedicata ſunt, vnum in honorem S. Hippolyti Sociorumque eius, alterum S. Nicolai nomine dictum, à venerabilibus viris Manaſſe Epiſcopo Meldenſi & Petro Siluanectenſi.

Quanta vero fuerit conſecrationis Eccleſiæ celebritas, narrat in libello de conſecratione Eccleſiæ S. Dionyſij: & quàm multi viri optimates & proceres Eccleſiaſtici adfuerint. Imprimis vero præter Regem, Reginam, & Optimates, commemorat Hugonem Rothomag. Arch. Guidonem Senonenſem, Theobaldum Cantuarienſem Archiepiſcopum, Gaufridum ſeu potius Gauſlenum Carnotenſem, Ioſlenum Sueſſionenſem, Simonem Nouiomenſem, Eliam Aurelianenſem, Odonem Beluacenſem, Hugonem Antiſſiodorenſem, Aluiſum Atrebatenſem, Guidonem Catalaunenſem, Algarum Conſtantienſem, Rotrocum Ebroicenſem, Milonem Teruanenſem, Manaſſem Meldenſem, Petrum Siluanectenſem.

1141. Anno 1141. M. Giſlebertus Porretanus vir in omni artium genere, præſertim verò in Philoſophia & Theologia excellens ad Pictauienſem Epiſcopatum promouetur. Is ortu Pictauienſis non modo Pariſiis, ſed in aliis Galliæ locis **Philoſophiam docuerat: & quidem Carnuti, vbi Canonicus & Cancellarius illius** Eccleſiæ fuiſſe perhibetur, deinde Canonicus Eccleſiæ S. Hilarij Maioris, poſtremo ex Canonico & Theologiæ Profeſſore clariſſimo fit Epiſcopus. Iſte, inquit Otho Frinſinghenſis, l. 1. c. 50. ab adoleſcentia magnorum virorum Diſciplinæ
» ſe ſubiiciens, magiſque illorum ponderi quam ſuo credens ingenio, qualis primo
» fuit Hilarius Pictauienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad vltimum Anſelmus &
» Radulphus Laudunenſes Germani fratres non leuem ab eis ſed grauem doctri-
» nam hauſerat, manu non ſubito ferulæ ſubductâ, à ſcientiæ haud cenſurâ morum
» vitæque grauitate diſcordante, non iocis, non ludicris, ſed ſeriis rebus mentẽ ap-
» plicabat. Hinc erat vt tã geſtu quàm voce pondus ſeruansſicut in factis, ſic in di-
» ctis ſe oſtenderet difficilem, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exerci-
» tatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Idem ait eum ab adoleſcentia vſque ad vltimam ſenectutem in diuerſis Galliæ locis Philoſophiæ ſtudium colendo, re & nomine Magiſtri officium adminiſtraſſe, nouiter verò factum Epiſcopum. Obiit autem an. 1154. Vnde planum fit ſexagenario maiorem ad Epiſcopatum Picta-

uienſem promotum fuiſſe. Et hinc etiam liquet prædictis 4. Magiſtris HilarioPictauienſi, Bernardo Carnotenſi Pariſiis ,& fratribus Laudunenſibus vſum fuiſſe ante an. 1100. De eo recurret dicendi occaſio ad an. 1147. & 1148.

Hoc anno præſertim exarſit diſſidium inter Innocentium Papam & Ludouicum Regem obPetrum de Caſtra ad Bituricenſem Archiepiſcopatum à Papa nolente Rege promotum; interque ipſum Regem & Comitem Campaniæ Theobaldum,quia iuſſu Papæ Petrum receperat. Vnde Bernardus Clare-vallenſis ipſi Comiti familiariſſimus Papam ad fulminandum excitat Ep. 206. Quid meruit Comes Theobaldus,inquit, quid peccauit homo ille? Si peccatum eſt quod diligit Iuſtitiam & odit iniquitatem,non poteſt excuſari. Si peccatum eſt quod reddit Regi quæ Regis ſunt, & quæ Dei Deo, non poteſt excuſari. Si Archiepiſcopum Bituricenſem ſuſcepit ad Imperium veſtrum, hoc eſt maximum & primum peccatum. En ſanguis iſte de manu eius exquiritur. Qui retribuunt mala pro bonis,detrahunt ei quoniam ſequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde ſuo, vt iniuriam filij veſtri & oppreſſionem Eccleſiæ digna animaduerſione vindicetis, & artifices huius ſceleris cum ipſo eorum capite, quidquid libuit, licuit,Apoſtolico vigore coerceatis, vt in verticem ipſius iniquitas eius deſcendat.

Nec diſſimulat peccatum Regi ſuum ſuggerere,quod Comitem virum bonum, in omnibus ei parere paratiſſimum bello inſectetur. *Nolite*, inquit, *fruſtra occaſionem ſumere de Comite Theobaldo ad excuſandas excuſationes in peccatis*, cum vir ille paratum ſe dicat, & hoc omnimodis deprecetur,venire ad conuentiones, quæ inter vos concurrerunt, quando facta eſt pax & ſecundum Iudicium diligentium nomen veſtrum, eorum ſcilicet qui inter vos mediatores extiterunt, per omnia ſatisfacere velit: vt ſi præuaricationis forte ab iis argui poterit, quod non exiſtimat, continuò ad honorem veſtrum corrigere non cunctetur. Verum vos nec verba pacis recipitis, nec pacta veſtra tenetis, nec ſanis conſiliis acquieſcitis: ſed neſcio quoDei Iudicio omnia vobis ita vertitis in peruerſum,vt probra honorem, honorem probra ducatis, tuta timeatis,timenda contemnatis: & quod olim ſancto & glorioſo Regi Dauid Ioab legitur exprobraſſe,diligitis eos qui vos oderunt, & odio habetis qui vos diligere volunt..... At quicquid vobis de Regno veſtro, de anima & Corona veſtra facere placeat, Nos Eccleſiæ filij Matris iniurias, contemptum, & conculcationem omnino diſſimulare non poſſumus, quæ illi præter illa quæ in eam iam præceſſiſſe miſerabiliter plangimus, iterum de nouo partim inferri, partim imminere ſentimus. Profectò ſtabimus & pugnabimus vſque admortem, ſi ita oportuerit pro Matre noſtra, armis quibus licet: non ſcutis & gladiis, ſed precibus flectibuſque ad Deum.... Non filebo quod illicitum illud maledictumque Iuramentum inconſultiſſimè vſurpatum à vobis contra Bituricenſem Eccleſiam, pro quo heu! tot & tanta mala iam nunc merito prouenerunt, non ita tandem corrigitis, vt Chriſti ouibus apud Catalaunum Paſtorem præfici non ſinatis; inſuper & fratri veſtro ciuſque militibus ſagittariis baliſtariiſque Domos Epiſcopales contra ius & fas inhabitandas, & res Eccleſiæ in **ciuſmodi nefarios vſus profligandas audacter nimium** exponitis. Dico vobis,non erit diu inultum, ſi hæc facere pergitis.

Nihilominus ne Regnum & ſacerdotium incaleſcentibus animis à ſe inuicem diuellerentur, idem ſcripſit ad 4. Epiſcopos Cardinales Curiæ Ro. tum potentiſſimos, Albericum Oſtienſem,Stephanum Preneſtinum, Ignatium Tuſculanum & Gerardum Cancellarium: eoſq; admonuit,ne paterentur Eccleſiam ſchiſmatico turbine conuelli, repetitis præteritorum exemplis. Quantum malum, inquit Ep. 219. ſchiſma in Eccleſia ſit, & quam ſit deteſtandum & omnimodis deuitandum, euidenter quondam oſtendit famoſa & horrenda mors virorum illorum, quos ob iſtiuſmodi peſtem terra deglutiens viuos tranſmiſit ad Inferos:oſtendit & illa perſecutio Gilbertina ſiue Burdini temeritas,quos noſtra iam tempora experta ſunt inter Regnum & ſacerdotium diuidentes plaga pene incurabili & caſtigatione crudeli. Oſtendit & illa quæ nuper adhuc poſt multam & multifariam Eccleſiæ vexationem & vaſtationem,tandem miſerante Deo finem accepit, rabies Leonina...Heu! nec dum recentis Eccleſiæ plagæ cicatrix occalluit, & rurſum ſcindere parant, rurſus Corpus Chriſti affigere Cruci, rurſus fodere latus innoxium, rur-

„ ſus veſtimenta diuidere, atque ipſam, quod in ipſis eſt, tunicam inconſutilem di-
„ rumpere ſatagunt. Si qua in vobis ſunt viſcera pietatis, tantis vos opponite malis,
„ *ne illa præcipuè in terra ſciſſura fiat, in qua ſolent ſicut* optimè noſtis, *ſciſſuræ aliæ re-*
„ *ſarciri*. Nam ſi auctor ſcandali ore ſingulariter Iudicis tremendo addicitur male-
„ dicto, quibus putamus benedictionibus dignos huius nequitiæ fugatores & pro-
„ pugnatores? De duobus non excuſo Regem, nam & iurauit illicitè, & perſeuerat
„ iniuſtè. Verum id non voluntate, ſed verecundia. *Nam probro ducitur*, ſicut opti-
„ mè noſtis, *apud Francigenas iuramentum ſoluere quamlibet malè publicè iuratum*
„ *ſit*.

Extant multæ aliæ in hanc rem eiuſdem Abbatis ad Regem & ad alios Epiſtolæ. Grauiter quoque reprehendit Ioſlenum Sueſſionenſem Epiſcopum & Sugerium Abbatem præcipuos Regis Miniſtros & Conſiliarios, quod tam multa mala quæ inferebantur Eccleſiæ, aut ſuaderent, aut non diſſuaderent. Sic enim ille Epiſtol. 222. *An vos ei conſulitis talia? mirum valde, ſi contra conſilium veſtrum fiant hæc: mirum magis & malum ſi veſtro conſilio fiant.* Etenim conſulere ta-
„ lia, manifeſtè ſchiſma fabricare eſt, Deo reſiſtere, Eccleſiam ancillare & nouam
„ in ſeruitutem Eccleſiaſticam redigere libertatem. Si quis Dei fidelis, ſi quis Ec-
„ cleſiæ filius eſt, profecto ſtabit & opponet ſe, quoad poterit, murum domo Dei.
„ Nam & vos ipſi ſi pacem deſideratis Eccleſiæ ſicut oportet filios pacis, quomo-
„ do non dicam tractatis ea, ſed vel intereſtis conſiliis tam malignis? quidquid
„ enim mali fuerit, meritò non Regi Iuueni, ſed Conſiliariis ſenibus imputa-
„ tur.

Quia vero paulo durius & acerbius videbatur de Rege locutus, qui Theobaldum Comitem bello vrgebat, eiuſque Conſiliarios accuſare, Ioſlenus acerbè quoque reſcripſit, hancque ei ſalutationem præmiſit. *Bernardo Abbati Clarevallenſi ſalutem in Domino & non ſpiritum blaſphemiæ.* Senſit Bernardus ſe accuſari linguæ intemperantioris: itaque reſcripſit in hunc modum.

„ Minime quidem Ego ſpiritum blaſphemiæ habere me arbitror: ſed nec
„ cuiquam maledixiſſe aut maledicere velle me ſcio, Principi præſertim po-
„ puli mei. Cæterum quicquid illud ſit, quo ſe læſam veſtra dignitas iudicat, peto
„ veniam... Iam Domino Abbati S. Dionyſij pro communi querimonia ſcribens
„ vtrique veſtrum reſponderam & putaueram me feciſſe ſatis: & quoniam vt video,
„ nondum quieuit indignatio veſtra, quæ forſitan aduerſus Eccleſiæ conculcatores
„ iuſtius incanduiſſet, etiam vobis dico, ſchiſmaticos vos aut fomitem eſſe ſcandali
„ nec dixi nec ſcripſi, nec credidi, & dico ſecurus, nec vereor quod me mea pagi-
„ na arguat mendacij: ſcrutamini eam ſi placet & ſi ita inueneritis, reum me fate-
„ bor grandis ſacrilegij, & reuera ſicut notatis ſpiritu blaſphemiæ agitatum illa
„ ſcripſiſſe. Ne tamen humilis ſatisfactio ſpiritum videatur excludere libertatis,
„ dolui fateor & doleo quod nondum ea vos libertate quâ deceret, comperimus
„ Chriſti vleiſci iniurias, Eccleſiæ defendere libertatem: dolor iſte compulit me
„ ſcribere dura, non tamen illa quæ impingitis..... Optarem ſanè, & ſalua veſtra
„ ſerenitate id quoque eloquor, hunc zelum vos exercuiſſe in puerum Regem, qui
„ non tam pueriliter quam crudeliter ſine cauſa irrita fecit & veſtra ſana conſilia
„ & ſua pacta: ſine cauſa Regnum ſuum conturbat, bella vbique Cœlis terriſque
„ ſuſcitat, Eccleſias vaſtat, ſacra temerat, exaltat iniquos, bonos perſequitur, pre-
„ mit Innocentes. Hæc inquàm, vellem vos dolere, his contradicere & reſiſtere,
„ quod in vobis eſt, ſed meum non eſt Magiſtrum docere Ioſlenum, minus autem
„ reprehendere Epiſcopum, qui magis & me & alios peccantes redarguere & er-
„ rantes corrigere debet.

In omnibus autem ſuis litteris ad Innocentium & ad alios Magnates datis mirificè prædicat Theobaldum, vt virum innocentiæ amatorem pietatiſque cultorem, nulloque peccato ſuo afflictum & oppreſſum. Nihilominus Rex eodem anno teſte Vincentio Vitriacum Caſtellum quod erat Theobaldi cœpit, admotoque igne Eccleſiam incendit, & in ea mille trecentas animas diuerſi ſexus & ætatis combuſſit, vt ipſe loquitur: cuius facti Regem adeo poſtea pœnituit, vt ad expiationem crudelitatis ſacrum Bellum aduerſus Sarracenos & Infideles ſuſceperit.

Circa hæc tempora nata ſunt factioſa & fatalia Guelphorum & Gibellinorum

in Imperio Rom. nomina. Cum Guelphus Bauariæ Dux à Conrado Imp. victus fuiſſet, vallo mœnibuſque oppidi Vvinſbergenſis ſe ſuoſque incluſit. Obſeſſus à Conrado & rerum omnium inopia preſſus deditionem facere compulſus eſt; fœminis illius oppidi hac lege cum Victore pactis, vt ſibi ſaltem ſaluis abire liceret vna cum iis rebus quas humeris exportare poſſent. At illæ omni ſupellectile neglectâ maritos ſingulæ ſuos cunctis videntibus & admirantibus exceptos humeris ex oppido exportarunt. Quâ pietate ingenioſâ motus Conradus Guelfum cum Conciuibus incolumem dimiſit, frendente milite ob leges deditionis dolo violatas: at maluit Imperator clementiæ quàm ſeueritatis exceſſu peccare. Hincque ita ſibi Guelfum deuinxit, vt neminem vnquam habuerit deinceps fideliorem.

Anno 1142. Samſon Malauicinus Remorum Archiepiſcopus confirmauit fundationem Monaſterij fratrum Carthuſienſium Montis-Dei, quam fecerat Odo Abbas S. Remigij, vt patet exhiſce inſtrumenti verbis. *Eapropter Dilecti in Deo filij B. Dei Genitricis Monaſterium, in quo Diuino vacatis ſeruitio, à D. Odone Eccleſiæ B. Remigij Abbate conſtructum, vt Ordo Monaſticus ſecundum Normam & Inſtitutionem fratrum Carthuſienſium irrefragabiliter ibidem obſeruetur, vobis veſtriſque ſucceſſoribus perpetuò poſſidendum præſentis Decreti pagina confirmamus.* Huic inſtrumento inter cæteros ſubſcripſerunt Ioſlenus Sueſſionenſis & Aluinus Atrebatenſis viri inſignes & facundia clari: quos ad an. 1139. Vincentius enumerat inter cæteros magiſtros ſcientiarum ornamentis commendabiles. 1142.

Tunc quoque legationem obibant à Rege apud Innocentium Pontificem Petrus Regis Cappellanus & M. Simon de Piſciaco, forte ad impetrandam Interdicti, quod Pontifex miſerat in Regem & Regnum, relaxationem. Cauſam ſubticet Chronologiſtes Maurinianenſis, hoc tantum ſcribens. Robertus Brugerienſis *acceptis Regalibus litteris, comitantibus ſecum Petro Regis Capellano & M. Simone de Piſciaco, quos pro quibuſdam Negociis Romam Rex dirigebat, Cluniacum venit.*

Ad hunc quoque annum refert Mathæus Pariſienſis infelicem caſum Fulconis Hieroſolymorum Regis: cuius morte res Chriſtianorum in terris illis degentium valde turbatæ ſunt, & pene euerſæ. Nam, vt ipſe narrat, Sanguineus Turcarum vir potentiſſimus auditâ eius morte cum innumerabili armatorum copiâ Edeſſam obſidens Ciuitatem, diuturno eam labore ſubegit, atque Chriſtianos omnes ibidem inuentos immiſericorditer trucidauit, nec ſexui parcens nec ætati. Sic vrbs antiquiſſima & Chriſtiano nomine inſignita ac Thadæi Apoſtoli prædicatione ad fidem conuerſa, in Infidelium poteſtatem redacta eſt. In hac vrbe dicitur corpus B. Thomæ Apoſtoli, vna cum corporibus SS. Thadæi & Regis Abgari Sepultum. Hic autem eſt Abgarus ille Toparcha illuſtris, cuius Epiſtolam ad Dominum miſſam, Euſebius Cæſarienſis commemorat in hiſtoria Eccleſiaſtica, quem & Domini dignum fuiſſe reſcripto docet, vtriuſque ponens Epiſtolam, & in fine ita ſubiungens. *Hæc in Archiuis publicis Edeſſæ vrbis, in qua tunc prædictus Abgarus regnauit, ita deſcripta reperimus in his Chartis, quæ Geſta Regis Abgari ſeruata antiquitus continebant.* Hæc Mathæus ex Euſebio. Verum alij Epiſtolas illas inter **Apocryphas reponunt.**

Ad hunc quoque annum idem author refert mortem Innocentij Papæ: Verum cæteri Hiſtoriographi ad annum tantum 1144. eam contigiſſe commemorant. Guillelmus Malmeſburienſis Monachus hoc anno, vt idem Mathæus ſcribit, Hiſtoriam Anglorum terminauit. Et Willielmus Vvintonienſis Epiſcopus ſedis Apoſtolicæ Legatus obiit, eique ſucceſſit Henricus.

Hiſce pariter temporibus Romanorum ſtatus valde turbari cœpit, turbaſque auxit Arnoldus de Brixia iam diu infenſus Pontifici, cuius nempe furore accenſi ciues antiquum Senatum reſtituere moliti ſunt & Pontifici decimas tantùm & oblationes conceſſerunt: Regalia verò iura omnia ad Senatum ſuum transferre contenderunt. Vnde verò huiuſce rei mouendæ occaſionem acceperint, narrat Otho Friſinghenſis ad an. 1141. his verbis, poſtquam Galliæ Germaniæque ſtatum expoſuit.

Dum hæc, inquit, *aguntur in Gallia & Germania, Romanus Pontifex Innocentius qui jam per multum temporis Tiburtinos excommunicauerat, ac aliis modis preſſerat, coangustatos ad deditionem acceptis obſidibus ac iureiurando interpoſito coëgit. Populus verò*

Rom. volens vt eos per obſides & ſacramentum ad duriſſima præcepta, id eſt vt muris ruptis omnes prouinciâ cederent, cogeret, dum nobiliſſimus ac liberaliſſimus Sacerdos tam irrationabili & inhumanæ petitioni annuere nollet, ſeditionem ydem Romani mouent; ac in ipſo impetu in Capitolio conuenientes, antiquam Vrbis dignitatem renouare cupientes, Ordinem Senatorum, qui iam per multa curricula temporum deperierat, conſtituunt, & rurſum cum Tiburtinis bellum innouant. Cauſa verò tantæ immanitatis fuit, quod in priori anno, dum cum Pontifice ſuo in obſidione præfatæ Ciuitatis morarentur, Ciuibus egreſſis & cum ipſis manum conſerentibus, multis amiſſis ſpoliis turpiter in fugam conuerſi ſunt. Idcirco nulla, niſi quam diximus, conuentione vſque hodie ſe poſſe placari aſſerunt. Verum ſapientiſſimus Antiſtes prouidens ne forte Eccleſia Dei, quæ per multos annos ſecularem vrbis honorem à Conſtantino ſibi traditam potentiſſimè habuit, hac occaſione quandoque perderet, multis modis tam minis quàm muneribus ne ad effectum res procedat, impedire conatur: ſed iuualeſcente populo dum proficere non poſſet, lecto cubans iuxta quoſdam de futuris viſione ſibi monſtrata in pace quieuit. Hac de re amplius infra.

1143. Anno 1143. poſt multos tandem labores, rixas & tumultus vitæque faſtidia die 21. Aprilis, vt legitur in Chronico Senonenſi, obiit M. Petrus Abaëlardus Cabiloni apud S. Marcellum, quò ad captandum amœniorem & ſalubriorem aërem à Petro Cluniacenſi Abbate miſſus fuerat. Nam vt ſupra monuimus, cum non haberet pauperrimus ille Monachus, quò ſe conferret, ad Petrum Abbatem Cluniacenſem poſt Senonenſe Concilium confugerat & Cluniaci ita permittente Innocentio piiſſimo Pontifice per biennium fere moratus Nouicios edocuit multaque edidit pietatis & veræpœnitentiæ ſincera argumenta. Deinde morbo neſcio quo lento correptus ab Abbate miſſus Cabillonem ibi verè pœnitens obiit. Qua de re ſtatim Abbas Cluniacenſis monitam voluit Heloïſſam, ipſius quondam vxorem & Paracleti Abbatiſſam: vt patet ex hac eius ad eam Epiſtola.

„ Venerabili & in Chriſto plurimum dilectæ ſorori Heloïſſæ Abbatiſſæ Frater
„ Petrus humilis Cluniacenſium Abbas ſalutem quam promiſit Deus diligentibus
„ ſe. Acceptis litteris Charitatis tuæ, quas mihi nuper per filium meum Theobal-
„ dum miſiſti, gauiſus, & eas mittentis gratia amicabiliter amplexus ſum. Volui ſta-
„ tim reſcribere quod animo inſederat: ſed impedientibus importunis curarum
„ exactionibus, quibus plerunque imo pene ſemper cedere compellor, non po-
„ tui. Vix tamen à tumultibus tandem interpolata die, quod conceperam, atten-
„ taui. Viſum eſt vt affectui tuo erga me, quem & tuis ex litteris & prius ex mihi
„ miſſis Xeniis cognoueram, ſaltem verborum vicem reddere feſtinarem, & quan-
„ tum in corde meo locum tibi dilationis in Domino ſeruarem, oſtenderem. Re-
„ uera enim non nunc primum diligere incipio, quam ex multo tempore me dile-
„ xiſſe reminiſcor. Necdum plenè metas adoleſcentiæ exceſſeram, necdum
„ in iuueniles annos euaſeram quando nomen, non quidem adhuc Religio-
„ nis tuæ, ſed honeſtorum tamen & laudabilium ſtudiorum tuorum mihi fa-
„ ma innotuit. Audiebam tunc temporis mulierem, licet nec dum ſeculi nexibus
„ expeditam, Litteratoriæ ſcientiæ, quod perrarum eſt, & ſtudio licet ſecularis ſa-
„ pientiæ ſummam operam dare, nec mundi voluptatibus, nugis vel deliciis ab hoc
„ vtili diſcendarum Artium propoſito retrahi poſſe. Cumque ab his exercitiis de-
„ teſtandâ deſidiâ pene totus torpeat mundus, & vbi ſubſiſtere poſſit pes ſapientiæ,
„ non dicam apud ſexum fœmineum, à quo ex toto exploſus eſt, ſed vix apud
„ ipſos viriles animos inuenire valeat, tu illo efferendo ſtudio tuo mulieres omnes
„ euicisti, & pene viros vniuerſos ſuperaſti. Mox vero iuxta verba Apoſtoli, vt
„ complacuit ei qui te ſegregauit ex vtero Matris tuæ, vocare te per gratiam ſuam,
„ longè in melius Diſciplinarum ſtudia commutaſti, & pro Logica Euangelium,
„ pro Phyſica Apoſtolum, pro Platone Chriſtum, pro Academia Clauſtrum tota
„ iam & verè Philoſophica mulier elegiſti. Eripuiſti victis ſpolia hoſtibus & de
„ Theſauris Ægyptiacis per huius peregrinationis deſertum tranſiens precioſum
„ in corde tuo tabernaculum Deo erexiſti. Cantaſti cum Maria diuerſa ratio-
„ ne, Canticum Laudis & beatæ mortificationis tympanum, vt olim illa præ ma-
„ nibus gerens noui modulaminis melos vſque ad ipſas Deitatis aures docta
„ tympaniſtria tranſmiſiſti. Conculcaſti iam incipiendo quod per Omnipotentis

gratiam bene perſeueran do conteres vetuſti anguis ac ſemper mulieribus inſi-
diantis caput, atque elides, vt nunquam contra te vlterius ſibilare audeat. Oſten-
tui facis & facies ſuperbum Principem mundi: & illum qui Diuina voce voca-
tur Rex filiorum ſuperbiæ, & iuxta ipſius Dei ad B. Iob verba tibi ac tecum co-
habitantibus ancillis Dei alligatum ingemiſcere coges. Et verè ſingulare miracu-
lum ac ſuper omnia miranda opera extollendum, cum quo iuxta Prophetam Ce-
dri non fuerunt altiores in Paradiſo Dei, & cuius ſummitatem frondium abietes
non adæquarunt, à fragili ſexu vinci; & fortiſſimum Archangelum à muliere in-
firmiſſima ſuperari. Gignitur tali duello maxima gloria Conditori: infertur è con-
uerſo ſumma ignominia deceptori. Exprobratur ei hoc certamine non ſolum ſtul-
tum, ſed & ſuper omnia ridiculum fuiſſe illum aſpiraſſe ad æqualitatem ſublimiſ-
ſimæ Maieſtatis, qui nec breue luctamen ferre prævalet fœmineæ debilitatis. Su-
ſtinet caput cuiuſlibet victricis illius merito talis Victoriæ, gemmeam à Rege cœ-
lorum Coronam, vt quanto in tranſacta pugna carne infirmior, tanto in remu-
neratione ſempiterna appareat glorioſior. Hæc Chariſſima in Domino Soror, ve
rè non adulando, ſed exhortando dico, vt magnum in quo aliquandiu perſtitiſti,
bonum attendens, ad cautè illud conſeruandum animoſior reddaris: vt ſanctas
illas quæ tecum Domino ſeruiunt, ſecundum gratiam à Deo tibi collatam, vt
in eodem ſollicitè agone contendãt, verbis pariter & exemplis accendas. Es enim
vnum de animalibus illis, quæ Ezechiel Propheta vidit, licet ſis mulier quæ
non tantum vt Carbo ardere, ſed vt Lampas ardere debes pariter & lucere. Es
quidem Diſcipula veritatis, ſed es etiam ipſo officio quantum ad tibi commiſſas
pertinet, Magiſtra humilitatis. Humilitatis planè & totius cœleſtis Diſciplinæ
tibi à Deo Magiſterium impoſitum eſt. Vnde non ſolum tui, ſed & commiſſi gre-
gis curam habere & pro vniuerſis maiorem vniuerſis debes mercedem recipere.
Manet tibi certè palma pro omnibus: quia, vt optimè noſti, quotquot ducatu
tuo mundum mundique Principem vicerint, tot tibi triumphos, tot glorioſa tro-
phæa apud æternum Regem & Iudicem præparabunt. Sed nec omnino apud mor-
tales inſolitum eſt fœminas fœminis principari; nec ex toto inuſitatum etiam
prælíari, ipſos inſuper viros ad prælia comitari. Nam ſi verum eſt, quod di-
citur.

Fas eſt & ab hoſte doceri.

Et apud Gentiles Amazonum Regina Pentezilæa cum ſuis Amazonibus non
viris, ſed mulieribus Troiani belli tempore ſæpe pugnaſſe ſcribitur, &. in populo
etiam Dei Prophetiſſa Debora Baruch iudicem Iſraël contra Etnicos animaſſe
legitur Cur ergo non licuit fœminas virtutis contra fortem armatum ad prælia
præcedentes Ductrices fieri exercitus Domini? cum & illa, quod quidem indecens
videbatur, manu tamen propria contra hoſtes pugnauerit, & hæc noſtra Debo-
ra viros ipſos ad bella Diuina commouerit, armauerit, accenderit. Victo dein
Iabin Rege, occiſo Siſara Duce, deleto profano exercitu cecinit ſtatim Canti-
cum illa, illudque Dei laudibus Debora dicauit. Erit Dei gratia hæc faciente poſt
datam tibi tuiſque de longè fortioribus **hoſtibus victoriam, longè tuum glorio-
ſius** Canticum, quod ſic læta cantabis vt nunquam poſtea lætari, nunquam can-
tare deſiſtas. Interim eris ancillis Dei, hoc eſt cœleſti exercitui, quod illa ſuo
Iudaïco populo Debora, nec à tam lucroſo certamine aliquo tempore, quolibet
caſu niſi vincendo ceſſabis. Et quia hoc nomen Debora, vt tua nouit eruditio, lin-
guâ Hebraicâ apem deſignat, eris etiã in hoc & tu Debora, id eſt Apis. Mellificabis
enim tu, ſed non ſoli tibi, quia quidquid boni per diuerſos & à diuerſis collegiſti,
exemplo, verbis modiſq; quibus poteris, domeſticis Sororibus ſeu quibuſlibet aliis
totum refundes. Satiabis hoc exiguo vitæ mortalis tempore & te ipſam ſacrarum
litterarum ſecretâ dulcedine, & beatas ſorores apertâ prædicatione, quo vſque
iuxta vocem Propheticam in illa quæ promittitur, die diſtillent montes æternam
dulcedinem, & colles fluant lac & mel. Hoc enim licet de tẽpore gratiæ dicatur,
nil obſtat, imo & dulcius eſt, vt de tempore gloriæ accipiatur. Dulce mihi eſſet
diu tecum de huiuſmodi protrahere ſermonem, quia & famoſa eruditione tua de-
lector, & prædicata mihi à multis religione tua longè magis allicior. Vtinam te
Cluniacus noſtra habuiſſet! Vtinam te iucundus Marciniaci carcer cum cæte-
ris Chriſti ancillis libertatem inde cœleſtem exſpectantibus incluſiſſet! Pra tyliſ-

» ſem opes religionis ac ſcientiæ maximis quorumlibet Regum theſauris, & illà-
» rum ſororum illud præclarum Collegium cohabitatione tua clarius rutilare gau-
» derem. Retuliſſes & ipſa ab ipſis non modicum quæſtum, & ſummam mundi no-
» bilitatem ac ſuperbiam pedibus proſtratam mirareris. Cerneres omnigenos ſecu-
» li luxus miranda parcitate mutatos, & ſordida quondam vaſa Diaboli in mundiſ-
» ſima Spiritus S. templa conuerſa. Videres puellas Dei Sathanæ vel Mundo velut
» furto ſubtractas, ſuper innocentiæ fundamentum altos virtutum erigere parietes,
» & vſque ad ipſa Cœli faſtigia felicis fabricæ cacumen producere. Lætareris An-
» gelicâ Virginitate florentes caſtiſſimis viduis iunctas, & vniuerſas pariter beatæ
» illius & magnæ reſurrectionis gloriam ſuſtinentes, infra arcta ſepta domorum
» etiam corporaliter beatæ ſpei velut ſepulchro iam conditas. Quæ licet omnia &
» fortaſſis maiora cum tibi datis à Deo collegis habeas, licet forte nihil ad ſacra-
» rum rerum ſtudium pertinens tibi addi poſſit, augeretur tamen augmento gratia-
» rum non paruis, vt arbitror, commodis Reipublicæ noſtræ.

» Sed quamuis à diſpenſatrice omnium rerum prouidentia Dei hoc nobis de te
» negatum ſit, conceſſum tamen eſt de illo tuo, de illo, inquam, ſæpe ac ſemper
» cum honore nominando ſeruo ac verè Chriſti Philoſopho M. Petro, quem in
» vltimis vitæ ſuæ annis eadem Diuina diſpoſitio Cluniacum tranſmiſit, & eam in
» ipſo & de ipſo ſuper omne aurum & topazion munere charíore ditauit. Cuius
» ſanctæ, humili ac deuotæ inter nos conuerſationi, quod quantúmve Cluniacus
» teſtimonium ferat, breuis ſermo non explicat. Niſi enim fallor, non recolo vi-
» diſſe me illi in humilitatis habitu & geſtu ſimilem; in tantum, vt non Germanus
» abiectior, nec ipſe Martinus bene diſcernenti pauperior appareret. Cumque in
» magno illo fratrum noſtrorum grege, me compellente gradum ſuperiorem tene-
» ret, vltimus omnium veſtitu inculti ſſimo videbatur. Mirabar ſæpe & in proceſ-
» ſionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, pene ſtupebam tanti tamque
» famoſi nominis hominem ſic ſeipſum contemnere, ſic ſe abiicere poſſe. Et quia
» ſunt quidam Religionis Profeſſores, qui ipſum quem gerunt habitum religio-
» ſum nimis eſſe cupiunt ſumptuoſum, erat ille prorſus parcus in iſtis, & cuiuſcun-
» que generis ſimplici veſte contentus nihil vltra quærebat. Hoc & in cibo, hoc
» & in potu, hoc & in omni cura corporis ſui ſeruabat: & non dico ſuperflua, ſed
» & cuncta niſi valde neceſſaria tam in ſe quàm in omnibus verbo pariter & vitâ
» damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, ſilentium iuge, niſi aut fra-
» trum familiaris collatio, aut ad ipſos in conuentu de Diuinis publicus ſermo eum
» loqui vrgebant. Sacramenta cœleſtia Immortalis Agni Sacrificium Deo offeren-
» do, prout poterat, frequentabat. Imò poſtquam litteris & labore meo Apoſto-
» licæ gratiæ redditus eſt, pene continuabat.

» Et quid multa? mens eius, lingua eius, opus eius ſemper Diuina, ſemper Phi-
» loſophica, ſemper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiſcum
» vir ſimplex & rectus, timens Deum & recedens à malo, tali, inquam, per ali-
» quantum temporis conuerſatione vltimos vitæ ſuæ dies conſecrans Deo pauſan-
» di gratia (nam plus ſolitò ſcabie & quibuſdam corporis incommoditatibus gra-
» uabatur) à me Cabillonem miſſus eſt. Nam propter illius ſoli amœnitatem, quâ
» cunctis pene Burgundiæ noſtræ partibus præminet, locum ei habilem prope vr-
» bem quidem, ſed tamen Arari interfluente prouideram. Ibi iuxta quod incom-
» **moditas permittebat, antiqua ſua reuocans ſtudia libris ſemper incumbebat:**
» nec, ſicut de magno Gregorio legitur, *momentum aliquod præterire ſinebat, quin*
» *ſemper aut oraret, aut legeret, aut ſcriberet, aut dictaret.* In his ſacrorum operum
» exercitiis eum aduentus illius Euangelici viſitatoris reperit, nec eum vt multos,
» dormientem, ſed vigilantem inuenit. Inuenit eum verè vigilantem & ad æter-
» nitatis Nuptias, non vt fatuam, ſed vt ſapientem Virginem euocauit. Attulit enim
» ille ſecum Lampadem plenam oleo, hoc eſt conſcientiam refertam ſanctæ vitæ
» teſtimonio. Nam ad ſoluendum commune mortalium omnium debitum morbo
» correptus, eoque ingraueſcente in breui ad extrema perductus eſt. Tunc vero
» quàm ſanctè, quàm deuotè, quàm Catholicè primò fidei, deinde peccatorum
» confeſſionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationis ac
» vitæ æternæ pignus, Corpus ſcilicet Redemptoris Domini acceperit, quàm fide-
» liter corpus ſuum & animum hic & in æternum ipſi commendauerit, teſtes ſunt

Religioſi

Religioſi fratres & totus illius Monaſterij in quo Corpus S. Marcelli Martyris iacet, conuentus. *Hoc Magiſter Petrus fine dies ſuos conſummauit: & qui ſingulari ſcientiæ Magiſterio toti pene orbi terrarum notus & vbique famoſus erat, in illius Diſcipulatu qui dixit,* Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, *mitis & humilis perſeuerans, ad ipſum vt dignum eſt credere, ſic tranſiuit.*

Hunc ergo venerabilis & chariſſima in Domino ſoror, cui poſt carnalem copulam tanto validiore quanto meliore Diuinæ Charitatis vinculo adhæſiſti, cùm quo & ſub quo diu Domino deſeruiſti, hunc inquam, loco tui, vel vt te alteram in gremio ſuo confouet, & in aduentu Domini, in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendentis de cœlo, tibi per ipſius gratiam reſtituendum reſeruat. Eſto ergo in Domino memor ipſius. Eſto etiam ſi placet noſtri & ſanctis ſororibus tecũ Domino famulantibus fratres congregationis noſtræ ac ſorores, qui vbique terrarum pro poſſe ſuo eidem, cui & tu, Domino famulantur, ſollicitè commenda. Vale.

Sic Petrus vtriuſque laudes proſequitur. Heloiſſæ quidem, cuius præſertim commendat pietatem & admirabilem omnium bonarum artium notitiam, ac proinde illam expetit Abbatiſſam Marciniaco Monialium Cœnobio, quod iuris erat Cluniacenſis, exiſtimans illam, ſi ſe ſuaſque ſocias ad illud transferret, mirum in modum illud illuſtraturam. Et eam forte ob rem Abbas illam inuiſit. Petrum verò ingenti laudum præconio extollit, tum vt eum omni hæreſeos ſuſpicione abſoluat, quod crimen illi impingebatur, tum vt Heloiſſam de ipſius obitu conſoletur. Atque vt præterea eam ſibi demereatur, iubet defuncti Corpus ad Paracletenſe cœnobium transferri, mittitque Epitaphium à ſe in honorem ipſius compoſitum.

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, Logicis quicunque fuerunt,
Aut par aut melior, ſtudiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, ſubtilis & acer,
Omnia vi ſuperans rationis & arte loquendi,
Abaëlardus erat: ſed tunc magis omnia vicit,
Cum Cluniacenſem Monachum moremque profeſſus
Ad Chriſti veram tranſiuit Philoſophiam:
In qua longæue bene compleuit vltima vitæ
Philoſophis quandoque bonis ſe connumerandum
Spem dedit, vndenas Maio reuocante Kalendas.

Nec his contentus Petrus Venerabilis inclytam Heloiſſam inuiſit, vt ſuauiſſimis ſermonibus eam conſolaretur, eiuſque vicißim ipſe colloquio, quia famæ tantum tuba eam nouerat, recrearetur. Quamobrem illa tantæ gratiæ memor gratias illi agit per Epiſtolam, Aſtralabiumque ſuum iam grandem illi commendat, vt eius opera in Pariſienſi Eccleſia, vel in alia qualibet præbendam obtinere poſſit. Sic igitur illa.

Epiſto' Heloiſſæ Petrum ad Cluniacenſem.

Petro Reuerendiſſimo Domino & Patri ac venerabili Abbati Cluniacenſium Heloiſſa humilis Dei & eius Ancilla ſpiritum gratiæ Salutaris. Viſitante nos Dei miſericordia, dignationis veſtræ nos viſitauit gratia. Gratulamur, Pater benigniſſime, **& quod ad paruitatem noſtrã magnitudo veſtra deſcenderit, gloriamur.** Eſt ſiquidem veſtra viſitatio magna magnis quibuſlibet gloriatio. Norunt alij quantum vtilitatis veſtræ contulerit præſentia ſublimitatis. Ego certè non dicã enarrare dictu, ſed nec ipſo valeo comprehendere cogitatu, quàm vtilis, quàm iucundus veſtet mihi fuerit aduentus. Abbas noſter, Dominus noſter apud nos anno præterito 16. Kalend. Decemb. Miſſam celebraſtis, in qua Spiritui ſancto nos commendaſtis, in Capitulo diuini nos ſermonis elogio cibaſtis, Corpus Magiſtri nobis dediſtis, ac Beneficium Cluniacenſe conceſſiſtis. Mihi quoque, quam nec Ancillæ nomine dignam ſublimis humilitas veſtra tam ſcripto quàm verbo ſororem vocare non dedignata eſt, ſingulare quoddam velut amoris & ſinceritatis priuilegium donaſtis, Tricennarium ſcilicet, quod mihi defunctæ Conuentus Cluniacenſis perſolueret. Indixiſtis etiam; quod donum illud ſigillatis confirmaretis apicibus. Quod itaque Sorori imò ancillæ conceſſiſtis, Frater, imò Dominus im-

» pleatis. Placeat etiam vobis aliud ſigillum mittere, in quo Magiſtri abſolutio lit-
» teris apertis contineatur vt ſepulchro eius ſuſpendatur. Memineritis & amore Dei
» & noſtri Aſtralabij veſtri, vt aliquam ei vel à Pariſienſi vel alio quolibet Epiſco-
» po prabendam acquiratis. Vale. Dominus vos cuſtodiat & præſentiam veſtram
» quandoque nobis exhibeat.

Reſpondet Abbas & poſt officioſa quædam verba, ingentis affectus argumenta, de abſolutione M. Abaelardi, deque Aſtralabio filio pauca hæc ſubiungit. Mit-
» to etiam ſicut mandaſtis M. Petri abſolutionem in Charta ſimiliter ſcriptam & ſi-
» gillatam. Aſtralabio veſtro veſtrique cauſâ noſtro, mox vt facultas data fuerit, in
» aliqua nobilium Eccleſiarum prabendam libens acquirere laborabo. Res tamen
» difficilis eſt, quia vt ſepe probaui, ad dandas in Eccleſiis ſuis prabendas variis
» obiectis occaſionibus valde ſe difficiles præbere Epiſcopi ſolent. Faciam tamen
" cauſâ veſtri quod potero, mox vt potero. Vale.

Abſolutio M. Petri Abaelardi.

Ego Petrus Cluniacenſis Abbas, qui P. Abaëlardum in Monachum Cluniacenſem recepi, & Corpus eius furtim delatum Heloïſſæ Abbatiſſæ & Monialibus Paracleti conceſſi, authoritate omnipotentis Dei & omnium ſanctorum abſoluo eum pro officio ab omnibus peccatis ſuis.

Cum ergo certum ſit Petrum Abaelardum hoc anno obiiſſe, ſedente adhuc Innocentio, patet quàm abſurdè hallucinentur cum Platina & Genebrardo nonnulli authores, qui ſcribunt Lucij II. Pontificis Max. qui Cœleſtino ſucceſſit, & anno tantum 1144. Pontificatum obtinuit, conſenſu congregatum Concilium in Gallia contra Abaelardum, qui in eo rationibus victus non modo ſententiam mutauerit, ſed Monaſticam vitam profeſſus ſit.

Eodem anno idem Petrus Cluniacenſis Alchoranum de Arabico in Latinum verti curauit, vt ſciret Eccleſia Catholica quàm vilis quàm friuola, quàm apertis mendaciis plena ſit impij Mahumetis Doctrina, quæ à temporibus Imperatoris Heraclij Saracenos infecerat.

1144. Anno 1144. obiit Innocentius II. eique ſucceſſit M. Guido de Caſtellis Petri Abaëlardi olim diſcipulus eiuſque defenſor acerrimus, vir litteratiſſimus, poſt aſſumptionem ad Pontificatum Cœleſtinus appellatus, de quo ſic habet Teulfus in Chronico Mauriniacenſi. *Innocentius debitum humanæ conditionis exſoluens Romæ defunctus eſt: cuius honori ſubrogatus eſt Cœleſtinus, qui alio nomine M. Guido de Caſtellis nominatus eſt. Hic vero prælatione dignioſſimus erat, quoniam ei tria quæ inter homines pene habentur præcipua, ſimul confluxerant, celebremque Magiſtrum reddiderant, Nobilitas ſcilicet generis, mentis induſtria in omni ſtatu æqualis, Litterarum quoque, quarum Doctrinæ intentiſſimus fuit, ſcientia multiformis.* Extat ad eum Bernardi Clare-Vallenſis Epiſt. 239. contra Vvillielmum Eboracenſem intruſum, cuius cauſa iam agitata fuerat apud Innocentium & remiſſa ad Decani Eboracenſis iuramentum, verum Legati Pontificij corruptione peruersè & impiè deciſa, vt fama ferebat, & Bernardus contendebat.

Ab hoc Pontifice Theobaldus olim Abbas Beccenſis, tum verò Cantuarienſis Archiepiſcopus obtinuit in Anglia Legatione Apoſtolica fungi amoto Henrico **Vvintonienſi Epiſcopo Stephani Regis Fratre. Vnde inter eos graues emerſerunt** lites: quarum occaſione Profeſſio Legum apud Oxoniam cœpit exerceri, vt notat Geruaſius Dorobernenſis in Actis Pontificũ Cantuarienſium his verbis: *Erat diebus illis Apoſtolicæ ſedis legatus Henricus Vvintonienſis Epiſcopus qui erat frater Regis.* Hic cum de iure Legati licet priuilegium ſuum pluſquam deceret extenderet in immenſum, ſuumque Archiepiſcopum & Epiſcopos Angliæ, vt ſibi occurrerent, quolibet euocaret, indignatus Theobaldus & Thomæ Clerici Lundonienſis induſtria fretus egit apud Cœleſtinum Papam qui Innocentio ſucceſſit, vt amoto Henrico Theobaldus in Anglia legatione fungeretur. Oriuntur hinc inde diſcordiæ graues, lites & appellationes antea inauditæ. *Tunc leges & cauſi dici in Angliam primò vocati ſunt, quorum primus erat M. Vacarius. Hic in Oxonefordia legem docuit*, & apud Romam M. Gratianus & Alexander qui

& Rodlandus in proximo Papa futurus Canones compilauit.

Extat quoque ad eundem Cœleſtinum Arnulphi Lexouienſis Epiſtola congratulatoria de promotione ſua, quæ legitur in 2. Tomo Spicilegij Dacheriani his verbis. *Suſtulit virum glorioſæ memoriæ Innocentium Papam* neceſſitas humanæ conditionis è medio, cuius Eccleſia Dei liberata triumphis, cuius adornata virtutibus, cuius denique magnificentia fuerat ſublimata, qui eam humilibus placabilem, tyrannis autem formidabilem reddens, quanto plus prauitati terroris intulerat, tanto Religioni plus exhibuit Charitatis. Quod ſanè tam regularis Diſciplinæ quàm Monaſticæ Religionis prouectus oſtendit. Cum Ciuitates & Caſtella paſſim pro ſecularibus Regulares Clericos habeant, & deſerta plus hodie Monachorum, quàm ferarum quondam habuerunt beſtiarum. In morte igitur eius ſpem ſibi rediuiuam poſuerat deſperata malignitas vt tunc ad nefarios liberè conatus erumperet & ſtatum triumphantis in omnibus Eccleſiæ conculcaret. At vero in promotione veſtra quaſi quodam ſtatim languore ſpes maligna contabuit. Bonis orta eſt ex timore ſecuritas, & exultationes Dei in gutture omnium ſonuerunt. Non enim ambigunt, quin veſtræ ſanctitatis ſtudio propagetur quod pio eius labore plantatum eſt. Quis enim audeat ſperare diſſimilia & minora de vobis, quem adeo & prioris vitæ rudimenta commendant, & modernæ promotionis auſpicia Diuinâ probant voluntate prælatum? Sapientia enim cuius eſt à fine vſque ad finem fortiter ac ſuauiter bene cuncta diſponere, fortiter hoc de vobis, quia efficaciter, ſuauiter quia concorditer adimpleuit. Sed nec ſoli ſibi Rom. Eccleſia tanti operis laudem arroget, nec inuidioſè aduerſum nos de tanta concordia glorietur, quoniam in hoc ipſum à multo iam tempore minorum Eccleſiarum vota conuenerant, nec alium adeo magnificentiæ tanti Prædeceſſoris idoneum Roma nobis offerre poterat ſucceſſorem. Fecit ſanè tantam excellens virtutis veſtris prærogatiua concordiam; contra quam vel nullus erat vel nullus auſus eſt aduerſarius apparere. Verum eſt etiam electores veſtros longè antea inde à nobis quaſi quoddam accepiſſe mandatum, cuius fines excedere non habebant: quoniam quod multo ante aduenarum præſagio præſumptum erat, Incolarum voce completum eſt, ipſorumque conſenſum noſtra deſideria creauerunt. Loquar ergo ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis, loquar deuotus filius vnico Patri meo. Quanto, Domine pluribus deſideriis expetitus es, quanto feliciore concordia prælectus, quanto maiore omnium exultatione ſuſceptus, tanto te Deo & hominibus intelligis obligatum. Gratiam diuinæ dignationi, gratiam humanæ beneuolentiæ debes. Inſtitutum tibi eſt vt dignus ſit exſpectatione prouentus, vt Deo ſcilicet reuerentiam, hominibus exhibeas pietatem. Inter alios verò obſecro ne te ſemper priſtinæ mihi Maieſtas tantæ Dignitatis obducat, ſed viuat mihi apud ſerenitatem tuam benignitatis affectus, teque prædeceſſori tuo in gratia mihi & beneuolentia ſentiam ſucceſſiſſe. Veniſſem autem ad vos, niſi circa confirmandam mihi recedentem noui Principis gratiam & reſarciendas Eccleſiæ & Domus noſtræ ruinas, & curanda Germanorum funera grauius occuparer. Quibus cauſis nec tempus adhuc, nec alacritatem habui, nec expenſas. Veniam autem Deo volente quàm citius, vt oculis meis vultus veſtri ſerenitas illuceſcat & ariditatem meam quaſi vberior de proximo nouæ benedictionis riget vbertas, quia modi quod id quod ſum, totus ſum ſanctitatis veſtræ ſanctæque Rom. Eccleſiæ de **uotiſſimus ſeruus.**

Verum quam Pontifex ille dederat ſpem ſuæ in regenda Eccleſia peritiæ & prudentiæ, breui excidit. Poſt quinque enim paulo plus menſes à ſua promotione fato communi functus eſt. Cui ſubrogatur Girardus de S. Cruce: iſque Lucius II. appellari voluit. Quo ſedente longè inualuit defectio Politicorum ſeu Arnoldiſtarum Romanorum, qui authore Arnoldo Brixienſi, vt ſupra dictum eſt, antiquum Reipub. Rom. ſtatum inſtaurare cupientes, Ordinem Senatorũ, Equeſtrem & Plebeium, item & Patricios qui Remp. regerent, reſtituerunt atque ab omni iuriſdictione & adminiſtratione Pontificia exemerunt, ſolam illi Religionis curam relinquentes. Lucius itaque Cœleſtini ſucceſſor omnium Pontificum primus eorum iniurias expertus & paſſus eſt: qua de re ſic Otho Friſinghenſis. *Per idem tempus Lucius Papa* vir pro manſuetudine & humilitate ſua

„ grauem à Ciuibus perſecutionem paſſus humiles ad Regem Conradum tam
„ ſuam oppreſſionem continentes, quàm de incolumitate & proſperitate eius Deo
„ gratias agentes, ipſumque ad Patrocinium Rom. Eccleſiæ inuitantes, litteras mit-
„ tit in hunc modum. Lucius &c: Omne datum optimum.....Populus enim Rom.
„ nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, Senatoribus quos ante inſtituerat, Pa-
„ tricium adiiciunt, atque ad hanc dignitatem Iordanem Petri Leonis filium eli-
„ gentes, omnes ei tanquam Principi ſubiiciuntur.

Scribunt quoque Romani Ciues ad eundem Conradum, vt ex ipſo Othone intelligimus, qui hæc præmittit de Arnoldo. *His diebus Arnoldus quidam Religionis habitum habens* ſed eum minimè, vt ex Doctrina eius patuit, ſeruans ex
„ Eccleſiaſtica honoris inuidia vrbem Romam ingreditur, ac Senatoriam digni-
„ tatem Equeſtremque ordinem reuocare adinſtar antiquorum volens totam pene
„ vrbem ac præcipuè populum aduerſus Pontificem ſuum concitauit. Vnde & ad
„ eorum temeritatis vel potius fatuitatis corroborationem, ab eis ad Principem de-
„ ſtinatum tale reſcriptum inuenitur.

„ Excellentiſſimo atque præclaro Vrbis & Orbis totius Domino Conrado D. G.
„ Romanorum Regi ſemper Auguſto Senatus populuſque Romanus ſalutem &
„ Rom. Imperij felicem & inclytam gubernationem. Regali excellentiæ per pluri-
„ ma iam ſcripta noſtra facta & negotia diligenter expoſuimus, & quomodo in ve-
„ ſtra fidelitate permaneamus, ac pro veſtra Imperiali corona exaltanda & omnino
„ augenda quotidie decertemus. Ad quæ quia Regalis induſtria, vt poſtulauimus
„ reſcribere dignata non fuit, planè tanquam filij & fideles de Domino & Patre ſa-
„ tis miramur. Nos enim quidquid agimus, pro veſtra fidelitate & honore facimus.
„ Et quidem Regnum & Imperium Romanorum veſtro à Deo regimini conceſſum
„ exaltare atque amplificare cupientes, in eum ſtatum quo fuit tempore Cõſtantini
„ & Iuſtiniani, qui totũ Orbẽ vigore ſenatus & Populi Rom. ſuis tenuere manibus,
„ reducere Senatu pro his omnibus D. G. reſtituto, & eis qui veſtro Imperio ſem-
„ per rebelles erant, quique tantum honorem Imperio Rom. ſurripuerunt, magna
„ ex parte conculcatis, quatenus ea quæ Cæſari & Imperio deberentur, per om-
„ nia & in omnibus obtinentes, vehementer atque vnanimiter agimus atque ſtu-
„ demus: & ob huius rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus.
„ Nam pacem & Iuſtitiam omnibus eam volentibus obſeruamus, fortitudines id
„ eſt Domos & Turres Potentum vrbis, qui veſtro Imperio vnà cum Siculo & Papa
„ reſiſtere parabant, cepimus, & quaſdam in veſtra fidelitate tenemus, quaſdam
„ vero ſubuertentes ſolo coæquauimus. Sed pro his omnibus quæ pro veſtræ dile-
„ ctionis fidelitate fecimus, Papa Franchipanes & filij Petri Leonis homines & ami-
„ ci Siculi excepto Iordane noſtro in fidelitate veſtra Vexillifero & adiutore, Pto-
„ lomæus quoque & alii plures vndique nos impugnant, ne liberè, vt decet Impe-
„ rialem Regio Capiti valeamus imponere coronam. At nos quoniam amanti nul-
„ lus labor grauis eſt, licet inde plurima damna ſuſtineamus, pro veſtro amore &
„ honore grataanter patimur. Scimus namque nos à vobis proinde præmium ſi-
„ cut à Patre recepturos, voſque in eos ſicut in Imperij hoſtes vindictam da-
„ turos.

„ Cum tanta igitur noſtra in vobis fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus,
„ precamur ne ſpes iſta nobis deficiat, ne Regia dignitas nos veſtros fideles & fi-
„ lios deſpiciat. Neque ſi in Regalibus auris aura ſiniſtra de Senatu & nobis flauerit,
„ in eam intendat aut reſpiciat, quia qui de nobis veſtræ altitudini mala ſuggerunt,
„ de veſtra & noſtra quod abſit, diſſenſione lætari volunt, & vtroſque vt ſoliti ſunt,
„ callidè opprimere moliuntur. Sed circa hæc ne fiant, Regalis prudentia vt decet
„ ſollicita ſit & prouida, reminiſcaturque veſtra ſolertia, quot & quanta mala Pa-
„ palis Curia & dicti quondam Ciues noſtri Imperatoribus qui fuerunt ante vos,
„ fecerint, & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentauerint. Sed nos Chriſti
„ gratia in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab vrbe ſicut peſ-
„ ſimos Imperij hoſtes, vt ſunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis
„ celeriter vigor, quoniam quidquid vultis in vrbe obtinere, poteritis. Et vt breuiter
„ ac ſuccinctè loquamur, potenter in vrbe quæ caput mundi eſt, vt optamus habi-
„ tare toti Italiæ ac Regno Teutonico, omni Clericorum remoto obſtaculo libe-
„ rius & melius quàm omnes fere Anteceſſores veſtri, dominari valebitis. Sine mo-

ra ergo precamur, vt veniatis & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſidera-
mus, ſalubrem & proſperum de his Regalibus litteris ac nunciis lætificare di-
gnemini.

Cæterum Lucius, quandiu ſedit, Eccleſiam bonis moribus & diſciplinis re-formare pro poſſe ſtuduit miſſis inſignibus Legatis Alberico Oſtienſi in Franciam, & Aimerico Tuſculanenſi in Angliam. Aquibus viris Abbatiam B. Benedicti ſuper Ligerim alias Floriacenſem in pernicioſo ſtatu poſitam tam Monachorum leuitate, quàm Paſtorum aſſenſu, vt ait author Chronici Mauriniacenſis, qui hiſce temporibus florebat, reformatam legimus. Itaque Mauriniacenſis Cœnobii Abbatem Machariũ ad Floriacenſe tranſtulerunt relictâ Mauriniacenſibus poteſtate ſubrogandi ſibi alĩus Abbatis. Illi autem Theuinum Argenteoli Priorem multimoda ſapientiæ laude famoſum elegerunt: de quo, inquit idem author, ſine mendacii ambiguitate affirmare poſſum, quia omni tempore ſuo non eſt in Francia *elegantior & ſpecioſior viſa perſona.* Obiter autem notare conuenit Floriacenſes ſcholas tam celebres aliàs tamque illuſtres, his temporibus omnino contabuiſſe.

Schola Andegauenſis.

At hiſce temporibus Andegauenſis ſchola ſub Vlgerio Epiſcopo magnæ famæ & commendationis erat: qui quidem Epiſcopus diu earum Magiſterium tenuerat: ad Dignitatem verò promotus Epiſcopalem, vndequaque potuit, viros peritos ad docendum præmiis & beneficiis inuitauit, vt patet ex hac Epiſtola cuiuſdam Herberti, vt videtur ad Hilarium Aurelianenſem, magnæ tum famæ & exiſtimationis virum, quem tunc alibi docentem ad ſcholas Andegauenſes reuocare conatur propoſitis eorum exemplis, quos Vlgerius Epiſcopus ex ſchola ad dignitates Eccleſiaſticas promouerat. Eſt autem Epiſtola ciuſmodi.

Hilario Aurelianenſi clariſsimo & fideliſsimo ſuo Her. vtique ſuus, vita peccator, habitu reus, ſic temporalem ſapientiam adminiſtrare, vt de cœleſti fonte ſapientiæ valeat haurire. Iam ſatis fili mi, ſuperque ſatis præſentiam tuam deſideraumus: iam diu abſentiam tuam paſſi ſumus. Celeriter igitur, fili mi, velle noſtrum adimplens remea, & ciuitatem noſtram quæ deſiderio tui languet, adueniens recrea. Quanticunque enim Clerici nobiles & diuites, glorioſi & potentes Andegauis conueniant, tu tamen vnus, cuius præſentia ſtudium illorum decoraret, per abſentiam tuam illud vilificas. Cuicunque Magiſtro ſeu Vaſleto, ſeu Gordoni ſeu Ranulfo, ſed Eutebuo, ipſi adhæſerint, te tamen quaſi intet cæteros florem expoſtulant. A te audire geſtiunt, quod à te percipiunt, pro munimento & authoritate deferunt. Cæteri namque vel ſcientiæ ſunt minoris, vel linguæ impeditioris. Tu autem Dei gratia & in litteris plurimum vales, & eadem gratia quam interius noſti lingua interprete ad intelligentiam profers; de cuiuſmodi bono Quidam ſic ait. *Facundia Dei donum eſt, quando quis quod commodè intelligit, commodè poteſt proloqui.* Quæ autem de te perhibui, ex illis qui ad me veniunt, multotiens audiui. Quanti te faciat D. Andegauenſis, recordare: & girouagatione tua intermiſſa tandem ad nos reuertere. Attende quoque quia M. Vlgerius bonos Clericos magnipendit, & ſi vnquam eos retinere poteſt, amplis ipſos honoribus extollit. Bœmundum Archidiaconum, Vaſletum Magiſtrum Scholarum, Radulfum & Petrum Canonicos tibi in exemplum afferas. Quos omnes præfati Epiſcopi ad ſummos honores extulit benignitas. Nolo tamen vt **ſcholam tuam turpiter & ante tempus deſeras; imo vſque ad Pentecoſtem more** boni & ſtabilis Magiſtri obtineas. Clericos tuos non tantum litteris, ſed etiam moribus inſtrue & ne turpis fama de ſchola tua exeat, Scholarium licentiam retunde: Quid Radulfo apud Caſtellum Gunterii acciderit, vides, & ne ſimile quid incurras, vigilanter attende. Mea paruitas ipſum qui fons eſt bonitatis frequenter exorat, vt te & tuos ab omni infamia & turpitudine cuſtodiat. Valete.

Legitur hæc Epiſtola tom. 4. Hiſtoriæ Quercetanæ: & ex ea euidenter colligimus ſcholas Andegauenſes tunc temporis nobilium & diuitum ſcholaſticorum frequentia abundaſſe. Quas & ipſe Vlgerius diu rexerat. Fuit enim Scholaſticus ſeu Cancellarius Eccleſiæ; deinde Archidiaconus Tranſligerenſis, poſtremo electus Epiſcopus anno 1124. vel. an. 1125. cuius meminit Ordericus Vitalis l. 12. his verbis. *Poſt Rainaldum Andegauorum Epiſcopum Eccleſiæ regimen Vlgerius*

ſuſcepit, cuius vita & religione & ſcientiâ collucens populis lumen veritatis ſuggerit. Accuſatus fuit apud Lucium Pontificem, quod contra Canones Altarium Redemptionem exigeret. Nam vt ſcribit doctiſſimus Sirmundus in Notis ad Gaufridum Vindocinenſem ſuper Ep. ad Vlgerium ſcriptam, cum nonnulli Eccleſias vel à ſe conditas vel iuris ſui Monaſteriis offerent, vt in eorum eſſent poteſtate, quod fieri nequibat abſque Epiſcoporum conſenſu, quandoquidem Iure Canonum Eccleſiæ omnes in Epiſcoporum ſunt ordinatione & poteſtate, Epiſcopi nonnunquam Eccleſias Monachis hac lege permittebant, vt ſtatis annis quotieſcunque illorum Vicarii mutarentur, certam pecuniam Epiſcopo penderent, quæ *Altarium Redemptio* dicebatur. Hanc vt nefariam & Simoniacam prohibuit Vrbanus II. in Synodo Claromontana. At fuerunt nihilominus deinde Epiſcopi, qui pro illa Redemptione multorum annorum, annui cenſus penſitationem exigerent. Quo in numero fuerunt Iuo Carnotenſis, Ranulfus Santonenſis & Vlgerius Andegauenſis, quos eo nomine redarguit Paſchalis II. Decretum illo quod ad calcem obſeruationum exhibet Sirmondus.

Extant quædam Vlgerij ad Lucium Papam Epiſtolæ, ex quibus intelligitur aliunde fuiſſe ſibi notum illum Pontificem: teſtatur quoque ſe valde ſenem & infirmum eo tempore fuiſſe, ac proinde ſe non poſſe Romam proficiſci, ſuo verò loco & vice Peloguinum Officialem mittit. *Impediente infirmitate mea & ſenectute ad vos, Chariſſime Domine, venire non ſufficio.* Eundem Bernardus Clare-Vallenſis Ep. 200. acriter increpat, quod aduerſus Abbatiſſam Fontiſ-Ebraldi de Iuriſdictione litigaret. *Non verebor ætatem, dignitate non terrebor, non cunctabor ad nomen grande Magiſtri Vlgerij: nam quò grandius ſcandalum, ſeniorem increpabo, Epiſcopum arguam, Magiſtrum conabor docere, conſilium dare ſapienti.*

Controuerſia iſta quæ videtur fuiſſe de primitiis Conuentus Logiarum Fontebraldenſis Ordinis, mota fuerat ante an. 1119. Tuncque Vlgerius erat Archidiaconus Andegauenſis: eadem delata fuerat ad Curiam Rom. & in eam extat Bulla Innocentij data Laterani Nonis Iul. quâ ait ſe Gaufrido Carnotenſi Epiſcopo & Apoſtolicæ ſedis Legato dediſſe in mandatis, vti Petronillam Abbatiſſam & totum Conuentum Sanctimonialium ab iniuriis & vexationibus Vlgerij vindicaret. Extat & in Notis Ioannis Picardi Canonici San Victorini ad Ep. 200. D. Bernardi fragmentum Epiſtolæ Guillelmi Guadradi Filij Baronis de Ionſaco Epiſcopi Santonenſis, quâ eum vt Magiſtrum ſuum in opem auxiliumque depoſcit. *Vlgerio D. G. Andegauenſium Epiſcopo Domino atque Magiſtro ſuo Guillelmus Santonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſic tranſire per temporalia, vt non amittas æterna. Quoniam apud omnes & præ omnibus Vos vt Magiſtrum & Dominum meum diligo: idcirco in meis maximis neceſſitatibus ad vos confugio.* & ſub finem. *Aurem itaque benignitatis precibus meis accommodate & ad veſtrum Clericum abſque omni dilatione feſtinate.*

Idem Picardus duos commemorat Vlgerios vnum Epiſcopum; alterum ſub eo Magiſtrum Scholarum, hunc que illi ſucceſſiſſe ſcribit & confirmat ex eiuſdem Epiſtola ad Hilarium Amicum, quæ talis eſt. *Vlgerius D. Gr. Magiſter Scholarum Andegauenſis Eccleſiæ Hilario dilectiſſimo... Me ſiquidem diutinâ paupertate laborantem & onus penuriæ meæ vtcumque ſuſtentantem tandem Diuina miſericordia reſpexit, qui Magiſterium Scholarum B. Mauricij per D. Vlgerium Epiſcopum mihi benignè contulit. Vos autem ſcitis, quanta ſit Dignitas illius honoris, & quantus ſit reditus, minimè ignoratis.* Verum vt vt ſit de duplici Vlgerio, vnus tantùm videtur fuiſſe Epiſcopus ab anno circiter 1129. ad an. 1149. cui ſucceſſit Normanus de *Doué*.

Extat eiuſdem Lucij Epiſtola ad Canonicos San Genouefianos tum adhuc ſeculares, vt permitterent San-Victorinis liberè frui præbenda quam in eorum Eccleſia obtinuerant: ſic enim habet.

» Lucius Epiſcopus S.S.D. Dilectis filiis Canonici S. Genouefæ Sal. & Apoſtol.
» benedictionem. Eccleſia B. Victoris per gratiam in Religione & honeſtate proficit: & Ordo Canonicus qui ab ipſis Apoſtolis principium habuiſſe dignoſcitur, in
» ea obſeruatur, vnde per Apoſtolica ſcripta veſtram rogamus Vniuerſitatem, quatenus pro B. Petri & noſtra reuerentia Fratres ibidem Domino ſeruientes diligatis & honoretis, & in diuiſione Præbendarum veſtrarum, Præbendam quæ in veſtra Eccleſia illis conceſſa eſt, eos integrè & ſine diminutione habere faciatis:
» nequaquam enim propter Religionem inter minores, ſed potius inter maiores

ſuam debent accipere portionem. Datum Laterani IX. Kal. Iun. Hinc intelligitur Canonicos San-Genouefianos non facilè admiſiſſe in ſuum conſortium San-Victorinos, propterea quod iſti regulares, illi ſeculares eſſent.

Eodem anno 4. id. Iunij obiit Henricus cognomnto Aper, Archiepiſcopus Senonenſis ex illuſtri Gente Dominorum *de Boiſrogne* in Lodunenſi pago. Electus fuerat ann. 1122. ex Canonico Senonenſi. Vir magnæ famæ & authoritatis, in habitu actuque ſeculari honoratus, fidelis & Regiæ Maieſtati familiaris, inquit Bernardus Ep. ad Honorium Papam. Ab Innocentio II. à ſacris ſuſpenſus eſt, propterea quod in nuptiis Archembaldi de Soliaco & Mathildis Balgenciacenſis, cum obiiceretur conſanguinitas, neglecta Archembaldi ad Curiam Rom. appellatione, de parentela quæ proponebatur, teſtium iuramenta accepiſſet: vt legitur in Bulla Innocentij ad ipſum data. Ei autem ſucceſſit Hugo *de Toucy* ex Præcentore Senonenſis Eccleſiæ, frater Guillelmi Antiſſiodorenſis Epiſcopi.

Lucio adhuc ſedente capta eſt & euerſa Edeſſa Ciuitas à Turcis, Chriſtianis interim dormitantibus. Hinc autem arripuit Bernardus Clare-Vallenſis occaſionem concionandi Cruciadam: ac proinde reconciliare conatus eſt Principes Regnorum, vt vnanimiter ad expulſionem Turcarum conſpirarent, qua de re dicemus ad an. ſequentem. Imprimis verò eo mediante ſimultas, quæ inter Regem Ludouicum & Comitem Theobaldum incanduerat, ſopita eſt, vt ait Vincentius Bellouacus.

Porro Lucius poſt quinque menſes Prælationis obiit ſummo omnium bonorum dolore, eique ſucceſſit Bernardus Piſanus, qui ſe Eugenium III. appellari voluit. Id autem diuino quodam beneplacito accidit: nam cum poſt mortem Lucij non conuenirent inter ſe Cardinales, quem è ſuo numero deligerent, omnes tandem vnanimi conſenſu aſſumpſerunt Bernardum è Monacho Clare-Vallenſi & Bernardi Abbatis Diſcipulo S. Anaſtaſij extra Romam Abbatem, virum pium & ſanctum: quod quidem cœnobium paulo antè Innocentius II. inſtituerat. De hac electione extat Bernardi Clare-vallenſis ad Curiam Rom. Ep. 235 & ad ipſum Eugenium Ep. 237. congratulatoria. Is autem anno tantum 1145. ſedere cœpit. Verum hic hærebit aliquis in nomine, nam non conſtat, an iſte ſit M. Bernardus Piſanus quondam Academiæ Pariſienſis Profeſſor, qui præpoſitus fuit M. Petri Comeſtoris; an alius. Ratio difficultatis petitur ex verbis Petri Cardinalis Sancti Chryſogoni ad Alexandrum III. ad quem ſic ſcribit de M. Petro Comeſtore. *Litteraturam & honeſtatem M. Petri Manducatoris Decani Trecenſis vos non credimus ignorare. Magiſter autem Bernardus Piſanus quondam præpoſitus eius, tantæ litteraturæ eſt, & ita honeſtè & laudabiliter eſt ſemper in illis partibus conuerſatus, quod ab omnibus ſufficiens teſtimonium perhibetur, & maximis honoribus dignißimus reputatur.* Certè ex his verbis nihil aliud videtur poſſe intelligi, quàm tunc M. Bernardum Piſanum Alexandro fuiſſe commendatum, atque adeo poſt mortem Eugenij & aliorum Pontificum qui Alexandrum præceſſerunt: vnde fit, vt non poſſit eſſe Bernardus iſte qui Eugenius III. appellatus eſt. Alij volunt per parentheſim verba iſta legi (*Magiſter autem Bernardus Piſanus quondam præpoſitus eius*) ſicq; facile eſſe illa cum verbis Teulfi in Chronico Mauriniacenſi conciliare qui ſic habet. *Lucii ſucceſſionem obtinuit Eugenius, qui & Bernardus Piſanus tunc temporis Clare-Vallenſis Monachus, vir continentißimæ conuerſationis & vitæ.* Nam hic ſenſus erit verborum Cardinalis S. Chryſogoni, quod inquiunt commendet Alexandro M. Petrum Comeſtorem, & ex eo quòd litteratus eſſet, & quòd olim diſcipulus fuiſſet Bernardi Piſani, antequam Monachus fieret Clare-Vallenſis & ad Papatum promoueretur. Verum *Præpoſiti* nomen hoc ſeculo aliud ſignificabat, vt dicemus in ſynopſi.

Porro hic Pontifex multa paſſus eſt à Romanis initio ſui Pontificatus, qui fuit an. 1145. multa quoque paſſi Cardinales conſilio turbulento Arnoldi de Brixia, fauore Ciuium in vrbem intruſi: quâ de re ſic Otho Friſinghenſis l. 2 de Geſtis Friderici c. 20. *Circa principia Pontificatus Eugeny peſtifer Arnoldus vrbem ingreſſus, cumeam contra Pontificem ſuum in ſeditionem excitata inueniſſet, viri ſapientis haud ſectatus conſilium de huiuſmodi dicentis*, Nec in eius ignem ligna ſtruas, *amplius eam in ſeditionem excitauit, proponens Antiquorum Romanorum exempla, qui ex Senatus maturitatis conſulto & ex Iuuenum animorum fortitudinis ordine & integritate totum Orbem terræ ſuum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renouandam dignitatem*

Senatoriam, reformandum Equeſtrem Ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione vrbis ad Romanum ſpectare Pontificem. Sufficere ſibi Eccleſiaſticum Iudicium habere. In tantum verò huius venenoſæ Doctrinæ cæpit inualeſcere malum, vt non ſolum Nobilium Romanorum ipſis videlicet aduerſantium, ſed Cardinalium diruerentur Domus & ſplendida Palatia, verum etiam de Cardinalibus Reuerendæ perſonæ inhoneſtè ſauciatis quibuſdam à furenti plebe tractarentur. Eadem de re ſic Ligurinus.

Aſt vbi de medio ſublato Præſule ſummo
Eugenius ſacræ ſuſcepit iura Cathedræ,
Ille Petri ſolidam cupiens conuellere Petram,
Vt caput infirmum per cætera membra dolorem
Diffundit, Romana Petri temerarius auſu
Mœnia ſacrilego, totamque nefarius vrbem
Inſicit impuri corruptam ſemine verbi,
Et populi tantas in Clerum concitat iras,
Vt penitus nullum ſummo deferret honorem
Pontifici, Clerumque odio vexaret iniquo.
Et ſi quis, cui mens æqui reuerentior eſſet,
Et meliora pio flagrarent viſcera voto,
Forte refragari ſeu diſſuadere furorem
Auſus erat, ſeſeque nouis opponere Monſtris,
Omnibus creptis, ſubuersa funditus æde,
Corporis afflictu, ſeu tandem ſanguine fuſo
Clericus, aut etiam Popularis facta luebat.
Quin etiam titulos vrbis renouare vetuſtos,
Patricios recreare viros, priſcoſque Quirites
Nomine plebeio ſecernere, nomen Equeſtre,
Iura Tribunorum, ſanctum reparare Senatum,
Et ſenio feſſas mutaſque reponere leges,
Lapſa ruinoſis & adhuc pendentia muris
Reddere primæuo Capitolia priſca nitori.
Conſiliis armiſque ſuæ moderamina ſummæ
Arbitrio tractare ſuo, nil iuris in hac re
Pontifici ſummo, modicum concedere Regi
Suadebat populo. Sic læſa ſtultus vtraque
Maieſtate reum geminâ ſe fecerat aulâ.

Dùm Arnoldus omnia miſcet Romæ, Henricus olim Monachus tunc de Monacho factus apoſtata in agro Toloſano hæreſes ſpargit impune, Petrique Bruſij Hæreſiarchæ errores tuetur eo audacius, quò ſe Hildefonſi Comitis de S. Ægidio peritiori gratia ſuffultum ſentit, quem nempe falsâ pietatis ſpecie deceperat. De hoc hæretico dicemus infra.

Eodem anno circa feſta Paſchalia habita ſunt apud Vezeliacum in Burgundia Comitia pro expeditione Hieroſolymitana contra Turcas, quibus malè ſcribunt aliqui Eugenium præſediſſe; nondum enim hoc anno in Franciam venerat; ſed in iis poſt Concionem à D. Bernardo fortiter & verè Chriſtianè prolatam Ludouicus Rex & Regina ab eo Crucem acceperunt, & coram omnibus ſacram militiam profeſſi ſunt. Quod à Rege ideo factum referunt, vt Vitriacenſis incendii culpam expiaret. In eam verò rem dicitur quoque Rex omnes Proceres hac oratione excitaſſe, quæ legitur in Chronico Mauriniacenſi.

» Magnum dedecus nobis emerget, ſi exprobrare cœperit Philiſthæus familiæ
» Dauid, ſi poſſidere cœperit Gens Dæmoniaca, quæ Gens cultui Domini dedi-
» ta tempore longo obtinuit. Si canes mortui viuidam probitatem deluſerint,
» maximèque Francorum, quorum virtus etiam inter vincula libera fuit: quæ in
« quantalibet neceſſitate arctata contumeliam etiam illatam pati non potuit, quæ
» amicis in tempore opportuno adiutorium promptè tulit, inimicos etiam poſt
» mortem perſequi non ceſſauit. Non inſoleſcat igitur ipſa virtus, ſed amicos Dei
» & Noſtros, tranſmarinos ſcilicet Chriſtianos ſubuentu virtuoſo releuet; inimi-

cos

cos autem viles, nec etiam hominum nomine dignos graui perſecutione deturbet. Eamus viri virtutis, reſiſtamus Idolorum cultoribus, proficiſcamur ad loca quæ Dei hominis pedibus calcata olim fuiſſe cognoſcimus, in quibus etiam paſſus eſt, quæ eius præſentia & corporali viſitatione digna fuerunt. Exurget autem Deus nobiſcum & diſſipabuntur inimici eius, & fugient qui oderunt eum à facie noſtra. Confundentur, inquam, & conuertentur retrorſum omnes qui oderunt Sion; ſi viriliter egerit probitas noſtra, & à Deo non receſſerit confidentia noſtra, magnam ſuper hoc ſcitote iam mihi deuotionem incumbere. Vnde & vos obnixè deprecor, vt meam ſtudeatis voluntatem veſtro comitatu & auxilio roborare.

Hac Regis oratione & exemplo excitati complures crucem aſſumpſerunt: ex Epiſcopis Simon Nouiomenſis, Godefridus Lingonenſis, Arnulfus Lexouienſis, Aluinus ſeu Aluiſus Atrebatenſis. Ex optimatibus Robertus frater Regis, Henricus Comes Meldenſis, Guill. de Cortiniaco, Theodoricus Comes Flandriæ & alij plurimi.

In apparatu autem & profectione illa adornanda conſumptus eſt annus & eo plus. Interim vero vt plures ad ſacrum illud iter arripiendum inuitarentur, vbique paſſim factæ ſunt ſacræ ad populum conciones, indulgentiæ promulgatæ, tam in eorum qui profecturi eſſent ſalutare commodum, quàm in eorum qui de ſuis bonis ad profectionem iſtam ſeu bellum ſacrum conferrent. Ad eam quoque rem promouendam aduenerunt milites ſacri Templi, qui miſerrimum Chriſtianorum ſub Imperio & iugo Turcarum & Sarracenorum ſtatum repræſentarunt, vt ad opem ferendam populum accenderent. Extat Vlgerii Epiſcopi Andegauenſis ad ſuos archipreſbyteros Epiſtola de Templariis eiuſmodi.

Vlgerius Andegauis indignè dictus Epiſcopus Archipreſbyteris, Archidiaconis, Prioribus, Preſbyteris, & omni clero in Andegauenſi Epiſcopatu conſtitutis, vitâ quæ finem beatitudinis neſcit. Mandamus vobis atque rogamus & ſupplicamus, quatinus hos fratres noſtros, cum ad vos venerint benignè & affectuosè ſuſcipiatis, & Eccleſias ad prædicandum eis exponatis, & corda veſtrorum Parochianorum ad impendēdas eis elemoſynas ſuas largiſſimè inclinetis. Iſti enim ſunt Nuntij & Officiales & Commilitones Militantium Chriſto in ſacro-ſancto Templo Domini Hieruſalem, quorum militia ſine dubio vera eſt & Deo gratiſſima. Quæ abiectis ſecularibus deſideriis, videlicet gaudiis nuptiarum & omnimoda voluptate, & expers proprietatis profeſſa arduam religionem ut æternam conſequatur beatitudinem contra hoſtes Dei qui ſanctam ciuitatem Hieruſalem & alias orientales perſequuntur, pugnare elegerunt, nec dubitant dare animas & fundere ſanguinem, dum deleant & exterminent Gentiles impios à ſanctiſſimis locis quos Dominus elegit natiuitati & paſſioni ſuæ & conuerſationi. Nos vero cupientes participes eſſe eorum beatitudinis & ſortis, concedimus, vt ſi Eccleſiæ ſint interdictæ ad quas illi tendent, in aduentu eorum ſolemniter pulſatis ſignis celebretur Diuinum Officium in ipſis, admiſſis omnibus Parochianis, exceptis excommunicatis. Et ſi qui ſint fratres eorum, qui ſignum vel habitum aut vitam eorum habeant, ea vice, ſi mortui ſint, ſepeliantur. Hos diligit & amplectitur Papa Romanus & tota Rom. Eccleſia & omnes qui Deum amant. Omnibus vero qui ſua beneficia eis porrexerint, quintam partem pœnitentiæ peccatorum quæ confeſſi fuerint, relaxamus. Valete.

Cæterum huicce expeditioni Rex adeo incubuit, vt ex quo Crucem accepit, annum & amplius geſtauerit donec profectus eſt circa feſtum Pentecoſtes an. 1146. Pontius vero Abbas Vezeliacenſis ad perpetuam ſancti huius propoſiti memoriam & reuerentiam Crucis Chriſti Eccleſiam in honorem ſanctæ Crucis conſtruxit, in qua deinde Chriſtus multa miracula operatus eſt.

Extat etiam pulcherrima & elegans Petri Cluniacenſis ad commendationem Ludouici Regis Epiſtola, qua licet cauſetur ſe cum aliis ad ſacrum bellum proficiſci non poſſe, mirificè tamen Regis fortitudinem & pietatem extollit, eique ampliſſimam de Chriſtiani nominis hoſtibus victoriam & ſpolia opima pollicetur. Eſt autem eiuſmodi.

Illuſtri ac magnifico Principi D. Ludouico Glorioſo Regi Francorum Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas feliciter hic regnare Regemque Regum in Regno ac decore ſuo videre. *Epiſt. Petri Cluniacenſis ad Reg.*

„ Licet Regis æterni militiam, quam per te Regem terrenum contra inimicos
„ Crucis armare diſpoſuit, ad peregrina euntem comitari non valeam, deuotione
„ tamen, oratione, conſilio & auxilio quali quantoue potero, proſequi concupiſco.
„ Nec mirum, quis enim vel vltimus Chriſtiano nomine inſignitus ad tantam tam-
„ que ſtupendam exercitus Domini ſabaoth commotionem non moueatur? quis ad
„ iuuandam pro modulo ſuo totis animi conatibus cœleſtem expeditionem non
„ accingatur? Renouãtur iam noſtro tempore antiqua ſecula, & in diebus nouæ gra-
„ tiæ vetuſti populi miracula reparantur. Proceſſit de Ægypto Moyſes, Regeſque
„ Amorrhæorum cum ſubiectis populis deleuit. Succeſſit ei Ioſue, Reges Chana-
„ næorum cum infinitis Gentibus Dei iuſſu proſtrauit, terramque illam extinctis
„ Impiis illis tunc Dei populo ſorte diuiſit. Egrediens ab vltimis occiduæ plagæ fi-
„ nibus, imo ab ipſo ſolis occaſu Rex Chriſtianus orienti minatur, & nefandam Ara-
„ bum vel Perſarum Gentem, ſanctam Terram rurſum ſibi ſubiungere conantem
„ Cruce Chriſti armatus aggreditur. Magni quidem & vitæ ſanctitate modernos
„ Principes ſuperantes emtuerunt illi Principes Iudæorum: non tamen modo quo-
„ dam potiores, immo fortaſſis inferiores videntur hoc Rege Chriſtianorum. De-
„ lent illi iuſſu Dei vi bellica profanos populos: terraſque eorum vindicant Deo ac
„ ſibi. Delebit & iſte nutu iuſſuque eiuſdem Dei hoſtes veræ fidei Sarracenos, ter-
„ raſque eorum ſubiugare laborabit Deo non ſibi. Implent illi præcepta Diuina, ſpe-
„ que terrenæ mercedis ex quadam parte militaribus rebus inſudant. Exponit iſte
„ & immolat Deo Regnum, opes vitamque ipſam, non vt aliquid terreni Rex ma-
„ gnus in mundo lucretur, ſed vt poſt mortalis Regni defectum à Rege Regum
„ honore & gloria coronetur. Non deſtituet ergo certa ſublimiſque victoria Regem
„ magiſque cœleſtibus quam terrenis armis munitum, nec exercitui Dei viuentis
„ quantalibet Orientalis barbaries reſiſtere præualebit. Quis enim eis reſiſtere poſ-
„ ſit, qui honores, qui diuitias, qui voluptates, qui ipſam cum parentibus pa-
„ triam etſi omnino relinquentes Chriſtum ſuum ſequi, ipſi laborare, ipſi pugna-
„ re, ipſi mori, ipſi viuere elegerunt; quis inquam poteſt illius exercitui obſiſtere in
„ terra qui dicit de ſeipſo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra?* Quam po-
„ teſtatem licet in homine, quem cauſa hominum ſuſcepit, à Deo acceperit, hanc
„ tamen ab æterno vt Deus verus habuit.

„ Sed quid proderit inimicos Chriſtianæ ſpei in exteris aut remotis finibus inſequi
„ ac perſequi, ſi nequam blaſphemi longè Sarracenis deteriores Iudæi non longè à
„ nobis, ſed in medio noſtri tam liberè, tam audacter Chriſtum, cunctaq; Chriſtiana
„ ſacramenta impune blaſphemauerint, conculcauerint, deturpauerint. Quomo-
„ do zelus Dei comedet filios Dei, ſi ſic prorſus intacti euaſerint ſummi Chriſti ac
„ Chriſtianorum inimici Iudæi? An excidit à mente Regis Chriſtianorum quod
„ olim dictum eſt à quodam Rege Iudæorũ? *Nonne*, ait, *qui oderunt te Domine oderam*
„ *& ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderã illos.* Si deteſtandi ſunt Sarraceni,
„ quia quamuis Chriſtum de Virgine vt nos natum fateantur, multaque de ipſo no-
„ biſcum ſentiant, tamen Deum Deique filium quod maius eſt, negant, mortem-
„ que ipſius ac reſurrectionem in quibus tota ſumma ſalutis noſtræ eſt, diffitentur;
„ quantum execrandi & odio habendi ſunt **Iudæi, qui nihil prorſus de Chriſto vel**
„ fide Chriſtiana ſentientes, ipſum Virgineum partum cunctaque Redemptionis
„ humanæ ſacramenta abiiciunt, blaſphemant, ſubſannant? Nec ad hoc iſta dico, vt
„ Regalem vel Chriſtianum gladium in necem nefandorum illorum exacuam,
„ quia ſcriptum eſſe de eis in pſalmo diuino recolo, loquente ſic in ſpiritu Dei pro-
„ pheta. *Deus*, inquit, *oſtenat mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos.* Non vult
„ enim Deus prorſus occidi, non omnino extingui, ſed ad maius tormentũ & maio-
„ remignominiam, vt Fratricidam Caïn vitâ morte deteriore ſeruari. Nam cum Caïn
„ poſt fraterni ſanguinis effuſionem Deo diceret *Omnis qui inuenerit me, occidet*
„ *me*, dictum eſt ei, *Non* inquit Deus, *vt æſtimas, morte morieris, ſed gemens & pro-*
„ *fugus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de* „ *manu tua.*
„ Sic de damnatis damnandiſque Iudæis ab ipſo paſſionis mortiſque Chriſti tempo-
„ re iuſtiſſima Dei ſeueritas facit & vſque ad ipſius mundi terminũ factura eſt. Qui
„ quoniam Chriſti ſanguinem utique iuxta carnem fratris ſui fuderunt, ſerui, mi-
„ ſeri, timidi, gementes ac profugi ſunt ſuper terram, quo vſque iuxta Prophetam
„ miſeræ gentis reliquiæ iam vocatâ gentium plenitudine conuertantur ad Deum

& ſic ſecundum Apoſtolum omnis Iſrael ſaluus fiat. Non inquam, vt occidantur admoneo, ſed vt congruente nequitiæ ſuæ modo puniantur, exhortor. Et quis congruentior ad puniendos illos impios modus, quam ille quo & damnatur iniquitas & adiuuaretur charitas? quid iuſtius quam vt his quæ fraudulenter lucrati ſunt, deſtituantur, quæ nequiter furati ſunt; vt furibus, & quod peius eſt huc vſque audacibus & impunitis auferantur?

Quod loquor, omnibus notum eſt. Non enim de ſimplici agricultura, non de legali militia, non de quolibet honeſto & vtili officio horrea ſua frugibus, cellaria vino, marſupia nummis, arcas auro ſiue argento cumulant: quantum de his quæ vt dixi, Chriſticolis doloſè ſubtrahunt, de his quæ furtim à furibus empta vili pretio res chariſſimas comparant, ſi fur nocturnus Chriſti thuribula, ipſas etiam ſacras cruces, vel conſecratos Calices as portauerit, cum Chriſtianos fugiat, ad Iudæos confugit, & apud eos damnabili ſecuritate ſecurus non ſolum latibula fouet, ſed & quæ ſacris Eccleſiis furatus fuerit, ſathanæ ſynagogis vendit. Diſtrahit vaſa corporis ac ſanguinis Chriſti, Occiſoribus corporis & effuſoribus ſanguinis Chriſti, qui & tunc eum inter mortales conuerſantem quantis poterant contumeliis & iniuriis affecerunt, & nunc in Maieſtate Diuinitatis æternæ ſedentem quantis audent verborum blaſphemiis laceſſere non deſiſtunt. Nec ſacra illa vaſa quæ penes ipſos, ſicut olim penes Chaldæos, modo quo prædixi captiua tenentur, licet ſint inſenſibilia, iniuriarum expertia ſunt. Sentit planè in his quæ nõ ſentiunt tibi ſacratis vaſis Iudaicas adhuc contumelias Chriſtus. Quia vt ſæpe à veracibus viris audiui, eis vſibus cœleſtia illa vaſa ad eiuſdem Chriſti noſtrumq; dedecus nefandi illi applicant, quos horrendũ eſt cogitare & deteſtandum dicere. Inſuper vt tam nefarium furtum Iudæorumque commercium tutius eſſet, lex iam vetuſta ſed verè Diabolica ab ipſis Chriſtianis Principibus proceſſit, vt ſi res Eccleſiaſtica, vel quod deterius, aliquod ſacrum vas apud Iudæum repertum fuerit, nec rem ſacrilego furto poſſeſſam reddere, nec nequam furem Iudæus prodere compellatur. Manet inultum ſcelus deteſtabile in Iudæo, quod horrenda morte ſuſpendit punitur in Chriſtiano. Pingueſcit inde & deliciis affluit Iudæus, vnde laqueo ſuſpenditur Chriſtianus. Auferatur ergo, vel ex maxima parte imminuatur Iudaicarum diuitiarum malè parta pinguedo & Chriſtianus exercitus, qui vt Sarracenos expugnet, pecuniis vel terris propriis Chriſti Domini ſui amore non parcit, Iudæorum theſauris tam peſſimè acquiſitis non parcat. Reſeruetur eis vita, auferatur pecunia, vt per dextras Chriſtianorum adiutas pecuniis blaſphemantium Iudæorum expugnetur Infidelium audacia Sarracenorum.

Anno igitur 1146. Rex Ludouicus cum coniuge ſua ad bellum ſacrum profectus eſt: antequam vero proficiſceretur Comitia Regni Gallicani apud Stampas habuit, ibique Regni cuſtodiam & adminiſtrationem Sugerio tradidit & Radulfo Viromanduenſium Comiti: Sugerio, inquam, viro vt legitur in Chronico Mauriniacenſi, *in ſecularium cauſarum diſpenſatione nulli ſecundo, titulo vero ſcientiæ litteralis præclaro.* Opportunè quoque ad ſuſcepti belli promotionem aduenit in Franciam Eugenius Pontifex exul & expulſus à Romanis, atque à Rege per quam honorificè exceptus eſt, à Theobaldo Epiſcopo & ab Academia Pariſienſi. 1146.

Verum cum B. Genouefæ Baſilicam Eugenius & Ludouicus aliqua die inuiſerent, inter ſeruos Pontificis & ſeruos Canonicorũ, qui tunc adhuc ſeculares erant, ſed ob fundationem Regiam ſuperbiores, orta eſt rixa quædam præſente etiam Rege, adeo vt ipſe in turba percuſſus fuerit. Quam ob rem adeo indignatus eſt, vt de expellendis Canonicis conſilium agitarit; remque perfeciſſet, ſi per temporis breuitatem licuiſſet. At eo ad ſacrum bellum profecto ipſa hebdomadâ Pentecoſtes Eugenius & Sugerius prout à Rege mandatum acceperat, negotium planè confecerunt, introductis in locum expulſorum San-Victorinis Regularibus. Qua de re ſic legitur in vita Vuillielmi Abbatis Roſchildenſis in Dania ab eius Diſcipulo conſcripta apud Surium tom. 2. *Tumultus in ade San. Genouefiana.*

Accidit vt Eugenius Pontifex ſeſe in Gallias conferret. Cumque Lutetiæ appropinquaret, Ludouicus Rex & Pariſienſis Epiſcopus cum multa Cleri populiquefrequentia ei obuiam procedentes illum honorificè exceperunt, atque ad

« beatiſſimæ Mariæ Virginis Eccleſiam cum ingenti gaudio deduxerunt. Paucis in-
« de elapſis diebus voluit idem Pontifex in Eccleſia B. Genouefæ Diuina myſteria
« peragere, quia Apoſtolica dicebatur. Vbi eo ventum eſt, orta eſt contentio inter
« ſummi Pontificis & huius Eccleſiæ Canonicorum miniſtros, adeo vt ad pugnos
« res proceſſerit, & non ſolum Pontificis Miniſtri ſed etiam ipſe Rex Ludouicus,
» qui eos compeſcere voluit, à Canonicorum illorum famulis verberatus ſit. Tan-
« ta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex cum Ludouico Rege tracta-
« uit de improborum hominum inſolentia dignè caſtiganda. Viſumeſt autem in eo-
« rum locum alios ſubrogare homines Religioſos, nempe illos Monachos quos Ni-
« gros vocant, neque tamen Canonicos illos per vim ſuis præbendis ſiue ſacerdo-
« tiis priuare volebant, erant enim inter eos non pauci nobiles & Litterati; ſed per-
« mittere vt illis, quoad viuerent, fruerentur. Verum vbi iſtud Pontificis & Re-
« gis propoſitum ad aures Abbatis S. Victoris perlatum eſt, Pontifici & Regi valde
« ſupplices preces obtulit, vt Ordinis S. Auguſtini profeſſores in eam Eccleſiam
« introducerentur, multiſque oſtendit rationibus contumaces illos facilius ad ho-
« rum vitam Regularem, quam ad Monachorum habitum & conſuetudinem tra-
» ductum iri. Pontifex & Rex his auditis, cum iam exploratam haberent bonam
» famam illius Abbatis & fratrumeius, eorumque inſtitutum præ multis aliis præ-
» dicari non neſcirent, Domum quoque S. Victoris ſuauem eximiæ Charitatis de
» ſe odorem ſpargere, Abbatis precibus aſſenſere, atque die ſequenti electus eſt in
» Abbatem Odo Prior homo ſanctæ conuerſationis, atque totius Religionis
» amator indefatigabilis. Adiunctique ſunt ei duodecim Canonici viri pro-
» bi bonæ exiſtimationis, qui in Eccleſia Sanctæ Genouefæ commorantur.
» Atque ex eo tempore vſque in præſens iſtud Canonicorum S. Auguſtini inſtitu-
» tum ea in Eccleſia conſeruatur, ex priuilegio Pontificis Eugenii & Regis Chri-
» ſtianiſſimi Ludouici.

Guillelmus iſte Roſchildenſis vnus eſt è Victorinis, qui cum Odone Magiſtro ad S. Genouefam miſſus eſt: deinde ſub Alberto Odonis Abbatis ſucceſſore cum 3. ſociis poſtulante Rupenſi Epiſcopo Regis Daniæ legato profectus eſt in Daniam, vt ibi collapſum Canonicorum Regularium ordinem reſtitueret. Errat vero author illius vitæ, aiens Abbatem S. Victoris poſtulaſſe à Papa & Rege vt domus Genouefiana ſuis traderetur Canonicis: quinimo rogatus pluries à Sugerio, vt Odonem Priorem ſuum daret in Abbatem, vix ſexorari potuit, vt ex Epiſtola ipſius Sugerij infra patebit. Neque hoc anno mutatio iſta facta eſt, ſed conſilium tantummodo initum: anno vero ſequenti adimpletum.

Radulfus de Diceto & poſt eum Mathæus Pariſienſis ad eundem annum totam illam hiſtoriam breuiter his verbis complectitur. *Eodem tempore in maiore Letania cum Papa Eugenius apud S. Genouefam ſolenni fuiſſet proceſſione receptus*, ſeruientes Clericos Eccleſiæ Domini Papæ ac Miniſtros fuſtrauerunt, & in-
» tra parietes Eccleſiæ eorum ſanguinem effuderunt. In vltionem igitur illius ex-
» ceſſus ſeruientium Eccleſiæ ædificia ſunt ſubuerſa, & expulſis Canonicis ſecula-
» ribus loco eorum Regulares ſunt Canonici introducti. Papa vero inde Remos
» **profectus tenuit ibi Concilium, in quo damnata eſt hæreſis Eudonis Pſeudo-Pro-**
» phetæ, de cuius incantationibus & phantaſiis melius eſt ſilere quàm loqui.

At malè ad hunc annum refert idem author Excommunicationis ſententiam ab Eugenio contra Regem latam, quod Petrum Bituricenſem Archiepiſcopum, de quo ſupra diximus, recipere nollet, nec pateretur in ſede ſuæ Metropoleos ſedere, quem eodem anno ab eodem Pontifice Pariſiis conſecratum fuiſſe aſſerit. Hoc inquam malè, nam Petrus Americi Cardinalis nepos ab Innocentio Romæ an. 1140. aut 1141. non Pariſiis ab Eugenio, conſecratus eſt. Neque Rex ab Eugenio excommunicatus eam ob rem legitur vſpiam alibi: quinimo Rex & qui cum eo profecti ſunt, benedictione Papali accepta iter piæ peregrinationis aggreſſi ſunt, vt habetur in Chronico Mauriniacenſi.

Cæterum peregrinatio iſta quanquam verè pia & neceſſaria fuit omnibus valde oneroſa, quippe vt ait Mathæus *per totam Galliam facta eſt exactio generalis, nec ſexus vel ordo aut dignitas quempiam excuſauit, quin auxilium Regi conferret. Vnde factum eſt eius vt peregrinatio multis imprecationibus proſequeretur.*

Synodus Pariſienſis Eodem anno, vel vt aliqui ſcribunt anno 1147. Idem Pontifex Eugenius Syno-

dum habuit Pariſiis contra Gilbertum Porretanum Pictauienſem Epiſcopum: cum enim illi ex Italia in Franciam venienti occurriſſent Archidiaconi Pictauienſes, Epiſcopumque ſuum hæreſeos inſimulaſſent, totum negotium ad Conuentum Pariſienſem remiſerat, quem ſe celebraturum pollicitus, vt primum potuit, Gilbertum citauit, vt coram Magiſtris Pariſienſibus cauſam ſuam explicaret & ageret. Quis fuerit ille Gilbertus, iam ante diximus, & dicemus adhuc ad an. 1148. Nunc quoniam in Concilii Pariſienſis mentionem incidimus, iuuat ex Gaufrido Clare-Vallenſi Monacho referre, quid ibi factum fuerit. Sic autem ille Ep. ad Cardinalem Albanenſem. *Contra Gilbertum Porretanum.*

Amantiſſimo Patri & Domino A. Dei gratia Albanenſi Epiſcopo D. Papæ vicario Frater Gaufredus de Clara-Valle minimus id quod eſt. Iniunxerat veſtra Paternitas venerabilis Fratri noſtro & veſtro ſpeciali filio Auguſtino, vt de mandato veſtro mihi imponeret vobis per Epiſtolam diligenter notum facere qualiter in Remenſi Concilio, quod D. Papa beatæ memoriæ Eugenius III. celebrauit ſuper quibuſdam capitulis in expoſitione Pictauienſis Epiſcopi M. Gilberti cognomento Porretani deprehenſis & reprehenſis tractatum, quid & quemadmodum tandem fuerit iudicatum. Vnde vobis ſi tardius videor obedire, non miretur veſtra ſerenitas, quoniam ante vigiliam feſtiuitatis omnium ſanctorum verbum aliquod paruum vel grande ſuper hoc non audiui. Eadem die ſtylum & tabulas apprehendens cœpi ſcribere quid optarem vobis, ſi poſſem celerius intimare. Eodem igitur anno quo prædictus Pontifex Eccleſiæ Cathedram ſcandens non mediocrem primo ſtatim auditu flagitioſis intulit metum, & honeſtis omnibus è regione fiduciam, magnus quidam vir & bonorum memoria dignus Arnoldus nomine & cognomine Ridel, qui in Eccleſia Pictauienſi ſub prædicto Epiſcopo Officium Archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, ſed ab eius prædeceſſore promotus: difficile ſiquidem talis arbor fructum eiuſmodi protuliſſet. Accidit autem vt ab eodem Archidiacono ſatis fideli pariter & diſcreto ſuper quibuſdam capitulis fidei familiariter vt credimus, ante commonitus nec acquieſcens in Eccleſia demum palam argueretur. Appellatum denique ad Romanam Eccleſiam & coram prænominato Papa eadem Quæſtio ventilata. Qui in Gallias deſcenſurus vtramque partem ſibi præcepit in ſolemnitate Paſchali Pariſius præſentari. Affluit Beatiſſimus pater noſter S. Bernardus cum eodem Papa in eadem ſolemnitate Pariſius, cui omne negotium Chriſti vbicumque eum contigiſſet adeſſe, tanquam omnino proprium nemine ſuper hoc ambigente protinus incumbebat. Facta eſt inquiſitio ſecundum prædictum Codicem expoſitionis ſuper Boëtium ab eodem Epiſcopo requiſitum, quem ad manus ſe non habere reſpondit. Inuenta eſt tamen apud Scholares particula quædam, vbi inter cætera continebantur hæc verba. *Si homo*, cui diuerſa non conferre vt ſit, dicitur eſſe ſapientia ſua, bonitas ſua & cætera. In hunc modum producta eſt in medium & ſcriptura, & diſputabat S. Bernardus aduerſus Epiſcopum dicens grauc verbum & enorme videri, quo dicebatur diuerſa non conferre Deo vt ſit, quaſi conferat vnum. Illam quoque ſimilitudinem locutionis **emphaticæ procul eſſe à Deo, nec ſicut quilibet hominũ ſapientia ſua dicitur**, ſed verè & ſubſtantiuè dicam eſſe ſapientiam ſuam, eſſentiam ſuam, diuinitatem ſuam, & non quemadmodum Dauus dictus eſt ſcelus. Negabat autẽ Epiſcopus docuiſſe vel credidiſſe aliquando ſe vel litteris commendaſſe, quod *diuinitas noneſſet Deus*, quod forma vel eſſentia eſſet in Deo, quæ non eſſet Deus, & amplius aliquid faciẽs Diſcipulos ſuos Epiſcopũ quendã Ebroicenſẽ generoſum ſatis, Rothomagenſem Archiepiſcopũ poſt futurum Rotholdum nomine & M. Ioannem Carnotenſem teſtes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, inuitus quamuis, vt ſatis tunc animaduertimus, ſed ſuorum ſtimulatione compulſus. Propter verba libelli ſui quæ præmiſimus, & quia aliud alij aſſerebant, iniunxit ei ſummus Pontifex, quatenus ante Concilium, quod eodem anno in Ciuitate Remorum celebrare proponebat, eundem ſibi libellum tranſmitteret ſtudiosè ſcrutandum, & paratus eſſet in eodem Concilio ad obiecta plenius reſpondere. Accidit autem vt expoſitionem illam ſæpe dictus D. Eugenius ab Epiſcopo ſibi directam venerabili cuidam Abbati Præmonſtratenſi Godeſcalco de monte S. Elegii qui poſtmodum factus eſt Atrebatenſis Epiſcopus, traderet perſcrutandam, qui diligenter, vt

pote vir diſertus notauit capitula; & ex libris SS. Catholicorum Patrum authoritates paucas manifeſtè contrarias ſcripſit in ſchedula: quas ad idem Concilium veniens D. Papæ cum Libello Pictauienſis Epiſcopi præſentauit.

Eiuſdem Concilij & Hiſtoriæ meminit Otho Friſinghenſis Author quoque ſynchronus l. 1. de Geſtis Friderici c. 46. *Fuit*, inquit, *illis in diebus in Aquitaniæ Galliæ Ciuitate Pictauis* Epiſcopus Gilbertus nomine. Hic ex eadem Ciuitate oriundus ab adoleſcentia vſque ad vltimam ſenectutem in diuerſis Galliæ locis Philoſophiæ ſtudium colens re & nomine Magiſtri officium adminiſtrarat. Nouiterque ante hos dies ad Pontificale culmen in præfata Ciuitate ſublimatus fuerat, conſuetus ex ingenij ſubtilis magnitudine ac rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cum quadam vice Conuentum de ſua Diœceſi Clericorum magnũ celebrans, Sermoni quem fortè exhortandi gratia habebat, quædam de fide S. Trinitatis, interſereret, à duobus Archidiaconis ſuis Calone & Arnaldo tanquam contra Catholicæ normam Eccleſiæ, doctrinam inſtituens ad ſummi Pontificis Romanæque ſedis examen interpoſita appellatione vocatur. Sic vtrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio ab vrbe in Gallias tendenti Senis Ciuitate Tuſciæ occurrunt.

Quibus Antiſtes Romanus auditis cauſaque viæ cognitâ breuiter reſpondit ſe Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod *propter Litteratorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet*, plenius velle cognoſcere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac conſulto Bernardo ſupra memorato Abbate eum in commodum cauſæ ſuæ aduerſus Epiſcopum inclinant.

Et Cap. 50. Igitur vt ad id à quo diſgreſſa fuit, redeat oratio, prætaxati Archidiaconi adſcito ſibi tantæ authoritatis & æſtimationis viro Abbate Bernardo Epiſcopum Gilbertum eadem qua Petrum Prædictum (Abaelardum) via damnare attentabant. Iſte enim ab adoleſcentia magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubiciens, magiſque illorum ponderi quam ſuo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictauienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad vltimum Anſelmus & Radulphus Laudunenſes germani fratres non leuem ab eis ſed grauem doctrinam hauſerat manu non ſubitò ferulæ ſubducta, & ſcientia haud cenſura morum vitæque grauitate diſcordante, non iocis vel ludicris, ſed ſeriis rebus mentem applicarat. Hinc erat vt tam geſtu quàm voce pondus ſeruans, ſicut in factis ſic & dictis ſe oſtenderet difficilem & nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque primo Antiſſiodorum, poſt Pariſius vocatus eſt. Erant inter cætera quæ illi obiiciebantur de Diuina Maieſtate 4. Capitula.

Quod videlicet aſſereret Diuinam eſſentiam non eſſe Deum.

Quod proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ.

Quod Theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione

Quod Diuina Natura non eſſet incarnata. Et præter hæc alia minora ideſt.

Quod meritum humanũ attenuando nullum mereri diceret præter Chriſtum.

Quod Eccleſiæ ſactamenta euacuando diceret nullum baptizari niſi ſaluandum. Et cætera in hunc modum.

Itaque præſidente Concilio, Pariſienſi Eugenio, conſidentibus plurimis Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & viris Litteratis, adeſſe iuſſus Gilbertus de illis Capitulis reponſurus, productique ſunt contra eum duo Magiſtri, Adam de paruo Ponte vir ſubtilis & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus *recenter factus*, *& M. Hugo de Campoflorido Cancellarius Regis* (qui & Epiſcopus Sueſſionenſis poſtea factus eſt, *aſſentientibus ijs & quaſi ſub ſacramento pollicentibus ſe aliqua ex ijs de proprio eius* ore audiſſe, non ſinè multorum qui aderant admiratione, viros magnos & in ratione diſſerendi exercitatos pro argumento iuramentum afferre.

Et Cap. 52 exponit & profert quas ibidem ad obiecta & interrogata reſponſiones fecerit. *Ibidem*, inquit, cum hinc inde multa ſibi obijcerentur pluriumque impulſionibus ad reſponſionem de re tam ineffabili cogeretur, inter cætera dixiſſe traditur *audíter confiteor patrem alio eſſe patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc.* Cuius dicti obſcuritatem, tanquam verborum profanam nouitatem tam impatienter M. Iohelinus Sueſſionenſium Epiſcopus excepit, vt iuxta Prouerbium

medium vitando incurreret ripam. Nondum enim authoritatem illam Auguſtini legerat vel fortaſſis lectam intellexerat, qua de eodem altiſſimo loqui geſtiens ſecreto inter cætera dicit ſic. *Aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere: ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe vel Dominum eſſe.* Quod enim eſt, ad ſe dicitur. Pater autem ad filium & Dominus ad ſeruientem creaturam. Ait ergo prædictus Epiſcopus. Quid eſt quod dicis eſſe Deum? nihil eſt. Erat quippe quorundam in Logica ſententia, cum quis diceret Socratem eſſe, nihil diceret. Quos præfatus Epiſcopus ſectans talem dicti vſum, haud præmeditatè ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium pene auditorum ab illo in ſe retorſit ſpicula. Poſt hoc ſedato clamore cum à circunſtantibus rogaretur Epiſcopus Gilbertus, vt quare in Theologia perſonas in tantum diſtingueret, aperire vellet, breuiter reſpondit. *Quia omnino perſona eſt per ſe vna.* Et ita non ſine magno multorum qui aderant, ſtupore Conuentus ea die ſoluitur.

Alia rurſus die in cauſam ductus pulſatuſque de nouitate dictionis, eo quod in proſa de S. Trinitate tres perſonas tria ſingularia vocauerit, N. Rothomagenſis Archiepiſcopus cauſam aggrauauit dicens, Deum potius debere dici vnum ſingulare quàm tria ſingularia, non tamen ſine multorum ſcandalo, cum Hilarius in lib. de Synodis dicat *Sicut duos Deos dicere profanum eſt, ita ſingularem & ſolitarium dicere ſacrilegum eſt.* Et idem in eodem. Nihil ſolitarium ex Diuinis ſacramentis ad ſuſpicionem audientium & ad occaſionem blaſphemantium proferamus.

Et Cap. 53. Epiſcopus vero Pictauienſis in præfatis dictis ſuis ſe habuiſſe ſimplicem ſenſum teſtabatur affirmans per ſingularia non Theologicas perſonas, ſed ipſarum excellentiam intellexiſſe, ſecundum quod antonomaſticè Paulum ſolemus vocare *Apoſtolum*, vel glorioſam Dei Genitricem Virginem *ſingularem*, eo quod nec eſt, nec fuit, nec erit talis Virgo, quæ videlicet ſimul ſit Mater & Virgo. Ea rationis proportione trium Perſonarum excellentiam ſe conſideraſſe, cum tria ſingularia diceret, aſſerebat, cum nec ſit nec fuerit, nec futurus ſit talis Pater, qui ſcilicet ſit Pater & Deus: atque in eundem modum talis Filius & talis Spiritus ſanctus.

Hæc Otho de Gilberto & Synodo Pariſienſi: in qua fuiſſe videntur magnæ altercationes pro ipſo & contra ipſum diſputantium. Ipſi quidem fortiſſimi athletæ aduerſabantur, Bernardus Abbas, Adam de Paruo Ponte Canonicus Pariſienſis, Hugo de Campoflorido Cancellarius Regis, Hugo Rothomagenſis Archiepiſcopus, Ioſcelinus Sueſſionenſis Epiſcopus. Pro eo ſtabant Mag. Ioannes Sareſberienſis poſtea futurus Carnotenſis Epiſcopus, Rotrodus ſeu Rotrocus de Beaumont Epiſcopus Ebroicenſis, poſtea Rothomagenſis Archiepiſcopus, Diſcipuli Gilberti, & alii inſignes Magiſtri. Itaque huicce rei Papa non potuit propter Partium ſtudia & contentiones finem imponere, iudiciumque in aliud tempus diſtulit.

Eodem anno obierunt in Anglia plurimi viri inſignes, olim huiuſce Academiæ Magiſtri: inter alios vero Gaufridus Cenomanenſis, vir in ſcholarum Magiſterio magni nominis, hocce vero tempore Abbas S. Albani: qui ſcilicet è Cenomania vbi docebat euocatus in Angliam à Richardo Abbate S. Albani vt Monaſterij Scholas regeret, poſtea factus eſt ipſe Abbas an. 1119. Abbatiamque rexit vſque ad obitum. Ille autem in prædicto Monaſterio, aut certè in ſcholis eiuſdem *S. Katharinæ Ludum* ſeu miracula per Diſcipulos repræſentauit: non nouo quidē inſtituto, ſed de conſuetudine Magiſtrorum & ſcholarum: qua de re ſic Mathæus Pariſienſis, ſeu quiuis alius ſcriptor in vitis 23. Abbatum S. Albani, vbi de Gaufrido Abbate. *Hic*, inquit, *ex illuſtri Cenomanenſium & Normanorum progenie exortus, non ſolum morum honeſtate preditus, ſed Diuina ſcientia ſatis extitit adornatus: qui defuncto Abbate Richardo, cunctorum huius Eccleſiæ fratrum electione, aſſenſu etiam Anglorum Regis Henrici I. hanc Abbatiam etſi inuitus ſuſcepit gubernandam. Iſte de Cenomania vnde erat oriundus, venit vocatus ab Abbate Richardo, dum adhuc ſecularis eſſet, vt ſcholam apud S. Albanum regeret, & cum veniſſet, conceſſa fuit ſchola alij Magiſtro, quia non venit tempeſtiuè. Legit igitur apud Duneſtapliam exſpectans Scholam S. Albani ſibi repromiſſam. Vbi quendam ludum de S. Katherina, quem miracula vulgariter appellamus fecit, ad quæ decoranda petiit à Sacriſta S. Albani, vt ſibi Cappæ Chorales accommodarentur, & obtinuit. Et fuit Ludus ille de S. Katherina. Caſu igitur nocte ſequenti accenſa eſt domus M. Gaufridi,*

& combuſta eſt Domus cum Libris ſuis & Cappis memoratis. Neſciens igitur quomodo hoc damnum Deo & S. Albano reſtauraret, ſeipſum reddidit in holocauſtum Deo aſſumens habitum Religionis in Domo S. Albani. Et hæc fuit cauſa, quare tantum exhibuit diligentiæ vt Cappas Chorales in eadem poſtea in Abbatem promotus faceret precioſas. Ex his patet inter exercitationes iuuentutis ſcholaſticæ fuiſſe iam tum Ludos, ſeu Comœdias & Tragœdias, quemadmodum vſurpari vbique paſſim hodie videmus in Collegiis & ſcholis Arriſtarum: quæ conſuetudo in Academia quoque Pariſienſi vetuſtiſſima eſt, vt libro de Patronis 4. Nationum à nobis edito an. 1662. docuimus. Gaufrido autem ſucceſſit Radulphus Gubius Monachus de gremio eiuſdem Eccleſiæ vir quoque litteratus & bonis moribus adornatus, inquit Mathæus ad hunc annum. cui electioni præbuit aſſenſum Rex Anglorum Stephanus.

Eodem quoque anno defuncti ſunt Aſcelinus Roffenſis, Robertus Ceſtrenſis & Robertus Herefordenſis. Aſcelino ſucceſſit Vualterus Archidiaconus Cantuarienſis, Rogero Vualterus Prior Dorobernenſis, Roberto Gilbertus Abbas Glouernenſis. Turſtano ſeu Turſtino quoque Eboracenſi Archiepiſcopo ſucceſſit tandem Henricus de Murdach, Bernardo Clare-Vallenſi olim familiariſſimus, tunc Ciſtercienſis Monachus; Vuillielmus verò pro intruſo habitus: quæ lis iam per annos quinque & amplius in Curia Rom. agitata fuerat ſub Innocentio, Cœleſtino & Lucio Pontificibus.

Offuit Vuillielmo Bernardũ Clare-Vall. habere aduerſarium: quanquam enim Henricus proculdubio vir eſſet omni virtutum genere cumulatiſſimus, vix tamen erat in Vuillielmo reprehendere quidquã, quod eſſet eo gradu indignũ. Bernardus duplicem illi intruſionem obiiciebat, vnam à Rege, alteram à Legato corrupto. Innocentius ita definierat, *irritam eſſe Vuillielmi electionem, niſi Vuillielmus alter tunc Decanus, quod obiectum ei fuerat, propria manus iuramento repelleret.* At Decanus non iurauerat, & nihilominus Vuillielmus in Cathedra ſedebat. Extant plurimæ Bernardi in hanc rem litteræ. Et ſi credimus ſcriptoribus Anglis, exigentibus meritis fuerat à maiori & ſaniori Canonicorum parte electus. Vir, inquit Thomas Stobæus *genere quidem nobilis, ſed morũ excellentia & vita mundiſſima incomparabiliter inſignis.* Vnde quia Henrico Ciſtercienſi Monacho Eugenius ipſe Ciſtercienſis Archiepiſcopatum adiudicauerat, poſt eius mortem, Vuillielmus nullo negotio promotus eſt, & ob miraculorum frequentiam inter cœlites repoſitus. Henricus quoque vt ait idem Stobæus *cilicium carni ſuæ proximiorem induit, corpuſque mirabiliter & multipliciter afflixit, ac plebem ſibi commiſſam verbo rigidæ exhortationis & exemplo piæ conuerſationis regere ac informare ſtuduit.*

Huiuſce litis definitionem alij referunt ad an. 1147. Gerualius quidem in Chronico ait Vuillielmum fuiſſe in Concilio Remenſi depoſitum pronunciante ſententiam Alberico Oſtienſi Cardinale Epiſcopo; deinde Pariſiis ab Eugenio aſſumptum M. Henricum de Murdach. Rem ſic narrat. *Aſtiterunt in hoc Concilio Clerici Eboracenſis Eccleſiæ vnà cum Henrico Murdach tunc temporis Abbate de Fontibus accuſantes Vuillielmum Eboracenſem Archiepiſcopum, & dicentes eum neque Canonicè electum* » neque legitimè conſecratum, ſed authoritate Regia intruſum. Tandem præfatus » **Vuillielmus conuictus & depoſitus eſt Alberico Hoſtienſi Epiſcopo pronuncian**te ſententiam & dicente. *Decernimus authoritate Apoſtolica Vuillielmum Eboracenſem* Archiepiſcopum à Pontificatu deponendum, eo quod Stephanus Rex Angliæ ante Canonicam electionem eum nominauit. Cũ igitur D. Papa Eugenius B. *Vuillielmum Eboracenſem Pariſius minori parte Cardinalium ſibi conſentiente propria voluntate, vt dictum eſt depoſuiſſet*, capitulum Eboracenſis Eccleſiæ ad eius mandatum in » vnum conueniens elegerunt Archiepiſcopum, pars Capituli maior D. Hilarium » Ciceſtrienſem Epiſcopum, pars altera Henricum Murdac Abbatem de Fontibus. » Prædictas autem Papa Eugenius cum vtraque electio ſequenti hieme ei fuiſſet » Antiſſiodori præſentata, electionem prædicti Henrici Murdac confirmauit, & alte» ram cum plurima tamen electæ perſonæ commendatione caſſauit & ipſum Hen» ricum propriis manibus conſecrauit.

Eodem anno teſte Vincentio Bellouaco Eccleſia Tornacenſis, quæ per annos plurimos à tempore B. Medardi ſub Epiſcopo Nouiomenſi fuerat, cœpit rurſus proprium habere Epiſcopum, habuitque Anſelmum S. Vincentij Laudunenſis Abbatem, quem Eugenius Pontifex conſecratum eidem vrbi deſtinauit. Quam

in

in rem extant Epiſtolæ ſeu Bullæ duæ eiuſdem Papæ datæ hoc anno trans Tiberim idibus Martiis, ac proinde antequam veniſſet in Galliam. Prior talis eſt *Clero & Populo Tornacenſi.*

Eugenius Epiſcopus S.S. Dei Dilectiſſimis filiis Clero & Populo Tornacenſi ſalutem & Apoſtol. benedictionem. Tornacenſis Eccleſia in proprii Paſtoris abſentia à longis retro temporibus plurimum laborauit, & ſicut multorum Religioſorum & diſcretorum virorum atteſtatione cognouimus, tam animarum quàm corporum damna plurima & grauia detrimenta ſuſtinuit. Audiuimus enim multa millia hominum in eodem Epiſcopatu, qui Epiſcopum nunquam viderunt, ſed quaſi Epiſcopum non habentes abſque illa ſacri criſmatis vnctione, quam fideles contra Diaboli inſidias pugnaturi per manus Epiſcoporum ſuſcipiunt, de præſenti ſeculo migrauerunt. Vnde nos officij noſtri debito & multorum Religioſorum de partibus veſtris crebris exhortationibus prouocati & charitatis zelo ſuccenſi tantis malis occurrere Deo authore decreuimus, atque fratrum noſtrorum communicato conſilio Dilectum filium noſtrum Anſelmum Abbatem S. Vincentij Laudunenſis Spiritus S. gratia inuocatum vobis in Epiſcopum conſecrauimus. Eundem itaq; cum gratia ſedis Apoſtolicæ & litterarum noſtrarũ proſecutione ad vos remittentes, per Apoſtolica ſcripta Vniuerſitatẽ veſtrã rogamus, monemus atque præcipimus, quatenus ipſum reuerenter ſuſcipiatis, diligatis & honoretis, eique tanquam proprio Paſtori & animarum veſtrarum Epiſcopo obedientiam ac reuerentiam humiliter exhibeatis. Nos autẽ illos qui occaſione Epiſcopatus Tornacenſis Fratri noſtro S. Nouiomenſi Epiſcopo ſacramento vel fidelitate ſeu obedientia tenebantur Apoſtolica authoritate abſoluimus, & vt præfato fratri noſtro Anſelmo Epiſcopo eadem fidelitate & obedientia teneantur, præcipimus: ſi quis autem ei, rebellis & inobediens eſſe præſumpſerit, ſententiam quam idem frater noſter Epiſcopus in eum Canonicè promulgauerit, nos authore Domino ratam habebimus. Data trans Tiberim Idibus Martii.

Reſtitutio Epiſcopatus Tornacenſis.

Poſterior vero eadem die & eodem loco data, quæ legitur in 5. Tomo Spicilegij Dacheriani, talis eſt.

Eugenius Ep. S.S.D. Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Illuſtri Francorum Regi ſal. & Apoſt. bened. Oportet nos pro his qui noſtro regimini diſponente Domino commiſſi ſunt, ſollicitos eſſe & de ipſorũ tanquam de noſtra propria cogitare: in extremo namque examine ſi circa ipſorum ſalutem negligentes fuerimus, reddituri ſumus pro ipſis Domino rationem. Tornacenſis Eccleſia ſicut te ignorare non credimus, à longis retro temporibus proprio paſtore caruiſſe dignoſcitur, vnde ſicut multorum Religioſorum & diſcretorum virorum veridica relatione cognouimus, præter alia detrimenta multa millia hominum abſque illa ſacri criſmatis vnctione quam fideles contra diaboli inſidias pugnaturi per manus Epiſcoporum ſuſcipiunt de præſenti ſeculo migrauerunt, & tam his quam aliis diuerſis modis tam animarum, quam corporum in eodem Epiſcopatu propter proprij Paſtoris abſentiam damna plurima prouenerunt: ideoque & nobis & ipſis prouidere volentes, tantis malis occurrere Domino **authore decreuimus, atque dilectum filium noſtrum** Anſelmum S. Vincentij Laudunenſis Abbatem Spiritus S. gratia inuocata in Tornacenſem Epiſcopum conſecrauimus: quod ad magnum Regni tui à Deo commiſſi & coronæ tuæ incrementum credimus prouenturum. Monemus itaque nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, vt nullius praua ſuggeſtio cor tuum ſuper hoc moueat, ſed quod pro tanta neceſſitate & tot millium hominum ſalute factum eſt, hilari vultu & læto animo ſuſcipias, & eundem Epiſcopum pro B. Petri & noſtra reuerentia magnitudinis tuæ Conſilio & auxilio iuuare & manutenere ſtudeas: quidquid enim honoris & beneficij à tua liberalitate ſibi exhibitum fuerit, nobis adſcribimus. Data trans Tiberim idibus Martiis.

Eodem anno Henricus Ludouici Craſſi filius Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus, Abbas San-Spirenſis apud Corbolium Canonicis San-Victorinis præbendam in Eccleſia S. Spiritus conceſſit. In donationis vero inſtrumento notat Patrem ſuum liberos quoſdam ſuos paruulos in Eccleſia San-Victorina ſepeliri voluiſſe. *Iam ad multorum deuenit notitiam, quod illuſtris memoriæ pater meus D.G. Rex Francorum Ludouicus B. Victoris Eccleſiam de puluere paupertatis erexit, eamque Canonicorum Regula-*

rium ordine inſignitam Abbatiam inſtituit. Cui etiam iuxta regalem magnificentiam plurima Beneficia contulit & in argumentum veræ dilectionis quoſdam de filiis ſuis fratribus noſtris cum ex vita decederent, in eadem Religionis domo ſepelire mandauit.

1147. *De Negotio San-Genouefiano.*

Anno 1147. Sugerius à Rege cuſtos Regni relictus negotio San-Genouefiano animum ſerio applicuit; deque Regularibus viris in locum Canonicorum ſecularium ſubſtituendis cogitauit, prout inter Papam & Regem conuenerat. Ipſe quoque Eugenius nihil ſe antiquius in votis habere ſignificauit. Et primo quidem voluit illuc Monachos Nigros S. Martini Campenſis transferre, quam in rem eius extat ad Sugerium Epiſtola data Lingonis hoc modo.

„ Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Sugerio Abbati S. „ Dionyſii Sal. & Apoſt. bened. Officii noſtri nos hortatur authoritas ad Religio- „ nem ſtatuendam diligenter intendere, ſtabilitam exactâ diligentiâ conſeruare. „ Inde eſt ſicut tua nouit dilectio, quod cum Chariſſimo filio noſtro Ludouico Il- „ luſtri Francorum Rege contulimus, vt in Eccleſia S. Genouefæ Religioſos fratres „ ad Dei ſeruitium poneremus. Quod breuitate temporis prohibente ſecundum „ ipſius & noſtrum propoſitum nequiuimus effectui mancipare. Verũ quia vices Re- „ gias in Galliarum partibus dignoſceris exercere, & quia de tua plurimum diſcre- „ tione confidimus, per præſentia tibi ſcripta mandamus quatinus Priorem Abba- „ tis-villæ in Abbatem liberum & abſolutum ibi ſtatuere, & octo fratres Eccleſiæ „ S. Martini de Campis eius ſocietati ſtudeas deputare, vt exemplo bonæ conuer- „ ſationis eorum qui minus honeſtè ſapiunt, ad Diuinum officium prouocentur. Nos „ vero Priori S. Martini de Campis per Apoſtolica ſcripta mandauimus, quatinus „ prædictum numerum fratrum, cum tibi placuerit, exhibeat & concedat. Suſten- „ tationi quorum Beneficium Decanatus & Præbendas venerabilis fratris noſtri „ Siluanectenſis Epiſcopi, Gregorii Diaconi Cardinalis, & Antiſſiodorenſis The- „ ſaurarii filiorum noſtrorum authoritate Apoſtolica deputamus. Ad ipſorum quo- „ que vſum omnia Beneficia decedentium Canonicorum aſſignari volumus & iu- „ bemus. Datum Lingonis 3. Kal. Maii.

Idem Pontifex datis ſimilibus ad Canonicos San-Genouefianos litteris admonet vt Religioſos viros S. Martini de Campis honorificè recipiant, eoſque in Eccleſia ſua Officium Diuinum celebrare permittant ſaluas tamen illis quandiu viuent, velle ſuas eſſe præbendas. Cæterum ſi in hoc ſuæ voluntati refragari præſumpſerint, ſe ſententiam quam Sugerius Abbas contra eos tulerit, confirmaturum.

„ Eugenius Epiſcopus S.S. D. Dilectis filiis ſuis Canonicis S. Genouefæ Sal. & „ Apoſt. bened. Quiſquis Catholicæ fidei veritatem & veræ Religionis charita- „ tem habere dinoſcitur, caput omnium Eccleſiarum S. Romanam Eccleſiam eſſe „ non dubitat, ſed affirmat; & eam tanquam deuotus filius veneratur. Cum igi- „ tur in ea ſimus veluti in ſpecula Deo diſponente conſtituti, Omnibus mundi „ Eccleſiis paternâ ſolicitudine prouidere compellimur, & in Eccleſiis quæ B. Pe- „ tri Iuris exiſtunt, religionem ſtatuere cupimus & optamus. Inde eſt quod in Ec- „ cleſia veſtra gratam Deo veræ Religionis culturam ſtatuere cupientes, Dilecto „ filio noſtro Abbati S. **Dionyſij per Apoſtolica ſcripta mandauimus, quatenus** „ eam per Dilectum filium noſtrum Priorem Abbatis-Villæ quem ibi imponi & „ fratres S. Martini de Campis, quos eius ſocietati volumus deputari, in memorata „ Eccleſia inſtitueret & plantaret. Ideoque Vniuerſitati veſtræ per præſentia ſcri- „ pta mandamus, quatinus eos honeſtè recipiatis & ſaluis præbendis veſtris nul- „ lam eis moleſtiam aut iniuriam inferatis. Quod ſi facere præſumpſeritis, ſenten- „ tiam quam memoratus filius noſter Abbas S. Dionyſij ſuper hoc in vos promul- „ gauerit, Nos authore Deo ratam habebimus. Cuius ſuſtentationi & prædicto- „ rum fratrum Beneficium, Decanatus & Præbendas venerabilis fratris noſtri „ Siluanectenſis Epiſcopi, Gregorij Diaconi Cardinalis & Antiſſiodorenſis The- „ ſaurarij filiorum noſtrorum authoritate Apoſtolica deputamus. Ad ipſorum quo- „ que vſum omnia Beneficia decedentium Canonicorum aſſignari volumus & iu- „ bemus. Datum Lingonis 3. Kal. Maij.

Satis humanè quidem & leniter hac ratione agere videbatur Eugenius cum Canonicis San-Genouefianis: quamobrem illi prædicti patris voluntati acquieſcentes, aut ſaltem acquieſcere ſimulantes eundem conueniunt, obnixéque

hoc ſolummodo rogant, vt ſi placeret Regulares viros in Eccleſia S. Genouefæ excipi & admitti, San-Victorinos Canonicos iuberet admitti, cum quibus tolerabilior eſſe poſſet conuerſatio propter Inſtituti cognationem, quàm cum Monachis Nigris ſeu Benedictinis quibuſcum nulla ipſis erat aut eſſe poterat communis agendi ratio. Communis dico, nam Martiniani & Canonici San-Genouefiani veterem habebant inter ſe ſocietatem tum initam cum adhuc Martiniani eſſent Canonici Regulares S. Auguſtini; ita vt vno decedente Canonico in altera tra Domo, in altera Miſſa Defunctorum pro eo celebraretur. Imo, nec poſtquam Benedictini Cluniacenſes in Prioratum Sammartinianũ introducti ſunt, ſocietatem illam & commercium omnino abrogaſſe videntur. Quippe Martiniani Præbendam habebant apud S. Genouefam, iuris certè veteris Canonicorum Regularium, cui ſucceſſerant, idque à Lucio II. confirmatum an. 1144. & à Ioanne I. Abbate San-Genouefiano totoque Conuentu noua recognitione ſancitum legitur. Verum aliud erat ſocietatem iſtam familiarum duarum conſeruare; aliud in eadem Domo & ſub eodem tecto cohabitare, aut iiſdem legibus & inſtitutis viuere. Sic enim nulla inter eos eſſe poterat communis agendi ratio.

Igitur Eugenius audita San-Genouefianorum legatione & poſtulatione penſitatiſque prædictis rationibus & aliis quas producebant, libens annuit eorum precibus, hocque negotij dat Sugerio vt Canonicos Regulares S. Victoris introducat, non Monachos: vt ex hac ad eum epiſtola intelligimus.

Eugenius Epiſcopus Seru. Seru. D. Dilecto filio Eugerio Abbati S. Dionyſii ſal. & Ap. Bened. *Cum Dominus ac Redemptor noſter Pax & veritas eſſe noſcatur ad Patris dexteram aſcenſurus Diſcipulis ſuis velut ex Teſtamento pacem relinquens, vt eam in ſe haberent & prædicarent aliis* imperauit. Inde eſt, quod & à Chriſto diligi & inter Diſcipulos eius creditur deputari, qui & pacem diligit & eam inter ſuos ſubditos nititur conſeruare. Quia igitur in Apoſtolicæ ſedis ſpecula à Domino conſtituti B. Petri Apoſtolorum Principis exiſtimus ſucceſſores, præceptum quod pro Religione Monaſtica in Eccleſia S. Genouefæ dediſſe meminimus, pro bono pacis ſi Regulares Canonicos eiuſdem Eccleſiæ Canonici ſaluis earum præbendis receperint, immutamus. Præcipientes vt Beneficia quæ Monachis, ſi in præfata Eccleſia fuiſſent ſuſcepti duximus deputanda, Canonicis ipſis per te authoritate Apoſtolica deputentur. *Quod ſi facere noluerint, præceptum de Monachis inibi ſtatuendis inuiolabiliter præcipimus obſeruari.* Datum Vercellis 16. Kal. Iulii.

Has certè litteras dedit Eugenius eodem anno, Lingonis & Vercellis: & ad eas reſpondet Sugerius ſignificatque quantæ ſibi curæ fuerit exequi quod præceperat.

Chariſſimo Domino & Patri Vniuerſali V. G. ſummo Pontifici Eugenio Sugerius B. Dionyſij humilis Miniſter deuotas in Chriſto orationes, obedientiæ & ſeruitii plenitudinem. Suſceptis Apoſtolicæ præceptionis venerandis apicibus de Monaſticæ Religionis poſitione in Eccleſia S. Genouefæ Pariſienſis tantum tamque Deo placitum negotium, tanquam cœlitus nobis commiſſum gratiſſimè amplectentes, eo quod ſuper hoc ipſo præſentialiter S. Paternitatis veſtræ Celſitudo, cum non niſi imperare oporteret, paruitatem noſtram pius rogauerit, totis animi viribus effectui mancipare elaborauimus. Quamuis enim occaſione Quetulorum Canonicorum ad vos proficiſcentium eo quod Curia Romana conſueuit aliquando quod turpe non eſt, cum remutare conſilium, diſcretè diſtuliſſemus, nulla tamen contradicentium nobilium aut innobilium Clericorum ſeu Laicorum oppoſitione tepeſcere, aut in aliquo ſuper hoc ipſo remiſſius habere decreuiremus, cum ſubitò proximâ die tertia aut quarta, qua deſignatum Abbatem & Monachos in Eccleſia eadem ponere propoſueramus, ecce præfati Canonici, videlicet Cantor & alii, à facie veſtra redeuntes mutatam pro bono pacis ſententiam in Canonicorum Regularium poſitione nobis reddiderunt. Nos autem æquè deuotè ac gratanter ſecundam ac ſi primam recipientes aſſumptis nobiſcum venerabilibus & ſapientibus viris videlicet Abbate S. Germani S. Petri Foſſatentis S. Maglorii S. Petri de Ferrariis & aliis de melioribus perſonis aſſiſtentium vicinorum ad eundem S Genouefæ, locum accelerauimus, & in capitulo eorum quid ſuper primo capitulo ſecundum tenorem litterarum quia

„ nobis detulerunt, proſequi vellent, conſultè conuenimus. Qui vt erant diuerſi
„ diuerſa ſentientes, cum aut vtrum aut neutram concorditer proſequi nollent ſen-
„ tentiam, multa & moroſa reprehenſione, quod etiam poſtulata, quod etiam miſe-
„ ricorditer conceſſa refutarent, inſiſtebamus, donec qui ſanioris erant conſilij &
„ filij lucis Canonicos Regulares ſe ſuſcepturos pacificè promiſerunt.

„ Nos autem ſuper hoc ipſo exhilarati, quoniam Quidam de melioribus Abba-
„ tem ſibi conſtitui & Canonicos de S. Victore poſtulabant, communicato cum aſſi-
„ ſtentibus conſilio, tum quia nullam penes nos religioſiorem in ſuo ſtatu nouimus
„ Eccleſiã, tũ quia propinquitate loci ad omnem eorũ ſiue interiorem ſiue exterio-
„ rem commodior exiſtit neceſſitatem, ad eos diuertimus, virumque venerabilem
„ Abbatem S. Victoris operibus pietatis approbatum modo ſeorſum, modo in con-
„ uentu ſuo, vt his opem ferret & adiutor Diuinitatis euelleret & deſtrueret, ædifi-
„ caret & plantaret, in nomine Domini ſuppliciter efflagitabamus. Qui vt emeritus
„ pater & eiuſdem loci prouidus Procurator cum hoc inſtanter recuſaret, vt Prio-
„ rem ſuum virum venerabilem & Religioſum Abbatem fieri poſtulare nos com-
„ perit, obortis lachrymis cum fletu & anguſtia cordis ſenium defectumque ſuum
„ opponens, eiuſdemque Prioris conſilium ſi eo careret deplorans fere per totam
„ diem recuſando, & quod nunquam fieret deteſtando vſque ad proximam No-
„ nam detinuit. Tandem verò victus precibus multorum, imo authoritate veſtra,
„ qua eum importunè adiurabamus tam miſericordia quam pietate pro alieno com-
„ modo ſuum ſuſtinens incommodum, eundem Venerabilem Priorem cum 12.
„ fratribus viris Religioſis & honeſtis nobis contradidit, quos in feſto S. Bartho-
„ lomæi ad eandem Eccleſiam ſolemniter cum Clero & populo ciuitatis induxi-
„ mus, & Venerabili Meldenſi Epiſcopo Manaſſe quem nobiſcum his agendis ſuſ-
„ ceperamus, eadem die coram altari eiuſdem S. Genouefæ Abbatem benedici
„ ſolemniter opitulante ſanctitate veſtra fecimus. Finitâ vero eiuſdem Officij Miſſa
„ Clauſtrum, Capitulum & Refectorium eis deliberauimus, dieque ſequente Re-
„ galium ex parte D. Regis, cuius vices agimus, poteſtatem contulimus, fidelitatem
„ virorum ad eos pertinentium & iuramenta & ſecuritatem eis fieri fecimus. Ea pro-
„ pter, Pater ſanctiſſime, actionem nobis commiſſi negotii Celſitudini veſtræ ſum-
„ matim ſignificare dignum duximus, vt & vobis quod præcepiſtis factum eſſe pla-
„ ceat, & quam prompta ſit paruitas noſtra ad obedientiæ veſtræ expletionem, in-
„ noteſcat. De cætero S. Apoſtolatus veſtri genibus prouoluti ſpiritu obnixè & ſub-
„ nixè ſupplicamus opus hoc manuum veſtrarum manutenere & protegere, gladiũ
„ S. Petri contra omnem æmulorum importunitatem cominus euaginare: Appel-
„ lationum quoque moleſtias, quibus quietem eorum iugiter indiſcretè perturba-
„ rent, miſericorditer ſi placet prohibere, eandem Eccleſiam Deo innouatam, tan-
„ quam nouam plantam, donec perfectè radicata fuerit crebra propagatione ex-
„ tendere. Quibus omnibus maximum poterit præſtare ſuffragium, ſi quemadmo-
„ dum inceptum eſt, in eadem Eccleſia plenitudinem officii ſecundum obſeruatio-
„ nem Ordinis ſui vſque ad vnum iota & vnum apicem conſeruari feceritis, ne diſ-
„ ſonantia officii, legendi & cantandi diuerſitas in ſcandalum Regularium & Irre-
„ gularium emergat, ne oſtiorum appertio hac occaſione nocte & die fratres con-
„ **turbet, ne per eoſdem æmulos aliqua infamia in eos ſubrepat, vt quietè ibidem.**
„ Omnipotenti Deo ad laudem & honorem ſancti Apoſtolatus veſtri & perſonæ
„ veſtræ ſempiternam remunerationem dignum Deo famulatum exhibere valeant.
„ Quid namque de Paternitate veſtra ſperarem? ego ipſe peccator ex hoc veſtro
„ opere aliquid miſericordiæ Dei me lucraturum confido.

„ Eſt & aliud quod Paternitati veſtræ volumus Capitulum innoteſcere, vt ſicut
„ primum mandaſtis, ſaluis eorum tantùm Præbendis, Præpoſituræ & Terrarum
„ cuſtodia Canonicis Regularibus remaneant. Quoniam ſi exterioribus remanſe-
„ rint, omnia dilapidabunt & ſibi ſubripient, ad defectum victualium, vt vel ſic
„ ordo periclitetur, forſitan crudeliter elaborabunt. Aliud quoque eſt quo in hoc
„ principio laboris ſui filii veſtri potiſſimum indigent. Quendam Rodulphum æ-
„ mulantem & derogantem eorum Religioni mucrone B. Petri vt conuertatur fe-
„ riendo compeſcatis; & ne impunitate eius aliorum emergat contumacia, eius
„ ſtultitiam reprimatis. Conterat Dominus omnipotens omnem hoſtem ſub pedi-
„ bus veſtris. Nos autem ſeruitio veſtro paratos & Eccleſiam noſtram, ſed Chariſ-

ſimum filium veſtrum Ludouicum Regem Francorum in opere Dei tam laboriosè negotiantem ſanctis orationibus veſtris commendamus, rogantes vt ſi quid certum de eo audiſtis, nobis inſinuetis. Valeat in æternum ſanctitas veſtra, amantiſſime Pater & Domine.

Hoc Sugerij factum mirificè placuit pluribus viris bonis, præſertim vero B. Bernardo, qui eam ob rem illi gratias agit ampliſſimas Ep. 356. his verbis.

Amanti ſſimo Patri & Domino Sugerio D. G. Venerabili Abbati B. Dionyſii F. Bernardus de Claraualle Salutem & Orationem. Benedictus Deus qui in manu veſtra operatus eſt ſalutem in Eccleſia S. Genouefæ, vt Domus Dei reſtitueretur Ordini & Diſciplinæ. Agit vobis gratias Apoſtolica ipſa authoritas, quod fideliter & efficaciter opus magnificum incepiſtis. Agimus & nos quas poſſumus gratias, & quicunque Deum diligunt in veritate. Rogamus itaque obnixius & poſtulamus, vt ſecundum Apoſtolicarum tenorem litterarum operi manuum veſtrarum dexteram porrigatis, vt quod magnificè cœptum eſt, veſtræ magnitudinis opera perficere poſſit in dies & feliciter conſummare. Iam pro Eccleſia S. Victoris Charitatem veſtram ſollicitare ſuperfluum iudicamus, quia omnium Eccleſiarum cuſtodia vobis commiſſa eſſe dignoſcitur. Sed his debetur amplius, quarum religio amplius noſcitur indigere.

In eandem rem eiuſdem extat ad Sugerium Epiſt. 347. Oportet vos operari opera eius qui reliquit vos in loco ſuo, imo opera Domini Dei veſtri, qui ad tale miniſterium vos elegit. De operibus eius eſt quod Eccleſia de Monte religionem induxit & decorem. Vbi vos nouella plantatio conciliatorem & auxiliatorem magnum inuenit. Supplicamus vt quod bene cœpiſtis, melius conſummetis & opponatis vos murum pro domo Iſrael, vt non præualeat homo. Dignemini etiam conſolari Abbatem loci illius, quia puſillanimus eſt; quia ſic conuenit honori perſonæ veſtræ & ſaluti animæ veſtræ ſpiritualiter & tempore iſto.

Extat quoque de eadem re Epiſtola Ioannis Epiſcopi Maclouienſis ad Eugenium Pontificem, quâ eum valde prædicat ob iſtam Domus San-Genouefianæ reformationem. Talis autem eſt.

Sanctiſſimo Patri & Domino Eugenio D. ſummo Pontifici Ioannes S. Maclouij Miniſter indignus cum debita obedientia debitarum orationum frequentiam. Quis ego, vel cuius momenti, qui tantæ Maieſtatis oculos vel in puncto audeam detinere? Ignoſce mihi, Pater ſancte, ignoſce quæſo: neque enim de ſupercilio præſumptio iſta manat. Silere non poſſum quanta bile inuehatur ſpiritus meus in viros mendaces, viros effrontes, & perditos, qui ſanctam ſementem veſtram exercentem in centuplum opus laudabile manuum veſtrarum inter magnificos actus ſanctitatis veſtræ non modicè præclarum, ſcilicet Eccleſiæ S. Genouefæ Pariſienſis à Deo per vos tanquam per complacitum ſibi vicarium factam mutationem, filij hominum, quorum dentes arma & ſagittæ, quorum lingua gladius acutus, non ſunt veriti inſimulare, concionem ſanctam, Abbatem prædicti loci loquor & fratres. Sed Deo gratias detecta eſt malignantium factio & inſtante in vos Domini iuſtè decernentis cenſurâ patebit, cum filiorum de S. Genouefa tam hominibus quam Deo grata conuerſatio non ſolum prope, ſed & longè poſitorum nares optima ſuauique fragrantia perfundere non deſiſtat.

Ex hac Epiſtola intelligimus veteres Canonicos & alios quoſdam maleuolos Sugerii factum ſuggillaſſe. Reuera non ſtatim peccati ſedatique fuerunt animi: vt dicemus ad annum ſequentem. Interim notare conuenit tunc cum Canonici Regulares in S. Genouefæ Cœnobium introducti ſunt, Eugenium rediiſſe Romam: ac proinde malè illos opinari qui ſcribunt anno 1148. habitum fuiſſe ab eo Remenſe Concilium: tunc enim non erat amplius in Francia.

Eodem tẽpore vt ſcribit Robertus Antiſſiodorenſis, Vvillielmus Comes Niuernenſis relicto ſeculi Principatu & omni honore calcato Charthuſiam petiit, ibique dignè Deo in humillima paupertate conuerſans infra annum conuerſationis ſuæ felicem vitæ curſum terminauit.

Antequam ergo introducerentur in ædem San-Genouefianam Canonici Victorini Eugenius Papa Concilium Remis habuit contra Gilbertum Porretanum, & eonem Pſeudo-Prophetam. De anno huiuſce Concilii non conueniunt Hiſtorici. Aliqui enim ſcribunt habitum fuiſſe anno 1146. alii anno 1147. alii denique an.

1148. verum ex iis quæ ſupra retulimus facile eſt, rei veritatem agnoſcere. Certum eſt enim Eugenium an. 1146. relicta Italia in Gallias ſe contuliſſe, & circa feſta Paſchalia ſynodum habuiſſe Pariſienſem ad quam vocatus eſt Gilbertus Epiſcopus Pictauienſis: & eodem anno Ludouicum Regem, ipsâ Pentecoſtes hebdomadâ ad ſacrum bellum profectum fuiſſe, vt ex Chronico Mauriniacenſi retulimus. An vero poſt Regis profectionem eodem anno illud habuerit Remis, vt deſtinauerat, ex Epiſtola Gaufridi Clare-Vallenſis, an vero anno ſequenti, incertum. At conſtat ante annum 1148. habitum, cum Eugenius ante Victorinorum inædem San-Genouefianam introductionem quæ an. 1147. facta eſt, è Gallia in Italiam reuerſus fuiſſet. Et tamen poſt illud Concilium Remis habitum Pariſios rediit, ibique ſatis diu demoratus eſt, vt ex Chronico Mauriniacenſi infra referemus. Vnde colligitur prius illud habuiſſe, quàm Sugerius San-Victorinos introduceret.

Credibile eſt igitur anno 1147. ineunte hoc habuiſſe Concilium, nempe feriis Quadrageſimalibus, vt infra ex Othone Friſingh. referemus: in quo multa occurrunt notatu digniſſima. Nam imprimis cum multi à Bernardo Clare-Vallenſi & aliis æmulis excitati aduerſus Gilbertum inſurrexiſſent in Concilio Pariſienſi, ipſe vero vtcunque ſatisfaceret, Eugenius magnos animorum æſtus conſpiciens Concilium diſſoluit, vt ante diximus, & ad proximum iſtud Remenſe rem indeciſam & integrã remiſit. Sed nec ibi damnatus eſt Gilbertus, tum quia multi è Cardinalibus offenſi Bernardo, quod ſolus quodammodo aduerſus Epiſcopum determinare affectaret, noluerunt eius condemnationi ſubſcribere; tum quia ipſe profeſſus eſt publicè ſe Concilii determinationi qualiſcunque foret, ſubſcripturum. Huiuſce Concilij multi meminerunt.

Ipſe Bernardus Serm. 80. ſuper Cantica generatim de hac hæreſi ſic ſcribit. Re» cedant nouelli non Dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem qua magnus eſt » Deus, & item bonitatem qua bonus, ſed & ſapientiam qua ſapiens & iuſtitiam qua » iuſtus, poſtremo Diuinitatem qua Deus eſt, Deum non eſſe impiiſſimè diſputant. » Diuinitate, inquiunt, Deus eſt: ſed Diuinitas non eſt Deus. Forſitan non dignatur Deus eſſe, quæ tanta eſt vt faciat Deum. Sed ſi Deus non eſt; quid eſt? aut » enim Deus eſt, aut aliquid quod non eſt Deus, aut nihil. Equidem non das Deum » eſſe. Sed ne nihilum quidem, vt opinor, dabis, quam vſque adeo neceſſariam » Deo eſſe fateris, vt non modo abſque ea Deus eſſe non poſſit, ſed ea ſit. Quod ſi » aliquid eſt quod non eſt Deus, aut minor erit Deo aut maior aut par. At quomodo minor, qua Deus eſt? Reſtat vt aut maiorem fatearis aut parem. Sed ſi maior, » ipſe eſt ſummum bonũ, non Deus: ſi par, duo ſunt ſumma bona, non vnum. Quod » vtrumque Catholicus refugit ſenſus. Iam de magnitudine, bonitate, iuſtitia ſapientiaque idem per omnia quod de diuinitate ſentimus: vnum in Deo ſunt & » cum Deo. Nec enim aliunde bonus quàm vnde magnus & bonus, nec aliunde » denique ſimul hæc omnia eſt, quàm vnde Deus, & hoc quoque non niſi ſeipſo. » Sed dicit hæreticus, quid Deum Diuinitatem eſſe negas? non, ſed eandem diuinitem qua eſt, Deum nihilominus aſſero, nec Deo excellentius aliquid eſſe aſſentior. » Nam & magnitudine dico magnum, ſed quæ ipſe eſt, ne maius aliquid Deo po» nam: & bonitate fateor bonum, ſed non alia ipſe eſt, ne melius ipſo aliquid » mihi videar inueniſſe. Et de cæteris in hunc modum ſecurus & libens pergo in» offenſo, vt aiunt, pede in eius ſententiam qui dicebat: Deus non niſi ea magnitu» dine magnus eſt, quæ eſt quod ipſe, alioquin illa erit maior magnitudo, quã Deus. » Auguſtinus hic eſt validiſſimus malleus hæreticorum: ſi quid itaque de Deo pro» priè dici poſſit rectius congruentiuſque dicetur Deus eſt magnitudo, bonitas, iu» ſtitia, ſapientia, qua Deus eſt magnus, bonus, iuſtus aut ſapiens. Vnde non imme» rito nuper in Concilio quod Papa Eugenius Remis celebrauit, tam ipſi quam » cæteris Epiſcopis peruerſa viſa eſt, & omnino ſuſpecta expoſitio illa in libro Gil» berti Epiſcopi Pictauienſis, quo ſupra verba Boëtii de Trinitate ſaniſſima quidem » atque Catholica commentabatur hoc modo. *Pater eſt veritas, id eſt verus. Filius* eſt » veritas, id eſt verus Spiritus S. eſt veritas, ideſt verus: & hi tres ſimul non tres ve» ritates ſed vna veritas, id. vnus verus. O obſcuram peruerſamque explanationem! » quam verius ſaniuſque per contrarium ita dixiſſet. Pater eſt verus, id. veritas. » Filius eſt verus, id. veritas. Spiritus ſanctus eſt verus id. veritas, & hi tres

vnus verus. Id eſt vna veritas. Quod quidem feciſſet ſi ſanctum dignaretur Fulgentium imitari qui ait. *Vna quippe veritas vnius Dei, imò vna veritas vnus Deus non patitur ſeruitium atque culturam creatoris creaturæque coniungi.* Bonus corrector qui veraciſſimè de veritate loqueretur, qui piè Catholiceque ſentiret de vera & mera diuinæ ſimplicitate ſubſtantiæ, in qua nihil eſſe poſſit quod ipſa non ſit & ipſa Deus. Quanquam manifeſtius in nonnullis locis aliis à rectitudine fidei liber ille præfati Epiſcopi viſus eſt diſcrepare, quorum V. G. adhuc vnum peno. Nam dicente authore, cum dicitur Deus, Deus, Deus, pertinet ad ſubſtantiam: Noſter Commentator intulit non quæ eſt, ſed qua eſt: quod abſit vt aſſentiat Eccleſia Catholica, eſſe videlicet ſubſtantiam vel aliquam omnino rem qua Deus ſit & quæ non ſit Deus. Sed hæc minimè contra ipſum loquimur. Quippe qui in eodem Conuentu ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens tam hæc quàm cætera digna reprehenſione innuente proprio ore damnauit, ſed propter eos qui adhuc librum illum contra Apoſtolicum vtique promulgatum ibidem interdictum tranſcribere & lectitare feruntur, contentioſius perſiſtentes ſequi Epiſcopum in quo ipſe non ſtetit, & erroris quàm correctionis Magiſtrum habere malentes.

Gaufridus Clare-Vallenſis eiuſdem Concilij meminit, & ex eo fere refert quæ ſequuntur, Vincentius Bellouacus.

Anno Domini 1448. Remis Concilium à Papa Eugenio celebratur. In quo Concilio publicè confutauit B. Bernardus M. Gilbertum cognomento Porretam diſputando cum eo ſingulariter tanquam ſui temporis Athleta. Hic Gilbertus erat Epiſcopus Pictauorum in ſacris litteris plurimum exercitatus, ſed ſublimiora ſe ſcrutans ad inſipientiam ſibi. Siquidem de Trinitatis vnitate & Diuinitatis ſimplicitate non ſimpliciter ſentiens, nec fideliter ſcribens, Diſcipulis ſuis panes proponebat abſconditos & furtiuas propinabat aquas. Nec facile, quid ſaperet, imò quantum deſiperet perſonis authenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum Abaëlardum illi dixiſſe ferunt.

Nunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Nouiſſimè tamen cum iam fidelium ſuper hoc inualeſceret ſcandalum, creſceret etiam murmur, vocatus ad medium eſt, & librum tradere iuſſus, in quo blaſphemias euomuerat graues quidem & verborum quodam inuolucro circunſeptas. Beatus ergo Bernardus primò quidem totum quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur, ſubtilibus interrogationibus eliciens, deinde tam ſuis ratiociniis quàm ſanctorum teſtimoniis biduanâ diſputatione redarguit. Conſiderans autem nonnullos ex his qui præſidebant, iam quidem animaduertens blaſphemiam in doctrinâ, tamen adhuc auertens iniuriam à perſona, accenſus eſt zelo & domeſticam ſibi Gallicanam conuocat Eccleſiam ſeorſum. Communi deinceps conſilio à Patribus decem prouinciarum, aliis autem Epiſcopis & Abbatibus plurimis dictante viro Dei nouis dogmatibus opponitur ſymbolum nouum. Cui etiam ſubſcribuntur nomina ſingulorum, vt eorum videlicet omnium ſicut reprehenſibilis, ſic irreprehenſibilis zelus cæteris innoteſcat. Ita **demum Apoſtolico iudicio & authoritate** Vniuerſalis Eccleſiæ error ille damnatur. Epiſcopus Gilbertus an eidem damnationi conſentiat, interrogatur. Conſentiens & publicè refutans quæ prius ſcripſerat & affirmauerat, indulgentiam ipſe conſequitur, maximè quod ab initio captus eſſet, ea lege ſe eandem diſputationem ingredi, vt promitteret ſine vlla ſeſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè opinionem ſuam. Horum duorum Magiſtrorum Petri videlicet Abaelardi & Gilberti Porretæ quidam Diſcipuli nimium zelantes pro ipſis B. Bernardo & toti Ciſtercienſi Ordini poſtea detrahere cœperunt. Hæc Vincentius ex Gaufrido l. 3. vitæ S. Bernardi. c. 5.

At fuſius eandem Hiſtoriam exponit Gaufridus Clare-Vallenſis teſtis oculatus in Ep. ad Cardinalem Albanenſem. Poſtquam enim acta Concilii Pariſienſis explicuit, ad Remenſis expoſitionem deſcendit & quo pacto Gilberti Capitula fuerint examinata, his verbis proſequitur. *Ventum eſt ad diſcuſſionem Capitulorum, quæ prædictus Abbas Godeſcalcus notauerat*, ſed quia nimis ipſe erat elinguis, liber ille cum ſanctorum teſtimoniis ei contrariis à D. Papa traditus eſt Patri noſtro S. Bernardo Clare-Vall. Aderant viri magni nec mediocriter litte-

» rati, Gaufredus de Oratorio Burdegalenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus cuius in Pi-
» ctauienſi Eccleſia Epiſcopus Suffraganeus erat, Milo Morinenſis Epiſcopus reli-
» gione & ſcientia ſatis inſignis, Ioſſenus Sueſſionenſis Epiſcopus tam ſeculari
» quam litterali ſcientia præditus, Sugerius Abbas S. Dionyſii, cui Francorum Rex
» Ludouicus Hieroſolymam proficiſcens totius Regni commiſerat adminiſtratio-
» nem. Hi & alii Patres cum B. Bernardo prædicta Capitula rationibus pariter &
» ſcripturæ ſacræ teſtimoniis arguebant, niſi quod prædictus Gaufridus minus cæ-
» teris loquebatur de induſtria parcens homini, iudicio ſe reſeruans ſicut humiliter
» eſt profeſſus & pœnitentiam egit, audiens DD. Cardinales quorum Principales
» fauiſſe Reo & euidenter etiam fouiſſe conſtabat, ſuper auditis obiectionibus
» ſe ſe promittere iudicaturos. Ingredientibus vero nobis Conſiſtorium prima die
» cum Magnorum Voluminum Corpora per Clericos Pictauenſes feciſſet affer-
» ri, & nos paucas authoritates Eccleſiæ in ſchedula haberemus, occaſione accepta
» calumniabantur fautores illius hominis quod decurtata teſtimonia proferremus,
» cum ille codices integros exhiberet, vbi poſſet intelligi quemadmodum verbis
» propoſitis verba præcedentia vel ſubſequentia adhærerent. Prolatum tamen Ca-
» pitulum de eius Codice, in hæc verba, *Cum dicitur Deus*, pertinet ad ſubſtantiam
» *non quæ, ſed qua*. Quod dum alii atque alii clamantes authorem arguerent &
» aduerſus eum adhuc tergiuerſantem non immerito cauſarentur, S. Bernardus ad
» Epiſcopum ait. Quid neceſſe eſt circa huiuſmodi verba diutius immorari? non
» aliunde procedit ſcandali huius origo niſi quod plures credere vos credunt & do-
» cere quod Diuina eſſentia vel natura Diuinitas eius, ſapientia, bonitas, magnitu-
» do non eſt Deus, ſed eſt forma quâ eſt Deus. Ecce ait S. Bernardus, tenemus quod
» quærebamus. Scribatur iſta confeſſio. Præcepit ſummus Pontifex & D. Henri-
» cus Piſanus tunc Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus futurus, poſtea Clare-Vallenſis
» Monachus, & ex Abbate S. Anaſtaſii, SS. Nerei & Achillei Preſbyter Cardina-
» lis ad eius mandatum porrexit & attulit chartam, calamum & encauſtum. Cum
» autem ſcriberet ipſam Confeſſionem. Et vos ait Epiſcopus ad Abbatem Scribite
» quod Diuinitas eſt Deus. Nec concitatus ille reſpondit ſcribatur, inquiens ſtylo
» ferreo in vngue adamantino vel celte ſculpatur in ſcilice quod Diuina eſſentia,
» formas, natura, deitas, bonitas, ſapientia, virtus, potentia, magnitudo, verè eſt Deus.
» Diſputatum eſt deinde inſuper eodem Capitulo & eo vſque proceſſum eſt, vt
» diceret Sanctus, quod ſi forma illa non eſt Deus, melior Deo eſt, cum ex ea Deus
» habeat eſſe, ipſa autem nec ab eo ſit, nec ab eo habeat quidquam. Quod po-
» tiſſimum credidi memorandum propter eam ſpecialiter cauſam, quia diſputatio-
» ne completa Eccleſiæ Remenſis armarium mox ingreſſus plures exinde tulit Co-
» dices, & in libro B. Auguſtini de Trinitate inter alia plura teſtimonia, eadem pe-
» ne verba quæ S. Bernardus obiecerat, reperit in hunc modum. *Deus magnus eſt*
» *non niſi ea magnitudine quæ eſt quod ipſe, alioquin ille erit maior magnitudo quàm*
» *Deus*.

Cæterum cum de primo Capitulo prima die diſputaretur, ego fui qui obieci eidem Epiſcopo audientibus vniuerſis, quod verba illa quæ modò proferebantur, eodem anno coram D. Papa & maiori parte maiorum quæ aderant perſonarum penitus abnegaſſet, & teſtes produxiſſet, quod talia nunquam crediderat. At ille multùm confidens & amplius forſitan, quàm poſtea voluiſſet, quia negare non poterat ſe negaſſe. Quidquid tunc dixeram, modò, ait, hoc dico. Ego verò ſuſpirans grauiter, quod viderem coram tantis Iudicibus paulò minus impune tanta præſumi, *Ergo ſicut Rex*, inquam, *veſtrum dictum & dedictum habetis*.

Et factum eſt vt diſputantibus perſonis quæ aderant ſuper Capitulo 1. prædicto occurreret ſecundum, profitente prædicto Epiſcopo, quod nec vnus Deus, nec vnum aliquid ſit tres Perſonæ, licet 3. Perſonæ ſint vnus Deus, id eſt vnâ Diuinitate, & ſint vnum, id eſt vno. Et aduerſus hoc Capitulum diutius eſt diſputatum, poſtquam ſuggerente S. Bernardo & D. Papa præcipiente ipſum etiam cum priore litteris eſt commendatum. Cui euidens ſatis oppoſita eſt authoritas Athanaſij in hæc verba. Supernarum virtutum Carmina, Vnum tria & tria vnum eſſe confirmant.

Sequenti die codices tantos attulimus ad diſputationem, vt obſtupeſcerent fautores Epiſcopi & à nobis audirent, quia ecce ſchedulas non habemus. Faciebat Epiſcopus in

libris

libris B. Hilarij & de corpore Canonum in quorumdam Græcorum Epiſtolis verba minus intelligibilia, præſertim in tanta feſtinatione & in tantâ ac tali multitudine lectitari, nec deerant, qui pro eo ſe opponerent, licet parum intelligentes. Addita ſunt eodem die Capitula duo prioribus & litteris pariter commendata. Quod perſonales proprietates & æternarum rerum multitudinem copioſam Epiſcopus idem veraciter eſſe ſine initio profiteretur, quarum tamen nulla eſſet Deus, nulla à Deo.

4. Fuit Capitulum, quod Natura Diuina naturam non ſuſcepit humanam, ſed perſona filii noſtram naturam ſuſcepit, contra illud Gregorii, quia venit ad nos calceata Diuinitas humanitate, & B. Auguſt. in l. 3. de Trinitate. Ergo quia forma Dei accepit formam ſerui, vtrumque Deus & vtrumque homo. Item eiuſdem ſuper Euangelio Ioannis in Tractatu 75. ſemetipſum exinaniuit & homo, &c. quis niſi idem ipſe Chriſtus Ieſus? ſed hîc iam ſunt omnia, & verbum in forma Dei quæ accepit formam ſerui, & anima & caro in forma ſerui, quæ accepta eſt à forma Dei. Et Leo Papa. Suſcepit Nos illa natura, quæ nec Noſtris ſua, nec ſuis noſtra conſumeret.

Exinde poſtquam diutius diſputatum eſt, ſub eo tenore diſceſſum eſt, vt DD. Cardinales dicerent, Quia ecce audiuimus quæ propoſita ſunt, deinceps iudicabimus qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus mouit corda multorum, vt ſequenti die apud S. Bernardum conuenirent Archiepiſcopi decem, Epiſcoporum quoque atque Abbatum ac Magiſtrorum plurima multitudo. Et quia iudicium ſibi ſoli reſeruaſſe videbantur, quos nouerant fere omnes errantis potius quàm erroris fautores, prouidere oportere cum Capitulis illis Gilberti Epiſcopi, ſuæ & fidei ſymbolum mitti, vt ſcirent plenius vnde iudicarent. Scripſerunt ergo Capitula totidem quàm expreſſius potuêre illius verbi, ſuam confeſſionem contrariam in omnibus & per omnia proponentes, quam de communi omnium conuenientia non ſine multa deliberatione dictatam iudicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid iudicarent, ſi credebant nonnullos eorum adhoc tendere, vt ſine aliqua definitione Concilium ſolueretur, propter quod eidem ſcripturæ quam vobis nouiſſimam mittimus, ſcripta ſunt nomina ſingulorum qui aderant, Archiepiſcoporum, Abbatum & Magiſtrorum de conſenſu & conuenientia vniuerſorum. Et electæ ſunt tres perſonæ, Epiſcopi duo Reuerendiſſimi, Hugo Antiſſiodorenſis & Milo Morinenſis & Sugerius Abbas S. Dionyſij, qui eandem ſcripturam D. Papæ & Cardinalibus præſentarent & dicerent eis: *Pro veſtra reuerentia ſuſtinuimus minus dignos acceptione ſermones*, donec tandem audiuimus, quod de eis iudicare velletis. Offerimus ergo & Nos vobis noſtram Confeſſionem, vt non de parte, ſed de partibus iudicetis. Tenetis confeſſionem hominis illius ſcriptam; conuenit vt teneatis & noſtram, verumtamen ille vobis ſub hoc tenore tradidit ſuam, vt paratus eſſet corrigere, ſi quid aliud vobis videretur, Nos eiuſmodi conditionem penitus excludentes ſic vobis noſtram offerimus, vt noueritis quod in hoc ſumus, in hoc perſeuerabimus nihil penitus mutaturi. Quibus ſine cunctatione D. Papa reſpondit, & vniuerſis qui miſerant eos tenunciare præcepit, quod ab eadem **confeſſione eorum in nullo prorſus Romana Eccleſia diſſentiret.** Et ſi ſtare viſi fuerant aliqui pro perſona, ſed non ſtabant aliquatenus pro doctrina, Inde fuit quod in inſigni palatio', cui nomen eſt Thau, Eccleſia Vniuerſa conueniens & interrogatus Epiſcopus Pictauienſis Capitulis ſingulis liberè renunciauit hæc eadem verba locutus. *Si vos aliter creditis, & Ego. Si vos aliter dicitis, & Ego. Si aliter ſcribitis, & Ego.* Ibidem D. Papa authoritate Apoſtolica in aſſenſu totius Eccleſiæ quæ conuenerat, Capitula ipſa damnauit diſtinctè præcipiens, ne eundem librum legere vel tranſcribere etiam ſic reprobatum quis auderet, niſi prius cum Romana Eccleſia correxiſſet, cumque reſponderet Epiſcopus *Ego corrigam ad arbitrium veſtrum, Non vobis*, ait, *hæc correctio committetur.*

Erant & alia quæ in Scholis ſuis dicebatur Auditoribus ſuis frequenter idem Epiſcopus tradidiſſe, licet non diſſimularemus, pro multitudine tamen Scholarium qui teſtimonium perhibebant ab eo audiuiſſe multoties hæc, coram omnibus ſciſſæ & diſcerptæ fuerunt chartæ quæ dicebantur eius ſententias continere, quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt Quidam ſufficere ſi ſcinderentur.

De cætero ſuper capitulis aliis, de quibus mandatum veſtræ dignationis accepi, diligenter conſiderans in libro Gloſſarum Pſalterij, quas idem Gilbertus Porretanus compoſuit ſuper verbum *Adorate ſcabellum pedum eius*, ita ſcriptum inueni, *Caro de terra eſt & de carne Mariæ carnem accepit Chriſtus.* Hæc ſine impietate adoratur à nobis, quia nemo carnem eius ſpiritualiter manducat, niſi prius adoret. Huc vſque verba ſunt Auguſtini. Quibus continuò addidit Gilbertus declarationem, quod eſt additamentum eorum. *Non illam dico ad orationem quæ latria eſt*, quæ ſoli Creatori debetur, ſed illam quæ duliâ dignior eſt. Dulia enim adoratio eſt, quæ etiam Creaturæ exhibetur, quæ duas habet ſpecies, vnam, quæ hominibus indifferenter, & alteram quæ ſoli humanitati Chriſti exhibetur.

In libro etiam Gloſſarum eius in Epiſtol. S. Pauli ſuper illum locum, propter quod Deus exaltauit illum, &c. ſic commentatus eſt. Quibuſdam videtur hoc nomen datum homini; quòd nullâ ratione conuenit. Hoc enim nomen *eſſe filium Dei*, hoc nomen *eſſe Deum*, quod non per ſolam appellationem, ſed per naturam, ſuper omne nomen eſt, quod non poſt paſſionem ſuam, ſed potius à Patre à quo habet omnia, cum generaretur, accepit. Hoc ergo non homini datum, niſi forte quis dicat per adoptionem omne datum, ſed adoptiuo Deo non flectitur omne genu nec eſt in gloria Dei Patris: nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apoſtolus, *dedit illi nomen, &c.* quod ideo dico, quia natus accepit, vt per Crucem manifeſtaretur, qui à Patre dum generaretur, accepit. Horum autem Capitulorum nihil eiuſdē Concilij tēpore audieramus, nihil penitus noueramus.

Quæ verò Capitula cæteri Epiſcopi contra Capitula Gilberti ediderint, habemus apud Mathæum Pariſienſem, quanquam tempore aberrauit, & Pontifice. Scribit enim habitum fuiſſe concilium iſtud Remenſe anno 1119. ſub Calixto Papa & Vvillielmo I. Anglorum Rege; cum certò conſtet ex omnium Hiſtoricorum confeſſione habitum fuiſſe ab Eugenio Papa anno 1146 aut 1147. aut ſaltem 1148. præterea verò certum eſt an. 1119. nondum fuiſſe adhuc tanti nominis Gilbertum, nec tum adhuc Epiſcopum. ſic autem ille. *In hoc Concilio idem Papa errorem* M. Gilberti Porretæ, qui in Capitulis 4. erraſſe dicitur, condemnauit. 1. *Dixit, quod Diuina Natura, quæ Diuinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma quâ Deus eſt: ſicut humanitas non eſt homo, ſed forma qua eſt homo.* Concilium. Credimus ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deum; nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus. Sic verò vbi dicitur, Deum ſapientiâ ſapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, vnitate vnum, Diuinitate eſſe Deum, credimus nonniſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, non niſi ea magnitudine quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi eâ æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe; non niſi eâ vnitate quæ eſt ipſe Deus, vnum eſſe: non niſi ea Diuinitate Deum, quæ in ipſo eſt; ideſt in ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, vnum Deum.

2. Dixit, *quod non vnus Deus, vel vna ſubſtantia, aut vnum aliquid ſit perſonæ: id eſt Pater & Filius & Spiritus S. ipſe vero 3. perſonæ tria ſunt differentia & numero: ac ſi 3. homines humanitatem vnam numero habere inuenirentur.* Concilium. Cum de 3. Perſonis loquimur, Patre & Filio & Spiritui ſancto, ipſas vnum Deum, vnam Diuinam ſubſtantiam eſſe fatemur, & è conuerſo. Cum enim de vno Deo, vna Diuina ſubſtantia loquimur, ipſum vnum Deum, & vnam Diuinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas confitemur.

3. Dixit Gilbertus, *Quod ad proprietates perſonarum, Relationes quædam æternæ ſunt, quæ non ſunt idem, quod ipſæ perſonæ, ſed diuiſæ numero & diuiſæ ſubſtantia, & habent tres vnitates, & ſic multa æterna ſunt, quorum nullum ſit Deus.* Concilium. Credimus ſolum Deum, Patrem & Filium & Spiritum S. æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, vel vnitates dicantur, adeſſe Deo, quæ ſunt ab æterno, quæ non ſint Deus.

4. Dixit *quod Diuina natura non ſit incarnata.* Concilium. Credimus ipſam Diuinitatem, ſiue ſubſtantiam Diuinam, ſiue naturam Diuinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio.

Eandem Hiſtoriam & res in eo Concilio geſtas deſcribit Otho Friſinghenſis author contemporaneus lib. citato c. 36. poſtquam enim de Eonis hæreſiarchæ

opinione ſeu potius fatuitate diſſeruit, de quo nos quoque infra dicemus, de hæreſi Gilbertina diſſerit in hunc modum. *Itaque finita ſynodo* (qua damnatus fuerat Eon hæreticus) ſalutiferiſque ad innouationem ſeu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis Decretorum Capitulis prudentiores & viciniores ad cauſam Epiſcopi Gilberti terminandam reſeruantur. Decurſâ medianæ Quadrageſimæ hebdomadâ, ſacroque Dominicæ paſſionis tempore inchoante Epiſcopus Pictauinus manente adhuc ſummo Pontifice Remis rurſus ad iudicium trahitur in cubiculo vbi vrbis Epiſcopus cum ſenioribus ſedit, vocatur; & ab eo quid de fide S. Trinitatis ſentiat, ſubtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum Patrum quas non in ſchedulis ſed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens authoritates, eandem ſe quam illi fidem tenere aſſerebat. Cumque huiuſmodi ſermone ſeu legendi prolixitate dies detineretur, tanquam tædio affectus Romanus inquit Antiſtes, *Multa, frater, dicis*, & ea fortaſſis quæ à nobis non intelliguntur, legi facis. Sed ſimpliciter à te cognoſcere velim, an ne illam ſummam eſſentiam qua 3. perſonas profiteris vnum Deum, credas eſſe Deum? Qui diutinâ collatione *fatigatus minus præmeditatè reſpondit*, Non. *Quod dictum mox ab eius ore raptum* Notarius excepit, ſcribens in hunc modum, Epiſcopus Pictauienſis ſcripſit & dixit quod Diuina eſſentia non eſt Deus. In Commentario enim ſuper Boëtium de Trinitate, vbi author Theologica à Naturalibus prædicamenta diſcernens inter cætera poſuit, ſubſtantia quâ Deus eſt, iſte appoſuit, *Non quæ Deus eſt*, id eſt non vt ad ſubſiſtentem, ſed ad ſubſiſtentiam referatur. Sicque in hæc verba conuentus ea die dimittitur. Epiſcopus totum quod ſuperfuit illius diei ſpatium cum nocte ſequente amicos ſuos ex Cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit.

In Craſtino ipſo denuò cum ſummo Pontifice in cauſa poſito recitatur *Scriptum*, cuius vt ab eo reddatur ratio, expoſcitur. Ipſe ſe hoc non ſimpliciter conceſſiſſe aſſerebat. Dicebat enim hoc nomen *Deus*, quandoque in deſignatione *naturæ*, quandoque in deſignatione *perſonæ* vnius etiam poni. In deſignatione naturæ, vt cum dicitur *Deus tuus vnus eſt*; Perſonæ, vt cum dicitur, *Pater eſt Deus*, *Filius eſt Deus*: Perſonæ & vnius tantùm de tribus, vt ibi, *Aſcendit Deus in iubilatione*, quod de perſona filij dictum eſſe nemo ambigit. Quare & aiebat ſe Diuinitatem eſſe Deum in illo tantum ſenſu concedere, quo Deus ponitur pro Natura. In eo verò abſolutè concedere non audere, quo pro qualibet perſonarum hoc nomen Deus accommodatur, ne videlicet ſi indeterminatè profiteretur, Diuinitatem eſſe Deum, id eſt quamlibet perſonarum, cogeretur ſine determinatione concedere quidquid de qualibet perſonarum & de eſſentia; ſicque in hanc incideret abſurditatem, vt ſicut perſonam Filij, ita Diuinam Eſſentiam indeterminatè incarnatam paſſim confiteretur. Ex qua abſurditate facile ſenſus hæreticus iuxta Sabellium emergeret, *Vt eadem res diceretur & generans & genita & eadem ſe ipſam genuiſſe*. Quod autem inter Naturam & perſonam non Mathematica abſtractione, ſed Theologica conſideratione quo quo modo diuideret ratio, & ratione & authoritate probare nitebatur. **Ratione, ne videlicet iuxta Arrium ſicut perſonarum, ita & pluralitatem admitteret Eſſentiarum**; vel ſecundum Sabellium, ad Eſſentiæ ſingularitatem Chriſtianæ fidei Religio pluralitatem confingeret perſonarum, hac Theodoreti contra Sabellium vtens authoritate. Oportet ergo deſiderantem ſpirituales diuitias & volentem Chriſtianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne forte aliud pro aliis intelligens circa dogmata peccet. Qui enim naturam & perſonam idem eſſe intelligit, aut in diuiſionem Arrij incidit, aut in confuſionem Sabellii. Et illa Hilarij. *Diſcerne ô Heretice, Spiritum Chriſti à Spiritu Dei, & excitati à mortuis Spiritum Chriſti à Spiritu Dei Chriſtum à mortuis excitantis*. Et quæro nunc in ſpiritu Dei, vtrum Naturam, aut rem naturæ ſignificatam exiſtimes? Non idem eſt enim natura, quod naturæ res eſt. Sicuti non idem eſt homo, & quod hominis eſt: nec idem ignis, & quod ipſius ignis eſt. Et ſecundum hoc non idem eſt Deus & quod dei eſt. Item quod non Natura, ſed Filij perſona carnem ſuſcepiſſe credenda ſit, hac authoritate Toletani Concilij oſtendit. *Solum Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Et cum tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis, quoniam inſeparabilia ſunt

opera Trinitatis, ſolus tamen accepit hominem in ſingularitate perſonæ non vnitate Diuinæ naturæ, id eſt id quod eſt proprium Filii, non quod commune Trinitati.

Quam authoritatem cum determinare vellet Clare-Vallenſis Abbas, aliqua verba quæ Cardinalibus diſplicerent, protulit Epiſcopo Pictauino dicente, Et hoc ſcribatur. Ad quod ille reſpondit, *ſcribatur ſtylo ferreo, vngue adamantino.* Moxq; ad publicum progreſſus omnes quos poterat, conuocauit. Ibi cum Archiepiſcopis, viriſque Religioſis & eruditis contra 4. prædicta quæ Pictauino Epiſcopo imponebantur Capitula fidem ſuam in hunc modum, ipſe cum aliis & alij cum ipſo expoſuerunt.

Credimus ſimpliciter Naturam Diuinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus, & Deus Diuinitas. Si vero dicitur ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, vnitate vnum, Diuinitate Deum eſſe & alia eiuſmodi, credimus non niſi ea ſapientia quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, non niſi ea magnitudine quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe; nonniſi ea æternitate quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe; non niſi ea vnitate quæ ipſe eſt, vnum eſſe: non niſi ea Diuinitate Deum quæ eſt ipſe, ideſt ſeipſo ſapientem, magnum æternum, vnum Deum.

Cum de 3. Perſonis Patre, Filio, Spiritu S. loquimur, ipſas vnum Deum, vnam Diuinam ſubſtantiam fatemur eſſe, & è conuerſo. Cum de vno Deo, vna Diuina ſubſtantia loquimur, ipſum vnum Deum vnam Diuinam ſubſtantiam eſſe 3. perſonas profitemur.

Credimus ſolum Deum Patrem & Filium & Spiritum S. æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, & huiuſmodi alia à Deo eſſe, quæ ſint ab æterno & non ſint Deus.

Credimus ipſam Diuinitatem ſiue ſubſtantiam Diuinam, ſiue naturam Diuinam dicas, incarnatam ſed in Filio eſſe.

Moleſtè tulerunt Cardinales qui aderant ſe ſpretis à Bernardo & Epiſcopis Gallicanis confecta fuiſſe illa Capitula Gilberti Capitulis oppoſita: & apud Eugenium acriter conqueſti ſunt: qua de re ſic habet idem Otho.

Conqueſtio Cardinalium apud Papam.

Quod Gallicanæ Eccleſiæ factum tam grauiter ſacer Cardinalium Cœtus accepit, vt cum magna mentis indignatione Curiam intrarent, ac tanquam vnum Corpus effecti vna omnes voce Pontifici ſuo dicerent. *Scire debes quòd à nobis per quos tanquam per Cardines Vniuerſalis Eccleſiæ voluitur axis, ad regimen totius Eccleſiæ promotus à priuſto Vniuerſalis Pater effectus iam deinceps te non tuum, ſed noſtrum potius eſſe oportere*, nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, ſed omnium vtilitati conſulere, Romanæque Curiæ culmen ex Officij tui neceſſitudine curare, & obſeruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Eccleſia? quâ fronte, quo auſu ceruicem contra Romanæ ſedis primatum & apicem erexit? hæc eſt enim ſola quæ claudit & nemo aperit: aperit & nemo claudit ipſa ſola de fide Catholica diſcutere habens à nullo etiam abſens in hoc ſingulari honore præiudicium pati poteſt. Sed ecce Galli iſti etiam faciem noſtram contemnentes ſuper Capitulis quæ his diebus nobis aſſidentibus agitata ſunt, tanquam definitiuæ ſententiæ vltimam manum apponendo nobis inconſultis fidem ſuam ſcribere præſumpſerunt. Certè ſi in Oriente, vt pote Alexandriæ vel Antiochiæ coram omnibus Patriarchis huiuſmodi tractaretur negotium, nihil firma ſtabilitate ſolidum ſine noſtra definiri valeret authoritate.

Quinimo iuxta antiquorum Patrum Inſtituta vel exempla Romano ſeruaretur examini terminandum. Quomodo ergo iſti in noſtra præſentia vſurpare audent, quod etiam remotioribus & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter aſſurgas, ipſorumque contumaciam punire non differas.

Conquerebantur ergo illi non quidem de falſitate aut temeritate Capitulorum, quæ ab Epiſcopis Gallicanis propoſita fuerant, ſed de ratione illa determinandæ veritatis in Concilio, abſque deliberatione ſcilicet, nec conſultis prius Cardinalibus, quid ſuper hæreſi Gilbertina ſentirent. Nam ipſi cum Magiſtris ſcholarum ſchedulam fidei compoſuerant, ſubſcripſerant & Eugenio porrexerant, vt teſtatur

Gaufridus Ep. præallata. *Ex parte*, inquit, *decem Archiepiſcoporum & omnium Epiſcoporum pene qui in illa adhuc die Remis inuenti ſunt cum Abbatibus maximis atque plurimis & Magiſtris ſcholarum & ſubſcriptis nominibus ſingulorum per ſuperius memoratas perſonas fuerat præſentatum.*

Eos tamen Papa conatus eſt verbis blandioribus demulcere & conciliare, ne quid turbæ interueniret. *Quos* inquit Otho, *Romanus Pontifex blãdo mitigans eloquio Abbate ad ſe vocato, de hoc facto, qualitate-ve facti ſolerter inquirit. Cui ille humiliter & cum reuerentia reſpondit ſe vel DD. Epiſcopos de præfatis Capitulis definiſſe, ſed quia ab Epiſcopo Pictauino audierat, vt fides ſua ſcriberetur; idcirco quia ſolus nollet illorum authoritate ac teſtimonio ſimpliciter ſe quod ſentiret expoſuiſſe. Hocque tam humili quàm modeſto ipſius reſponſo prædictæ Cardinalium indignatio conquieuit; ita tamen vt præfatum ſcriptum tanquam inconſultæ Curiæ prolatum velut authoritatis pondere carens pro ſymbolo in Eccleſia quod in Conciliis contra hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur.*

Cæterum quod ad 4. Capita ſupra relata attinet, idem Otho ſubiicit. *De primo tantum Romanus Pontifex definiuit* (vt pote maioris momenti, in quo & totius Quæſtionis cardo vertebatur) *ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & perſonam diuideret, neue Deus Diuina eſſentia diceretur ex ſenſu ablatiui tantum, ſed etiam nominatiui.* Et de Gilberto mox iſta. *Epiſcopus vero præmiſſam ſummi Pontificis ſententiam reuerenter excipiens Archidiaconis ſuis in gratiam receptis cum ordinis integritate & honoris plenitudine ad propriam diœceſim remeauit.* *Gilbertus damnationis ſuæ ſubſcribit.*

Idem notat Gaufridus in vita Bernardi ſic ſcribens. *Ita demum Apoſtolico Iuditio & authoritate Vniuerſalis Eccleſiæ error ille damnatur.* Epiſcopus Gilbertus an eidem damnationi conſentiat, interrogatur. Conſentiens & publicè refutans quæ prius ſcripſerat & affirmauerat, indulgentiam ipſe conſequitur maximè quod ab initio cautus fuiſſet ea lege eandem ingredi diſceptationem vt promitteret ſine vlla ſeſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem. Ex quibus patet Gilbertum nullatenus fuiſſe hæreticum, nec in tuenda praua ſua opinione pertinacem remanſiſſe.

Aduerſus ipſum ſcripſit Guillielmus de S. Theodorico Tractatum de Relationibus Diuinis. In fine autem ſic habet. *Vt adhæc* ſpecialiter Capitula, quæ in manibus ſunt, reuertamur, nunquid non audientibus hæc tam noua dogmata conſiderandum fuerat, quanto ſapientes ac litteratos viros non longe ante hæc tempora habuiſſet Eccleſia ſanæ opinionis & doctrinæ, qui manifeſte contraria ſenſerant & docuerant. Dico autem inſignes illos Laudunenſes Anſelmum & Radulfum, Magiſtrum etiam Albericum Remenſem prius, Bituricenſem Archiepiſcopum, & fideliſſimum Diuini verbi Tractatorem Hugonem de S. Victore, ſed & Robertum Pullanum Apoſtolicæ ſedis Cancellarium cæteroſque quamplures, quorum præſentia adhuc aut memoria recens in benedictione eſt, quorum communis extat ſententia, Quidquid eſt in Deo Deum eſſe. Hinc M. Radulphus Laudunenſis quadam ſcriptura ſua ſic ait, *Per illa nomina Pater, Filius & Spiritus Sanctus nullas intelligimus poni proprietates, ſicut de iuſto, per ſuperius dictum eſt, quæ ſint aliud quam ipſæ perſonæ.*

Poſtremo Otho ſuperius laudatus totũ hoc negotium ſic concludit, c. 57. *Verum* autem prædictus Abbas Clare-Vallenſis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate tanquam homo deceptus fuerit, vel Epiſcopus tanquam vir Litteratiſſimus propoſitum aſtutè celando Eccleſiæ Iudicium euaſerit, diſcutere vel iudicare noſtrũ nõ eſt. Quod enim ſancti & ſapientes viri corruptibili carne circundati frequenter in talibus fallantur, & nouis & antiquis probatur teſtimoniis. Nam vt de illo taceam quod B. Gregorius S. Dauid in quem ſpiritus Domini directus aſſeritur, ad patriam à qua à filio propulſus fuerat, reuertenti, à ſeruo Miphiſboſeth cum xeniis occurrenti ſureptum inducit exemplo Chriſtianis temporibus. B. Epiphanius Salaminiæ Cypri Epiſcopus tam eximiæ, vt mortuum quoque ſuſcitaret, ſanctitatis, aduerſus Ioannem Chryſoſtomum, cuius hodie in Eccleſia viget memoria tam acriter ab æmulis induci potuit, vt cum in propria Ciuitate declinans communicareque nolens etiam populum ſibi commiſſum quantum in ipſo fuit, contra illum concitaret. Hactenus de Gilberto eiuſque Doctrina in Concilio Remenſi examinata.

Contra eundem Gilbertum eiuſque Diſcipulos & ſectatores ſcripſit ex Aca-

demicis M. Robertus de Meliduno, coſque reprehendit quod dicerent Diuinitatem Dei formam eſſe, Deumque formam eſſe, quæ Deus non ſit. In tractatu igitur nondum in lucem editoſic habet, præmiſſo hoc titulo. *De hoc quod quidam dicunt hoc nomine* Deus *formam ſignificari.*

„ Quorundam praua habet opinio aliud ſignificari hoc nomine *Deus* quàm ali-
„ quo nominum perſonalium. Mentiuntur enim illo ſignificari *Formam* quam
„ *Diuinitatem* dicunt, quâ tres perſonæ informantur, vnde ex vnius Diuinitatis
„ participatione tres perſonas vnum Deum eſſe aſſerunt: & hæc eſt illa vnitas
„ ſubſtantiæ quæ in tribus eſt perſonis, & in Creaturis eſſe non poteſt. His quoque
„ nominibus *Dominus, omnipotens, iuſtus, miſericors & ſimilibus* formas prædicari
„ de Deo garriunt, quas Eſſentias ſiue exiſtentias nominant. Si autem nominum
„ iſtorum ſignificata formæ ſint, ea diuerſas res eſſe oportet. Quæ diuerſitas vnde
„ conſiſtat, non facile aſſignatur. Non enim ita diuerſæ ſunt, ſicut tres perſonæ
„ inter ſe diuerſæ ſunt, quoniam vnaquæque illarum tribus perſonis eſt commu-
„ nis, diuerſas fateri eſſentias deteſtabile eſt. Diuerſæ quoque formæ eſſe non poſ-
„ ſunt, niſi aliud eſſet Deum iuſtum eſſe & pium eſſe & omnipotentem eſſe, quod
„ falſum eſt. *Secundum iſtos Deus & Deitas ſunt ſicut formatum & forma.* Nam Diuini-
„ tatem dicunt eſſe formam authoritate Apoſtoli dicentis de filio: *qui cum in forma*
„ *Dei eſſet, ſe exinaniuit, &c.* formam Dei Diuinitatem appellant. Atomnis forma
„ formati eſt, diuinitas ergo alicuius formati forma eſt, ſcilicet Dei Trinitatis. Quod
„ quia falſum eſt, qualiter Apoſtoli verba debeant accipi, videndum eſt. Ait itaque
„ *qui cum in forma Dei eſſet*, ſic eſt intelligendum, id eſt quod Filius in perfecta ſub-
„ ſtantia diuinæ naturæ eſt cum Patre. Forma enim rei perfectionem habet: nam à
„ materia eſſe rei inchoatur, & in forma completur. Vt ergo Paulus Dei filium
perfectum Deum oſtenderet: cum in forma Dei fuiſſe docuit.

Pergit eoſdem ſeu alios confutare, qui dicebant hoc nomine *Deus* formam ſignificari quæ Deus non eſt. *Cum Diuinitas ſit forma & non Deus, ſicut eorum habet opi-*
„ *nio, quæritur vnde putent Diuinitatem eſſe habere, ſcilicet an à ſe, an ab alio?* A ſe autem
„ non habet, quoniam ipſa Deus non eſt: ſolus enim Deus à ſe habet eſſe: ſi autem
„ à ſe haberet, cum ſolus Pater à ſe eſſe habeat, ipſa Pater eſſet. Si autem ab alio
„ eſt, quis eſt modus qui ipſam ab alio eſſe aſſignari poſſit? Tanquam Creatura à
„ Deo non habet eſſe, quia ſine ea nunquam fuit, eo quod nunquam fuit quin
„ eſſet Deus. Item nec per generationem nec per proceſſionem à Deo Patre ha-
„ bet eſſe: quia nec Filius eſt nec eius proprietas, nec Spiritus S. nec illius perſona-
„ lis proprietas, nec etiam habet eſſe à Deo vt vnum. Ab alio etiam eſſe non habet
„ ſcilicet ab artifice. Et ita nullus poteſt aſſignari modus quo ipſa ſit à Deo, vel à ſe,
„ nec ab alio. Quare videtur non ſolum eam non eſſe formam, verum etiam om-
„ nino nihil eſſe. Cum ipſi confiteantur Diuinitatem bonum eſſe, quærendum eſt
„ cuiuſmodi bonum &c. Eam illius eſſe bonum neceſſe eſt, quod ea eſt Deus. *At*
„ *omne bonum quod alterius eſt bonum, eo cuius bonum eſt*, melius eſſe neceſſe eſt. Di-
„ uinitas ergo non ſolum ſummum bonum eſt, ſed eſt bonum ſummi boni, ideſt bo-
num ſummo bono melius. Hæc & alia plura Robertus de quo dicemus infra & in ſynopſi huius ſeculi plura referemus.

Alii vero ipſummet Gilbertum ab omni hæreſeos ſuſpicione immunem eſſe prædicabant: nunquam enim eum exiſtimaſſe inter Deum & Deitatem aut inter attributa Diuina intercedere realem vllam diſtinctionem, ſed tantùm Theologicam, vt tum appellabant, ſeu vt poſteri appellarunt, virtualem, quæ prouenit ex humano concipiendi & intelligendi modo: quippe licet omnia quæ in Deo ſunt, ſint ipſe Deus, certum eſt tamen alio & alio modo concipi: aliter enim concipitur iuſtitia, aliter miſercordia, aliter ſapientia: item Deitas vt quædam forma, Deus vt ſuppoſitum: licet hæc omnia ſint ipſe Deus ſimplex & indiuiſus, iſta autem conceptuum diuerſitas, quæ ad formandam diſtinctionem Theologicam ſeu virtualem ſufficit, non niſi ex imperfectione & limitatione intellectus humani prouenit. Cui diſtinctionis & ſimilium generi quia nondum aſſueuerant Theologi, ideo qui primi illas excogitarunt, ad hæreticorum confutationem & myſteriorum ſacrorum explicationem, in ſuſpicionem hæreſeos venerunt. Adeo nouitas viris piis & verè Catholicis ſuſpecta eſt & diſplicet. Exſpectamus de hac Gilberti Doctrina diſſertationem, quam pollicitus eſt nobis Iacobus de la

Nouë Bouet Regalis Abbatiæ S. Victoris Canonicus Regularis ex ipſiſmet Gilberti ſcriptis, quæ in Bibliotheca San-Victorina integra ſeruantur. Ad Concilium Remenſe redeamus.

De Eudone ſeu Eone Hæretico & Pſeudo-Propheta.

In eodem Concilio quod tempore quadrageſimali habitum eſt, vt ſupra retulimus ex Othone, ac proinde an. 1146. more Gallicano, more vero Romanorum qui annum à Kalendis Ianuariis auſpicabantur, an 114. damnatus eſt antequam ad Gilbertum veniretur, Eon ille Ruſticanus & illiteratus Pſeudo-Propheta, Quanquam non tam Hæretici nomine dignus videatur, quàm fatui, & pro contumaci fatuitate fatuaque contumacia puniendus: de cuius, inquit Mathæus Pariſienſis, incãtationibus & phantaſiis melius eſt ſilere, quam loqui. Erat ille Armoricanus, vocabaturque *Eudo de Stella* & Gal. Eon de l'Eſtoile; vir nobilis generis. Meminit Sigeberti Continuator an. 1158. 59. & 74. Eudonis cuiuſdam Vice-comitis Potricidii vulgò *de Porhoit*. Et in Chartario Abbatiæ de Rota, quæ in Andegauenſi agro ſita eſt, mentio fit cuiuſdam Eudonis Redonenſis Eccleſiæ Archidiaconi. Vnde coniicit Ioannes Picardus in Notis ad Guill. Neubrigenſem fuiſſe illos ex eadem gente. Verum nihil attinet ad Gentem prænomen, ſed cognomen. Ille autem fatuus apud Neubrigenſem Eudo prænomine, cognomento *De Stella* vocabatur, vt dictum eſt.

Quod ad Doctrinam verò eius attinet, dicebat ſe *filium Dei eſſe vnigenitum*, venturumque iudicare viuos & mortuos, ſeque indicari cùm dicitur in ſuffragiis Eccleſiaſticis. *Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem.* Ac proinde ſpecioſa quædam nomina ſuis Diſcipulis indiderat, vnum quidem *Sapientiam vocabat, alium Iudicium*, alios aliis eiuſmodi nominibus. Ita vero dementauerat Ruſticos, imo & Nobiles, vt ei multi magno numero & comitatu adhærerent. Atque ob eam rem Albericus Oſtienſis ad eas partes ſe contulerat, vt miſeros è præcepiti ruina extraheret. De ea enim hæreſi videtur intelligendus Hugo Ambianenſis, Eccleſiæ Rothomagenſis Archiepiſcopus in Tractatu de Hæreſibus in Aremorico ſolo natis, quem Alberico Oſtienſi Epiſcopo dedicauit: ſic enim habet in Epiſtola breui, quæ continetur in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem Andreæ Quercetani. *Reuerende Pater, digna ſedet mihi memoria reminiſci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum Ciuitate Nannetenſi meruimus aſſiſtere tibi. Ibi ſanctorum corpora martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum multo præſenti fidelium cœtu ſuſcepta præſentaſti, præſentata relocaſti cum digno honore. Ibi tectum aſpeximus Comitem præcipiti lapſu in occiduo ruentem, ruinam hæreſis, quæ in Armorico tunc ſquatebat te proteſtante ſegnantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica ſtare non poterat. Proinde placuit tibi ſuper hæreſibus inſurgentibus nos aliqua ſcribere, quod & ſuſcepimus tuæ iuſſionis authoritate, ſed ſuccincto opere, ſed breui charitate.*

Nec contentus ille *Eudo* ſeu *Eon* ſuos populares infeciſſe, egreſſus ex Armorica Gallias penetrauit, tandemque deuenit in agrum Remenſem, vbi ab Archiepiſcopo carceri mancipatus, demum ad Concilium Remenſe protractus eſt. De hoc fatuo nemo melius & fuſius quàm Guillelmus Neubrigenſis, qui quæ ſcribit, ea ſe ab aliquo qui Concilio interfuerat, ait didiciſſe. Sic ergo ille lib. 1. Hiſt. Angl. c. 19.

« Circa idem tempus Eugenius Papa Romanus ad ſedis Apoſtolicæ regimen ex « vitæ Regularis diſtrictione aſſumptus Eccleſiaſticæ ſtudio diſciplinæ in Gallias « veniens Generale Concilium inſtituit Remis: in quo dum ſederet cum omni « frequentia Epiſcoporum atque Nobilium, oblatus eſt ei Quidam vir peſtifer, qui « ſpiritu plenus Diabolico, præſtigiali aſtutia tam multos ſeduxerat, vt fretus ſe- « quentiũ numero per diuerſa loca formidabilis oberraret, Eccleſiis maximè Mona- « ſteriiſque infeſtus. Diu itaque multumque debacchatus, tandem à Remenſi Ar- « chiepiſcopo captus eſt ſapientiâ vincente malitiam de ſancto Concilio exhibitus. « Eudo is dicebatur Natione Brito, agnomen habens *De Stella*, homo illiteratus & « Idiota, ludificatione Dæmonum ita dementatus, vt cum ſermone Gallico *Eon* « diceretur, ad ſuam perſonam pertinere crederet, quod in Eccleſiaſticis Exorciſ- « mis dicitur, ſcilicet *Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum* « *per ignem.* Ita planè fatuus, vt *Eon* & *Eum* neſciret diſtinguere, ſed ſupra mo- « dum ſtupenda cæcitate crederet ſe eſſe Dominatorem & Iudicem viuorum & «

» mortuorum. Eratque per diabolicas præſtigias tam potens ad capiendas ſimpli-
» cium animas, vt tanquam ex muſcis aranearum opere irretitis ſeductam ſibi
» multitudinem aggregaret: quæ tota illum tanquam Dominum Dominorum
» indiuiduè ſequeretur. Et interdum quidem mirâ velocitate per diuerſas prouin-
» cias ferebatur; interdum verò morabatur cum ſuis omnibus in locis deſertis &
» inuiis, moxque inſtigante diabolo erumpebat improuiſus Eccleſiarum maximè
» ac Monaſteriorum infeſtator. Accedebant ad eum plerumque noti eis & propin-
» qui (erat enim non infimi generis) ſiue vt eum familiari auſu corriperent, ſiue
» vt quomodo ſe circa eum res haberet, cautius explorarent. Videbatur autem
» eſſe circa eum ingens gloria, apparatus faſtuſque Regius & qui cum eo erant la-
» boris ſolicitudiniſque expertes pretiosè indui, ſplendidè epulari, & in ſummâ
» lætitia agere videbantur, in tantum vt plerique qui ad corripiendum eum vene-
» rant, conſpecta eius non vera, ſed fantaſtica gloria corrumperentur. Fiebant
» enim ſed fantaſticè per dæmones, à quibus ſcilicet miſera illa multitudo non ve-
» ris & ſolidis, ſed aëriis potius cibis in locis diſertis alebatur. Nam ſicut poſtmo-
» dum per quoſdam audiuimus qui in eius fuerant comitatu, eoque ſublato tan-
» quam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promptu eius erant quo-
» tieſcumque volebat, panes, carnes, piſces, & quique cibi lautiores. Verum
» quod iidem cibi non ſolidi ſed aërij fuerint ſubminiſtrantibus indiuiſibiliter ſpi-
» ritibus aëris huius, ad capiendas magis quàm paſcendas animas, hinc elucet,
» quod quantumcunque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam tan-
» ta mox ſequebatur eſuries, vt eoſdem cibos illico repetere cogerentur. Quicun-
» que forte ad eos accedens ex cibis eorum vel modicum guſtaſſet, ex participa-
» tione menſæ dæmoniorum mente mutata ſpurciſſimæ multitudini continuò ad-
» hærebat. Et quicunque ab eis aliquid in qualibet ſpecie accepiſſet, periculi ex-
» pers non erat. Denique fertur quendam militem propinquum illius peſtiferi ac-
» ceſſiſſe ad eum, & ſimpliciter monuiſſe, vt abiurata nefanda ſecta illa per com-
» munionem Chriſtianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem aſtutè
» ſuſpendens oſtendit ei in multiplici ſpecie fantaſticarum opum amplitudinem,
» vt blandiente viſarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit, noſter es,
» ſume de noſtro quod & quantum vis. Verum homo prudens cum verba concep-
» tionis in ventum fudiſſet, exiuit vt abiret. Armiger verò eius conſpectum miræ
» pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupiuit. Quo petito & ac-
» cepto Dominum ſuum iam abeuntem cum lætitia ſequebatur. Cui ille, obiice
» citò quod portas; non enim eſt auis, vt videtur, ſed Dæmon ſic transformatus:
» cuius verbi veritas poſt modicum claruit. Cum enim inſipiens nollet audire mo-
» nentem, primò conqueſtus quod Accipiter ille vnguibus ſibi pugnum fortius
» ſtringeret, mox ab eodem per manum in aërem ſubleuatus deinceps non com-
» paruit. Sanè cum peſtifer ille ita debaccharetur, vt dictum eſt, ſæpius à Princi-
» pibus ad veſtigandum & perſequendum eum exercitus fruſtra mittebatur: quæ-
» ſitus enim non inueniebatur. Tandem verò fraudatus ope Dæmonum cum non
» amplius per illum debacchari ſinerentur (non enim niſi à ſuperioribus pote-
» ſtatibus iuſtoDei iudicio relaxantur) leui negotio à Remenſi Archiepiſcopo com-
» prehenſus eſt: & populus quidem ſtolidus qui eum ſequebatur, dilapſus eſt.
» Porro Diſcipuli, qui ei arctius adhærebant, eiuſque cooperatores exiſtebant,
» cum ipſo capti ſunt. Cum ergo ſtaret in conſpectu Concilij, interrogatus à ſum-
» mo Pontifice quiſnam eſſet, reſpondit *Ego ſum ille qui venturus eſt iudicare viuos &*
» *mortuos & ſeculum per ignem.* Habebat autem in manu ſuâ baculum inuſitatæ for-
» mæ: in ſuperiori ſcilicet bifurcum. Interrogatus quid ſibi vellet baculus ille, *Res,*
» inquit, *grandis myſterij eſt. Quandiu enim ſicut nunc videtis, duobus Cælum capitibus*
» *ſuſcipit; duas Orbis partes Deus poſſidet, tertiam mihi partem cedens. Porro ſi eadem*
» *duo ſuperiora capita Baculi ſummittam vſque ad terram, & inferiorem eius Partem, quæ*
» *ſimplex eſt, erigam, vt Cælum ſuſcipiat, duabus mihi partibus retentis tertiam tan-*
» *tummodo partem Deo relinquam.* Ad hoc riſit vniuerſa ſynodus, deriſitque homi-
» nem tam profundè datum in reprobum ſenſum. Iuſſus autem ex decreto Conci-
» lij, ne peſtis iterum ſerperet, diligenter cuſtodiri, tempore exiguo ſuperuixit. Diſ-
» cipuli verò eius, quos magnis inſignierat nominibus, alium ſcilicet vocans *Sa-*
» *pientiam*, alium *Iudicium*, & in hunc modum cæteros, cum ſanam doctrinam nul-

la

la ratione reciperent, potius obſtinatiſſimè de falſis gloriarentur vocabulis in tantum, vt ille qui *Iudicium* dicebatur, ſuis detentoribus vltricem infelici fiducia comminaretur ſententiam.

Curiæ prius & poſtea ignibus traditi, ardere potius quam ad vitam corrigi maluerunt. Audiui à quodam venerabili viro qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum qui *Iudicium* dicebatur, cum ad ſupplicium duceretur, crebro dicentem, *Terra findere*. Tanquam ad oris eius Imperium terra aperienda eſſet & deuoratura ſicut Dathan & Abiron hoſtes eius. Tanta vis ſemel infixi cordibus erroris fuit.

Eiuſdem hiſtoriæ meminerunt inter alios Continuator Sigeberti, & Otho Friſinghenſis lib. de Friderico cap. 50. 51. vſque ad cap. 55. aiuntque eum Diſcipulorum alios vocaſſe Angelos, alios Apoſtolos.

Item Richardus Hagulſtadenſis in Chron. de Geſtis Stephani Ang. Reg. ad an. 1147. Eudonem nuncupat Pſeudo-Prophetam & hæreticum. *Qui*, inquit, *in Concilio Remis damnatus & in turre Archiepiſcopi reclusus, vt malè cæpit, ita cecidit: de cuius incantationibus & fantaſiis melius eſt ſilere quàm loqui.*

In eodem Concilio citatus adfuit Henricus Toloſanus Petri Bruis quondam Diſcipulus Monachus Apoſtata, qui negabat oblationes pro mortuis aliquid prodeſſe: damnabat inuocationem Sanctorum, olei & criſmatis conſecrationem, Eccleſiaſticas Cenſuras, peregrinationes, vota religionis, & alias eiuſmodi conſtitutiones Eccleſiæ. Ille ergo de Hæreſi conuictus cuſtodiæ arctiſſimæ traditus eſt, vt ſcribit Gaufridus lib. 3. vitæ S. Bernardi c. 5. nam Bernardus perpetuum Hæreticorum flagellum in partes Toloſanas ſe contulerat, vt eum confunderet, & multos ibi eius impietate perditos & corruptos, ſua pietate concionibuſque ardentiſſimis conuertit & panis ſanctificati benedictione eripuit ab hæretica maledictione. Sic ergo de eo Gaufridus. *De Hæreſi Henrici Toloſani.*

In partibus Toloſanis Henricus quidam, olim Monachus, tunc Apoſtata vilis, peſſimæ vitæ, pernicioſæ doctrinæ, verbis perſuaſibilibus gentis illius occupauerat leuitatem, & vt prædixit Apoſtolus de quibuſdam in hypocriſi loquens, mendacium fictis verbis de eis negotiabantur. Erat autem hoſtis Eccleſiæ manifeſtus, irreuerenter Eccleſiaſticis derogans, ſacramentis pariter & Miniſtris. Nec mediocriter in ea iam malignitate profecerat: de eo enim ſcribens Pater venerabilis Bernardus ad Principem Toloſanum, inter cætera ait. Paſſim inueniebantur iam Eccleſiæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia, ſine Chriſto denique Chriſtiani: paruulis Chriſtianorum vita Chriſti intercludebatur, dum baptiſmi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationeſque pro mortuis, ſanctorum inuocationes, ſacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, Baſilicarum ædificationes, dierum ſolemnium vocationes, Criſmatis & olei conſecrationes, & omnes denique conſtitutiones Eccleſiaſticę ſpernebantur. Hac neceſſitate vir ſanctus iter arripuit, ab Eccleſia Regionis illius ſæpius iam ante rogatus, & tunc demum à Reuerendiſſimo Alberico Oſtienſi Epiſcopo & Legato Sedis Apoſtolicæ perſuaſus pariter & deductus: veniens autem cum incredibili deuotione ſuſceptus eſt à populo terræ, ac ſi Angelus de Cœlo aduenisſet. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo poſſet. Tanta erat frequentia diebus & noctibus aduentantium, benedictionem expectantium, flagitantium opem: prædicauit tamen in Ciuitate Toloſana.

Sed apertius Hæretici mores & mala ab ipſo Eccleſiæ Gallicanæ importata deſcribit ipſe Bernardus, ſimulq; quid in partibus Toloſanis fecerit. Quæ de re ſic ſcribit Ep. 240. ad Hildefonſum Comitem S. Egidij *Quanta audiuimus* & cognouimus mala quæ in Eccleſia Dei fecit & facit quotidie Henricus Hæreticus? Verſatur in Terra veſtra ſub veſtimentis Ouium Lupus rapax: ſed ad Domini deſignationem à fructibus eius cognoſcimus illum. Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia; ſunt & ſine Chriſto denique Chriſtiani. Eccleſiæ Synagoga reputantur, Sanctuarium Dei Sanctum eſſe negatur, ſacramenta non ſacra cenſentur, dies feſti feſtiuis fruſtrantur ſolennis. Moriuntur homines in peccatis ſuis, rapiuntur animæ paſſim ad Tribunal terrificum, heu! nec pœnitentia conciliati, nec communione muniti. Paruulis Chri-

» ſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia, nec ſaluti
» propinquare ſinuntur.... Non eſt hic homo à Deo, qui ſic contraria Deo & facit
» & loquitur. Proh dolor! auditur tamen à pluribus, & populum qui ſibi credat,
» habet. O infeliciſſimum populum! ad vocem vnius Hæretici ſiluerunt in eo om-
» nes Prophetiæ & Apoſtolicæ voces, quæ de vocanda in vna Chriſti fide è cun-
» ctis Nationibus Eccleſia vno veritatis ſpiritu cecinerunt. Ergo fefellerunt
» Diuina Oracula, falluntur omnium oculi & animi, qui quod legunt prædictum,
» intuentur impletum. Quam certè manifeſtam omnibus veritatem ſolus iſte ſtu-
» penda & prorſus Iudaica cæcitate aut non videns aut inuidens adimpletam ſi-
» mul. neſcio quâ arte diabolica perſuaſit ſtulto populo & inſipienti de re mani-
» feſta nec ſuis credere oculis, fefelliſſe priores, errare poſteros, totum mundum
» etiam poſt effuſum Chriſti ſanguinem perditum iri, & ad ſolos quos decipit,
» totas miſerationum Dei diuitias & vniuerſitatis gratiam peruenisſe.

Deinde Apoſtatæ mores ſic deſcribit. *Sed nunc audi quis ille ſit.* Homo Apoſtata eſt, qui relicto Religionis habitu (nam Monachus extitit) ad
» ſpurcitias carnis & ſeculi, tanquam Canis ad ſuum vomitum eſt reuerſus.
» Præ confuſione autem habitare inter cognatos & notos non ſuſtinens,
» vel potius non permiſſus ob magnitudinem criminis ſuccinxit lumbos ſuos, &
» iter quà neſciebat, arripuit factus gyrouagus & profugus ſuper terram. Cum-
» que mendicare cœpiſſet, poſuit in ſumptu Euangelium: nam litteratus erat &
» vænale diſtrahens verbum Dei euangelizabat, vt manducaret. Si quid ſupra vi-
» ctum elicere poterat à ſimplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, id
» ludendo aleis, aut certè in vſus turpiores effundebat. Frequenter ſiquidem poſt
» diuturnum populi plauſum nocte inſecuta cum meretricibus inuentus eſt præ-
» dicator inſignis, & interdum etiam cum coniugatis. Inquire, ſi placet, vir No-
» bilis, quomodo de Lauſana Ciuitate exierit, quomodo de Cenomanis, quomo-
» do de Burdigali, nec patet ei vſpiam reuerſionis aditus, vtpote qui fœda poſt ſe
» reliquerit veſtigia. Hæc & plura alia de Henrico.

» In eodem Concilio idem Pontifex Conſtitutiones quaſdam & Decreta edidit: & vnum inter cætera quod pertinet ad Monachos de clauſtris exeuntes, & ſe ſecularibus rebus immiſcentes, contra quos ſic ſtatuit. *Placuit communi noſtro Concilio, vt nullus Monachorum pro terreno lucro de Monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptiſmo ſuſcipere, neque baptizare, neque infirmum viſitare, neque mortuum ſepelire, neque ad Eccleſiam ſecularium tranſire, neque quibuſlibet negotiis ſeſe implicare. Sit Clauſtro ſuo contentus; quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine Monaſterio Monachus. Sedeat itaque ſolitarius & taceat, quia mundo mortuus eſt, Deo autem viuit.*

Porro huic Concilio aſtiterunt teſte Alberico Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates numero 1100. additque hic author quoſdam è diſcipulis Abaëlardi & Gilberti Porretani palam ibi de Bernardo detraxiſſe. *Pro Magiſtris nimirum zelantes,* inquit, *B. Bernardo detrahere cœperant: quorum vnus M. Stephanus de Almania dixit ſeipſum interfuiſſe Remenſi Concilio, & Bernardum noſtrum nihil aduerſus ſuum Gilbertum prævaluiſſe.* Hæc Albertus in Chronico Belgico Magno.

Poſt diſſolutionem huius Concilij Eugenius Pariſios rediit, ibique aliquandiu demoratus eſt, vt legitur in Chronico Mauriniacenſi: deinde Claram-Vallem vbi Monachus fuerat, ſe contulit, & ad Fratres ſermonem habuit non ſine gemitibus. Poſtea in Italiam reuerſus eſt, & demum ſummo cum honore Romæ receptus. Cardinales creauit inter cæteros, Rolandum Blandinellum Senenſem, qui poſtea factus Papa Alexandri III. nomen accepit; Nicolaum de Brekſpeare Anglum, virum Academicum qui ad Papatum quoque promotus, Adrianus IV. vocatus eſt; Gaufridum Monomuthenſem Archidiaconum, nomine Arthurium, quia Arthuri Anglorum Regis fabuloſam hiſtoriam contexuit, ſcripſitque vitam Merlini Caledonij, & multa alia opera.

Hiſce temporibus inter Cardinales eminebat & doctrina & ſanctitate vitæ M. Robertus Pullanus Vniuerſitatis Pariſienſis olim alumnus & Magiſter, tunc vero Cancellarius Apoſtolicæ ſedis. De quo hæc breuiter ſcribit Ioannes Prior Haguſtaldenſis Continuator hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis. *Præminuit his diebus in Clero Romano Robertus Pullanus Cancellarius Apoſtolicæ ſedis in omni ſapientia & Do-*

Etrina experientiſſimus, è Britannia oriundus, ab ineunte ætate Philoſophiæ deditus eiuſque obtentu Epiſcopalem honorem ab Henrico Rege oblatum reſpuens, victum & veſtitum habens his contentus fuit.

Quàm gloriosè autem iſte inter Cardinales eminebat, tam inter eoſdem malè audiebat Iordanus quidam, Legatus credo Eugenii Papæ aliquandiu in Regno Teutonico, in Francia & in Normania, quæ loca ait Bernardus eum repleuiſſe non Euangelio ſed ſacrilegio, ſeque ipſum fabulam feciſſe in ſcholis, in Curiis Principum & vbique paſſim. De eo ſic ſcribit ad Albericum Oſtienſem.

Pertranſiit Legatus veſter de gente in gentem & de Regno ad populum alterum, fœda & horrenda veſtigia apud nos vbique relinquens. A radice Alpium & Regno Teutonicorum per omnes pene Eccleſias Franciæ & Normaniæ & circumquaque circumiens vſque Rothomagum vir Apoſtolicus repleuit non Euangelio ſed ſacrilegio. Turpia fertur vbique commiſiſſe, ſpolia Eccleſiarum aſportaſſe, formoſulos pueros in Eccleſiaſticis honoribus vbi potuit, promouiſſe, vbi non potuit, voluiſſe. Multi ſe redemeruut, ne veniret ad eos: ad quos peruenire non potuit, exegit & extorſit per Nuncios. In Scholis, in Triuiis fabulam ſeipſum fecit. Seculares, Religioſi, omnes malè loquuntur de eo. Pauperes & Monachi & Clerici conqueruntur de eo. Homines quoque ſuæ profeſſionis ipſi ſunt qui magis exhorrent & famam eius & vitam. Hoc teſtimonium habet & ab his qui intus, & ab his qui foris ſunt. Non ſic Dominus Ioannes Paperons, non ſic, cuius laus eſt in Eccleſia, quippe honorificantis vbique miniſterium ſuum. Legite litteras has Domino meo. Ipſe viderit, quid de tali homine faciendum ſit, ego liberaui animam meam.

Anno 1148. cœperunt Canonici Regulares Domum San-Genouefianam inhabitare, cuius anno præterito poſſeſſionem inieraht præſente Sugerio, vt legitur in libro Euangeliorum qui ſeruatur in Sacrario S. Genouefæ argento munitus, in quo hæc verba habentur. Anno Domini 1148 iuit Rex Ludouicus Hieruſalem. Eodem anno Eccleſia noſtra de ſtatu Canonicorum ſecularium ad Regularem ordinem eſt mutata ope atque induſtria Sugerii bonæ memoriæ S. Dionyſii Abbatis, iniungente eidem Abbati D. Eugenio Papa III. recordationis ſanctæ & illuſtri Francorum Rege Ludouico ſupradicto. Malè tamen quiſquis ille ſcriptor eſt, ad annum 1148. Regis profectionem notat, cum ex Chronico Mauriniacenſi conſtet an. 1146. hebdomada Pentecoſtes profectum. 1148. *Rurſus de Negotio San-Genouefiano.*

Qualis autem Canonicorum ſecularium vita eſſet, præter eos quos ſupra laudauimus, docet Stephanus Tornacenſis Abbas San-Genouefianus. *Anno*, inquit ab incarnatione Domini 1147. factum eſt verbum in palatio Regis & tractatum ſolemniter & protractum fideliter & feliciter conſummatum. Venerunt Nuncii qui dicerent Eccleſiam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in monte Locutitio ſitam, in qua glorioſa virgo Genouefa requieſcit in corpore, multis exponi periculis, & informi ſtatui ſuorum morum potius quàm murorum minari ruinam. Filios eius ſingulariter ſeculariter viuentes quærere quæ ſua ſunt, vagari poſt greges ſodalium ſuorum: Eccleſiaſtica ſtipendia, quæ ſunt tributa egentium animarum provoluntate ſua conſumere, portiones de communi facere & non viuere in communi. **Diuina Officia** minus deuotè, minus religioſè celebrare. Propter hæc & alia quæ dici non opus eſt, Perſonarum ſtatum mutari debere, mundari ſancta & in melius ordinari. Placuit ſermo in oculis Domini Sabaoth & Principum eius, nec ſine lætitia mirati ſunt Vniuerſi.

Vt autem ſe viderunt Canonici veteres expelli, aut ſaltem non eam ſe habere quam habebant antea licentiam rurſus ad Pontificem è ſuis aliquos delegarunt, cum à Sugerio nihil obtinere poſſent. Alii Theſaurum Sanctæ Genouefæ ex parte rapuerunt, & plura auferre moliti ſunt, vt ſic ædem vacuam & honore ſpoliatam Regularibus relinquerent. Quos vbi reſciuit Sugerius, Romam propere, his litteris Papam quid molirentur, quidque egiſſent, admonuit.

Chariſſimo Domino & Patri D. G. Vniuerſali & ſummo Pontifici Eugenio Sugerius B. Dionyſij Abbas, Obedientiæ & ſeruitij plenitudinem. Laudem Domini loquitur os meum, quod tanta tanti Patris & vniuerſalis Domini Celſitudo pro executione debitæ obediētiæ apud S. Genouefam paruitati noſtræ quæ pene nulla eſt, grates reddere non dedignatur. Profectò inter alia hoc potiſſimum extat quo ad omnem indif-

" ferenter obedientiæ plenitudinem animamur, quoad omnium mandatorum veſtrorum executionem pro toto poſſe tam piè quàm audacter accingimur. Sane " quod præ manibus eſt S. Genouefæ negotium, opus Diuinum, opus ſanctum, " opus quod operatus eſt Deus per vos in diebus noſtris, miſerrimi illi ſeculares non " tam Canonici quàm S. Genouefæ perſecutores apud nos impedire non valentes, " cateruatim Romam properantes feſtinant, ſi forte quacumque occaſione, quo- " cumque pietatis honeſto aut inhoneſto modo Petri conſtantiam mouere, Cu- " riam Romanam petitionibus flectere, familiares & per familiares alios decipere, " pro vitâ, pro moribus, pro re familiari qualicumque ne mutetur, toto niſu animi " & corporis innitentes. Verum quia cauſa Eccleſiæ cauſa Dei eſt, Petro & Petri " Vicario per Petrum commiſſa, confidimus in Domino Ieſu, qui ipſe, qui cœpit " perficiet, nec poterunt viri Offenſores Dei & ſui Proditores aduerſus Religio- " nem in Curia Capitali Religionis præualere. Qui quàm indiſcretè & irreueren- " ter contra præceptum veſtrum ſe habuerint, veſtræ Paternitati ſignificare di- " gnum duximus. *Theſauros quos Nobis præcepiſtis aſſignare Abbati & Canonicis Re-* " *gularibus audiente Archiepiſcopo Remenſi & Epiſcopo Sueſſionenſi, & aliis quamplurimis Religioſis perſonis ex parte veſtra oſtendentes litteras præceptionis veſtræ exegimus.* " Qui iniquitate inuoluti, nequitiâ excæcati nec theſauros furtim ſublatos, videli- " cet 14 marcas auri vt aiunt, ex feretro S. Genouefæ, nec reliquias eiuſdem vi- " delicet Caſulam S. Petri, pro quo eos Regia poteſtate, niſi eis pro reuerentia ve- " ſtræ Celſitudinis parceremus, tanquam fures aut raptores tenuiſſemus; nullo " modo reddere voluerunt. His igitur & huiuſmodi iniuriis Deo & Sanctis eius & " Apoſtolicæ Reuerentiæ derogantes, pro contemptu, pro inobedientia, pro ſa- " crilegio in vltionem Eccleſiaſticam decidentes, quem meruerunt ex rigore Iu- " ſtitiæ recipere talionem, eos in proximo ſentire ſuppliciter efflagitamus. Illuc " enim ſuperbiendo aſcenderunt, vnde eos iuſto iudicio proſternere & ſeruos Dei " in pace conſeruare facillimè poteſtis. Sæpius enim multa conuicia, minas terri- " biles eis intulerant. Garciones ſuos eandem Sanctæ Genouefæ Eccleſiam noctu " intrare & oſtia eorum frangi fecerant contra Canonicos Matutinas incipientes " conclamare, ne alter alterum audiret, impulerant: donec nos ſuper his iniu- " riis ab eiſdem Canonicis Regularibus vocati illuc accelerauimus, oculorum " excœcationem & membrorum detruncationem helluonibus eiuſmodi, ſi quid ſi- " mile committerent terribiliter promiſimus.

" Seruientes de nocte ſi qui interciperentur, crebro tranſmiſimus, & ſic per Dei " gratiam zelo obedientiæ & Regiæ Maieſtatis terrore eos in pace tanquam Dei " excelſi ſeruos libentiſſimè confouemus; & in hoc ſolo Dei & ſanctæ Religionis " amore, quandiu vobis placuerit, conſtanter perſeuerabimus. Verum tan- " tum bonum quo lætatur Eccleſia Dei, quo prædicabitur ſancti Apoſtolatus veſtri " vſque in finem ſeculi famoſa beatitudo taliter pacificè & quietè terminari pote- " rit, ſi iis Religioſis Chorum, Capitulum, Clauſtrum & Refectorium ad conſer- " uationem S. Religionis iuxta ordinem S. Victoris illis excluſis deliberari feceri- " tis. De reditibus etiam exterioribus ex terrarum cuſtodia cauendum erit, ne in " manibus eorum, qui eam omnino Religioſorum odio deſtruerent, dimittatis. " Conſtat enim quod Irregulares Regularibus nunquam niſi in manu forti conſen- " tient, neque pro extorta peccatorum voluptate, niſi miſericordia Dei effecerit, " eis verâ pace iungentur.

Iuxta haſce Sugerii litteras Eugenius fert ſententiam excommunicationis in contumaces, cuius quidem executionem eidem Sugerio committit & Hugoni Antiſſiodorenſi Epiſcopo viro litteratiſſimo & tum quoque celebris famæ. Atque ne moleſtè & grauiter ferat Sugerius, quod ipſi ſocius adiungatur, facti rationem reddit hac Epiſtola Pontifex.

" Eugenius Epiſcopus S.S. Dilecto filio Sugerio Abbati S. Dionyſii Sal. & Ap. " Ben. Notum ſit diſcretioni tuæ, quod non ideo tibi venerabilem fratrem noſtrum " Hugonem Antiſſiodorenſem Epiſcopum in denunciatione ſententiæ noſtræ ad- " iunximus, vt de te aliquatenus diffidere debeamus, cum præterita & fortia facta " futuræ conſtantiæ exhibeant argumenta: ſed vt S. Genouefæ ſeculares Canonici " in te ſpecialiter inuidiæ cauſas non habeant exercere, tibi iam dictum fratrem " noſtrum duximus adiungendum. Tua itaque intereſt, quatinus taliter in ince-

pro bono firmus exiſtas, vt ſicut Religionis plantator videris, ita & conſeruator ipſius debeas authore Domino iudicari.

Idem mandat alia Epiſtola: & præterea, vt curet de Decanatu S. Genouefæ ſummam aliquam perſolui Hugoni de S. Victore. *De Dilectione tua*, inquit, *plurimum* confidentes omnia quæ portare conſueuit charitas, imponere tibi nullatenus dubitamus. Quia ergo Dilectus filius noſter Hugo Canonicus S. Victoris ad Nos rediturus eſt, beneuolentiam tuam rogamus, quatinus ei equitaturam vnam & expenſas, quæ pro ipſa & eius ſeſſore in reditu ſibi ſufficiant, largiaris, & Abbati ac fratribus S. Genouefæ ex noſtra parte iniũgas, vt de reditibus Decanatus, qui aſſignari eiſdem Fratribus debent, viginti quinque libras Prouinienſium, quas ad opus Eccleſiæ à Creditoribus ſuſcepiſſe dinoſcitur, eidem Hugoni reſtituant. Præterea diſcretioni tuæ notum fieri volumus, quod pro eo vt cauſæ inimicitiarum Secularium Clericorum eiuſdem Eccleſiæ contra te minuerentur, venerabilem Hugonem Antiſſiodorenſem Epiſcopum tibi adiunximus, ſicut potuiſti ex aliarum inſpectione litterarum, quas tibi tranſmiſimus, agnouiſſe.

Item Epiſt. 138. teſtatur quàm moleſtè ferat Theſaurum Eccleſiæ San-Genouefianæ à Secularibus fuiſſe oppigneratum. Quid ergo fieri velit, mandat his verbis.

Eugenius.... Prudentiam tuam latere non credimus nobis plurimum eſſe moleſtum, quod Theſaurus Eccleſiæ S. Genouefæ pignori eſt obligatus. Quia verò nolumus vt Eccleſia ipſa aliqua negligentia vel contentione detrimentum exinde patiatur, aut ornamentis ſuis aliquorum nequitia vel verſutia ſpolietur, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus ad locum ipſum accedas, & rem diligenter inquirens, quidquid de eodem theſauro per Seculares obligatum eſt, ex quo mutatio Eccleſiæ ad eorum peruenit notitiam, de proprio eos redimere cogas. Quod verò ante obligatum fuerat, de communi tam Regularium quàm ſecularium prout quibuſque competit, facias redimi; ſollicitè attendens, ne aliquorum nequitia damnum in hoc Eccleſia patiatur. Qui autem ſuper hoc tibi rebellis extiterit, authoritate noſtrâ eum excommunicationi ſubiicias. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Kal. Maij.

Ita quandiu vixerunt ſeculares, nunquam cum Regularibus pacem nec concordiam habere potuerunt. Secularium partes cauſamque tuebantur è Ciuibus plurimi. Sugerius verò illis infenſus Regem quoque aduerſus eos accenderat. Vnde cum diuulgatus fuiſſet rumor, eos abſtuliſſe furto caput S. Genouefæ, Rex in factum inquiri diligenter iuſſit, minatus ſe omnes ad vnum expulſurum, ſi rei veritas famæ conueniret. Quâ de re ſic legitur in vita Sancti Guillelmi Roſchildenſis.

Ortus eſt poſtea rumor in vulgo ablatum eſſe Caput S. Genouefæ à loco ſuo. Perfertur etiam ad aures Ludouici Regis, qui valde indignatus iurauit, ſi res ita foret, ſe Canonicos eius Eccleſiæ omnes inde expulſurum. Adhibentur autem Cuſtodes Religioſis Eccleſiæ illius, mittitque Rex litteras ad Archiepiſcopum Senonenſem eiuſque Suffraganeos Epiſcopos, Abbates quoque & Priores eius Diœceſis, vt ad certum diem omnes adſint Pariſius rei huius veritatem exploraturi. **Vbi ad Fratres Eccleſiæ S. Genouefæ Regis minæ** peruenêre, non immeritò animis conſternati ſunt: ſed longè tamen dolebant magis tam precioſo ſacrarum Reliquiarum theſauro ſe, vt verebantur, orbatos eſſe. Ante omnes dolebat hoc nomine Vvillelmus (Roſchildenſis) qui Reliquias omnes & Theſaurum Eccleſiæ aſſeruanda iampridem receperat. Iam aderat præſtitutus dies. Aduenit Rex cum ſuis. Aduenerunt Pontifices & Abbates. Aduenit etiam populi multitudo non exigua, exitum rei noſſe percupiens. Deſignantur qui cum Epiſcopis aſcendant ad eum locum, vbi S. Genouefæ Reliquiæ ſeruabantur. Voluit autem cum eis pariter aſcendere Vvillelmus tanquam ſacri Cuſtos Theſauri, ſed non permittitur. Arripuit tum ille haud ſcio an Candelabrum vel Turibulum, ſecum ita dicens. Si non licet aliter, ſaltem vt miniſter aſcendam. Aperitur deinde Theca. Et ecce caput S. Virginis, quæ eſt Galliarum decus & ornamentum, cum cæteris ſuis artubus reperitur. Non potuit tunc animi ſui lætitiam intra ſe cohibere Vvillelmus, ſed non habita ratione tot longè maiori dignitate præſtantium virorum fidenter cantat *Te Deum laudamus*. Eius vocem excipit tota illa homi-

» num frequentia & ad finem vſque Canticum illud depromit.

Succeſſerunt ergo Canonici Regulares S. Genouefæ omnibus iuribus ſecularium, ac proinde Forum ſeruarunt vt hodie habent, & totam Ditionem *temporalem* atque *ſpiritalem* vt vocant. Nec aliunde certè Cancellariatus Vniuerſitatis huic Domui aduenit, quàm ex veteri ſecularium iure, & exercitio ſcholarum. Nam illi quemadmodum Canonici Cathedralium ſuas ſcholas in clauſtro habebant, vt exemplo Huboldi probauimus, qui relictis Leodienſibus ſcholis Pariſiosvenerat & Canonicis san Genouefianis ad hauriendas diſciplinas adhæſerat. Habebant & illi, *Magiſtrum Scholarum* ſeu *Cancellarium*, qui omnibus Magiſtris docere volentibus in monte & valle ſubiecta licentias impertiebatur. Qua de re diximus in ſynopſi primi ſeculi.

Eodem anno Henricus Ludouici Craſſi filius & frater Regis, qui contemptis & calcatis mundi diuitiis pro Chriſto in Clara-Valle habitum Monachalem induerat, fit Epiſcopus Bellouacenſis inuitus & diu reluctatus, permittentibus verò & iubentibus Petro Cluniacenſi & B. Bernardo. Vnde ad Petrum ille ſic ſcribit. *Quid eſt quod feciſtis? ſepultum hominem reuocaſtis ad homines, & conſilio veſtro cui nimium creditum eſt, expoſitus ſum & repoſitus in terribile curarum pelagus? vt me iterum honoris altitudo reſorbeat. Neſcini. Anima mea conturbauit me propter Quadrigas Aminadab quas ſuſcepi regendas, regi non regere opus habens.* Similiter ſcripſit ad Sugerium antequam electioni ſubſcriberet, enixè rogans, vt à ſe Clericorum vota amoueret: ſibi enim non eſſe in animo redire ad homines, quos reliquerat, & ad honores, quos contempſerat.

Denique factus Epiſcopus ſtatim initio ſuæ adminiſtrationis ſimultatem exercuit cum Rege fratre ſuo. Vnde Rex tam vehementer exarſit, vt ipſam ciuitatem ſubuertere molitus fuerit: verum tandem ope Sugerij pax parta eſt, poſtquam Henricum per litteras grauiter increpauit, quod contra Dominum ſuum Regem pium, Eccleſiarum amicum, & totius boni æmulatorem intentiſſimum calcaneum extolleret. Pace ergo parta Henricus ab Eugenio Papa Priuilegium obtinuit datum Ferenti Nonis Martij an. 1150. quo Eccleſia Bellouacenſis ſub B. Petri & Pontificum Rom patrocinio ſuſcipitur. Iſte autem Henricus cum fratribus ſuis in ſcholis Clauſtralibus B. Mariæ educatus & inſtitutus fuerat, vt ante dictum eſt.

Nondum erat hoc anno ſopita diſcordia quæ in Eccleſia Pariſienſi anno ſuperiore emerſerat poſt aſſumptum Bartholomæum de Senlis eiuſdem Eccleſiæ Decanum ad Epiſcopatum Catalaunenſem: cum enim de ſucceſſore deligendo non potuiſſent inter ſe conuenire Capitulares Canonici, Eugenius Papa mandauit, vt delectis 4. Canonicis Electio committeretur, iſque foret Decanus in quem conſenſiſſent. At illi vnum e quatuor non ſatis probatæ vitæ hominem elegerunt. Vnde turbatio maior exorta eſt præſertim inter Decanum recens electum & Cantorem. Sugerius naſcentis mali initiis mederi voluit, cum adhuc eſſet in Francia Eugenius: quamobrem illi Pontifex gratias agit Epiſtola data Antiſſiodori 11. Non. Octob. his verbis. *Quod* pro Pariſienſi Eccleſia te ſolicitum eſſe perpendimus, gratum habemus; & ſi qua in te perperam committuntur, pro noſtri officii debito condolemus, & vt ad viam rectitudinis reuocentur, operam dare Deo auxiliante curabimus.

Reuerſo verò in Italiam Eugenio vulnus recruduit, vt teſtatur hac ad ipſum Epiſtola Sugerius, quam eo libentius refero, quod Eccleſiam Pariſienſem à doctrinæ & litterarum exercitio commendet.

Eccleſia Pariſ. laudatur à Doctrina.

Amantiſſimo Patri & Domino D.G. ſummo Pontifici Eugenio Sugerius B. Dionyſii humilis miniſter obedientiæ & ſeruitii plenitudinẽ. Nobilem B. Mariæ Pariſienſis Eccleſiam inuitante Charitate multiſq; rogantibus Pater S. diſcretioni veſtræ attentius commendantes, quia plus ſolito aget, vt plus ſolito ſubueniatis, ad præſens ſuppliciter poſcimus. *Cum enim venerandi ſtatus nobilitate, & famoſa Doctrinæ lampade hactenus clarere conſueuerit*, in defectu perſonatus Decaniæ vacillans, grauiter ſi non ei ſubueniatur, declinare feſtinat. Cum enim qui alios Doctrina & vitæ exemplo præcedere debet, etiam ſequi neſciat, profecto ſubditorum Diſciplina per eius inſcitiam à doctrinæ & prudentiæ tramite exorbitat. Sane cum in Galliis veſtra Deo & hominibus grata frueremur præſentiâ, aſſumpto

eiuſdem Eccleſiæ Decano Bartholomæo in Epiſcopum Catalaunenſem, propter
diuerſarum Partium Pariſienſis Capituli diſſonantiã, qui crebro localiter conue-
nientes in acceptione eiuſdem perſonæ in Decanum conuenire non valebant, à
Paternitate veſtra eandem electionem committere honeſtioribus perſonis eiuſ-
dem Eccleſiæ, quorum induſtriâ ad honorem Dei pacificaretur controuerſia, man-
datum ſuſceperunt. Qui parati obedire, 4. eiuſdem Eccleſiæ Canonicis, quorum
vnus hic erat (nempe Decanus Clemẽs electus) nihil mali in eis aut de eis ſuſpican-
tes electionem commiſerunt. Qui quod ſemel inter ſe ſuſceperant, extra ſe ero-
gare recuſantes, quin potius inter ſe retinentes, ipſi hunc de forſitan ſibi in De-
canum elegerunt. Super quo valde mirati ſumus, quod cum authoritate veſtra
quatuor commiſſa fuerit electio, ſi tres quartum elegerunt, minus obedierunt,
Quod ſi quartus cum aliis ſe elegerit, Paternitatis veſtræ Diſcretio infinitè me-
lius quàm nos cognoſcit, quid fecerit. Verũ ſi quòd minus in electione inuenitur,
in perſonæ probitate ſuppleretur, in recompenſatione ſuſtineri poſſet. Sed ſicut
perhibent, qui eum nouerunt, nec alicuius diſcretionis, nec bonæ conuerſatio-
nis, nec bonæ famæ extitit. Proniorem enim publicè ac priuatim dicunt eum ad
omne deterius, expertem conſilii & auxilii, in omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus
pœne nullum; ſub quo languere potius quam proſperari Eccleſia valeat. Cuius
indiſcretionis argumentum in ea poteris actione cognoſcere, quam Epiſcopus
Pariſienſis, Theobaldus, paternitati veſtræ tranſmittit de ea quam audire pote-
ſtis contra eiuſdem Eccleſiæ Cantorem controuerſia eum mouiſſe. Cum enim
pro conſuetudine Eccleſiæ & Apoſtolicæ immunitatis authoritate præfatus
Cantor ita Decano parificetur, vt neque de Eccleſiaſticis neque de ciuilibus, ſiue
in Capitulo ſeu extra abſque eius conſilio diſponere habeat, quadam die
cum eſſent in Choro, Horam Canonicam decantantes, & Cantor cuidam Cle-
rico loqueretur, quo more ſolet omnibus, de canendis vel legendis pronuncia-
re, accepta inde occaſione inuectiuè inſiliensin Cantorem, turpiter tacere impe-
rauit: & dum Cantor auditori proſequeretur quod inceperat, admirans indiſ-
cretam Decani vehementiam, Decanus ipſe more arreptitii furens Choro de-
cantanti ſilentium imperauit, non reputans quod ſi minimus Canonicorum, ne-
dum iſte qui more Eccleſiæ illi parificetur, vt nihil abſque eo neque in Choro
neque in capitulo conſtituat, aliquid in Choro commiſiſſet, in Capitulo Cano-
nicè corrigeretur. Hinc emerſit inter eos, cuius accuſationem D. Pariſienſis
Epiſcopus Paternitati veſtræ ſcribere curauit, querela, hoc habuit primor-
dium: hoc motus ille pedibus & manibus mouet Eccleſiam, inquietat, vt in-
quieteretur, pacis & quietis ignarus. Cantor præfatus iniuriam aliquanto quietius
ſuſtinens tam per D. Epiſcopum Pariſienſem quàm per Capitulum Eccleſiæ: tam
per Antiſſiodorenſẽ quàm Sueſſionenſem, per nos etiam & per alios multos ad Iu-
ſtitiam faciendam & ſuſcipiendam ne indiſcretus videretur, crebro ſe obtulit, &
proniorem ad pacis compoſitionem & iuſtitiæ executionem audiuimus eum qui
paſſus eſt, quàm qui fecit iniuriam. Nec hoc ſolum aut primùm factum eſt, quod
Pariſienſem Eccleſiam modo generaliter, modo perſonaliter, ſicut indiſcretione
rapitur, vexare conſueuit. Quæ omnia ſi referrentur ad vos, faſtidium generarent.
Placeat igitur ſanctæ paternitati veſtræ, adquàm omnia ſpectat corrigere, muta-
re, mouere, (oculi enim omnium in te ſperant Domine) taliter eidem Eccleſiæ pro-
uidere, ne in defectu Decani intus & foris depereat, ne nobilis Eccleſia Pariſienſis
afflicta degeneret, ne cum non oporteat, viri illius occaſione omnino declinet,
ſerò fortaſſis eius reſtitutioni manum referetis.

Decanus iſte, cuius hic mentio fit, Clemens vocabatur, reperiturque ſcriptus in Charta Sugerii Abbatis pro decima S. Bricii an. 1148. & in conceſſio-
ne Monialibus Montis-Martyrum factâ pro conſtructione Eccleſiæ, quæ vulgo, *Burgus Reginæ* vocatur: in qua ſubſcriptus quoque legitur Algrinus eiuſdem Pariſienſis Eccleſiæ Cancellarius ſub Theobaldo: quo tempore M. Petrus Lombardus Theologorum Princeps in Scholis San-Genouefianis ſacras paginas docebat. Eiuſdem Clementis mentio fit in Litteris Regis Ludouici datis an. 1157. Sariſiis. Sic enim in iis legitur. *Theobaldus Pariſienſis Eccleſiæ venerabilis Epiſcopus & Clemens Decanus aliique Canonici noſtræ ſupplicarunt ſerenitati.*

Anno 1149. rediit Ludouicus Rex ex Paleſtina ſatis malè & improſperè geſtis 1149.

rebus: qua de re fuſè agunt Hiſtorici. Quanta autem abſente Rege Sugerius in Regno adminiſtrando prudentiâ vſus fuerit, quàm fortiter omnia præſtiterit, teſtatur inter cæteros ſcriptores huiuſce temporis Anonymus Poëta his verſibus, qui leguntur in 4. Tomo Hiſtoriæ Ducheſnianæ.

LAVDES SVGERI.

Magne Sugere pater, cui ſummus apex meritorum
Inter præcipuos dat loca prima Deos,
Carmen ab Incudi nouiter tractum tibi dono,
Scripta precor limâ corrige noſtra tuâ.
Sint inculta licet, ſint vilia, ſint male compta,
Tu pretioſa tamen, cum legis, illa facis.
Laudes ergo meas de laude tua precor audi.
Incitat ad laudem me mea Muſa tuam.
Cum natura parens rerum bene cuncta crearet,
Te mirabiliter condere diſpoſuit.
Cumque rudi de materia ſint cætera tracta,
Te Dea de maſſa nobiliore tulit.
Artifici ſque diu dubium fuit in ratione,
Vtrum mortalem, ſiue Deum faceret.
Maſſa valens operi ſic conueniebat vtrique,
Vt vel poſſet homo, vel Deus hinc fieri.
Feciſſetque Deum Dea, ni ſuperi vetuiſſent,
Quorum conſilio quod facit, omne facit.
Pertimuere quidem, ne ſi totus Deus eſſes,
Deprimeres alios mira patrando Deos.
Inuidia tandem ſuperûm permixtus vtroque,
Semiuir efficeris, ſemideuſque ſimul.
Dimidium Maſſæ tecum retinens in vtroque
Nec vir es abſque Deo, nec Deus abſque viro.
Ex alio Diuina cupis, Diuinaque tractas,
Et quæ ſunt hominis perficis ex alio.
Eſt ex Diuina natura, quod tibi Cælos
Cælorumque Deos pingis in Eccleſia.
Eſt ex humanâ quod Regum protegis armis,
Angeturque tuis publica res ſtudiis.
Et nunc ſemideus in Templo Cælica tractas:
Nunc vir in bello fortia facta geris.
Sic homines cauſamque Dei moderans in vtroque,
Vt res illa Deo congruat, hæc homini.
Qui dum Francorum populos cum Rege gubernas,
Poſt Regem quaſi Rex ſceptra ſecunda tenes.
Nec magnum quidquam ſine te Rex perficit vnquam,
Nec quidquam magnum tu ſine Rege facis.
Tanta duobus ineſt vobis concordia facti,
Vt neuter facto diſcrepet alterius.
Alter in alterius ſic eſt deuinctus amore, vt
Alterius quaſi cor pendeat ex alio.
Denique Roma potens, cui totus flectitur orbis
Flectit ad obſequium colla ſuperba tuum.
Nec plus Cæſaribus magni concedit honoris
Quam tibi, Cæſareis ſit licet aucta bonis.
Ad nutum ligat illa tuum, ſoluitque nocentem,
Et quem iuſtificas, non ſinit eſſe reum.
Quodque tuis titulis accedit, quidquid in vrbe
Iuſſeris, infectum non valet eſſe diu.
Sic Rex, ſic Cæſar, ſic vnus Semideorum,
Sic homo plus homine, niteris eſſe Deus.

Extant quoque plurimæ ad Sugerium Eugenii Pontificis, Bernardi Claræ-Vallenſi

lenſis, & optimatum Francorum Epiſtolæ huiuſce teſtes veritatis.

Eodem anno Bernardus multos adhuc Academicos Pariſienſes ad ordinem ſuum conuertit: & cum quidam pædagogus cum Diſcipulo tanti viri famâ & ſanctitate excitatus de Germania Pariſios ad ſcholas veniens Clare-Vallenſe Cœnobium luſtrare in animo habuiſſet, ille vitæ ſanctimonia, quæ ibi vigebat, tactus ibi remanſit, Diſcipulumque ſuum ad ſe Dei vocantis iugo ſubdendum retinere conatus eſt. Qua de re ſic habet Exordii magni authorcoæuus. *Egregius quidam* « adoleſcentulus de partibus Germaniæ oriundus comitante Magiſtro ſuo ſtu- « diorum gratia Pariſius adibat: qui cum tranſitum haberent per Domum Claræ- « vallis, Magiſter ille videns loci Conuentum & Ordinem, neſcio quo Dei Iudicio « compunctus ad horam petiit & obtinuit vt ſuſciperetur ad Conuerſionem: cum- « que rogaret adoleſcentulum vt ſecum remaneret, penitus non acquieuit: mul- « tum ſiquidem abhorrebat à conſortio ſimul & colloquio Ciſtercienſium Mona- « chorum, ſœpiuſque rogabat Deum nunquam ſibi dari voluntatem ad Ordinem « illum cauſa conuerſionis veniendi. Proinde roganti Magiſtro, fratribus quoque « Monaſterij adhortantibus eum, dura ceruice reſiſtens nullis prædicationum ma- « chinis poterat expugnari.

De cauſa M. Petri Lombardi ad Sugerium remiſſa.

Circa hæc eadem tempora exortâ quadam inter Scholaſticos ſeditione, quæ nonnullos etiam Magiſtros implicuit, cum ab Epiſcopo Pariſienſi Theobaldo excommunicati fuiſſent quidam profeſſores, nec potuiſſet pax in Academia conciliari, M. Iozelinus Meldenſis ad Eugenium Pontificem detulit nomen cuiuſdam M. Petri & aliorum duorum comprofeſſorum, qui non modo ſcholaſticorum proteruiam non compreſſerant, verum etiam feroces eorum animos ad plus audendum excitaſſe dicebantur. Ergo Iozelinus & Petrus Romam profecti ſunt, cauſaſque ſuas egerunt, vterque fortiſſimè: ſed M. Petrus magnam habuit apud Cardinales commendationem: itaque rei iudicio ad Sugerium ab Eugenio Pontifice remiſſo, ad eundem attulit eorum litteras commendatitias: ex quibus intelligitur Petrum illum ingentis fuiſſe famæ & exiſtimationis. Rem itaque ſic Eugenius remittit ad Sugerium.

Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto Filio Sugerio Abbati S. « Dionyſii ſal. & Apoſt bened. Pro Controuerſia & diſcordia, quæ inter M. Petrum « præſentium latorem & Iozelinum Meldenſem Canonicum agitari dinoſcitur, « vterque noſtro ſe conſpectui præſentauit. Primum quidem Iozelinus dicebat « à prædicto Petro iniuriam & violentiam ſibi fuiſſe illatam, & propter hoc eum « ad noſtram audientiam appellaſſe. Poſt diſceſſum vero ipſius Iozelini à nobis « idem Petrus ad Nos quæ de ipſo dicta fuerant, omnino negabat. Quia igitur rei « veritatem ad plenum ſuper hoc cognoſcere non potuimus, cauſam ipſam diſ- « cretioni tuæ duximus remittendam. Per præſentia itaque ſcripta dilectioni tuæ « mandamus, quatinus vtraque parte ante præſentiam tuam euocata, eandem « controuerſiam diligenter audias. Et ſi aduerſa pars in dictum Petrum illatæ vio- « lentiæ Reum non poterit manifeſtè probare, & Petrus innocentiam ſuam con- « uenienter oſtenderit, Eccleſiaſticæ eſt moderationi conueniens, vt eum ſua de- « beat Innocentia liberare. Si vero impoſitæ culpæ immunem ſe nequiuerit com- « probare, vel quomodo cauſa proceſſerit, hoc tuis nobis litteris quantocius inti- « mabis. «

Eiuſdem M. Petri cauſam commendarunt per litteras duo Cardinales Iuo & « Hugo: item & alius Hugo Romanus: quas litteras ipſe M. Petrus Sugerio tradi- « didit in manus. Sunt autem eiuſmodi. «

Sugerio Dei gratia Venerabili Abbati S. Dionyſii I. eadem gratia S. Mariæ « Nouæ Diaconus Cardinalis ſalutem & dilectionem. Pro latore præſentium M. « Petro dilectionem veſtram plurimum rogamus, quatenus in cauſa ſua quæ ve- « ſtræ prudentiæ à D. Papa committitur, pium vos ſentiat & manſuetum & tantis « laboribus ſuis miſericordiæ compaſſione propinquum. Ipſe quidem aſſerit ſe ab « impoſita culpa immunem: quamuis ſi culpabilis inueniretur, leuiganda eſſet vti- « que propter conſuetudinem & impunitatem Scholaſticorum exceſſuum. Verum « quia iſta cauſa ad Romanam audientiam delata eſt, & ad veſtram remiſſa, ſeruetur grauitas, adhibeatur & pietas: cohibeatur ſtultitia, honoretur ſcientia, do- « ctrina formetur & charitas reparetur. Compenſatis quoque vtrimque laboribus «

» ita terminus imponatur, vt curioſitas & inquietus animus apud vos nullatenus
» locum inueniat, pro ſe iſte rationem pio iudici reddat, & quicunque conuicti fue-
» rint prohibitam violentiam commiſiſſe, onere ſuo ſinguli onerentur.

» In eandem rem ſic reſcribit Hugo Cardinalis *Chariſſimo Fratri & amico Suge-*
» *rio*, Venerabili S. Dionyſij Abbati Hugo S. Romanæ Eccleſiæ titulo in Lucina
» Preſbyter Cardinalis ſal. & dilectionem. Præſentium lator ad pedes D. Papæ
» veniendo plurimum laborauit, quem pro exceſſibus excommunicationis vincu-
» lo innodatum nos eiuſdem Domini noſtri mandato abſoluimus. Cauſam autem
» ipſius ſicut in litteris D. Papæ continetur, diſcretioni veſtræ fere commiſſam co-
» gnouimus. Et quia ipſum virum ſiquidem Litteratum & maximam pro ſtudio
» diſciplinæ ſolicitudinem gerentem cognouimus, in cauſis eius pro eo libenter in-
» tercedimus. Vnde Charitatis veſtræ prudentiam exoramus, vt eundem pro ſe tan-
» tummodo reſpondentem, in quantum Iuſtitia patitur, foueatis & benignè tracte-
» tis. Eſt & alia Epiſtola eiuſmodi.

» Sugerio D. G. Abbati S. Dionyſij venerabili Domino & amico ſuo F. Hugo
» ſalutem. Quoniam ad pietatis officium plurimum ſpectat, euitare non poſſumus,
» quin pro familiaribus noſtris apud Amicos noſtros intercedamus. Latorem itaque
» præſentium M. Petrum, cuius cauſa diſpoſitioni veſtræ à D. Papa remittitur: pro
» amore Dei & noſtro, in quantum iuſtitia patietur, ſuſtentetis. Studium quod ſem-
» per Liberalibus artibus applicuit, & honeſtas morum in quantum nouimus, apud
» benignitatis veſtræ prudentiam non minimam gratiam debent promereri. Labo-
» rem etiam quam maximum hac de cauſa iam pertulit, & iniuſtè, vt ipſe & nonnulli
» alij aſſerunt. In Romana quoque Curia diu ſuſtinuit, & ad hoc elaborauit, vt duo
» ex ſociis ſuis eadem de cauſa accuſati in præſentia veſtra ſuam oſtenderent inno-
» centiam. Quod quia impetrare non potuit, pro ſe ſolo habet reſpondere.

Quis fuerit ille M. Petrus tantopere commendatus, nihil habeo certi quod affirmem. Complures enim fuerunt huiuſce nominis hoc ſeculo eximij profeſſores, & in Academia Pariſienſi illuſtres. M. Petrus Abaëlardus, qui deceſſit an. 1142. vt ante vidimus, M. Petrus Pictauinus qui floruit vſque ad an. 1200. M. Petrus Comeſtor, M. Petrus Cantor, M. Petrus Meldenſis & M. Petrus Lombardus. De primis duobus proculdubio non loquitur, quia Abaëlardus deceſſerat, Pictauinus verò nondum florebat. M. quoque Petrus Comeſtor, item & Cantor poſteriores fuerunt. Nam ad an. 1173. de Comeſtore ſic loquitur Vincentius Bellouacus: *Florebat eo tempore M. Petrus Comeſtor primus Pariſienſium Magiſtrorum*, Petrus quoque Cantor magni certè vir nominis ad finem vſque ſeculi vitam protraxit. Veriſimilius itaque eſt hic eſſe mentionem de M. Petro Meldenſi aut de Petro Lombardo, qui hiſce temporibus florebant. Meldenſis quidem deſignatus fuit Pontifex Eccleſiæ Meldenſis tempore Alexandri III poſt Petrum Cardinalem S. Chryſogoni circa an. 1163. Nam Petrus Cellenſis ſcribens ad Guillielmum Senonenſem, qui poſtea fuit Remenſis Archiepiſcopus lib. 7. Ep. 8. ſic habet. *Eccleſiæ Meldenſi tres viros honorificentiſſimos Dominum ſcilicet Cardinalem, M. Petrum & Simonem Archidiaconum Senonenſem vicißim aſſignaſti.* In tabulis tamen Eccleſiæ Meldenſis Petro Cardinali ſucceſſor ſcribitur Stephanus de Capella Canonicus Senonenſis & Cantor Meldenſis: Stephano vero Simon ille Archidiaconus. Vnde colligitur fuiſſe quidem M. Petrum deſignatum Epiſcopum, at Epiſcopatum non obtinuiſſe.

Et ſi quis coniecturæ locus eſt, hic probabilius mentio fieri videtur de M. Petro Lombardo: tum quia tempora magis conueniunt: tum quia M. Petrus Antonomaſticè & per excellentiam vulgo dicebatur: vt vel ex hoc vno Ioannis Sareſberienſis ſcriptoris contemporanei loco, qui legitur in Ep. 261. ad M. Odonem, liquet: ſic enim ille: *Secundum M. Petrum ter in Pſalterio poſita eſt.* Cui conſentit quod idem vulgo *Magiſter & Magiſter Sententiarum* ad honoris & excellentiæ certum argumentum appellaretur.

Celebritas Academiæ Pariſienſis. Hiſce quoque temporibus inſigniter florebat Philippus Abbas Bonæ-ſpei in Hannonia diœceſis Cameracenſis, cuius extant plurima opera. In Epiſtolis verò præſertim ad Amicos qui in ſcholis pariſienſibus verſabantur, de hac primaria Vniuerſitate honorificentiſſimè loquitur. Imprimis autem Ep. 5. ad Heroaldum. *Sicut multo veniſſe comitatu Regina legitur Sabæorum, vt quorum famam de longè hauſi-*

rat, certiore ſibi viſu redderet oculorum: ſic & tu amore ductus ſcientiæ Pariſius aduenisti & à multis expetitam optato compendio Hieruſalem inueniſti. Hic enim Dauid decachordon pſalterium manu tangit: hic tactu myſtico pſalmos pangit: hic Iſaiæ legitur, legendo detegitur prophetia. Hic Prophetæ cæteri diuerſos modulos concordi proferunt melodia. Hîc ſapiens ſermo erudiendos conuenas operitur. Hîc eius promptuarium ſtudioſis pulſantibus aperitur. Hîc ad pulſandum tantus concurſus, tanta frequentia Clericorum, vt contendat ſupergredi numeroſam multitudinem Laïcorum. *Felix Ciuitas in qua ſancti Codices tanto ſtudio reuoluuntur, & eorum perplexa myſteria ſuperfuſi dono ſpiritus reſoluuntur: in qua tanta Lectorum diligentia, tanta denique ſcientia ſcripturarum, vt* in modum Cariatſepher dici poſſit meritò Ciuitas litterarum. *In hac inſtar Gothonicl volote non tam litteraliter quàm ſpiritaliter eruditi, ſic ſcripturas capere, vt internam illarum dulcedinem diligas experiri, pſalteriumque muſicum ſic ſonare, vt inueniatur aſſumpta Cithara conſonare.*

Item Ep. 20. laudat quidem Richerum, quod ab artibus Liberalibus ad Theologiam ſe contuliſſet: arguit verò, quod ſe de quæſtionibus Theologicis interrogaret, cum tot haberet Magiſtros Pariſiis in iis verſatiſſimos, & ad quos vndequaquè fieret concurſus. *Amas vt ſenſi litteras*, imo ſacras litteras, quarum lectio iuxta Paulum inſtruit ad ſalutem, quarum dilectio de virtute prouehit in virtutem; quarum lector & dilector non caret fructu vel præmio diligendi, ſed requirens inuenit, ſi tamen rectam peruenit ad viam requirendi: verum cum eaſdem litteras, de fonte arido, de vena paupere poſtulas tibi fundi, non ſatis conſideras te errare, non mediocriter te confundi. Quia cum à me exigis, ad quod nullatenus inualeſco, & tu neſciens falleris, & ego inſufficiens erubeſco. In hoc tamen non falleris, quod non Poëtarum exigis fabulas & figmenta, non ſophiſtarum laqueos, non decipientium argumenta, non denique aliud quo exultet vanitas, turbetur veritas & vacillet: ſed quod tuam foueat, & vt ais, animam reformet. Hoc munus quouis munere tibi charius, imo precioſius atteſtaris. Hoc à me poſſe mitti vt tuæ litteræ perhibent, arbitraris, non attendens quod in ſiluam ligna ferre otioſum, ne dicam friuolum iudicatur, & in agro meo nec ipſa ligna fortia, ſed arundo fragilis generatur. *Habes quam incolis Cariatſepher Ciuitatem litterarum: habes Diuinos Codices, Apothecas litterarum. Habes cellam vinariam, Domum illam aromatum, Forticum Salomonis, habes quod ad refocillandam animam perhibet Diuinæ ſeries lectionis.*

Neque prætereundum eſt quod ſcribit ad Engelbertum Ep. 4. ad commendationem eiuſdem Vniverſitatis. Quippe ille leuis febriculæ occaſionem accipiens è ſchola diſcedendi, & fortè ſtudiorum aſperitatem reformidans, ab eo ſapienter admonetur exemplis veterum multo labore opus eſſe in comparandis diſciplinis, Platonem & alios præcellentes viros peregre profectos ad eas acquirendas, ſeque ipſos patriæ dulcedine & vitæ commodis priuaſſe. Cæterum non eſſe ſatis ſtudere Pariſiis, in ſchola tam celebri tamque vbique prædicata, ſed ſudandum & algendum. Ipſum audiamus. *Cum igitur hos & huiuſmodi viros non fregerit laboris aſperitas*, non prouectæ reuocarit ætatis longaeuitas, quin ſtudio litterali tantam diligentiam impertirent, vt amore ſciendi occurrentia quæuis incommoda non ſentirent, non eſt conſilii vt propter ingruentem febriculam tua ſtrenuitas remaneſcat, & infirmato corpore virilis partis animus elangueſcat. *Non enim Pariſius fuiſſe, ſed Pariſius honeſtam ſcientiam acquiſiſſe honeſtum eſt.* Non itaque tibi ſufficiat, ſi Muſas, ſi fontem Heliconium tu vidiſti, ſi de illius rivulo guttam modicam tu hauſiſti, ſi videas illius rore tenuiſſimo te perfundi; eius autem adhuc affluentiam tibi plenius non infundi. Denique ipſa Philoſophia, quæ proponit ſtudentibus fontem lucidum Heliconis, non eſſe indicat ſolum huius beneficium viſionis, & cui acre & acutum ingenium dat Platonis, cui flores & ornatam eloquentiam Ciceronis, cui largitur illius tui Socratis documenta, cui Ariſtotelis reuelat manifeſtius argumenta, eum profecto vili gutta vel rore modico non aſpergi; ſed eius fonti viuido diutius accumbere vel immergi. Quæ autem vel diuitiæ temporales, vel deliciæ corporales poſſunt huic ſcientiæ comparari, cum quiuis ſtultus & illis affluere nonnunquam videatur, & hanc ſibi acquirere nullatenus mereatur?

Reſpondet vero Ep. 7. cuidam Ioanni olim Anſelmi Laudunenſis Diſcipulo,

tunc Monacho(forte is eſt qui poſtea fuit Abbas Elnonenſis) iniuria ſe affectum putanti, qu od eidem ſuam clauſtris non forenſibus ſcholis eruditionem gratulatus fuiſſet;reſpondet inquam nihil prodeſſe ad ſalutem ſtuduiſſe Lauduni aut Pariſiis, „ſed præceptis diuinis & à teneris Dei iugum ferre didiciſſe. *Vobis ſcientia* „ commendabilis non videtur niſi ſcholarium ſecularium tumultu fabricetur, tanquam inter eos quos in ſcholis forenſibus lõgo tempore certũ eſt erudiri, nullus „ error,nulla poſſit hæreſis inueniri. Vos indignamini quia dixi vos in Clauſtro ſacras litteras didiciſſe,tanquam per hoc videar vobis contumeliam intuliſſe& commendabilius æſtimatis quod Laudunum diſcendi gratia requiſiſtis & in M. Anſelmi celebri auditorio reſediſtis. Sed beatus homo non *qui M. Anſelmum audiuit, non qui Laudunum vel Pariſius requiſiuit*; ſed beatus, inquit, homo quem tu „ eruditeris Domine & de lege tua docueris eum. Et audiam,ait,quid loquatur in me „ Dominus meus. Vtinam in clauſtro ſacras ab infantia litteras doctus eſſem,vt tõto tempore vitæ meæ ſacris ſtudiis intereſſem.

Extat quoque Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi Epiſtola, quæ eſt ordine 18. ad Radulfum de Diceio ſeu Diceto tunc Archidiaconum Londinenſem,poſtea Decanum qui Lutetiam venerat, vt litteris operam daret,cum quo Arnulphus arctiſſimam contraxerat amicitiam. Et is eſt Radulfus author Chronici, cui pro titulo eſt, Imagines Hiſtoriarum ab an. 1148. ad an. 1199. Item & alterius quod inſcribitur *Abbreuiationes Chronicorum* ab an. 589. ad an. 1197. teſtis oculatus Tragœdiæ Cantuarienſis & malorum,quæ in Anglia ob Martyrium B. Thomæ acciderunt. Sic ergo ad eum Arnulphus.

„ Audiui te cauſa ſtudioi tũ *Pariſius* adueniſſe,audiui & lætatus ſum:lætatus equidẽ „ vt eius quem diligebam,præſens me lætificaret aſpectus & iocunda collocutionis „ alternæ collatio delectaret. Optabam quoque, vt aliqua exhibendi tibi officii re„ fulgeret occaſio, cuius me dudum merita præuenerunt. Licet enim ſolum veri„ tas amicitiæ requirat affectum, liberale tamen obſequium non excludit, ſed eo „ potius illuſtratur,quoniã,vt ait ſanctus ille, *probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* „ Mouet autem quod cum ſecundò iam veneris, noluiſti ad amicũ nec ad momen„ tum etiam declinare, neque ſaltem per curſorem debitæ ſalutationis alloquium „ paucis conſignatum apicibus deſtinare. Hæſi diutius, quotieſque ab illis partibus „ aliquis apparebat, diuinabam quod ille mihi iucundum Radulfi mei nunciaret „ aduentum, fruſtratus totiens ex hoc nunc nihil audeo diuinare, ſed charitatem „ tuam duxi litteris præſentibus, ſi forte obdormierit, excitandam, aut ſi quem „ forte concepit falſa ſuſpicione languorem, de perſcuetantiæ meæ nuncio conua„ leſcat. Noueritis enim nihil tibi apud me de priſtina charitate periſſe, ſed quaſi „ duplicatus amor eſt, cum eum tibi mea mens cogatur exſoluere,quem aliquando „ duobus impendebat affectum: ſublatus ſiquidem eſt è medio communis amicus „ noſter Rad. de Flur. qui dimidium animæ meæ videtur moriens abſtuliſſe. Ipſius „ mihi ſemper eſt colenda memoria :ipſius amor ſemper quibuſcunq; modis id fieri „ potuerit,inſtaurandus. Scribe autem interim aliquid, vt in alterius vtriuſque vi„ dear ſucepiſſe ſermonem. Iniunge quod vis,vt in altero vtrique videar obſequium „ præſtitiſſe:viſita nos, vt poſſim vtriuſque perſonam in altero contemplari. Scribe „ inquam,quia ſi ſcripſeris, *hoc ipſum tibi ſtudij poterit augere materiam, nec propoſiti* „ *operis prouectum impedict aut prouentum.* Iniunge aliquid, vt aliqua amicitiæ per„ ſeuerantis argumenta procedant, quia eam efficacius comprobat petendi fiducia „ quàm liberalitas offerendi. Viſita nos, quia te eum deſiderium noſtrum, tum lo„ ci propinquitas, tum etiam ſolemnitas inuitat. Dominus quoque Vvillielmus „ de Ver ex promiſſione tenetur vt veniat, vobiſque inuicem ſolatiari poteritis & „ nobis ſanctæ ſolemnitatis gaudia duplicare. Vale.

Eodem anno M. Vacarius. qui primus Oxoniæ leges ciuiles interpretatus eſt,nouẽ libros ex Codice & Digeſto excerptos edidit valde vtiles & cõmodos ad deciſionem omnium litium, vt refert Robertus de Monte. *M. Vacarius*, inquit, *gente Lombardus, vir honeſtus & iuriſperitus cum leges Romanas ab incarnat. Dom. 1149. in Anglia Diſcipulos doceret, & multi tam nobiles quam pauperes ad eum cauſa diſcendi confluerent, ſuggeſtione Pauperum de Codice & Digeſto excerptos 9. libros compoſuit, qui ſufficiunt ad omnes legum lites, quæ in Schola frequentari ſolent, decidendas, ſi quis eos perfectè nouerit.*

Ad annum 1150. reiiciunt aliqui editionem ſeu euulgationem Decretorum Gratiani. Imo Carolus Sigonius lib. 2. de Epiſcopis Bononienſibus opus iſtud editum fuiſſe ait an. 1151. *Anno*, inquit, 1151. *Gratianus Monachus in Monaſterio S. Felicis Decretum, id eſt Iuris Pontificij volumen inſigne quod extat, compoſuit: id quod lapis olim in Clauſtro poſitus indicauit his verbis.* 1150. *Decretalis Editio.*

Hanc Aulæ partem Lector reuerenter adito;
Namque loci Monachus Decretum hic condidit huius
Diuinum Gratianus opus, quantumlibet arcto
Contentus ſepto.

Et lib. 3. *Gratianus Monachus in Cœnobio D. Felicis, ſiue vt alij ſcribunt D. Proculi Decretorum volumen ex multis Conciliorum Pontificumque ac piorum Doctorum libris confecit, quo iuri Pontificio lumen ingens adiunxit.*

Verum vt vt ſit de anno Editionis, conſtat Eugenium III. omnium Pontificum primum in Conſiſtoriis Eccleſiaſticis & Canonicis Tribunalibus ſecundum illam Gratiani compilationem iudicari præcepiſſe; & compilatos Canones in ſcholis, & primùm Bononiæ doceri. Exemplum autem Gratiani ſecuti ſunt Petrus Lombardus & Petrus Comeſtor. Hic vtriuſque Teſtamenti hiſtoriam conſarcinauit & gloſſis illuſtrauit; quæ tunc temporis magno in pretio habitæ poſtea viluerunt. Lombardus verò Theologiæ Scholaſticæ, qualis à Berengarij temporibus fuerat, fundamenta in 4. Sententiarum libros digeſſit, quæ fuerunt ſecutis temporibus totius Theologiæ ſcholaſticæ & magnorum in eandem commentariorum ſeminaria. Vnde ipſe *Magiſter ſententiarum* appellatus eſt. Ante eum tamen Summulas & ſententias ediderant Hugo de S. Victore & Vuillelmus Abbas ſancti Theodorici: ſed Lombardicæ multum præualuerunt; & Mediæ Ætatis Theologiam Scholaſticam ſtabiliuerunt.

Hoc igitur ſeculo, eodem pene tempore in triplici facultate, Iuris videlicet Ciuilis, Canonici & Theologiæ Magni Viri & omnium prædicatione digni exiterunt. In iure quidem Ciuili Irnerius ſeu Vvernerus, qui iuſſu Mathildis Vvelphonis II. Ducis Boiorum vxoris Leges Romanas diu neglectas recognouit, ſepultaſque in lucem excitauit, quas Lotharius Imperator in ſcholis prælegi iuſſit, & ſecundum eas Iudicia exerceri. Hunc ſequuti Bulgarus, Martinus Goſus, Iacobus & Hugo de Porta, & alij quamplurimi, quos recenſet Sigonius loco citato. *Ea tempeſtate*, inquit, *clari quoque Iureconſulti, Bulgarus de Bulgaris, Martinus Goſus, à quo ſectatores ipſius Goſiani ſunt dicti, Iacobus & Hugo de Porta Rauennate Ciues Bononienſes Ius Ciuile magnâ nominis ſui celebritate ac ſumma auditorum frequentia Bononienſi in Gymnaſio docuerunt, & Expoſitiones quas Gloſſas vocant, in illud primi ſcripſerunt; vt illâ ætate potuerunt.* Vvarnerus verò illorum Magiſter ex ſeipſo Legibus ſtuduerat, & magna admiratione Bononiæ legit: vnde appellatus eſt *Lucerna Iuris*, tanquam primus huius ſcientiæ illuminator.

In Iure Canonico Gratianus primus Epiſtolarum Decretalium Collector & compilator ſtatim ſe prodidit, opuſque ſuum Eugenio Pontifici obtulit. Qui veritus ne ius Canonicum vileſceret, propterea quod omnes ſtudioſi ad Ciuile recens digeſtum ſe conferebant, excogitauit ſuggerente Gratiano Gradus quoſdam Academicos, non tam annorum quàm profectûs, ſcilicet Baccalaureatûs, Licentiatûs & Doctoratûs, vt hocce ſpecioſo titulo ſtudioſos ad Ius Canonicum amplectendum excitaret & propoſitis priuilegiis accenderet. *Graduum Academicorum Inſtitutio.*

Hanc Graduum Academicorum originem maxima Scriptorum pars agnoſcit, primamque in Academia Bononienſi Inſtitutionem. Academicorum dico, nam temporibus Iuſtiniani excogitata eſt quædam ratio ſtudij in Iure Ciuili quinquennalis, antequam docendi licentia concederetur; & in eo ſtudentes per annos ſingulos nominibus propriis diſcreti & diſtincti ſunt. Nam primi anni, vocabantur *Iuſtinianæi*, quibus ſcilicet tradebantur Iuſtiniani Inſtitutiones. 2. anni, *Edictales*, qui nempe poſt, Inſtitutiones Edictis Prætorum vacabant. 3. anni *Papinianiſtæ*, qui conſumpto biennio in Inſtitutionibus & Edictis tranſibant ad Papiniani Lectionem. 4 anni *Lytæ*, quaſi ſoluti ab onere ſcribendi: ſiquidem illi iam iuris nodos ſoluebant. 5. anni *Prolytæ*, quaſi *Licentiati*, qui iam per ſe ſine Magiſtris legere & interpretari poterant. Tum demum *Anteceſſores* & *Do-*

ctores dicebantur, qui ſcholas ipſi habere & docere poterant.

Igitur Gratianus ſeu Gratiani operâ Eugenius hoſce Iuris Ciuilis Gradus habens præ oculis, ſimiliter in Iure Canonico Gradus Baccalariatus, Licentiatus & Doctoratus inſtituit Bononiæ. Quod exemplum imitatus Petrus Lombardus eoſdem quoque Pariſiis inſtituiſſe dicitur in Theologica Diſciplina, quorum ante ipſum nulla mentio fuerat. Teſtis Petrus Vrbeuetanus Epiſcopus in Dialogo Subcœleſtis Hierarchiæ; quod opus abſoluit an. 1406. die 16. Nouemb. ſic enim in cap. 5. procœmij colloquentes inducit Catechumenum & Orthodoxum.

„ O mi Doctor, nunquid neceſſarium eſt Theologiam Sacram & Canones in „ Studiis publicis legi per Doctos? *Orth.* Vtique iuxta Hieronymum in pro„ logo 1. potiſſimèque iuxta patrum antiquorum ſtatuta in omnibus Collegiatis „ Eccleſiis Schola Theologiæ debet eſſe ſacrorum Canonum. Sed maximè in Sy„ nodis & Eccleſiis Collegiatis ſecundum Capitularium Ludouici (Pij) c. 5. vige„ bat antiquitus, licet non graduarentur tunc temporis aliqui in prædictis. *Cath.* „ Quis precor, præceptor primò adinuenit, vt ſacra lex & Canones in locis al. vicis „ publicis traderentur. Orth. Hoc fili, pacto factum eſt, non ſtatuto. *Pariſius quidem poſtquam D. Petrus Lombardi Pariſienſis Epiſcopus circa annum Domini* 1152. „ Librum Sententiarum edidit, & apud Bononiam Gratianus Concordantias „ diſcordantium Canonum compilauit (Hic enim ſuum librum vulgariter nun„ cupatum *Decretum* appellat) Ex tunc autem certiſſimè ſcias Fili, Gradus in di„ ctis libris ſtudentibus incepiſſe, Baccalariando ſcilicet & Doctorando aliquos „ ſecundum *Pompam Litterarum ſecularium:* quod omnino alicubi antea non fiebat. „ Quis enim doctorizauit doctum Hieronymum? Dices forſan, quod Gregorius „ Nazianzenus. Quis Aurelium Auguſtinum Magiſtrauit? poſſes dicere quod Me„ diolanenſis Ambroſius. Quis bireto B. inſigniuit Bernardum? reſpondiſſe fertur „ Gilberto Porretano Pictauorum Epiſcopo litteratiſſimo quærenti quis eum tam „ alta docuiſſet? *Quercus*, inquit, *& fagus*, volens innuere, quod Scripturarum „ ſanctarum contemplatio ſæpius ſolitarios inter ſiluas ſtudioſos facit docibiles „ Dei cum diuina gratia, non *Faſtus Scholaſticus graduandi.* Vnde Monicæ matri „ Auguſtini reſpondiſſe legitur Ambroſium flenti pro filio: *Sile*, ait, *ipſe legendo „ diſcet ſuorum ignorantiam effugare* Cathec. Hi Patres, Præceptor, quos nomi„ nasti, *Doctores* vocantur ab omnibus, ac ſi fuiſſent in dictis Facultatibus Gra„ duati. *Orth.* Sacra Scriptura, Chariſſime, & Canones Papæ Silueſtri regulariter „ Epiſcopos *Doctores* appellant & *Paſtores* à paſcendi & orandi docendique Offi„ ciis, quia hæc eis propriè propria debent eſſe, id eſt conueniunt omni & ſoli, in„ ſeparabiliaque à conſtitutione ſua ſunt. Tales namque per ſcripturas Canoni„ cas veram ſcientiam morumque probitatem ſuis auditoribus, non *Gradum Schola„ ſticum* ingerebant, famaque præclara lucentium Doctrinarum & Operum Do„ ctorum nomen & eſſe, id eſt rem conferebat eiſdem. Nunc autem voluntas Præ„ ſidentium & voluptas Studentium Gradum infert Nominalis ſcientiæ ignaris „ & prudentibus: ſæpe faſtus & quæſtus quæruntur in Studiis modò, non veritas, „ neque virtus obſeruantiæ ſcripturarum. Student plures vt ſciant, non vt profi„ ciant, vt acquirant non vt conferant, vt obtineant Dignitates, non vt confe„ rant virtutes & veritates, ſic te proſtituunt *Virgo ſcientia*, ſed vænalem faciunt „ caſtis amplexibus aptari.

Hancce Graduum Scholaſticorum Inſtitutionem omnes fere quotquot de iſtis ſcripſerunt, ad Gratianum & Lombardum referunt, & multò conuenientius quàm nonnulli, qui nulla authoritate ducti ad tempora Caroli Magni referendam eſſe arbitrantur, ob id nimirum, quia inuictus iſte Princeps Publicum Inſtituit omnium bonarum Artium apud Pariſios Emporium, atque ad illud vndequaque viros Doctos euocauit. Placet nonnullorum magni nominis Scriptorum teſtimonia hîc congerere, vt diſcat Lector, quibus rationibus Academia Pariſienſis tantam ſibi famam & prædicationem apud omnes nationes compararit.

B. Rhenanus in admonitione ad Lectorem Tertullianorum operum de ea Graduum in Theologica facultate inſtitutione ſic ſcribit. *Deinde cum circa annum ſalutis 1140 apud Pariſios multi eſſent, qui Summulas conſarcinarent ex antiquis Theologis vt Petrus Lombardus, Petrus Abaëlardus, Ioannes Belethus, Summulæ Longobardi quæ tũ in Academia Pariſienſi docebantur, à Scholaſticis recipi cœperunt. Abaëlardi Theologia, ſic*

enim librum ſuum inſcripſit, à quibuſdam eſt erroris notata, cum tamen non inelegantèr ſcripta ſit. Nam admodum nuper illam in quadam bibliotheca reperi. Belethus vtroque iſtorum poſterior fuit.

Receptis igitur Longobardi Collectaneis, qui poſtea Pariſiorum Præſul fuit, tum primum cœperunt qui hoc edidiciſſent & alijs prælegiſſent, *Doctoris* titulum accipere, qui primam ſtudii authoritatem quæ per exhibitionem *Baculi* concedebatur, iam conſecuti fuiſſent. Nam in vetuſtioribus Pariſienſis Academiæ codicibus, qui conſtitutiones Gymnaſij continent, *Bacillarij* nominantur à *Bacillo* vt videtur, deducto vocabulo: vt fuerit velut quoddam mancipationis ſignum in huiuſmodi aliquod ſtudium *Baculi* traditio, quo ſic ab alienis diſtinguerentur, imitatione antiquitatis, ſi non Romanorum, certè vel Francorum in Gallia, vel Gothorum atque Longobardorum in Italia. Quod de promotione loquor, ſub idem tempus in lure apud Bononiam aiunt accidiſſe poſt editam à Gratiano Decretorum rapſodiam. Mox cum Doctorum numerus augeretur, editæ ſunt conſtitutiones de promotione & de numero annorum, & ſancitum eſt, vt de Diuinis differentes non modo recepta ſcholæ decreta ſequerentur, ſed & vocabulis vterentur & loquendi formulis in ea ſchola natis. Ad quæ ſcriptorum quorumlibet ſiue veterum ſiue nouorum ſententias exigerent, tantum non hæreſeos arguendas, ſi diſſiderent. Id autem non ſine ratione factum eſt, ad ſeruandam videlicet Doctrinæ concordiam: quod genus ſunt in diſputatione Trinitatis eſſentia, perſonæ, ſuppoſita, notiones, relationes communes, perſonales perſonarum conſtitutiuæ, principia generationis, ſpirationis, diſtinctionis relationes originis, circumincеſſio ſignaturæ & ordinis, & humana rei & originis, & huiuſmodi alia multa. Atque tale quidem eſt initium Regni Theologorum. Porro qui fieri poteſt, vt veteres ſic locuti fuerint vt loquuntur iſti, qui totam Ariſtotelis Philoſophiam indoctè verſam in ſuam Theologiam deriuarunt?

Valentinus Erithræus in ſua de Honoribus & Gradibus Academicis oratione ait ſe illorum originem inuenire non potuiſſe. At Ioannes Vvhethanſtedius ſeu Frumentarius tit. de Hiſtoriis & Hiſtoriographis Part. 1. ait *ritum incipiendi* ſiue *graduandi* in ſcholis ortum & initium habuiſſe iuxta authorem Dialogi inter Orthodoxum & Cathecumenum circa annum Dominicæ Incarnationis 1151. Tum ſiquidem Petrus Lombardus compilauit ſententias: quibus collectis & compilatis ad ſtatim poſterius tam apud Pariſios in Francia quàm etiam apud Bononiam in Italia cœperunt viri eruditione expediti in ſuis facultatibus graduari: nam continuè ante eius Canonizationem S. Thomas non Doctor Thomas, imo verius frater Thomas ab allegantibus fuerat in ſcholis nominatus hoc ille.

Quis ergo erat veterum ritus in concedendo Magiſterio? Reſpondet Roſſus in ſuo de Regibus libro, *per pilei in capite appoſitionem* Archipræſulis vel Epiſcopi manu in Doctores & prædicatores fuiſſe admiſſos. Conſentit Thomas Gaſcoigne in Dictionario verb. Pileum. *Pileum*, inquit, quartum genus veſtimenti dati à Domino Deo Doctoribus ſuæ legis Moſaïcæ fuit rotundum: quale pictum in Vlyſſe conſpicimus, quaſi ſupera ſit mediâ diuiſa, & pars vna ponatur in capite. Hoc Græci ac Noſtri Thiaram, nonnulli Galerum vocant. Non habet acumen in ſummo, nec totum vſque ad comas caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit: & in occipitio vittâ conſtrictum eſt, vt non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum. Hæc Hieronymus in Ep. ad Fabiolam de veſte ſacerdotali. Oxoniæ enim ex antiquo ſtatuto & ex antiqua conſuetudine non habent vti pileis rotundis niſi Doctores S. Theologiæ & Iuris Canonici Doctores: & ſic Vniuerſitas ſtudii Oxonienſis à principio fundationis ſuæ per Regem Alfredum qui etiam Aluredus vocatur, facere conſueuit. Et ſic vſitatum fuit Oxoniæ an. Chriſti 1456. tempore meo. Sed hactenus de his gradibus: de quibus ſuo loco ſpecialius agemus.

Ad hunc annum notat Vincentius Bellouacus fuiſſe multos in Francia conuentus habitos ob bellum ſacrum, & conueniente etiam Eugenio Papa vt Bernardus Abbas Clare-Vallenſis Hieroſolymam ad alios prouocandos mitteretur, de profectione tranſmarina iterum ſermones habitos: ſed per Ciſtercienſes Monachos totum iſtud negotium elanguiſſe & contabuiſſe. Narrat quoque Mathæus Pariſienſis hoc anno Raimundum Comitem Tripolitanum virum potentem & in ar-

mis ſtrenuum ab Aſſaſſinis interfectum fuiſſe, eiuſque mortem plurimum doluiſſe Balduinum Regem Hieroſolymitanum & populum fidelem, quod omnibus infidelibus & Saracenis formidabilis eſſet.

Ait vero Matthæus in Prouincia Tirenſi & Phœniciâ Regione quendam Populum Aſſaſſinum circa Epiſcopatum Antaradenſem in montibus habitaſſe, decem Caſtella habuiſſe cum ſuburbanis multis, quorum numerus ad quadraginta millia virorum vel eo amplius excreuerat. Eos non hæreditaria ſucceſſione, ſed meritorum prærogatiua ſibi ſolitos Magiſtrum præficere & eligere præceptorem, quem ſpretis aliis dignitatum nominibus, *Veterem* de monte, ſiue *Senem* appellabant. Ei vero tam obedientes vltro fuiſſe vt nihil eſſet tam durum tamque difficile, quod non aggrederentur implere. Habuerunt autem, *inquit*, his modernis temporibus
» Magiſtrum virum facundum, valde ſubtilem & diſcretum, qui præter morem
» maiorum ſuorum cœpit penes ſe Euangeliorum libros habere & codicem Apo-
» ſtolicum, quibus continuato incumbens ſtudio miraculorum Chriſti & præcep-
» torum ſeriem, ſed & Apoſtolicam doctrinam multo labore fuerat conſecutus.
» Mahumetis templa diruit, & oratoria more Chriſtianorum ædificauit, preces
» eorum exemplo inſtituit, & populum ſuum ad amplectendam Chriſti fidem
» excitauit. Verum miſſo vno è fratribus ſuis ad Balduinum Regem, eoque ab
» vno è Templariis militibus interfecto, totum iſtud cœptum infelici caſu diſſolu-
» tum eſt.

1151. Anno 1151. obierunt plurimi illuſtres viri ſcientia & virtutibus præclari, inter alios vero, Ioſlenus Epiſcopus Sueſſionenſis, de quo ſæpe diximus. Hugo Antiſſiodorenſis 10. Octob. ſepultuſque eſt in Pontiniacenſi Monaſterio, quod amplificauerat, vbi hoc habet Epitaphium.

Antiſiodori præſul prælatus in Vrbe
Mente polum ſcandens membra reliquit humi.
Sexu, ſtirpe, bono præſtans, illuſtris, honeſtus
Hugo fuit largus nomine, voce, manu.
Et locuples & inops, pauper ſibi, diues egenis,
Et nullis impar, & ſibi nullus erat.
Hunc à Iuſtitiæ norma reuocare nequibant,
Obſequium, terror, gratia, dona, preces.
Sola triumphabat virtus pietatis in illo
Cum poſt Iuſtitiam debuit eſſe pius.
Iſtius Eccleſiæ primus pater ampliſicauit
Nomen, facta, locum, laude, rigore, bonis.
Bis quinos Octobre dies claudente dierum
Finem clauſit habens nunc ſine fine diem.

Erat autem ille ſcientia clarus, primus Pontiniacenſis Abbas: vnde ad Epiſcopatum Antiſſiodorenſem euocatus eſt. Huic ſucceſſit Alanus Inſulenſis Ripatorij Abbas primus, quæ Abbatia eſt in agro Tricaſſino, vocaturque Gallicè *de la Rivon*. Epiſcopatu ſponte ceſſit an. 1167. & ad Clare-Vallenſe Cœnobium vbi ſub B. Bernardo Monachus fuerat, ſe contulit, ibique diem extremum obiit an. 1182. Extat in Eccleſia Clare-Vallenſi tabula tumulo eius imminens, in qua hoc elogium legitur ex Camuzato in Miſcellaneis Hiſtoricis.

» *Addexteram* Godefridi Lingonenſis Epiſcopi verſus chorum Monachorum ia-
« cet D. Alanus Epiſcopus, qui in quadam Eccleſia oppidi famoſi in Flandria,
« quod Inſula nuncupatur, à puero educatus ſub B. Bernardo in hac Clara-Valle
« habitum ſanctæ Religionis ſuſcepit, poſtea primus Abbas factus eſt Monaſterij,
« quod Ripatorium nominatur, cui per annos 12. præſidens Domino cooperan-
« te ſategit, vt perſonis vtilibus & poſſeſſionibus neceſſariis videlicet grangiis, ſil-
« uis, agris, pratis & paſcuis idem Monaſterium ditaretur. Anno vero nouiſſimo
« vitæ B. Bernardi ab Eccleſia Antiſſiodorenſi in Epiſcopum concorditer eſt ele-
« ctus. Hic multam hoſpitalitatem omnibus Religioſis domos ſuas frequentanti-
« bus exhibuit, ſuoque Monaſterio de Ripatorio vnde Abbas fuerat, multa noſci-
« tur contuliſſe. Clare-Vallenſi Cœnobio quantam poterat, diligentiam exhibe-

bat

bat, illud ſæpe viſitans, auxilia quanta poterat conferens opportuna. Peractis demum in Epiſcopatu 13 annis de licentia ſedis Apoſtolicæ ceſſit Epiſcopatui & ad ſuam rediit Claram-Vallem. Manſit autem in Clara-Valle in Domo S. Bernardi poſt deceſſum D. Godefridi Lingonenſis Epiſcopi multum exercitatus in negotiis ordinis pariterque Eccleſiaſticis, D. Abbati Pontio ſucceſſori buſque eius vſque ad Petrum Venerabilem Abbatem Claræ-Vallis 8. non mediocriter neceſſarius fuit. Obiit pridie Idus Octobris.

Obiit quoque hoc anno nobilis & religioſus Princeps, pauperum que Pater Theobaldus Campaniæ Comes; cuius extat hoc epitaphium ab aliquo eiuſdem temporis Poëta conditum: legiturque apud Robertum Antiſſ.

Te bonitas notum dedit omnibus optime Conſul,
Nunc modò fama manens hoc operatur idem.

Obiit pariter inſignis ille Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus, de quo ante multa diximus, Eccleſiæ Laudunenſis Inſtaurator, qui Norberto Præmonſtratenſium Patriarchæ locum dedit ad fundationem Cœnobij, illique Religioſum habitum impoſuit. Fundauit quoque Abbatiam Fuſniacenſem in Teraſcia: & demum abiectis infulis Epiſcopalibus anno 38. Epiſcopatus monachalem habitum induit apud Fuſniacum. Præclara eius facta continet Epitaphium iſtud à verſificatore eiuſdem temporis compoſitum.

Regum ſtirpe, Ducum generatus ſanguine, claris
Clarum nomen habet Bartholomæus auis,
Promptus ad arma fuit, dum Iunior iret in hoſtem,
Multa trophæa tulit, vix habet vſque parem.
At Deus in præceps retrahens miſeratus euntis
Nec mora caſtra fugit, proiicit arma Ducis.
Clericus inde Remis ſequitur virtute Manaſſem
Imo ſenem feſſum, fertque ſubitque vicem.
Lauduni interea ſacrâ mactatus in ade
Præſul obit ſubitò, moxque vacante ſede
Hunc ſibi Paſtorem Clerus populuſque requirunt,
Abducuntque Remis ac ſibi præficiunt.
Sic bene Pontificis meritumque & nomen adeptus
Quod gerit officij, perficit, implet opus.
Exemplo verboque gregem regit omnia factus,
Omnibus vt Chriſto fœneret ex ouibus.
Protinus hinc Mariæ ſuccenſa recondere templa
Non tardat, reparat, tectaque præſulea.
Tum ſacra Baptiſtæ Monachis dans clauſtra, perire
Crimina, & ipſa facit ſcandala ſuffugere.
Poſtea Cœnobium Mariæ ſub nomine fundat,
Conſecrat ipſe Deo Fuſniacumque vocat.
Fuſus vt è Cælo caſtis in cordibus ignis
Ardeat, inculcat pectoribuſque piis.
Vtue tribus votis triplicem quaſi funibus hoſtem
Implicet, ad pugnam dirigit hic aciem.
Sic decet & Sathanæ funes diſſoluere, faſtus
Sternere mundanos, tundere carnis acus.
Boherias condens ſcelerum ſpineta reuellit
Terraque fert fructus quam prius ipſe colit.
Mentibus expellit tenebras lucemque refundens
Dat Vallem claram luminis arma ferens.
Lampada ne vacuum virgo ferat, auget oliua
Monſtrolium plantans, pullulet vnde olea.
Dans Præmonſtratum per deuia euntibus aptum
Monſtrat iter, ſequitur quod nouus Ordo Patrum.

Legibus inſtituens Norberti Martinianos
Vrbicolas, mores corrigit hiſce malos.
Quiſſiacum iaciens quatit arcum, tela retorquet
Dæmonis, ac animis noxia cuncta monet.
Forcipe Thenaliis ſumpto carbone labella
Mundat, & vt Cherubim caſta dat eloquia.
Clari fontis aquas ſitientibus exhibet, hiſque
Turbida mundana flumina tollit aqua.
Buccilici bellum vitiis quaſi buccina clangit,
Oraque Diuinis laudibus apta facit.
Feſſus Epiſcopij tandem ſub pondere, honores
Deſerit, ac Clerum, proſpera cuncta, & opes.
Fuſniacum petit, inde ſimul quod vouerat, implet,
Sponte fit & Monachus Præſul, ibique latet.
Vt liber vacet ille Deo totuſque ſaluti
Incumbens propriæ, gaudet amara pati.
Occidit oppreſſus ſenio dignumque ſepulchri
Marmor habet corpus, mens petit alta poli.
Sicque ſuâ partis fruitur virtute coronis,
Cingitur & ternis frons ſua Laureolis.

Circa tumulum Inſcriptio hæc ibidem eſt appoſita.

Qui iacet hic Præſul Marianam condidit ædem
Lauduni, pariterque Domos Antiſtitis vſtas.
Templa decem inſtruxit. Benedicto contulit vnum,
Bernardo quatuor, Norberto quinque piauit.
Dat diadema genus, Lauduni Eccleſia Mitram,
Funera Fuſniacus, lauream & aſtra Deus.

Poſt mortem vt Diuus habitus. Ei ſucceſſit Vvalterus de S. Mauricio ex Abbate S. Martini Laudunenſis. Huic vero Gualterus de Mauritania inſignis quoque Scholæ Pariſienſis Magiſter, de quo ſuo loco agemus.

Eodem anno Ludouicus Rex Balgenciaci Comitia celebrauit Procerum Gallicanorum de diuortio ſuo cum Alienore vxore, quam, vt fama fuit in expeditione tranſmarina intellexerat parum pudicè ſe geſſiſſe & à Saladino munera accepiſſe. Comitiis iſtis interfuerunt Epiſcopi plurimi & viri docti, de quorum conſilio eam dimiſit. Illa vero nupſit Henrico Normaniæ Duci, mox Anglorum Regi, atque ad eum Aquitaniam tranſtulit. Vnde inter Reges nata dura bella: vt infra docebimus.

Hiſce quoque temporibus florebant plurimi in omni Diſciplinæ genere profeſſores: quorum hi erant præcipui, Petrus Lombardus mox Pariſienſis Epiſcopus: Petrus Comeſtor, Ioannes Belethus, Ioannes Sareſberienſis, Hugo Medicorum **Coryphæus, Richardus de S. Victore, Andreas de S. Victore, natione** Anglus vir acuti & perſpicacis ingenii, qui poſtquam humaniores litteras & liberales artes omnemq; ſecularem Philoſophiam apprimè didiciſſet, ad Theologiæ ſtudia quæ hocce tempore maximè vigere incipiebāt, ſe contulit: in quibus præceptorem habuerat Hugonem à S. Victore. Cum Richardo eiuſdem Cœnobii Canonico perpetuas ſimultates exercuit in publica profeſſione Theologiæ, ab eoque ſæpe mordacibus etiam ſcriptis exagitatus eſt: ſed omnia Chriſtianè & patienter tulit.

Florebant quoque Ioannes Serlo, dictus Magiſter Serlo: à profeſſione cognominatus *Grammaticus* natione Anglus, Poëta non inelegans, Rhetor diſertus, ſed in Grammaticis potiſſimum excelluit. Henricus Vvintonienſis Epiſcopus Stephani Anglorum Regis frater, cuius Laudes hoc Epigrammate complectitur Arnulfus Lexouienſis.

Namque in Regali mens Regia corpore regnat,
Magnanimumque decent fortia membra virum.
Compoſiti mores habitum faciemque venuſtant,
Et facit ad mores forma decora tuos.
Sublimes oculos & acuti luminis ignes,
Excellens ſenſus ingeniique vigor.
Informat mentem ratio, facundia linguam,
Fœcundamque probat Riuulus vber aquam;
Fulget Rhetorico celebris ſententia cultu:
Allicit hæc animos, auribus ille placet.
Res pretium verbis, rebus dant verba decorem.
Neſcio plus placeat, proficiatve magis.

Idem author eleganter etiam celebrat Ernaldum Abbatem Bone-Vallenſem eximiũ oratorem & concionatorem, quo cùm arctiſſimam iunxerat neceſſitudinẽ. Vt patet ex hac ad ipſum Ep. Occurrebat mihi Charitatis veſtræ ſanctum illud dulceque colloquium, quo prævalentis auditorum mentes rerum erudire ſolertia, & aures iocundi ſermonis ſuauitate mulcere. Recordabar quantam vobis ſcribendi gratiam bonitas Diuina contulerat; in qua neſcio an magis quis ſententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari. Hæc enim apud vos tanta ſibi inuicem paritate reſpondent, vt neque rerum maieſtas verborum coartari videatur anguſtiis, nec ſermonis dignitas aliqua ſententiarum excellentia prægrauari, in his ſanè quæ vel intellectus concipere vel humana facundia ſufficit explanare.

His accenſendus Hugo Ambianenſis ex Monacho Cluniacenſi & Priore S. Pancratii de Leuis in Anglia, nec non Radingenſi Abbate factus Archiepiſcopus Rothomagenſis, vir verbo & opere potens, tam pietate quàm omnium ſcientiarum luminibus illuſtris.

Similiter Vincentius Bellouacus commemorat MM. Petrum Lombardum & Comeſtorem. De Comeſtore ſic præſertim ille. Circa idem tempus æſtimo floruiſſe M. Petrum Comeſtorem, qui Scholaſticam hiſtoriam compoſuit, ſcilicet hiſtoriam ſacræ ſcripturæ breuiter & vtiliter perſequens & difficultates in pleriſque locis prudenter exponens. Inſuper & quædam incidentia ex hiſtoriis Ioſephi Iudæi & quorundam Gentilium locis congruis inſerens, nonnulla etiam alia opuſcula edidit, & hos ſequentes verſus in laudem Beatæ Virginis eleganter compoſuit.

Si fieri poſſet, quod arenæ puluis & vnda,
Vndarum guttæ, roſa gemmæ, lilia flammæ,
Æthera, Cælicolæ, nix, grando, ſexus vterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Siluarum rami, frondes, auium quoque penna,
Ros, gramen, ſtellæ, piſces, angues & ariſtæ
Et lapides, montes, conualles, terra, Dracones,
Linguæ cuncta forent, minime depromere poſſent.

Eodem anno Robertus de Gorham aſcitus eſt à Radulfo Gobiun Abbate S. Albani in Anglia ad Abbatiam regendam. Ille Robertus, vt legitur in vitis Abbatum San-Albanenſium dictus eſt *Reformator libertatum Eccleſiæ S. Albani*, vir nobilis, ex nobili quippe Normanorum Cenomanenſiumque proſapia originem ducens, atque venerabilis Gaufridi Abbatis, cuius ſupra meminimus, nepos ex ſorore, liberalium artium ſtudiis animum propenſius adhibuit, & tam mundanæ quàm ſpirituali induſtria coruſcauit. Ab auunculo Gaufrido aduocatus in Monaſterio San-Albanenſi remanſit, Secretarius fuit & Prior, poſtremo hoc anno factus Abbas. Cuius tempore, ſcilicet, dum Prior eſſet, Nicolaus de Brekſpere qui poſtea Adrianus Papa dictus eſt, habitum ſibi monaſticum concedi poſtulauit. Quâ de re ſic legitur in vita Roberti. *Huius quoque tempore quidam Clericus nomine Nicolaus de quodam viculo Abbatis ſcilicet Langele oriundus, cognomento*

» *Brekſpere in arte Clericali ſatis ſupinus, ætate adoleſcens*, corpore elegans ve-
» nit ad Abbatem Robertum poſtulans humiliter habitum ſibi concedi Reli-
» gionis. Qui cum examinatus & inſufficiens inueniretur, dixit ei Abbas ſa-
» tis ciuiliter, *Expecta fili & adhuc ſcholam exerce, vt aptior habearis*. Vnde
» ipſe Clericus venerandus reputans talem dilationem, repulſam, abiit, & Pari-
» ſius adiens, ibique ſcholaris vigilantiſſimus effectus omnes ſocios diſcendo ſu-
» perauit. Tandem Canonicus factus apud S. Rufum non procul à Valentia Ro-
» mam pro quibuſdam agendis deſtinatus ſtrenuè negotium conſummauit, & ite-
» rum miſſus; & tertiò miſſus electus eſt in Cardinalem, & poſteain Papam. De hoc
» infra plura dicentur.

Ad eundem annũ ſcribit Radulfus de Diceto pullulante doctrinâ Henrici Hæretici in Vaſconia ſuſcitauiſſe Dominum ſpiritum puellæ iunioris in illa Prouincia ad eandem hæreſim confutandam. Per triduum namque in vnaquaque ſeptimana iacere ſolitam abſque voce, ſenſu, etiam abſque flatu, & redeuntem poſtmodum ad ſe dicere, B. Mariam orare pro populo Chriſtiano, & B. Petrum docuiſſe ſe Orthodoxam fidem. Exinde de fide ſapienter & Catholicè differentem præcipuè henrici Hæreſim conuincentem plurimos ab eo ſeductos ad ſinum S. Matris Eccleſiæ reuocaſſe. Hæc Radulfus.

1152. Anno 1152. vt ſcribit Mathæus Pariſienſis, obiit Eugenius III. ante promotionem Bernardus Piſanus dictus, Diſcipulus B. Bernardi apud Claram-Vallem, factus deinde S. Anaſtaſii Abbas, & tandem Pontifex maximus, ſepultuſque eſt in Baſilica S. Petri cum hoc Epitaphio.

Hic habet Eugenius defunctus carne ſepulchrum
Cui pia cum Chriſto viuere vita fuit.
Piſa virum genuit, quem Claræ-Vallis alumnum
Exhibuit ſacræ Religionis opus.
Hic ad Anaſtaſij translatus Martyris ædem,
Ex Abbate Pater ſummus in orbe fuit.
Eripuit ſolenne iubar, mundique decorem
Iulius octauum ſole ferente diem.

Ei ſucceſſit Anaſtaſius IV. ſeditque anno vno, menſibus 4. diebus 24. ante promotionem Abbas erat S. Rufi Velitrnæ Diœceſis, natione Romanus, Patre Benedicto: de quo nihil in hiſtoricis memoria dignum legitur.

Eodem anno obiit inſignis ille Abbas San Dionyſianus Sugerius, ætatis 70. ſepultuſque eſt in æde San-Dionyſiana idibus Ian. cuius exequias cohoneſtarunt Ludouicus Rex, ſex Epiſcopi, Abbates plurimi. Epitaphii autem loco placet ex Codice Manuſcripto Sancti Dionyſij ad annum præfatum, exſcribere quæ ibi leguntur.

» *Hic eſt annus* vltimus vitæ felicis recordationis Sugerij Abbatis Monaſterij Re-
» galis S. Dionyſii in Francia, viri magnæ prudentiæ & eloquentiæ, ac inter præ-
» claros Eccleſiæ Gallicanæ viros eruditiſſimi & facundiſſimi, cui tempore præla-
» tionis quantum fuit ſtudium, vt Eccleſiam ſuam omni gloria & honore attolle-
» ret, Religioſè ordinaret, & eam reditibus opulentam, ædificiis ampliorem, or-
» namentis decoratam redderet, omnibus patet. Cooperante etiam ſuperna illius
» clementia, qui poſuit humiles in ſublime & ipſum de plebe humili ſic erexit, vt
» non ſolum in Parlamento Regali ſolium ac tribunal iudicij ſapientiâ, qua prædi-
» tus erat, laudabiliter peroraret: verum etiam tanquam vir magni conſilii & in-
» duſtriæ, ac in omni domo Regia ſpectabilis & probatæ fidei cum excelſis Princi-
» pibus conſederet, ac Regni ipſius gubernacula præcipuè moderaretur: acumen
» ingenii, linguæ nitor, litterarum ſcientia dictandi ſcribendique peritia ſemper in
» eo ſplenduerunt, tantæq; opinionis apud Papã Eugeniũ extitit, vt quoties aliqua in
» Regno grauiora emergebant, & vſq; ad eius audientiã perlata, iſtius probatæ diſ-
» cretioni terminandã committebat. Glorioſus etiã Rex Franciæ Ludouicus Hie-
» roſolymam proficiſcens Pontificum & Procerum Conſilio ex parte illius fidei &
» ſolertiæ Regnum ſuum ſpecialiter commiſit regendum. Quod ille Deo iuuante
» ita adminiſtrauit & rexit, vt Principi redeunti commiſſa ſibi cum pace & integri-
» tate reſtitueret. Verum quia à conditione moriendi nemo excipitur, cum vale-

tudine, quâ mortuus eſt, vexari cœpiſſet, *fratrum* manibus ſuſtentatus in Capitulum ſe deduci popoſcit. Vbi poſt verba ædificationis cum lachrymis & gemitu omnium pedibus prouolutus, eorum ſe iudicio humiliter expoſuit, lachrymabiliter poſtulans, vt quod in eos deliquerat, vel negligentius egerat, reſpectu pietatis ei relaxarent. Quod fratres omnes maximâ cum deuotione & copioſa lachrymarum effuſione gratantiſſimè fecerunt. Tranſiit autem idem venerabilis Pater inter verba orationis & ſymboli die idus menſis Ianuarij, anno verò Dom. 1152. 70. ætatis ſuæ anno: à ſuſceptione autem Monaſtici habitus fere 60. Prælationis verò ſuæ 29. Cuius ſepulturæ & exequiis interfuerunt ſex Epiſcopi cum multis Abbatibus, Chriſtianiſſimo Rege Franciæ Ludouico, vbi & pietatis memor & immemor Regiæ Celſitudinis, dum ſepeliretur, amantiſſimè fleuit: fleuitque omnis Regia Domus, ſed & populus qui eum tanquam prudentiſſimum Conſiliarium totiuſque Regni Gubernatorem & adminiſtratorem planxerunt ſapientiſſimum. Iacet ſub ſtatua Pontificalibus Inſignibus ornata, cuius prælíminari hæc inſcriptio legitur. *Hîc iacet Sugerius Abbas.*

Huiuſce eximij viri virtutes plurimi authores contemporanei prædicarunt; inter cæteros verò B. Bernardus, Robertus Herefordienſis, & Ioannes Sareſberienſis, qui Epiſtola ad eundem ſic habet. *Opinionis* veſtræ odor qui circumquaque diffunditur, Nos de tranſmarinis partibus in odorem veſtri currere fecit. Venimus ergo de finibus terræ veſtram ſcilicet noſtri temporis audire ſapientiam: ſapientiam audiuimus, Templum quod ædificatis, aſpeximus, ornamenta quæ à vobis oblata ſunt, & offeruntur, vidimus, ordinem Miniſtrorum & Miniſteriorum attendimus, & meritò in illius Auſtralis Reginæ voces erupimus, quia media pars non fuerit nobis nunciata: & quoniam maior eſt ſapientia & opera, quàm rumor fuerit in terra noſtra. Quis enim non miretur hominem vnum tot & tanta ſuſtinere negotia, vt & Eccleſiarum pacem conſeruet, Statum reformet, & Regnum Francorum armis tueatur, moribus ornet, legibus emendet? Ei ſucceſſit in Abbatiæ Regimine Odo Diogellenſis, ante Abbas Compendienſis.

Eodem anno extinctum eſt aliud Eccleſiæ Regnique Gallicani lumen, Bernardus Clare-Vallenſis 160. Monaſteriorum & amplius Pater, anno ætatis 63. 13. Kal. Septemb. (eius tamen mortem refert ad an. 1153. Robertus Antiſſiodorenſ) ſepultus eſt in ſua Abbatia ante altare beatiſſimæ Virginis, ipſoque in tumulo, pectori eius ſuperpoſita eſt capſula continens Beati Thadæi Apoſtoli Reliquias, quas eodem anno ab vrbe Hieroſolyma ſibi miſſas ſuo iuſſerat corpori ſuperimponi, vt habet Chronicon Antiſſiodorenſe, in quo leguntur de eo hi verſus.

Sunt Claræ-Valles, ſed Claris-Vallibus Abbas
Clarior: his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus auis, clarus meritis & clarus honore
Claruit eloquio, Religione magis.
Claraque mors, claruſque finis, clarumque ſepulchrum.
Clarior exultat ſpiritus ante Deum.

Eodem anno obiit apud Anglos Henricus de Murdach Archiepiſcopus Eboracenſis, de quo ſupra diximus, inter Academicos Pariſienſes olim inſignis. Obit & Conradus Imperator, vir bello potens & virtutibus inſignis, ſepeliturque Magdeburgi, vel vt alij ſcribunt, Viennæ. Cuius hoc legitur Epitaphium in antiquis Monumentis Eccleſiæ Viennenſis.

Qui veſtes geritis pretioſas, qui ſine fine
Non profecturas accumulatis opes.
Diſcite quàm paucis opibus poſt funera ſimus
Contenti, ſuccus ſufficit atque lapis.
Conradus iacet hîc, qui tot Caſtella, tot vrbes
Poſſedit, tumulo clauditur iſte breui.
Mente Dei famulus, princeps habitu, trabeatus
Exterius, veſtis aſpera ſubtus erat.
Qua iacet, Eccleſiam gemmis reparauit & auro

Andreæ ſancti promeriturus opes.
Is Rex Conradus Monachos ſtabiliuit ibidem,
Corpore qui fertur dudum tumulatus ibidem.

Hoc anno potiſſimum inclareſcere cœpit Thomas Becketus, Clericus Londinenſis, qui, vt ait Geruaſius Dorobernenſis, ſubtiliſſima prouidentia & perquiſitione effecit, ne Euſtachius Stephani Anglorum Regis filius à Theobaldo Cantuarienſi in Regem deſignaretur & vngeretur, ſicque Henrico II. Normaniæ & Andegauiæ Duci legitimo Regni Anglicani hæredi ſucceſſionem aſſeruit.

In profeſſione verò Theologica præcellebat adhuc M. Robertus de Meliduno Angligena, prædicti Thomæ Magiſter, hoc cognomine appellatus *quod meruit ſcholarum regimine*, inquit Sareſberienſis, eius quondam in Philoſophicis Diſcipulus, nempe ab vrbe Meliduno, vbi poſt Abaëlardum & alios Magiſtros diu docuit: cum enim non poſſent omnes qui ad regendum admiſſi fuerant, Lutetiæ commodè docere, in locis circum vicinis annuente Vniuerſitate ſcholas ſuas aperiebant. Ille ergo poſtea ad Theologiæ profeſſionem ſe contulit, in qua non minus quàm in Philoſophica excelluit: vt idem Sareſberienſis docet l. 2. Metal. c. 10. de eo ſic ſcribens, *Alter in diuinis proficiens litteris, etiam eminentioris Philoſophiæ & celebrioris nominis aſſecutus eſt gloriam.* Edidit ſummam Theologicam, quæ nondum typis excuſſa eſt, ſeruaturque in Bibliotheca San-Victorina. Cui præmittit explicationes diuerſorum nominum, vocum & appellationum ad Tractatum Theologicum pertinentium. Deinde varias quæſtiones de Deo vno & Trino proponit: tum de Angelis, de Sacramentis, poſtremo de Incarnatione: & quanquam ille Peripateticuſeſſet & ſectator Ariſtotelis, varias tamen & inutiles quæſtiones, quas nonnulli ingenii ſubtilis laudem affectantes agitabant, contemnens, quaſcunque agitat, ſolidis cum opus eſt Philoſophiæ fundamentis ſtabilit tam prudenter tamque fortiter, vt nemo melius: tam modeſtè vero Curioſorum illorum ſententias & argumenta confutat, vt nemo ſolertius & modeſtius poſſit. De eo referemus inſynopſi huius ſeculi nonnullas quæſtiones in ſcholis tum diſcuti & examinari conſuetas. Interim vt ex vngue Leonem diſcat lector, hæc accipiat quibus ipſe Tractatum ſuum auſpicatur ſub hoc titulo. *De quinque ſtudiis cognoſcendæ veritatis.*

» *Quemadmodum*, inquit, *proprium eſt oculorum* claritatem luminis appetere,
» qua res viſibiles diſcerni poſſint ab inuicem: ita rationali animæ naturale eſt
» ad cognitionem veritatis rerum tendere: verum in hoc diuerſis agitur
» ſtudiis. Eſt enim quoddam veritatis cognoſcendæ ſtudium, in quo Nouo-
» rum inquiſitores diſcurrunt, quod merito *curioſitas* vana ac vaga nuncupa-
» tur. Eſt & aliud in quo cruciantur auari, quod *cupiditas* appellatur. Tertium ve-
» ro illis competit, qui propter hoc veritatem inquirunt, vt noceant proximo; quod
» hac de cauſa *ſtudium iniquitatis* dici poteſt. Eſt aliud diuerſorum ab his ſtudium
» in quo pro veritatis cognitione non inutiliter exercemur, Artiumque præceptis
» erudimur, quod *ſtudium eruditionis* nuncupatur. Vltimum ac ſupremum eſt, in
» quo nos conſummari oportet, & eo quod per ipſum à fine fine peruenitur: quod
» **idcirco *ſtudium conſummationis* nominamus: quia in ipſo ſolo veritas inueni-**
» tur, quæ via eſt & vita, ad quam cognoſcendam & amandam ſacra nos informat
» ſcriptura.

Porro vir iſte tam latinè, tam terſè & nitidè exprimit omnes quæſtiones, quas proponit & agitat, vt non poſſit non probro verti poſteris, qui tanti nitoris & elegantiæ præ oculis habentes exemplar, tantam in res Philoſophicas & Theologicos barbariem inuexerunt. Vt patebit in ſequentibus ſeculis.

1153. Ad annum 1153. refert Vincentius Bellouacus obitum Gualteri de S. Mauricio Laudunenſis Epiſcopi, cui ait ſucceſſiſſe Gualterum einſdem Eccleſiæ Decanum vulgo dictum de Mauritania: verum prior ille Gualterus Epiſcopus anno tantum 1155. obiit, iacetque Præmonſtrati vbi quondam Paupertatis habitum induerat, teſte Myræo in Chronico Præmonſtratenſi.

Eodem anno Dux Normaniæ Henricus & Stephanus Anglorum Rex, poſt diuturna bella inter ſe conuenerunt & pacem pepigerunt hiſce conditionibus; Vt Stephanus, quandiu viueret, in Anglia regnaret, poſt de-

ceſſum verò Henricus, quia ille hæredibus carebat. At Henrico Alienor coniux filium peperit, quem Vvillielmum appellauit. Sic ergo, inquit Mathæus Pariſienſis, illud Merlini Propheticum impletum eſt. *Nocebit poſſidenti ex Impiis pietas, donec ſeſe genitore induerit.* Manifeſtum eſt enim Regem Stephanum inſtituiſſe Henricum hæredem, quem non genuerat, dum ipſum adoptauit in filium & Regni participem & poſtmodum ſucceſſorem. *In Rege quoque Ducem, & in Duce omnes venerabuntur Regem Regalia paſſim à proceribus vſurpata Rex in ſua recipiet.* Nam Henrici tempore poſſeſſiones ab infinitis tyrannis & inuaſoribus occupatæ ad legitimos rediere poſſeſſores. Hac de re ante diximus.

Porro ex Alienore ſuſcepit Henricus quinque filios, Vvillielmum, Henricum, Richardum Ioannem, quorum tres iſti poſt Patrem ſucceſſiuè regnarunt; & Gaufridum Britanniæ Comitem. Primogenitus Vvillielmus in pueritia obiit. Ex eadem quatuor filias habuit: quarum vna data eſt in vxorem Regi Caſtiliæ; vnde orta eſt Blancha Regina Franciæ.

Ad annum 1154. commemorat Radulfus de Diceto in Imaginibus Hiſtoriarum reſtitutionem Vvilhelmi quondam Archiepiſcopi Eboracenſis ab Eugenio depoſiti, poſt mortẽ ſcilicet Henrici Murdachii: & eius occaſione plurimorum aliorum exempla refert eo modo reſtitutorum. Ioannes, *inquit*, Chryſoſtomus à duabus ſynodis fuit iudicatus, ſed iterum fuit reſtitutus. Marcellus Epiſcopus Anchiræ Galatiæ depoſitus fuit, & iterum reſtitutus. Aſclepius diiudicatus à ſynodo Eccleſiam ſuam poſtea recepit. Lucianus Epiſcopus Adrianopolites damnatus, à Papa Iulio Eccleſiã ſuam recepit. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus depoſitus fuit & poſtea reconciliatus eſt. Policronium Pontificem Sixtus Papa damnauit, & iterum ipſe eum reconciliauit. *Innocentius* Papa *Fortunatum* damnauit Epiſcopum, ſed ipſe eum poſtea Eccleſiæ ſuæ reſtituit. *Miſentium* Epiſcopu à Felice Papa damnatum Gelaſius Papa Eccleſiæ ſuæ reſtituit. *Leontius* dum eſſet Preſbyter depoſitus fuit, ſed poſtea in Antiochena Eccleſia Patriarcha extitit. *Gregorius* II. Papa *Theodoſium* quem Eugenius eius Anteceſſor Preſbyterii honore priuauerat, Eccleſiæ Signinæ conſecrauit Epiſcopum. *Ibas* Epiſcopus diiudicatus fuit, ſed iterum Eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt. *Rothadum* Epiſcopum Sueſſionis Eccleſiæ condemnatum & Sofrenum Placentium Epiſcopum meritò reprobatum *Nicolaus Papa* ambos reconciliauit. Ioannes Papa VIII. *Fortinum Neophotinum* à Papa Nicolao depoſitum in Patriarchatu Conſtantinopolitano reſtituit. *Formoſum Portuenſem* Epiſcopum quẽ *Ioannes Papa* VII. depoſuerat, Marinus ſucceſſor Ioannis reſtituit, *Arnulphum* Remenſem Archiepiſcopum *Hugo* Chapet Rex Francorum degradari fecit, quem Marinus Papa Eccleſiæ Remenſi reſtituit. *Aimarum Viennenſem* Archiepiſcopum quem Innocentius II. in Piſano Concilio depoſuerat, Adrianus Papa reſtituit. Hæc ille. 1154.

Eodem anno moritur, Anaſtaſius eique omnium conſpirantibus votis & ſuffragiis ſufficitur Adrianus IV. natione Anglicus Albanenſis Epiſcopus & Cardinalis ab Eugenio creatus, propterea quod in Noruegiam miſſus prædicando & bene monendo Prouinciam illam ad Chriſti fidem conuerterat redegeratque, vt loquitur Platina, qui addit inſtante Romano Clero, vt Lateranum proficiſceretur faciendæ confecrationis cauſa, eam facere recuſaſſe, donec Arnoldus Brixienſis hæreſeos ab Eugenio ante damnatus, ex vrbe pelleretur: id vero populum ægrè tuliſſe & Cardinalem S. Prudentiæ ad Pontificem via ſacra proficiſcentem vno aut altero vulnere affeciſſe. Hancque ob rem iratum Pontificem eos acerbâ etiam exſecratione proſecutum, donec mutata ſententia Arnoldum ex vrbe pepulerunt, & Conſules ſe Magiſtratu abdicare coëgerunt, relicta Pontifici adminiſtrandæ vrbis libera poteſtate.

Iſte Pontifex ante promotionem vocabatur Nicolaus Haſtifragus Anglicè Brekſpeare, vel Brekſpere, quem Onufrius *de Malmesburia* cognominatum fuiſſe vult. natus eſt in villa ruſticanâ *Langlei* vel *Langele*, ad ius & territoriũ Monaſterij San-Albanenſis pertinente: quo in Cœnobio Robertus Nicolai Pater vilioribus miniſteriis occupatus ſeruiebat, ibique poſtea Conuerſus Frater factus. Nicolaus quoque viliſſimis fungens officiis de Monaſterii culina ſuſtentabatur. Adoleſcens factus vilis vitæ faſtidium concepit, & à Richardo, vt aiunt, Abbate veſtis Monaſticæ

repulſam paſſus relicta Anglia Pariſios teſte Lelando, ſtudiorum cauſa petiit, ibique laboriosè vitam pauperem in bonarum litterarum ſtudiis egit, & præſtantiſſimum quod ei natura dederat ingenium, liberalibus artibus mirifice excoluit. Quarum curſu peracto in Prouinciam Galliæ Regionem ſe contulit ad S. Rufi Canonicorum Regularium Cœnobium: vbi & admiſſus ipſe inter Canonicos, Abbate vero loci defuncto omnium conſenſu Abbas eligitur: ſed illi poſtmodum pœnitentia ducti, quod peregrinum hominem ad tantum faſtigium extuliſſent, apud Eugenium tunc Pontificem accuſarunt. Eugenius audita & cognita cauſa innocentem quidem declarat: ſed cum penes ſe cum honore retinet, remiſſis illis ad electionem alterius Abbatis. Itaque vtrique parti ſatisfecit, & Nicolao in Apoſtolicis rebus negociiſque tractandis feliciter vſus eſt.

Hîc eximendus ſcrupulus, qui naſci poſſet ex iis quæ ſupra Nos retulimus de origine Adriani, quod ſcilicet tempore Roberti de Gotham monachalem habitum ſumere voluerit apud S. Albanum: neque enim credendum eſt eo Abbate id factum; nam ex Hiſtoria Anglicana conſtat anno tantum 1151. ad Abbatis dignitatem aſſumptum & adſcitum fuiſſe à Radulpho de Gubiun. At eo Priore & Gaufrido Cenomanenſi Abbate Roberti auunculo id fortè contigit & contigiſſe neceſſe eſt, ſi tempora ſpectentur. Quanquam aliqui ad tempora Richardi Abbatis referunt, qui obiit ante an. 1119. Et certè non inconuenienter: etenim cum voluit Nicolaus apud S. Albanum monachalem habitum induere, adhuc ſcholaris erat & adoleſcens, vt ex vitis Abbatum San-Albanenſium diſcimus ſub Abbate Roberto, vbi ſic legitur.

» Hic Nicolaus de quo prælibauimus paucula (nos ſupra retulimus ad an. 1151.) fi-
» lius fuit cuiuſdam Roberti de Camera, qui honeſtè viuens in ſeculo litteratus ali-
» quantulum habitum Religionis in Domo S. Albani ſuſcepit, & filium ſuum me-
» moratum Nicolaum Clericum & Scholarem in Clauſtrum attrahere volens in-
» terpellauit Abbatem pro ipſo, vt eundem in Monachum ſuſciperet. Abbas
» autem conceſſit, ſi idoneus idem Nicolaus inueniretur. Sed examinatus inſuffi-
» ciens repertus eſt. Receſſit igitur confuſus Nicolaus & abiens in Prouinciam in
» Domo S. Rufi Canonicus effectus eſt: qui poſtea meritis exigentibus in eadem
» Domo ſortitus Abbatis eſt dignitatem. Et poſtea cum bene per aliquot annos
» vixiſſet, & negotia Domus prudenter pertractaret, Romam adiit pro quibuſdam
» arduis ſuæ domus negotiis expediendis. Et cum ipſa in Curia Rom. efficaciter &
» prudenter conſummaſſet, famoſus effectus eſt, & cum vacaſſet ſedes Albanenſis,
» electus ipſam ſortitus eſt. Qui ſic de magno maior effectus, diatim felix in omni
» virtute ſuſcipiens incrementum, demum Papali ſede vacante, Papa poſt Anaſta-
» ſium feliciter eſt ſublimatus. Hic in tantum Eccleſiam B. Albani dilexit, vt quic-
» quid eiuſdem Eccleſiæ ab eo petiiſſent, ſine difficultate conſequerentur. Illius
» namque Pater, vt præfatum eſt, Monachus S. Albani quinquaginta annis & am-
» plius vitam laudabiliter continuauit & felici fine terminauit. Vnde in Capitulo
» tum propriis, tum filij ſui Domini Papæ meritis exigentibus meruit ſepeliri non
» procul à tumulo Richardi Abbatis, qui poſtea tegulis pauimentalibus eſt cooper-
» tus.

Cum ergo Robertus Nicolai Pater Monachicam vitam duxerit 30. annis & amplius, neceſſe eſt vt ſub Richardo Abbate qui poſt regimen 21. annorum an. 1119. obiit, nomen dederit: ac proinde vt filius quoque eius eodem Abbate, aut certè ſub Gaufrido ſucceſſore inter Monachos admitti poſtularit, cum adhuc Scholaris & adoleſcens ipſe eſſet: aut fatendum eſt non ſemel, ſed iterum admitti poſtulaſſe. Vnum tamen faceſſit negotium, quod ibidem legitur, nempe quod cum Robertus Abbas Romam petiiſſet & munera Pontifici obtuliſſet, ille ea reſpuerit, hæc vrbanè & iocosè aiens: *Abnno recipere munera tua, quia me aliquando ad alas Religionis Domus tuæ confugientem & habitum Monaſticum charitatiuè poſtulantem, recipere renuiſti. Cui Abbas. Domine, vos nequaquam potuimus recipere: voluntas enim Domini repugnauit, cuius prudentia vitam veſtram direxit ad altiora.* Verum hæc Papa ad Robertum tanquam ad Abbatiam dixit, & ad præſentem tanquam ad abſentem Abbatem mortuum; neque enim Adrianus à Roberto Abbate Monaſticum habitum poſtulare potuit, eodem quippe prope tempore hic Abbas, ille Papa factus eſt.

Sed

Sed & vlterius confirmare libet authoritate Guillelmi Neubrigenſis l. 2. de Rebus Angl. c. 6. vbi de promotione Nicolai verba faciens, ait à patre religionis habitum induente relictum impuberem. *Is*, inquit, *natione Anglicus patrem habuit Clericum quendam non multæ facultatis, qui relicto cum ſæculo filio impubere apud S. Albanum factus eſt Monachus. Ille verò adoleſcentiam ingreſſus cum propter inopiam ſcholis vacare non poſſet, idem Monaſterium quotidiana ſtipis gratia frequentabat. Vnde pater erubuit verbiſque mordacibus ſocordiam eius increpitans, omni ſolatio deſtitutum cum graui indignatione abegit.* Ait Neubrigenſis Adrianum Patre *Clerico* natum: imo Radulfus de Diceto eiuſdem ſeculi ſcriptor diſertè ſcribit Patrem habuiſſe Preſbyterum: hincque & multorum aliorum exemplis docet non eſſe arcendos à ſacris ordinibus ſacerdotum filios. Hæc enim habet ad an. 1160. Richardus Conuentrenſis Archidiaconus ex Patre Roberto Coſtrenſi Pontifice conſecratus eſt eiuſdem ſedis Epiſcopus ab Archiepiſcopo Theobaldo. Non igitur vel à ſacris ordinibus, vel à parochialibus curis, vel ab Eccleſiis Cathedralibus, vel etiam ab ipſo Papatu ſacerdotes, ſi probabilis vitæ fuerint, ſunt arcendi. Felix itaque III. natione Romanus ex Patre Felice Preſbytero ſummus Pontifex fuit. Itē Agapitus natione Romanus ex Patre Gordiano Preſbytero ſummus Pontifex fuit. Gelaſius natione Afer ex Patre Valerio Epiſcopo ſummus Pontifex fuit. Siluerius natione Campanus ex patre Ormiſda Rom. Epiſcopo ſummus Pontifex fuit. Deus dedit natione Romanus ex Patre Stephano ſubdiacono ſummus Pontifex fuit. Theodorus natione Græcus ex Patre Theodoro Epiſcopo ſummus Pontifex fuit. Nicolaus natione Anglicus ex Patre Preſbytero ſummus Pontifex fuit, vocatus Adrianus Papa, IV. hæc Radulphus.

Pergit deſcribere Neubrigenſis quomodo ſe in Galliam contulerit, deinde ad Cœnobiū S. Rufi, quod tū erat Canonicorū Regulariū. *Ille verò ſibi relictus & forte* neceſſitate aliquid audere coactus Gallicanas adiit regiones, ingenuè erubeſcens in Anglia vel fodere vel mendicare. Cumque in Francia minus proſperaretur, ad remotiora progrediens trans Rhodanum peregrinatus eſt, in regione quæ Prouincia dicitur. Eſt autem in illa regione Monaſterium nobile Clericorum Regularium quod dicitur S. Rufi, ad quem locum ille veniens & ſubſiſtendi occaſionem ibidem inueniens, quibus potuit obſequiis eiſdem ſe fratribus commendare curauit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu iucundus, prudens in verbis, ad iniuncta impiger, placuit omnibus, rogatuſque Canonici ordinis ſuſcipere habitum, annis plurimis ibidem reſedit regularis imprimis diſciplinæ æmulator. Cumque eſſet acris ingenii & linguæ expeditæ frequenti & ſtudioſa lectione ad ſcientiam atque eloquentiam multum profecit. Vnde factum eſt vt Abbate defuncto fratres eum concorditer atque ſolenniter in Patrem eligerent.

Quibus cum aliquandiu præfuiſſet, pœnitentia ducti atque indignati, quod hominem peregrinum leuaſſent ſuper capita ſua, facti ſunt ei de cætero infidi atq; infeſti. Odiis itaque paulatim crudeſcentibus, vt iam grauiter aſpicerent in quo ſibi paulo ante bene complacuerat, tandem confictis & propoſitis contra eum capitulis, ad ſedem eum Apoſtolicam prouocarunt. Piæ autem memoriæ Eugenius qui tunc [redacted] Pontificii tenebat, cum Rebellium filiorum contra patrem querelas audiſſet & eius pro ſe allegantis prudentiam modeſtiamque animaduerteret, paci inter eos reformandæ efficacem operam dedit, multumque imperans & ſæpius inculcans vtrique parti, vt partes eſſe deſinerent & vnitatem ſpiritus in vinculo pacis ſeruarent, reconciliatos ad propria remiſit. At non diu quieuit neſcia quietis malitia, grauiuſque intonuit rediuiua tempeſtas. Interpellatus eſt iterum idem venerabilis Pontifex, cuius iam aures fratrum illorum querelis & ſuſurris tinniebant. Vtrique ergo parti piè & prudenter proſpiciens, Scio inquit, *Fratres vbi ſedes ſit Sathanæ, ſcio quid in vobis ſuſcitet procellam iſtam: ite, colligite vobis cum quo pacem habere poſſitis vel potius velitis: iſte non erit vobis vlterius oneri.* Itaque dimiſſis fratribus Abbatem in B. Petri obſequio retinens, Albanenſem ordinauit Epiſcopum, ac non multo poſt ſumptis induſtriæ eius experimentis ad gentes ferociſſimas Dacorum & Norrenſium cum plenitudine poteſtatis direxit Legatum. Quo ille officio in barbaris nationibus per annos aliquot ſapienter & ſtrenuè adminiſtrato Romam cum ſalute & gaudio remeauit, ſuſceptuſque à ſummo Pontifice & Cardinalibus cum honore & gloria. Euolutis diebus non multis Ana-

» ſtaſio qui Eugenio ſucceſſerat, decedente, omnium in eum votis concurrentibus
» Romanæ vrbis Pontificatum ſuſcepit, factus ex Nicolao Adrianus. Qui nimirum
» ſuorum non immemor rudimentorum ob paternam maximè memoriam B. Mar-
» tyris Albani Eccleſiam & donariis honorauit & perpetuis inſigniuit priuilegiis.

Ex his facile eſt eos erroris conuincere, qui ſcribunt Adrianum fuiſſe Monachum, Ordinis Benedictini: quippe conſtat ex omnium Anglorum Hiſtoricorum fide, eum quidem voluiſſe & petiiſſe admitti inter Sodales San-Albanenſes, at nunquam admiſſum fuiſſe aut habitum ſumpſiſſe. Conſtat quoque Abbatiam S. Rufi extra ciuitatem Auenionenſem fuiſſe Canonicorum Regularium, non Benedictinorum, vbi relictis ſtudiis Pariſienſibus Canonicus factus eſt, vt conſtat ex quadam Arnulfi Lexouienſis ad Alexandrum III. Epiſtola pro Canonicis Sagienſibus tum temporis Regularibus, vt ante docuimus contra Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ tentantem ſeculares reducere ad Archidiaconatus munia exercenda, propterea quod è Regularibus nullus ad ea ſatis aptus eſſe videretur. Sic ergo ille. *Sed hunc ipſum pietatis ſpecie palliabit effectum dicturus Eccleſiam illam idoneas non habere perſonas, quæ talibus ſufficere probentur: tanquam ſi ſanctæ ſimplicitati prænalere debeat ſecularis aſtutia, aut de Eccleſia S. Victoris Pariſienſis, aut S. Rufi vel aliis ſimilibus perſonis non poſſint authoritate veſtra ad hæc officia diſpenſanda transferri.*

Extat quoque eiuſdem Adriani ad Abbatem & Canonicos S. Rufi diploma,
» in quo eos ſimpliciter Canonicos appellat. *Adrianus* dilectis filiis Abbati & cæteris
» *Canonicis S. Rufi* Sal. & Apoſt. Bened. Guigo Carthuſianus in vita S. Hugonis Gra-
» tianopolitani Epiſcopi ad Innocentium II. loquens de ſociis Brunonis *habebat* in-
» quit, *ſocios M. Laudunum qui poſt eum Carthuſiæ Prior extitit: duos Stephanos Dienſem*
» *& Burgenſem. Hi S. Rufi Canonici fuerunt, ſed deſiderio ſolitariæ vitæ eis, Abbate fa-*
» *uente ſeſe coniunxerant.* Sed de his pluſquam ſatis.

Doctos homines doctiſſimus ipſe Pontifex mirificè fouit & coluit: inter cæteros vero M. Ioannem Sareſberienſem & M. Hugonem de Campo-florido viros vtique celeberrimos: eiuſque extant ad Hugonem tunc Regis Regnique Cancellarium Epiſtolæ plurimæ, & pro eo ad Atrebatenſem & Pariſienſem Epiſcopos, vt eum præbendis ſuis Archidiaconatu ſcilicet & Canonicatu, quas dignitates in eorum Eccleſiis obtinuerat, liberè frui ſinerent, publicis nempe rebus occupatum legitimè, minatus etiam fulmina, ſi refragarentur. Quanti ergo hunc eximium virum fecerit, ex Epiſtolis ſequentibus patebit.

" *Adrianus* Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Hugoni Cariſſimi filii noſtri Lu-
" douici Regis Francorum Cancellario & Atrebatenſis Eccleſiæ Archidiacono ſa-
" lutem Apoſtol. Bened. Si rationabilibus filiorum noſtrorum petitionibus facili
" aſſenſu concurrimus, & eos ſuper collatis ſibi Eccleſiaſticis beneficiis noſtro pa-
" trocinio communimus, officij noſtri debitam exequimur actionem & Eccleſiaſti-
" cis vtilitatibus efficaciter prouidemus. Tanto enim quiſque de ſui executione of-
" ficii poterit & fructuoſius cogitare, quanto prauorũ temeritati ad ſuam infeſtatio-
" nem omnem aditum viderit attentius intercluſum. Ea propter dilecte in Domino
" Fili Hugo, paci & quieti tuæ in poſterum prouidere volentes, maiorem Ar-
" chidiaconatum Atrebatenſis Eccleſiæ cum omnibus ad eum pertinentibus à ve-
" nerabili fratre noſtro Godefrido (alii ſcribunt Godeſcalco) eiuſ Eccleſiæ Epiſ-
" copo rationabili tibi prouiſione conceſſum authoritate tibi Apoſtolica confir-
" mus & præſentis ſcripti paginâ communimus. Nulli ergo hominum, &c. Datum
" Laterani 12. Kla. Febr.

Atrebatenſis vero Epiſcopus ea lege voluit eum Archidiaconatu frui: vt quandocunque iuberet, Cancellariam dimitteret & ad Eccleſiam ſuam reuerteretur: qua de re certior factus Pontifex ſcripſit in hunc modum ad Hugonem.

Adrianus... Illius deuotionis & ſinceritatis intuitu quam circa ſacro-ſanctam
» Romanam Eccleſiam & nos ipſos à multis retroactis temporibus noſceris habuiſ-
» ſe, pro tuæ quoque honeſtate & probitate perſonæ maiorem Archidiaconatum
» Fratre noſtro Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo ipſum prius ſpondente abſque
» conditione & alicuius pacti obligatione tibi nos recolimus olim in Atrebatenſi
» Eccleſia poſtmodum contuliſſe. Ipſe autem Atrebatenſis Epiſcopus contra puritatem Epiſcopalẽ & nimis ſecundum hominem ambulans impedimentum tibi vo-
» lens ſuper hac conceſſione præſtare, te iuramento ſicut dicitur obligauit quod cũ
» ſibi placeret, Cancellariam abſque contradictionis obſtaculo reſignares. Vnde

quoniam tam illicitum iuramentum nullâ debet firmitate conſtare ab ipſius iura-
menti debito authoritate ſedis Apoſtolicæ te abſoluimus, & conditiones in eiuſ-
dem Archidiaconatus collatione contra præceptum noſtrum poſitas irritas modis
omnibus eſſe cenſemus. Datum Laterani 5. id. Maii.

Similiter eadem die & eodem tenore ſcripſit ad Epiſcopum Atrebatenſem ſatis acerbè.

Adrianus..... Venerabili Fratri Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo Sal. & Apoſt. bened. Illius deuotionis & ſinceritatis intuitu quam dilectus filius noſter Hugo Chariſſimi filii noſtri Ludouici Illuſtris Francorum Regis Cancellarius circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & nos ipſos à multis retroactis temporibus noſcitur habuiſſe, pro ipſius quoque honeſtate & probitate perſonæ maiorem Archidiaconatum te etiam ei prius ſpondente abſque omni conditione & alicuius pacti obligatione eidem nos recolimus olim in Atrebatenſi Eccleſia poſtmodum contuliſſe. Tu vero contra puritatem Epiſcopalem & nimis ſecundum hominem ambulans impedimentum ei volens ſuper hac conceſſione præſtare ipſum iuramento ſicut dicitur, obligaſti, quod cum tibi placeret, Cancellariam abſque contradictionis obſtaculo reſignaret. Vnde quoniam tam illicitum iuramentum nulla debet firmitate conſtare, prædictum filium noſtrum Cancellarium ab ipſius iuramenti debito authoritate Apoſtolicæ ſedis abſoluimus, & conditiones in eiuſdem Archidiaconatus collatione contra præceptum noſtrum poſitas irritas modis omnibus eſſe cenſemus. Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eum de cætero ad obſeruationem præſtiti Iuramenti cogere nulla ratione præſumas. Datum Laterani 5. Id. Maij.

Timuit fortaſſe fulmen Apoſtolicum Epiſcopus, & quod iubebat Adrianus, adimpleuit: verum aliunde Hugoni ſubiratus aut inuidens, prohibuit, quominus Capellania quadam ſeu altari de Aſlues frueretur, imo ei abſtulit. Quâ de re cum Hugo apud Pontificem queſtus eſſet, ille Epiſcopo reſcripſit his verbis.

Adrianus... Dilectus filius noſter Hugo Chariſſimi filii noſtri Regis Francorum Cancellarius directa nobis inſinuatione monſtrauit, quod altare de Aſlues à bonæ memoriæ Aluiſo prædeceſſore tuo canonicè ſibi conceſſum, quod etiam in tempore prælationis tuæ quietè dicitur tenuiſſe, ſine rationabili cauſa & nullo interueniente iudicio ei abſtuliſti. Vnde quanto idem Cancellarius amplius maiori eſt deuotione & fidelitate ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ & nobis adſtrictus, tanto magis ſua iura nos conuenit attentius illibata, & integra conſeruare, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ſi ita eſt, altare ipſum omni dilatione & appellatione remota memorato filio noſtro reſtituas. Datum Laterani Kal. Nouemb.

Idem autem ad eundem de eadem re. *Adrianus*..... Dilectus filius noſter Hugo Chariſſimi filij noſtri Ludouici Illuſtris Francorum Regis Cancellarius tranſmiſſâ nobis relatione monſtrauit ſe altare quoddam in Atrebatenſi Epiſcopatu ex dono Aluiſi bonæ memoriæ Atrebatenſis quodam Epiſcopi habuiſſe; & vſque ad illud tempus quo Inueſtituram maioris **Archidiaconatus in Eccleſia tua de mandato noſtro** fuerat ſuſcepturus, aſſerit ſe idem altare quietè ac pacificè poſſediſſe. Imminente verò die, quo de ipſo Archidiaconatu debebat iuxta mandatum noſtrum, ſicut diximus, inueſtiri, Tu prout nobis ſuggeritur, niſi eodem altari tibi primitus reſtituto, inueſtituram ei facere noluiſti, & taliter ab eo ipſum altare diceris extorſiſſe. Quia verò huiuſmodi circunuentio rationi contraria eſt, & à Pontificali Officio penitus aliena, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus & mandando præcipimus, quatenus ſi res ita ſe habet, ipſum Altare iam dicto filio noſtro Hugoni Cancellario infra 40. dies poſt horum ſuſceptionem omni appellatione ceſſante reſtituas: Quod ſi tu facere fortè diſtuleris, Venerabili Fratri noſtro Samſoni Remenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato à Nobis datum eſſe noueris in mandatis, vt ipſe hoc vice noſtra non differat effectui mancipare. Datum Laterani 5. Id. Maij.

De Hiſce ſuis litteris Adrianus certiorem facit Archiepiſcopum Remenſem, eique iniungit vt mandata ſua curet executioni mandari citra omnem appellationem eademque repetit quæ ſupra habebat etiam Hugo præbendam in Eccleſia Pariſienſi, quâ idem Pontifex voluit eum quietè & pacificè frui. Extantque in

hanc rem eius litteræ ad Epiſcopum & Capitulum Pariſienſe his verbis.

„ *Adrianus Epiſcopus S. S. D.* Venerabili Fratri Theobaldo Epiſcopo & dilectis fi-
„ lis Clementi Decano & vniuerſo Capitulo Pariſienſis Eccleſiæ Sal. & Apoſt. be-
„ ned. Gratum & acceptum habemus,& Dilectionem veſtram de prouiſione illo-
„ rum quæ ad promouendas vtilitates Eccleſiaſticas pertinent,non modicum com-
„ mendamus , quod Dilecto filio noſtro Hugoni Chariſſimi filii noſtri Ludouici
„ Francorum Regis Cancellario Præbendæ ſuæ reditus in veſtra Eccleſia conceſſi-
„ ſtis. Vnde nos conceſſionem ipſam ratam habentes & authoritate Apoſtolica con-
„ firmantes per præſentia vobis ſcripta mãdamus,quatinus reditus ipſos ei vbicun-
„ que fuerit,faciatis integrè aſſignari,vt & ipſe vobis & Eccleſiæ veſtræ inde ſemper
„ exiſtat obnoxius,& nos petitiones veſtras libentius admittere debeamus. Datum
„ Beneuenti 13. Kal. Febr.

Similiter ad Capitulum Aurelianenſis Eccleſiæ ſcribit idem Pontifex in gratiam eiuſdem Hugonis,vt eum præbendâ quam ibi obtinuerat, etiam abſens frui permitteret.

Adrianus Ep. S. S. D. Dilectis filiis Decano & Vniuerſo Capitulo Eccleſiæ S.
„ Crucis Aurelianenſis Sal. & Apoſt. bened. Miramur plurimum & aduerſum vos
n non poſſumus non moueri, quod cum olim vobis dederimus in mandatis , vt li-
„ cet dilectus filius noſter Hugo Chariſſimi noſtri Ludouici Illuſtris Francorum
„ Regis Cancellarius in Eccleſia veſtra non eſſet aſſiduus, nihilominus tamen inte-
„ gritatem præbendæ ſuæ abſque contradictione aliqua obtineret, Vos autem non
„ ſolum mandatum noſtrum in hac parte non curaſtis effectui mancipare , verum
„ etiam quod deterius eſt ,in noſtrum & Apoſtolicæ ſedis contemptum, cum prius
„ integram habuiſſet,poſtmodum ei medietatem , ſicut dicitur,ſubſtraxiſtis. Vnde
„ niſi Apoſtolicæ ſedis conſulta benignitasanimum noſtrum mitigaret , manus S.
„ Petri graues in vos vſque adeo ſentiretis,quod in contemptum noſtrum non præ-
„ ſumeretis vlterius tale aliquid attentare. Ne igitur de merito veſtræ maliciæ co-
„ gamur in vos animadue/ſione grauiſſima vindicare, Vniuerſitati veſtræ per ite-
„ rata ſcripta præcipiendo mandamus & mandando præcipimus, quatinus ita ite-
„ gram ei præbendam licet abſens fuerit, de cætero concedatis,tanquam ſi aſſiduus
„ in ipſa Eccleſia deſeruiret. Quidquid vetò ei exinde hactenus eſt ſubſtractum,in-
„ fra 20. dies poſt ſuſceptionem præſentium litterarum omni occaſione & excuſa-
„ tione poſtpoſita eidem ſtudeatis in integrum reſtituere. Datum Laterani 7. id.
„ Maij.

Idem rurſus ad Capitulum Pariſienſe pro eodem ſcribit , vt Præpoſituram & Domos Clauſtrales primo quoque tempore vacaturas illi aſſignaret.

„ *Adrianus*... Dilectis filiis Decano,Cantori & VniuerſoCapitulo Pariſienſi Sal.
„ & Apoſt bened. Eccleſiaſticas perſonas quas ſacroſanctæRomanæEccleſiæ deuo-
„ tiores eſſe cognoſcimus,& ad eius obſequium eſſe promptiores inſpicimus,opor-
„ tet nos ſpeciali quadam prærogatiua diligere & honorem eis debitum exhiben-
„ tes ipſas debemus Eccleſiaſticis beneficiis prout expedire cognoſcimus,ampliare.
„ Dilectus ſiquidem filius noſter Hugo Chariſſimi filii noſtri Ludouici illuſtris
„ **Francorum Regis Cancellarius quanto nobis ſit vinculo deuotionis adſtrictus &**
„ pro commodo atque honore Matris ſuæ ſacro ſanctæ Rom. Eccleſiæ vbicunque
„ neceſſitas exigit , quam fideliter ſe opponat & de ipſius ſtudeat incremento tra-
„ ctare,nos ipſi ad plenum nouimus & diſcretionem veſtram id ipſum credimus nõ
„ latere. Inde vtique eſt quod nos eum ſincera Charitate in Domino diligentes,
„ ipſum quibus modis cum Deo poſſumus intendimus honorare,& noſtri propoſiti
„ eſt eidem in oportunitatibus ſuis vtiliter prouidere. De omni itaque veſtri de-
„ uotione plurimum confidentes Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præci-
„ piendo mandamus & mandando præcipimus,quatinus Præpoſituram , quæ in
„ Pariſienſi Eccleſia,& Domos quæ in Clauſtro eiuſdem Eccleſiæ dehinc primum
„ vacauerint,ei omni contentione & appellatione ſepoſitâ concedatis,& conceſſas
„ ipſum permittatis quietè & abſque vlla moleſtia poſſidere. Datum Laterani. 5.
„ id. Maij.

Eodem anno Rex Francorum Ludouicus & Henricus Dux Norm. & Rex Anglorum pacem & concordiam iniuerunt, operâ & miniſterio eiuſdem Hugonis Cancellarij : quam ob rem Adrianus illi gratulatur his verbis.

Adrianus.....Dilecto filio Hugoni Illuſtris Regis Francorum Cancellario S. & Apoſt. Bened. Quod ad pacem & concordiam inter Chariſſimos filios noſtros Ludouicum Illuſtrem Regem Francorum, & Henricum Illuſtrem Regem Anglorum pro poſſe tuo ſicut nobis dicitur, ſollicitus extitiſti, & ſtudium adhoc effectui mancipandum & vigilantem operam impendiſti, tantò amplius gratum & acceptum habemus, & animi tui prudentiam in hac parte tantò attentius commendamus, quantò magis ipſa pax atque concordia Deo eſt & hominibus grata & tam præſentibus quàm poſteris profutura. Accepimus ſiquidem & ex Dilecti filii noſtri Henrici Nuncii prædicti filii noſtri Regis Franciæ relatione & litterarum ſuarum tenore concepimus tantam inter eos ſtudio & diligentia tua virtutem per Dei gratiam eſſe & vinculum charitatis, tantam etiam pacem & tantam interueniſſe concordiam, vt nihil alternæ amicitiæ fœdus infringere, nihil amoris firmitatem aliquatenus valeat diſturbare. Vnde Nos lætitiam tantò maiorem concipimus, & cum Deo, & Angelis tantò amplius exultamus, quantò magis amicitiam ipſam vtrique parti neceſſariam eſſe cognoſcimus, & multum fructum conſpicimus prouenire. Eapropter Omnipotenti Deo à quo bona tanta procedunt, & in cuius manu Regum corda conſiſtunt, immenſas gratiarum referimus actiones, qui diſcordantia quædam vota & diſpares voluntates ita per ſuam miſericordiam voluit eſſe coniuncta, vt nihil iam in ipſis poſſit reperiri diuerſum, ſed idem velint & idem ſentire pariter videantur. Nos verò qui pacis & concordiæ bonum inter omnes eſſe plurimum optare debemus, Diuinam Clementiam aſſiduis precibus exoramus, vt pacem firmam inter eos conſeruare dignetur & perpetuam vnitatem. Adhæciam *dictum filium noſtrum Henricum litteratum quidem Clericum & honeſtum, quem circa negotia tua fidelem ſatis eſſe cognoſcimus, ac deuotum*, Dilectioni tuæ propenſius commendantes rogamus plurimum, vt cum pro B. Petri ac noſtra reuerentia de charo habens chariorem & eidem in opportunitatibus ſuis ita pietatis intuitu & noſtro interuentu prouideas, quod & ipſe preces noſtras apud te ſibi ſentiat fructuoſas, & nos exinde Deuotioni tuæ gratiarum debeamus exſoluere actiones. Datum Laterani II. Non. Nouemb.

Eodem anno Ludouicus Rex Conſtantiam Regis Hiſpaniarum filiam accepit vxorem, exinque per Hugonem Archiepiſcopum Senonenſem Aureliæ ſacro oleo vngi & conſecrari voluit, moleſtiſſimè licet id ferente Samſone Archiepiſcopo Remenſi, qui id honoris & iuris omnino ſibi deberi iuxta veterē conſuetudinē contendebat. Quâ de re ſic ſcribit Robertus Sammarianus Monachus in Chronico Antiſſiodorenſi. *Hoc anno Ludouicus Francorum Rex filiam Imperatoris Hiſpaniæ fœminam morum honeſtate præcipuam accepit in Coniugem apud Aurelianis vrbem, ibique nuptiis quam ſolemniter celebratis, ab Hugone Senonenſi Archiepiſcopo vncta eſt in Reginam. Quod Samſon Remenſis Archiepiſcopus ægrè tulit dicens ſui eſſe iuris vbicunque conſecrandi fuerint Reges Francorum & Reginæ, eos à ſe conſecrari debere, cum hoc nec approbet ratio, nec ſuffragetur exemplum. Quod quidem Iuo Carnotenſis Decretorum ac Legum peritiſſimus in Epiſtolis ſuis tam rationibus aſtruit quàm exemplis dicens, Nullo vnquam ſcripto vel exemplo probari poſſe Remenſem Archiepiſcopum Regum Francorum extra Belgicam prouinciam vnxiſſe aut coronaſſe. Ac proinde cum eadem poteſtas ſit cuiuſque Metropolitani in Metropoli ſua, iniurioſum videtur ſi vnus in proprium ius ambiat vindicare, quod multorum conſtat eſſe commune.*

Eodem anno pridiè nonas Septemb. obiit celeberrimus Magiſter *Gilbertus Porretanus*, Epiſcopatus Pictauienſis anno 13. ſepultuſque eſt in Eccleſia B. Hilarii à Gaufredo Archiepiſcopo Burdegalenſi & Epiſcopis aliis Xantonenſi & Petragonenſi, ut habetur in ſchedis M. S. Laurentij Decani Pictauienſis. Eiuſdem meminit Robertus de Monte in appendice Sigeberti ad hunc annum. Thomas verò Beketus à Theobaldo Archiepiſcopo fit Eccleſiæ Cantuarienſis Archidiaconus, & paulo poſt Henrici Anglorum Regis Cancellarius.

Anno 1155. obiit Gilduinus primus Abbas San-Victorinæ Domus, quam anno 1113. regere cœperat. Dici non poteſt quàm multi toto illo tempore quo eam rexit, floruerint in Gymnaſio illo bonarum litterarum præſertim verò Theologiæ eximij profeſſores: quorum nonnulli opera ſua poſteritati æternitatique conſecrarunt, ſed iſti maximè, Hugo qui omnium conſenſu primas tulit, Richardus & Andreas, qui multos in diuerſas Sacræ Scripturæ partes commentarios ediderunt. 1155.

Nec tum minus florebant in ſecularibus ſcholis omnia bonarum litterarum ſtudia. *Quidni vero floruiſſent*, inquit, Papyrius Maſſonius, *Rege earum Profeſſores honoribus ac præmiis proſequente!* Is eſt Ludouicus cognomento Iunior, Philippi Adeodati Pater, qui teſte Rigordo Academiam Pariſienſem multis priuilegiis exornauit, ſed quorum hodie nullum extat, aut ſaltem nullius publicum extat inſtrumentum. De eo plura infra dicemus.

Eodem anno Stephano Anglorum Rege defuncto Henricus II. Henrici I. ex filia Nepos & Galfridi de Plantagenet Comitis Andegauiæ filius, qui in Curia Regis Francorum nutritus fuerat litteriſque & bonis artibus informatus, transfretauit in Angliam Regnique habenas iam ſolus tractare cœpit. Huius Principis virtutes & vitia deſcribit Giraldus Cambrenſis in ſuis Diſtinctionibus ſic inquiens. „ *Meticuloſa planè res eſt in illum allegare qui poteſt relegare; illum multis verbis deſcribere* „ *qui poteſt proſcribere. Glorioſum quippe foret & vires noſtras prorſus excedens veritatem* „ *in ſingulis non ſupprimere, & in nullo Principis animum exacerbare.* Erat nempe hic „ Henricus vir ſubrufus, amplo capite & pectore, oculis glaucis, voce quaſſa, cor„ pore carnoſo, cibo tamen & potu pareus, & vt pinguedinem reprimeret, cor„ pus ſuum venatione, ſtatione, deambulatione vexabat. Statura mediocris, *elo„ quens & litteratus*, in armata militia ſtrenuus, in togata prouidus. In bellis ambi„ gua fata formidans, humanior ſemper militi extincto quàm ſuperſtiti, plus mor„ tuos lugens quã viuos amans. Vrgentibus incommodis nemo benignior, reſumpta „ ſecuritate nemo rigidior; acer in indomitos, clemens interdum in ſubactos. Du„ rus in domeſticos, profuſus in extraneos: largus in publico, parcus in priuato. „ Quem ſemel exoſum aut dilectum heberet, vix ad contrarium flecteretur. Verbi „ ſpontaneus tranſgreſſor, moroſus ad cuncta reſponſor, quietis amator, ſed „ nobilitatis oppreſſor, iuſtitiæ venditor & dilatator, fidei tranſgreſſor, verbo varius „ & verſutus. Adulter publicus, Eccleſiæ malleus, Deo ſemper ingratus: diſcor„ diam inter filios ſummo opere fouebat, ſolùm ſibi ex eorum diſſidio pacem ſpe„ rans prouenire. Si tamen excurſuum ſuorum metæ quærantur, prius deerit „ orbis quàm aderit finis. Animoſo quippe pectori ceſſare poterunt terræ, ceſſare „ neſciunt victoriæ, nec deerunt triumphi, ſi ſit materia triumphandi. Hæc & alia plura de Henrico Cambrenſis apud Ioannem Brompton, quem inſuper aiunt conſueuiſſe Religioſos Epiſcopos ad colloquia ſua etiam in tranſmarinis partibus & in Martis negotiis ſecum circumducere, eorumque magis quàm militum conſiliis vti: idque duplici de cauſa, nempe quia ſic curia ſua legatis aduentantibus venerabilior apparebat, & quia plus pacis quam belli amator videri volebat.

Apud eum autem egit Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus, vt Thomæ Beketo Clerico Londinenſi tunc Archidiacono ſuo Regni Cancellariã concederet, quem ſcilicet Theobaldus frequenti experientia nouerat eſſe in agendis ſtrenuum, in conſiliis fidum, in dubiis ſecurum, in aduerſis magnanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad iuſſa promptum, in obſequio ſedulum & in omni opere prouidum: vnde & talem aulâ dignum & aulæ gratum futurum non immeritò arbitrabatur: inde ſperans ipſius operâ pacem inter Regnum & ſacerdotium firmam deinceps ſtabilemque futuram. Ille autem Cancellarius factus aulicos omnes, inquit Geruaſius in Chronico, *facetia ſuperauit & gloria, vt in breui Regis Rector efficeretur & quaſi Magiſter.*

Hibernia Anglia ſubiicitur.

Initio vero Regni ſui Henricus eiuſdem Thomæ Archidiaconi Cantuarienſis & Cancellarii conſilio Legatos Romam ad Adrianum miſit petens ſibi licere Hiberniam hoſtiliter aggredi & inuadere, quò homines ibi ferino more victitantes ad veritatis agnitionem adduceret: pollicitus inſuper penſionem annuam B. Petro ex ſingulis domibus. Cui ſupplicationi Adrianus vltro ſubſcripſit datis ad eum hiſce litteris, quæ leguntur apud Radulphum de Diceto, & apud Mathæum Pariſienſem.

„ Adrianus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Illuſtri „ Anglorum Regi Sal. & Apoſt. bened. Laudabiliter & ſatis fructuosè de glorioſo „ nomine propagando in terris & æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis tua „ magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Eccleſiæ terminos, ad declarandam „ indoctis & rudibus populis Chriſtianæ fidei veritatem & vitiorum plantaria de „ agro Dominico extirpanda ſicut Catholicus Princeps intendis, & ad conueniẽtius

exequendum conſilium Apoſtolicæ ſedis exigis & fauorem. In quo facto quanto altiori conſilio & maiori diſcretione procedes, tanto in eo feliciórem progreſſum te præſtante Domino confidimus habiturũ, eo quod ad bonum exitum ſemper & finem ſoleant attingere quæ de ardore fidei & religionis amore principium acceperunt. Sanè Hiberniam & omnes Inſulas, quibus Sol Iuſtitiæ Chriſtus illuxit & quæ documenta Chriſtianæ fidei acceperunt, ad ius B. Petri & ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ, quod tua etiam nobilitas recognoſcit, non eſt dubium pertinere: vndetanto in eis libentius plantationem fidelẽ & germen Deo gratum inſerimus, quanto id à nobis interno examine diſtrictius proſpicimus exigendũ. Significaſti ſiquidem nobis, fili in Chriſto chariſſime, te Hiberniæ inſulam ad ſubdendum illum populum legibus & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare *& de ſingulis domibus annuam vnius denarij B. Petro velle ſoluere penſionem, & iura Eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſeruare.* Nos itaque pium & laudabile deſiderium tuum fauore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptum habemus, vt pro dilatandis Eccleſiæ terminis vitiorum refringendo diſcurſu, pro corrigendis moribus & virtutibus inferendis, pro Chriſtianæ Religionis augmento Inſulam illam ingrediaris, & quæ ad honorem Dei & ſalutem illius terræ ſpectauerint, exequaris, & illius terræ populus te recipiat, & ſicut Dominum veneretur iure Eccleſiarum illibato & integro permanente, & ſalua B. Petro de ſingulis domibus annua vnius denarij penſione. Si ergo quod concepiſti animo, effectu duxeris proſequente complendum, ſtude gentem illam moribus informare, & agas tam per te quàm per illos, quos ad hoc fide, verbo & vitâ idoneos eſſe perſpexeris, vt decoretur ibi Eccleſia, plantetur & creſcat fidei Chriſtianæ Religio, & quæ ad honorem Dei & ſalutem pertinent animarum, taliter ordinentur, vt & à Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi mereari, & in terris glorioſum nomen valeas in ſeculis obtinere.

Eodem anno Fridericus Barbaroſſa Romæ coronatus eſt & ſalutatus Imperator ab Adriano die 18. Iunij.

Eodem Arnoldus Brixienſis Hæreſiarcha captus tandem & ſupplicio affectus eſt, qui populari fretus ope & nonnullorum quoque magnatum Romanorum potentia, tribus Pontificibus Eugenio, Anaſtaſio & Adriano reſtiterat in faciem: & iis in vrbe morantibus virus ſuum nihilominus audacter & intrepidè ſparſerat ſub ſpecie pietatis: adeo vt ipſummet Adrianum exulare quodammodo coëgerit. De eo ſic habetur in Codice Vaticano. *In diebus illis* (Adriani Papæ ſcilicet) Arnaldus Brixienſis Hæreticus vrbem intrare præſumpſerat, & erroris ſui venena diſſeminans mentes à ſimpliciſſimâ veritatis via ſubuertere conabatur: pro cuius expulſione ſupradicti Eugenius & Anaſtaſius, Romani Pontifices plurimum laborauerunt, ſed fauore & potentia quorundam peruerſorum Ciuium & maximè Senatorum, qui tunc ad regimen à populo fuerant inſtituti, antedictus Hæreticus munitus & tutus contra inhibitionem Adriani Papæ in eadem ciuitate procaciter morabatur, atque ipſi Adriano cæteriſque Patribus inſidiari cœpit & publicè atque atrociter aduerſari. Venerabilem namque virum D. Gerardum Preſbyterum Cardinalem tituli S. Prudentianæ ad præſentiam ipſius Pontificis euntem, quidam ex ipſis hæreticis auſu temerario in via ſacra inuadere præſumpſerunt & ad interitum vulnerauerunt. Quapropter Pontifex ipſe Ciuitatem Rom. Interdicto ſuppoſuit, & vſque ad quartam feriam maioris hebdomadæ vniuerſa Ciuitas à diuinis ceſſauit officiis. *Tunc verò præfati ſenatores compulſi à Clero & populo Rom. acceſſerunt ad præſentiam eiuſdem Pontificis & ad ipſius mandatum ſupra ſancta 4. Euangelia iurauerunt, quod prædictum Arnaldum Hæreticum & alios ipſius ſectatores de tota vrbe Rom. & eius finibus expellerent, niſi ad mandatum & obedientiam ipſius Papæ redirent.* Sic itaque ipſis eiectis è ciuitate ab interdicto abſoluti, repleti ſunt omnes gaudio magno laudantes Dominum pariter & benedicentes.

Otho Friſinghenſis paulò curioſius refert, quid deinde ab Arnoldo præſtitum fuerit, vtque in manus Petri Vrbis Præfecti deuenerit, ſupplicioque affectus ſit. Sic enim lib. 2. de Geſtis Friderici c. 20. *Hæc & his ſimilia cum multis diebus, id eſt à morte Cæleſtini vſque ad hæc Adriani ſcilicet Papæ inceſſanter & irreuerenter ab Arnoldo agerentur tempora: cumque ſententia Paſtorum iuſtè in eum & canonicè prolata eius iu-*

ta eius iudicio tanquam omnino authoritatis vacua contemnerentur, tandem in manus quorundam incidens in Tuſciæ finibus captus, Principis examini, Friderici ſcilicet reſeruatus eſt: & ad vltimum à Præfecto vrbis ligno adactus ac rogo in puluerem redacto funere, ne à ſtolida plebe corpus eius veneratioñi haberetur, cinis in Tiberim ſparſus eſt.

Nempe vt intellexit Papa in Tuſcia captum fuiſſe Arnoldum & ad Imperatorem deductum, Legatos ad eum miſit inter cætera rogans, vt eum ad ſe deduci curaret: ſic enim ea de re in prædicto Codice Vaticano. *In quibus* (ſcilicet litteris)
" continebatur inter cætera, vt redderet eiſdem Cardinalibus Arnoldum Hæreti-
" cum: in manus enim ipſius deuenerat: quem Vice-Comites Campaniæ abſtule-
" rant à M. Geraldo Cardinale Diacono S. Nicolai apud Otriculos, vbi eum cepe-
" rat: quem tanquam Prophetam in terra ſua cum omni honore habebant. Rex
" vero auditis Papæ mandatis, continuo miſſis apparitoribus cepit vnum de Vice-
" Comitibus, aliiſque valde perterritis eundem Hæreticum in manus Cardinalium
" ſtatim reſtituit. Ita igitur captus poſt breue tempus ſupplicio affectus eſt. Cuius
" etiam rei meminit Ligurinus his verſibus.

Vnde etiam tandem (neque enim reor eſſe ſilendum)
Ne de funeſto repetatur poſtea ſermo,
Iudicio Cleri noſtro ſub Principe victus,
Appenſuſque cruci flammaque cremante ſolutus
In cineres, Tiberine, tuas eſt ſparſus in vndas.
Ne ſtolidæ plebis, quem fecerat improbus error
Martyris oſſa nouo cineresque foueret honore.

1156. Anno 1156. graue diſſidium exardeſcere cœpit inter Adrianum Pontificem & Fridericum Imperatorem, quæque initio inter eos amicitia coaluiſſe videbatur, magno Reipub. Chriſtianæ malo diſrupta eſt. Cauſa diſſidii hæc fuit. Adrianus cernens ſe à Willelmo Siciliæ Rege Rogerij ſucceſſore moleſtari, pacem cum eo iniit inſcio & inconſulto Imperatore, eumque Siciliæ & Apuliæ Regem declarauit & confirmauit. Qua de re certior factus Imperator, qui Vvillielmum ex Italia penitus expellere meditabatur, grauiter offenſus inhibuit ne vllus Epiſcopus, Archiepiſcopus aut quiuis ſacerdos vllam à Pontifice Rom. Beneficiorum collationem expeteret, aut vllâ de cauſa Curiam Romanam adiret. Cui edicto paruerunt multi & inter alios Albertus de Marcy Epiſcopus Virdunenſis, qui à ſolo Imperatore inueſtituram Epiſcopatus ſui petiit, non à Pontifice, obtentis in hanc rem à Friderico Codicillis, datis an. 1156. ſimulque confirmationem Comitatuum Virdunenſi Eccleſiæ ſuæ impetrauit.

Hæc iam non occulta ſimultas Pontificem commouit, qui ad eum Cardinales duos Rolandum Cancellarium & Bernardum S. Clementis Preſbyterum cum litteris miſit acrimoniæ plenis: in quibus hæc verba continebantur inter cætera. *Debes, glorioſiſſime Fili, ante oculos mentis reducere quàm gratanter & quàm iucundè alio anno mater tua ſacroſancta Rom. Eccleſia te ſuſceperit, quantâ cordis affectione tractauerit, quantam tibi Dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter Imperialis inſigne Coronæ libentiſſimè conferens benigniſſimo gremio ſuo tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confouere, nihil prorſus efficiens quod Regiæ voluntati vel in minimo cognoſceret obuiare.*

His Verbis ſupra modũ commotus eſt Imperator, quod videretur diadema debere Pontifici; commoti quoque fuerunt Proceres Germanici, parumque abfuit, quin manus iniicerent in Legatos, iniecíſſentque niſi tumultum Imperator præſentiâ ſuâ ſedaſſet. Illi Romam reuerſi, quanto in periculo fuiſſent, exponunt & verbis etiam augent. Litteras quoque ab Imperatore dant Papæ ſatis duras, in quibus nomen ſuum Pontificio præpoſuerat. Hinc plebs Romana in duas partes ſcinditur. Alii enim Imperatori fauentes Legatorum accuſant temeritatem: Alii & præcipuè Cardinales Papam ad vltionem iniuriæ accendunt. Lis tamen ſtetit intra verba; & hinc inde acres Epiſtolæ miſſæ. Duas referam quas ex Caithophylacio Eccleſiæ Virdunenſis exprompſit Richardus Vvaſſeburgus olim apud Pariſios Gymnaſiarcha Marchianus, quaſque refert lib. 4. Antiq. Belg. Prior eſt ciuſmodi.

Adrianus...

Adrianus... Friderico Romano Imperatori Sal. & Apoſt. Bened. Lex Diuina ſicut parentes honorantibus longæuitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit: veritatis autem voce docemur, *quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* Quapropter Dilecte in Domino Fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro & S. Rom. Eccleſiæ non quantam deberes reuerentiam exhibere videris. In litteris enim ad Nos miſſis nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſâ & iuratâ? quomodo eam obſerues, cum ab his qui Dei ſunt & filii Excelſi omnes, Epiſcopis fidelibus homagium requiris? fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis, & manifeſtè nobis factus contrarius Cardinalibus à latere noſtro directis non ſolum Eccleſias, ſed & Ciuitates Regni tui claudis. Reſipiſce, conſulimus, quia dum à nobis conſecrationem & coronam meruiſti, dum inconcuſſa captas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuæ timemus. *Datum*. Fridericus his litteris irritatus reſcripſit in hunc modum, &c.

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Adriano Eccleſiæ Catholicæ Pontifici Omnibus illis adhærere quæ cœpit Ieſus facere & docere. Lex iuſtitiæ vnicuique quod ſuum eſt, reſtituit: non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc Regno noſtro debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet Genitoribus noſtris & Regni dignitatem ſuſcepimus & coronam. Non enim tempore Conſtantini Silueſter Regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur. Sed eius pietatis conceſſione libertas conceſſa eſt, Eccleſiæ pax reſtituta, & quidquid Regalis Papatus veſter habere dignoſcitur, largitione Principum obtinet. Vnde cum Rom. Pontifici ſcribimus, iure & exantiquo nomen noſtrum præponimus, & ad Iuſtitiæ normam eidem nobis ſcribendi concedimus. Reuoluite annales, & ſi lectum neglexiſtis, quod aſſerimus illic inuenitur. Ab his autem qui Dei ſunt per adoptionem & Regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? cum ille noſter & veſter Inſtitutor ab homine Rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſoluit, exemplum vobis dedit vt ita faciatis, docet vos dicens. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Aut igitur nobis Regalia dimittant, aut ſi hæc vtilia iudicauerint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſoluant. Cardinalibus vtique veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ & non patent Ciuitates, quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores; non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores; non Orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles cõtraſores. Cum autem viderimus eos quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium, in æquitate neceſſariis eos ſtipendiis & commeatu ſuſtentare non differemus. Humilitatis autem quæ eſt cuſtos virtutum, & manſuetudinis veſtræ non minimam notam incurritis, cum huiuſmodi Quæſtiones Religioni non multum conferentes ſecularibus perſonis proponitis. Prouideat itaque Paternitas veſtra, ne dum talia mouet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis qui velut ad imbrem **ſerotinum ori veſtro aures ſuas corrigere feſtinant.** Nos enim non poſſumus reſpondere auditis, cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam vſque ad ſedem Petri reptaſſe videmus. Paci Eccleſiæ bene ſemper prouidentes bene ſemper valete.

Hocce diſſidium totam Eccleſiam in duas partes diſcidit; & grauiſſima inde odia atque mala toti populo Chriſtiano acciderunt, vt ex ſequentibus patebit. Hinc ſcriptores libertatem nacti in Romanam Curiam multa euomuerunt, quæ melius eſt tacere, quàm hiſtoriæ inſerere. Quàm verò grauiter tulerint Romanum faſtum Germani Proceres, ex ſcriptis Othonis Friſinghenſis & Radewici, qui hocce tempore florebant, intelligitur. Gunterus quoque Ligurinus, qui Radevvicum ſecutus eſt & in multis interpretatus, fusè de hocce diſſidio Verſibus agit non in elegantibus. Præſertim verò lib. 6 Epiſtolam Præſulum Germanicorum ad Pontificem referens, quæ legitur ſoluto pede apud Radevvicum l. 3. cap. 16. ſic habet.

—— *Regnum*
Legibus antiquis & priſco more regatur.
Cuius ab æterno tantum collatio Rege

Prouenit, ad Proceres Electio pertinet....
Num Petrus aut Clemens, num cætera turba Priorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco
Pauper erat Præſul: Regali munere crenit.
Nec tamen vt faſces & Regni iura Latini
Vel dare præſumat, vel cuiquam tollere poſſit.
Exceſſere modum Magnorum munera Regum,
Si tantum cuiquam ius in ſua Regna dederunt.
Sed neque tanta fuit largitio, nec dare quiſquam
Quo caret ipſe poteſt. Huius collatio Regni
Authorem ſortita Deum. Contingere nulli
Iure poteſt hominum. Collator muneris huius
Eſt Deus. Hoc ſummis Regnum confertur ab aſtris.

Hoc anno teſte Mathæo Pariſienſi in Argentolio Monaſterio agri Pariſienſis reuelatione Diuina Saluatoris noſtri tunica inconſutilis & ſubconſuſi coloris reperta eſt: quam ſicut litteræ cum ea repertæ indicabant, glorioſa mater eius, ei
1157. dum adhuc puer eſſet, fecerat. Hæc ille.

Anno 1157. Ludouicus Rex immunitatem quandam Capitulo Baſilicæ Pariſienſis conceſſit pro villis plurimis quas poſſidebat, poſtulantibus Theobaldo Epiſcopo & Clemente Decano: in litteris autem immunitatis indicat, quanto amore Eccleſiam illam complecteretur, propterea quod in ſcholis Clauſtralibus educatus & informatus à pueritia fuerat. Sic enim habet. *Nos ergo Eccleſiam Pariſienſem in cuius Clauſtro quaſi quodam materno gremio incipientis vitæ & pueritiæ noſtræ exegimus tempora, Anteceſſoribus noſtris cariorem & inter Regni Eccleſias eminentem conſiderantes inito conſilio cum fidelibus noſtris, petitionibus iam dicti Cleri aſſenſum præbentes, velut poſtulauerunt fieri, id eſt quod Conuiuia illa ſeu Corede vel Giſte in prædictis villis nullatenus de cætero exigantur, præcipimus, atque pro peccatorum noſtrorum remiſſione & Prædeceſſorum noſtrorum Franciæ Regum ſalute confirmamus.... Actum publicè Pariſius anno ab Incarnatione 1157. Data per manum Hugonis Cancellarij.* Nimirum Hugonis de Campo Florido, de quo ſupra ſatis multa.

Eodem anno obiit Theobaldus Epiſcopus Pariſ. ante promotionem Prior S. Martini de Campis, qui proinde ſepeliri voluit ante maius Altare Eccleſiæ S. Martini Pariſienſis, parte ſiniſtra, poſt cuius deceſſum Epiſcopatus Regaliæ iure vacauit, vt patet ex ſequenti titulo.

Ludouicus D. G. Francorum Rex poſt obitum Pariſienſis Epiſcopi bonæ memoriæ Theobaldi, Epiſcopatus & Regale in noſtram manum venit, & ſimiliter Capiceriæ reditus: ſed cum obliuiones & reditum altaris nollemus aſſumere in vſus Regios, Monaſterium Virginale de Hedera conſpeximus multis indigere, & ſacrarum Virginum indigentiæ ſuccurrere duximus. Vacauit ergo ſedes Pariſienſis aliquandiu, ſed tandem electus eſt Philippus Archidiaconus Ludouici Craſſi filius, qui tamen Epiſcopatu libens ceſſit in gratiam Petri Lombardi, vt ad an. 1159. referemus.

Eodem anno obiit 8. Kal. Ian. inſignis ille **Petrus Venerabilis dictus, Abbas Cluniacenſis**, ex nobili Dominorum de Monte Buxerio Gall. de Montboiſier in Aruernia, ſtirpe oriundus, Mauricij & Romgardæ filius, rexitque Abbatiam illam ab an. 1125. ſumma cum laude. Tumulatus eſt ab Henrico Vvintonienſi Epiſcopo iuxta altare ſanctorum Iacobi & Philippi: cuius hoc legitur Epitaphium in Bibliotheca Cluniacenſi.

Paret in hac vrna, quod non ſit vita diurna,
Qualeſcunque ſumus, morte coæquat humus.
Dum Petrus moritur pius Abbas, ius ſepelitur
Pax cadit, ordo iacet, flere morique placet.
Ille ſalus patriæ, mundi decus, arca ſophiæ,
Neſcius inuidiæ vena fuit veniæ.
In Natale Dei ſolennis mane diei
Mortuus obtinuit plurima quæ meruit.

1158. Anno 1158. Fridericus I. cognomento Barbaroſſa frequentiſſimum Roncaliæ

conuentum habuit,ibique celebratiſſimam edidit authenticam *Habita* adſcitis & aduocatis Iurisconſultis Bononienſibus, his præſertim quatuor, Bulgaro, Martino Goſio, Iacobo & Hugone de Porta Rauennate, quos ibi de Regalibus diſputare iuſſit, vt quod Imperatoris, quod Rom. Pontificis ius eſſet, intelligeretur. Cui concertationi occaſionem dedit diſſidium,quod Imperatori cum Adriano interceſſit, de quo ad annum ſuperiorem diximus. Hiſtoriam refert Otho Morena Laudenſis in Chronico Laudenſi, cui tanto maior eſt adhibenda fides, quod ipſe Conuentui adeſſet. Sic ergo ille.

Interea D. Imperator in Roncalia Colloquium in S. Martino proximo veniente maximum ſe conſtituit habiturum,præcepitque omnibus fere Italiæ Principibus atque Ciuitatum Conſulibus,vt ipſi Colloquio intereſſent:ad quod etiam 4. principales legis Doctores, videlicet DD. Bulgarum & Martinum Goſium, ſeu Iacobum atque Hugonem de Porta Rauegnana Bononiæ Magiſtros intereſſe fecit. Iſtorum autem 4. Doctorum & quamplurimorum aliorum fuit D. Guarnerius Doctor antiquior. Ad quem cum in extremis laboraret,acceſſerunt ſui ſcholares dicentes: Domine quem vultis poſt mortem veſtram Doctorem vobis conſtituere? quibus ipſe reſpondit per duo Carmina infra ſcripta.

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum,
Hugo mens Legum, Iacobus eſt quod ego.

Et ſic D. Iacobus fuit Doctor. Poſt iſta cum D. Fridericus Imperator ſemel equitaret ſuper quodam ſuo palefredo in medio Dominorum Bulgari & Martini, exquiſiuit ab eis vtrum de iure eſſet Dominus mundi? & D. Bulgarus reſpondit, quod non erat Dominus quantum ad proprietatem. D. vero Martinus reſpondit quod erat Dominus. Et tunc D. Imperator cum deſcendiſſet de Palefredo ſuper quo ſedebat, fecit eum præſentari dicto D. Martino. D. autem Bulgarus hoc audiens dixit hæc elegantia verba: *Amiſi equum, quia dixi æquum, quod non fuit æquum.*

Omnes prædicti conuenere ad Colloquium 9. Kal. Decemb. vltra Padum prope Eccleſiam S. Petri de Conturbia an. 1158. Indict. 7. Cum autem Imperator vniuerſique Principes ac Ciuitatum Conſules ibi inſimul conueniſſent, imprimis vocauit Imperator eos prædictos Bononienſes Magiſtros, iuſſitque eis quod ipſi indicarent ſibi in veritate omnia iura Regalia,quæ ratione Imperij in Lombardia ad ipſum ſpectarent & ſua eſſe deberent.

Qui reſpondentes Imperatori dixerunt ſe hoc nolle ſine conſilio facere aliorum Iudicum vniuerſarum Lombardiæ Ciuitatum ibi tunc exiſtentium. Imperator itaque duos vniuſcuiuſque Ciuitatis Lombardiæ iudices elegit,iuſſitque eis quod omnes cum prædictis 4. Bononienſibus Magiſtris ad Conſilium irent, omniaque iura Regalia quæcunque eſſent, diligenter inueſtigarent: vt cum à Conſilio recederent ſub nomine fidelitatis quam ſibi iurauerunt, ea omnia recto tramite provt melius poſſent publicè demonſtrarent. Ipſi autem Iudices cum 28. exceptis Bononiæ Magiſtris ſtatim vt Imperator inſſerat ad Conſilium euntes, de omnibus Regalibus iuribus inter ſe diligentius contulerunt. Qui poſtmodum ad Imperatorem redeuntes,coram omnibus Principibus omnibuſq; ciuitatum Lombardiæ Conſulibus narrauerunt in ſcriptis omnia iura, quæ ei iure Regali nouerant pertinere.

In eo Conſilio poteſtas Imperatoria vnanimi conſenſu aſſerta eſt, Pontificia depreſſa: omnes enim Italiæ Germaniæque Proceres obid maximè offenſi erant Adriano, quod in Lateranenſi palatio picturam quandam proponi iuſſiſſet, qua Lotharius Imperator repræſentabatur poplite flexo ſumens & accipiens à ſummo Pontifice Coronam ſeu Diadema Imperiale,addito hoc diſtycho, quod refertur à Radevvico l. 3. c. 10.

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Promiſerat Adrianus ſe picturam illam deleturum: ſed nouas ſemper ſubinde

moras trahebat, vt deſcribit Ligurinus his verſibus.

Hanc Adrianus ei, ne vera ſemina cladis
Rex ſimulata daret penitus delere figuram
Pactus erat. Sed adhuc minimi promiſſa laboris
Diſtulerat, fomeſque mali vinebat imago.

Ibidem Imperator excellentiſſimam illam Authenticam *Habita* edidit in gratiam & fauorem Magiſtrorum & Scholarium in ſtudiis Generalibus ſtudentium, præſertim verò in gratiam Bononienſium Magiſtrorum, vt eos ſibi totamque Academiam demereretur, & vt Scholaſticos Italicos & Germanos propoſitis præmiis & priuilegiis in ſua patria retineret, qui peregrè ad Academiam Pariſienſem ad capeſſendas liberales artes & ſacras Diſciplinas eorundem Priuilegiorum ſpe proficiſcebantur, atque vt ſic eorum parentes à partibus Adriani & Gallorum qui Adriano fauebant, auerteret. Eſt autem huiuſmodi.

Authentica habita,

Imperator Fridericus Regni ſui fidelibus. *Habita* ſuper hoc diligenti Epiſcoporum, Abbatum, Ducum omnium, Iudicum & aliorum Procerum ſacri noſtri Palatij examinatione omnibus qui cauſa ſtudiorum peregrinantur, *Scholaribus* & maximè *Diuinarum atque ſacrarum Legum Profeſſoribus* hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus; vt ad loca in quibus litterarum exercentur ſtudia tam ipſi quàm eorum *Nuncii* veniant & habitent in eis ſecurè. Dignum namque exiſtimamus, vt cum bona facientes noſtram laudem & protectionem omnes mereantur, eos quorum ſcientia mundus illuminatur, & ad obediendum Deo & nobis eius Miniſtris vita ſubiectorum reformatur, quadam ſpeciali dilectione ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non miſereatur, qui amore ſcientiæ facti exules, de diuitibus pauperes ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt & à vilibus ſæpe hominibus quod grauiter ferendum eſt, corporales iniurias ſua cauſa perferunt.

Hac igitur generali & in æternum valiturâ lege decernimus, vt nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam Scholaribus iniuriam, inferre præſumat, nec ob alterius eiuſdem Prouinciæ delictum ſiue debitum, quod aliquando ex peruerſa conſuetudine factum audiuimus, aliquod damnum eis inferat. Scituris huius conſtitutionis temeratoribus & ipſis etiam Locorum *Rectoribus*, qui hoc vindicare neglexerint, reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notáqu e infamiæ eis ipſo iure irrogandâ dignitate ſua ſe carituros in perpetuum. Veruntamen ſi litem eis quiſpiam ſuper aliquo negotio mouere voluerit, huius rei optione data ſcholaribus, eos coram Domino aut Magiſtro ſuo vel ipſius Ciuitatis Epiſcopo, quibus hanc iuriſdictionem dedimus, conueniat. Qui vero ad alium iudicem eos trahere tentauerit, cauſâ etiamſi iuſtiſſima fuerit, pro tali conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Conſtitutiones ſub titulo, *Ne filius pro Patre*, inſeri iuſſimus. Datum apud Roncalias anno Domini 1152.

Roncaliæ autem campi ſunt in Italia ſuper Eridanum ſeu Padum, non longè à Placentia. Erat autem antiquitus hæc conſuetudo Francorum Regum; quæ & poſtea Teutonicorum Imperatorum fuit, vt quotieſcunque ad ſumendam Imperij Coronam militem ad *Tranſalpinandum* cogerent, inquit Otho Friſinghenſis, in prædictis Campis manſionem facerent. Qua de re ſic Ligurinus l. 2.

Roncaliam properat rapidis attingere Caſtris.
Eſt locus Italia modicum ſeiunctus ab vrbe,
Cui quia pulchra ſitu placet, inde Placentia nomen,
Flauus & Eridani placido iunctiſſimus amni
Effundit latos ſpatioſo limite Campos.
Hîc quoties claram Regnator tendit ab vrbem
Teutonus, Auſoniam ſumpturus rite coronam,
Ponere caſtra ſolet.

Obiter autem quædam notare conuenit, quæ ad huiuſce Conſtitutionis inter-

ptetationem faciunt & intelligentiam. 1. Per illa verba *maximè Diuinarum ſacrarumque legum profeſſoribus* intelligendum eſſe ius vtrumque; tam Canonicum ſcilicet quàm ciuile: cui exercendo Bononienſis Academia potiſſimum inſtituta eſt: quanquam Rebuffus hoc priuilegium accommodat Scholaribus cuiuſcunque facultatis; neque magis priuilegiatos vult eſſe Scholaſticos Theologiæ, quàm Legum vel Canonum vel Artium Magiſtros.

2. Cum ſcholarium *Nuncios* iiſdem Priuilegiis gaudere velit Imperator, iiſdemque iuribus quibus ipſi gaudent Magiſtri & ſcholares, patet peruetuſtos eſſe Academiarum Nuncios: nec Academiam ſine Nunciis ſuis eſſe poſſe. Neque tantum Nuncios, ſed & famulos cæteros eodem priuilegio comprehendi volunt Baldus, Gregorius, Rebuffus & alii, nempe *Apparitores* ſeu *Bidellos, Scriptores, Typographos, Compactores* & alios eiuſmodi.

3. Per hæc verba, *coram Domino* vulgo intelligi Rectorem Vniuerſitatis. Pacius tamen non probat, quia Scholaſticis non licet declinare iudicium *Rectoris*. Itaque appellatione Domini intelligit etiam Præceptorem ſeu Magiſtrum. Sed meo iudicio malè: tres enim perſonæ hîc notantur Iudices, Rector, Magiſter, Epiſcopus. Et liberum ſit Scholari eligere quem malit è tribus, teneturque qui litem mouet, iudicium accipere. Quod quidem ſingulare priuilegium eſt, cum communiter actoris ſit eligere iudicem, non à Reo accipere. Rebuffus per Dominum interpretatur aut *Rectorem*, aut Præſidem Prouinciæ. Sic enim ille. *Nota tres Iudices* quos ſtudentes habent in Scholis 1. *Rectorem*, ibi, *Domino*. Nam *Rector* Vniuerſitatis ſimpliciter dicitur *Dominus* in Vniuerſitate. Ideo de eo poteſt textus intelligi; licet Gloſſa hîc aliter intelligat & Doctores. Vel poteſt intelligi de Domino Ciuitatis, id eſt de *Præſide* illius Prouinciæ, in qua eſt Vniuerſitas. Certè quotquot Principes inſtituerunt Academias, *Rectorem* inter iudices numerarunt.

Eodem anno Thomas Becketus Regni Anglicani Cancellarius, paulo poſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, magno apparatu Lutetiam venit, vt refert Mathæus poſt Radulphum de Diceto: deinde non diu poſt Henricus Anglorum Rex à Ludouico Rege inuitatus in palatio exceptus eſt. Sic enim ille ſcribit. *Eodem anno Thomas Regis Cancellarius in apparatu* magno Pariſius venit, Margaretam Regis Francorum filiam Henrico filio Regis Anglorum in coniugem accepturus. Quo etiam tempore Rex Henricus à Rege Francorum inuitatus venit *Pariſius* & receptus eſt in Palatium Regis, Rege Francorum cum Regina ſua in Clauſtro Canonicorum B. Mariæ Virginis hoſpitante.

Eodem anno M. Ioannes Sareſberienſis inter duos Scholarum magiſtros Iudex conſtitutus, de iudicio quod tulerat, certiorem facit Adrianum Papam, rogatque vt finem liti imponat. Ep. 19. *Cauſa*, inquit, *quæ vertebatur inter M. Iordanum Fantaſma & M. Ioannem Ioiche Clericos D. Vvintonienſis ſuper Vvinton. tandem tranſlata eſt ad audientiam noſtram*. Auditis ergo allegationibus M. Iordani, inſtrumentis diligenter inſpectis, memorato Ioanni veſtrâ, & noſtrâ authoritate inhibuimus, ne contra voluntatem Iordani ſcholas regere præſumeret in præfata Ciuitate. Die verò ſequenti in noſtra præſentia conſtituerunt, multa inter ſe proponentes ad inuicem. Iordanus ſiquidem iam dictum Ioannem contra religionem fidei in prædicta Ciuitate ſibi ſcholas vſurpaſſe, damna plurima intuliſſe dicebat, officio noſtro ſibi ſuper his ſatisfieri poſtulans. E contra Ioannes ſe iudicio ſynodi ſuper fidei læſione innocentiam ſuam purgaſſe aſſerebat, M. Iordanum, cui ſimilis purgatio adiudicata eſt, quoniam ſuper fidei læſione ſimiliter fuerat impetitus, omnino defeciſſe dicebat, petens vt vrgeremus ad purgationem ex iudicio poſtulandam, vel ad implendam pactionem, quæ fide interpoſita dicebatur fuiſſe roborata. Illis itaque ſic altercantibus Ioannes veſtram audientiam appellauit dicens ſe oſtenſurum, quod ſæpe dictus Iordanus religionem fidei ſacramento temerauerat, diem præfigens natiuitatem B. Ioannis. Cum verò Iordanus prolixitatem temporis cauſaretur, eo quod ab initio Decembris vſque ad finem Iunij terminum prorogaſſet, eam ſæpe dictus Ioannes in feſtum B. Michaëlis protelauit. Nos autem Quæſtionem criminis veſtræ reſeruantes diſcretioni, quia de iure Scholarum M. Iordani conſtabat, communicato fratrum noſtrorum Ceiceſtrenſ. Hereford. Vvigorn. Epiſcoporum conſilio, Domino Vvintonienſi dedimus

» in mandatis ne præfatum Iordanum ſuper ſcholis pateretur à Ioanne vlterius fa-
» tigari. Et ſi enim inueniret veſtræ & noſtræ authoritatis contemptorem, ipſum pu-
» blicè denunciaret anathematis vinculo innodatum. Poſtmodum verò elapſis
» paucis diebus in noſtram præſentiam redierunt, Iordano veterem querelam in-
» nouante. Dicebat enim Ioannē poſt interdictum vſurpaſſe Scholas, & in ſenten-
» tiam anathematis incidiſſe. Ioannes verò hoc conſtantiſſimè inficiatus eſt, para-
» tus incontinenti tactis ſacroſanctis Euangeliis iurare, quod poſt prohibitionem
» noſtram à Magiſterio deſtiterat. E contra Iordanus ſe die præfixa probaturum
» dicebat aſſertione legitimorum teſtium, quod poſt Edictum, Magiſterium exer-
» cuerat, ſed Ioannes diem recuſauit recipere, dicens ſe iam in procinctu Romani
» itineris eſſe, vos autem authore Domino litigiis eorum finem debitum impo-
» netis.

Eodem anno obiit M. Gaufridus de Loratorio Archiepiſcopus Burdigalenſis, poſtulatuſque eſt in ſucceſſorem Hugo Rupifucaldius Epiſcopus Engoliſmenſis, M. Gilberti Porretani olim Lutetiæ Diſcipulus; ſed tandem à ſede Petragoricenſi tranſlatus eſt ad Burdigalenſem Raimundus de Maiolio, nec habita ratio M. Ioannis de Sæcli Scholaſtici Pictauienſis, quem Rex Henricus promouere tentauerat, eò quod Theologiæ ignarus eſſet, vt habet codex de Geſtis Pontificum Engoliſmenſium Carlonii. *Magna* inter Canonicos Burdigalenſis Eccleſiæ de noui Archiepiſcopi electione contentio excitata eſt, ac totum negotium dirimendum Engoliſmenſis, Pictauienſis, Petragoricenſis & Agennenſis Epiſcoporum arbitrio reliquerunt: qui cum de homine doctrinâ & moribus inſigni in Gaufridi demortui locum ſufficiendo conſilium haberent, ſuperuenit Henricus II. Angliæ Rex, Dux Aquitaniæ, eoſque obnixè rogauit vt Ioannem de Sæcli, alias Sechium Gymnaſii Pictauenſis Magiſtrum Antiſtitem crearent: verum nullius fuit momenti Regia authoritas, quod Sacrarum Litterarum inſcius eſſet, ſicque ad Epiſcopatus apicem Raimundus euehitur.

1159. Anno 1159. Reges Franciæ & Angliæ iterum in diſſidia & bella relapſi ſunt, propterea quod Henricus Angliæ Comitem Toloſanum qui Conſtantiam Regis Ludouici ſororem duxerat, bello perſequebatur & multa oppida Toloſæ propinqua ceperat, Ludouico interim, in Vrbe Toloſana manente, quam ob eius reuerentiã Henricus non eſt auſus obſidere. Eodem anno ac tempore M. Ioannes Sareſberienſis quem ante diximus annos 12. Scholas Pariſienſes frequentaſſe, Opus ſuum de Nugis Curialium edidit & Thomæ Archidiacono Cantuarienſi Regiſque Anglicani Cancellario dedicauit. Poëma quod operi præmittit, demonſtrat euidenter, quàm è diuite vena fluxerit: vnde etiam intelligitur, quanti tum nominis eſſet Thomas, quem initio excellenti præconio celebrat. Paucos eius verſus in exemplum elaboratæ poëſeos proponere placet. Sic ergo Author ad opus ſuum.

Si mihi crediderîs, linguam cohibebis, & aulæ
Limina non intret pes tuus, eſto domi.
Aſpectus hominum cautus vitare memento,
Et tibi commiſſas claude, libelle, notas.
Omnia ſint ſuſpecta tibi, quia publicus hoſtis
Et maieſtatis diceris eſſe reus.
Ignis edax, gladiuſque ferox tibi forte parantur,
Aut te pollutâ ſubruet hoſtis aquâ.
Cum tamen exieris, faciem velabit amictus;
Deformentque tuam puluis & aura cutem.
Virgam dextra ferat, premat & ſua mantica dorſum,
Trita tegant frontem pilea, pero pedem.
Sit gradus & cultus habitus peregrinus eunti,
Non niſi barbariem barbara lingua ſonet.
De Pictauorum dices te gente creatum,
Nam licet his linguâ liberiore loqui.
Hoſpitiique fidem quæres ſuper omnia, quo ſis
Tutus ab inſidiis quas tibi quiſque parat.
Stultos, prudentes nimium, prauoſque cauebis,
Et quos inſignes garrula lingua facit.

Si quis amat verum, tibi ſit gratiſſimus hoſpes
Et quem delectat gloria vana, caue
Iure Patronatus illum cole, qui velit eſſe
Et ſciat & poſſit tutor vbique tuus.
Ergo quæratur lux Cleri, gloria gentis
Anglorum, Regis dextera forma boni.
Quæſitus Regni tibi Cancellarius Angli
Primus ſollicita mente petendus erit.
Hic eſt qui Regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pij Principis æqua facit.
Si quid obeſt populo, vel moribus eſt inimicum,
Quidquid id eſt, per eum deſinit eſſe nocens.
Publica priuatis qui præfert commoda ſemper
Quodque dat in plures ducit in ære ſuo.
Quod dat habet, quod habet dignis donat, & vice verſa
Spargit, ſed ſparſæ multiplicantur opes.
Vtque virum virtus animi, ſic gratia formæ
Vndique mirandum gentibus eſſe facit.
Tardus ad hunc Samius, ſi certet acumine mentis:
Indoctuſque Plato, Varroque ſtultus erit.
Curio ſi certet verbis, vincetur ab ipſo:
Victus ſi certet, Quintilianus erit.
Huius noſſe domum non eſt res ardua, cuiuis
Non duce quæſito ſemita trita patet.
Nota domus cunctis, vitio non cognita ſoli
Lucet, ab hac lucem diues, egenus habent.
Illa patet miſeris, patet & domus illa beatis,
Hîc patre lætatur aduena quiſque ſuo
Cum reſerata ſemel fuerit tibi ianua, currens
Ad thalamum Domini progrediere tui.
Expecta dum turba fluat quæ feruet in aula,
Feſſaque ſunt Domini membra fouenda toro.
Accedes, vultum mutabis, mantica nugas
Excutiat, peregre nunc peregrinus eas.
Non tamen oſtendas oculos quod Principis vrat,
A quo tota tibi vita ſaluſque datur.
Si facies illi tua diſplicet, vnde placebis?
Eius in arbitrio iuſque fauorque manent.
Quod prohibet fieri, ſcelus eſt, quod præcipit, æquum:
Iuraque pro placito ſtantque caduntque ſuo.
Huic quæ ſola placet, ſola virtute placebis
Quæ tibi ſi deſit, cætera cuncta nocent.

Eodem anno obiit Adrianus Papa natione Angligena & Academiæ Pariſienſis olim alumnus, cuius morte vehementer turbata eſt Eccleſia, & duas in partes diuulſa, quarum vna Octauianum electum ſuſtinere voluit, altera Alexandrum huiuſce nominis tertium. M. Ioannem Sareſberienſem imprimis dilexit, eumque habuit ſæpe commenſalem & in variis legationibus occupauit. Vnde ille auditâ eius morte tum Lutetiæ degens & Metalogicum ſuum abſoluens vltimo cap. lib. 4 obitum iſtum deflet. Cuius verba non parum illuſtrant huiuſce temporis hiſtoriam. Sic igitur ille. *Iam flere magis vacat*, quàm ſcribere, & viſibili argumento « doceor quod mundus totus ſubiacet vanitati. Expectauimus enim pacem, & ecce « turbatio, & tempeſtas ingruens Toloſanis Anglos & Gallos vndique concitat, & « Reges quos amiciſſimos vidimus, ſe inſatiabiliter proſequuntur. Ad hæc mors D. « Adriani ſummi Pontificis cum omnes Chriſtianæ Religionis populos nationeſ- « que perturbantis, tum Angliam ex qua fuerat, oriundus acerbiori dolore com- « mouit, irrigauitque lachrymis profuſioribus. Omnibus ille bonis flebilis occidit. « Sed nulli flebilior quam mihi. Cum enim matrem haberet & fratrem vterinum «

» me quàm illos arctiori diligebat affectu. Fatebatur & publicè & ſecretò quod me
» præ omnibus mortalibus diligebat. Eam de me conceperat opinionem, vt quo-
» tiens opportunitas aderat, conſcientiam ſuam in conſpectu meo effundere lætare-
» tur. Et cum Romanus Pontifex eſſet, me in propria menſa gaudebat habere con-
» uiuam, & eundem ſcyphum & diſcum ſibi & mihi volebat & faciebat me reni-
» tente eſſe communem. Ad preces meas illuſtri Regi Anglorum Henrico II. con-
» ceſſit & dedit Hiberniam iure hæreditario poſſidendam, ſicut litteræ ipſius te-
» ſtantur in hodiernum diem. Nam omnes Inſulæ de iure antiquo ex donatione
» Conſtantini qui eam fundauit & dotauit, dicuntur ad Rom. Eccleſiam pertinere.
» Annulum quoque tranſmiſit aureum ſmaragdo optimo decoratum, quo fieret
» inueſtitura iuris in gerenda Hibernia. Idemque adhuc annulus in Curali Archio-
» publico cuſtodiri iuſſus eſt. Si virtutes eius percurrere velim, in magni volumi-
» nis librum hæc vna excreſcet materia. Omnium vero mentes magis exulcerat
» ſciſſura Eccleſiæ, quæ exigentibus culpis noſtris contigit tanto patre ſubla-
» to.

Idem narrat in lib. 6. de Nugis Curialium c. 24. quanta olim apud eundem Pontificem libertate loquendi vſus fuerit, eo quidem volente & interrogante, quid de ſe deque Eccleſia Rom. populus ſentiret: cui ille citra omnem adulationem vitia Curiæ Rom. expoſuit.

De Curiæ Rom. Iudicium.

» Memini me, *inquit*, cauſa viſitandi D. Adrianum Pontificem IV. qui me in
» vlteriorem familiaritatem admiſerat profectum in Apuliam, manſique cum eo Be-
» neuenti ferme 3. menſes. Cum itaq; vt fieri ſolet inter amicos, ſæpe plurimis con-
» ferremus, & ipſe quid de ſe & Eccleſia Rom. ſentirent homines, à me familiarius
» & diligentius quæreret, ego apud eum vſus ſpiritus libertate, mala quæ in diuer-
» ſis Prouinciis audieram, patenter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis, Roma-
» na Eccleſia quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis
» quam nouercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi ponentes onera importabilia in
» humeris hominum quæ digitis non contingunt. Dominantur in clero nec forma
» fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam, pretioſam ſupellectilem congerunt,
» auro & argento onerant menſas ſibi etiam ab auaritia nimis parci. Nam pauper
» aut nullus aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus quàm vana glo-
» ria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt Clerum & popu-
» lum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum
» lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem reputant pietatem. Iuſtitiam non tam veri-
» tati quam pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras ali-
» quid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpius & in eo Dæmones imitantur, quod tunc
» prodeſſe putantur, cum nocere deſiſtunt, exceptis paucis qui nomen & officium
» paſtoris implent.

Ioannis Saresb. de Papæ Adriano Iudicium.

» Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus grauis & fere intolerabilis eſt. Præter-
» ea omnes arguunt, quod ruentibus & collabentibus Eccleſiis, quas patrum con-
» ſtruxit deuotio, altaribus quoque incultis palatia extruit, & ipſe non modo pur-
» puratus ſed deauratus incedit, palatia ſplendent ſacerdotum & in manibus eo-
» **rum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Prouinciarum deripiunt ſpolia, ac ſi Theſauros**
» Cræſi ſtudeant reparare. Sed rectè cum eis agit Altiſſimus, quoniam & ipſi aliis
» & ſæpe viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem: & vt opinor, dum ſic in
» inuio errauerint, nunquam deerit eis flagellum Domini. Os ſiquidem Domini lo-
» cutum eſt, quia quo iudicio iudicauerint iudicabuntur, & ſua menſura remetie-
» tur eis. Antiquus dierum mentiri non nouit. Hæc inquam, Pater, loquitur popu-
» lus, quandoquidem vis vt illius tibi ſententias proferam. Et tu inquit, quid ſen-
» tis? Anguſtiæ, inquam, ſunt vndique: vereor enim ne mendacii vel adulationis
» contraham notam, ſi populo ſolus contradixerim. Sin autem, reatum vereor
» Maieſtatis, ne tanquam qui os meum in Cœlum poſuerim, crucem videar me-
» ruiſſe. Veruntamen quia Guido Clemens (forte Cremenſis) S. Potentiani Preſ-
» byter Cardinalis populo teſtimonium perhibet, ei vſquequaque contradicere non
» præſumo. Aſſerit enim in Rom. Eccleſia quandam duplicitatis eſſe radicem &
» fomentum auaritiæ, quæ caput & radix eſt omnium malorum. Neque id quidem
» in angulo, ſed conſidentibus Fratribus, S. Eugenio præſidente, quando aduerſus
» innocentiam meam Ferentini gratis excanduerant hoc publicè proteſtatus eſt.

Verum

Vnum tamen audacter conſcientia teſte profiteor, quia nuſquam honeſtiores Clericos vidi quam in Eccleſia Rom. aut qui magis auaritiam deteſtentur. Quis Bernardi Redonenſis SS. Coſmæ & Damiani Cardinalis continentiam contemptumque pecuniæ non miretur? nondum natus eſt à quo munus acceperit. Quod tamen à Communione fratrum ſinceriore iure proueniebat, interdum acciperе perſuaſus eſt. Quis non ſtupeat Epiſcopum Prænestinum, qui ſcrupulum conſcientiæ metuens & à participatione bonorum omnium abſtinebat? Plurium tanta modeſtia, tanta grauitas eſt, vt Fabricio non inueniantur inferiores, quem agnita ſalutis via modis omnibus antecedunt. Quia ergo inſtas, vrges, præcipis, cum certum ſit, quod Spiritui ſancto mentiri non licet, fateor quia quod præcipis fatendum eſt, etſi non ſitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina veſtra diſſentit, aut hæreticus aut ſchiſmaticus eſt. Sed Deo propitio ſunt, qui non omnium veſtrum opera imitentur. Paucorum ergo labes ſinceris maculam & vniuerſali Eccleſiæ ingerit. Et in ea opinione ideo frequentius moriuntur, ne totam corrumpant Eccleſiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur; Et quia Roma corrupta apud Deum his reperitur indigna. Tu ergo qui id habes officij, quære & inſere humiles vanæ gloriæ & pecuniæ contemptores, ſed timeo ne dum pergis quærere quæ vis, ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid eſt Pater, quod aliorum diſcutis vitam, & teipſum minimè perſcrutaris? Omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & Dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo Pater es, quare à filiis munera & retributiones exſpectas? ſi Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repreſſa eos ad fidem non reuocas? At vrbem vis Eccleſiæ tuis muneribus conſeruare. Nunquid eam ſic Siluester muneribus acquiſiuit? In uio pater es & non in via. Eiſdem eſt conſeruanda muneribus, quibus eſt acquiſita. Quod gratis accepiſti, gratis dato. Iuſtitia Regina virtutum eſt, & erubeſcit quouis permutari. Si gratioſa futura eſt, ſit gratuita. Nequaquam proſtituatur ad pretium, quæ corrumpi non poteſt. Integra eſt & ſemper incorrupta. Dum premis alios, & tu grauius opprimeris. Riſit Pontifex & congratulatus eſt libertati præcipiens vt quotiens aliquid ſiniſtrum de ipſo meis auribus inſonaret, hoc ei ſine mora nunciarem. Et cum plurima nunc pro ſe, nunc contra ſe reſpondiſſet, Apologum huiuſmodi mihi propoſuit. Ait ergo. *Accidit vt aduerſus ſtomachum membra omnia totius corporis conſpirarent. &c.*

Mortuo igitur Adriano Rolandus Preſbyter Cardinalis titulo S. Marci Apoſtolicæ ſedis Cancellarius, Ranucij filius, Patria Senenſis, in Theologia Magiſter & in vtroque Iure peritiſſimus duorum & viginti Cardinalium ſuffragiis ſubſtituitur, & Alexandri III. nomen accipit. Quidam vero *Octauianus* ciuis Romanus, Preſbyter quoque Cardinalis tit. S. Clementis à duobus aliis Cardinalibus Guidone Cremenſi, & Ioanne de S. Martino Pontifex renunciatur & *Victor* appellatur. Vnde grauiſſimum & nimis diuturnum ſchiſma in Eccleſia Dei exortum eſt: quia huic Fridericus Imperator & tota Germania fauit, illi Francia, Hiſpania & Anglia. De hac vtriuſque electione ſic habet Vvillielmus Neubrigenſis lib. 2. de rebus Anglicis c. 9.

Initium longi ſchiſmatis.

Adrianus Papa naturæ debitum ſoluit: quo ſublato Cardinales in ſummi Pontificis electione diſcordes Eccleſiam ſciderunt, & vt in ſe mutuò partes ſæuirent, in orbe quoque terrarum vinculum Eccleſiaſticæ pacis ruperunt. Et quidem pars maior ſaniorque Rollandum eiuſdem Eccleſiæ Cancellarium virum Religioſum & litteratum concordans eundem ritu Canonico conſecrauit. Pars vero nonnulla & fere nulla in Octauianum nobilem virum conueniens, eundem Diuinum non verita iudicium elogio maculauit. Vterque in alterum excommunicationis & damnationis ſententiam promulgauit. Vterque partem ſuarum Eccleſiarum & nobilium perſonarum fauoribus munire curauit. Ille *Alexander* dictus eſt iuxta cauſæ meritum victor futurus. Iſte nudo nomine & fallaci homine *Victor* dictus eſt, victi dedecus habiturus. Poterat ſanè ſciſſura illa citò reſarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque vniri, niſi Fridericus Imperator veteri odio Rollandi Alexandrum non ferens partem Octauianam tuendam fouendamque modis omnibus ſuſcepiſſet. Denique ſuæ ditionis Epiſcopos ſcilicet Italicos & Teutonicos præcepit Papiam conuenire, tanquam ad diſcuſſionem & examen cuiuſnam

partis merita præponderarent.

Ante tamen omnia Alexander ad Imperatorem ſtatim ſcripſit de ſua promotione: Cuius ille litteras ne legere quidem voluit: imò parum abfuit, quin eiuſdem legatos ſtrangulari iuberet. Offenſus enim illi erat ex legatione, quam ad ipſum nomine Adriani Papæ obierat, Cancellarij Romani tunc munus gerens, propterea quod ipſum à Papa coronam accepiſſe eique ſubiici debere aſſeruerat. Veritus autem Alexander, ne cauſa ſua in Italia deterior foret, occupauit ſuis litteris Academicorum Bononienſium animos, quia tunc Ciuitas illa florebat celeberrimis in vtroque Iure Doctoribus, vbi tunc quoque Gratianus Decreti compilator fulgebat. Bulla eſt eiuſmodi.

Alexandri III. Epiſt. ad Academicos Bononienſes.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili fratri Gerardo Epiſcopo & Dilectis filiis Canonicis Bononienſis Eccleſiæ & legis Doctoribus cæteriſque Magiſtris Bononiæ commorantibus Sal. & Apoſt. Bened. Æterna & incommutabilis prouidentia Conditoris ſanctam & immaculatã Eccleſiam à ſuæ fundationis exordio ea ratione voluit & ordine gubernari, vt vnus ei Paſtor & inſtitutor exiſteret, cui vniuerſi Eccleſiarum Prælati abſque repugnantia ſubiacerent, & membra tanquam ſuo capiti cohærentia, ei ſe mirabili quadam vnitate coniungerent & ab ipſo nullatenus diſſiderent. Qui vero Apoſtolis ſuis pro eorum fidei firmitate promiſit dicens, *Ecce Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*, ille proculdubio Eccleſiam ſuam, cuius ipſi Apoſtoli Magiſterium aſſumpſerant, ſua promiſſione fraudari nullo modo patietur, ſed eam in ſuo ſtatu & ordine licet adinſtar nauiculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuò faciet permanere. Porro cum Anteceſſor noſter bonæ memoriæ Adrianus Papa Kalendis Septemb. Anagniæ debitum naturæ ſoluiſſet & de terris ad cœlum, de imis migraſſet Domino vocante ad ſuperna, eo Romam adducto & pridie nonas Septembris in Eccleſia B. Petri præſentibus fere omnibus fratribus ſatis honeſtè ſicut moris eſt tumulato, cœperunt fratres & nos cum eis ſecundum Eccleſiæ conſuetudinẽ de ſubſtituendo Pontifice in eadẽ Eccleſia ſtudioſius cogitare. Et tribus diebus de ipſa electione tractantes tandem in perſonã noſtram inſufficientem huic oneri & tantæ dignitatis faſtigio minimè congruentem omnes quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octauiano ſcilicet, Ioanne de S. Martino & Guidone Cremenſi, Deo teſte, quia mẽdaciũ non fingimus, ſed merã ſicut eſt, loquimur veritatẽ, concorditer atque vnanimiter conuenerunt, & Nos aſſentiente Clero & populo in Romanum Pontificem elegerunt. Duo vero Ioannes & Guido quos prænotauimus tertium Octauianum nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Vnde & ipſe Octauianus in tantam audaciam inſaniamque prorupit, quod *Mantum*, quo nos reluctantes & renitentes quia noſtram inſufficientiam videbamus, iuxta morem Eccleſiæ Odo prior Diaconorum induerat, tanquam arreptitius à collo noſtro propriis manibus violenter excuſſit & ſecum inter tumultuoſos fremitus aſportauit. Cæterum cum quidam de ſenatoribus tantum facinus inſpexiſſent, vnus ex eis ſpiritu Diuino ſuccenſus *Mantum* ipſum de manu eripuit ſæuientis. Ipſe vero ad quendam Capellanum ſuum qui ad hoc inſtructus **venerat & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit clamans & in**nuens, vt *Mantum* quem fraudulenter ſecum portauerat feſtinanter afferret. Quo vtique ſine mora dilato idem Octauianus abſtracto Pileo & capite inclinato cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, *Mantum* per manus eiuſdem Capellani & eiuſdem Clerici ſui ambitioſus aſſumpſit; & ipſe idem, quia non erat alius, in hoc opere Capellano & Clerico extitit coadiutor. Verum ex Diuino credimus iudicio contigiſſe, quod ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus poſteriora tegebat. Et cum ipſe idem hoc emendare ſtudioſius voluiſſet, quia Capucium Manticextra ſe raptus non poterat inuenire, collo fimbrias circunduxit, vt ſaltem mantus ipſe appenſus ei quodammodo videretur. Sicque factum eſt, Ivt tortæ mentis erat & intentionis obliquæ, ita ex tranſuerſo & obliquo mantũ fuerit in teſtimoniũ ſuæ damnationis indutus. Quo facto portæ Eccleſiæ quæ firmatæ fuerãt, reſerantur & armatorũ cunei, quos ſicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, euaginatis gladiis cum immenſo ſtrepitu cucurrerunt; & peſtis illa mortifera, quia Cardinales Epiſcopos non habebat, armatorum caterua militum vallabatur. Fratres verò facinus tam-

immenſum & à ſeculis non auditum ex inſperato videntes & formidantes ne à conductitiis militibus trucidarentur, ſe ſe in munitionem Eccleſiæ nobiſcum pariter receperunt, ibique nouem diebus continuis ne exinde liberè exiremus, fecit Nos quorundam Senatorum aſſenſu, quos pecunia oblata corruperat, die noctèque armata manu cum omni diligentia cuſtodiri. Sane populo inceſſanter & iugiter acclamante & in Senatores pro tantâ impietate, multâ immanitate fremente, de cuſtodia fuimus illius munitionis erepti; ſed in arctiori & tutiori loco apud Trans-Tiberim Nos iidem Senatores receptâ inde pecuniâ poſuerunt. Cumque moram ibidem ferme per triduum feciſſemus, vniuerſo populo tantam proditionem atque malitiam de cætero non ſuſtinente, Senatores cum nobilibus & populo venientes *Nos & Fratres noſtros per vrbem magnificè & honorificè cum immenſis laudibus & præconiis, campanis etiam in tranſitu noſtro pulſantibus conduxerunt; & ſic tandem à violentia perſequentis erepti & noſtræ redditi libertati ſequenti die Dominico venerabilibus Fratribus noſtris Gregorio Sabinenſi, Hubaldo Oſtienſi, Bernardo, Vvalteto, Iulio & B. Epiſcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Iudicibus, Aduocatis, Scriniariis, Primicerio & Schola Cantorum, Nobilibus etiam & quadam parte de populo vrbis apud Nympham non longè ab vrbe inſimul congregatis munus Conſecrationis accepimus; & ſicut in Romana Eccleſia moris eſt, ibidem Pontificali Regno magnificè fuimus ac ſolemniter coronati.* Cæterum prædictus Octauianus cum pro conſecratione, imò execratione ſuâ, dum & in vrbe eſſet, & poſtquam latenter vrbem exiuit, multos Epiſcopos conuocaſſet, nullum prorſus præter vnum Ferentinatem videlicet Epiſcopum habere potuit pro ſua temeritate & væſania confirmanda. Quoſdam tamen Epiſcopos Imperialibus minis, quoſdam violentia Laïcali, quoſdam verò pecuniis & blandiciis allicere voluit, ſed nihil Domino impediente profecit. Vnde nec adhuc inuenire poteſt, licet modis omnibus enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & ſe tantæ faciat præſumptionis & impietatis auctorem. Verum memorati Ioannes & Guido cœcitatis tenebris obuoluti (quoniam ſcriptum eſt) peccator cum venerit in profundum malorum, contemnet, nec ſic à ſua præſumptione damnabili reſipiſcunt, ſed eundem Octauianum quem ſibi in ſtatuam erexerunt, obſtinatâ perfidiâ venerantur, & eum relictâ vnitate Eccleſiæ præſumunt vſque huc tanquam idolum aut ſimulachrum adorare. Ipſe autem Antichriſti tempora præfigurans vſque adeo erectus eſt ſupra ſe, vt etiam in templo Dei ſederit oſtendens ſe tanquam ſit Deus; & multi abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto non ſine multâ lachrymarum effuſione corporis oculis inſpexerunt. Sanè Nos infirmitatem noſtram & virtutum indigentiam cognoſcentes noſtrum in Dominum iactamus cogitatum ſperantes & de Chriſti miſericordia plenius confidentes, quod Eccleſiam ſanctam ſuam pro qua ipſe idem in ſubſtantiâ noſtræ mortalitatis apparuit, vt eam ſibi non habentem ruinam aut maculam exhiberet, optatâ faciet in tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione ſedatâ nihil erit quod iam ei poſſit obſiſtere, vbi vnicus eius ſponſus voluerit nubiloſa quæque & noxia propulſare. Nunc igitur quia Nos de noſtrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honeſtate & religione veſtra plenam habemus fiduciam veſtris & Vniuerſalis Eccleſiæ precibus infirmitatem noſtram petimus adiuuari. Charitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta rogantes & commonentes attentius, vt ſicut viri Catholici vos pro Domo Domini inexpugnabiles opponatis, & in deuotione ac fidelitate Matris veſtræ ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ immobiliter perſiſtentes ab eius vnitate nullatenus recedatis. Quod ſi præfatus vir Impietatis ad partes veſtras aliqua damnationis ſuæ ſcripta tranſmiſerit, ea ſicut reſpuenda ſunt, reſpuatis, & tanquam vana & ſacrilega contemnere & abiicere ſtudeatis.... Datum &c.

Idem exemplar litterarum tranſmiſit proculdubio præfatus Pontifex ad Magiſtros Vniuerſitatis Pariſienſis mutatâ tantummodo inſcriptione vt fieri ſolet. Tunc enim vtraque ſchola Bononienſis & Pariſienſis inter omnes maximè florebant & virorum Doctorum numero abundabant; eratque inter eas quædam ſtudiorum neceſſitudo propter frequentem ex altera ad alteram migrationẽ. Quemadmodum enim multi ex Bononienſi ad Pariſienſem: ita ex Pariſienſi ad Bononienſem proficiſcebantur eruditionis & curioſitatis cauſâ, maximè verò ad diſcendum Ius vtrumque, cuius ibi florebat imprimis diſciplina. Quippe Ioannes

Sareſberienſis lib. 2. Metal. c. 10. vbi de Magiſtris Alberico Remenſi & Roberto Melidunenſi agit, eorum vnum ait profectum Bononiam, & quod Pariſiis docuerat, dedidiciſſe, reuerſumque deinde. *Vnus eorum*, inquit, *profectus Bononiam dedidicit quod docuerat: ſiquidem & reuerſus dedocuit. An melius, iudicent qui eum ante & poſtea audierunt.*

Idem Pontifex ſimiliter ad Epiſcopos & Prælatos Eccleſiarum ſcripſit & ad Reges Franciæ & Angliæ: nec deſtitit Octauianus ſuas quoq; ad eoſdē litteras trāſmittere, & rē alio modo geſtam narrare, addens præterea teſtificationes plurimas eorum qui vtriuſque electioni interfuerant. Itaque Principum & Prælatorum fauor diu fuit in incerto, donec tandem Fridericus Imperator habito Papiæ Concilio Octauiani ſe partibus addixit; Reges verò Franciæ & Angliæ Alexandrum ſuſceperunt. De Papienſi Concilio ſic ſcribit Vvillelmus Neubrigenſis.

Conſilium Papienſe contra Alexandrum.

Denique (Imperator) *ſua ditionis Epiſcopos, ſcilicet Italicos & Teutonicos præcepit Papiam conuenire, tanquam ad diſcuſſionem & examen cuiuſnam partis merita præponderarent.* Re autem vera vt Alexandri parte depreſsâ partem alteram approbantes, » dicti Victoris præmaturam Victoriam celebrarent. Partibus quoque mandauit » vt adeſſent, Concilij ſuſcepturæ Decretum. Et dictus quidem Victor tanquam » ſubiturus iudicium affuit. Alexander verò iudicium quod ei ſub nomine iudicij » parabatur, non ſolum cautè, ſed etiam liberè recuſauit. Itaque ex Teutonico ſi» mul & Italico Regno Epiſcopi Imperiali iuſſione cum ingenti multitudine Præ» latorum inferioris Ordinis Papiæ congregati in gratiam Imperatoris, qui cum ſuis » Ducibus terribilis aderat, quæcumque cauſam Alexandri iuuare poterant, cum » pro eo nemo allegaret, vel ſilentio ſupprimentes, quod pro parte altera minus de » veritate ſuppetebat, arte ſuppleuerunt; & dictum Victorem tanquam verum B. » Petri ſucceſſorem ſolenniter recipientes, in Alexandrum tanquam in ſchiſmati» cum & Deo rebellem ſententiam Generali Decreto tulerunt. Amplexus eſt Im» perator cum omni frequentia Ducum & Procerum Acta Concilij, pœnam non re» cipientibus comminatus. *Illuſtres quoque Francorum & Anglorum Reges omnibus mo» dis ſollicitare curauit, vt ad perpetuandam amicitiam mutuam ſibi in hac parte concordes » exiſterent.* Illi verò inflexi ſententiâ cautè ſuſpensâ, donec rei tam ſcrupuloſæ pri» mitus veritatem agnoſcerent, celebrem & ipſi ex vtroque Regno Epiſcoporum & » Nobilium loco & tempore congregari Conuentū fecerunt. Aderant à parte Octa» uiani duo principales eius Complices, qui eius fuerant Electores ſchiſmatiſque » authores, Guido ſcilicet Cremenſis & Ioannes de S. Martino: nam Imarus Tuſ» culanus Epiſcopus manus illi Exſecrationi auſus imponere iam vitauerat homi» nem. Aderant & à parte D. Alexandri tres Cardinales, ſcilicet Henricus Piſanus, » Ioannes Neapolitanus (è Canonicis San-Victorinis) *Guillelmus Papienſis*. Surgens » ergo ille Cremenſis in conſpectum Regum & Præſulum coram Vniuerſa quæ » conuenerat, multitudine Cleri & populi, pro parte ſua & contra aduerſam totis » ingenij atque facundiæ viribus allegauit. Qui cum peroraſſet, ſurgens Guillel» mus Papienſis vir eloquentiſſimus perſpicuis orationibus obiecta eliſit, & fere » quidquid ille pro ſe dixerat, in ipſum ita retorſit, vt propriis irretitus captuſque » ſermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ quaſi duello totius » ita negotij veritas claruit, vt neuter vlterius Princeps cunctaretur repudiatâ par» te Octauiani D. Alexandrum recipere & cum Regnis ſibi ſubditis ei de cætero in » iis quæ Dei ſunt tanquam Papæ Patri parere. Prænominatis ergo ſchiſmaticis » cum confuſione & dedecore diſcedentibus Principes & Pontifices noſtri la» tâ ſolemniter in ſchiſmaticos excommunicationis ſententiâ ſoluerunt conuen» tum.

Antequam verò Alexandri fortuna ſtabilis eſſet, diu Reges vacillaſſe ex hiſtoria temporis intelligimus: ait enim Radewicus l. 4. c. 74. ſub finem *Henricum Regem Anglorum per litteras & legatos ſuos conſenſiſſe*, vt Octauianus Pontifex haberetur. Scribit tamen Petrus Bleſenſis ab Henrico II. Anglorum Rege Ludouicum Franciæ ad Alexandri partes adductum, & vacillantem ab eo confirmatum: ſic enim ille Ep. 144. ad Cœleſtinum Papam. *Cum prænominatus*, inquit, *Fridericus fautor ſchiſmaticæ diſſenſionis & author contra Alexandrum Tertium Canonicè ſicut ſcitis electum in partem apoſtatæ Octauiani coniuraſſet, atque ſub illa ſchiſmatis concuſſione generaliter vbique terrarum Eccleſia laboraret, Reges Franciæ & Anglia variis*

ex vtraque parte legatoribus tentabantur; cumque ſententia Regis Francorum, conſiliorum varietate, cui faueret parti fluctuans & dubia vacillaret, Rex Henricus dolens Chriſti tunicam diutius ſcindi, primus Alexandro Papa conſenſit, multaque cautela trahens Regem Francorum pariter ad conſenſum Apoſtolicum ſuis muniuit conſiliis & firmauit auxiliis, & ſic nauem Petri ſub certo diſcrimine naufragantem in ſecurâ littoris ſtatione locauit. Hæc apud Caſtrum Radulfi vidimus. Sed hæc de re infra pluribus.

M. Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſ.

Hoc anno M. Petrus Lombardus poſt longam litterarum tam ſecularium quàm Diuinarum profeſſionem Epiſcopatus pariſienſis adiit poſſeſſionem ex ſpontanea Philippi Archidiaconi & Ludouici Regis fratris ceſſione, qui à maiori Canonicorum parte electus fuerat, vt notat Paulus Æmilius in vita Ludouici. Ille vulgò *Magiſter Sententiarum* appellabatur. Scripſit enim 4. Libros ſententiarum Theologicarum (quanquam eos quoque ſibi vindicauit eodem tempore Banduinus quidam, etiam Theologiæ profeſſor) quibus confutaret errores Græcorum de Trinitate & proceſſione Spiritus S. maximè verò Berengarianorum, Petro-Bruiſianorum, qui ſacramenta impugnabant, Gilberti Porretani, Abaëlardi & ſectatorum. Fuit tamen & ipſe hæreſeos inſimulatus apud Alexandrum Pontificem, quod docuiſſet Chriſtum vt hominem non eſſe aliquid, eiuſque libri prohibit fuerunt; quam in rem extat eiuſdem Alexandri ad Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum Epiſtola, quam infra referemus.

Eodem quoque anno Ludouicus Rex ampliſſimum priuilegium conceſſit Monachis San-Maglorianis, qui anno 1138. ex Cœnobio ſancti Bartholomæi ad Palatium poſito migrauerant ad ædem S. Georgij in Campellis ſitam, vbi vetus erat eorum cœmiterium: tuncque priſcum nomen reſumpſit ædes S. Bartholomæi; antiquitus *Regum Capella*, nunc Eccleſia parochialis, quæ quidem neque poſtquam Hugo Capetus exulantem excepit *Saluatorem* Epiſcopum Dolenſem & Maclouienſem cum corporibus ſanctorum Samſonis, Maglorii & aliorum an. 975. Monachoſque ibi conſtituit, deſtitit eſſe *Regia Capella*, vt & Abbas S. Maglorii fuit *Archicapellanus*. Cuius rei Ludouicus in priuilegio ſequenti meminit.

Regia Capella S. Bartholomæi.

In Nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu-Chriſti Ego Ludouicus D. G. Francorum Rex Eccleſiæ S. Maglorij in perpetuum... Abbas S. Maglorij Petrus nomine noſtram adiit præſentiam rogans & obnixè poſtulans præceptum firmitatis fieri tam de rebus quæ piè ab Anteceſſoribus noſtris Regibus, Hugone videlicet eiuſdem Monaſterij fundatore & ædificatore & aliis erant conceſſæ, quàm de his quæ à nobis videbantur eſſe collatæ... Etenim Prior Eccleſiæ S. Bartholomæi atque Maglorii antiquitus *Capellanus* Regum conſtitutus eſt, & ad hoc 4. præbendæ ei ſunt attributæ, volumus vt in horreo & Cellario B. Mariæ Pariſienſis, vbi eſt vna illi deſignata, ſimiliter in horreo & Cellario S. Germani, vbi alia conſtituta eſt, frumentum & vinum pro reditu illarum habeat & ſine moleſtia recipiat. Vbicunque autem extra Pariſius fuerimus, ſi illic Abbas aduenerit, de noſtro vt mos eſt, plenam procurationem habebit... Acta Pariſius publicè an. ab incarnatione D. 1159 adſtantibus in palatio noſtro quorum ſubtitulata ſunt nomina & ſigna S. Comitis Theobaldi Dapiferi, S. Guidonis Cubicularii, S. Mathæi Camerarii, S. Mathæi Conſtabularii. Data per manum Hugonis Cancellarii.

Eodem anno obiit Anſculphus de Petra-Fonte, Gall. *de Pierre-fons* Epiſcopus Sueſſionenſis, eique ſucceſſit M. Hugo de Campo-Florido celeberrimus olim in Academia Pariſienſi litterarum ſecularium, deinde Theologiæ profeſſor, hiſce vero temporibus Regis Regnique Cancellarius: vt ex ſuperioribus Ludouici Litteris patet.

Ad hunc vſque annum perduxit Hiſtoriam Pontificum & Comitum Engoliſmenſiũ Quidam Canonicus Eccleſiæ Engoliſmenſis, qui poſt Ademarum de primis Academiæ Pariſienſis Profeſſoribus ſic ſcribit c. 8. ordine tamen interturbato. *Defuncto Launo ſuſcepit Helias Scotigena Cathedrã Engoliſmenſem, qui in Gallia mirificè ſcholas rexit. Hic attulit ſacroſanctum corpus ſanctiſſimi Martyris Benigni Engoliſmam, quo tempore Caluus Imperiale ſolium aſcendit: ſub quo Rege Helias Scotus è vita egreditur. ita ſiquidem inuenitur in quodam libro Scotigenam fuiſſe Doctorem in Gallia. Beda docuit Simplicium & Simplicius Rabanum qui à tranſmarinis oris ab Imperatore Carolo vocatus in Pontificem Francia promouetur. Qui Alcuinum docuit. Alcuinus Maragdum, Maragdus*

Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum, Theodulphus Heliam Scotigenam Engoliſmenſem Epiſcopum, Helias Henricum, Henricus Remigium & Hugbaudum haeredes Philoſophiæ reliquit.

1160. Anno tandem 1160. vbi clarius de Alexandri III. promotione conſtitit, primus vt aiunt, Henricus Rex eum pro Pontifice agnouit, eique Angliam ſubiecit, annitentibus inter cæteros Philippo Bonæ ſpei & Arnulfo Lexouienſi, qui fluctuantem Regis animum ad ipſius partes demum adduxerunt: qua de re extant vtriuſque ad Alexandrum Epiſtolæ. Philippus quidem in 2. tom. Spicilegii Dacheriani recentem dignitatem ei gratulatus ſignificat à ſe conuentos Reges & partibus eius conciliatos. ſic ſcribens.

„ *Amantiſſimo in Chriſto Patri & Dom. Alexandro D. G. ſummo Pontifici & Vniuerſali*
„ *Papæ Frater Philippus de Eleemoſyna modicum id quod eſt.* Suſceptis veſtræ dignationis
„ apicibus reſpirauit cor meũ, & tãquam corona ſpei quæ ornata eſt gloria, refloruit
„ in ſpiritu meo iucunda ſerenitas, & Cathedratum veſtrũ vlnis veræ dilectionis am-
„ plectens, ſupplicationem pro vobis exhibui deuotam bonorum omniũ largitori,
„ ſonuitque in commune actio & vox laudis & de veſtra promotione carmen referi-
„ mus Deo noſtro, væ denunciamus homini per quem ſcandalum venit. Confidi-
„ mus in miſericordia conditoris, quia impetus partis ad nihilum deueniet tanquam
„ aqua decurrens, & ſicut cera quæ fluit, auferentur tranſgreſſores quia cecidit
„ ſuper eos ignis abominationis & non videbunt ſolem Iuſtitiæ Chriſtum qui ſuper-
„ bis reſiſtit & humilibus dat gratiam. De reliquo Beatiſſime Pater, Celſitudini ve-
„ ſtræ ſignifico, quia nunc mandatum veſtrum deuotione qua debui, ſollicitudine
„ qua opportuit & commendatione litteras veſtras *D. Henrico Anglorum Regi cum re-*
„ *uerentia præſentaui, quas ipſe benignè ſuſcipiens habita cũ ſuis & vobiſcum deliberatione*
„ *vos in partem ſpiritualem ſummũque Pontificem cum omni alacritate ſuſceptum obſequium*
„ *& obedientiam ſuam per nos humiliter repræſentat.* Miſſurus enim ad vos eſt in breui
„ nuncios ſuos. Hic paruitati noſtræ contulit in mandatis, vt opus ſuum deuotæ ſe-
„ dulitatis miniſterio præuenirem. Litteras autẽ generales quas Prælatis Angliæ vni-
„ uerſaliter deſtinatis, per fidelẽ virũ cũ venerabilibus Epiſcopis Gilberto Hereford-
„ denſi & Hilario Ciceſtrenſi ſtudui delegare, qui perſonam veſtram & opus veſtrũ,
„ quod aſſeritur, ſiue quantũ intelligimus fouent & diligunt, & ſtudebunt negotiũ
„ veſtrum fideliter promouere. Continuato labore acceſſi ad deuotum filium S. Ro-
„ manæ Eccleſiæ D. Regem Francorum, cuius ſicut Catholicum Principem decet,
„ fidelis affectus & prompta deuotio perſonam veſtram & opus veſtrum certa dile-
„ ctione proſequitur, & ſui ſententiam iam operis exhibitione firmaſſet, niſi grauia
„ eum impedimenta & cauſæ multiplices perturbaſſent. Dirigitur vobis noſtro mi-
„ niſterio & ſuo ſpiritu dictata ſalutatio, ſed ſignaculo prouidentiæ conſcientiæ ſuæ
„ liber tegitur inuolutus, donec opportunum tempus occurrat, quo vobis tanquam
„ patri & ſincerè dilecto, imo & diligenter electo & commodè vobis conuenientes
„ vterque vtiliter obedientiam ſuam & ſeruitium ſuum debita charitate cum tri-
„ umpho iucunditatis exhibeat. Sed hoc ipſum per Dei miſericordiam in ianuis
„ eſt, quia inter ipſum & Regem Angliæ de reformatione pacis agitur & in breui
„ creditmus terminari. Quod inter manus virorum fidelium pro communi Regno-
„ rum concordia deuotè & fideliter agitatur... Scitote præterea quod Archiepiſco-
„ pi & Epiſcopi omnes & Eccleſiæ Rectores in electione veſtra vnanimiter con-
„ ſentiunt.

Similiter Arnulphus magnæ tum quoque apud Henricum authoritatis quid euiciſſet, ita ſcribit.

„ *Benedictus Deus & pater Domini noſtri I. C.* qui Eccleſiam ſuam immaculatam
„ ſcilicet ſponſam dilecti filii tui miſerabili ſemper benignitate diligit & conſeruat.
„ Licet enim ipſam aliquibus quandoque vexari patiatur iniuriis, facit tamen cum
„ tentatione prouentum vt poſſit ſuſtinere, nec vnquam portas inferi aduerſus eam
„ prævalere permittit. Neque enim expedit, vt continuæ proſperitatis ſtatus eam
„ inſolentem reddat, vel otioſitas negligentem, ſed humilitatem conſeruet afflictio,
„ & vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum
„ ipſa tanquam aurum in fornace probatur & ad augmentum coronæ cuncta proſi-
„ ciunt, dum eam vis aduerſitatis fortiorem reddit, & malignitatis infeſtatio cau-
„ tiorem. Ipſe verò miſerator & miſericors Dominus ad tempora tribulationis vi-

res virtutis & conſilij prouidet & præformat, qui temeritatis audaciam repellere
valeant & malignitatis aſtutiam nouerint declinare. *Quod in ſancta & glorioſa re-*
cordationis Innocentio Papa ſatis euidenter apparuit, qui extollentem ſe aduerſus omne
quod dicitur aut quod colitur Deus, deiecit Hæreticum, quem nobilitas generis,
quem diuitiarum cumulus, quem peccatrix eloquentia, quem prudentia ſeculā-
ris, quem denique ſecularium hominum fauor publicus attollebat. Præualuit in Athleta
Dei veritas falſitati, & humilitati robuſtæ ſuperba ceſſit ambitio, & de iniquitate Iuſti-
tia triumphauit. Vidimus ſiquidem ipſum exaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, &
tranſiuimus, & ecce non erat: quæſiuimus & non eſt inuentus locus eius, quia nec inter
mortuos tumulum, neque titulum meruit ſepulturæ. Dominus autem ſublimauit cornu
Chriſti ſui, vt in eo vnitas Eccleſiæ reformari poſſet, & Regnum ipſius omnibus dominari.
Memini Ego, nec id à veſtra reor excidiſſe memoria, quantâ ad mandata eius
Principes reuerentiâ mouerentur, quam ſublimis exiterit, quantaque maieſta-
te refuſerit Eccleſia, quantùm in diebus illis Religio munda & immaculata profe-
cerit, adeo vt plures hodie Religioſorum deſerta contineant, quàm ferarum olim
habuerint beſtiarum. Arbitrabatur ille ad regendos homines vtendum potius ſo-
briæ ſeueritatis diſciplina, quàm remiſſæ miſericordiæ lenitate, Deo potius quàm
hominibus placere deſiderans, ne ob gratiam hominum coram Deo poſſet con-
temptibilis apparere. Vnde & virtus eius ſemper inter aduerſa maior enituit, nec
tanta poſtmodum proſperitatis eius inſignia claruerunt, quanta præcedentis ad-
uerſitatis adhuc magnalia celebrantur. Neque enim confidebat in homine, ne-
que carnem ponebat brachium ſuum, ſed potius confidebat in Domino, & erat
Dominus fiducia eius. *Porro ſchiſmata hæc in Eccleſia Rom. frequentius accidiſſe etiam*
Lateranenſis Palatij pictura demonſtrant, vbi Catholicorum Patrum pedibus pro ſcabello
ſchiſmatici præſumptores adſcripti ſunt, vbi ſuperborum & ſublimium colla ſapientia pro-
priâ virtute conterit & conculcat. Quod ſanè ea ratione factum, vt ſanctis Patribus
cedat ad gloriam victoriæ teſtis adſcriptio, in qua præſumptores illi vel compreſ-
ſionis pœnam ſuſtinent vel præſumptionis veniam deprecantur. Vnde & S. Apo-
ſtolatus veſtri Cathedra ſine ſcabello eſſe non debuit, ſed nobiliore ſcabello de-
buit illuſtrari. Neque enim incerta vobis eſt aut longinqua victoria, ſed humilitas
verecundiæ veſtræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu S. Patribus di-
ſtulit obedire. Pari etenim culpæ tenetur obnoxius, qui vocationem Domini præ-
uenit, vel recuſat oblatam. Redibit tamen in proximo Deo volente ſerenitas, &
modica hæc ad radios veri ſolis nebula diſſoluetur, redintegrata vnitate Catholica
ab omni parte pedibus veſtris Vniuerſitas fidelis occurret. Interim autem quæ-
cunque cæteros ſtudia remorentur, quibuſcunque deſideriis prorana traha-
tur ambitio, quantacunque temeritate deteſtabilis erumpat inuidia, ego
minor licet omnibus, non minore tamen gaudio quàm cæteri gloriam veſtræ
promotionis amplector, & vos Apoſtolum Chriſti, Petri vicarium, Paſtorem
& Epiſcopum omnium qui Chriſtiano nomine cenſentur agnoſco, & vobiſcum
Catholicam profiteor vnitatem. Gaudeo itaque quoniam diſideratus dies, dies
ſcilicet exultationis illuxit quo reuera reſtitutam credimus virtutibus gratiam,
virgam vitiis, terram Principibus, Eccleſiæ libertatem. Gaudeo, inquam, ex hoc
nunc ſermo Dei non erit alligatus, ſed verbum eius quod in ore veſtro verum eſt,
quod impoſſibile credebatur, facili conſummabit affectu. Properaſſem igitur iam
ad pedes Beatitudinis veſtræ amplectendos, vt ariditatem meam quaſi copioſior de
proximo benedictionis veſtræ rigaret vbertas, niſi me zelus vtilitatis veſtræ ma-
ximè tenuiſſet. Exquo etenim promotionis veſtræ auribus noſtris veritas & oppo-
ſitæ præſumptionis error innotuit, feſtinaui ad noſtri notitiam Principis id perfer-
re, vt vacantem animum eius fauore veſtro, quibus debebam perſuaſionibus oc-
cuparem, ne nos qualibet occaſione malignitatis aſtutia præueniret. Facilius ete-
nim eſt animos occupare vacantes, quam ipſos à conceptis affectibus reuocare.
Hæſit ille aliquandiu ſed ſtatim operante Spiritus S. gratia confirmatus nullum
ſe alium quàm vos ſuſcepturum hilari conſtantiâ conſtantique ſimul hilaritate
promiſit. In quo cum proximè de differenda veſtrâ ſuſceptione Imperatoris litte-
ras accepiſſet, cui diſcurrentibus inuicem litteris & Legatis plurimâ videtur cha-
ritate coniunctus, ne preces eius ſpreuiſſe & in præiudicium eius feſtinaſſe vide-
retur, generale quidem ſuppreſſit Edictum, ſed nequaquam auarus aut linguam

" à litterarum nominiſque veſtri veneratione continuit, neque quemquam no-
" ſtrum voluit continere. Arbitratus eſt ſiquidem minus valituram pro vobis Edi-
" cti iactantiam, quàm operis veritatem: firma apud eum eſt & indubitata veſtri
" Apoſtolatus authoritas, atque in quamcunque partem Cor prædicti Principis
" fuerit inclinatum, iſte proculdubio non ſequetur errantem. Mei autem ſtudii
" erit omnes circa eum quaſi vigilias obſeruare, ne ora loquentium iniqua præ-
" ualeant, ſed ipſe in veſtra, ſicut ſemel incepit, obedientia perſeueret. Felicem
" enim me, inquam, ſi vnquam in hoc vel in alio beneficentiæ veſtræ gratus in-
" ueniar, vt deuotionis meæ ſaltem inter cæteros aliquando velit veſtra dignatio
" reminiſci.

Ex hacce Epiſtola intelligimus Henricum Angliæ Regem omnino quidem in Alexandri partes propendiſſe, noluiſſe tamen Edicto publico eum pro vero Pontifice agnoſcere, ne Imperatoris ſibi aliàs amici animum offenderet; arbitratus temporis mora Alexandri cauſam conualituram: non vetuiſſe vero ne ſubditi ſui ad eum ſcriberent, aut ab eo litteras acciperent. Alexander autem ad haſce Arnulfi litteras reſcripſit in hunc modum.

" *Alexander* Epiſcopus Seruus Seru. Dei Venerabili fratri Arnulfo Lexouienſi
" Epiſcopo Sal. & Apoſt. bened. Litteras à tua nobis prudentia deſtinatas tanto hi-
" lariori mente ſuſcepimus, quanto de vberiori pinguetudine Caritatis & ampliori
" feruore deuotionis eas nouimus proceſſiſſe. Quas & nos ipſi attentè ſatis ac dili-
" genter inſpeximus, & vt conceptæ dilectionis integritas & probatæ fidei certitu-
" do in tenebris non lateret, ſed fieret ignorantibus manifeſta, eas in Fratrum no-
" ſtrorum auditorio publicè fecimus recitari. Ipſæ profecto & deuotiſſimi contine-
" bant puritatem animi, nec minus luculentam profundi pectoris eloquentiam re-
" dolebant. Nouimus autem & immemores non exiſtimus, qualiter ſicut & ipſa tua
" ſcripta plenariè continebant, Diuæ ac Reuerendæ memoriæ Innocentio Papæ
" Anteceſſori noſtro ſchiſmaticus ille qui & generoſitate naturæ rerum copia terre-
" narum, prudẽtia ſeculari & gratia labiorum mira æſtimatione reddebatur inſignis,
" nefaria temeritate ſuccreuit, & innocentem noxius, fortis debilem, armatus iner-
" men, ſchiſmaticus Catholicum impugnabat. Cæterum ad quem fratres ipſa Deo
" miſerante peruenerit, deuoti & fideles Eccleſiæ filii per gloriam meritorum, ma-
" li verò perſuppliciorum grauamina cognouerunt. Quid etiam de aliis ſimilia præ-
" ſumentibus antea ſæpenumero contigiſſet, tu tam facundè quàm eleganter in
" eiſdem litteris expreſſiſti. Temporibuſque noſtris optimus Deus voluit hæreſes ſuſcitare, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, & vt per noſtrum & aliorum Catholicorum ſtudium & laborem granis & paleis in area Domini ſegregatis ſchiſmata & hæreſes conterantur. Credimus ſiquidem & de gratia Diuina confidimus quòd in proximo ſedatis fluctibus procellarum & ventorum turbine propulſato dies nobis ſerenus & fulgidus arridebit. Et calcatis inimicis Eccleſiæ tranquilla in portu Petri nauicula reſidebit. Perſoluimus autem gratias omnium Conditori laudum præconia referentes, quod magnificum illum & ſereniſſimum orbis Principem Henricum Regem Anglorum iudices firmum & ſtabilem in Catholicæ vnitate Eccleſiæ permanere, & quod per tuam præſertim inductionem in ſancto propoſito animum ſolidauit. Rogamus ſanè vt ita vigil ſemper circa eum & ſolicitus perſeueres, ne per frequentes vexationes Imperatoris & Nunciorum ſuorum à deuotione Eccleſiæ, & noſtra quod abſit, velit quomodolibet declinare. Volumus quidem te apud eundem Regem & Epiſcopos atq; adiacentes perſonas quaſi quendam Apoſtolum & Nuncium veritatis in illis partibus experiri. Circumpoſitos quoque & vicinos Epiſcopos, & tam Eccleſiaſticas quàm ſeculares perſonas, nobiles præcipuè ac potentes ad hoc ipſum efficaci ſtudio & omni diligentia exhorteris. Nos enim perſonã tuã quàm ſincera charitate in Domino diligamus atque ad honorem & exaltationem tuam, quamque prompto animo deſideremus intendere, per illum dilectionis feruorem quem circa te & ante promotionem noſtram habuimus, diſcretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare. Præterea qualiter Fridericus Romanorum Imperator auorum ſuorum ſceleratiſſima veſtigia ſubſecutus circa ſacroſanctam Eccleſiam Rom. in præſenti ſe habeat & olim habuerit, & qualem circa eam animum gerat, qui vtique ſpecialis eius patronus deberet & defenſor exiſtere, multis rerum

indiciis

indiciis à longis retro temporibus ad notitiam tuam non ambigimus peruenisse. A tempore ſiquidem Anteceſſoris noſtri piæ recordationis Adriani Papæ & ab exordio dignitatis ſuæ cœpit S. Romanam Eccleſiam tanquam tyrannus opprimere & non mediocriter infeſtare. Archiepiſcopos nempe & Epiſcopos à ſede Apoſtolica redeuntes in ignominiam & detrimentũ Eccleſiæ Plerunque capi turpiter & inhoneſtè præcepit, eoſque fecit carceris cuſtodiæ mancipari. Nos quoque in minori officio conſtitutos, qui cum venerabili fratre noſtro B. nunc Portuenſi Epiſcopo ad eum fuimus delegati, qualiter apud Biſontium ipſe tractauerit, & quam indignè receperit, non eſt opus nos in præſenti referre, quia credimus te idipſum plenarie cognouiſſe. Viuente etiam prædicto Anteceſſore noſtro Patrimonium B. Petri violenter inuaſit, & eandem Rom. Eccleſiam viſus eſt modis omnibus conculcare, ita quod à pluribus dicebatur & quaſi fama communis habebat, quoniam eo ſuperſtite, Octauianum, qui ſemper fuit domeſticus Eccleſiæ inimicus ordinare Apoſtolicum, imo Apoſtaticum ſi opportunitatem acciperet, intendebat. Quia vero illo viuente Omnipotens Deus non permiſit eum conceptam veſaniam exercere, poſt mortem eius opportunitate concepta prædictum Octauianum ſchiſmaticum, Simoniacum & manifeſtiſſimum inuaſorem, qui cum tribus tantum malitiæ ſuæ complicibus ſicut totus pœne mundus agnouit, poſt Canonicam & vnanimem electionem noſtram Mantum arripuit, & ita ſe damnabili præſumptione intruſit in tanta iniquitate modis omnibus manutenuit, & quidquid ille fecit ſolo, fauore, potentia & authoritate ipſius & Nunciorum ſuorum qui in vrbe præſentes extiterant, eum feciſſe abſque ambiguitate tenemus. Vnde ad confirmationem ipſius, imo vt omnem videretur in Eccleſia Dei authoritatem habere, Archiepiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos apud Papiam contra ſacrorum inſtituta Canonum prout ei placuit, conuocauit. Ille autem ſicut homo qui nec in Deo nec in iuſtitia confidebat, in ipſius Imperatoris præſentia per aliquot dies velut pro certo accipiens, inſignia Pontificatus abiecit, ſicut etiam in noſtro & fratrum noſtrorum conſpectu, dum Romæ olim nos teneret incluſos, ſuam malitiam recognoſcens facere voluit, ea quidem conditione ſtruata, vt nos ei poſtmodum reddere deberemus. Cumq; nos ea recipere ſub hac conditione nollemus, ipſe in ſua pertinacia & damnabili præſumptione permanſit. Cæterum vt prædictus Imperator Eccleſiam Dei ſuæ videretur ſubiugare & ſupponere ditioni; & eam in ſupremam redigere ſeruitutem, memorato Apoſtatico ſicut dictum eſt, Pontificalia inſignia reddidit & eum de Papatu quod eſt à ſeculis inauditum per annulum, vt dicitur, inueſtiuit. Quoſdam etiam Epiſcopos aliis diſcretioribus & honeſtioribus occulte de illo Conciliabulo fugientibus & reuerentiam exhibere laicali violentiæ tyrannica oppreſſione coëgit. Sic enim Reges & Principes diuerſarum Partium ſibi intendit tum ſpirituali tum materiali gladio ſubiugare, ſi in hac parte quod abſit, nefandiſſimum eius propoſitum præualeret. Datum Anagniæ Kal. April.

Hiſce rationibus & argumentis conabatur Alexander Reges, Principes & Eccleſiarum Prælatos ab Octauiani & Imperatoris partibus auertere. Quanquam vero Henricus Anglorum Rex videatur primus Alexandro adhæſiſſe & Ludouico Regi præiuiſſe: vt ex Petro Bleſenſi ſupra retulimus: contrarium tamen ſcribit Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus ad Henricum Angliæ Regem apud Sareſberienſem Ep. 48. Ille enim vtitur exemplo Eccleſiæ Gallicanæ, quæ iam agnouerat Alexandrum, vt ad eum ſimiliter pro vero Pontifice habendum, Regem ſuum impellat. Sic ergo habet.

Eccleſia Gallicana, ſicut nobis veridica relatione innotuit, recepit Alexandrum, ab Octauiano receſſit. Quod autem ad humanum ſpectat examen, meliori & ſaniori parti videtur adhæſiſſe, cum omnibus conſtet, quod perſona Alexandri honeſtior eſt, prudentior, litteratior, eloquentior. Cauſa eius ab omnibus inde venientibus ſincerior, iuſtior prædicatur. Et quamuis neutrius illius adhuc nuncium aut ſcriptum viderimus, ſcimus tamen quia omnes Noſtrates, ſi veſter conſenſus affuerit, proniores ſunt in partem Alexandri. Audiuimus autem quod Imperator vos in partem Octauiani trahere conatur: ſed abſit, vt in tanto periculo Eccleſiæ pro amore & honore hominis faciatis, niſi quod credere tis Domino placiturum.

Nec decet Maieſtatem veſtram ſi placet vt in tota Eccleſia Regni veſtri ſuperponatis hominem qui ſine electione, vt publicè dicitur, ſine gratia Domini, per fauorem vnius Imperatoris tantum honorem auſus eſt occupare. Nam tota fere Eccleſia Rom. in parte Alexandri eſt. Incredibile autem eſt, quod pars illa poſſit obtinere præualere per hominem, cui iuſtitia deeſt, cui Dominus aduerſatur. Eos vero in humili caſu præualuiſſe crebra recolimus lectione, quos Gallicana recepit & fouit Eccleſia, & infelicem exitum eorum quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus noſtris Innocentius aduerſus Petrum, Calixtus aduerſus Burdinum, Vrbanus aduerſus Vvibertum, Paſchalis aduerſus tres Albertum, Maginulfum, Theodoricum; & multi ſimiliter in diebus Patrum. Nobis ergo prouideat dignatio veſtra, veſtrumque in partem illam Deus declinet aſſenſum, quæ iuſtitiæ veritati innititur.

Ex his ergo colligitur Gallicanam Eccleſiam in agnoſcendo Alexandro præiuiſſe Anglicanæ, non huius exemplum ſecutam. Quam multi autem viri Docti pro alterutra parte ſcripſerint, ex eo patet, quod diuturnum fuit hoc ſchiſma, & Reges diu incertos tenuit: maximè verò cum ad litis definitionem habita ſunt Concilia, in iis pro & contra multa fuerunt dicta & obiecta: vt infra dicemus.

In partibus tamen Alexandri conſtantiores fuerunt Angli, & Octauianum variis ſcommatis proſciderunt. In eum leguntur hicce verſus apud Martheum Pariſienſem in vitis 23. Abbatum S. Albani.

Guido de Crema Io & Hanues ſunt Anathema:
Nunquid peccaui? nunquid malè grammaticaui?
Schiſmatici praui, ſi nomen ſchiſmaticaui.

Qui verſus facti ſunt contra Guidonem de Crema & Ioannem de S. Martino Cardinales præcipuos Octauiani fautores. Porro Alexander aliquandiu demoratus eſt in Ditione Regis Siculi, cuius fauore fouebatur, inquit Neubrigenſis, præſtolans opportunitatem tranſeundi in Gallias, quò anno ſequente 1161. tranſiit, vt ſuo loco dicemus. Abbo verò miſſi fuerant ad Ludouicum tres Cardinales, Otho ſeu Odo, Vvillielmus Papienſis, & Henricus Piſanus, vt ſecuram in regno ſuo ſedem obtinerent.

Eodem anno Ludouicus poſt mortem coniugis Hiſpaniæ Regis filiæ, ex qua nullam ſuſceperat prolem maſculam, quam Vincentius poſt Robertum Antiſſiodorenſem ait fuiſſe *Fœminam vitæ laudabilis, actibus claram, moribuſque perornatam*, Adelam Theobaldi Comitis Campaniæ filiam in coniugem accepit, quam Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Pariſiis in æde B. Mariæ Pariſienſis, Diœceſeos Patronæ coronauit: qua de re ſic ſcribit Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico. *Ipſo anno mortua eſt Regina Franciæ filia Imperatoris Hiſpaniæ, fœmina vitæ laudabilis actibus clara, moribus perornata. Rex vero Ludouicus conſilio Procerum ſuorum accepit in coniugem filiam bonæ memoriæ venerabilis Comitis Theobaldi, quam poſtmodum prædictus Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Pariſius Reginam vnxit, ipſamque cum Domino ſuo Ludouico ipſa die præſentibus tribus Cardinalibus, Othone videlicet, & Vvillielmo Papienſi atque Henrico Piſano in Eccleſia B. Mariæ coronauit: & in eadem Eccleſia ipſis Cardinalibus & multis aliis præſentibus Miſſæ officium ſolemniter celebrauit, quod factum valde diſplicuit Remenſi Archiepiſcopo & eius Epiſcopis.*

Eodem anno teſte Mathæo Pariſienſi celebratum eſt matrimonium inter filium Regis Anglorum ſeptennem & filiam Ludouici Regis Franciæ triennem, authoritate eorundem Cardinalium Henrici Piſani & Vvillielmi Papienſis ſedis Apoſtolicæ Legatorum 4. non. Nouemb. apud Burgum. Notat quoque idem author Mariam Abbatiſſam de Rumeſia filiam Regis Stephani eodem anno nupſiſſe Mathæo Comiti Bononiæ & duas illi peperiſſe filias: ob idque Thomam Regiæ Cancellarium nuptiis eiuſmodi aduerſantem adinſtar Ioannis Baptiſtæ multa mala fuiſſe perpeſſum. Eodem quoque anno Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus vir ſupra omne meritum fato communi functus eſt, & Thomas Cancellarius ei ſuffectus.

Origo Valdenſium Hæreticorũ.

Eodem quoque anno aut circiter orta eſt hæreſis & ſecta Vvaldenſium hoc modo. In oppido Vvaldenſi Marchiæ Lugdunenſis quidam Ciuis diues nomine Pe-

trus, cognomine *Vvaldus*, vel *Vvaldenſis* ab oppido, cum vel audiſſet vel legiſſet ex præcepto Domini vendenda eſſe omnia bona & eroganda pauperibus Math. 19. exiſtimauit deſiiſſe omnino vitam Apoſtolicam in Eccleſia eſſe à temporibus Silueſtri Papæ, cum ſcilicet proprias habere cœpit poſſeſſiones. Itaque illam reuocare propoſſe ſuo ſtuduit, & bonis propriis venditis ac diſtributis ad ſuſtentationem pauperum vitam ipſe pauperrimam ducere aggreſſus eſt. Quo exemplo multi diuites ad idem pro amore Chriſti faciendum excitati ſunt: inter cæteros verò quidam Ioannes de Lugduno Ciuis Lugdunenſis, qui morte Conciuis cuiuſdam ditiſſimi ſubitanea territus, venditis bonis ſe præfato Petro adiunxit. Cuius rei fama & exemplo complures permoti voluntariorum pauperum numerum vehementer auxerunt.

Addiderunt pauperi vitæ prædicationem Diuini verbi, quanquã eſſent magna ex parte illiterati, quia Apoſtolos etiam rudes & omnino litterarũ expertes prædicaſſe dicebant. Non ſunt tamen id muneris obire auſi antequam à Romano Pontifice prædicandi licentiam petiiſſent. Igitur Romam proficiſcuntur, mentem conſiliumque ſuum aperiunt: at repulſam patiuntur, quia viſum eſt non eſſe tutum fidelium animas illiteratis committere. Reuerſi, nihiloqſe prudentiores aut humiliores facti contempta Pontificis Clerique authoritate prædicant, clericos moreſque ſacerdotum innumeris onerant opprobriis: in luxum verò, in diuitias & nimias eorum poſſeſſiones acrius inuehuntur, à perſoluendis decimis populum eximunt: atque ita ſibi conciliata probitatis fama confeſſiones audiunt, pœnitentias iniungunt, à peccatis abſoluunt, tantoque licentius, quod Laici eos exteriori pietatis ſpecimine præfulgere videntes, ſe melius & efficacius per eos abſolui, quam per proprios ſacerdotes crederent. Itaque dici non poteſt quam breui tempore ſecta illa inualuerit, quæ varias in opiniones deinde abiit nec mirum: cum enim eorum plerique Idiotæ eſſent, ſacras ſcripturas pro ſuo quiſque captu & arbitrio explicabant. His ſe adiungunt Petro-Bruiſiani & Henriciani, dicti Albigenſes & cæteri Vaſcones hæretici, quos D. Bernardus voce, ſermonibus & ſcriptis confutarat quidem, at non omnino extinxerat.

Illi autem communiter Doctores & Vniuerſatum Magiſtros tanquam bufones tumidos contemnebunt & ſcientiarum vanitate inflatos, ſe vero humiles Chriſti confeſſores appellari volebant.

Creſcente igitur numero ſectatorum varias Prouincias & Regna peragrarunt, conſtitueruntque ipſi ſibi Epiſcopos, Eccleſias ſcholaſque proprias: adeo vt in vna Diœceſi Pictauienſi fuerint eorum 41. ſcholæ teſte Rainero. Qui cum illis per annos 17. commoratus, agnita tandem eorum impietate & fatuitate hæreſim publicè abiurauit & ad Dominicanos ſe contulit. Scribebat ille circa an. 1230. ait vero *longè plures illorum ſcholas fuiſſe quam Theologorum, & plures auditores qui publicè diſputabant & populum ad ſolennes diſputationes conuocabant, in foro & in campis prædicabant & in tectis, & non erat qui eos impedire auderet propter potentiam & multitudinem fautorum ipſorum.*

Variis autem illi nominibus proceſſu tẽporis appellati ſunt, *Vvaldenſes, Catheri Cataphrygei Publicani, Popelicani, Paterini, Piphres, Tiſſerani, Bulgares.* Aduerſus eos ſcripſit diſertiſſimè ſermones multos Ecbertus Abbas S. Florini Ord. Bened. diœceſis Treuerenſis Frater B. Eliſabethæ Virginis Abbatiſſæ Schonaugienſis, qui hoc ſeculo floruit: ſic autem de iis initio habet. *Hos noſtra Germania Catharos, Flandria Piphles,* forte *Pifres, Gallia Tizerans,* ſeu potius *Tiſſerans, ab vſu texendi appellat.* Coloniæ & alibi malum ſemen ſpargere cœperunt, & vix inde expelli potuerunt, licet ſummo labore anniteretur Rainaldus de Daſſelle Imperatoris Friderici Cancellarius, & Colonienſis Archiepiſcopus vir ſumma pietate & doctrina atque eloquentia præditus peſtem illam procul à ſe & à ciuitate ſua remouere. Ibi tres præcipuè Magiſtros habebant, Arnoldum, Marſilium & Theodoricum viros in diſputando acutiſſimos.

Cæſarius Heiſterbakenſis plurima refert pertinaciæ eiuſmodi Hæreticorum exempla, præſertim Arnoldi ipſius qui Diſcipulos ſuos ad ignem damnatos in tormentis conſolabatur, ſuam ipſe manum voracibus flammis imponens. Sic igitur ille l. 5. c. 19. *Circa illa tempora ſub Archiepiſcopo Raynaldo* (qui an. 1159. factus eſt Archiepiſcopus & anno 1167. deceſſit) *Colonia plures ſunt Hæretici comprehenſi, qui à*

litteratis viris examinati & victi per Iudicium ſeculare damnati ſunt. Data ſententia cum ducendi eſſent ad ignem, vnus illorum Arnoldus nomine, quem cæteri Magiſtrum ſuum fatebantur, ſicut narrauerunt qui interfuerunt, panem & peluium cum aqua ſibi dari petiuit. Quibuſdam volentibus vt hoc fieret, viri prudentes diſſuaſerunt dicentes aliquid hic fieri poſſe opere Diabolico, quod infirmis eſſet in ſcandalum & in ruinam. A. Quid ergo actum de Hæreticis Colonienſibus? C. ducti ſunt extra Ciuitatem & iuxta Cœmiterium Iudæorum ſimul in ignem miſſi. Qui cum fortiter arderent, multis videntibus & audientibus Arnoldus ſemiuſtis Diſcipulorum Capitibus manum imponens ait, *Conſtantes eſtote in fide veſtra, quia hodie eritis cum Laurentio.* Cum eſſet inter eos virgo quædam ſpecioſa ſed hæretica & quorundam compaſſione ab igne ſubtracta, promittentium vel quia eam viro traderent, vel ſi hoc magis placeret, in Monaſterio Virginum locarent, cum verbo tenus conſenſiſſet, iam extinctis Hæreticis tenentibus ſe dixit, *Dicite mihi vbi iacet ſeductor ille?* cumque ei demonſtraſſent M. Arnoldum, ex manibus illorum elapſa, facie veſte tectâ ſuper extincti corpus ruit, & cum illo in infernum perpetuò arſura deſcendit.

Tranſierunt quoq; in Angliam nebulones iſti & Oxoniæ damnati ſunt: quid verò ibi fecerint quæq; fuerint eorũ dogmata, non alienum erit ab Hiſtoria noſtra, ex Vvillielmo Neubrigenſi referre, qui de iis fusè agit lib. 2. c. 13. *Iiſdem diebus*, inquit, nempe circa an. 1160. *Erronei quidam venerunt in Angliam*, ex eorum vt creditur genere, quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gaſconia incerto authore habentes originem, regionibus plurimis virus ſuæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latiſſimis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæque Prouinciis tam multi hac peſte infeſti eſſe dicuntur, vt ſecundum Prophetam multiplicati eſſe ſuper numerum arenæ videantur. Denique cum à Præſulibus Eccleſiarum & Principibus Prouinciarum in eos remiſſius agitur, egrediuntur de caueis ſuis vulpes nequiſſimæ, & prætentâ ſpecie pietatis ſeducendo ſimplices, vineam Domini Sabaoth tanto grauius quanto liberius demoliuntur. Cum autem aduerſus eos igne Dei fidelium zelus ſuccenditur, in ſuis foueis deliteſcunt, minuſque ſunt noxii, ſed tamen occultum ſpargendo virus nocere non deſinunt.

Anglia ope Francorum ab Hæreſi olim liberata.

Homines Ruſticani & Idiotæ atque ideo ad rationem hebetes, peſte verò illâ ſemel hauſtâ ita imbuti, vt ad omnem rigeant diſciplinam: vnde ratiſſimè contigit eorum aliquem, cum è ſuis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem conuerti. Sanè ab hac & ab aliis peſtibus Hæreticis immunis ſemper extitit Anglia, cum in aliis mundi partibus tot pullulauerint hæreſes. Et quidem hæc inſula cum propter incolentes Britones Britannia diceretur, Pelagiũ in Oriente Hæreſiarcham futurum ex ſe miſit, eiuſque in ſe proceſſu temporis errorem admiſit. Ad cuius peremptionem Gallicanæ Eccleſiæ pia prouiſio ſemel & iterum beatiſſimum direxit Germanum. At vbi hanc inſulam expulſis Britonibus natio poſſedit Anglorum, vt non iam Britannia ſed Anglia diceretur, nullius vnquam ex ea peſtis hæreticæ virus ebulliuit: ſed nec in eam aliunde vſquè ad tempora Regis Henrici II. tanquam propagandum & dilatandum introiuit. Tunc quoque Deo propicio, peſti quæ iam irrepſerat, ita eſt obuiatum, vt de cætero hanc ingredi vererentur.

De Hæreticis.

Erant autem tam viri quàm fœminæ paulò amplius quàm triginta, qui diſſimulato errore, quaſi pacificè huc ingreſſi ſunt propagandæ peſtis gratia Duce quodam Girardo, in quem omnes tanquam Præceptorem ac Principem reſpiciebant. Nam ſolus erat aliquantulum litteratus: cæteri verò ſine litteris & idiotæ, homines planè impoliti & ruſtici, Nationis & linguæ Teutonicæ. Aliquandiu in Anglia morantes vnam tantum mulierculam venenatis circumuentam ſuſurris, & quibuſdam vt dicitur, faſcinatam præſtigiis ſuo cœtui aggregauerunt. Non enim diu latere potuerunt, ſed quibuſdam curioſè indagantibus, quod peregrinæ eſſent ſectæ, deprehenſi tentique ſunt in cuſtodia publica. *Rex verò nolens eos indiſcuſſos vel dimittere vel punire, Epiſcopale præcepit Oxonia Concilium congregari. Vbi dum ſolenniter de Religione conueniuntur, eo qui litteratus videbatur, ſuſcipiente cauſam omnium & loquente pro omnibus, Chriſtianos ſe eſſe & doctrinam Apoſtolicam venerari reſponderunt. Interrogati per ordinem de ſacræ fidei articulis; de ſubſtantia quidem*

ſuperni Medici recta, de eius verò remediis, quibus humana infirmitati mederi dignatur, id eſt diuinis Sacramentis peruerſa dixerunt, ſacrum Baptiſma, Euchariſtiam, Coniugium deteſtantes, atque vnitati Catholicæ quam hæc Diuina imbuunt ſubſidia, auſu nefario derogantes. Cumque ſumptis de Scriptura Diuinis vrgerentur teſtimoniis, ſe quidem vt inſtituti erant credere, de fide verò ſua diſputare nolle reſponderunt. Moniti vt pœnitiam agerent, & corpori Eccleſiæ vnirentur, omnem conſilij ſalubritatem ſpreuerunt.

Minas quoque vt vel metu reſipiſcernet, deriſerunt, verbo illo Dominico « *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Tunc Epiſcopi, ne virus hæreticum latius ſerperet, præcauentes, eoſdem « publicè pronunciatos hæreticos corporali diſciplinæ ſubdendos Catholico Prin- « cipi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum « inuri, & ſpectanti populo virgis coërcitos vrbe expelli, diſtrictè prohibens, ne « quis eos vel hoſpitio recipere, vel aliquo ſolatio confouere præſumeret. Dictâ « ſententiâ ad pœnam iuſtiſſimam ducebantur gaudentes non lentis paſſibus « præcedente magiſtro eorum & cantante. *Beati eritis cum vos oderint homines.* In tan- « tum deceptis à ſe mentibus ſeductorius abutebatur ſpiritus. Illa quidem mulier- « cula quam in Anglia ſeduxerant, metu ſupplicij diſcedens ab eis, errorem confeſ- « ſa reconciliationem meruit. Porro deteſtandum illud Collegium cauteriatis fron- « tibus iuſtæ ſeruituti ſubiacuit, eo qui primatum gerebat in eis ob inſigne Magi- « ſterij, inuſtionis geminæ, id eſt in fronte & circa mentum dedecus ſuſtinente. « Sciſſiſque cingulo tenus veſtibus publicè cæſi & flagris reſonantibus vrbe eiecti » algoris intolerantiâ (hiems quippe erat) nemine vel exiguum miſericordiæ im- « pendente miſerè interierunt. Huius ſeueritatis pius rigor non ſolùm parte illa quæ » iam irrepſerat, Angliæ Regnum purgauit, verum etiam ne vlterius irreperet, in- » cuſſo hæreticis terrore præcauit. »

Nec erit adhuc extra rem referre, quæ de hiſce Publicanis refert Radulphus Cogeshalenſis Monachus Anglus accidiſſe Remis tempore Guillelmi de Campania Archiepiſcopi, nempe circa an. 1180. leguntur autem prædicti Radulfi verba ex M. S. tranſcripta in Notis Ioan. Picardi ad locum præallatum Vvillielmi Neubrigenſis.

Temporibus Ludouici Regis Franciæ qui genuit Regem Philippum, cum error quorundam Hæreticorum, qui vulgo appellantur Publicani perplures Galliæ Prouincias pro- » *Alia Hiſtoria Poplicanorum.*
ſerperet, prodigioſum quiddam in vrbe Remenſium contigit, de quadam ſenili » muliere hac peſte infecta. Cum enim D. Guillelmus eiuſdem vrbis Archiepiſco- » pus & auunculus Regis Philippi cum Clericis ſuis ſpatiandi gratia obequitaret, » Quidam ex Clericis eius ſcilicet M. Geruaſius Tillebernienſis videns quandam » puellam in vinea ſolam deambulantem, lubricæ iuuentutis curioſitate ductus » diuertit ad eam, ſicut ab ore eius audiuimus poſtea, cum Canonicus eſſet. Quam » ſalutans & vnde, cuius eſſet filia & quidnam ibi ſola ageret, diligenter inquirens, » cum eius pulchritudinem diutius attendiſſet, hanc tandem de amore laſciuo cu- » rialiter affatur. Cui illa ſimplici geſtu & quadam verborum grauitate reſpondet, » *Res geſta Remis.*
vix iuuenem reſpicere volens: *Nunquam velit Deus* ô bone adoleſcens, vt tua amica
~~ſiue alicuius hominis exiſtam~~ ? quia ſi Virginitatem amiſiſſem & Corona ſemel »
corrupta eſſet, æternæ damnationi proculdubio abſque omni remedio ſubiace- »
rem. Quod audiens M. Geruaſius intellexit protinus hanc eſſe de illa impuriſſima »
ſecta Publicanorum, qui illo in tempore vbique exquirebantur & perimebantur, »
ſed maximè à Philippo Comite Flandrenſium, qui iuſta crudelitate eos immiſe- »
ricorditer puniebat. Nonnulli verò etiam in Angliã aduenerant, qui apud Oxe- »
nefordiam deprehenſi iubente Rege Henrico II. clauo candenti in frontibus de- »
formiter ſanè ſignati & effugati. Dum itaque prædictus Clericus cũ puella de tali »
reſponſo confutando altercaretur, ſuperuenit Archiepiſcopus cum ſuis qui con- »
trouerſiæ ſuborta cauſam agnoſcens iuſſit puellam comprehendi & ſecum in vr- »
bem adduci. Quam coram Clericis ſuis alloquens, & plures authoritates & ra- »
tionum argumenta pro confutando errore proponens, reſpondit illa ſe nequa- »
quam adhuc fuiſſe inſtructam, vt tantas obiectiones poſſet refellere, ſed habere »
ſe quandam Magiſtram in vrbe confeſſa eſt, quæ omnium obiectiones facillimè «
ſuis rationibus refelleret. Cuius nomen & habitationis locũ cum indicaſſet, con- «
feſtim à Miniſtris quæſita & inuenta coram Archiepiſcopo ſiſtitur. Quæ multis «

„ Quæſtionibus & authoritatibus Diuinarum ſcripturarum & ab ipſo Archiepiſ-
„ copo & à Clericis vndique pulſata quæ tantum errorem conuincerent, ita om-
„ nes authoritates prolatas quadam ſiniſtra interpretatione peruertebant, vt ſa-
„ tis patenter cunctis innotuerit ſpiritum totius erroris per os eius fuiſſe locu-
„ tum. Ad omnes ſiquidem authoritates & hiſtorias tam veteris quam noui te-
„ ſtamenti quæ ei obiiciebantur, tam facilè, tam memoriter reſpondebat, tanquam
„ omnium ſcripturarum notitiam eſſet adepta, & in huiuſcemodi reſponſionibus
„ ſemper exercitata, veris falſa commiſcens, & veram fidei noſtræ explanationem
„ quodam pernicioſo intellectu deludens. Cum autem vtrarumque mentes obſti-
„ natæ nec minis nec blandiciis aut vllis allegationibus vel ſcripturarum authorita-
„ tibus ab errore ſuarum propoſitionum reuocari poſſent, recluſæ ſunt in ergaſtulo
„ carceris vſque in craſtinum diem. Quæ coram Archiepiſcopo & omni Clero ac
„ in præſentia nobilium virorum in Aula Archiepiſcopali reuocatæ pluribus iterum
„ allegationibus de abrenunciando errore publicè conueniuntur. Quæ cum ſalu-
„ taribus monitis nulla ratione acquieuiſſent, ſed in errore iam ſemel concepto im-
„ mobiliter perſtitiſſent, communi Conſilio decretum eſt, vt flammis concremaren-
„ tur. Et iam igne in ciuitate accenſo cum ad pœnam adiudicatam à Miniſtris trahi
„ deberent, ait illa malefici erroris Magiſtra. *O Inſenſati & iudices iniuſti! putatis ne*
„ *quod me ignibus veſtris concremabitis! iudicium veſtrum non formido & ignem præpera-*
„ *tum non perhorreſco.* Et hæc dicens concitè glomum fili extraxit & extrà quandam
„ magnam feneſtram proiecit, capite fili in manibus retento, cunctiſque audienti-
„ bus voce ſonora dixit, *recipe.* Ad quod verbum mox è terris eleuata glomum agi-
„ li volatu cunctis aſpicientibus extra feneſtrã ſubſecuta eſt, malignorum ſpirituum
„ miniſterio vt credimus ſubuecta, qui quondam Simonem Magum in aëra ſuſtu-
„ lerunt. Quo autem illa malefica deuenerit, vel ad quem locum tranſportata fue-
„ rit, ab aſpicientibus omnino ſciri non potuit.

„ Puella vero nondum ad tantam ſectæ illius væſaniam prouecta cum remanſiſ-
„ ſet, & nec rationum perſuaſione, nec diuitiarum ſponſione ab incepta obſtinatio-
„ ne reuocari potuiſſet, igne conſumpta eſt non ſine admiratione multorum, cum
„ nulla ſuſpiria, nullos fletus, nullum planctum emitteret, ſed omne flagrantis in-
„ cendii tormentum conſtanter & alacriter perferret inſtar Martyrum Chriſti, ſed
„ diſpari cauſa, qui olim pro Chriſtianâ Religione à Paganis trucidabantur. Homi-
„ nes hi huiuſmodi impuriſſimæ ſectæ mori magis eligunt quàm ab errore conuer-
„ ti. Sed nihil ſimile habent Martyrum Chriſti conſtantia & iſtorum pertina-
„ cia. Quia mortis contemptum in illis pietas, in iſtis cordis duritia operan-
„ tur.

„ *Aſſerunt* iſti paruulos non baptizandos, donec ad intelligibilem perueniant æta-
„ tem, aſtruunt non orandum pro mortuis, nec ſanctorum ſuffragia expetenda.
„ Nuptias damnant, Virginitatem prædicant in operimentum ſuæ turpitudinis. Lac
„ & quidquid ex eo conficitur, abhorrent, & omnem cibum qui ex coitu procrea-
„ tur. Non credunt ignem purgatorium reſtare poſt mortem: ſed ſtatim animam
„ corpore ſolutam ad requiem tranſire vel ad damnationem. Nullas ſacras ſcriptu-
„ ras recipiunt, niſi Euangelia & Epiſtolas Canonicas. Ruſticani homines ſunt, &
„ ideo nec rationibus conuincuntur, nec authoritatibus corriguntur, nec per-
„ ſuaſionibus flectuntur, mori magis eligunt quam ab impiiſſima ſecta conuer-
„ ti.

„ Aiunt & alij qui de eorum ſecretis inueſtigauerunt, quod iſti non credunt Deum
„ res humanas curare, nec aliquam diſpoſitionem vel potentiam in terrenis crea-
„ turis exercere, ſed Apoſtatam Angelum quem & Luſabel nominant, vniuerſæ
„ corporali creaturæ præſidere & ad nutum eius cuncta terrena diſponi. Corpus à
„ Diabolo dicunt formari, animam vero à Deo creari, & corporibus infundi. Vnde
„ fit vt ſemper quædam pertinax pugna inter corpus & animam geratur. Di-
„ cunt etiam nonnulli quod in ſubterraneis ſuis quædam nefanda ſacrificia Lucife-
„ ro ſuo temporibus agant conſtitutis, & quaſdem ſacrilegas turpitudines operan-
tur.

Hæc de Hæreticis illis Radulphus. Petrus quoque ad Vallem Sernaiam Monachus teſtis eorundem oculatus ſcribens de Albigenſibus c. 1. eos diuidit in tres Claſſes, quarum ſecunda, vt iſti Publicani, reiiciebat ſacramenta, & nomina-

tim ea quæ ab hoc authore deſignantur: tertia Iuramentum deteſtabatur & abhorrebat. Sed de Albigenſibus ad annum 1178. & 1179.

Anno 1161 Alexander III. ſibi metuens à Friderico, nec tutius putans vllibi fore ſibi azylum quàm in Francia, dat ad Ludouicum Regem litteras Anagniæ 16. Kal. Feb. quibus ab eo auxilium fauoremque flagitat, vt pote cuius progenitores & maiores ſemper & ab omni æuo laboranti Eccleſiæ ſuccurrere conſueuerant. 1161.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. *Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Illuſtri Francorum Regi Sal. & Apoſt. Bened.* Quantum Illuſtres & Magnifici Proaui & Progenitores tui Reges Francorum ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ deuoti ſemper & obedientes extiterint, quanta ei commoda & deuotionis obſequia exhibuerint, Nos ex multis ac magnificis vtilitatibus quæ per eos ſanctæ Dei Eccleſiæ prouenerunt, manifeſtè cognouimus, vt fratres noſtri qui diutius ſunt in Rom. Eccleſia conuerſati idipſum plenius agnouerunt. *Tu verò Progenitorum tuorum laudabilis imitator exiſtens, vt ita paternarum virtutum ſicut & Regni hæredem te veraciter exhibeas, ad eorum exemplum ſingularem & vnicam matrem tuam ſacroſanctam Rom. Eccleſiam, ex quo Excellentia tua Regnum à Deo commiſſum eſt gubernandum, propenſius dilexiſti, in preſſuris & neceſſitatibus ſuis ei fideliter adſtitiſti: & nihil vnquam fuit quod à deuotione & ſubuerſione ipſius Regium potuerit animum reuocare. Illo ſiquidem Friderico qui pro ſui Officij debito aduocatus Eccleſiæ & defenſor deberet exiſtere, aduerſus eam crudeliter ſæuiente, Tu ſicut Princeps Chriſtianiſſimus eam diligis & honoras, & ipſam ſincero veneraris affectu.* Quæ vtique in omni tribulatione ſua tam apud prædeceſſores tuos, quàm apud Te ipſum & optatæ portum quietis obtinuit, & refugium ſemper opportunum inuenit. *Gallicana quoque Eccleſia inter omnes* alias Orbis Eccleſias, quæcunque aliæ prouenientibus ſcandalis in tribulatione mutaſſent, *nunquam à Catholicæ matris Eccleſiæ vnitate receſſit;* nunquam ab eius ſubiectione & reuerentiâ ſe ſubſtraxit, ſed tanquam deuotiſſima filia firma ſemper & ſtabilis in eius deuotione permanſit. Vnde ipſa Mater omnium & Magiſtra Romana Eccleſia Progenitores & Te ipſum inter cæteros Orbis Principes, Gallicanam quoque Eccleſiam ſpeciali & ſingulari prærogatiua dilexit; ad honorem, incrementum & exaltationem veſtram intendit, & in omnibus, in quibus ſecundum Deum potuit, veſtræ ſatisfaciens voluntati, perſonas veſtras propenſius honorauit. Nullum ſiquidem in toto orbe terrarum Principem eſſe credimus quem Anteceſſores noſtri & nos ipſi ampliori affectione diligere teneamur, & cui magis à nobis ſit, quàm tuæ Celſitudini deferendum. Firmiter namque in cordis armario retinemus, & tam ex publica fama quàm ex Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Regni tui & Dilectorum filiorum noſtrorum, Henrici, Vvillielmi & Odonis Cardinalium, quos pro neceſſitate Eccleſiæ, pro honore quoque & vtilitate Regni & tuâ ad partes illas deſtinauimus, tranſmiſſâ relatione cognouimus: qualiter ſicut tu ipſe hac vice nobis propriis litteris innuiſti, ad receptionem noſtram, quidquid alij facerent, Regium animum ab ipſo principio efficaciter induxiſti, vt alij ſint exemplo tuo ad illud idem vehementius prouocati & in noſtra deuotione ſuccenſi. Vnde & ab omnium Conditore, cuius gratia tuum propoſitum ita laudabiliter direxiſti, præmium indeficiens tua excellentia obtinebit, & Nos ipſi quantum Gratia Diuina permiſerit, Serenitati tuæ curabimus pro tantâ deuotione vtiliter reſpondere. Proinde ſicut de proſperitate tua & commiſſi tibi Regni internâ affectione gaudemus; ita & de aduerſitate, ſi quando quod Deus auertat, accideret, doleremus plurimum & vehementius grauaremur. Propoſitum ſiquidem & promptam admodum voluntatem habemus paci & quieti tuæ & Regni tuæ gubernationi commiſſi libenter intendere. Super his autem quæ nobis propriis litteris tua Excellentia indicauit, ſolicitè apud Nos deliberabimus & cum fratribus noſtris tractabimus, & quidquid ad honorem Dei & Romanæ Eccleſiæ & tuum viderimus pertinere, curabimus libenter efficere. De quibus vtique per dilectum filium noſtrum Fratrem Guidonem Maioris Monaſterij Monachum Serenitati tuę plenius authore Deo viuâ voce in proximo reſpondere curabimus. Ad hæc venerabilem Fratrem noſtrum Manaſſem Aurelianenſem Epiſcopum, pro quo Nos Regia Celſitudo ſatis affectuosè rogauit, licet Quidam ſiniſtra de eo noſtris auribus ſuſurrauerunt, etſi certum apud Nos eſſet, quod læſionem nobis aliquam intuliſſet, amore tamen

& interuentu tuo ſincerâ volumus affectione diligere, & eum ſicut chariſſimum fratrem noſtrum, quantum cum Deo poſſumus, intendimus honorare, & in ſuis poſtulationibus libentius exaudire. Datum Anagnia 16. Kal. Feb.

Cum autem id conſilii habere Alexandrum Imperator intellexiſſet, ſcripſit ad M. Hugonem de Campo-Florido Cancellarium Regni, rogans vt Regem ab eo ſuſcipiendo dimoueret.

» Frideticus... In veritate audiuimus, quod Rollandus quondam Cancellarius,
» quipropter fideles noſtros circa Romã non habet nec inuenit vbi caput ſuum re-
» clinet, periculis maris ſeipſum cum ſuis pſeudo ſequacibus commiſerit, vt terram
» Fancigenarum intret, eamque ſchiſmaticæ prauitatis errore, vt pote manifeſtus
» Dei & Eccleſiæ ac Imperii inimicus, commaculet & ſpoliet, vt etiam quomodo-
» cunque corradat viginti mille libras & amplius, vnde Creditoribus ſuis debita per-
» ſoluat, quia ſub alieno ære valde grauiter ipſe laborat. Rogantes itaque tuam di-
» lectionem intimo & pleno affectu monemus, quatinus prædictum ſchiſmaticum
» noſtrum & totius Imperii atrocem inimicum nullo modo recipias, nec recipi ab
» aliquo permittas, Regique Francorum bona fide conſulas, ne ipſum, vel aliquem
» ſuis de Pſeudo-Cardinalibus vel nunciis recipiat. Tantum enim ac tale odium in-
» ter noſtrum Imperium & ſuum Regnum exinde poſſet oriri, quod non de facili
» compeſcere poſſemus aut ſedare.

Hinc Ludouicus Regni ſaluti & incolumitati conſulens ita Alexandro aſylum præſtitit, vt tamen cum Imperatore de Conuentu celebrando ageret, in quo poſſent vtriuſque electi rationes pacificè audiri & examinari. Verum cum Imperator in Italiam contra Mediolanenſes properaret, dilatus eſt Conuentus ad an. ſequentem.

Interim verò Alexander conſcenſâ naui Montem-peſſulanum venit, ſtatimque de ſuo in Galliam & in eam vrbem aduentu certiorem facit Ludouicum datis apud Montem-peſſ litteris 11. Kal. Maij quamque honorificè exceptus fuiſſet à Comite S. Egidii & aliis illius prouinciæ Proceribus & Baronibus. Scripſit quoque ad Reginam, vt apud coniugem ſuum Ludouicum pro Eccleſiæ neceſſitate precatrix & auxiliatrix intercederet. Plurimum etiam eidem Pontifici contulit fama & exiſtimatio Arnulphi Lexouienſis ad conciliandos Procerum & Magnatum animos. Erat enim ille vir magnæ probitatis, & tam apud Reges quàm apud ordinem Eccleſiaſticum magnæ authoritatis.

Huic autem Pontifici primi omnium Ordinum Monachorum adhæſerunt Carthuſiani & Ciſtercienſes, vt in geſtis S. Anthelmi Epiſcopi Bellicenſis ſcribit au-
» thor huiuſce temporis apud Surium tom. 3. die 26. Iunii. *Ordo Carthuſianus* pri-
» mus ante omnes in Eccleſia occidentali, quemadmodum ſatis conſtat, Alexan-
» drum pro Catholico & vero Pontifice habitum, eique præſtandam obedientiam
» confirmauit. Ecquis autem eius rei author fuit? nimirum Anthelmus & cum eo
» Gaufredus ſapiens & egregia facundia vir, atque in Diuinis ſcripturis eruditiſſi-
» mus. Horum ſtudio, labore & opera effectum eſt, vt diu nutantes confirmati Prio-
» res cæteriqueCharthuſiani Inſtituti fratres Pontifici Alexandro obedientiam pro-
» mitterent. Atque ij ipſi permultos ordinis Eccleſiaſtaſtici Prælatos & ſubditos
» illorum in ſchiſma propendentes, aut nutabundos & dubios ab errore reuocarunt
» & in ſana ſententia confirmarunt, Alexandrum Catholicum probantes, Octauia-
» num reprobum reprobantes, reum condemnantes & ſchiſmaticum cum fautori-
» bus exſecrantes. Imperator igitur qui non niſi ſua voluntate & authoritate Pon-
» tificem creari volebat, cuius adminiſter erat non Dominus, iſtud de Anthelmo
» reſciuit veræque fidei cultorem & defenſorem non ſolum odio habuit, ſed etiam
» condemnauit, cum illius nec maledicere eſſet nec benedicere. Interim verò præ-
» euntibus Carthuſianis ac Ciſtercienſibus Alexander Pontifex à Gallis, Hiſpanis,
» Britannis breui receptus eſt.

Cum verò auditum eſt Romæ, Alexandrum à Rege Ludouico honorificè exceptum, ei gratias egerunt per litteras Conſules Romani Ioannes, Petrus & Gratianus cæteriqueque de gente Petri Leonis. *Non excidit è memoria noſtra*, inquiunt, quantum in puritate cordis & integritate dilectionis Anteceſſores noſtri circa exaltationem Prædeceſſorum veſtrorum & Regni veſtri profectum ac gloriam feruentiores ſemper extiterunt, & in præſtandis per omnia ſuis obſequiis parati

rati hactenus eſſe ſtuduerint. Cuius inextinguibilis amoris cõnexio in nobis tanto amplius viget ac vberius permanet, quanto glorioſius perſonam veſtram cognoſcimus vbique laudibus attolli, & nomen gloriæ veſtræ excellentius prædicari. Inde eſt itaque quod Excellentiæ veſtræ fiducialius ſcribimus gratiarum actiones quantum poſſumus ſuppliciter perſoluentes, quod in tempore opportunitatis Eccleſiam Dei conſeruaſtis & Vicarium B. Petri Patrem noſtrum, Paſtorem & Dominum Alexandrum debitâ reuerentia ſuſcipere ita conſtantiſſimè voluiſtis, vt fama nominis veſtri & gloria per hoc plurimum creuerit & per Vniuerſum orbem diffuſius laudabiliter diuulgetur.

Eodem anno idem Pontifex Henrici Regis Angliæ & Prælatorum Regni illius precibus adductus inſpecto libro miraculorum, quæ & viuus & mortuus operatus fuerat Eduardus I. Rex ipſum ſanctorum adſcripſit Catalogo iam elapſis ab eius obitu centum ferme annis. Ab hoc Principe habet Oxonienſis Academia quædam priu ilegia, vt vulgo ſcribunt Anthores Britannici. Porro Eduardi vitam conſcripſiſſe dicitur Laurentius Vveſtmonaſterienſis Abbas ex MonachoS. Albani. Idem Latinè proſecutus eſt dignitatem antiquam Eccleſiæ S. Albani religionemque loci, oſtendens inter cætera ideo locis religioſis indulta fuiſſe priuilegia, vt Monachorum paci conſuleretur.

Complures Angli Litterati,

Hiſce temporibus florebant apud Anglos complures viri Litteratiſſimi, quorum multi in Academia Pariſienſi docuerant. Inter cæteros vero, Gilbertus Folioth Epiſcopus Londinenſis, Robertus de Gorham Abbas S. Albani, Laurentius Vveſtmonaſterienſis vir omni litteraturæ genere conſpicuus, Simon Prior Eccleſiæ S. Albani & poſt Robertum Abbas natione Anglus, vir vt in eius vita legitur *litteratus & moralis, qui viros honeſtos & litteratos ad habitum Monaſticæ Religionis quacunque ratione potuit, adducere conatus eſt, libros optimos atque volumina authentica & gloſſata tam veteris quàm noui teſtamenti comparare.* Galfridus Ridel Cantuar. Archidiaconus, poſtea Elienſis Epiſcopus. Richardus Pictauienſis Archidiaconus, Rotrocus *de Beaumont*, paulo poſt Rothomagenſis Archiepiſcopus Gilberti Porretani olim Diſcipulus, Vualterus de Conſtantiis eius ſucceſſor. Ambroſius Monachus S. Albani Iuris legumque peritiſſimus Bononienſis Academiæ, deinde Pariſienſis alumnus, natione Italus, Magiſter Ambroſius vulgo dictus, qui quod eſſet ſcientia & moribus, præſertim vero Iuris Diſciplina conſpicuus, à ſuo Abbate Roberto miſſus eſt ad Alexandrum III. tunc adhuc in Italia morantem, vt Albanenſis Monaſterij cauſam contra Epiſcopum Lincolnienſem apud Pontificem ageret. Quæ quidem cauſa de priuilegiis & exemptione Albanenſis Eccleſiæ à iuriſdictione Epiſcopi diu ventilata & agitata eſt in curia Pontificia & Anglicana. Cui diſceptationi interfuerunt apud Henricum II. Anglorum Regem Thomas Cancellarius, Rogerus de Ponte Eboracenſis Archiepiſcopus, Richardus Archidiaconus Pictauienſis, poſtea Vvintonenſis Epiſcopus, Bartholomæus Oxonienſis, qui à Mathæo Pariſienſi dicitur vir Religioſus & in Theologicis Diſciplinis ad ſufficentiam eruditus, hoc anno conſecratus Epiſcopus à Gualtero Roffenſi. Scilicet **is fuit Monachorum huius ſeculi genius, is ſpiritus iugo** Epiſcopali colla ſubducere: idque tentatum à San-Albanenſibus, ab Auguſtinianis Cantuarienſibus in Anglia, à San-Germano-Pratenſibus, & Vizeliacenſibus in Gallia; & ab aliis alibi.

Anno 1162. Thomas Henrici Anglorum Regis Cancellarius volente & annitente Rege eligitur in Archiepiſcopum Cantuarienſem anno ætatis circiter quadrageſimo, & Sabbato Octauarum Pentecoſtes fit Preſbyter, poſtridie conſecratur Archiepiſcopus: in cuius rei memoriam inſtituit feſtum S. Trinitatis die Octauarum Pentecoſtes celebrandum, vt refert Geruaſius in Chronico. Statim vero poſt conſecrationem, vt habitum ſic mores animumque mutauit: quippe Cancellariæ renuncians, Regi qui tum in Normania morabatur, per nuncios ſigillum remiſit & reſignauit. Pœnituit Regem de Cancellario feciſſe Archiepiſcopum tam ſubitæ reſignationis cauſam in ſe retorquens. Et hæc prima origo fuit odii quod aduerſus Thomam concepit. 1162.

Eodem anno M. Achardus natione Angligena, Patria Northumbrenſis poſt longam in omni diſciplinarum genere profeſſionem Canonicus Regularis apud S. Victorem factus, deinde eiuſdem Domus Abbas, poſtremò ad Epiſcopatum

Abrincenſem Henrici Regis ope aſſumitur & conſecratur. Quæ promotio Ludouico diſplicuit, continuoque hominem migrare iuſſit, ac ne quid deinceps haberet in ea domo regiminis, his litteris vetuit.

Ludouicus D. G. Francorum Rex Priori & Vniuerſis fratribus S. Victoris ſalutem & dilectionem. Eccleſia iſta & beneficio prædeceſſorum noſtrorum & Eccleſiæ Pariſienſis fundata eſt. Vnde & ſpecialius eam diligimus. Vocatus eſt Abbas veſter ad aliam Eccleſiam. Non volumus quod res Eccleſiæ, cuius cura ad ad nos principaliter ſpectat, in aliquo minorentur ſed creſcant. Vnde & Regia authoritate vobis præcipimus, vt Abbas Achardus de cætero nullam alienandi vel accipiendi res Eccleſiæ iſtius habeat facultatem: neque eo præſente verbum aliquod de electione incipiatis. Valete.

Prior Domus tunc erat Nanterus, qui hoc anno 12. Iunii deceſſit; de cuius ſanctitate extat hoc diſthicon in Bibliotheca Victorina.

Nanternſque Prior vir dignus glorificari
A Clauſtro meruit in Cœlum virgo leuari.

Nantero ſucceſſit Richardus ille tam laudatus ab Hiſtoricis, Achardo vero Guntherus Guillelmi Campellenſis Diſcipulus: ſed electus menſe Februario obiit menſe Iulio: eique ſubſtitutus eſt Erniſius: quo Abbate & Richardo Priore Gualterus natione Anglus qui contra Petrum Lombardum ſcripſit, Supprioratum geſſit. Porro quis fuerit Achardus, legitur in M. S. eiuſdem Domus.

Huius olim domus Anglorum gloria cleri,
Iam pridem dignus cæleſti luce foueri,
Felix Achardus florens ætate ſenili
Præſul Abrincenſis ex hoc ſignatur Ouili.

Compoſuit Tractatum de Tentatione Chriſti in hæc verba Mathæi. *ductus eſt Ieſus in deſertum vt tentaretur à diabolo.* Item & alterum de Trinitate: ſermones aliquot & homilias. Sedit in Epiſcopali cathedra decem annos & obiit 30. Martii an. 1172 Nec mirum ſi vterque Princeps tantum virum ſibi habere æmularetur, quippe vterque virorum doctorum erat amantiſſimus, Mecenas liberaliſſimus, defenſor acerrimus. Henricum quidem proponit Bleſenſis veluti exemplar bonorum morum perfectiſſimum: ſic enim habet Ep. 66. *Nemo* eſt argutior in conſiliis, in eloquio torrentior, ſecurior in periculis, in proſperis timidior, conſtantior in aduerſis. Quem ſemel dilexit vix dediligit, quem vero ſemel exoſum habuit, vix in gratiam familiaritatis admittit. Semper in manibus eius ſunt enſes, venabula & ſagittæ, niſi ſit in conſiliis aut in libris. *Quoties enim poteſt à curis & ſollicitudinibus reſpirare, ſecreta ſe occupat lectione, aut in cuneo Clericorum aliquem nodum quæſtionis laborat euoluere. Nam cum Rex veſter* (nempe Guillelmus II. Siciliæ Rex) *bene litteras nouerit, Rex noſter longè litteratior eſt. Ego enim in litterali ſcientia facultatem vtriuſque cognoui. Scitis quod D. Rex Siciliæ per annum Diſcipulus meus fuit, & qui à vobis* (alloquitur M. Gualterium Archiepiſcopum Panormitanum) *verſificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat per induſtriam & ſolicitudinem meam beneficium ſcientiæ plenioris obtinuit.* Quàm citò autem egreſſus ſum Regnum ipſe libris abiectis ad otium ſe contulit Palatinum. Veruntamen apud Dominum Regem Anglorum quotidiana eius ſchola eſt, Litteratorum conuerſatio iugis & diſcuſſio Quæſtionum. Nullus Rege noſtro honeſtior eſt in loquendo, in comedendo vrbanior, moderatior in bibendo, nullus magnificentior in donis, nullus munificentior in eleemoſynis; ideoq; vnguentum effuſum eſt nomen eius, & eleemoſynas eius enarrat omnis Eccleſia Sanctorum. Rex noſter pacificus, victorioſus in bellis, glorioſus in pace. Super omnia deſiderabilia huius mundi zelatur & procurat pacem populi ſui. Ad pacem populi ſpectat immenſitas illa pecuniarum quam donat, quam recipit, quam congregat, quam diſpergit.

Apud eundem Bleſenſem extat Rotrodi ſeu Rothroci *de Beaumont* le Roger alias de Vvaruic Archiepiſcopi Rothomagenſis ad eundem Regem Epiſtola, qua eum admonet, vt cum ipſe litteratus ſit, filium ſuum Henricum curet diligenter

imbui bonis artibus & diſciplinis, earumque vtilitatem proſequitur his verbis. *Licet prudentia veſtra* ſibi ſufficiat & eruditionis alienæ ſuffragia non mendicet, quod tamen vobis ad utilitatem cedere credimus & honorem, diſſimulare non poſſumus nec debemus. Experimento ſiquidem didicimus quantum commoditatis acceſſerit terræ veſtræ in eo quod liberalibus diſciplinis veſtræ primitias adoloſcentiæ imbuiſtis. Cum enim aliis Regibus ſit rude & informe ingenium, veſtrum quod exercitatum eſt in litteris, in magnarum rerum adminiſtratione eſt prouidum, ſubtile in iudiciis, cautum in præceptis, in conſilio circunſpectum. Ideoque omnium Epiſcoporum veſtrorum vnanimiter in hoc vota concurrunt, vt Henricus filius veſter & hæres litteris applicetur: vt quem veſtrum expectamus hæredem, habeamus tam Regni quam prudentiæ ſucceſſorem: ſcitis quod totius prudentiæ compendium in litteris continetur. Si Reſpub. regenda eſt, ſi prælia committenda ſunt, ſi caſtra metanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renouandi aggeres, ſi propugnacula facienda; denique ſi quies libertatis, ſi luſtitiæ cultus, ſi reuerentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt firmandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum. Rex equidem ſine litteris nauis eſt ſine remige & voluctris ſine pennis. Recenſent Hiſtoriæ quantum Iulio Cæſari contulerit litteras didiciſſe. In litterali ſtudio tantus fuit, vt quatuor ſimul dictaret Epiſtolas. Quantus in iuris ciuilis peritia fuerit, leges Romanorum indicant: virtutem potentis ingenii quam iugiter in Philoſophia exercuit, prædicat ſubtilitas biſſextilis. Doctrina Ariſtotelis continuum ſub eo virtutis exercitium Magnum magnificauit & extulit Alexandrum.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Teſte Salomone melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſis, & omne deſiderabile non poteſt ei comparari.... Procedant etiam è Schola Euangelij Conſtantius, Theodoſius, Iuſtinianus & Leo atque alij Chriſtianiſſimi Principes, qui populum rexerunt in lege Domini, in fortitudine armorum & militia litterarum. *Non video qualiter Princeps perſeueret in Regno, aut iudicet populos in æquitate, niſi conſilio litteralis prudentiæ muniatur...* Date igitur operam, *Amantiſſime Princeps, vt filius veſter puericiæ curſum liberalibus diſciplinis impendat: quatenus ſic & malitiam dediſcat innatam beneficio litterarum, & laudabilium exemplis operum aſſueſcat.*

Ex his patet quanti tum fierent litteræ, quantaque dignitate florerent artes, adeo vt ipſi quoque Iudæi qui Lutetiæ habitabant, iis etiam toto ſtudio incumberent & omnium doctiſſimi proinde haberentur: vt teſtatur Rabbi Beniamin natione Hiſpanus, qui hoc aut ſequente anno Luretiam luſtrauit. Ait enim in Itinerario ſuo *Lutetiam eſſe totius Regni Caput, in eoque ſapientum eſſe Diſcipulos, omnium qui tum in omni regione viuebant, doctiſſimos diu noctuque legis ſtudio incumbentes.*

Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus iam ſæpe citatus Ep. ad Rad. De Diceto Londonienſem Archidiaconum ſatis indicat Anglos ſolitos huc commigrare ad hauriendas eximias artes. *Audiui te*, inquit, *causâ ſtudiorum Pariſius adueniſſe, audiui & Lætatus ſum, lætatus equidem, vt eius quem diligebam præſens me lætificaret aſpectus & iocunda conlocutionis alternæ collatio delectaret.*

Litteralis ignatum a Regem pro Scholaribus.

Quis dicat quàm multi ex omnibus mundi partibus confluerent hiſce temporibus ad Academiam Pariſienſem Diſcipuli? Sed quod imprimis memorabile eſt, Principes Exteri, Vrbium Senatores, Magnates & Proceres Rerum Publicarum ſæpe ad Ludouicum Regem ſcripſerunt mittentes aliquos è ſuis adoleſcentibus ad publicam eruditionem, vt eos in Academia ſua litteris operam dare pateretur, patrocinióque Regio tutaretur. Extant multæ huiuſmodi litteræ, quarum nonnullas hîc referre non pigebit; legunturque apud Sugerium.

Ludouico D. G. Francorum Regi ſemper Auguſto Vvido filius Manfredi & Manfredus filius Pizi ſui per omnia fideliſſimi, ſe ipſos & ſi quid ſunt, id totum quod ſunt. Ideo Regibus debitus & indebitus honor impenditur, debitum & indebitum obſequium exhibetur, quia etiam quod ſibi à ſubiectis & obnoxiatis iure offertur, cumulatiori ſolet retributione Regia celſitudo penſare. Si quando

„ gitur Parentes noſtri vel nos obſequium veſtræ ſeruituti condignum exhibui-
„ mus, id nouimus quaſi in theſauro veſtræ liberalitatis reconditum nullâ poſſe
„ obliuione deleri, potius id credimus quaſi vnicum noſtræ calamitatis ſolatium
„ Nobis & Noſtro ſanguini diligenter cuſtodiri. Patrimonia ſiquidem noſtra
„ quanta fluctuatione quantáve tyrannide nunc opprimantur, veſtram Regiam
„ celſitudinem nequaquam latere credimus. Etenim vſque adeo graſſantis tyran-
„ nidis inualuit perſecutio, vt nec etiam parentibus noſtris viris Eccleſiaſticis fi-
„ dem Romanæ Eccleſiæ & Beatiſſimi Papæ Alexandri obedientiam ſeruantibus
„ ſubuenire nec aliquid ſubminiſtrare audeamus. *Proinde Nepotem noſtrum Al. Cle-*
„ *ricum litteratum & omni honeſtate conſpicuum Pariſius quaſi ad Catholicæ fidei arcem fe-*
„ *ſtinantem veſtræ ſerenitati committimus & commendamus rogantes & obnixè ſupplican-*
„ *tes, quatenus Dei amore & noſtro, præſtiti etiam aliquando obſequij intuitu ei in ſuis*
„ *neceſſitatibus ita Regia liberalitate prouideatis, vt exinde & Deum remuneratorem ha-*
„ *beatis, & Nos noſtrique generis omnes vobis comparetis debitores.*

Sequitur alia Epiſtola Conſulum Romanorum ad eundem Regem eadem de cauſa: ſed quæ videtur ante hæc tempora ſcripta.

„ *Glorioſo & Magnifico D. Ludouico D. G. Francorum Regi Ioannes Petri-Leonis & P.*
„ *Ouic. ac Grat.* Omnipotentis gratia Romanorum Conſules ſalutem & ſolium Re-
„ gni per multos annos feliciter gubernare. Amorem quem veſtra Regia Domus ex
„ ipſa antiquitate cum noſtris Anteceſſoribus habuit, ad memoriam reducentes,
„ liberalitatem veſtram multis & veriſſimis relationibus cognoſcentes, plurimum
„ ſiquidem de magnitudine veſtrâ confidentes facit, & pro conſanguineis veſtris
„ vos rogare minimè dubitamus, optantes aliquid facere, quod in conſpectu ve-
„ ſtræ ſerenitatis gratum & dulce habeatur. Sanè nihil eſt vnquam, quod nos ma-
„ gis agere delectet, quàm veſtris voluntatibus obedire, & pro vobis tanquam
„ pro chariſſimo Domino modis quibus poſſumus, facere. *Hac igitur ſpe certi in Re-*
„ *gnum veſtrum quendam chariſmum filium noſtrum Ouic. nomine in litterarum ſtudio*
„ *Pariſius moraturum direximus. Pro quo magnitudinem veſtram attentè rogamus, quate-*
„ *nus noſtro amore & interuentu eum taliter commendatum ſi placet, habeatis, vt*
„ *vobis & veſtro Regno omni tempore tam nos quàm noſtri omnes Conſanguinei fideles eſſe*
„ *valeamus, & in negotiis veſtris, cum expedire videbimus, meritò ſtudere poſſimus.*

Item Iordanus Petri-Leonis Conſul Romanorum eidem commendat Ioannem Felicis ſcholarem Pariſienſem his verbis.

Domno Ludouico Illuſtriſſimo Francorum Regi Iordanus Petri-Leonis Conſul
„ Romanorum ſalutem & perpetuam amicitiam. Quia plurimum de veſtra probi-
„ tate confidimus, vos quantum poſſumus, rogamus pro quodam Diſcipulo dile-
„ ctiſſimo noſtro Conſanguineo, qui eſt Ordinatus Romanæ *Curiæ, nomine Ioannes*
„ *Felicis, qui Pariſius in ſcholis moratur*, vt amore noſtro & ſeruitio eum diligatis
„ & manuteneatis, vt vobis debitores magni ſeruitii ſemper ſimus.

Eiuſdem quoque Ciuitatis Senatus ampliſſimus ad eundem Regem pro prædicto Ioanne Felicis ſcribit hoc modo. *Senatores* Vrbis vrbium Illuſtri & Prudenti
„ viro Ludouico Francorum Regi amico eorum Chariſſimo ſalutem & dilectio-
„ nem. Super benignitate Regiæ veſtræ maieſtatis ac liberalitatis Nos Noſtrique
„ Ciues valde confidentes Nobiles Ciues noſtros Clericos cauſâ liberalium ſtudio-
„ rum in Terram veſtræ ditioni ſubditam ſummâ ſpe dirigimus: inter quos *quen-*
„ *dam Generoſum Ciuem noſtrum Ioannem Felicis apud Pariſium in litterali ſtudio commo-*
„ *rantem quem honeſtum Romanæ Eccleſiæ Clericum ſcimus, veſtræ Regiæ benignitati valde*
„ *commendamus*, precantes nimirum veſtram liberalitatem, vt ei pro noſtro & vrbis
„ amore in his quæ eum oportet, honorem & auxilium conferatis, quoniam à no-
„ bis ſuiſque conſanguineis optimis, quibus in vrbe plurimum pollet, veſtri fideles
„ in Romana patria dignam vicem & congrua ſi oportuerit, recipient præmia, vo-
„ biſque laudes & grates magnas referemus. Miſſa 4. die Ian. Indict. 12.

Similiter eidem Ludouico Lantgrauius duos nobiles ſcholaſticos commendat, rogatque vt eos velit ſuo patrocinio dignari, etiamſi inter ipſum & Imperatorem diſcordia intercederet. Sic ergo.

„ *Regi Franciæ Ludouico D. G.* Lantgrauius deuotum ſeruitium cum ſincera di-
lectione. Quod hactenus nullam veſtri notitiam habuimus, ſatis moleſtè ferimus: ſuper quod Maieſtati veſtræ deinceps ſeruitiis noſtris tam iocoſis quàm ſe-

riis notificari volumus, & veſtræ voluntati ſuper omnia reſpondere cupimus. Filios enim meos omnes litteras diſcere propoſui, vt qui maioris ingenij, nec non maioris inter eos notaretur diſcretionis, in ſtudio perſeueraret. *Ex his verò duos ad præſens Nobilitati veſtræ mittere propoſui, vt veſtro iuuamine, nec non veſtra defenſione Pariſius ſtabilius poſſent locari: ita tamen vt ſaluâ pace veſtrâ pro diſcordia quæ eſt inter vos & Imperatorem hoc ſecurè peragere poſſim.* Sicut enim abſque medio hamus & capit & capitur, tali modo ſcimus quod quidquid ſuper hoc nobis mandaueritis, illud omni dubio remoto aggredi audemus, quia non hoc immutabitis.

Extat quoque Epiſtola Odonis Cardinalis ad Abbatiſſam S. Mariæ Sueſſionenſis, quâ eam rogat, vt adeſſe velit nepoti Anaſtaſij Papæ: tunc autem erat Abbatiſſa Mathildis de Toloſa filia Raymundi Comitis Toloſani & Conſtantiæ ſocrus Ludouici: de qua mentio fit ad an. 1160. in Chartulario S. Medardi Sueſſionenſis.

Odo D. G. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis Dilectæ Sorori Abbatiſſæ S. Mariæ Sueſſionenſis proſpera & læta de perſona veſtra deſiderantes audire ſignificamus vobis nos ſanos & incolumes Domino faciente conſiſtere, & ad ſeruitium veſtrum & Eccleſiæ veſtræ promptos & paratos eſſe. Vnde pro veſtris & amicorum veſtrorum opportunitatibus ad nos ſecurè mittatis, quia quod vobis commodum & gratum eſſe nouerimus, nos libentiſſimè faciemus. *Præterea pro quodam Clerico Romano nomine Saſſon nepote felicis memoriæ D. Papæ Anaſtaſii, qui Pariſius in ſcholis moratur, Dilectionem veſtram rogamus attentius, quatinus ipſum amore noſtri commendatum habeatis,* vt tam ipſe quàm parentes ſui opportuno tempore ad veſtrum ſeruitium prompti exiſtant, & nos grates debeamus vobis plurimas exhibere. Si quod ſibi beneficium exhibueritis, ſciatis quia & de curia cuius clericus eſt, & de nobis & aliis amicis ſuis poterit vobis dignè recompenſatio exhiberi.

Eodem pertinet Ep. Alexij Eccleſiæ Rom. ſubdiaconi ad Iacobum eiuſdem Eccleſiæ Cardinalem Diaconum 4. Tom. Hiſt. Ducheſn. 555.

Sanè probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Quanta ſiquidem illius venerabilis notæque Religionis D. videlicet Abbatis S. Germani in vobis ſit exuberantia dilectionis, iam ex iſta rei exhibitione ſanctitati veſtræ, vt reor, plurima ex parte innotuit. Ipſe enim Boboni veſtro & ſocio & ſeruienti quanta & victu prouideat ſollicitudine, quàm honeſtè & abundanter, audiſtis veſtes lineas iam tribuit: alias quoque circa feſtiuitatem S. Remigii vna mecum emere & ei dare diſpoſuit. Et ſi qua reſtant alia, promptiſſimâ voluntate perficere promiſit. Verum quoniam non eſt noſtrum noſſe temporum qualitates, poteſt enim ita tempus mutari vt 20. ſolidi quos modò per menſem tribuit vel etiam 30. non ſufficiant, ne forte iam dictus Abbas veſter fidelis grauetur amicus D. Simonem S. Dionyſij, quatinus ei prouideat in hoſpitio paternitati veſtræ his ſignificare decreui. Illud namque quod modo habet vſque ad modicum eſt perditurus.

Item Gratianus Petri-Leonis Conſul Romanorum teſtatur ſequente Epiſtola quàm æquo & hilari animo agnouiſſet, quòd fratrem ſuum Hugonem Placentinum Epiſcopum San-Victorini Canonici in ſuo Collegio recepiſſent, illiſque gratias agit quantas habere poteſt maximas.

Venerabili Patri Domino R. S. Victoris venerando Præpoſito & vniuerſo eiuſdem Eccleſiæ Conuentui ſanctiſſimo Gratianus Petri Leonis Romanorum Conſul ſalutẽ & plenæ dilectionis ſeruitium. *Ex quo venerabilem fratrem meum & Dominum Hugonem Placentinum Epiſcopum in veſtro collegio ſuſcepiſtis, doctrinâ & ordinis veſtri honeſtate informaſtis, cor meum & caro mea* exultauerunt & concupierunt, vt obſequiis veſtris per omnia manciparer, in mandatis exercerer, vt illum quem in reuerentia veſtra concepi affectum, ipſa operis exhibitione comprobaretis. Inde eſt quod in conſpectu ſanctitatis veſtræ id quod ſum & quod poſſum deuotius offero, ſuppliciter implorans vt legem ponatis mihi in ſeruitiis veſtris & non in auaritia. Et ſi eſt in partibus iſtis vnde ſanctitati veſtræ obſequium præſtare valeam, voluntatis veſtræ mandatum ſuſcipiam, quatinus in obſequio ſinceritatem cordis mei ipſa experientia cognoſcatis. Ad hoc plurimum gratiam veſtram depoſco, vt veſtris me orationibus commendatum habeatis, quatinus precibus veſtris apud Deum adiutus præſentis vitæ ruinam euadam & peccatorum merear percipere veniam.

Item eidem Richardo S. Victoris Priori ſcribit Garinus Prior S. Albani in Anglia, illique fratrem ſuum Mathæum commendat, qui in Academia Pariſienſi litteris vacabat.

Venerabili amico ſuo & merito honorabili Richardo Priori de S. Victore ſuus Garinus Prior Eccleſiæ ſalutem & affectum debitæ dilectionis. Quia Fratris mei Mathæi *qui in partibus veſtris amore ſcientiæ peregrinatur, tam ſingulari gratia, tam peculiari liberalitatis prærogatiua prouentum curaſtis, gratias habeo Dilectioni veſtræ;* nec quid amoris & obſequii vobis animus meus promittat, multi facile valebunt apices explicare. Sed vtinam eueniat, vt quo vos amplector affectu, operis executio viuâ voce loquatur. Quomodo enim benignitatem quam ſibi à vobis collatam memoratus Mathæus prædicat, ab eminentia veſtra poſſem ſperare, à quo prorſus nihil merui. Cerno ſiquidem planè quàm amatorium illud Catonis tenaci memoriæ prudentia veſtra commendauerit, *ſi vis amari ama.* Reſtat igitur vt quod tam fertili principio inchoaſtis, talari ſuperueſtire velitis tunica. Mihi autem etſi recompenſandi deſit effectus, non deerit tamen affectus. Hocque modicum munus non pro munere ſed ad amoris indicium vobis tranſmitto, vicißim poſtulans vt ſcriptorum veſtrorum mihi reſcripto occaſione inuenta nomina innoteant. Ego autem curabo vt ſi exemplaria non deſint, ſcientiæ veſtræ theſauro Anglia noſtra reſplendeat.

Extat eiuſdem alia ad eundem Richardum pro Mathæo Fratre Epiſtola in Tomo 4. authorum Ducheſnianorum. *Habeo vobis gratias, quanta ſunt indicibiles, quod gratiæ veſtræ fratri meo Matheo tam copioſus fructus arriſit.* Meliorque ex illis impenſis quanta vobis debeam Latorem præſentium nepotem meum ſecuritate commendare. Precor igitur, vt benignitatis quæ in altero præceſſit, ſe ad vtrumque extendat, & geminata charitas me vobis multipliciter reddat obligatum, & vt cumulato aſſurgam gaudio, aliquid mihi voluntatis veſtræ dilectio veſtra remandet, quo mei experimentum capiatis amoris.

Item alia Epiſtola eundem fratrem commendat. *Quia petitiones meas iampridem curæ veſtræ delegatas diligenter proſequi ſtuduiſtis, præſentem cæteris annecto.* Precibus igitur meis vt mos veſter permittit, inflectamini & latorem præſentium fratrem meum Mathæum ſuſcipiat dilectio veſtra meo intuitu commendatum, & *in quo neceſſe habuerit, ei veſtrum adſtipuletur conſilium,* vt vobis habeam multipliciores gratiarum actiones. Munuſculum quod vobis ex parte mea porrigendum tranſmiſi, dignanter veſtra dilectio ſuſcipiat, & potius mittentis affectum, quàm miſſi attendite paruitatem. Valete.

Porro Mathæus iſte apud S. Victorem hoſpitabatur; vnde poſt confecta ſtudia egreſſus multiplices gratias Richardo de S. Victore & toti Conuentui frequentibus egit Epiſtolis. Ibi autem lectum & aliam ſepellectilem reliquit, imo & libros: vt ex his Epiſtolis conſtat.

Domino Richardo D. G. Priori Eccleſiæ S. Victoris ſuus Mathæus ad quam potius affectat hilariter aſcendere ſalutem. Inter ea quæ in Domo veſtra depoſui, ſunt duo linteamina, & duo mantilia, quorum vſu tunc erat mihi opus. Quare veſtra id benignitas efficiat, vt vtraque à ſe inuicem diſcernantur & alterum linteaminum quod celatura caret, cum altero quoque quod recentius eſt manutergiorum per hunc amicum noſtrum fratrem Vvalterum mihi tranſmittatur. Reliqua vero ſimul poſita in cuſtodia veſtra ſicut prius habeantur, donec ego ad vos veniam. Venerabili amico veſtro Priori S. Fuurtii & huic præſentium Latori fratri Vvaltero gratias habeatis, qui pro veneratione veſtra plura mihi parati ſunt exhibere, quàm velim ab eis gratis accipere. Vale perpetuò in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Vbicunque terrarum exiſtam, veſter ſum, cupiens veſtræ voluntati morem gerere liberalitatique deſeruire Quod res ipſa Deo annuente explicabit, ſi quando tempus futurum nobis obſequendi vobis locum conciliauerit.

Tunc Mathæus ſeceſſerat ad aliud Collegium Canonicorum Regularium apud S. Euurtium Aurelianenſem. Et inde ad eundem Richardum ſequentem ſcripſit Epiſtolam, quâ grati animi teſtimonia exhibet. *Succeſſus ſui* aperit indicia quiſquis horum innititur gratiæ, quorum promeruit amicitias. Quorum enim ſibi quiſque conciliauit affectus, ex meritis eorundem iure provt honeſtati tamen congruit, fungitur officiis. Ego itaque non hoc calle in amicitias veſtras deductus;

qua benignitas in vobis inſita mihi præmonſtrauit acceſſus, ad gratiam veſtram gratis intraui. Dum enim bonitatis veſtræ ſtatum recolo, mihi liquidò innoteſcit liberalitatem veſtram, prout decet ac expedit cunctis patere. Quare vt excellenti veſtræ conſuetudini morem ſuum geram, Charitatis veſtræ magnificentiam conuenio quatinus penes vos locum mihi quempiam placidi affectus piique deſiderij patere concedatis: ſuper amicitia D. Vualteri Prioris S. Euurtij multimodas grates vobis refero. Siquid vobis placuerit, per hunc nuncium meum amico veſtro Priori S. Albani mandare poteritis.

Et alia Ep. ad L. petit libros, quos apud S. Victorem reliquerat, curari, ne longo ſitu lituram ſuſcipiant. *Reliquum eſt*, inquit, *vt veſtra diligentia libros meos quos apud vos depoſui, quandoque reſpiciat ne longo ſitu lituram ſuſcipiant.*

Idem iſte Mathæus deinde Salernum profectus eſt, nec mediocriter eruditus rediit: & aliquanto poſt tempore S. Albani ſcholam rexit, poſtremo eiuſdem Abbatiæ Prior ſub Garino Fratre Abbate factus. Nec erit extra rem referre, quæ habet Mathæus Pariſienſis de Garino illo Abbate, Mathæo, & Garino nepote in vita Garini vigeſimi Abbatis San-Albani. Nam ad noſtram quoque Academiam iſta pertinent, cum in ea illi diu litteris operam dederint. Ait autem primùm Simoni Abbati Garinum tunc Priorem de Cantabrigienſi vrbe oriundum, ſtirpe mediocri ſucceſſiſſe tum propter alia, tum maximè ob excellentem litteraturæ peritiam. Tum ſubdit quæ ſequuntur.

Hic cum fratre ſuo ſimilibus dotibus etſi non tantum inſignito Magiſtro Mathæo in Phyſica apud Salernum eleganter atque efficaciter erudito in Clauſtro S. Albani habitum Religionis ſuſcepit: & infra breue tempus idem M. *Garinus propter vitæ excellentiam virtuoſæ & litteraturæ copioſam peritiam & perſonæ elegantiam in Priorem electus & creatus eſt.* Aſſumpto igitur, vt prædictum eſt de medio piæ memoriæ Abbate & vacante Abbatia tractatum eſt de alio ſubſtituendo: electus eſt igitur in Abbatẽ D. Garinus Prior. In cuius electionẽ totus Conuentus vnanimiter conſenſit præter Dom Guillelmum Martel ſacriſtam ad eam dignitatem ſecus quàm deceret aſpirantem. Aſſerebat enim quod idem Garinus, ſtrabo fere, penitus viſu priuabatur, natalia trahens ex vulgaribus ſolis Burgenſibus, emolumentis denariorũ qualitercunq; inhiantibus. Quos etiã probroſè in propatulo *ſalinarios* appellauit. Præconizabat etiam eum cum fratre ſuo Mathæo totum conuentum miſerabiliter conculcaturũ, ſi in Abbatẽ eligeretur, atq; diſperſurũ, nec auderet quiſquã mutire contra eos. Nec omnino ſuam ſententiam in poſterum hæc fefellit opinio, ſicut ſequens ſermo declarabit. Porro cum non potuit unius oblocutio Vniuerſitatis fixum propoſitum impedire, electus & creatus eſt idem Garinus in Abbatem: & in die Natiuitatis B. Virginis munus benedictionis ſuſcepit. Nec multo poſt in poteſtate plenaria ſolidatus fratrem ſuum præmemoratum Mathæum in Priorem ſublimauit. Habuerunt etiam ii duo ſcilicet Abbas & Prior quendam nepotem videlicet, *M. Garinum in decretis lectorem nominatiſſimum.* Erat autem auunculis ſuis in venerabili geſtu & vitæ honeſtate & litteratura conſimilis, vt verè nepos talium, imò potius frater dici mereretur & agnoſci. Ii tres quanquam ſeculares, **conuerſationis honeſtate** & vitæ puritate Monachi cenſeri promeruerunt.

Iſte M. Garinus & Frater eius Mathæus & eorum nepos M. Garinus & duo eorum Diſcipuli & ſocij *Fabianus & Robertus de Salerno vouerunt ſe fore apud S. Albanum habitum Religioſum* ſuſcepturos, admoniti viſione ſpeciali & ſpirituali. Omneſque ij votum impleuerunt præter M. Garinum nepotem Abbatis Garini: ille tamen quod habitu omiſit, vitâ honeſtâ compleuit. Obiit autem M. Mathæus ſecularis apud S. Albanum, videlicet iuxta Domum Sanctimonalium de Sopwelle.

Hic, de quo ſermo fit, Mathæus Scholam rexit in Burgo S. Albani, quà tunc temporis vix inueniretur in Anglia *Schola* melior vel fructuoſior, aut Scholaribus vtilior vel copioſior. Quod bene teſtabatur & ſenſit M. Alexander cognomento Nekam, qui eundem Garinum in Scholæ regimine præceſſerat pluribus annis. *Hic M. Garinus ad Leges & Decreta ſe tranſtulit: auunculis ſuis ſibi librorum copiam & alia ſubſidia aſſiduo affectu liberaliter miniſtrantibus.* Ij igitur tres quaſi triplex funiculus qui de facili non rumpitur, multos nobiles ac potentes tam ſeculares Lai-

» cos & Prælatos quàm cucullatos ſibi amantiſſimos reddiderunt.

Porro Garinus Abbas ſtatuit, vt quotannis die S. Katharinæ pauperibus centum fieret eleëmoſyna pro anima Galfridi Cenomanenſis, quondam eiuſdem loci Abbatis, quem diximus rexiſſe ſcholas S. Albani, & cum S. Katharinæ ludos ederet ſacraſque cappas in eam rem mutuatus igne conſumptas amiſiſſet, interiore Dei ſpiritu tactum Monachali ſe iugo ſubdidiſſe, multaque Monaſterio bona contuliſſe. In eius ergo viri Docti & Pij memoriam vir Doctus Garinus eiuſmodi ſportulam inſtituit: qua de re ſic legitur in eius vita. *Statutum eſt inſuper ab eodem Abbate Garino & à toto Conuentu, vt omni anno à ſecretario Eccleſiæ noſtræ in die S. Katharinæ pro anima Galfridi Abbatis pauperes 100. reficiantur pane & ceruiſia & vno ferculo.* Et exceptis iis centum, cæteris qui ſuperfuerint, panis ſummæ vnius » frumenti præparetur, vt vnuſquiſque ſaltem dimidium vnius panis acciperet, ne » penitus vacui recederent, & ſpe fraudati præconceptâ.

Denique obiit Garinus an. 1195. 3. Kal. Maij, eique ſucceſſit Ioannes 1. dictus M. Ioannes de Cella vir quoque doctiſſimus, & inter Academicos huius ſeculi excellentiſſimus: vt ad an. 1195. dicemus.

Ex iis autem manifeſtiſſimè liquet fuiſſe tunc temporis inter Abbatias S. Albani & S. Victoris Pariſ. nobile commercium litterarum: & in vtroque loco inſigne liberalium Artium exercitium. Tum enim apud S. Victorem Erniſius Abbas & Richardus Prior erant natione Angli: iique vltro peregrinantibus ſtudiorum cauſa Angligenis hoſpitia commodabant: & ſi quos libros edebant, ad San-Albanenſes tranſmittebant, viceque verſa. Extat Epiſtola Simonis Abbatis S. Albani ad Richardum Priorem quâ eum rogat, vt M. Hugonis de S. Victore opuſcula ſibi tranſmittat: talis autem eſt.

» Venerabili fratri & amico Richardo Priori de S. Victore Frater Simon humilis
» Miniſter Eccleſiæ S. Albani ſalutem & debitum ſinceræ dilectionis obſequium.
» *Opuſcula M. Hugonis quæ in partibus noſtris vndecumque quæſita reperire potuimus,*
» *ſummo ſtudio & exactiſſima diligentia ſicut tantæ veneration is ſcripta collegimus, & eis*
» *plurima in volumina nonnulla redeginus.* Quoniam autem ex memorati viri Tra-
» ctatibus aliquot apud vos contineri, quæ in partibus ciſmarinis aut omnino non
» ſunt, aut adhuc in Anglia noſtra rareſcunt, compertâ relatione didicimus, la-
» tori præſentium eorum quæ penes nos habentur, Notulas Compendioſas tradidi-
» mus. De veſtra nimirum charitate confiſi, quod in opera ſibi commiſſa in oculis
» veſtræ ſinceritatis noſtro debeat interuentu gratiæ plenitudinem obtinere. San-
» ctitatem igitur veſtram obnixè rogamus ac petimus, quatenus memorato præſen-
» tium Latori *Tractatus M. Hugonis* inſpiciendi copiam ob reuerentiam B. Albani
» & precis noſtræ intuitu benignè ſi placet indulgeatis, & vt eos quos apud nos non
» haberi compererit, commodius quomodocumque exſcribi faciat, precamur vt
» ei in præſenti negotio veſtri conſilij ſimul & auxilij gratia reſpectus fraternæ cha-
» ritatis aſpiret. Valete. Simon iſte, vt ante diximus, multos libros vndecumque magna diligentia comparauit.

Hocce tempore lis intercedebat inter Reſbacenſem Abbatem & Meldenſem Epiſcopum in Curia Rom. quia Abbas priuilegio ſe munitum iactans decrectabat Epiſcopo obedientiam præſtare: qua de re ad an. 1198.

Eodem anno celebratus tandem fuit frequens Conuentus Procerum Germanicorum & Gallorum ad Pontem Araris inter Diuionem & Dolam ad agitandam vtriuſque Papæ controuerſiam, & pacem Eccleſiæ ſi fieri poſſet, reddendam: quem quidem Conuentum iam diu per litteras mutuas & Legatos procurauerant Ludouicus Rex & Fridericus Imperator eâ lege vt Rex Alexandrũ ibi intereſſe cogeret cauſam ſuam rationeſque dicturum, Imperator vero Octauianum adduceret: tum vero cuius cauſa probaretur, illum pro vero Pontifice agnitum iri. Atque in eam rem Ludouicus ad Alexandrum ſtatim poſt eius in Galliam acceſſum legatos ſuos miſerat Theobaldum Abbatem San-Germano-Pratenſem, qui obiit Vezeliaci hoc anno, & Bartholomæum Capellanum: quos ille benignè quidem excepit apud Montempeſſulanum: ſed moras de induſtria trahens, poſtremò verba tantum dedit, ſeque per Legatum voluntatem ſuam Regi ſignificaturum promiſit.

Verum

Verum Rex tot morarum & tergiuerſationum impatiens tandem ad Imperatorem per Henricum Comitem Trecenſem reſcripſit ſe paratum eſſe ad locum Concilii conuenire cum Magnatibus & Regni ſui Prælatis. Totam huiuſce rei hiſtoriam placet Principum litteris & inſtrumentis confirmare. Igitur Imperator in hunc modum reſcripſit.

Fridericus D. G. Roman. Imper. præpotentiſſimus, à Deo coronatus, Magnus & Pacificus, Victor ac Triumphator, ſemper Auguſtus Dilecto Conſanguineo ſuo Ludouico eadem gratia Francorum Regi Glorioſo ſalutem & intimæ dilectionis ſinceritatem. Poſtquam Diuina Clementia per quam Reges regnant & Legum Conditores iuſta decernunt ad Rom. Imperij nos ſublimauit gloriam, & ex pacis abundantia quam mundus dare non poteſt, feliciter regnandi felicia nobis conceſſit tempora, deſiderio deſiderauimus faciem tuam videre & familiaritatis tuæ perfrui dulciſſima allocutione. Sed præpediẽtibus magnis ac multimodis valde dilatati Imperii noſtri negotiis, quod pia mente concepimus, effectui mancipare non potuimus. Quia verò per Legatos tuos & per Epiſtolã tuã hoc ipſum æquè te optare cognouimus & credimus, non modicè gaudemus ſperantes in eo qui dat ſalute m Regibus, quod ex noſtra ſalutifera conlocutione vniuerſo Orbi pacis & tranquillitatis non modicum & Eccleſiis Dei emergendi, reſpirandi, multiplicandi præbeatur incrementum. Sed quod voluntatis bonæ benignum deſiderium hinc inde nondum compleri potuit, nec tuæ tarditati, nec noſtræ videtur imputandum receſſioni. Nunc autem quia in procinctu Italicæ expeditionis iam ſumus & Principes Imperij noſtri ad eandem vnanimiter intendunt, quo in loco, quo tempore conuenire & colloqui poſſimus, incertum habemus. Niſi forte ſi completa expeditione vita comes fuerit, ſuper hoc cum Principibus noſtris diligentiſſimè ordinabimus.

Hæc Epiſtola videtur ab eo ſcripta initio ſchiſmatis, ante expeditionem Italicam. At poſtea dedit aliam Papiæ poſt eandem expeditionem & Mediolani deſtructionem his verbis. *Litteras & Legatum nobilitatis tuæ* quâ debuimus alacritate ſuſcepimus, benignè Imperiales aures accõmodantes his quæ à ſinceritate tua nobis nunciata ſunt. Placet igitur ſublimitati noſtræ vt inter nos tanquam Conſanguineos & inter cognata Regna noſtra deterſo totius rancoris nebulo ſinceræ dilectionis ſplendor refulgeat: & fœdus amicitiæ quod facit vtraque vnum, indiſſolubilem ſemper conſeruet amorem. Sane quæcunque neceſſaria ſunt ad conſeruandam inter nos mutuæ dilectionis integritatem, cum dilecto Conſanguineo noſtro Fidele tuo Henrico Comite Trecarum amicè & plenariè ordinauimus, & ſicut conditum eſt, inuiolabiliter obſeruare curabimus. Datum Papiæ poſt deſtructionem Mediolani II. Kal. Iunii.

Ex his patet Regem Ludouicum tam ardenter inſtitiſſe illi propoſito, quàm ipſe Imperator perfici ardenter cupiebat: tum vt pacem Eccleſiæ reſtitueret, tum vt onere magno Regnum Regnique Eccleſias leuaret, quæ ad Alexandri Curiæque Romanæ ſuſtentationem contribuere tenebantur. Imò videtur quoque ipſe aut illi certè qui eius nomine agebant quodammodo conſenſiſſe in Octauiani ſeu Victoris confirmationem, Alexandro relicto, quia tergiuerſari videbatur, licet eius cauſa omnibus bonis magis probaretur. Quæ res non parum commouit Proceres Eccleſiaſticos, præſertim vero Henricum Remenſem Archiepiſcopum Fratrem Regis: ad quem Imperator de hocce negotio ſcribendum eſſe putauit, vt Concilio quod indixerat, cum ſuis Suffraganeis intereſſet.

Fridericus... *Henrico Archiepiſcopo gratiam ſuam & omne bonum. Inter vniuerſas tumeſcentes tempeſtatum procellas*, quibus iamdiu nauicula B. Petri quaſſata & inter preſſuras diuerſas, quibus ſancta Dei Eccleſia frequenter afflicta & tribulata eſt: tandem verus ille mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui Eccleſiam ſuam velut vnicam ſponſam proprio charactere ſui pretioſi ſanguinis inſigniuit & redemit, conſolationis gratiam quam *aſcendens in cælum fidelibus ſuis repromiſit inquiens, Non relinquam vos orphanos. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, euidentibus & manifeſtis declarat indiciis. Ipſe enim ſicut ſtella matutina, in medio nebulæ oriens ſolitâ pietate Eccleſiã ſuam in tribulatione reſpexit & ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Pro illa ſiquidem controuerſia, quæ inter nos & Regẽ Francorũ pro ſchiſ-

» mate Rom. Eccleſiæ iamdiu agitabatur, aſpirante Spiritus S. gratia quæ facit ha-
» bitare unanimes in domo Domini, mediantibus hinc inde legatis tandem pari vo-
» luntate & vnanimi conſenſu inter nos conuenit. Quod nos videlicet cum Ar-
» chiepiſcopis, Epiſcopis & Patribus orthodoxis ac viris Religioſis, Baronibus &
» vniuerſis vtriuſq; Regni Principibus 4. kal. Septemb. in die videlicet decollatio-
» nis S. Ioannis Baptiſtæ ſuper fluuium Raonam in Epiſcopatu Biſuntino Concilium
» pariter generale celebraturi ſumus. In quo Rex Francorum dilectus Conſangui-
» neus noſter cum vniuerſis Archiepiſcopis ſuis, Epiſcopis & cum omnibus Regni
» ſui Principibus & tota Gallicana Eccleſia Reuerendum Patrem noſtrum D. Pa-
» pam ſicut per ſacramenta & firmiſſimas ſecuritates præordinatum eſt, in Apoſtoli-
» cum & Vniuerſalem ſanctæ Dei Eccleſiæ Pontificem recipiet & debitam reueren-
» tiam exhibebit. Verum quia hoc negotium tam arduum tamque ſalubre & tam
» neceſſarium, vbi de reconciliatione ſanctæ Eccleſiæ & ſalute totius Chriſtianita-
» tis in commune agitur, ſine tuæ diſcretionis cæterorumque Principum ac Chriſti
» fidelium conſummari præſentia nec debet nec poteſt, exoramus te & monemus in
» ea fide quam debes Imperio & ſanctæ Dei Eccleſiæ & animæ tuæ, quatenus om-
» ni occaſione ſubmota cum ſapientibus & magis idoneis & litteratis perſonis tuæ
» Diœceſis apud Bizuntium quarto die ante prædictum terminum familiariter
» more curiæ nobis occurras ad Concilium nobiſcum proceſſurus. Ibi enim per gra-
» tiam Dei totum negocium D. Papæ Victoris ad gloriam Dei & pacem & vnita-
» tem S. Eccleſiæ & omnimodum honorem Imperij honeſto fine terminabi-
» tur.

His acceptis litteris Henricus valde miratus agitari Concilium de deſerendo Alexandro ſcripſit ad Regem fratrem, quaſque acceperat ab Imperatore litteras, ſuis inſeruit.

» Reuerendo Domino & fratri ſuo Ludouico D. G. Francorum Regi Henricus
» Remorum dictus Archiepiſcopus ſalutem & fraternæ dilectionis affectum. Vehe-
» menter admiramur & vehementius perturbamur in his quæ ſignificata ſunt no-
» bis Comitem ſcilicet Henricum ſacramentâ firmiſſimaſque ſecuritates ex parte
» veſtra ſicut dicitur, Imperatori dediſſe, quod illum Octauianum generaliter cum
» Eccleſia Gallicana in Apoſtolicum debeatis recipere. A quo vero nobis hoc ſit ſi-
» gnificatum, nec habemus nec debemus vobis intimare. Litterarum autem ſuper
» hoc ad nos directarum continentia hæc eſt.

Inter Vniuerſas tumeſcentes tempeſtatum procellas *vſque ad* terminabitur. Deinde ſubiungit. *Sit igitur in hoc tantæ neceſſitatis articulo circunſpecta veſtra Diſcretio, ne per filios tenebrarum innocentia veſtra tam animæ, quàm corporis miſerabile patiatur naufragium.*

Plurimasquoque Octauianus ſeu Victor Germanorum Papa dedit ad Ludouicum litteras quaſi iam ſecurus ſuæ ſortis & fortunæ. Sed totam hanc Hiſtoriam nemo melius & clarius deſcribit quam Hugo Pictauinus in ſua Hiſtoria Vizeliacenſi, quippe teſtis eorum quæ geſta ſunt, maxima ex parte oculatus. Sic ergo ille.

„ His diebus occidentalis Eccleſia graui ſchiſmate laborabat. Henricus autem
„ Comes Trecenſis partibus fauebat Imperatoris. Porro Ludouicus Rex Galliæ in
„ occurſum Alexandri Papæ Catholici legatos ſuos Theobaldum Abbatem S. Ger-
„ mani de Pratis & Cadurcum Clericum ſuum: quorum Legationem cum minus
„ optato Alexander ſuſcepiſſet, reuerſi Vizeliacum venerant. Et cecidit in le-
„ ctum ægritudinis Theobaldus homo Abbas & mortuus eſt 9. kal. Aug. an. 1162.
„ ſepultuſque infra Ianuam Baſilicæ B. Magdelenæ cuius Monachus extiterat. Et
„ vt cognouit Ludouicus Rex repulſam Legatorum ſuorum, iratus pœnituit ſe
„ ſuſcepiſſe Alexandrum contempto Victore, & ſcripſit per Manaſſem Epiſcopum
„ Aurelianenſem ſuper hoc verbo Comiti Henrico Trecenſi, qui eo tempore ad
„ Germanicum Imperatorem properabat. At ille gratulabundus pro opportunita-
„ te reperta ſuggeſſit Imperatori vt finiret Colloquium cum Rege adunatis vtriuſ-
„ que Regni Optimatibus & Eccleſiaſticis, viris conteſtatus iureiurando, quod Rex
„ audita vtriuſque Apoſtolicæ electionis examinatione iuxta diſcretionem perſona-
„ rum vtriuſque Regni ſtaret conſilio ſuo videlicet Henrici comitis. Et indictum
„ eſt Colloquium apud Louigennam vicum citra Ararim fluuium in fine Regni

Franciæ. Et ſtatutum eſt vt Alexander Catholicus & Victor ſchiſmaticus colloquio adeſſent, & de ſua electione in conſpectu totius Eccleſiæ conferrent.

Quod vt cognouit Alexander, miſit ad Ludouicum Regem legatos ſcilicet Bernardum Portuenſem Epiſcopum & Hiacynthum Diaconum ſuum, qui Regis iram lenirent & familiare colloquium inirent. Conuenerunt ergo Alexander & Ludouicus apud Siluiniacum qui eſt vicus Monachorum Cluniacenſium. Rex autem Ludouicus rogabat Aldxandrum vt ad conſtitutum veniret colloquium, aut ſi præſentiam Imperatoris abhorreret, ſaltem ad partes illas accederet vſque ad Vergiacum caſtrum quod erat inexpugnabile. Cui cum Alexander nollet acquieſcere, Ego ait Rex, & te & vniuerſum comitatum tuum ſaluum ducam & reducam ſaluum ſicut Corpus meum. Et cum nec ſic acquieſceret Alexander veritus dolos Imperatoris, reſpondit Rex, *mirum eſt quod conſcius iniſtitiæ ſuæ ſubterfugit teſtimonium innocentiæ ſuæ, ſeu audientiam cauſæ ſuæ.* Et abiit Rex ad indictum cum Imperatore Colloquium. Nondum autem cognouerat conditiones quas ex parte ſua Comes Henricus fecerat cum Imperatore.

Cum ergo veniſſet Rex ad Caſtrum Diuionem, occurrit ei Comes Henricus, & tunc primum aperuit ei pactiones quas cum Imperatore fecerat dicens. *Maieſtatis tuæ Reuerentiæ & Regni tui conſulens vtilitati, Domine mi Rex inij colloquium ſuper Ararim fl. quo tu Domine mi Rex & Fridericus Imper. cum Pontificibus & Abbatibus atq; Optimatibus Regni vtriuſque conuenientes præſente tuo & Imperatoris Apoſtolico, vt ex vtraque parte eligerentur viri probatiſſimi tam Eccleſiaſtici quàm militares, qui vtriuſque Apoſtolici electionem diiudicabunt.* Et ſi Rolandi electio fuerit ſanior comprobata, Octauiani electio caſſabitur, & Imperator procidet ad pedem Rolandi. Si autem Victoris electio præualuerit, Rolandus annullabitur. Tu vero Domine Rex ad pedem Octauiani venies. Quod ſi victorem Octauianum deeſſe contigerit, Imperator ab eo deficiens Alexandro tuo obediet. Si autem è conuerſo Alexander defuerit, identidem decidet & Rex Victori faucbit. At verò ſi tua Maieſtas noluerit nec prædictis pactionibus acquieſcere, nec arbitrio iudicum aſſenſum præbere, Ego iureiurando iuraui quod ad partes illius tranſibo, & quidquid de fiſco Regis in feodum habeo, Imperatori tradens, ab illo deinceps tenebo.

Stupefactus Rex Ludouicus ad hæc reſpondit. *Miror vnde tibi fiducia, quod me inſcio meque inconſulto talia cum Imperatore condixiſti.* Reſpondit Henricus *Hanc fiduciam tu Rex per Manaſſem Aurelianorum Epiſcopum mihi dediſti.* Interrogatus ſuper hoc verbo Epiſcopus [redacted] Regis diſſimulare cœpit occultas machinationes, quibus Henricum ad hoc [redacted] Tunc Henricus protulit Epiſtolam Regis qua continebatur quod Nuntij Regis repulſi fuiſſent ab Alexandro ob quam rem indignatus Rex mandabat Henrico quatenus licenter procederet & colloquium vtriuſque audientiæ iniret, certus quod Rex per omnia conſilio illius ſtaret.

Fridericus autem Imperator ædificauerat ſibi Palatium miræ amplitudinis in loco qui dicitur *Dolah* in finibus Imperij ſui. Et cognouerunt Franci quod ſchiſmaticus Victor non eſſet cum Imperatore, & lætati ſunt ſuper illius abſentia. Quo agnito Teutonici ſiue Germani currentes adduxerunt eum cum feſtinatione maxima eodem die. Quem aſſumptum Imperator duxit eum ſupra Pontis medium ſtatimque quaſi pactionibus ſatisfeciſſet, receſſit. Rex autem Ludouicus quaſi venatum pergens tranſiit per nemus ad locum colloquij miſitque Ioſcium Turonenſem Archiepiſcopum & Mauricium Pariſienſem Epiſcopum, Willielmum quoque Vizeliaci Abbatem cum aliis optimatibus Regni ſui ad nuncios Imperatoris, qui ibidem conuenientes verbum Regis expectabant. Inter quos etiam erat Comes Henricus, qui propter affinitatẽ cognationis partibus omnino fauebat Victoris ſchiſmatici. Petierunt itaque Miſſi Regis ex ore eius competentes inducias, eo quod pactiones huius colloquii hactenus vſque perendie Regi fuiſſent incognitæ, præſertim cum Imperator compulerit Henricum Comitem iurare, ne prædictas actiones ante diem conſtituti colloquii vllo modo manifeſtaret Regi: indecens autem fore tam temere de tanto negotio definire. Cumque Imperatoris Friderici Prolocutores petitas inducias negarent, reuerſus eſt Rex Diuionem. Cardinales verò quos illuc Alexander Papa miſerat, ſperantes ſolutum eſſe colloquium

Vizeliacum redierunt. Rex autem conſtituit qui cuſtodirent fines Regni ſui. Et ſequenti ſummo mane venit Comes Henricus ad Regem in palatium Ducis Burgundiæ allegans Regem nequaquam à pactionibus eſſe liberum, ideoque neceſſario diſceſſurum abeo & ſe traditurum in manus Imperatoris, ita vt totam terram quam de feodo Regis hactenus tenuerat, amodo Imperatori traditam ab eo reciperet & hominium illi faceret. Attamen ob gratiam Regis obtinuiſſe ſe dixit ab Imperatore tres hebdomadarum inducias ea conditione quod Rex datis obſidibus polliceretur Imperatori ad diem ſe venturum & Alexandrum adducturum atque ibidem cauſam vtriuſque auditurum & iudicio proborum virorum Imperij & Regni pariturum, aut certè ſeipſum tradere vinctum Imperatori apud Chryſopolim quæ eſt vrbs nobilis Bizantinorum. Et acquieuit Rex & defecit ſpiritus eius & tædiatus eſt animo, pactuſque eſt ita ſe facturum datis obſidibus duce Burgundiæ, Comite Flandriæ & Willielmo Niuernenſi Comite.

Omnis autem Eccleſiaſticus ordo audito hoc verbo quod fecerat Rex, doluit valde & corde clamauerunt ad Dominum vt miſereretur Eccleſiæ ſuæ ſanctæ & liberaret Regem à fraude circuuenientium ſe. Abiit ergo Rex ad prædictum locum Louigennæ vbi debebat occurrere Imperator. Sed fefellit Imperator Henricum, miſitque præcipuum fautorem ſchiſmatis Rainaldum Cancellarium ſuum Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Cumque coram eo replicarentur pactiones quas Comes Henricus ex ore Imperatoris poſuerat Regi ſubito Diuina virtus adſtitit Eccleſiæ ſuæ & piæ ſimplicitati Regiæ Maieſtatis. Reſpondit enim Rainaldus profani erroris fautor nequaquam Imperatorem talia dixiſſe, ſcilicet quod cuiquam permitteret conſortium iudicandi Rom. Eccleſiam, quæ propriè ſui iuris exiſtebat. Tunc repletus gaudio Rex quæſiuit ab Henrico Comite vtrum ſe haberent pactiones ſecundum formam ab eo propoſitam. Et ille, *habent.* Et Rex *Ecce, ait, quod Imperator qui iuxta verbum ſuum adeſſe debuit, abeſt. Ecce etiam quod miſi illius formam pacti te præſente, tè teſte commutant.* Verum eſt, inquit Comes Henricus. Et ait Rex *Nonne ego abſolutus ſum ab omni pacto?* Abſolutus, ait Henricus. Et dixit Rex Ludouicus cunctis Optimatibus ſuis & Epiſcopis atque Abbatibus, qui præſentes aderant. *Audiſtis & vidiſtis qualiter ego ipſe gratis perfecerim omnia quæ ad me pertinent. Ediſcite vtrum liber ab his pactionibus videar.* Dicunt omnes, *liberaſti verbum tuum*: ſtatimque Rex velociſſimum equum cui inſidebat, reducens protinus ire perrexit. Teutonici autem valde confuſi inſecuti ſunt eum rogantes vt rediret ad Imperatorem paratum proſequi omnia quæ Henricus Comes propoſuerat. Et ille paruipendens quæ dicebantur, decipulam quam euaſerat exhorruit dicens, *feci quod meum fuit.* Sic ſolato conuentu Rex rediit in Regnum ſuum.

Alexander autem veritus ne Rex ſibi ſubiratus foret ob non aditum vadimonium, donec per amicos eius animum ſibi conciliaret, tranſiit Biturigas, & in Dolenſi Cœnobio apud Caſtrum Radulphi hiemauit. Hieme tranſactâ Lutetiam venit tempore Quadrageſimæ, Regique Roſam auream obtulit die Dominicâ quâ cantatur *Lætare Hieruſalem*: cuius muneris pretium & antiquitatem hac Bulla commendauit.

Manus Floris aurei.

Alexander... Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Francorum Regi, Salut. & Apoſt. bened. Romanorum Pontificum inſtitutione noſcitur proceſſiſſe, quod media Quadrageſima ea Dominicâ quâ cantatur *Lætare Ieruſalem*, conſueuerunt ipſi florem aureum non gratia temporalis elationis propriis manibus annuâ ſemper reuolutione geſtare, ea vtique in facto huiuſmodi deſignantes quæ tam ad decorem Eccleſiæ quàm ad fidelem noſcitur inſtructionem ſpectare. Vnde & cum nos eorundem Anteceſſorum noſtrorum veſtigia ſubſequentes ſimilem Florem eo die quo conſtitutum eſt, nuper in manibus geſtaremus, non inueniremus cui tam dignè ſicut excellentiæ tuæ Florem huiuſmodi deberemus offerre, quem & deuotione circa Eccleſiam Dei & Nos, ipſos & Dignitatis honore cognoſcimus præeminere. Quia verò Floris huius ſignificantiam tuam Celſitudinem credimus tantò libentius noſtrâ velle expoſitione cognoſcere, quantò te conſtat corde & opere Diuinis obſequiis & piis actibus feruentius inhærere, prudentia Regiæ Serenitatis agnoſcat, quod Flos iſte Chriſtum Regem exprimit ac deſignat, qui de ſeipſo loquitur dicens. *Ego Flos campi & lilium conuallium.*

Aurum namque Regem non immeritò dicitur denotare, cum ad hoc designandum à Magis figuraliter oblatum fuerit Saluatori, vt per hoc Rex Regum & Dominus Dominantium monstraretur. Rubor autem quo aurum coloratum est & suffusum Passionem significat *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Et item. *Quare rubrum est indumentum tuum & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Odor autem huius floris Resurrectionis eius gloriam præfigurat, vt sicut ipse Primogenitus mortuorum ex multis Fratribus & resurgens à mortuis iam non possit mortis vinculis detineri, quâ & mortem nostram moriendo destruxit & vitam resurgendo immortalitatis gloriam reparauit. Sanè huiusmodi an fractus & climata omnium scelerum fœditate concreta tantus Odor Dominicæ Resurrectionis aspersit, vt nulla pars orbis alienam se ab odore isto sentiat vel expertem, sed omnes se gaudeant odore hoc suauissimo spirituales nequitias in cœlestibus iam vicisse. Porro si ad ipsius Christo Resurrectionem figuraliter denotandam sanctæ illæ mulieres ad sepulchrum aromata detulerunt, suauitate redolentium vnguentorum gloriam præsignantes, quæ vtique terrorem inferis, cœlis gaudium, terris intulit sanctitatem. Hæc sunt Fili in Christo Charissime, quæ in Flore isto noueris figurari, vt tanto acceptior apud te & gratior habeatur, quantò eum trifaria expositione significaris affectuosius diligere & sincerius colere didicisti. Petimus autem & totis affectibus exoptamus, vt ille Flos aureus, qui omnes Reges & Principes antecedit, imò per quem Reges regnant & prudentes describunt Iustitiam, terrenum tibi Regnum diuturno tempore sua ineffabili pietate conseruet, & æternum in illa felici retributione Iustorum misericorditer largiatur.

Idem Pontifex incredibili omnium Academicorum lætitiâ exceptus est: vtpote quos impensè diligebat, quosque priuilegiis & beneficiis cumulabat, vt multorum infra patebit exemplis. Verumtamen cum ipsi apud eum conquesti fuissent de iniuriis quæ sibi à Monachis San-Germano-Pratensibus aut eorum seruis inferebantur in Prato, quo ad ludendum & deambulandum solebant se conferre diebus festiuis, eos ad proximum Turonense Concilium remisit.

Dum verò Parisiis moraretur, rogatus est à Monachis San-Germano-Pratensibus vt aiunt, Ecclesiam suam de nouo instauratam consecrare: Cui consecrationi, quæ post festa Paschalia peracta est, die 21. April. an. 1163. interfuisse dicuntur innumeri Episcopi, Abbates & alii Prælati cum plurimis Cardinalibus. Cum autem tot omnium Ordinum homines capere non posset Ecclesia, ipse Pontifex in *Prato Clericorum* sermonem seu sacram Concionem habuit ad populum; si creditur Chartæ Hugonis Abbatis, quæ huiusce consecrationis ceremonias continet. Estque eiusmodi.

Anno ab Incarnatione Domini 1163. Alexander Papa III. *Parisiensem Ciuitatem ingressus per aliquod tempus ibidem moras fecit. Dumque in eadem vrbe moraretur, Ego Hugo* III. *Dei Gratia Abbas S. Germani Parisiensis accedens ad eius præsentiam humiliter exoraui eum, quatenus Ecclesiam B. Germani nouo schemate reparatam, quia nondum consecrata erat, dignitate consecrationis insignire dignaretur.* At iam Reuerendissimus Papa Alexander precibus nostris gratanter annuens 11. Kal. Maii ad prædictam Ecclesiam venit magna Pontificum & Cardinalium frequentia comitatus. Quorum fuit vnus Mauricius Parisiensis Episcopus. Quem Monachi eiusdem Ecclesiæ videntes & ob eius præsentiam nimium perturbati, dixerunt se nullatenus passuros quòd consecratio Ecclesiæ fieret, dum prædictus Mauricius Episcopus præsens adesset. Vnde D. Papa audita & cognita Monachorum perturbatione conuocauit ad se D. Iacinthum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmidin & D. Othonem Diaconum Cardinalem S. Nicolai de Carcere Tulliano, D. quoque Vvillielmum Presbyterum Cardinalem S. Petri ad Vincula. Quibus accersitis præcepit vt supradictum Mauricium Episcopum conuenientes Monachorum commotionem diligenter notificarent, & ex ipsius mandato eidem præciperent, quod ab Ecclesia discederet. Alioquin Monachi consecrationem fieri cõmodiùs refutarent. At ille audito D. Papæ mandato cum omni ornatu & vestimentis quæ secum detulerat, ab Ecclesia recessit. Post cuius abscessum D. Hubaudus Hostiensis, Bernardus Portuensis, Galterius Albanensis, Ioan. Siguinensis, Gelaudus Caturcensis, Almaricus Siluanectensis Episcopi, & de Hispania Ioannes

» Toletanus Archiepiſcopus & Hiſpaniarum Primas, Fellandus Acturicenſis, Ioan.
» Legionenſis, Stephanus Zamorenſis, Ioan. Lucenſis, Aſſuerus Caurienſis, Pe-
» trus Migdonenſis Epiſcopi præcipiente D. Papa Eccleſiam deforis in circuitu ter
» & deintus ſimiliter circumluſtrantes & aqua benedicta ſicut mos eſt, aſpergentes,
» eam honorificentiſſimè prout decebat, dedicauerunt. Deinde D. Papa Alexan-
» der maius altare in honore S. Crucis & SS. Martyrum Stephani atque Vincen-
» tij ſolemniter conſecrauit. Et in medio Crucem de oleo ſancto impoſuit circum-
» ſtantibus ad 4. cornua eiuſdem altaris quatuor de ſupradictis Pontificibus. Quo-
» rum vnuſquiſque Crucem de oleo ſancto in loco ſuo ſimiliter impoſuerant. D.
» autem Papa Reliquias intra altare poſuit, & accepto inſtrumento quod vulgò
» *Truella* dicitur, eaſdem cæmento intrafigillauit. Quo peracto D. Hubaudus
» Hoſtienſis Epiſcopus & tres Epiſcopi pariter altare matutinale in honore ſanctiſſi-
» mi Confeſſoris Germani conſecrauerunt. Interim D. Papa Alexander *ad Pratum*
» quod eſt iuxta Monaſterii muros cum ſolenni proceſſione procedens ad populum
» ſermonem fecit & coram omnibus adſtantibus publicè proteſtatus eſt, quod Ec-
» cleſia S. Germani de Pratis de proprio iure B. Petri exiſtens nulli Archiepiſcopo
» vel Epiſcopo niſi ſummo Pontifici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiacet.

Sequuntur deinde nomina Cardinalium & aliorum Prælatorum qui eidem Dedicationi interfuerunt. Tum ſubdit Hugo. *Ego Hugo Abbas S. Germani de Pratis tertius teſtificor hanc conſecrationem meo inſtinctu ſic peractam fuiſſe. Et ideo ad certitudinem præſentium & futurorum eandem ſcripto commendaui, & ſigillo meo corroboraui.*

Aiunt vero Monachi Mauricium Epiſcopum indignatum ſe repulſam paſſum fuiſſe, ad Concilium Turonenſe quod eodem anno & proximè celebratum eſt, querelas ſuas detuliſſe atque iuriſdictionem in prædictam Abbatiam ſibi vendicaſſe: id vero negatum ab Hugone Abbate. Poſtremò Monachos impetraſſe Priuilegium exemptionis quod ſequitur.

» Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Hugoni Abbati S.
» Germani Pariſ. Sal. & Apoſt: Bened. Dum venerabilis frater noſter Mauricius Pa-
» riſienſis Epiſcopus & tu pariter in Turonenſi Concilio in noſtra præſentia eſſetis
» conſtituti, prædictus Epiſcopus in Concilio ipſo conſurgens ius quoddam in Ec-
» cleſia tua ad ſe propoſuit rationabiliter pertinere. Nos autem attendentes quomo-
» do eadem Eccleſia ſub iure & proprietate B. Petri ab antiquis retro temporibus
» quietè pacificé que perſtiterit, noluimus vllatenus eiuſdem Epiſcopi proclama-
» tionem admittere, niſi oſtenderet aliquem eã de noſtris prædeceſſoribus admiſiſ-
» ſe. Quod quia non fecit, nec eum id facere poſſe penſamus, per præſentia ſcripta
» decernimus vt illa ipſius Epiſcopi proclamatio nullam interruptionem nullumque
» poſſit iuri & libertati eiuſdem Eccleſiæ præiudicium in poſterum generare. Da-
» tum Turonis Kal. Iunij.

» Tunc Eccleſiæ San-Germano-Pratenſis Abbas erat Hugo de Moncellis olim Monachus Cœnobij Vizeliacenſis, ſucceſſitque Theobaldo an. 1162.

Eiuſdem conſecrationis meminit author Hiſtoriæ Vizeliacenſis ſic ſcribens: ***Alexander Catholicus Papa veritus indignationem Regis Ludouici tranſiit in Aquitaniæ metropolim Vrbem Bituricorum & in Dolenſe Monaſterium, quod eſt apud Caſtrum Radulphi ibique hiemauit, & ſequenti tempore Quadrageſimæ acceſſit ad Ludouicum Regem in vrbe Pariſiorum. A quo ſuſceptus honorificè ſecundum morem Rom. Eccleſiæ portauit ipſe Roſam auream Dominicâ quâ cantatur** Lætare Ieruſalem: ***peractiſque Paſchalibus ſolemniis conſecrauit Baſilicam Monaſterij B. Germani de Pratis, cui præerat Hugo de Moncellis Monachus Eccleſiæ Vizeliacenſis.***

De exemptionibus Monachorum,

Hæc ſi vera eſt Hiſtoria, quam è tenebris in lucem emiſit Dacherius an. 1659. in 3. tom. Spicilegij, proculdubio fidem facit fuiſſe Eccleſiam San-Germano-Pratenſem ab Alexandro conſecratam: an verò res ita ſe habuerit vt in Charta Hugonis continetur, longè grauior eſt difficultas. Certum eſt hoc ſeculo Monachos pene omnes vbique excutere voluiſſe iugũ Procurationis ſeu Iuriſdictionis Epiſcopalis, profeſſionemque, vt vocabant more ſolito facere detrectaſſe, priuilegia exemptionum prætexentes ſe habere. De Cluniacenſibus diximus ſupra. Reſbacenſes hocce tempore ab Epiſcopo Meldenſi deſciſcere conati ſunt. In Anglia Auguſtiniani Cantuarienſes, quorum Abbas erat Silueſter Theobaldo Archiepiſ-

copo profeſſionem facere iuſſi ſunt authoritate Adriani, cuius extat hæc Bulla apud Gerualium Dorobernenſem.

" Adrianus ep. Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Silueſtro Abbati S. Auguſtini Sal. & Apoſt bened. Iniuncti nobis à Deo ſummi Pontificatus officium & ſuſceptæ regimen dignitatis nos admonet modis omnibus & inuitat, vt vnicuique præſertim fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis aliiſque Eccleſiarum Prælatis ſua iura integra debeamus & illibata ſeruare, vt ipſi tanto magis de Grege ſibi comiſſo poſſint eſſe ſolliciti, quanto amplius noſtræ defenſionis auxilio ſe perſpexerint communiri. Vt igitur venerabilis frater noſter Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus ſe miniſtrationem ſuæ iuſtitiæ ſuſtinere quantum in nobis eſt, nullatenus conqueratur, per Apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus iuxta mandatum prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ Anaſtaſii Papæ, memorato fratri noſtro, cum ab eo fueris requiſitus, profeſſionem facere non recuſes: ita quidem ſi conſtet prædeceſſores tuos eandem profeſſionem ipſius anteceſſoribus præſtitiſſe. Datum Beneu. id. Ian.

Item ad eundem. Adrianus Ep. Seruus Seru. Dei. Quanto amplius Venerabilis frater noſter Cantuarienſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ ſedis Legatus ab ipſo promotionis ſuæ tempore ſacro ſanctæ Rom. Eccleſiæ fidelis ſemper ac deuotus noſcitur extitiſſe, tanto propenſius eum & commiſſam ſibi Eccleſiam diligere nos oportet, & iura ſua eidem illibata debemus & integra conſeruare. Indè eſt quod dilectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ſicut aliquem Anteceſſorum tuorum conſtat alicui Prædeceſſori eiuſdem fratris noſtri Archiepiſcopi obedientiam aliquo tempore exhibuiſſe, ita eam omni appellatione & occaſione remota infra 30. dies poſt ſuſceptionem præſentium litterarum ipſi non differas exhibere.

His auditis dixit Silueſter non conſtare, an aliquis prædeceſſorum ſuorum eiuſmodi profeſſionem feciſſet. Probauit Archiepiſcopus certiſſimis iuratorum teſtium, virorum religioſorum, fidelium & ſenum teſtimoniis, affirmantium ſe præſentes adfuiſſe profeſſioni quam Hugo Silueſtri prædeceſſor Vvillielmo feciſſet ipſius Theobaldi prædeceſſori. Itaque ille parere coactus eſt: & in hanc rem conditum eſt publicum inſtrmentum 7. Epiſcoporum ſigillis conſignatum, quod eſt eiuſmodi.

Vniuerſis S. Eccleſiæ filiis & fidelibus Richardus Londonienſis, Rothrodus Ebroicenſis, Robertus Bathonienſis, Willielmus Norwicenſis, Hilarius Ciceſtrenſis, Gilebertus Herefordenſis, Robertus Lincolnienſis Epiſcopi ſalutem. Rerum geſtarum memoria prouidè litteris committitur, ne tractatu temporis ea quæ ſemel terminata ſunt, iteratis refragationibus perturbentur. Inde eſt quod Vniuerſitati veſtræ præſentis ſcripti atteſtatione notum facimus, quod controuerſia temporibus noſtris orta, quæ inter venerabilem Patrem noſtrum Theobaldum Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum & Silueſtrum Abbatem Monaſterii S. Auguſtini Cantuariæ ſuper facienda ſibi profeſſione ab eodem Abbate verſabatur, iuxta mandatum D. Papæ Adriani ſuper præſentia noſtra hoc modo terminata eſt. Dederat enim ipſi Abbati prænominatus Papa in mandatis præcipiendo quatinus infra 30. dies poſt ſuſceptionem litterarum ſuarum omni appellatione & occaſione remota eam eidem Archiepiſcopo faceret profeſſionem, ſicut aliquem Abbatum illius Monaſterij alicui Archiepiſcoporum Cantuarienſium feciſſe conſtabat. Sed quia Abbas diffitebatur ſibi conſtare prædeceſſores ſuos hanc profeſsionem feciſſe, licet hoc in Regno publicè innotuiſſet, Religioſi viri tactis ſacroſanctis Euangeliis iurauerunt ſe vidiſſe & audiſſe Hugonem eiuſdem Silueſtri deceſſorem memoratam profeſſionem Vvillielmo piæ recordationis Cantuarienſi Archiepiſcopo more debito ſine contradictione feciſſe. Adhæc etiam vidimus ſcedulas in quibus profeſſiones multorum Abbatum ipſius Monaſterij manifeſtè nobis ſcriptæ apparuerunt. Facta itaque fide Abbati & his qui aderant, prædeceſſorum ſuorum ſecutus veſtigia profeſsionem in hæc verba fecit & crucis ſigno compleuit atq; muniuit. *Ego Silueſter Abbas Eccleſiæ Apoſtolorum Petri & Pauli & B. Auguſtini primi Anglorum Archiepiſcopi promitto ſanctæ Dorobernenſi Eccleſiæ, & tibi Reuerende Pater Theobalde eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo tuiſque ſucceſſoribus Canonicam per omnia obedientiam.* Ex his igitur intelleximus, quod nulla de cætero inter ipſorum ſucceſſores

» de facienda profeſſione contradictio debeat inſtaurari. Facta eſt hæc Profeſſio
» apud Northamtoniam an. gratiæ 1157. Henrici Regis II. an. 3. menſe Iulio 16. Kal.
» Aug. præſentibus Epiſcopis 8. Abbatibus 12. iſpo quoque Rege Henrico & quam
» pluribus aliis tam de tranſmarinis quàm de partibus Anglicanis.

Clarembaldus Silueſtri ſucceſſor benedictionem quidem ab Archiepiſcopo Thoma accipere non detrectauit, dummodo in Eccleſia propria non in Archiepiſcopali, & citra profeſſionem obedientiæ: imo ſpe cuiusvis in poſterum ſubiectionis prorſus ademptâ, vt ſcribit Radulfus de Diceto ad an. 1163. hæc quæ ſequuntur ſubiungens. *Cum autem Rex ſe verbis huiuſmodi non oppoſuerit, partibus antiquitatis in finibus ſtare perſuadens, & eas omnibus modis quibus ratio fieri potuiſſet inducens, alteram inclinatior videbatur in partem.*

Iam vero an Mauricius Epiſcopus prædictæ San-Germano-Pratenſis Eccleſiæ conſecrationi interfuerit, & an Alexander cœnobium illud à iuriſdictione Epiſcopali exemerit, inquirendum. Ioannes Launoyius Doctor Theologus Chartam illam immunitatis parte 4. c. 2. multiplici ratione probat eſſe falſam & ſuppoſititiam. Atque imprimis quod ipſe Hugo Abbas ei conſecrationi dicat Almaricum Siluanectenſem Epiſcopum interfuiſſe: quem ex omnium Hiſtoricorũ fide conſtat obiiſſe antequam Alexander Pariſios, imò in Franciam pedem inferret. Nam Carolus Iaunaius in Hiſtor. Epiſcop. Siluanect. ait eum fatis conceſſiſſe an. 1145. Manuſcriptum Caroli-locenſe, cuius loci Abbas fuerat, an. 1148. Sammarthani in tom. 3. Galliæ Chriſtianæ aiunt ſepultum in Choro Monaſterij Caroli-loci & ad marginem annum notant 1161. Nemo verò eius vitam extendit ad an. vſque 1163. Quod ſi ita eſt, liquet Chartam prædictam non ab Hugone Abbate, ſed ab aliquo Monacho poſterioris ævi fuiſſe confectam.

Deinde ridiculum eſt affingere Alexandro Pontifici ſermonem ad populum de exemptione Monaſterii à iuriſdictione Epiſcopali, ſiquidem ille qui Iuris erat vtriuſque peritiſsimus Epiſcopum indicta cauſa damnaſſet. Sic enim Hugo ſcribit. *Interim D. Papa Alexander ad Pratum quod eſt iuxta Monaſterii muros cum ſolemni proceſſione procedens ad populum Sermonem feci & coram omnibus adſtantibus publicè proteſtatus eſt, quod Eccleſia S. Germani de Pratis de proprio iure B. Petri exiſtens nulli Archiepiſcopo vel Epiſcopo niſi ſummo Pontifici Rom. Eccleſiæ ſubiacet.* Scilicet id dixit ad populum Pontifex & Mauricium Epiſcopum Eccleſiaſticis indutum veſtibus turpiter exire iuſſit, cui quod erat ipſe in Francia, totum illi fere debebat! id inquam dixit ille, qui Reſbacenſibus exemptionem eiuſmodi petentibus paulo ante reſcripſerat ad Meldenſem Epiſcopum, vt Abbas Reſbacenſis & Iotrenſis Abbatiſſa canonicam ipſi ipſiuſque ſucceſſoribus obedientiam perſoluerent.

3. Ad prædictæ Chartæ confirmationem referunt Bullam Alexandri datam Turonis Calendis Iunij ad ipſum Hugonem. Sed quàm illa commentitia ſit & inſulſa, nemo non videt. Etenim inceptum eſt Concilium Turonenſe 4. Kal. Iunias vt nonnulli ſcribunt, & tertia poſt die ita loquitur Pontifex, *Dum Mauricius Pariſ. Epiſcopus & tu pariter in Concilio Turonenſi in noſtra præſentia eſſetis conſtituti.* Iam ergo exceſſerat Hugo, quis credat? pergit. *prædictus Epiſcopus in Concilio ipſo conſurgens ius quoddam in Eccleſia tua ad ſe propoſuit rationabiliter pertinere.* Videtur edocere Hugonem, quaſi à Concilio tum abſens fuiſſet, cum id à Mauricio propoſitum eſt. At nihil ne Hugo Mauricio oppoſuit? Ipſe Pontifex non auditis aduerſæ partis rationibus Epiſcopum damnauit. *Nos attendentes quomodo eadem Eccleſia ſub iure & proprietate B. Petri ab antiquis retro temporibus, quietè pacificeque perſtiterit, noluimus vllatenus eiuſdem Epiſcopi proclamationem admittere.* Scilicet ipſe non vt iudex, ſed vt pars aduerſa os occluſit Epiſcopo! præterea ſi id in Concilio propoſitum eſt, de eo deliberandum fuit. Thomas Cantuarienſis ad dextram Pontificis ibi ſedens, qui cum Auguſtinianis Cantuarienſibus eadem de re certabat, quique iurium Eccleſiaſticorum & Epiſcopalium tam validus erat aſſertor, litis ne materiam audiuit & abſque vlla concertatione & deliberatione præiudicium contra ſe ipſum fieri paſſus eſt? quod ſi deliberatum eſt, in acta Concilii referri debuit, dieſque & ſeſſio notari: at vbi mentio eiuſce deliberationis? Extant huius Concilii Canones apud Neubrigenſem, in iis de ea re ne verbulum quidem. Plurimi au thores contemporanei eiuſdem Concilij mentionem faciunt, nullus eiuſmodi diſſidii in Concilio agitati.

At

At moram iniicit quod ſcribit Hugo Pictauinus Monachus Vizeliacenſis lib. 4. cui tanto maior & certior adhibenda fides quod quo tempore Concilium illud Turonis habitum eſt, hiſtoriam ſuam componebat. Is vero de quadam contentione quæ inter Cluniacenſes & Vizeliacenſes intercedebat, verba faciens ait Cluniacenſes voluiſſe nonnihil proponere, at ſuæ iniuſtitiæ cõſcios & Romanæ rectitudinis non auſos fuiſſe mutire, *cum tamen plurimæ huiuſmodi controuerſiæ hinc & inde in eodem Concilio proponerentur & terminarentur, ſicut fuit cauſa Pariſienſium Clericorum & Monachorum Cœnobij S. Germani de Pratis, quæ plenius ventilata iniuſtis Clericorum vocibus æternum ſilentium impoſuit.* Ex quo loco videtur colligi quod cauſa Mauricij in Concilio Turonenſi agitata fuerit. Verum nullatenus id ad rem Epiſcopi pertinet. 1. enim ait Clericos Pariſienſes de Monachis fuiſſe conqueſtos: non poſſunt autem iſta verba accipi de toto Clero Pariſienſis Ciuitatis, nam non legitur vſpiam litem habuiſſe cum Monachis, & ſi habuiſſet, non eſt veriſimile tã leuiter & facilè repulſam & ignominiã paſſurum fuiſſe. 2. Non de Clero Baſilicæ Pariſienſis, propter eandem rationem: neque 3. de Clericis, ſeu Canonicis & Epiſcopo: res enim iſta plus negotii intuliſſet, neque Pictauinus iniuſtas Clericorum voces appellaret. Reſtat igitur vt de Scholaribus loquatur, qui in Prato San-Germano Pratenſi ludos ſuos exercentes ſæpe quoque cum Monachis eorumque famulis rixas exercebant. Qua de re infra pluribus dicetur. Cæterum qui Chartam prædictam accuratius examinatam videre voluerit, adeat doctiſſimum Launoyum loco citato. Nos hiſtoriæ filum reſumamus.

Tranſactis igitur Lutetiæ feriis Paſchalibus & forte etiam conſecratione illa Baſilicæ Pratenſis celebrata die 21. April. ſtatim digreſſus Pontifex 7. Kal. Maias, hoc eſt 23 April. apud S. Benedictum ſuper Ligerim dedit ad Ludouicum Regem litteras his verbis. *Cum in proxima ſecunda feria quæ præteriit* (Paſchali ſcilicet) *ſimul Pariſius loqueremur, verbum ſerenitati tuæ nos meminimus propoſuiſſe.* Hinc Cæſarodunum Turonum peruenit, vbi 12. vel vt alii ſcribunt 14. alij 4. Kal. Iunias Concilium anno præterito indictum celebrauit. *Concilium Turonenſe.* Fuit illud numero Prælatorum frequentiſſimum, & dignitate clariſſimum & rerum definitione celebertimum. Nam vt ſcribit Hugo Pictauinus lib. 4. Hiſtor. Vizeliacenſis, *Omnes Epiſcopi Lugdunenſes, Narbonenſes, Bituricenſes, Senonenſes, Remenſes, Rothomagenſes, Turonenſes, Burdigalenſes, Auſcitanenſes, Alpenſes, Apennini & Maritimi centum quinque numero interfuerunt. Item Cantuarienſes, Eboracenſes, Scoti quoque & Hiberni: ſed & Abbates & diuerſæ profeſſionis perſonæ gratanter vndique aduenientes. Germanorum etiam Epiſcopi* plures occultè ſcripſerunt Alexandro Papæ obedientiam & omnimodam reuerentiam pro loco & tempore illi humiliter exhibentes. Italiæ vero non minima pars affuit partim ſcripto partim ſuâ præſentiâ. Sed & Sardinia & Sicilia cum omni Calabria, omnis quoque Orientalis Eccleſia & Hiſpania deuotum obedientiæ caput humiliter Alexandro Catholico Papæ ſubdidit. Hæc fere Hugo.

Notant vero ſcriptores Angli & præſertim Radulfus de Diceto ſcriptor huius ſeculi Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis ſediſſe ad dexteram Pontificis in Concilio; Eboracenſem verò cum ſuffraganeo Dunelmenſi **iuſſum ſedere ad ſiniſtram Cum autem omnes prope Abbates Franci illuc quoque conuenerint,** Erniſius San-Victorinus à Rogero S. Euurtii Aurelianenſis Abbate diſſuaſus videtur non interfuiſſe, quia, inquit Rogerus in litteris ea de cauſa ad eum miſſis, *recens ordinis noſtri inſtitutio id refugit: & priuilegiorum noſtrorum autheritas contra huiuſmodi inquietudines liberos reddere & præmunire debet, ſanum mihi videtur conſilium, vt ſecretius fratres quorum ſpiritus à Deo exit, ſuper hoc conueniatis: deinde vniuerſo Capitulo ſi prudentiæ veſtræ placuerit, palam faciatis: vt tandem conſilium quod vobis & nobis in poſterum prodeſſe poſſit, inuenire poſſitis. Si enim iſtud Concilium adieritis, quod quidem abſque magno itineris grauamine tanquam iuxta poſitum* adiri non poteſt, compellent vos & nos de cætero quaſi debita exactione, ſi eis placuerit *Concilia frequentare ſiue longè poſita, ſiue prope.*

Quia autem præcipua Concilii cauſa erat ſchiſma Octauiani ſeu Victoris Pſeudo-Papæ, Arnulfus Lexouienſis qui tunc inter Epiſcopos habebatur eloquentiſſimus, quique ipſomet ſchiſmatis initio Alexandro aliunde ſibi noto & amico adhæſerat, iuſſus eſt orationem habere ad Prælatos contra ſchiſmaticum & pro pace in Eccleſia componenda, quam ille ſuis Epiſtolis inſeruit, & nos quoque hiſce annalibus inſerendam eſſe putauimus.

Oratio Arnulphi Lixon ad Patres Concilij.

Hodiernum ſermonem Domini & Patres mei, mihi Domini noſtri qui præſidet, Romani videlicet Pontificis iniungit authoritas. Et EGO quidem munus iniunctum magis de neceſſitate obedientiæ quàm de animi voluntate ſuſcipio. Mallem vt in alium declinaſſet iſta dignatio, cuius & vita commendabilior eſſet & maior tam ſcientiæ quàm eloquentiæ plenitudo. Quis enim Ego ſum, qui in auribus tot tam prudentium, tam venerabilium perſonarum quemlibet mihi debeam vſurpare ſermonem? ſed & quis Ego ſum, qui mandato Rom. Pontificis audeam obuiare? anguſtiæ mihi ſunt vndique. Inter verecundiam & neceſſitatem conſtitutus ſum. Altera me monet vt ſileam, altera quaſi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obediendum enim eſt ſine mora, ſed verecundia linguam reprimit, obſtruit intellectum, & à facie reuerentiæ veſtræ ſtupore quodam reddit pauidum & confuſum. Scio enim quia tria ſolent in Prædicatore requiri, ſanctitas conuerſationis, plenitudo ſcientiæ, fœcundior Eloquentiæ vena. *ſanctitas conuerſationis* inquiritur, quia niſi fuerit Prædicatoris cõmendabilis vita, non erit eius prædicatio glorioſa. Cuius enim vita contẽnitur, reſtat vt & prædicatio contemnatur. Timere habet, ne forte incipientem loqui ſtatim vox Diuina reprimat & condemnet: Quare tu enarras iuſtitias meas, qui proiecisti ſermones meos retrorſum? *Perfectio ſcientiæ quæritur*, vt habeat prædicator vnde poſſit de theſauro cordis ſui proferre noua & vetera & eruditum nouerit expectantibus explicare ſermonem & ſecundum perſonarum qualitates temperare, quod dixerit, vt ſciat quibus debeat lac potum dare non eſcam, quibus ſolidiorem cibum habeat miniſtrare. *Eloquentia deſideratur. Ad quid?* quia ſicut ſi non habuerit ſcientiam, non habebit quid dicat, ita niſi habuerit eloquentiam, non habebit quomodo dicat. Vtrumque autem neceſſarium eſt & habere quid dicas & ſcire quomodo dicas. Sententiarum ſiquidem excellẽtia ſermonis elegantiã quærit, vt verborũ dignitas rerum maieſtati reſpondeat, & ſibi inuicem quaſi concentu quodã res & verba concurrant. Ita eſt vt ſermo Prædicatoris omni acceptione dignus ſit, requiritur in Prædicatore religio ad reuerentiã ſermonis, ſcientia ad doctrinam, quentia ad gratiam. Vt ſcilicet ſermo ſanctus ſit, prudens ſit, illuſtris ſit. *Ego verò qui producor in medium, nihil habeo penes me, niſi conſcientiam peccatricem, minorem ſcientiam, eloquentiam imperfectam.* Et ideo opportunius mihi fuerat ſilere quàm loqui, paſci quã paſcere & aures potius vobis exhibere quàm linguam. Nulla mihi in memetipſo fiducia eſt, ſed ad ſanctitatem præcipientis & merita veſtra conuertor. Quibus intercedentibus aliquid mihi fortaſſis largietur gratia illius qui dixit, Aperi os tuum, & Ego adimplebo illud. Os meum obedientiæ neceſſitas aperit, vtinam gratia eius per merita veſtra ſermone adimpleat opportuno. *In omni itaque ſermone Domini & Patres mei Chariſſimi, videtur mihi quia circa id quod principaliter intenditur, duo ſunt ſtudioſius obſeruanda, cauſa ſcilicet & tempus.* Et cauſam quidem ratio ſubminiſtrat, tempus autem opportunum reddit occaſio. Occaſio autem eſt opportunitas ſumma ex tempore, ſicut viro placuit eloquenti. Ita eſt, niſi id quod dicitur cauſam de ratione contrahat euidentem, ipſum ducitur otioſum. Si importunè dictum fuerit, reputatur infeſtum. Quæ autem otioſa vel infeſta ſunt, raro deſideratos aſſequuntur euentus. Et ideo cum multa de ſcriptis ſanctis poſſint vtiliter ac probabiliter in commune proferri, ad ea potiſſimum ſermo conuertendus eſt, ad quæ Nos & vrgens neceſſitas impellit & euidens inuitat vtilitas. Ad quid? ad tentandum vobiſcum de vnitate & libertate Eccleſiæ Dei. Sine his enim duabus non poteſt Eccleſia ſalua conſiſtere, ſed nec conſiſtere quidem; quia niſi Eccleſia habuerit vnitatem, non erit vna. Si vna non fuerit, non erit. Omne enim quod eſt, ideo eſt, quia vnum eſt. Quod autem vnum non eſt, amittit pariter cum vnitate ſubſtantiam. Item niſi habuerit libertatem, miſera erit: pro eodem autem ei eſt miſeram eſſe & non eſſe, imò deterius eſt miſeram eſſe quàm non eſſe. Melius, inquit, ei erat ſi natus non fuiſſet homo ille. De Iuda dictum eſt, quoniam melius erat ei natum non eſſe, quàm ad eiuſmodi miſeriam natum eſſe. Ideo Domini & Patres Chariſſimi, vt ſtatus Eccleſiæ conſeruetur incolumis, oportet vnitati eius & libertati ſollicitè prouideri. Vtraque enim his diebus, hac tempeſtate, ſicut nos miſerabiliter experimur, multis vrgetur incommodis, multis iniuriis infeſtatur; quia alteram ſcindere nititur ſchiſmaticorum ambitio, alteram quærit auferre violentia tyrannorum. Vtrum-

quetamen eis per Dei gratiam impoſſibile erit. Impoſſibile ſiquidem eſt ſpirituale Eccleſiaſticæ vnitatis ſcindere ſacramentum, quod inter Chriſtum & Eccleſiam ipſo patre auctore indiſſolubili fœdere connexum eſt & firmatum. Impoſſibile eſt ſuam Eccleſiæ Dei tollere libertatem, quam Dominici ſanguinis conſecrauit effuſio. Licet enim paleæ de Area Domini quandoque ventilabro leuitatis aut vanitatis auolent & abſcedant, propter abſceſſum tamen earum non minuitur fructus areæ, ſed purgatur. Item licet Principes tenebrarum aduerſus Eccleſiam Dei vehementer inſurgant, portæ tamen inferi aduerſus eam prævalere non poſſunt. Ita Domini mei, ſalua Nobis ſemper eſt vnitas, ſalua ſemper eſt libertas Eccleſiæ, quia neque tunica inconſutilis ſcindi poteſt, neque Chriſti ſanguis in irritum deuocari. Et licet exierint à nobis aliqui qui nobiſcum erant, ſed de nobis neque erant, non eſt ſciſſa tamen veritas vnitatis propter eos quos ſeparauit à nobis propriæ malitia prauitatis. Et licet ij quos diximus tyranni terrarum circa temporalia bona & ipſa etiam corpora noſtra deſæuiant, vt edant carnes noſtras, infirmantur & cadunt. Etſi circa diripiendas inutiliter ſarcinas occupantur, Eccleſia tamen Dei nihilominus quæ diſponenda ſunt, liberâ poteſtate diſponit; imo etiam ipſos quaſi ſeruos nequam, ſpirituali poteſtate retrudit in carcerem, vbi eos nimirum quaſi compedibus quibuſdam vinculo anathematis & opprobrio perpetuæ maledictionis adſtringit. In quo & laudabile videtur operari virtus Diuina miraculum, dum nobis in vnitate noſtra & libertate degentibus ipſi ſe ſolos ab vnitate Catholica ſeparant & deteſtandæ ſubiiciunt ſeruituti. Nos tamen Chariſſimi fratres & Domini non debemus malum pro malo reddere, neque vinci à malo, ſed vincere in bono malum: & ideo ad reuocationem eorum qui foris ſunt, ſumma charitate debemus intendere, vt ipſi vnitati noſtræ poſſint Domino miſerante connecti, quatenus ij qui quietem Eccleſiaſticæ libertatis impugnant, meliore ducti conſilio reſipiſcant & tam de reuocatione eorum quàm iſtorum pœnitentia creſcat fœcunditas vnitatis & inconcuſſa ſeruetur deſiderandæ tranquillitas libertatis, ad hoc ſcilicet omnem nos conuenit diligentiam adhibere, omnem propter hoc ſuſtinere vexationẽ, omne periculum experiri. Hoc enim ſpeciale debitum noſtræ profeſſionis, Epiſcopi ſumus: ad hoc ſacramentis Eccleſiaſticis ſanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illuſtrari. *Ex ea etiam cauſa hic primas obtinemus in Concilio Cathedras, primos in Cœnis recubitus, ſalutationes in foro. Ex eadem cauſa populorum nobis multitudines inclinantur, vt de manu noſtra partem aliquam commiſſæ nobis benedictionis accipiant.* Quærunt enim accipere de plenitudine noſtra, quod nos accepimus de plenitudine Chriſti. Hic ordo eſt. Vnguentum in capite præcedit, à capite deſcendit in barbam, barbam quidem Aaron. A barba vſque in oram veſtimenti defluxit, à Capite ſcilicet Chriſto in barbam ſcilicet Prælatos Eccleſiæ: à Prælatis in populum, in ſubiectos *In Capite autem omnis perfectionis eſt plenitudo, omnis perfectio plenitudinis.* In ipſo enim inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter ſolidæ ſcilicet & perfectæ. In ipſo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. In ipſo totus ſpiritus Patris. Nihil ibi perfectioni detractum eſt. Nihil ibi plenitudini derogatum: & de plenitudine iſta nos omnes accepimus, maiores & minores. *De plenitudine quidem* ſed non plenitudinẽ reſeruauit. Circa nos autem diuiſiones gratiarum factæ ſunt: vnus autem ſpiritus, qui operatur omnia in omnibus non omnia in ſingulis, diuidit enim ſingulis prout vult. Vbi enim vult ſpirat, & quantum vult, inſpirat. Nos autem in medio conſtituti inter Chriſtum & populum, priuilegium gratiæ conſecuti ſumus & prærogatiuam Dignitatis adepti. Priuilegium gratiæ, quia prius & copioſius Nobis infunditur, quod à Nobis in alios transfundatur. Prærogatiuam dignitatis, quoniam ſuperiores & propinquiores ſumus. Superiores, quoniam conſtituti ſumus Principes ſuper omnem terram. *Conſtitues eos*, inquit, *Principes ſuper omnem terram.* De Apoſtolis dictum eſt, vtique & de nobis, qui loca Apoſtolorum minoribus reuera meritis, ſed maioribus conſolationibus obtinemus. Qualis autem eſt hic Principatus noſter? vtique ſublimis & fortis. *Nimis*, inquit Propheta, *honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Propinquiores ſumus: amicos ſiquidem nos appellat, & ad argumentum propenſioris amicitiæ indultæ nobis, non partem ſed copiam totius familiaritatis oſtendit. Iam non dicam, inquit, vos ſeruos, ſed amicos meos, quia omnia quæ audiui à

„ Patre meo nota feci vobis. Verum eſt. Nobis datum eſt noſſe myſterium Regni
„ Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant & audientes non intelli-
„ gant. Nos habemus oculos intuendi & aures audiendi. Multæ & magnæ ſunt cir-
„ ca nos dignationes tuæ, bone Ieſu, multa & inæſtimabilia beneficia tua. Gratia
„ tua vltro Nos præuenit & ſubſequitur; nihil aut parum eſt quod meritis noſtris ar-
„ rogare poſſimus, cum tu gratiam per gratiam ſemper effuſa munificentia largia-
„ ris. Quid ergo retribuemus tibi? quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus
„ quæ retribuit mihi? Quærit-ne ſibi reſtitui? quærit reuera. Quoniam grauis etiam
„ exactor eſt. Non conuenit debitorem ſuum in ſortem tantùm, ſed etiam in vſuras.
„ Quare, inquit, non poſuiſti pecuniam meam ad menſam, vt cum redirem vtique
„ cum vſuris eam exegiſſem à te? Quia ergo ſibi retribui quærit, conſulamus pro-
„ phetam, quid tantæ maieſtati dignè poſſit in cauſam retributionis offerri. Expe-
„ dit nobis, vt qui nos de qualitate noſtri Principatus edocuit, nihilominus de
„ quantitate retributionis edoceat. Oportet enim, vt quod nomine retributionis
„ offertur, ad honorem cedat, accedat ad gratiam: alioquin non parit gratiam
„ ſed offenſam. Audiamus ergo quid dicat, *Conſtitues eos Principes ſuper omnem ter-*
„ *ram*. Ecce meritum eius circa nos: quid autem ſibi retribui quærat, conſequenter
„ adiungit: *memores erunt nominis tui Domine*. Memoriam nominis ſui tantum
„ ſibi quærit nomine retributionis offerri. Cuius nominis? nempe multa nomina
„ habet. Habet quædam nomina de veteri inſtrumento ſignificationis abſcondito:
„ habet quædam ad nouum ſpecialius pertinentia Teſtamentum, ſuauitatem redo-
„ lentia, exhibente gratia; quæ quamuis conſtet originem traxiſſe de veteri, plus ta-
„ men celebritatis & frequentiæ de præſenti nouitate ſumpſerunt. Quæ ſunt illa?
„ *Ieſus Chriſtus*; Ieſus interpretatur Saluator, Chriſtus vnctus. Vbi vnctio, ibi ſuaui-
„ tas: manifeſtè nomen iſtud *Chriſtus* ſuauitatem redolet vnctionis, Ieſus ſalutis
„ gratiã repromittit. Credo tamen quod in hoc loco propheta aliud nomen quærat
„ intelligi, quoniam nomina illa propter ſuauitatem & gratiam, deuotionem qui-
„ dem & fiduciam præſtant: hic verò alterius cuiuſdam nominis memoriam quærit,
„ cuius ſeueritas nobis cautelam diligentiæ & timorem reuerentiæ donet. Quod eſt
„ illud? *Deus*. Deus interpretatur timor. Ipſe in hoc loco timentes eſſe nos exigit &
„ prudentes. Commiſit enim nobis hæreditatẽ timentibus nomen tuum Domine.
„ Hæreditas autẽ eius illa eſt, quã ipſe à Patre merito & poſtulatione paſſionis acce-
„ pit: *Poſtula*, inquit, *à me, & dabo tibi Gentes*. Hæreditas autem hæc vniuerſitas fide-
„ lium eſt, quæ nomine cenſetur Eccleſiæ, quæ Catholicam continet vnitatem.
„ Hanc fidei noſtræ credidit, hanc ſollicitudini commendauit. Ad curam igitur &
„ cuſtodiam eius cum omni timore omnem nos oportet diligentiam adhibere. Nul-
„ la nos abſterrere debet comminatio, nulla perſecutio retardare. Participes conſo-
„ lationum facti ſumus. Iuſtum eſt vt ſocij ſimus etiam tribulationum. Ex aduerſo
„ ſtare nos conuenit & opponere Noſmetipſos murum pro domo Iſraël. Quod ſanè
„ nobis non facile quidẽ, ſed poſſibile tamen erit, ſi conſtanter in vnitate Catholica
„ conſenſerimus permanere. *Porro fratres ſumus ex eodem Patre Chriſto, & ex eadẽ matre*
„ *Eccleſia per regenerationẽ aquæ & ſpiritus de filiis iræ tranſlati in adoptionẽ gloriæ filiorũ*
„ *Dei*. Bonum itaque eſt quia vtile: iocundũ, quia delectabile, nos hoc ſpirituali fra-
„ ternitate cõiunctos in vnitate cõſiſtere, vt ſit ſcilicet nobis ſicut in primitiua Eccle-
„ ſia multitudini credentiũ cor vnũ & anima vna. Sit in nobis vnus ſpiritus, vna fides:
„ vnitas enim fidei concordiam parit. Concordia mater eſt vnitatis, vnitas verò fidei
„ tribuit libertatem. Ex fide ſiquidẽ vita nobis & victoria eſt. Iuſtus, inquit, meus ex
„ fide viuit. Et hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra. Sed & ſancti per fi-
„ dem vicerunt Regna: regnum Sathanæ regnum mundi, regnum cœlorum. Et
„ de regno quidem mundi & regno Sathanæ manifeſtius: ſed & regnũ Cœlorũ, vim
„ patitur & violenti rapiunt illud. Ita omnia regna vnitas fidei & fides vnitatis ex-
„ pugnat. Totis itaque ſtudiis debemus inſiſtere & alter alterũ cohortari vt ſtemus
„ ſimul. Quia ſi ſteterimus ſimul, aduerſariis noſtris non tantum reſiſtere poterimus,
„ ſed & cum fiducia prouocare. Si ſteterimus ſimul, Eccleſia Dei apparebit terri-
„ bilis vt Caſtrorum acies ordinata. Stemus, inquit ille propheta, ſtemus ſimul. Quis
„ eſt aduerſarius meus, quis contradicit mihi? accedat ad me. Quia aliquem ſibi
„ ſenſerat fideliter aſſiſtentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque Domini &
„ Patres mei, habemus aliquos nobis fideliter aſſiſtentes: habemus enim aſſiſtentem

nobis gratiam Ciuium ſupernorum, habemus aſſiſtentia nobis merita & orationes veſtras, habemus aſſiſtentem nobis fidem & deuotionem Catholicorum Regum, qui vnitatem Catholicam nobiſcum & verbo profitentur & operibus exſequuntur omnes fere: ſiquidem excipitur & ipſe ſolus. Væ autem ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Sed & ipſe per miſericordiam Dei conuertetur & viuet, quoniam ipſe eſt inter Principes terræ multa prudentia & virtute laudabilis, niſi gloriam ſuam diuinæ gloriæ præponere decreuiſſet: vtinam humilietur ſub potenti manu Dei & principatum Eccleſiæ ſuo præeſſe Principatui recognoſcat: vtinam intelligat, quia ſi Chriſtum ſponſum ſcilicet Eccleſiæ Dominum confitetur, neceſſe habet & Eccleſiam quæ ſponſa eſt nihilominus Dominam confiteri. Præterea ſpecialem cauſam habet, quia ſanctam Romanam Eccleſiam Dominam recognoſcere debet: alioquin manifeſtiſſimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus hiſtorias, certum erit prædeceſſores eius Imperium non de alio iure quàm de ſola S. Romanæ Eccleſiæ gratia percepiſſe. Nihil igitur plus iuris vendicare Principes poſſunt quàm quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus aſſiſtentem nobis etiam Chriſtum. Neque enim Eccleſiam ea nobis conditione tradidit vt relinqueret, ſemper aſſiſtit. *Non relinquam*, inquit, *vos orphanos vado & venio ad vos: vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi permanſurus.* Adiutor itaque & protector nobis eſt in ſalutem. Cum adiutorio itaque tot aſſiſtentium nobis nulla nos debet abſterrere comminatio, nulla perſecutio reuocare, imo ſtare debemus ex aduerſo & opponere noſmetipſos murum pro domo Iſrael. Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum vt poſſitis ſuſtinere: immo etiam ad confidentiam victoriæ obtinendæ ſuo nos inuitat exemplo. Confidite, inquit, ego vici mundum. Si ſemel victus eſt, non erat inuincibilis mundus: facilius nobis erit victoria victum vincere quàm inuictum. Chriſtus vincendum aggreſſus eſt, & deuicit. dicebatur aliquando. *Vide Domine & conſidera, quoniam erectus eſt inimicus*: nunc autem dicitur quoniam deiectus eſt inimicus. Fiducialiter aggredi poſſumus iacentem & victum, quia ſi deiectus eſt, non reſurget, ſi victus, non præſumet. Nulla ipſius ex hoc nunc reſurrectio vel præſumptio prævalebit. Timeo tamen ne aliquis forte ſubmurmuret præſumptuoſum dicens æmulari tantæ perfectionis exemplum. Facile inquit erat Chriſto mundum vincere qui creauerat mundum. Omnipotens enim nomen eius cui idē eſt & velle & poſſe, mihi non ita quoniam infirmus ſum & conturbata ſunt omnia oſſa mea. *Omne ſcilicet robur naturæ meæ peccati corruptione concuſſum & ideo ſubſtantia mea tanquam nihilum coram ipſo.* Sed nequaquam Domini & patres mei diffidendum eſt, quia ſicut verba Chriſti nobis ad doctrinam, ita opera proponuntur ad formam. Et ſicut per doctrinam impoſſibile nobis eſt ſcientiæ illius plenitudinem obtinere, ita per exempla ad æqualitatem virtutum eius non poterimus peruenire. Sed licet attingere non valeamus eminentiam maieſtatis, proficere tamen poterimus ad aliquam ſaltem ſimilitudinem ſanctitatis. Proderit imitari, etſi nemo valeat adæquari. Circa perfectionem eius ſubſiſtit noſtra perfectio, proſequi debemus, etſi conſequi non poſſumus. Non eiſdem paſſibus, ſed eodem tramite eiſdem eſt veſtigiis inſiſtendum.

Quod ſi aliqua etiam de hominibus exempla quærantur, multos homines victores mundi poterimus inuenire. Videamus Apoſtolum hominem ſcilicet peccatorem, ſicut & nos non quantum nos, qui dicat ſe minimum Apoſtolorum & indignum vocari Apoſtolum quoniam perſecutus eſt Eccleſiam Dei. Bonum, inquit, certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Certauit Apoſtolus, de certamine victoriam, de victoria conſecutus eſt coronam. Cucurrit & conſummauit curſum, ideoque brauium aſſecutus eſt. Idem brauium quod corona. Tu autem quis es qui quæris coronam ſine victoria, vel ſine concertatione victoriam. Impoſſibile eſt de facto ſine concertatione viciſſe. Improbabile eſt de iure coronam ſine victoria poſtulare: neque enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Lex autem certaminis perſeuerātia eſt, qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Idem profecto ſalus, quod brauium & corona. Amplius ſi maior vobis de hominibus placeat pluralitas, exemplorum infinita fere martyrū millia vobis occurrent, qui ad certamen iſtud

„ toto deſiderio occurrerunt, & demum victoriam cruentam quidem, ſed tamen
„ cum lætitia & gloria perceperunt. Nunquid non ibant Apoſtoli gaudentes à conſ-
„ pectu Concilii quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati? nun-
„ quid non Petrus & Andreas de Cruce prædicant veritatem? nunquid Laurentius
„ de nauicula tyranno lætabundus inſultat? nunquid non Carnifices ipſos ad equu-
„ leum præuenire inuincibilis Vincentij fortitudo feſtinat? Sed etſi de infirmiore
„ ſexu quæratur exemplum, Agathes lætiſſimè & gratulanter ibat ad carcerem &
„ quaſi ad epulas incitata agonem ſuum Domino precibus commendabat. Prius me
„ deficiet dies, imo totum longioris anni ſpatium expirabit quàm ſanctorum victoriæ
„ planè valeant enarrari. Hi reuera fuere viri fortes & ad bella doctiſſimi qui humi-
„ litate ſuperbiam, tyrannidem patientiâ deuicerunt. Cæterum benignius agit cum
„ infirmitate noſtra miſericors & miſerator Dominus: ipſe enim conſcius eſt infirmi-
„ tatis noſtræ, vt pote qui nouit figmentum noſtrum. Tolerabilem itaque facit pa-
„ tientiam noſtram. Re vera ſicut dictum eſt, facit cum labore prouentum. Nulla
„ ergo aduerſum nos veteris ſæuitiæ commenta procedunt, imo etiam ſuſtinemur
„ in equis & curribus ambulare, in magnis quandoque & mirabilibus ſuper nos,
„ epulari ſplendidè, precioſis indui, honoribus & diuitiis abundare. Paupertatem
„ Chriſti verbo prædicamus, ſed minus exhibemus exemplo, niſi quia fortaſſe pau-
„ pertatem eius in nobis ſpiritualiter diuitiarum contemptus & humilitas ſancta re-
„ ſtaurat. Neque enim requiritur à nobis diuitiarũ indigentia ſed contemptus: diui-
„ tiæ inquit ſi affluant nolite cor apponere, non dixit ne affluant, ſed ne cor appona-
„ tur. Porro cor prohibuit apponere, ſed non manũ. Porro Propheta inomni affluen-
„ tia diuitiarum pauperem ſe prædicat & egenum. *Poſſumus itaque licitè diuitias poſſi-*
„ *dere ſi tamen earum nos non reputauerimus Dominos ſed miniſtros, ſi intellexerimus Patri-*
„ *monium pauperum eſſe Patrimonium Chriſti, ſi prouentibus Eccleſiæ, ſi pauperum neceſſitati-*
„ *bus erogentur, alioquin fures & latrones nos ratio manifeſta conuincet, ſi res alienas inuitis*
„ *Dominis noſtro præſumpſerimus arbitrio contrectare.* Quia igitur diſtribuẽdæ ſunt non
„ retinendæ diuitiæ, nuſquam iuſtius, nuſquam poſſunt liberalius erogari, quàm in
„ eos qui exulantem Eccleſiam proſequuntur, qui propter cauſam Chriſti rerũ ſua-
„ rum diſpendia pertulerunt. Cauſa cõmunis eſt, ſed in eos omne detrimentũ, omnis
„ eſt conuerſa vexatio: nos enim intra domeſticos parietes noſtros tribunalia noſtra
„ ſublimiter inſidemus, ipſi de ſedibus ſuis contumelioſè & violenter electi pera-
„ grant regiones. Nobis omne ſolatium cum affluentia Diuina pietas amminiſtrat:
„ ipſi de manibus alienis ſubſidia vitæ cum ſilentio patienter expectant. Nobis ne-
„ ceſſariorum noſtrorum & familiarium ordo longus aſſiſtit. Ipſi inter ignotos vitam
„ quaſi ſolitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis conſolationẽ emendi-
„ cata ſuffragia præſtiterunt, indignum eſt ab eis beneficia quærere, quibus tu con-
„ ſueueris exhibere. Aperiamus itaque eis viſcera pietatis, & in eos omnem com-
„ paſſionis & venerationis effundamus affectum, ipſoſq; cum omni beneficentia &
„ gratia complectamur, quia tunc adimplebimus legem Chriſti, ſi alter alterius
„ inuicem onera comportemus. Viri prudentes ſunt & multâ commendabiles ho-
„ neſtate, quos Dominus elegit tanquam aurum in fornace probandos, vt per eos
„ impendio perſonarum & rerum Eccleſiæ victoria conſummetur. Felices ſunt qui-
„ bus datum eſt pro æternis tranſitoria commutare. Feliciores ſunt qui mortem vel
„ corporales iniurias ſunt experti: & impreciabilem ſanguinem Chriſti ſuo indigno
„ & corruptibili ſanguine compenſarunt. Quid enim? nunquid ſanguinẽ Chriſti in
„ cauſã noſtræ redẽptionis expendimus, vt ipſum & in tẽpore retributionis ſcilicet
„ cum ipſe requiſierit ſolueremus? mutuatus eſt peccator & non ſoluet, nos autem
„ Domino miſerante ſoluemus, qui confitemur Nos non artificio ciuili, ſed re ipſâ
„ interueniente naturaliter obligatos. *Vtinam bone Ieſu detur & mihi tecum pro ſpiri-*
„ *tualibus tuis temporalia mea commutare. Vtinam ſanguinem meum tibi pro tuo recipere*
„ *placeat in ſolutum, vel quia crediti & dabiti ſanguinis ſcilicet tui & mei inuicem æſtimatio*
„ *non concurrit, ſaltem benigniſſima acceptatione liberatus abſoluar, qua ſcilicet conſueui-*
„ *ſti iuſtitiam accepto ferre ſine operibus & præmia ſine meritis, pro gratia ſcilicet bonæ*
„ *actionis gratiam retributionis inferre.*

In hoc Concilio plurima Decreta facta ſunt ad reformationem Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum, quorum vnum ad noſtram quoque Academiam pertinet, ſeu potius ad Monachos, qui è Clauſtris ſuis ad Studiũ Generale proficiſcebantur, vt le-

gibus ſtuderent & Medicinæ: quod nos infra referemus. Interim non erit forſan extra rem Decreta iſta Turonenſia noſtris Annalibus inſerere, quæ habentur apud Willielmum Neubrigenſem lib. 2. de rebus Anglicis c. 15. hoc modo.

Quoniam enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis contra Sanctorum Patrum Inſtitutiones inualuit, vt ſub annuo pretio ſacerdotes ad Eccleſiarum Regimen ſtatuantur, ne id fiat modis omnibus prohibemus: quia dum ſacerdotium ſub huiuſmodi vænali mercede diſponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur. Can. 1.

Non ſatis vtiliter auaritia redarguitur in populo, niſi ab iis qui in Clero conſtitui videntur, & præcipuè qui contempto ſeculo Religioſorum nomen profitentur & regulam, omnibus modis non cauetur. Prohibemus ergo ne ab iis qui ad Religionem tranſire voluerint, aliqua pecunia requiratur, neue Prioratus aut Capellaniæ quælibet Monachorum aut Clericorum annua diſtrictione vendantur; neque ab eo cui regimen ipſarum committitur, pro earum commiſſione vllum pretium exigatur. Hoc autem Simoniacum eſſe Sanctorum authoritas Patrum manifeſtè declarat. Vnde quiſquis hoc de cætero præſumpſerit attentare, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepultura quoque vel chriſmatis ſeu olei ſacri perceptione, nulla cuiuſquam pretij vænalitas intercedat, *neque ſub obtentu alicuius conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur: quia diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget.* Can. 2.

Quia in quibuſdam Epiſcopatibus Decani vel Archipreſbyteri ad agendas vices Epiſcoporum vel Archidiaconorum & terminandas cauſas Eccleſiaſticas ſub annuo pretio ſtatuuntur, quod ad ſacerdotum grauamen & ſubuerſionem Iudiciorum non eſt dubium redundare, id vlterius fieri diſtrictius prohibemus. Quod qui fecerit, remoueatur à Clero. Epiſcopus quoque qui hoc in ſua Diœceſi ſuſtinuerit & Eccleſiaſtica Iudicia ſua patitur diſſimulatione peruerti, canonicâ diſtrictione plectatur. Can. 3.

Maioribus Eccleſiæ Beneficiis in ſua integritate manentibus indecorum nimis eſſe videtur, vt Iuniores Clericorum Præbendæ recipiant ſectionem. Idcirco vt ſicut in magnis, ita quoque in minimis membris ſuis firmam habeat Eccleſia vnitatem, diuiſionem Præbendarum aut Dignitatum permutationem fieri prohibemus. Can. 4.

Plures Clericorum (quod mœrentes dicimus) eorum quoque, qui præſens ſeculum profeſſione votiſque & habitu reliquerunt, dum communes vſuras manifeſtius damnatas exhorrent commodatâ pecuniâ indigentibus poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt & prouenientes fructus percipiunt vltra ſortem. Idcirco Generalis Concilij decreuit authoritas, vt nullus à modò conſtitutus in Clero vel hoc vel aliud vſuræ genus exercere præſumat; & ſi quis hactenus alicuius poſſeſſionem datâ pecuniâ ſub hac ſpecie in pignus accepit, ſi ſortem ſuam deductis expenſis de fructibus idem percepit, abſolutè poſſeſſionem reſtituet debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto poſſeſſio liberè ad Dominum reuertatur. Quod ſi poſt huiuſmodi conſtitutæ in Clero quiſquam exiterit, qui deteſtandis vſurarum lucris inſiſtat, Eccleſiaſtici Officij periculum patiatur, niſi Beneficium Eccleſiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laïca videbatur. Can. 5.

A partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ more Cancri paulatim ſe ad vicina loca diffundens per Gaſconiam & alias prouincias quamplurimos iam infecit; & dum in modum ſerpentis intra ſuas reuolutiones abſconditur, quantò ſerpit occultius, tantò grauius Dominicam vineam in ſimplicibus demolitur. Vnde Epiſcopos & omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes inuigilare præcipimus, & ſub interdictione anathematis prohibere, ne vbi cogniti fuerint illius Hæreſis ſectatores, receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in venditione & emptione aliqua cum eis communio habeatur, vt ſolatio humanitatis amiſſo ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quiſquis autem contra hæc venire tentauerit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illi verò ſi deprehenſi fuerint per Catholicos Principes, cuſtodiæ mancipati omnium bonorum amiſſione multentur. Et quoniam de diuerſis partibus in vnum Latibulum crebrò Can. 6.

conueniunt, & præter conſenſum erroris nullam cohabitandi cauſam habentes in vno domicilio commorantur, talia Conuenticula & inueſtigentur attentius & ſi inuenta fuerint, Canonicâ ſeueritate vtentur.

Can. 7 Quamuis graue nimis & Diuini animaduerſione iudicij dignum habeatur, quod Laïci quidam quod ſacerdotum eſt, in Eccleſiaſticis rebus vſurpant, maiorem tamen incitat formidinem ac dolorem, quod comitem ſui erroris in ipſo Clero dicuntur aliquoties inuenire, dum quidam fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum aliorumque Prælatorum Eccleſiæ decimas eis & Eccleſiarum diſpoſitiones indulgent, & in deuia eos mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad vitæ viam reuocandi fuerant, de quibus Dominus dicit per Prophetam. *Peccata populi mei comedunt & ad iniquitatem prouocant animas eorum.* Vnde ſtatuimus vt quiſquis alicui Laïco in ſeculo remanenti Eccleſiam Decimamve conceſſerit, à ſtatu ſuo tanquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, & donec emendetur, ruinæ ſuæ iaceat dolore proſtratus.

Can. 8. *Contra Religioſos Medicinam & leges profitentes.* Non magnopere antiqui hoſtis inuidia infirma Eccleſiæ membra præcipitare laborat, ſed manum mittit ad deſiderabilia eius & electos quoſque nititur ſupplantare dicente ſcriptura, Eſcæ eius electæ. Multorum ſiquidem caſu operari ſe reputat vbi precioſius aliquod membrum Eccleſiæ ſua fuerit calliditate detractum. Inde nimirum eſt quod ſe in Angelum lucis more ſolito transfigurans ſub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus & Eccleſiaſtica negotia fidelius pertractandi *Regulares quoſdam ad Legendas Leges & confectiones Phyſicas ponderandas de clauſtri ſuis educit.* Vnde ne ſub hac occaſione ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus inuoluantur, & in interioribus ex eo ipſi deficiant, ex quo ſe aliis putant in exterioribus prouidere, de præſentis Concilii aſſenſu ſtatuimus vt nullus omnino poſt votum Religionis, poſt factam in aliquo Religioſo loco profeſſionem *ad Phyſicam Legeſue Mundanas legendas permittatur exire.* Si vero exierit & ad Clauſtrum ſuum infra duorum menſiũ ſpatium non redierit, ſicut excommunicatus ab omnibus euitetur, & in nulla cauſa ſi patrocinium præſtare voluerit, audiatur. Reuerſus vero in Choro, in Capitulo, in menſa & cæteris vltimus fratrum ſemper exiſtat, & niſi ex miſericordia forte ſedis Apoſtolicæ, totius ſpem promotionis amittat. Epiſcopi vero, Abbates, Priores tantæ enormitati conſentientes & non corrigentes ſpolientur propriis honoribus & ab Eccleſiæ liminibus arceantur.

Can. 9. Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expenſis & alio multiplici remedio ſanctio Imperialis compeſcit. Quoniam igitur ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur, præcipimus vt de cætero in cauſis pecuniariis victus victori in expenſis legitimis condemnetur, niſi ſententia pro abſente feratur.

Hunc penultimum Canonem contra Religioſos è Clauſtris ad Studia Generalia proficiſcentes, vt Leges vel Medicinam doceant, rurſus leges in 2. appendice Concilii Lateranenſis ab eodem Alexandro habiti an. 1179. parte 26. c. 11. habeturque etiam lib. 3. Decretal. c. 3.

In eodem Concilio Apotheoſis D. Bernardi Clare-Vallenſis Abbatis propoſita eſt, ſed ipſe Pontifex reſcribens Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis ait ſe ob quorundam ſimilia poſtulantium importunitatem, huius apotheoſeos celebrationem diſtuliſſe. Et in Ep. ad Gallicanos Prælatos, *Cum nos* inquit, *eidem negotio fauorabili ſatis intenderemus affectu, ſuperuenit multitudo petitorum qui in diuerſis Prouinciis*, &c.

Querela Vniuerſitatis de Monachis San-Germano-Pratenſ. In eodem propoſita eſt cauſa Scholatium Vniuerſitatis Pariſienſis aduerſus Monachos San-Germano Pratenſes, qui ipſis iniurias aut inferebant, aut inferri patiebantur in Prato Clericorum ludentibus. Verum ſi credimus Hugoni Pictauino Vvilelmi Vizeliacenſis Abbatis Notario, qui hiſce temporibus ſcribebat, quique Hiſtoriam Vizeliacenſem an. 1156. ſub Pontio Abbate aggreſſus eſt, & ad annum 1167. perduxit Vvillielmo tunc Abbate, causâ ſuâ ſcholares eciderunt. Sic enim lib. 4. *Cum plurimæ huiuſmodi Controuerſiæ hinc & inde in eodem Concilio proponerentur & tera inarentur, ſicut fuit Cauſa Pariſienſium Clericorum & Monachorum Cœnobij S. Germani de Pratis, quæ plenius ventilata iniuſtis Clericorum vocibus aternum ſilentium impoſuit.* Lis illa diu interceſſit inter Vniuerſitatem & Monachos, donec tandem iudicio ſolemni Pratum Clericis adiudicatum eſt & ab Innocentio III. an. 1215. confirmatum.

Quod

Quod autem locus prælatus de Clericis Scholaribus ſit accipiendus, ſupra docuimus in examine Chartæ San-Germano Pratenſis. Neque eſt quòd dicat aliquis per Clericos intelligi debere Canonicos Pariſienſes: nam licet Clerici nomen generatim loquendo competat etiam Canonicis, certum eſt tamen illis temporibus nomen Canonici frequentius vſurpatum ad ſignificandum eos, qui in Baſilica Pariſienſi præbendas haberent integras: Clerici vero nomen adaptari ſolitum choriſtis ſeu pueris chori & inferioribus Eccleſiæ miniſtris. Vt vel ex vna Odonis Epiſcopi Pariſienſis ſcheda, quæ in magno Paſtorali legitur, conſtat: in qua ſic habetur. *Singulis Canonicis Pariſienſibus, vel Clericis maiori altari ſeruientibus.* Item *Singulis vero Clericis Chori, non Canonicis.* In Charta Ludouici VII. 1157. quæ in eodem Paſtorali continetur. *Theobaldus Pariſienſis Eccleſiæ venerabilis Epiſcopus & Clemens Decanus aliique Canonici noſtræ ſupplicauerunt ſerenitati.* Sexcenta ſunt eiuſmodi loca, quibus referendis non immoror. Iã verò licet Clerici nomen ſæpe nomen ſit diſtinctionis eorum qui Eccleſiæ militant à Laicis, ſæpe quoque pro Scholaſtico accipitur; vt alibi docuimus, & patet inſuper ex hoc loco Ep. 8. Philippi Abbatis Bonæ ſpei ad Gregorium. *Vidiſti plerosque & inſignitos exterius titulo militari & animo tamen degeneres nunquam grauiter præliari: & innumerabiles Clericos in Scholarum gymnaſio conuenire, at eorum tamen raros, ad perfectum ſcientiæ peruenire. De qualibus Paulus ſemper inquit, diſcentes, numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.*

His addimus ad confirmationem, quod ſub finem huius ſeculi iterum Scholares apud Cœleſtinum Papam de iiſdem Monachis conqueſti ſunt ob cædem de nonnullis ſodalium ſuorum perpetratam. Vt ſuo loco referemus.

In eodem Concilio M. Ioahnes de *Belmeis* vulgo *Bellemains* Theſaurarius Eboracenſis conſecratus eſt à D. Papa Pictauienſis Epiſcopus & continuò profeſſionem fecit Archiepiſcopo Burdigalenſi. Vir iſte magnæ eloquentiæ & litteraturæ erat, iocunduſque & largus, & ob has virtutes vtrique Principi Franco & Anglo notus & charus. Alexandro vero Pontifici chariſſimus multas legationes obiit, vt ſuo loco patebit.

Eodem anno Thomas Cantuar. vacantem Ainefordiæ Eccleſiam contulit in Laurentium, vt ſcribit Radulfus de Diceto. Willielmus Villæ Dominus vendicans ſibi ius patronatus in eandem, Laurentium expulit. Thomas Willielmum excommunicauit. Quod quia Rege nec conſulto nec monito feciſſet, maximam eius indignationem incurrit. Dicebat enim Rex iuxta dignitatem Regni, quod *nullus Capitaneorum, nullus militans Regi, nullus miniſter Regis, nullus ſcilicet* vt « vulgariter loquar, *de Rege tenens in Capite* Caſtellum, villam vel prædium ci- « tra conſcientiam Regis eſt excommunicandus ab aliquo, ne ſi ſuper hoc Rex cer- « tioratus non fuerit, ignorantia lapſus communicet excommunicato, Capitaneum « ſuum venientem ad ſe vel inuitans ad oſculum vel recipiens in conſilium. Ita « Radulfus. «

Notat inſuper Neubrigenſis anno Concilii Turonenſis nondum elapſo iram Henrici Anglorum Regis aduerſus Thomam efferbuiſſe multorum & enormium malorum, quæ deinde ſecuta ſunt, infame principium. Nam ille vt fama tulit, *Pontificatum minus ſincerè & canonicè, id eſt per operam manumque Regiam ſuſceptum pungentis conſcientiæ ſtimulos non ferens, ſecreto in manus D. Papæ reſignauit. Qui factum approbans Paſtoralem illi Sarcinam Eccleſiaſtica manu rurſus impoſuit & in homine ſcrupuloſo turbatæ conſcientiæ læſionem ſanauit.* Regreſſis ergo è Concilio Anglicanis Prælatis Regnum & Sacerdotium ſuper prærogatiuâ Clericalis ordinis diſcordare cæperunt. Quæ diſcordia adeo inualuit, vt ſeuera ſtatuta in Clericos Rex tulerit: quibus omnes Prælatos ſubſcribere coëgit: vt infra dicetur.

Huiuſce diſſidii & diſcordiæ initia repetit Geruaſius ex eo quod poſtquam Thomas è Concilio Turonenſi reuerſus eſt in Angliam, iura quædam Eccleſiæ ſuæ reuocare contendit in integrum. Imprimis ab ipſo Rege quædam Caſtella, deinde à Comite Clarenſi homagium Caſtelli Tunebriggenſis, à Willielmo de Ros prædia nonnulla, terraſque ab aliis quas de dominio Eccleſiæ ſuæ eſſe dicebat, repetiit. Vnde & Regis & Magnatum in ſe animos concitauit. Itaque Rex contra Eccleſiaſtica Priuilegia Clericos ad ſecularia iudicia vocari voluit: & quia

conatibus ſuis aduerſari vidit Thomam, apud Vveſtmonaſterium conuocauit Epiſcopos Eccleſiæ Anglicanæ. Res hæc acriter agitata, Thomas Clericorum iura fortiter propugnauit. Poſtulati vero an non vellent auitas conſuetudines obſeruare, reſponderunt ex condicto velle quidem ſe Regis & Regni conſuetudines obſeruare. Sed ſaluo ordine ſuo & iure Eccleſiæ. Non placuit Regi reſtrictio obedientiæ, ideoque è Concilio diſceſſit. Poſtridie munitiones quas Thomas à tempore initi Cancellariatus cuſtodiebat, repetiit, & hinc terror omnium animos inuadit. Hilarius Ciceſtrenſis vir facundia pollens, quanquam Primati ſuo adhæret, diſſidij tamen funeſtos euentus repræſentat, affirmatque verbuli vnius occaſione non eſſe conuellendum Regni ſtatum. Comes quoque Vendomiæ, vt ſcribit Geruaſius, M. Robertus de Meliduno & Philippus Abbas de Eleemoſyna ſuadent Regiæ conſentiendum eſſe voluntati: cum præſertim Rex Cardinalibus promiſiſſet, ſe nulla in re Eccleſiæ iura labefactaturum. Ergo ille magnorum virorum grauitate motus ſe conſenſurum, quanquam inuitus pollicitus eſt. Hinc Rex hilarior effectus Pontificum & Procerum Concilium indicit apud Clarendonam, vbi promiſſa ſolenniter ſoluerentur. De quo ad annum ſequentem dicemus.

Interim, vt ſcribit idem Geruaſius, M. Robertus de Meliduno Thomæ olim in Francia Magiſter electus eſt ad regimen Herefordenſis Eccleſiæ, tranſlato nimirum ab ea ſede ad Londinenſem Gilberto Foliotho: eumque conſecrauit Thomas in Eccleſia Cantuarienſi 12. Kal. Ianuarij acceptâ priùs ab eodem profeſſione de Canonica ſubiectione. Vtriuſque meminit Robertus de Monte. an. 1163. inquit *Giſlebertus Epiſcopus Herefordi mortuo Richardo Londonienſi Epiſcopo tranſlatus eſt ad eandem ſedem & M. Robertus de Meliduno genere Anglicus & grandæuus factus eſt Epiſcopus Herefordi.*

Porro ſoluto Concilio Turonenſi, eodem Anno Alexander Pontifex Senonas commigrauit vrbemque ſubiit multa Epiſcoporum Cardinaliumque cateruâ comitante 11. Kal Oct. die feſto B. Hieronymi, vbi ab Hugone Archiepiſcopo honorificentiſſimè exceptus eſt, vt legitur in Chronico B. Petri Viui, ibidemque per annum & dimidium in ſede Archiepiſcopi donec Italia pacaretur, commoratus eſt.

1164. Obitus M. Petri Lombardi. Anno 1164. 13 Kal. Aug. quæ eſt 20. menſis Iulii, obiit inſignis Theologiæ Antiſtes M. Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus, ſepultuſque eſt in Eccleſia Collegiata ſuburbana B. Marcelli, cuius tumulo inſcriptum ſequens Epitaphium legitur litteris partim Romanis partim Gothicis, vt tunc ferebat vſus. *Hic iacet M. Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus qui compoſuit librum Sententiarum, Gloſſas Pſalmorum & Epiſtolarum: Cuius obitus dies eſt 13. Kal. Auguſt.*

Eius mortem deflet Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Petri olim Diſcipulus Epiſtola conſolatoria ad Barbedaurum Decanum aut certè Prodecanum & Capitulum Eccleſiæ Pariſienſis, quæ legitur in Tom. 4 Hiſtoriæ Duſchieſnianæ, præcaturque Deum, vt conſilium ſalubre ſanctumque ſubminiſtret ſucceſſorem electuris. Sic vero habet.

» *H. Dei gratia Senonenſis* Eccleſiæ Miniſter B. Decano & cæteris Pariſienſis Ec-
» cleſiæ Canonicis dilectis in Chriſto fratribus ſalutem & ſalutiferam in Domino
» dilectionem. Conſideranti mihi fratres, inſperatum dulciſſimi fratris, imò vt ita
» dixerim, *chariſſimi Patris mei Pontificis veſtri* caſum & occaſum flere magis libet
» quàm ſcribere. Nimis enim ſaxeum pectus habet, quem non ad dolorem vel ge-
» mitum piiſſimi viri lachrymabilis non emollit exceſſus. Cæterum quidquid forte
» nonnulli ſentiant, ego vero prorſus plango & lamentor damnum ingens, & incom-
» modum meum. Amiſi enim portionem animæ meæ, baculum iuuentutis meæ,
» conſolatorem *& eruditorem vitæ meæ*. Baculus namque ſuſtentationis, fratres, ſicut
» ſcitis, multotiens iuueni neceſſarius eſt pluſquam ſeni, quia iuueni perneceſſa-
» ria eſt doctrina, ſenectus vero longo vſu temporis multa didicit per experimenta.
» In quo ergo erit vltra ſimilis mihi requies, ſimile gaudium, ſimile reclinatorium
» quem quoties videbam, præſente gaudio meo non gaudere non poteram. Sed quid
» dicam, Domine Deus, vt quid receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus in
» tribulatione? Modo rudem & tenerum amouiſti puerum tuum & tam cito ſub-

ſtraxiſti ei ordinatorem & Doctorem meum? Sed quidquid ago, fratres, dum dolorem meum nimis exaggero, conſolatorem oneroſum me vobis oſtendo. Iam verò dulciſſimi Patris animam dulcedini & manſuetudini commendo Redemptoris noſtri. Ad vos autem quibus compatior, ſermonis mei vultum conuerto. *Circa vos enim non mediocriter ſollicitus exiſto, quia frequenter in talibus ſubrepit inuidia, per inuidiam diſcordia, per diſcordiam diuiſio, per diuiſionem vnitatis confuſio. Tunc aduerſæ facies, tunc diſſonæ linguæ, theſaurorum diminutio & inuidorum & æmulorum cachinnus & irriſio.* Deus hoc auertat à vobis fratres, Spiritus S. plenitudo deſcendat ſuper vos, ſpiritusque veſtros vniat, diuiſiones remoueat: & quibus vnus eſt futurus paſtor, eadem paſcua guſtare concedat. Quibus inſpectis Chariſſimi fratres mementote iugiter ammonitionis noſtræ & ſalutis veſtræ. Ad illum inceſſanter corda veſtra conuertite, qui ſalus eſt omnium ſperantium in ſe.

Præuidebat Hugo prudentiſſimè quod accidit. Nam electorũ vota diu varia fuerunt, quos inter tũ erat Mauricius Archidiaconus, ſed tandẽ è toto numero Canonicorũ tres delegerunt, qui Epiſcopum deſignarent: & cum neque tres iſti concordes eſſe potuiſſent, eorum duo conſenſerunt, vt quem Mauricius nominaret, is Epiſcopus eſſet. Ille vero ſeipſum nominauit. Res hoc pacto geſta eſt, vt legitur apud Cæſarium Heiſter-Backenſem l. 6. c. 19. *Cum noſtris temporibus*, inquit, *Pariſius vacaret Epiſcopatus, & Electores inter ſe concordare non poſſent, tribus ſua vota commiſerunt: qui tres cum in unam conuenire nequirent perſonam, M. Mauricio, qui vnus trium erat, duo ſuam dederunt authoritatem, vt quemcunque ipſe nominaret, Epiſcopus eſſet. Et quia idem Mauricius, vt rei exitus probauit, magis cupiebat prodeſſe quam præeſſe, ſeipſum nominauit dicens.* Aliorum conſcientias & propoſitum ignoro; Epiſcopatum hunc gratia Dei adiuuante irreprehenſibiliter regere propono. *Quod & fecit. Sanctæ enim vitæ fuit: tam verbo quam exemplo plurimis profuit: dies ſuos in Epiſcopatu clauſit.*

Ille autem erat ortu & genere pauperrimus; quem Mater Humberga ex paupere tuguriolo agri Bituricenſis ditionis Soliacenſis Lutetiã miſerat, vt mendicando panem aut ſcholaribus ditioribus ſeruiendo, iis ſi poſſet incumberet. Tantum autem profecit in liberalibus artibus ſeque tantum profeciſſe exiſtimauit, vt interrogatus aliquando an eleemoſynam hac lege accipere vellet, vt omni Epiſcopatui renunciaret, conditionem reſpuerit. Primum ergo liberales artes docere aggreſſus eſt: deinde ad Theologiam ſe contulit, & in ea quoque Diſciplina Magiſterium adeptus Canonicatu Eccleſiæ Pariſienſis, poſtea Archidiaconatu donatus eſt. De eo dicetur amplius in Catalogo Virorum illuſtrium.

Cæterum licet communis ferat opinio ſcriptorumque caterua conſentiat Mauricium hoc anno Petro Lombardo ſuffectum fuiſſe, non caret tamen ea res difficultate propter diuerſas in authoribus antiquis & inſtrumentis publicis æræ ſeu Epochæ Chriſtianæ notas. Qua de re diſſertationis gratia non erit ſuperfluum attexere quæ ſequuntur. Imprimis certum eſt Petrum Lombardum Epiſcopum Pariſienſem creatum an. 1159. aut ſaltem 1160. ceſſione Philippi Archidiaconi fratris Ludouici Regis ob eminentem Petri Doctrinam, idque inter cæteros diſertè ſcribit **Robertus de Monte author contemporaneus in appendice ad Sigebertum** his verbis. 1159. *M. Bernardus Brito Cancellarius Eccleſiæ Carnotenſis factus eſt Epiſcopus Cornubiæ in minori Britannia. M. etiam Petrus Lombardus Pariſienſem Epiſcopatum adeptus conniuente Philippo eiuſdem Eccleſiæ Decano fratre Regis Francorum, qui vt dicunt electionem ſuam conceſſit eidem Petro.* Philippus ille obiit an. 1160. ex eodem authore: eratque, vt ipſe vult, Decanus: vel vt alii ſcribunt, Archidiaconus; neque enim in Catalogo Decanorum reperitur: quippe Bartholomæo ſucceſſit an. 1148. Clemens: Clementi Barbedaurus ſeu Barba-aurea, qui Decanatum geſſit ad annum vſque 1180. hæc obiter.

Diſſertatio de Epiſcopatu M. Mauricii.

Deinde quod Petrus Epiſcopatum tenuerit ad annum vſque 1164. quo defunctus eſt, videtur euidenter confirmare inſtrumentum fundationis B. Mariæ de Rocha factæ in Diœceſi Pariſienſi à D. Guidone de Leuis, quod in Archetypo Abbatiæ prædictæ tabulario ſeruari dicitur: quam fundationem authoritate ſua corroborauit Mauricius apud S. Victorem an. 1190. Epiſcopatus verò ſui an. 36. Inſtrumentum enim ſic incipit. In nomine D. Amen. *Ego Mauricius D. Gr. Pariſienſis Epiſco-*

pas vniuerſitati præſentium ac futurorum huius paginæ atteſtatione notificare curamus quod. & in fine *Actum apud S. Victorem aſtantibus Petro Præcentore Pariſienſi, Nicolao Presbytero Incarnationis Dominicæ an. 1190. Epiſcopatus 36.* Vnde Sequitur Mauricium anno tantum 1164. Epiſcopari cæpiſſe, ſi non ſit error in Apochæ ſeu æræ Chriſtianæ appoſitione. His adde quod M. Petri Lombardi mors incidit ex omnium ſcriptorum confeſſione & calculo in diem 20. Iulij an. 1164. & tumulus adhuc indicat.

At contra communem & vulgo receptam hanc opinionem multa faciunt. Imprimis vero quod Hilduinus Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis qui Algrino ſucceſſit, ſubſcribit litteris an. 1160. quibus Mauricius Epiſcopus confirmat donationes Eccleſiæ S. Victoris factas à prædeceſſoribus, vt refert Hemeræus. Extat & alia Charta quâ idem Mauricius confirmat donationem factam à Ferrico de Gentiliaco Eccleſiæ San-Victorinæ, cuius olim fuerat Canonicus, an. 1171. Epiſcopatus ſui an vndecimo. Sic enim in fine legitur. *Actum publicè Pariſius anno incarnationis Verbi 1171. Epiſcopatus vero noſtri an. vndecimo.* Quod inſtrumentum legitur in 4. Tom. Hiſtoriæ Ducheſnianæ. Item in alia Charta ab Odone Cancellario Hilduini ſucceſſore ſcripta an. 1164. ſic legitur. *Actum in Capitulo B. Mariæ an. 1164. regnante Ludouico 27. Mauricio Epiſcopante 3.* Cui Inſtrumento ſubſignarunt Clemens Decanus, Albertus Præcentor aliique per manum Odonis Cancellarij.

Cum his conſentit Robertus de Monte ſic ſcribens ad an. *1161. Mauricius Archidiaconus Pariſienſis ſit eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus.* Item ad Conuentum Louigennenſem in Burgundia habitum cum Friderico Imperatore de pace Eccleſiæ an. 1162. Ludouicus Rex ſecum duxit inter alios Iocium Turonenſem Archiepiſcopum & Mauricium Pariſiorum Epiſcopum, vt habetur in Chronico Vizeliacenſi. Inter Epiſtolas quoque Alexandri Pontificis ad Ludouicum Regem Franciæ vna legitur data Turonis 6. idus Decemb. an. 1162. ante celebrationem Concilij Turonenſis, in qua meminit Mauricij Epiſcopi Pariſienſis his verbis. *Licet per venerabilem fratrem noſtrum Mauricium Pariſienſem Epiſcopum tam de celebratione concilij, quàm de noſtro ad partes illas aduentu tibi nos ſignificaſſe credamus, dubitantes tamen ne forte ad notitiam tuam nondum plenariè ipſius Epiſcopi relatione peruenerit, illud eiſdem iniunximus tuæ ſerenitati auribus referendum.* Ex quibus neceſſario concludendum eſt Mauricium ante an. 1164. Epiſcopatum geſſiſſe: Petrum vero Lombardum aut deſignatum tantummodo fuiſſe: aut certè perpauco tempore Epiſcopum fuiſſe: vel eum ob amorem ſtudiorum Mauricio tanquam Coepiſcopo Epiſcopalia munia commiſiſſe. Sed hæc Criticis inquirenda & diſtienda relinquimus. Ad hiſtoriam reuertamur.

Eodem anno Odoni Cancellario ſucceſſit M. Petrus Comeſtor: quantæ vero Odo celebritatis fuerit in ſcholarum exercitio, patet ex Ep. 267. Ioannis Saresberienſis qua eum conſulit ſuper ratione Iubilæi. *Ad quem ibo*, inquit, niſi ad illum qui panem Diſcipulis frangere conſueuit, vt digeri poſſit & tranſire in alimenta ſcientiæ & morum? Idem ſubſcripſit hoc anno cum Clemente Decano & Alberto Præcentore cuidam nouo beneficio quod Canonici Pariſienſes addiderant ad fundationes factas in Eccleſia S. Dionyſij de Paſſu à Simone Canonico Pariſienſi & Oſmundo fratribus, de Paſſiaco ſeu potius de Piſciaco cognominatis.

Exiſtimat etiam Hemeræus in ſuo de Academia Pariſienſi libello Mauricium Epiſcopum renouaſſe quandam conſtitutionem de iuriſdictione Epiſcopali in Academiam: quam tranſtuliſſe ait in Cancellarium, in iis quæ ad regimen ſcholarum ſcholariumque ſpectabant eique poteſtatem attribuiſſe coërcendi caſtigandique Clerici, & de vicaria illa delegatione conſcripſiſſe inſtrumentum publicum propriaque manu & ſigillo communiuiſſe. *Quod Ioannes de Oliua Cancellarius* inquit, *pag. 93. aliis actionis & litis quam Academicis intentarat, libellis aliquando permiſcuit, & ad ſubſidium cauſæ produxit cum permultis excommunicationum actibus quibus ſcholares Pariſienſes vetuſti Cancellarij atque eorum Officiales olim illigarant.* Ille autem Ioannes Cancellarius erat & ſuccentor Eccleſiæ Pariſienſis an. 1459. ſed de hoc alias.

Eodem anno menſe Aprili in Palatio Pariſienſi, Quadrageſimali tempore agi-

tata eſt cauſa ſecularis, quæ intercedebat inter Mauricium Epiſcopum & Odonem Abbatem S. Dionyſij præſente Alexandro Pontifice ob Eccleſiam Argentolij. Contendebat enim Epiſcopus Abbatiſſam ibi cum Virginum Collegio iuxta veterem conſuetudinem à Sugerio interruptam collocari debere : contra Odo Monachos ibi rectè à Sugerio prædeceſſore ſuo conſtitutos aſſerebat, quod non fuiſſent Moniales illæ ſatis caſtigatæ vitæ. Huiuſce cauſæ diſceptatio legitur in quadam membrana Archiuij Pariſienſis. Vnde intelligimus Alexandrum Pontificem poſt Turonenſe Concilium habitum Pariſios rediiſſe.

Eodem anno 16. Kal. Iunij obiit huiuſce ſeculi ſidus muliebre illuſtriſſimum & ſplendidiſſimum Heloïſſa vxor Petri Abaëlardi in Cœnobio Paracletenſi, quod ab an. 1130. rexerat. Neptis erat Fulberti Canonici Pariſienſis, non Notha Ioannis cuiuſdam etiam Canonici, vt vult Papyrius Maſſonius, quam quantò amplius diligebat Fulbertus, tanto diligentius ad omnem quam potuerat, litterarum ſcientiam promoueri ſtuduerat, vt ante diximus.

Dici non poteſt quàm multæ Virgines deuotæ Heloïſſæ regimini ſe ſubdiderint, & quàm multa bona pauco tempore poſſederint. Audiamus Abaelardum hac de re ſic ſcribentem Ep. 1. c. 13. *Plus vno anno in terrenis commodis ſunt multiplicatæ :* quàm Ego per centum, ſi ibi permanſiſſem. Tantam autem gratiam in oculis omnium illi ſorori noſtræ, quæ cæteris præerat Dominus annuit, vt eam Epiſcopi quaſi filiam, Abbates quaſi ſororem, Laici quaſi matrem diligerent, & omnes eius religionem, prudentiam & in omnibus incomparabilem manſuetudinem admirarentur : quæ quantò ſe rarius videri permittebat, vt ſacris orationibus vacaret, tantò ardentius eius colloquij ſpiritalis monita, hi qui foris ſunt, efflagitabant. Obiit tandem illa magno Comitum ſuarum dolore & eodem tumulo in quo maritus repoſitus fuerat, condi voluit. Epitaphium eius tale legitur.

Hoc tumulo Abbatiſſa iacet prudens Heloiſſa :
Paraclitum ſtatuit, cum Paracleto requieſcit.
Gaudia Sanctorum ſua ſunt ſuper alta polorum
Nos meritis precibusque ſuis exaltat ab imis.

Amborum autem corpora è tumulo iſto in maiorem Baſilicam tranſlata ſunt an. 1497. 2 Maii. Ibidem quoque fuiſſe videtur tumulatus Petrus Aſtralabius vtriuſque filius : de quo ſic legitur in Necrologio Paracletenſi. 4. *Kal. Nouemb. Obiit Petrus Aſtralabius Magiſtri noſtri Petri filius.*

Eodem anno fatis conceſſit vir eximiè prædicabilis Hugo Ambianenſis ex Monacho Cluniacenſi Prior S. Pancratij de Lewis in Anglia : deinde Radingenſis Abbas, poſtremo Archiepiſcopus Rothomagenſis ab an. circiter 1130. viduis & orphanis aliiſque pauperibus largus, *vir magnæ litteraturæ*, inquit Robertus de Monte, *multa iocundè edidit*, præſertim verò librum elegantem de diuerſis Quæſtionibus ad Mathæum Albanenſem, & Tractatum ſuper hæreſibus in Armorico ſolo natis, quem Alberico Oſtienſi Epiſcopo dicauit Epiſtola breui, quæ continetur in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem Andreæ Quercetani, eſtque eiuſmodi. *Reuerende Pater* digna ſedet mihi memoria reminiſci qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum Ciuitate Nannetenſi meruimus aſſiſtere tibi. Ibi ſanctorum corpora Martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum multo cætu fidelium præſente ſuſcepta præſentaſti, præſentata relocaſti cum digno honore : ibi tantum aſpeximus Comitem præcipiti lapſu in occiduo ruentem, ruinam hæreſis quæ in Aremorico tunc ſcatebat te proteſtante ſignantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica ſtare non poterat : proinde placuit tibi ſuper hæreſibus inſurgentibus nos aliqua ſcribere ; quod & ſuſcepimus tuæ iuſſionis authoritate, *ſed ſuccincto opere ſub breui charactere.* Quæ vero ſunt illæ hæreſes Aremoricæ ? Abaëlardi credo, Arnoldi Brixienſis qui aliquandiu cum eo & apud eum latuit ; poſtremo vero Eudonis ſeu Eonis illius fatui, qui plebem Aremoricam dementarat. Ad eum extant plurimæ Clarorum virorum litteræ, Arnulfi Lexouienſis 15. Bernardi Clare-vallenſis 25. Sugerii 101. Petri Venerabilis l. 1. Ep. 4 & l. 6. Ep. 32. Obiit autem 4. Octob. vtſcribit Robertus de Monte,

vel vt alii 4. id. Nouembr. eique hoc Epitaphium Arnulfus Lexouienſis cecinit.

Inter Pontifices ſpeciali dignus honore
Hic noſter carnis Hugo reſignat onus.
Conſignata breui clauduntur membra ſepulchro,
Non tamen acta viri claudit vterque polus.
Quidquid diſpenſat, & compartitur in omnes
Gratia, contulerat præſtiteratque viro.
Fœcundos igitur virtutum copia fructus
Fecit & vltra hominem eſt magnificatus homo.
Tandem poſt celebris felicia tempora vitæ
Suſtulit emeritum flebilis hora ſenem.
Par Martine tibi conſorſque futurus eandem
Sortitus mecum eſt comoriendo diem.

Ei ſucceſſit Rotrodus de Beaumont le Roger, aliàs de Waruic, de quo alibi dicetur.

Hoc quoque anno teſte eodem Roberto de Monte Giſlebertus Epiſcopus Herefordienſis mortuo Richardo Londonienſi Epiſcopo tranſlatus eſt ad eandem ſedem. Et M. Robertus de Meliduno, ſic dictus quod Meliduni poſt Abaëlardum docuerit, vir genere Anglicus & grandæuus factus eſt Epiſcopus Herefordienſis.

Hoc quoque anno exarſit aperta inter Angliæ Regem Henricum II. & Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum diſcordia. Cum enim Rex magnum Prælatorum & Baronum conuentum apud Clarendonam indixiſſet, cui præſedit Ioannes de Oxonia, iuſſit recognoſci quaſdam conſuetudines auitas & libertates Anteceſſorum ſuorum, Regis videlicet Henrici aui ſui & aliorum, quas obſeruari voluit in poſterum diligentiſſimè ad tollendas diſſenſiones & diſcordias, quæ ſæpe inter Clerum & Iuſticiarios Regni emergebant. At illis Iuriſdictio & authoritas Eccleſiaſtica plurimum imminui & labefactari, Laica vero poteſtas præualere videbatur, quia illa huic ſubiiciebatur ex legibus illis nouis. Et tamẽ iis Thomas primum cum aliis Prælatis ſubſcripſit. Verum ad ſe reuerſus, & quid egiſſet, examinans apud ſe, quamque ignauè libertatem Eccleſiaſticam ipſe Angliæ Primas prodidiſſet attendens, graui dolore correptus pœnitentiam egit: tũque ſe ipſum tormentis auſterioribus affligit & indumentis durioribus corpus humiliat, inquit Mathæus, ſuſpenditque ſe ab Altaris officio, donec per Confeſſionem & condignos pœnitentiæ fructus à ſummo Pontifice mereatur deuotus abſolui. Non probauit tamen iſtam pœnitentiam Pontifex, maximè quoad abſtinentiam à Miſſæ ſacrificio, propter ſcandalum: quia ſi quid peccauerat, in Conuentu Claredonenſi ſubſcribendo prauis conſuetudinibus aut legibus, ex ignorantia & aliorum Prælatorum conſilio impulſus peccauerat. Tunc erat Alexander Senonis, & in-

de dedit ad Thomam litteras quæ ſic incipiunt. *Ad aures noſtras fraternitas tua nouerit fuiſſe perlatum & quorundam nobis relatione ſuggeſtum, quod occaſione cuiuſdam exceſſus à Miſſarum propoſueris celebratione ceſſare & à conſecratione Corporis & ſanguinis Domini abſtinere.*

Innotuit idipſum Henrico, velle Archiepiſcopum infringere quod factum fuerat, conſuetudinesque Regni nolle ſigillo ſuo corroborare. Vnde exaſperatus cœpit eum variis modis vexare. Qua de re ſic Neubrigenſis lib. 2. rerum Anglic. c. 16. vbi de Conuentu Clarendonenſi agit. *Conuocatis ergo*, inquit, *ad eliciendum quocunque modo conſenſum Epiſcopis, ita omnes vſque ad vnum vel pellexit blandiciis vel infregit terroribus, vt Regiæ voluntati cedendum parendumque putarent, & nouarum illarum legum conſcriptioni propria ſigilla apponerent. Vſque ad vnum dico. Nam ſolus Cantuarienſis Archiepiſcopus flexus non eſt, ſed ad omnem impulſum ſtetit immobilis.* In hoc diſſentit à Mathæo qui eum aliis ſubſcripſiſſe dicit. *Tunc vero tanto vehementius* Regis in eum furor efferbuit, quanto ipſe Regali magnificentiæ ratione dati & accepti magis obnoxius videbatur. Vnde Rex cœpit ei grauis exiſtere, occaſionibus eum vndecunque exquiſitis pulſare, eorumque olim in Regno

Cancellarius fecerat, rationem expoſcere. Ille intrepida libertate reſpondit ſe « expleta ſeculari militia, Eccleſiæ à principe cui militauerat abſolutè fuiſſe di- « miſſum, nec debere in ſe per occaſionem magis quàm veritatem vetera replicari. « Cumque in dies Regii furoris cauſæ ingraueſcerent, eo die quo plenius reſpon- « ſurus erat obiectis, ſolenne illud Officium de B. Stephano ſcilicet, *Sederunt* « *Principes & aduerſum me loquebantur, & iniqui perſecuti ſunt me*, iuſſit coram ſe in ce- « lebratione ſacrificii ſolenniter decantari. Mox Curiam ingreſſus eſt. Crucem « argenteam ante ſe portari ſolitam propria manu baiulans. Volentibuſque quibuſ- « dam Epiſcoporum qui aderant, Miniſterium portandæ ante Metropolitanum « proprium Crucis ſuſcipere, abnuit: nec alium in illo Conuentu publico Crucis « Baiulum quantumcunque rogatus admiſit. Iis tanquam excandeſcentis iam fu- « roris fomitibus Rege ſupra modum inflammato, ſequenti nocte clam profu- « giens transfretauit & ſuſceptus honorificè à Rege, Nobilibus Epiſcopiſque Fran- « corum pro tempore ibidem conſedit. «

Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico ait eum primò in cœnobio Pontiniacenſi moratum, deinde Senonis in Cœnobio S. Columbæ Regiis expenſis fuiſſe ſuſtentatum. Adiit autem ſtatim Alexandrum Pontificem, qui tunc Senonis erat ab eoque honorificè ſuſceptus eſt, ſed frigidè à Cardinalibus, ſeu quos ſibi iam Rex Henricus deuinxerat, ſeu qui verebantur ne hac occaſione Rex Angliæ ab Alexandri obedientia deſciſceret.

Verum & alia fuit tam præcipitis cauſa diſceſſus, quam refert Radulfus de Diceto, teſtis fere oculatus omnium quæ tum acta ſunt. Nimirum Rex Norhamtunæ habito 3. id. Octob. frequenti Conuentu Epiſcoporum, Comitum, Baronum totius Regni Thomam conueniri permiſit, imo voluit interpellari de perceptis reditibus Epiſcopatuum & Abbatiarum vacantium, item Caſtellaniarum pluribus annis poſſeſſarum, quos dum Cancellarius eſſet cuſtodiæ ſuæ deputatos à Rege habuerat. Et licet Cancellariæ renuncians à Rege abſolutionem petiiſſet & obtinuiſſet, id Epiſcopi & Proceres non ſufficere arbitrati petebant nihilominus bonorum iſtorum reddi rationem. Iuſta omnibus viſa eſt hæc petitio & interpellatio. Thomas agnoſcens omnium ob hoc à ſe auerſos eſſe animos, ab eorum iudicio appellat, eoſque anathemate ferit quod in Patrem & iudicem ſuum ſententiam ferrent. Nihilominus illi in eum nec conuictum, ſed priuilegium Eccleſiæ proteſtantem ſolummodo, ſuam ſententiam intorquent. Sic Archiepiſcopus in arctiſſimo poſitus multis affectus iniuriis & opprobriis laceſſitus Epiſcoporumque deſtitutus opera & conſilio, crucem quam manu tenebat in altum erigens diſceſſit è Curia. Nocte ſequente clam aufugit & diebus noctibuſque iter peragens conſcenſa fragili nauicula tranſuehitur in Flandriam, indeque in Galliam ad Alexandrum Senonis tunc ſedentem.

Præſentit Rex fugam, incertus tamen quo iret Thomas, nuncios ſuos in omnem euentum ad Alexandrum dirigit. Erant illi omnes è Primoribus Angliæ, Archiepiſcopus Eboracenſis, Londinenſis, Ceſtrenſis, Vvigornenſis, Oxonienſis, Lexouienſis, Sagienſis Epiſcopi. Richardus Pictauienſis Archidiaconus, Vvaltham decanus, Ioannes Oxonienſis, Ioan. Cymin. Comes Arundelius. R. de S. Valerico, Henricus Camerarius, Hugo de Gundeuilles. Illi in conſiſtorio auditi ſic retulerunt & perorarunt. *Inter Thomam Archiepiſcopum & Regem Anglorum controuerſia verſabatur.* De vtriuſque voluntate dies præfigitur, vt in ea iuſtitiâ me- « diante illorum controuerſia terminetur. Ad eandem diem ex præcepto Regio « Archiepiſcopi, Epiſcopi & cæteri Eccleſiarum Prælati conuocantur, vt quanto « generalior eſſet Concilij celebratio, tanto manifeſtior fieret fraudis & malitiæ de- « nudatio. Conſtituta die Catholici Principis aſpectui ſe præſentauit Regni turba- « tor & Eccleſiæ. Qui de ſuorum meritorum qualitate non ſecurus, Dominicæ cru- « cis armat ſe ſignaculo, tanquam ad Tyranni præſentiam acceſſurus. Nec tamen « Regia Maieſtas modo offenditur, ſed cauſæ ſuæ iudicium Epiſcporum fidei com- « mittit, vt ſic ab omni ſuſpicione liberetur. Reſtabat vt Epiſcopi cauſam iudicio « terminarent, vt ſic diſſidentes in gratiam fœderarent & diſſenſionis eorum ma- « teriam ſepelirent. At obuiat aduerſarius & obiicit, quod ipſum coram Rege ſtare « iudicio eſſet Apoſtolicæ ſedis & dignitatis diminutio: ac ſi neſciat, quodetſi in illo « iudicio aliquantulum Eccleſiæ dignitati derogaretur, diſſimulandum erat pro «

tempore vt pax Eccleſiæ redderetur. *Obiicit iterum Patris ſibi nomen adſcribens quod arrogantiam videtur redolere, quod filij in patris damnationem minimè debuerant conuenire: ſed neceſſarium erat vt patris ſuperbiam filiorum humilitas temperaret, ne poſt Patrem in filiis Patris odium parentaret.*

Petierunt inſuper prædicti nuncij mitti in Angliam duos Cardinales, qui cauſam non Eccleſiaſticam inter Regem & Archiepiſcopum Norhamtunæ ventilatam, & quamcunque aliam, ſi contingeret, remoto appellationis obſtaculo præſente Rege, præſente Archiepiſcopo terminarent. Id vero minus æquum eſſe viſum eſt, donec auditus fuiſſet Archiepiſcopus, qui nondum aduenerat. At poſtmodum eidem Pontifici ſe præſentem exhibens cauſam ſuam ſic defendere aggreſſus eſt, vt legitur apud Radulfum de Diceto.

" Ad audientiam tuam, Pater ſanctiſſime, confugio, vt qui Eccleſiæ libertatem tan-
" to tui diſcrimine redemiſti, eam vel ſolam vel maximam meæ perſecutionis cau-
" ſam attendas, quod exemplo tuo vſus ſum. Dolui enim ſtatum Eccleſiæ labefacta-
" ri paululum & iura eius in auaritiam Principum diſſipari, & occurrendum credidi
" morbo venienti. Et quo plus illi Domino meo, cui poſt Deum cætera debeo,
" me ſciebam obligatum, eo tutius iniquis eius inſtigationibus arbitrabar reſiſten-
" dum donec obtinuerunt illi & ſerenitatem eius obfuſcauerunt mihi. Exinde vt
" moris eſt apud Principes, criminationes & calumnias iniecerunt in occaſionem
" perſecutionis meæ, & ego eiici malui quam ſubſcribere. Acceſſit enim his malis
" quod vocatus ſum, vt coram Rege tanquam Laicus ſatisfacerem & vnde mihi re-
" ſiſtendi ſuffragia ſperaueram, tam deſtitutus.
" Animaduerti Dominos & confratres noſtros Epiſcopos iſtos pro Aulicorum ar-
" bitrio in me paratos animaduertere. Ita cunctis incurſantibus fere ſuffocatus ad
" tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis negligit, reſpiraui: ſub qua demon-
" ſtraturus aſto me nec ibi fuiſſe iudicandum, nec ab illis. Nam quid hoc aliud eſ-
" ſet Patres, niſi veſtra iura vobis ſubſtrahere? quid aliud quam ſpiritualia tempo-
" ralibus ſubmittere? ſemel natum hoc exemplũ eſſet ad multa: ideo credidi firmius
" reſiſtendum, quod affectus procliuior nocendi naſceretur, ſi prius debilitatem ag-
" noſcerent. At inquient, reddenda erant Cæſari quæ Cæſaris erant. Sed etſi in plu-
" ribus obtemperandum regi, in illis tamen obtemperandũ non eſt, quibus efficitur
" ne Rex ſit. Non eſſent illa Cæſaris ſed tyrãni, inquibus etſi non pro me, pro ſeipſis ei
" reſiſterent. Nunquid eorum perſecutionẽ merui pro quibus tantis occurſibus me
" oppoſueram? obtinuiſſem ſi voluiſſent illi, ſed male caput agit, ſi à membris deſti-
" tuitur: quin etiam ſi oculi linguam contra caput aſſumant. Si bene præuidiſſent,
" in ſe perniciem machinabantur, & Epiſcoporum vſi ſunt Principes auxilio in
" eorum ſeruitutem. Quæ hæc tanti odii cauſa fuerat, vt pro me extinguendo ſe
" ipſos extinguerent? ita dum ſpiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in
" vtriſque. Quid quod me etiam reclamante & audientiam iſtam appellante pa-
" trem ſuum in iudicio damnare auſi ſunt? Condeſcende igitur Pater ſanctiſſime in
" fugam meam & perſecutionem: & me aliquando magnum fuiſſe reminiſcere
" tempore tuo & propter te iniuriis laceſſitum, vtere rigore tuo. Coërce illos quo-
" rum inſtinctu **nomen huius perſecutionis obrepſit. Nec Domino Regi horum**
" aliquid imputetur, qui huius machinationis potius eſt miniſter, quàm repertor.

Vt autem amplius cauſæ ſuæ æquitatem demonſtraret, tradidit Papæ ſcriptum in quo conſuetudines Regiæ continebantur apud Clarendonam promulgatæ, quarum plurimam partem etiam Papa damnauit.

Prima hæc erat. *De Aduocatione* & præſentatione Eccleſiarum: ſi controuerſia emerſerit inter Laïcos & Laïcos, vel inter Clericos & Clericos, in Curia D. Regis tractetur & terminetur. *Hanc damnauit*, vt habetur in Codice Vaticano.

2. *Eccleſiæ* de Feudo D. Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & confeſſione ipſius. *Hoc tolerauit.*

3. *Clerici* citati & accuſati de quacunque re moniti à Iuſtitia Regis venient in Curiam ipſius reſponſuri ibidem de hoc, vnde videbitur Curiæ Regis quod ſit ibi reſpondendum. Ita quod Iuſtitia Regis mittet in Curiam S. Eccleſiæ ad videndum quâ ratione res ibi tractabitur. Etſi Clericus conuictus vel confeſſus fuerit, non debet de cætero eum Eccleſia tueri. *Hoc damnauit.*

4. *Archiepiſcopi*, Epiſcopis & perſonis Regni non licet exire de Regno abſque licentia

licentia D. Regis, etſi exire voluerint & D. Regi placuerit, aſſecurabunt, quod in eundo nec in moram faciendo, nec redeundo perquirent malum damnum D. Regi vel Regno. *Hoc damnauit.*

5. *Excommunicati* non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare iuramentum ſed tantum vadium & plegium ſtandi iudicio Eccleſiæ vt abſoluantur. *Hoc damnauit.*

6. *Laici* non debent accuſari, niſi per certos & legales accuſatores & teſtes in præſentia Epiſcopi: ita quod Archidiaconus non perdat ius ſuum nec quidquam quod inde habere debuit. Et ſi tales fuerint qui culpantur, quod non velit nec audeat accuſare eos, Vice-Comes requiſitus ab Epiſcopo faciet iurare 12. Legales homines de viſneto ſeu de villa coram Epiſcopo, quod inde veritatem ſecundum conſcientiam ſuam manifeſtabunt. *Hoc tolerauit.*

7. *Nullus* qui de Rege teneat in capite, nec aliquis Dominicorum Miniſtrorum eius excommunicetur, nec terræ alicuius eorum ſub interdicto ponantur, niſi prius D. Rex ſi in terra fuerit, conueniatur, vel iuſtitia eius, ſi fuerit extra Regnum, vt rectum de ipſo faciat; & ita vt quod pertineat ad curiam Regiam, ibidem terminetur, & de eò ſpectabit ad Eccleſiaſticam curiam, ad eundem mittatur vel terminetur. *Hoc damnauit.*

8. *De appellationibus* ſi emerſerint ab Archidiacono, debent procedere ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum: & ſi Archiepiſcopus defuerit in iuſtitia exhibenda, ad D. Regem perueniendum eſt poſtremo, vt præcepto ipſius in curia Archiepiſcopi controuerſia terminetur: ita quod non debet vlterius procedere abſque aſſenſu Regis. *Hoc damnauit.*

9. *Si calumnia* emerſerit inter Clericum & Lacum, vel è conuerſo de vllo tenemento, quod Clericus velit eleemoſynam attrahere, Laicus vero ad Laicum feudum recognitione 12. legalium hominum per capitalis iuſtitiæ Regis conſiderationem terminabitur, vtrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſiue ad feudum Laicum coram ipſa iuſtitia Regis. Etſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in curia Eccleſiaſtica: ſi vero ad Laicum feudum, niſi ambo tenementum de eodem Epiſcopo vel Barone aduocauerint, erit placitum in curia Regia. Si vterque aduocauerit de feudo illo eundem Epiſcopum vel Baronem, erit placitum in curia ipſius: ita quod propter factam recognitionem, ſaiſinam non amittat qui prius ſaiſatus fuerit. *Hoc damnauit.*

10. *Qui de Ciuitate*, vel Caſtello vel Burgo vel Dominico Manerio Regis fuerit, ſi ab Archidiacono vel Epiſcopo de aliquo delicto citatus fuerit, vnde eidem debeat reſpondere, & ad citationes eorum ſatisfacere noluerit, bene licet eum ſub interdicto ponere, ſed non debet excommunicari prius quàm Capitalis Miniſter Regis villæ illius conueniatur, vt iuſticiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi Miniſter Regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia Regis & exinde poterit Epiſcopus ipſum accuſatum Eccleſiaſtica Iuſtitia exercere. *Hoc damnauit.*

11. *Archiepiſcopi*, Epiſcopi & vniuerſæ perſonæ Regni qui de Rege tenent in capite & habent poſſeſſiones ſuas de Dominio Regis ſicut Baroniam, & inde reſpondent Iuſtitiis & Miniſtris Regis, & ſequuntur & faciunt omnes conſuetudines Regias & rectitudines. Et ſicut cæteri Barones debent intereſſe iudiciis curiæ D. Regis cum Baronibus vſque perueniatur in iudicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem. *Hoc tolerauit.*

12. *Cum vacauerit* Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia vel Prioratus de Dominio Regis, debet eſſe in manu eius, & inde percipiet omnes reditus & exitus ſicut Dominicos. Et cum ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, debet D. Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ & in Capella ipſius debet electio fieri aſſenſu eius & conſilio perſonarum Regis quas ad hoc faciendum vocauerit. Et ibidem faciet electus homagium & fidelitatem D. Regi ſicut Ligio Domino de vita & membris & de honore ſuo terreno, ſaluo ordine ſuo priuſquam ſit conſecratus. *Hoc damnauit.*

13. *Si quiſquam* de Proceribus Regni diffortiauerit Archiepiſcopo vel Epiſcopo vel Archidiacono de ſe vel de ſuis iuſtitiam exhibere, Rex debet iuſtitiare. Et ſi forte aliquis diffortiauerit D. Regi rectitudinem ſuam, Archiepiſcopi, vel Epiſ-

copi & Archidiaconi debent eum iuſtitiare vt D. Regi ſatisfaciat. *Hoc tolerauit.*

14. *Catalla* eorum qui ſunt in Regis forisfacto, non detineat Eccleſia vel Cœmiterium contra Iuſtitiam Regis, quia ipſius Regis ſunt, ſiue in Eccleſiis ſiue extra fuerint inuenta. *Hoc tolerauit.*

15. *Placita* de debitis quæ fide interpoſita debentur, vel abſque interpoſitione fidei, ſint in curia Regis. *Hoc damnauit.*

16. *Filij* Ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu Domini de cuius terra nati dignoſcuntur. Hoc tolerauit.

His actis Thomas voluit Archiepiſcopatum ſuum Papæ reſignare, vt ante Turonis fecerat, & annulum reſignauit: quia aiebat ſe in Chriſti ouile non intraſſe per oſtium, ſeque eo indignum reputabat. Verum diuerſis in hanc rem Cardinalium & aſſidentium prolatis ſententiis iubetur Archiepiſcopum ſe gerere & in Monaſterio Pontiniacenſi reſidere. Henricus autem & Papæ & Thomæ offenſus conſtitutiones prioribus longè duriores promulgauit, quæ habentur etiam in Codice Vaticano & leguntur apud Baronium. Eas autem miſit Rex in Normaniam: taleſque ſunt.

1. *Si quis* inuentus fuerit ferens litteras D. Papæ vel aliquod mandatum Archiepiſcopi Cantuarienſis continens interdictum Chriſtianitatis in Angliam, capiatur, & de eo ſine dilatione iuſtitia fiat, ſicut de Traditore Regio.

2. *Præterea* nullus Clericus, vel Monachus, vel Conuerſus vel alicuius Conuerſionis permittatur transfretare, vel redire in Angliam, niſi de tranſitu ſuo habeat litteras iuſtitiæ: & de reditu ſuo litteras D. Regis. Si quis aliter inuentus fuerit agere, capiatur & incarceretur.

3. *Ne aliquis* appelletad Papam vel ad Archiepiſcopum.

4. *Ne aliquod* Placitum teneatur de mandatis Papæ, vel Archiepiſcopi, vel aliquod mandatum illoſum in Anglia ab ullo homine recipiatur. Si quis inuentus fuerit aliter agens, capiatur & incarceretur.

5. *Generaliter* quoque interdictum eſt, quod nullus ferat aliquod mandatum Clerici vel Laici D. Papæ vel Archiepiſcopo. Si talis inuentus fuerit, capiatur & incarceretur.

6. *Si Epiſcopi* vel Clerici vel Abbates vel Laici ſententiam Interdicti teneri voluerint, ſine dilatione de terra eiiciantur, & tota eorum cognatio; ita quod de Catallis ſuis nihil ſecum ferant.

7. *Vt Catalla* omnium Papæ vel Archiepiſcopo fauentium & omnes poſſeſſiones eorum & omnium ei pertinentium cuiuſcunque gradus, vel ordinis, vel ſexus, vel conditionis ſint, capiantur, & in Dominica manu D. Regis confiſcentur.

8. *Vt omnes* Clerici qui reditus habent in Anglia, ſint commoniti per omnes Comitatus, vt infra tres menſes veniant in Angliam ad reditus ſuos, ſi diligunt reditus ſuos: & ſi non venerint ad terminum ſtatutum, reditus in manu Regis capiantur.

9. *Vt denarij* **B. Petri non reddantur vlterius Apoſtolico, ſed diligentius colligantur** & ſeruentur in Theſauro Regis, & expendantur ad eius præceptum. *Iſti ſunt Denarij* qui vocabantur lingua Anglicana *Romſcot*, quod tributum Offa Rex inſtituerat in gratiam ſcholarium nationis Anglicanæ Romæ degentium.

Cæterum has leges promulgari iuſſit Henricus, poſtquam legati, quos Senonas ad Alexandrum miſerat, vt de Thoma conquererentur, reinfecta redierunt. Nam poſtquam Thomas apud eundem Pontificem perorauit & cauſam Eccleſiæ eſſe, non ſuam demonſtrauit, Pontifex eum abſoluit, ſententiam contra eum latam irritam fecit, eoſque qui eam tulerant, aut qui bona ipſius abſtulerant, Cenſuris Eccleſiaſticis illigandi poteſtatem conceſſit, Regem tamen excepit. Sic enim ille.

» Cæterum ſi hi, qui in poſſeſſionibus & bonis Eccleſiæ tuæ tibi aut tuis vel
» violentiam, vel iniuriam intulerunt, legitimè commoniti vobis ablata reſtituere
» & ſatisfactionem congruam exhibere noluerint, tu in eos ſi opportunum eſſe vi-
» deris, Eccleſiaſticam iuſtitiam non differas exercere. Et nos quid inde rationabi-
» liter feceris, ratum habebimus atque firmum. Verum de perſona Regis ſpeciale

tibi Mandatum mandamus, nec tamen in aliquo tibi ius Pontificale, quod in
conſecratione tua ſuſcepiſti adimimus, ſed ipſum illæſum volumus conſerua-
re.

Rogauerat autem primùm Henricus Ludouicum per nuncios & per litteras, ne Thomam in Regno ſuo morari pateretur, damnatum à ſe ex Baronum ſuorum Conſilio: vnde ille ſe in oratione ad Alexandrum Senonis habitâ omni ſolatio deſtitutum fuiſſe queritur, ab amicis deſertum, bonis omnibus ſpoliatum. Quantam verò iram Henricus conceperit erga Thomam, vel ex hac Epiſt. patet.

Domino & Amico ſuo Ludouico Illuſtri Francorum Regi Henricus Rex Anglorum & Dux Normanorum & Aquitanorum & Comes Andegauorum ſalutem & dilectionem. *Sciatis quod Thomas qui Cantuarienſis fuit Archiepiſcopus in curia mea in plenario Baronum Regni mei Conſilio vt iniquus & proditor meus & periurus publicè iudicatus eſt & ſub manifeſto proditoris nomine iniquè diſceſſit*; ſicut Nuncij mei plenius vobis dicent. Inde eſt quod precor vos diligenter, ne hominem tantorum ſcelerum & proditionum infamem in Regno veſtro nec homines ſuos eſſe permittatis, nec à vobis vel à veſtris aliquod conſilium vel auxilium tantus inimicus meus, ſi placet, percipiat: quia inimicis veſtris & Regno veſtro nec à me nec à terra mea vllatenus exhiberem nec exhiberi permitterem. Imo ſi placet efficaciter me iuuetis ad dedecus meum vlciſcendum de tanto inimico meo, & ad honorem meum perquirendum ſicut velletis quod vobis facerem, ſi opus eſſet. Teſte R. Comite Legrec. apud Northanton.

Nihilominus exulantem Thomam excepit benigniſſimè Ludouicus ſuadentibus & annitentibus Guillelmo de Campania Reginæ fratre, magni viro conſilij ſingulariſque prudentiæ, & Hugone Senonenſi Archiepiſcopo.

Eodem anno obiit Octauianus ſeu Victor Antipapa: eique ſuffectus eſt Guido Cremenſis ſub Paſcalis II. nomine. Quis autem fuerit Octauianus quibuſque moribus, deſcribit Petrus Bleſenſis Ep. 48. ſimulque quomodo ab eo in Italia tractatus fuerit. *Octauianus ille*, inquit, *author ſchiſmatis toto tẽpore vitæ ſuæ congregauerat opes & diuitias vt quietẽ Eccleſiæ perturbaret. Suis igitur largitionibus ita infaſcinauerat ſapientes huius ſeculi, quod Magnatum ſibi conciliauerat fauorem & gratiam, magnamque partem* curiæ ſecum traxerat in errorem. Sed iuxta verbum Ieremiæ Prophetæ perdix fouet quæ non peperit. Fecit diuitias & non in iudicio: in nouiſſimo tempore derelinquent eum & in fine ſuo apparebit ſtultus. Erectus fuerat Octauianus in contumeliam Eccleſiæ Chriſti & cecidit. Sathanas enim Sathanam expulit, & abſtulit eum primogenita mors ſicut dicit Iob. Superbia namque primitiua mortis generatio eſt. Poſt hunc exaltatus eſt Guido Cremanus & corruit. Poſt ipſum eleuatus eſt Ioannes Struma, & deiectus atque confractus euanuit. Ecce Idolum Dagon, quod iuxta arcem Domini fuerat eleuatum prius cecidit proſtratum. Erectum ſecundò corruit ex magna parte confractum. Eleuatum vero tertiò tandem totum confractum inuentum eſt & toto corpore diſſipatum. Sic Octauianus in ſuperbia & abuſione ſummum ſibi vſurpauerat ſacerdotium, & propter hæc vehementi ſchiſmate turbauerat vrbes & Regna concuſſerat, ſortem habiturus cum Chore, Dathan & Abiron, quorum ſe imitatorem fecerat. Ecce quod de ipſo & conſimilibus eius prædixerat Iſaias. Nunquid non eſt iſte vir qui turbauit terram, qui concuſſit Regna, qui poſuit orbem terræ deſolatum & vrbes eius deſtruxit? detrahetur ad inferos ſuperbia eius. Concidit cadauer eius. Subter eum ſternetur tinea & operimentum eius vermis. Adhuc recolo quàm glorioſus erat in oculis ſuis, quàm pompoſus in verbis. Fui præſens vbi ſe faciebat tanquam ſtatuam adorari. Nam & ego cum aliis in via ad Rom. Curiam à carnificibus eius captus & ſpoliatus & cæſus ſum: cumque ſocij mei conjecti in vincula in compedibus remanſiſſent, Ego præueniente Chriſti miſericordia nec flexi genua mea ante Baal, nec ſportâ dimiſſus ſum, & ſic effugi manus ſuas. Semper redibit in memoriam iniquitas Patrum, & peccatum Octauiani non delebitur in æternum. Ipſe enim erat qui crudelius cæteris Clericos affligebat, perſecutus homines inopes & mendicos & compunctos corde mortificare. O quàm cæcus & turbidus eſt inuidiæ oculus! Vbi quæſo erant Cardinalium corda, quando filium ſuperbiæ & Idolum abominationis in apoſtolatus apicem erigebant? vt de vobis taceam, ne videar adulari, quomodo clauſis oculis tranſierunt D. Bernardum Portuen-

„ ſem Henricum Piſanum, D. Hiacyntum, D. Hubaldum Epiſcopum Hoſtien-
„ ſem ? reſpuerunt homines pacis, & hominem diſſenſionis & ſcandali erexe-
„ runt.

1165. Anno 1165. Alexander III. Montem-peſſulanum rediit; antequam verò illuc migraret, Canonicis & Capitulo Pariſienſi ſua priuilegia omnia confirmauit, quam in rem extat eius Bulla data Pariſius per manum Hermanni S. Rom. Eccleſiæ Subdiaconi & Notarij 12. Kal. Maij ad Clementem Decanum & vniuerſum Capitulum Pariſienſe. Ad eum Monpeſſuli agentem profectus eſt Vvillielmus de Campania Theobaldi magni filius, M. Petri Lombardi olim Diſcipulus; primò Eccleſiæ S. Quiriaci Pruuinenſis Præpoſitus, deinde hoc anno electus Epiſcopus Carnotenſis poſt Robertum fundatorem Abbatiæ Clari-fontis. Vir ille magni erat in Francia nominis, inclytæ famæ, eximiæ litteraturæ, litteratorum verò liberaliſſimus munerator & Parens, Alexandri Papæ amiciſſimus, Thomæ Cantuarienſis Patronus & defenſor fideliſſimus. De eo igitur Alexander ſic reſcripſit ad Regem.

Alexander Seruus Seruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Illuſtri Francorum Regi Sal. & Apoſt. Bened. Dilectum filium noſtrum Vvillielmum Carnotenſem Electum & ad noſtram præſentiam venientem tum magnificentiæ tuæ obtentu, tum totius ſanguinis ſui reſpectu, & ſuæ honeſtatis ac probitatis intuitu paternâ benignitate ſuſcepimus, & ipſum dum apud Nos fuit, prout decuit, honeſtè ac benignè tractantes in ſuis petitionibus prompto animo curauimus exaudire. Eum itaque cum amoris noſtri & gratiæ plenitudine ad propria remittentes, licet de ſuperabundanti quodammodo videatur, Regiæ excellentiæ propenſius commendantes Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus & exhortamur attentius, quatenus ipſum pro reuerentia B. Petri ac noſtra & ſuæ nobilitatis ac deuotionis intuitu diligere, manutenere propenſius & honorare intendas, & in iuſtitiæ ſuæ & commiſſæ ſibi Eccleſiæ attentius confouere: vt ipſe idem erga Regiam magnificentiam deuotior omni tempore & fidelior apparere debeat, & nos quoque excellentiæ tuæ teneamur propter hoc gratiarum actiones vberrimas exhibere. Rogamus adhæc celſitudinem tuam & in Domino commonemus, quatenus cauſam Eccleſiæ, quam velut propriam ſuſcepiſti tuendam, manutenere ſatagas & viriliter defenſare, & ad exaltationem & incrementum Eccleſiæ ſicut hactenus magnanimiter feciſſe dignoſceris, ſtudium & operam conſtanter impendas, & ad hoc ſicut Rex Chriſtianiſſimus & magnificus Princeps modis omnibus elabores. Datum apud Montem-peſſulanum 14. Kal. Septemb

De eiuſdem Guillielmi in Carnotenſem Epiſcopum electione hæc quoque præclarè habet Ioannes Sareſberienſis Epiſt. 233. ad Ioannem Pictauenſem Epiſcopum. D. Guillielmus Papienſis interfuit ordinationi electi viri quidem magnæ ſpei & famæ clariſſimæ, magnæ authoritatis & virium multarum in Regno Francorum. Is eſt poſt Regem Franciæ, qui Domino Cantuarienſi & ſuis patrocinium, conſilium & auxilium ſingulariter præſtat. Vobis autem deſiderat familiaris eſſe: & vtinam quandoque Deo propitiante amicitiam vlterius ineatis. Non eſt enim in clero Franciæ, vt ex animi ſententia loquar, qui eum prudentia & eloquentia antecedat. Iſte Ioannes ad quem ſcribit Sareſberienſis, erat natione Anglus, ex Theſaurario Eccleſiæ Eboracenſis factus Epiſcopus Pictauienſis an. 1162. cognomento *de Bellemains* magnæ quoque litteraturæ & eloquentiæ vir, vt ait Robertus de Monte.

Bernardi Clarev. Vallenſis Apotheoſis ſeu Canonizatio.

Porro Alexander aliquandiu demoratus apud Willielmum Monſ-pelienſem Dominum tempus operiens opportunum tranſeundi in Apuliam, tandem compertâ morte Victoris Antipapæ Romam rediit, vbi à ciuibus Romanis honorificentiſſimè ſuſceptus eſt, & paulo poſt memor beneficiorum quæ à Ludouico Rege & à Francia acceperat, B. Bernardum Clare-Vallenſem Abbatem ſanctorum adſcripſit Catalogo, ſicque promiſſa in Concilio Turonenſi data exſoluit, datis ad Francorum Prælatos his litteris.

„ Alexander Epiſcopus S. S. Dei Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſ-
„ copis, Abbatibus aliiſq; Eccleſiarum Prælatis in Regno Francorum conſtitutis ſal.
„ & Apoſt. bened. Contigit olim dum eſſemus Pariſius conſtituti, vt magni quidam

ac venerabiles viri de canonizando ſanctæ recordationis Bernardo quondam Cla- "
re-Vallenſi Abbate facerent mentionem, optantes vtique & piis nobis precibus "
ſuggerentes, vt in Concilio quod erat in proximo celebrandum Turonis, digno "
huic & laudabili voto celerem daremus effectum. Cumque nos eidem negotio "
fauorabili ſatis intenderemus affectu, ſuperuenit multitudo & frequentia petito- "
rum qui in diuerſis Prouinciis rem ſimilem poſtulabant. Vnde cum videremus "
non poſſe congruenter omnibus ſatisfieri, ſtatutum fuit pro ſcandalo euitando "
etiam in hoc differri. Nuper autem ex inſtantia & deuotione Clare-Vallis fra- "
trum & aliarum ſublimium perſonarum eiſdem apud nos precibus innouatis "
reduximus ad memoriam noſtram eiuſdem B. Viri ſanctam & venerabilem vitam, "
qualiter ipſe ſingularis gratiæ prærogatiua ſuffultus non ſolum in ſeipſo ſancti- "
tate ac religione præfulſerit, ſed etiam in Vniuerſa Eccleſia Dei fidei & doctrinæ "
lumine radiarit. Fructum verò quem in Domo Domini & verbo operatus eſt & "
exemplo, nullus fere terminus ſanctæ Chriſtianitatis ignorat, cum vſque ad ex- "
teras quoque & barbaras nationes ſanctæ Religionis inſtituta tranſmiſerit, atque "
Monaſteriorum fundationem extenderit & infinitam multitudinem peccatorum "
per viæ ſecularis latitudinem incedentem ad ſpiritualis vitæ rectitudinem reuo- "
carit: ſpecialiter autem S. Romanam Eccleſiam, cui authore Deo præſidemus, ita "
quondam ſub grauis perſecutionis turbine laborantem tam vitæ merito quàm da- "
tæ ſibi cœlitus ſapientiæ ſtudio ſuſtentarit, vt dignè quidem & nobis eiuſdem "
Eccleſiæ filiis in memoria habendus ſit & deuotione perpetua venerandus. In af- "
flictione verò corporis vſque adeo ſibi mundum ſeque mundo reddidit Cruci- "
fixum, vt confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere ſanctorum, quem "
Confeſſionis ordine & parcimoniæ vitæ tam longum conſtat duxiſſe Marty- "
rium. Quibus omnibus pia conſideratione penſatis & in Concilio fratrum no- "
ſtrorum expoſitis, confiſi de miſericordia Dei cui perſeueranter & fideliter milita- "
uit, nec non & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum & eiuſdem Beatiſſimi Confeſſo- "
ris meritis præſumentes & Apoſtolicæ ſedis authoritate Catalogo ſanctorum ad- "
ſcribi mandauimus, & Commemorationis ſuæ feſtum decreuimus amodo publi- "
cè celebrandum. Vos ergo qui & eiuſdem ſedis Apoſtolicæ inſtituta ſuſcipere & "
Deum in ſanctis ſuis conſueuiſtis glorioſius honorare, ſic memoriam ſancti huius "
celebretis in terris, vt precibus eius & meritis digna præmia recipiatis in Cœlis. "
Datum Anagniæ 15. Kal. Feb. an. 6. Pontific. "

Porro Alexander à Romanis perquàm honorificè receptus ſtatim gaudii ſui par- tem cum Henrico Archiepiſcopo Remenſi, quem ſemper ſibi fauentem habue- rat, communicauit per litteras, quæ tales ſunt in Tomo 5. Spicilegij Dacheriani, paulo ante præcedentes datæ.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabilibus fratribus Henrico "
Remenſi Archiepiſcopo eiuſque Suffraganeis Sal. & Apoſt. Ben. A noſtra vel ſuc- "
ceſſorum noſtrorum memoria nullo tempore elabetur, quomodo vos in deuo- "
tione B. Petri & noſtra conſtanter & ſemper & firmiter perſiſtere, & no- "
bis non modicum honoris & reuerentiæ curaueritis & larga obſequia exhibere. "
Vnde nos id præ oculis ſemper habentes firmum propoſitum & promptam geri- "
mus voluntatem vos ſicut honorabiles fratres & immobiles columnas Eccleſiæ "
arctiori charitate diligere, & ad honorem & profectum veſtrum & Eccleſiarum ve- "
ſtrarum feruentiori deſiderio aſpirare. Quia vero vos proſperitatibus Eccleſiæ "
congaudere & plurimum congratulari cognoſcimus, præſentium ſignificatione "
fraternitas veſtra cognoſcat, quod nos diuerſa maris pericula & graues hoſtium & "
iniquorum incurſus Diuinâ potentiâ & Apoſtolorum meritis euadentes tandem "
ad portum ſalutis peruenimus & à Senatoribus populoque Rom. deuotiſſimè in- "
uitati nono kal. Decemb. vrbem intrauimus in omni pace & tranquillitate "
ſuſcepti, & illam nobis & fratribus noſtris reuerentiam, honorem & deuotionem "
prædicti ſenatores, nobiles ciuitatis, Clerus populuſque Rom. exhibuerunt, qua "
nulla maior alicui anteceſſorum noſtrorum, ſicut omnia ora teſtantur, aliquan- "
do exhibita fuiſſe probatur. Vnde & credimus & de miſericordia Dei ſperamus, "
quod in proximo Eccleſia Dei plena pace & proſperitate gaudebit. Rogamus "
autem fraternitatem veſtram, monemus exhortamur in Domino, quatinus ſi- "
cut deuotiſſimi viri ad augmentum & exaltationem Eccleſiæ ſolitâ deuotione in- "

» tendatis & alios in B. Petri & noſtra reuerentia exemplo veſtro ſtudeatis propen-
» ſius ſolidare. Data Laterani 8. Kal. Decemb.

Nec ſibi quoque deerat Guido Cremenſis ſeu Paſchalis: nam ſtatim poſt promotionem ſuam dedit ad Regem Ludouicum litteras, eumque conatus eſt ad partes ſuas adducere: magno enim ſemper momento fuit Romanis Pontificibus habere ſibi addictam Franciam fauenteſque Francorum Reges. Sic ergo ille.

» *Paſchalis Epiſcopus S. S. D. Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Francorum Regi &*
» *Conſanguineo noſtro Sal. & Apoſt. bened.* Prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ Papæ
» Victoris ſæpenumero ſicut accepimus ſcripta recepiſti, in quibus tuam Excellen-
» tiam paternâ ſolicitudine commonebat, quatinus contemptâ ſchiſmaticorum
» prauitate ad Eccleſiaſticæ pacis vnâ cum tuo Regno redires vnitatem. Nos quo-
» que poſt eius felicem obitum licet indigni Apoſtolico loco ſubrogati expectan-
» tes expectauimus, vt vel ipſius commonitionibus vel propria conſideratione pro-
» uocatus veritatis luce, quæ iam circumquaque ſe diffudit, illuſtratus tuæ nobis
» ſubiectionis atque obedientiæ ſcripta porrigeres. Quod quia nondum conſtat ef-
» fectui mancipatum, per Apoſtolica ſcripta tuam Nobilitatem ſollicitamus atten-
» tius commonentes & exhortando conteſtantes, quatinus ad cor redeas, veritatem
» quæ nulli quærenti deeſt, conſulas, & tantis Eccleſiæ Dei ſcandalis quæ per te
» ſolum vigere dicuntur, tandem finem imponas, vt tuæ Excellentiæ dignitas ſicut
» ſemper fecit, Apoſtolicæ ſedis gratiam plenariè valeat conſeruare & de redinte-
» gratione pacis Eccleſiaſticæ gloriam à nobis & meritum ſemper obtineas, & vt
» Imperialem animum reformatâ pace Eccleſiæ ad Imperij & Regni tui vnitatem
» & tui voluntatem citius poſſimus reuocare. Datum Viterbij Idibus April.

Naſcitur Philippus Adeodatus. Eodem anno in Octauis Aſſumptionis B. Mariæ Virginis Regi Ludouico natus eſt ex Adela coniuge Philippus filius, cognomento *Adeodatus*: quia cum Rex ex tribus vxoribus quas duxerat prolem muliebrem multiplicem genuiſſet, iſte à Deo, Patris & populi Francici fuerit precibus impetratus: de cuius die natali legitur hoc Diſtichon apud Robertum Antiſſiodorenſem in Chronico.

Anno milleno centeno bisque triceno
Quinto, de nato ſit Francia læta Philippo.

Mauricius Epiſcopus eum de fonte Luſtrali ſuſcepit in Capella S. Michaëlis die Dominica poſt Octauam Aſſumptionis, Hugone S. Germani de Pratis, Erniſio S. Victoris, & Odone B. Genouefæ Abbatibus Patrimis, Conſtantia verò Regis ſorore & duabus viduis Pariſienſibus matrimis; vt teſtatur Continuator Aimoini, qui hoc anno hiſtoriam ſuam terminat. Sic autem ille.

» Anno Incarnationis Dominicæ 1165. Sabbato in Octaua Aſſumptionis B. Ma-
» riæ Virginis, nocte dum matutina ſynaxis celebraretur, hæc nobiliſſima proles
» proceſſit ad ortum. Cuius natiuitatis gaudium deferens nuncius, ad S. Germa-
» num de Pratis veniens hos felices rumores enarrauit eadem hora qua Monachi
» incipiebant cantare Propheticum Canticum. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia*
» *viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Quod diuino Oraculo contigiſſe mani-
» feſtis indiciis coniici poteſt. Fama verò tam deſideratæ prolis circumquaque per-
» currens omnes Francigenas maximo gaudio repleuit. Quippe qui ſucceſſionem
» maſculini ſexus de ſemine Regis Ludouici procedentem diu multumque deſide-
» rauerant, qui poſt glorioſi Patris deceſſum ſolium Regiæ Maieſtatis obtineret.
» Quorum deſiderium attulit eis Dominus, nec ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Ita-
» que Regia prole exorta poſtridie ortus ſui, hoc eſt die Dominica Pater eius Rex
» Ludouicus filium ſuum baptiſmatis ſacramento confirmari fecit. Ad quod exe-
» quendum Mauricius Pariſienſis Epiſcopus mandato Regis Sacerdotalibus veſti-
» mentis induit; & Regiam ſobolem in Eccleſia S. Michaelis de Platea ſolemniter
» baptiſmate regenerauit. Hugo etiam Abbas S. Germani Pariſienſis Patrinus pue-
» rum ſuper fontem baptiſmatis in vlnis ſuis tenuit. Heruæus quoque (Erniſius)
» Abbas S. Victoris & Odo quondam Abbas S. Genouefæ Patrini extiterunt. Con-
» ſtantia ſoror Regis Ludouici vxor, Raimundi Comitis S. Ægidii & duæ viduæ
» Pariſienſes Matrinæ extiterunt. Qui vocatus fuit Philippus.

In hancce tam omnibus votis exoptatam natiuitatem omnia gratulationum

genera effuſa ſunt ab Academicis Pariſienſibus, idque augurato & fauſto omine: nam nullus vnquam Regum exceptis Carolo M. & Caluo plus eos dilexit quàm Philippus, pluraque beneficia & priuilegia contulit quàm ipſe & Pater eius Ludouicus. Cæterum hiſce temporibus tanta erat frequentia celebrium Magiſtrorum, vt enumerari non poſſint. Paucos tamen ad memoriam poſteritatis commemorare non pigebit præter eos quos ſupra retulimus: ſunt autem hi Richardus poſt Thomam Cantuarienſis Archiepiſcopus, Gualterus Capellanus Regis Siculi mox Panormitanus Archiepiſcopus, M. Paganus Petri Bleſenſis amicus, M. Ernaldus Bleſenſis: ad quem extat Epiſtola Petri 71. qua eum rogat vt curet ſibi libros quos à Bibliopola Lutetiæ emerat nec abſtulerat pretio numerato, reddi. M. Petrus Bleſenſis mox Archidiaconus Bathonienſis: alter Petrus eiuſdem cognominis, amicus & ſocius, qui totam pœne ætatem in iuris Ciuilis, Poëtarumque & fabularum ſtudio conſumpſerat, & adhuc pangendis canendiſque amatoriis verſibus indulgebat, eumque proinde Archidiaconus monet Ep. 76. vt ad Theologiæ ſtudia ſe conferat & curandæ ſaluti animæ impenſius incumbat. M. Guillielmus Bleſenſis Abbas Maniacenſis frater Petri Archidiaconi Bathonienſis: cuius ad eum extat Ep. 9. & 102. Alanus de Inſulis, de quo nobis ad an. 1179. dicendum erit. Prætereo complures alios quos paſſim in hoc ſeculo & in Catalogo virorum Illuſtrium commemorabimus.

Eodem anno Reginaldus Colonienſis Archiepiſcopus Friderici Imperatoris Cancellarius & ſchiſmatis fautor primarius conuenit Henricum Angliæ Regem vt Mathildem filiam primogenitam Saxoniæ Duci poſtularet in vxorem: datâ vero occaſione, vt Regem ab Alexandri partibus ad Paſchalis partes adduceret: quem nempe ſciebat infenſum eſſe Alexandro, propterea quod ille ſpretis aut non exauditis Legatis quos ad eum miſerat, Thomæ Cantuarienſi impenſius fauebat. Verum cum illi Magnates Angliæ occurriſſent, Robertus Legeceſtriæ Comes, Iuſticiarius Regis, vt Archiſchiſmaticum ab oſculo remouit: imò euerſa ſunt paſſim altaria ſuper quæ ille & qui cum eo erant ſacerdotes ſchiſmatici, celebrauerant: vt refert Radulfus de Diceto ad hunc an. in Imagin. Hiſtor.

Non igitur Henricus Schiſmaticorum partes amplexatus eſt. Nihilo tamen moderatius ſe geſſit erga Thomam quàm ſi ab Alexandro Pontifice defeciſſet. Etenim vt narrat Geruaſius Dorobernenſis, *iratus ſupra modum eo quod ipſe in nunciis ſuis & petitionibus tam à Rege Franciæ quàm à D. Papa eſſet repulſus, iuſſit furore plenus rex & reditus Archiepiſcopi & omnium ſuorum confiſcari totamque cognationem ſuam & omnes qui eum quouis titulo contingebant exilio damnari. Nulli igitur ætati, fortunæ vel Ordini pepercit iſta crudelitas. Nam mulieres in puerperio decubantes, pueri quoque vagientes in cunis acti ſunt in exilium. Senes cum iunioribus propulſi ſunt, domibus eorum & rebus in exterminium datis. Adulti quoque coacti ſunt iurare quod abſque dilatione vel diuerticulo Pontiniacum peterent, & Archiepiſcopo ſuo, Regis autem proditori ſe præſentarent, vt ipſe ſolus tot anguſtias cordis ſuſtineret, quot cauſa ſui coëxules egentes videret. Proceſſit vlterius furor immanis. Nam publicè furore Laico prohibitum eſt, ne quis cum non dico donis vel ſcriptis viſitaret, ſed ne quis præco in Anglicana Eccleſia oraret.* Exercebantur iſtæ & huiuſmodi enormitates per quendam filium perditionis *Randulfum de Broc*, cui Rex ad cuſtodiendum, immo ad deſtruendum commendauerat Archiepiſcopatum. Hic itaque accepta poteſtate aſſociatis ſibi nequioribus ſe circunquaque graſſabatur: oderat enim Archiepiſcopum ex antiquo, ideoque crudelitate non poterat ſatiari. Hæc Geruaſius in Chronico.

Anno 1166. Fridericus Imperatore certior factus de felici regreſſu Alexandri in Italiam, Reginaldi Archipræſulis conſilio, Wirtzburgi ſeu Herbipoli conuentum indicit Epiſcoporum Germanicorum, cui legati quos Henricus Angliæ Rex ad Alexandrum contra Thomam miſerat, interfuerunt, obtuleruntque ab ipſo litteras quibus ſignificabat ſe cum toto Anglicano Regno ad Paſchalis partes tranſiturum, niſi ſibi quantocius Alexander ſatisfaceret. Litterarum tenor erat huiuſmodi. 1166.

Diu deſideraui iuſtum habere occaſionem recedendi à Papa Alexandro & à perfidis Cardinalibus eius, qui proditorem meum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum contra me manu tenere præſumunt. Vnde cum Conſilio Baronum

" meorum & Cleri magnos viros de Regno meo, Archiepiſcopum ſcilicet Ebo-
" racenſem, Epiſcopum Londonienſem, Archidiaconum Pictauenſem, Richardum
" de Lucy, Ioannem de Oxonia Romam miſſurus ſum, qui publicè denunciabunt
" & manifeſtè ex parte mea & totius Regni Angliæ & omnium aliarum terrarum
" quas habeo, proponent Papæ Alexandro & Cardinalibus eius, ne vlterius pro-
" ditorem meum manuteneant, ſed liberent me ab eo vt alium poſſim cum Conci-
" lio Cleri inſtituere in Eccleſia Cantuarienſi. Denunciabunt etiam, quod quidquid
" Thomas fecit, in irritum reuocent. Hoc etiam poſtulabunt, vt coram eis Papa
" iurari faciat publicè, quod ipſe & ſucceſſores ſui & mihi & omnibus meis Regias
" conſuetudines Henrici Regis aui mei inconcuſſas & inuiolatas quantum ad ſe, in
" perpetuum obſeruabunt. Quod ſi forte aliqui petitionum mearum contradicere
" voluerint, neque Ego, neque Barones mei, neque Clerus meus aliquam eis vlte-
" rius ſeruabimus obedientiam: imò ipſum Papam & omnes ſuos manifeſtè impu-
" gnabimus: & quicunque in terra mea inuentus fuerit, qui Papæ poſthæc adhæ-
" rere voluerit, expelletur è Regno. Ea propter rogamus vos, vt Chariſſimum ami-
" cum, quatenus fratrem Ernaldum Hoſpitalarium omni occaſione remota citò ad
" nos mittatis, qui ex parte Imperatoris & veſtra prædictis nunciis meis ducatum
" præbeat eundo & redeundo per terram Imperatoris. Valete.

" Has litterras præmiſit Henricus ſeriò ne, an vt Alexandrum terreret & à partibus Thomæ dimoueret, incertum. Palam tamen & publicè iactabant Angli ſe Alexandrum deſerturos, dictitabant quoque ex quadã vaticinatione Alexandrum ab Imperatore captum iri hoc anno: qua de re ſic Ioannes Sareſberienſis Ep. ad M. Radulfum Nigrum. *Rex Angliæ in Imperatore confidit & in captione D. Papæ quam ei vaticinantur Prophetæ Belial, falſa videntes & ſtulta, quia non loquuntur à Domino.* Reſciuit hæc commercia Alexander, quæ prudenter diſſimulans conabatur Thomam Regi conciliare: & primum obiecta quædam crimina dilui volebat. Rex vero litteris ſibi ab Alexandro miſſis reſpondens, ad ſacrum Cardinalium Collegium haſce Apologeticas miſit.

Super his quæ D. Papa nobis ſignificauit, ſcilicet quod ab amore & deuotione
" Rom. Eccleſiæ mentem & animum auerteramus, imprimis reſpondemus quod
" prudentia noſtra pleniſſimè cognouit quàm ſincero affectu & Eccleſiam Rom.
" & perſonam D. Papæ ſemper dileximus, & quanta pro eo fecerimus & ſuſtinue-
" rimus. Siquidem vt cætera ſilentio prætereamus, cum de ipſius ſuſceptione con-
" trouerſia haberetur, ipſum non tantum recepimus, ſed ad eum recipiendum alios
" licet inuitos traximus & compulimus. Quod verò ad rem Thomæ Archiepiſco-
pi pertinet, ſic reſcribit. *Præterea* quod Nobis ſcripſit vt Cantuarienſem Archie-
piſcopum quem à Regno noſtro nos aſſerit expuliſſe, in ſtatum à quo receſſit, re-
" uocemus, & ad ſedem ſuam reducamus, euidentiſſimè nouimus Vniuerſitati ve-
" ſtræ liquidò conſtare quod ipſum nunquam expulimus, nec à Regno noſtro exi-
" re coegimus, ſed ipſe ſuæ magis leuitatis & prauitatis impulſu, quàm aliquâ ra-
" tione ad hoc ipſum inducente, fugam arripuit intentione & propoſito aduerſum
" Nos malignandi & Nobis & famæ noſtræ, quod nequaquam vt omnibus liquet,
" promeueramus, malignè derogandi. Si autem idem Archiepiſcopus, ſicut ex
" propria voluntate aufugit, eodem modo reuerti voluntariè voluerit, & Nobis fe-
" cerit, quod Domino & Principi facere debuerit, nos eidem iuxta Clericorum &
" Laicorum Conſilium tam Regni noſtri quàm Tranſmarinorum, quod debebi-
" mus, exequemur. Verum ipſum per Nos reuocandum non cenſemus, quem à
" Regno noſtro exire non coegimus. Itaque ſi nobis conſtiterit Nos in aliquo deli-
" quiſſe & exceſſiſſe, Conſilio Cleri & Baronum noſtrorum iuxta conſuetudines &
" dignitates & Celſitudines Regni noſtri, quidquid debuerimus, animo libenti fa-
" ciemus. Si verò aliquis iura & conſuetudines & dignitates Imperij noſtri impe-
" dire attentauerit ſeu diminuere, ipſum publicum hoſtem & manifeſtum nominis
" noſtri & honoris & Regni æſtimabimus inimicum. Et nos vita comite Dignita-
" tum & conſuetudinum Regni noſtri diminutionem nullatenus ſuſtinebimus,
" quas Illuſtres viri Prædeceſſores noſtri habuerunt & tenuerunt temporibus SS.
" Romanorum Pontificum. De cætero quod mandauit per vos nobis inſinuandum,
" ne ſcilicet Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas Regni & terræ noſtræ grauaremus
" vel grauari permitteremus, Deus Nobis teſtis eſt & mea conſcientia, quod id vſ-

que

que in hodiernum diem nec à nobis actum eſt nec permiſſum.

Scripſerat quoque Pontifex ad Epiſcopum Londonienſem Gilbertum de Foliot, congratulatuſque fuerat, quod Henricus Rex Apoſtolicis mandatis ſe parere velle aſſereret: viciſſimque hoc anno prædictus Epiſcopus ad Papam ſcripſit & Regis cauſam omnino non culpabilem reddidit, immo factum excuſauit. Ipſe quoque Thomas Regem ſuum his literis conuenit, quæ leguntur apud Mathæum Pariſienſem ad hunc annum.

Deſiderio deſideraui videre faciem veſtram & vobiſcum loqui, multum quidem propter me, ſed maximè propter vos, vt viſa facie mea reduceretis ad memoriam ſeruitia quæ dum eſſem in obſequio veſtro, exhibui vobis deuotè iuxta animi mei conſcientiam: ſic me Deus adiuuet in examine vltimo quando omnes aſtabunt ante tribunal ipſius recepturi prout geſſerunt in corpore ſiue bonum ſiue malum: & vt moueremini ſuper me, quem oportet inter alienos victitare mendicando. Propter vos vtique 3. de cauſis: tum quia Dominus meus eſtis, tum quia Rex meus, tum quia filius ſpiritualis. In eo quod Dominus, debeo & offero vobis conſilium meum: eo quod Rex, teneor vobis ad reuerentiam & commonitionem: eo quod filius, ratione officij ad caſtigationem & exhortationem. Inunguntur Reges in capite, etiam pectore & brachiis, quod ſignificat gloriam, ſanctitatem & fortitudinem. Regibus, qui temporibus antiquis iuſtificationes Dei non obſeruabant & præuaricati ſunt mandata eius, his ſublata eſt gloria, ſanctitas & fortitudo exemplo Saulis & Salomonis. Qui verò poſt delictum humiliauerunt ſe Domino, his Dei gratia acceſſit, ſicut Dauidi, Ezechiæ & aliis quàm pluribus. Audiat ſi placeat Dominus meus conſilium ſerui ſui, commonitionem Epiſcopi ſui, caſtigationem patris ſui, ne cum ſchiſmaticis habeat de cætero aliquam familiaritatem vel communionem, nec contrahat aliquid cum eis. Memoreſque ſitis profeſſionis quam feciſtis & poſuiſtis ſcriptam ſuper altare de ſeruanda Eccleſiæ Dei libertate, quando in Regem conſecrati fuiſtis. Eccleſiam etiam Cantuarienſem à qua promotionem accepiſtis, in ſuum ſtatum reſtituite & dignitatem, in quibus fuit temporibus prædeceſſorum veſtrorum & noſtrorum: alioquin pro certo ſciatis quod diuinam ſeueritatem & vltionem ſentietis.

Has literas dedit Thomas Senonis apud S. Columbam, quò à Rege Ludouico & ab Hugone Senonenſi Archipræſule inuitatus ſe contulerat, Pontiniaco relicto ob metum Henrici qui in Normaniam transfretarat. Dedit & alias ſubinde commonitorias. At vt vidit ſe nihil proficere, aliquanto poſt apud S. Columbam, vel vt ſcribit Radulfus de Diceto, apud Vizeliacum ipſo die Aſcenſionis Dominicæ aſcendens pulpitum omnes obſeruatores & defenſores auitarum Regni Anglicani conſuetudinum accenſis candelis excommunicatos denunciauit, nominatim verò Richardum de Luci, Richardum Pictauienſem Archidiaconum, Ranulfum de Broc, Hugonem de S. Claro, Thomam filium Bernardi, Ioſcelinum de Bailleul, Alanum de Neuuille & Ioannem de Oxenefordia legatum Henrici ad Imperatorem, & ſchiſmatis fautorem.

Illi autē cum & abſentes & non vocati & indefenſi vt dicebant, fuiſſent, miſſis ad archiepiſcopum Nuncijs appellauerunt & Eccleſiam nihilominus ingreſſi ſunt. Qui poſtmodum mandato Cardinalium Ioannis Neapolitani & willielmi Papienſis abſoluti ſunt à M. Godefrido Epiſcopo S. Aſſaui. Alanum verò de Neuuille abſoluit Gilbertus Epiſcopus Londinenſis accepto nempe ſacramento, quod Hieroſolymam petiturus Roma tranſiturus eſſet illicque Papæ mandata ſubiret. Richardus Pictauienſis Archidiaconus Patria Bathonienſis à M. Radulfo de Diceto amico ſuum conſilium petens, hoc habuit ab eo reſponſum.

Si tactus inconſulto calore Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus præter Principis voluntatem, præter conſcientiam Suffraganeorum à Regno exierit, veniens contra ſacramentum (vt dicitis) reuera periurij incurriſſet, ni ſummi Pontificis in hoc ſibi patrocinarentur authoritas, & extractum ab Archiepiſcopo ſacramentum deuocaſſet in irritum. A Regno quidem exiit, ſed eâ quam de communi Suffraganeorum & Conuentus Cantuarienſis aſſenſu in conſecratione acceperat, ſe poteſtate non exuit. Nec enim incorporalia locis tantum coarctantur diſcretis, nec regione aliqua circonſcribitur quod perſonæ cohæret. Ad tēpus itaque ceſſit poſſeſſionibus, ſed nec ad tempus iuri renunciauit. Omnes igitur intra ſuam Pro-

» uinciam conſtitutos, ptout ratio flagitauerit, poteſt vocare, poteſt ſuſpendere, po-
» teſt excommunicare, videte an vos vt ſuum poſſit corripere Parochianum. Epiſ-
» copatus Bathoniæ vos matris excepit ab aluo: ibi vſque ad virum perfectum totam
» decurriſtis ætatem: ibidem poſſeſſionibus adeptis canonicè Epiſcopo loci debitam
» exſoluiſtis obedientiam. Impoſitum capiti iugum nondum excuſſiſtis ab hume-
» ris. Si præter aliorum fortunam honore duplici decoratam vos in ſuo ſinu collo-
» cauit Eccleſia Pictauorum, nihil detrimenti acceſſit Cantuarienſi Eccleſiæ, ſed
» honoris quàm plurimum. Nec enim eius momenti eſt Archidiaconatus vel
» Theſauraria, vt quem eximat à iuriſdictione alterius: dummodo alibi habeat do-
» micilium, habeat & poſſeſſiones ſuo nomine titulatas. Secundum leges dignitas
» Epiſcopalis vel Patriciatus filium liberat à patria poteſtate. Secundum Canones
» Epiſcopale culmen alium eximit à iuriſdictione alterius Coëpiſcopi, niſi alter fue-
» rit Metropolitanus. Cum igitur Cantuarienſem de iure veſtrum intelligam Me-
» tropolitanum, ſi vos non timuit indiſcretè ligare, vos timeatis ligari pronuncia-
» tione iniuſta. Non quidem niſi reum ligat ſententia: veruntamen Eccleſiaſticæ
» diſciplinæ contemptorem illaqueat. *Sed dicitis in, nullo deliqui. Ad vocationem Ar-*
» *chiepiſcopi venire non ſuperſedi: mandatum ipſius in aliquo non præterij. Quod in me*
» *ſtatuit contra ordinem, ex ordine & regulari iure me nequaquam inuoluit.* Videte ne
» contra iuris formam vobis ius dicere videamini. Cauete ne ſi alias legis auxilium
» implorare velitis, vobis opponatur in iure. *Fruſtra legem inuocat qui legem impu-*
» *gnat.* Si reprehenditis Paſtoris iudicium, in legem profecto committitis. Erubeſ-
» cit quidem lex filios Patrum caſtigatores ſtatuere. Rurſus ſi contenditis trahi ad
» culpam Archiepiſcopi, quod in vos abſentem non contumacem ſententiam præ-
» cipitauerit, cum non eſſetis in culpa, licet aliud delictum non præceſſerit, in-
» curritis ex ipſa reprehenſione delictum; quodque prius omni vacuum erat à cul-
» pa, è veſtigio fit in ipſa reclamatione culpabile. Reſtat igitur, amice Chariſſime,
» multo eſſe conſultius amplecti ſententiam cum humilitate, quàm aſſumere tu-
» morem ſuperbiæ ad perniciem plurimorum. Malo enim exemplo populus ſem-
» per ad peiora procliuior facilius incitatur ad pœnam, quàm bonæ conuerſationis
» odore pertrahi valeat ad coronam.

Cæteri autem Prælati quibus non fuerat nominatim denunciata excommunicationis ſententia veriti, ne quam in omnes generatim tulerat Thomas, eandem deinde in ſingulos ferret, ad appellationis remedium recurrerunt, quam ei per litteras ſignificarunt his verbis.

» *Venerabili Patri* & Domino Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo Suffraganei
» eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi & Perſonæ per eorundem Diœceſes conſtitutæ de-
» bitam ſubiectionem & obedientiam. Quoniam quorundam relatione didicimus,
» quod ad memoriam anxiè reuocamus, vos in Dominum (Regem) comminatio-
» nes emiſiſſe cum ſalutationem omittitis, cum non ad obtentum gratiæ con-
» ſilium precéſue porrigitis, cum non amicum quid ſentitis, adſcribitis, ſed
» intentatis minis interdictum aut præciſionis elogium in eum iam dicendum
» fore proponitis multâ ſeueritate. Quod ſi quàm durè dictum eſt, tam fuerit
» ſeuerè completum, quæ turbata ſunt, non iam ſperamus ad pacem redigi, ſed in
» perenne quoddam odium pertimeſcimus inflammari. Inſedit altè quorundam
» mentibus quod D. Rex vobis tam benignus exiterit, tamque mente ſuſceperit,
» & cuncta veſtræ poteſtati adeo ſubiecerit, vt hos ſolũ beatos reputaret opinio, qui
» in veſtris oculis poterant complacere. Et ne gloriam veſtram mobilitas poſſet
» mundana concutere, vos in eis quæ Dei ſunt, voluit immobiliter iudicare, ſpe-
» rans ſe de cætero regnare feliciter & de conſilio veſtro ſumma ſanctitate gaude-
» re. Ne verò in D. Regem & Regnum eius, ne in Nos & commiſſas nobis Eccle-
» ſias & Parochias manum veſtram aggrauare tentetis, remedium appellationis
» vobis opponimus, & qui contra metum grauaminum in [illegible]ie Eccleſiæ appella-
» uimus, iterato nunc ad Papam appellamus per ſcriptum, & appellationis termi-
» num diem Aſcenſionis Dominicæ aſſignamus.

His litteris videntur accuſare Thomam nimiæ ſeueritatis & pertinaciæ: nam eodem anno duo Cardinales à latere, Vvillielmus Papienſis & Ioannes Neapolitanus ab Alexandro miſſi conati fuerant eum Henrico Rege apud Montem-mirabilem, vulgò Montmiral conciliare: at ille eatenus conſenſerat, vt illis in

Conſiſtorio reſidentibus, tam ſibi quàm ſuis fieret prius reſtitutio ablatorum, iniuſtum reputans, quod ſpoliatus iudicium ſubire cogeretur, quod illi cum nec facere voluiſſent nec potuiſſent, infecto negotio, abſolutis prius illis qui nominatim à Thoma excommunicati fuerant, reuerſi Thomam quodammodo indignationi hominum expoſuerunt, Regem culpa liberarunt.

Porro Thomas ad Suffraganeos ſuos has dedit.

Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus Suffraganeis ſuis. Fraternitatis veſtræ
ſcriptum quod tamen de communi Conſilio veſtro non credimus emanaſſe, nu-
per ſuſcepimus, cuius continentia plus habet mordacitatis, quàm ſolatij & vti-
nam magis emiſſum eſſet de Charitatis affectu quàm de obedientia volun-
tatis. Dico vobis, ſalua pace veſtra, quod multo tempore ſilui, exſpe-
ctans ſi forte inſpiraret vobis Deus, vt reſumeretis vires qui conuerſi eſtis
retrorſum in die belli, ſi ſaltem aliquis ex vobis aſcenderet ex aduerſo & oppo-
neret ſe murum pro domo Iſrael & certamen iniret contra eos qui non ceſſant
quotidie exprobrare agmini Dei, ſed non eſt qui aſcendit. Iudicet ergo Deus
inter me & vos & requirat Eccleſiæ confuſionem de manibus veſtris, quam ve-
lit nolit mundus, neceſſe eſt in verbo Dei ſtare, in quo fundata eſt, donec
venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Excidit-ne à memoria ve-
ſtra quid ageretur mecum & cum Eccleſia Dei apud Northamptonam, cum
iterum iudicaretur Chriſtus in perſona mea ante tribunal præſidis, cum arctaretur
Præſul Cantuarienſis ob iniurias ſibi & Eccleſiæ Dei paſſim illatas, & cogeretur
Romana audientia? Quis vnquam vidit aut audiuit Cantuarienſem Archiepiſco-
pum iudicari, condemnari ad fideiuſſionem in Curia Regis & à ſuis præcipuè
Suffraganeis? Sed nobis recedentibus, vt dicitis, turbata ſunt omnia. Sibi imputet
qui occaſionem dedit, quia facientis proculdubio culpa eſt, & non recedentis,
perſequentis, non iniurias declinantis. Nobis adhuc in curia exſpectantibus, ſi
nobis aliquid forte opponeretur, interdictum eſt Officialibus noſtris ne nobis
in temporalibus vel in modico obedirent, vel citra mandatum Regis vel nobis
vel noſtris aliquid miniſtrarent. Proſcripti ſunt Clerici noſtri cum Laicis, viri
cum mulieribus, mulieres cum paruulis lactantibus. Addicta ſunt fiſco bona
Eccleſiæ & Patrimonium Crucifixi.

Pars pecuniæ conuerſa eſt in vſus Regios, pars in vſus Epiſcopi Londonienſis.
Appellatis, vt dicitis, ſed hac appellatione authoritatem noſtram ſuſpendere
non poteſtis, ne in vos aut Eccleſias veſtras animaduertamus, ſi delicti enormitas
id requirat. Scimus enim quod omnis appellans aut nomine ſuo appellat aut
alieno. Si ſuo, aut à grauamine quod infertur, vel quod ſibi timet inferri. Certum
tenemus per gratiam Dei quod nullum grauamen adhuc vobis per nos illatum
eſt, vnde debeatis ad appellationis remedium conuolare. Si contra metum gra-
uaminum appellaſtis: ne quid de cætero contra vos ſtatuam vel Eccleſias veſtras,
non eſt ita talis appellatio quod poſſit vel debeat ſuſpendere authoritatem meam
vel poteſtatem quam in vos habemus & Eccleſias veſtras. Si nomine Regis ap-
pellaſtis, noſſe debuerat diſcretio veſtra, quod introductæ ſunt appellationes ad
propulſandam iniuriam & non ad inferendam, ad ſubleuandos oppreſſos & non
amplius opprimendos. Si verò qui ſubuertit Eccleſiæ libertates, qui bona eius oc-
cupat & inuadit, appellans non auditur, multo minus appellantes. Non ideo
hoc dicimus quod circa D. Regis perſonam aut Regnum eius vel circa perſo-
nas & Eccleſias veſtras quidquam inordinatè fecerimus. Vnde credebamus nos
pro longa patientia magis debere culpari, quàm de rigore ſeueritatis condemna-
ri. Inde eſt quod breuiter vobis dicimus & conſtanter affirmamus D. noſtrum
Regem nullatenus iniuſtè fore grauatum, ſi aduerſus eum vt pote à D. Papa & &
à nobis ſæpiſſimè ac legitimè conuentum & ſatisfacere nolentem proceſſerit ſe-
ueritas & cenſura.

Nominatim verò ſcripſit ad Gilbertum de Folioth Londonienſem Epiſcopum vt confeſtim hoc eſt intra 40. dies ab acceptis litteris reditus è beneficiis ſuis & eor ũqui ſecũ ex Anglia aufugerant, acceptos redderet, ſecus ea poteſtate quam habebat, in eum vſurũ. Gilbertus ea de re certiorem facit Regem aliumque petiit nominari qui reditus iſtos perciperet; ſe enim inter cæteros maximè ab Archiepiſcopo peti & in crimen vocari. Excommunicauit etiam Thomas Cantuarienſem

Archidiaconum,& grauiter tulit quod M. Gitardus puella de quo dicemus infra, neglecta excommunicatione cum illo nihilominus conuerſatus fuiſſet. Vt intelligimus ex Ioannis Sareſberienſi Ep. 285

Moleſtè tulit Dominus meus Archiepiſcopus, quod vos qui clauem habetis ſcientiæ, & in lege Domini quam publicè docetis, iugiter occupamini, & mundanis Diſciplinis penitus reiectis ſolius veritatis & iuſtitiæ ſacra profitemini, Cantuarienſi Archidiacono, quem ſolenniter excommunicatum eſſe non ambigitis, communicare præſumpſiſtis exemplo pernicioſo, & quod ſicut veſtram conſcientiam lædit, ſic non modicè denigrat & famam. Nam nec in minus perito tantus facilis eſſet exceſſus, nedum in illo, cuius non modo doctrina, ſed & vita debet auditoribus eſſe virtutis exemplar.

Eodem anno obiit Robertus de Gorham Abbas Sancti Albani in Anglia, ſucceſſoris vero ſubſtituendi prouinciam Rex Henricus dedit Gilberto Londonienſi Epiſcopo, cuius opera in omnibus agendis vtebatur: hac tamen lege, vt accederet ad Monaſterium, & tres ſibi nominari curaret viros graues & honeſtos, litteratos, ſapientes, quorum nomina voluit ſibi Rex perſcribi cum enumeratione meritorum, è tribus autem vnum ipſe elegit M. Simonem eiuſdem Eccleſiæ Priorem, virum vitæ venerabilis & bene litteratum, ſcripturarum & librorum amatorem ſpecialem, vt legitur in vitis Abbatum San-Albanenſium. Ille autem conſecratus eſt in Abbatem à prædicto Gilberto 3. Kal. Iunij, quæ dies erat Dominica Octauæ Aſcenſionis. Hic vir, de quo iam ante diximus, ob id præcipuè laudatur, quod ſingularem curam habuerit comparandorum & exſcribendorum librorum: ac proinde electos ſcriptores habebat in Monaſterio in eam rem perpetuò incumbentes. Sic enim legitur in eius vita. *Notandum quod iſte immortalis memoriæ Abbas Simon duos vel tres electiſſimos ſcriptores continuè in camera ſua honorificè ſuſtinuit; vnde librorum optimorum copiam impretiabilem ad vnguem præparauit, & in ſpeciali armario repoſuit picturato. Scriptorium quoque tunc temporis fere diſſipatum & contemptum reparauit & quaſdam laudabiles conſuetudines in ipſo innouauit & ipſum ampliauit reditibus: ita vt omnibus ſequentibus temporibus debeat Abbas qui pro tempore fuerit, vnum habere ſcriptorem ſpecialem.*

Eodem anno nonnulli Hæretici ex illis proculdubio qui in Vaſconia errores ſuos audacius ſpargebant, in Anglia apud Oxoniam, vbi erat Academia celeberrima, in Synodo Epiſcoporum & præſente Rege conuicti & in facie notati expulſi ſunt. Qua de re ſic ſcribit Radulfus Dicetenſis in imaginibus Hiſtoriarum. *Quidam praui dogmatis diſſeminatores tracti ſunt in Iudicium apud Oxeneford præſente Rege præſentibus & Epiſcopis quos à fide noſtra deuios & in examine ſuperatos facies cauteriata notabiles cunctis expoſuit expulſos à Regno.*

CARLO-MAGNALIA SEV FESTVM CAROLI Magni Academiæ Pariſienſis Fundatoris.

EOdem anno facta eſt Aquiſgrani ſolennis Caroli M. apotheoſis, eiuſque feſtum authoritate Imperatoria inſtitutum. Fridericus enim eius corpus eleuatum è terra & in aurea capſa repoſitum accedente authoritate Reginaldi Colonienſis Archiepiſcopi, ſeu etiam Paſchalis Pſeudo-Pontificis adorandum populo propoſuit, quod nihilominus idem populus ante communi quaſi conſenſu inter cœlites annumerans colere ſolebat. Hac de re ſic ſcribit Gaufredus Prior Voſienſis author coætaneus in Chronico. *Præterea Fridericus Corpus Caroli M. eleuans à terra in capſa aurea infiniti pretij lapidibus decorata collocauit. Ex tunc authoritate Metropolitani Colonienſis Aquiſgrani ſolennitas de eodem Cæſare Auguſto Ortodoxo, ſicut de ſancto agitur, quæ prius fiebat de fideli defuncto.* poſtrema hæc verba conſentiunt cũ iis quæ ex Ademaro Engoliſmẽſi retulimus ad an. 1000. vbi agens de Othone III. qui ſimiliter Caroli Corpus in nobiliore tumulo collocarat, de-

que miraculis ipſius Caroli, ſubdit. *Non tamen ſolemnitas de ipſo agitur niſi communi more Anniuerſarium defunctorum.*

Ex hoc ergo publicus & ſolennis eſſe cœpit Caroli cultus Aquiſgrani, teſtiſque eſt M. Iordanus in ſuo de tranſlatione Imperij Libello ſuo tempore, nimirum circa an. 1270. ipſius feſtum ſolemniter celebrari ſolitum. Imperauit, inquit, Carolus, *annis 42. & ætatis ſuæ an 72. mortuus eſt & humatus Aquiſgrani vbi ſancti ſui nominis memoria quolibet anno ſolemniter celebratur: unde quicunque ſcire deſiderat iſtius ſancti viri virtutum inſignia, & qualiter in Regno huius ſeculi ſenectutem meruit Angelorum, ad præfatum locum Aquenſem tranſeat: ibi geſtorum eius merita perlegens laudem Deo omnipotenti referat qui glorioſum Chriſtiani propugnatorem Karolum prodigiis & miraculis tam in vita quam in morte multipliciter honorauit.* De eiuſdem feſti ſolemnitate agunt Henricus Cardinalis Oſtienſis qui florebat circa an. 1260. & Ioannes Andreas Fons & Tuba Iuris Canonici dictus, qui vixit circa an. 1340.

Eiuſdem meminit author Chronici Belgici Magni qui ſcripſit vſque ad an. 1474. aiens Fridericum 1. de conſenſu & authoritate Alexandri III. Conuentum habuiſſe Aquiſgrani, Principum tam Eccleſiaſticorum quàm ſecularium, in eoque Carolum communi calculo fuiſſe inter Cœlites relatum: ipſius feſtum inſtitutum, Miſſamque priuatam & Collectas: errat aiens id factum authoritate Alexandri, qui tunc à Friderico diſſidebat; meliuſque Prior Voſienſis qui id Reginaldo Colonienſi tribuit, & alij qui Paſchali Pſeudo-Pontifici. Non contemnenda tamen quæ habet in hanc rem prædicti Chronici author. *Iſtius*, inquit, *ſanctiſſimi Imperatoris Caroli glorioſis factis & meritis Imperator Fridericus huius nominis 1. confidenter adductus aſſenſu & authoritate D. Papæ Alexandri & ſedis Apoſtolicæ, nec non conſilio Principum vniuerſorum tam Eccleſiaſticorum quàm ſecularium pro reuelatione & exaltatione atque Canonizatione eiuſdem Sanctiſſimi Caroli Corporis ſolennem Curiam in Natale Domini apud Aquiſgranum celebrauit, vbi Corpus eius ſanctiſsimum cum magna frequentia Principum ac copioſa multitudine Cleri ac populi in hymnis & Canticis ſpiritualibus extitit eleuatum, exaltatum & canonizatum debita cum reuerentia & timore anno Dom. 1166. 4. Ian. procurante hæc & diligenter diſponente memorato Imperatore Friderico.*

Idem pergit, & duplicis Feſti mentionem facit. *Eius verò*, inquit, *dies Feſti celebres bis in anno habentur; dies ſcilicet eius Natalis 4. Kal. Feb. Translationis verò dies 5. Kal. Aug. Quem vtrumque Clericus & populus ſpiritualium gaudiorum tripudio celebrant. Cantantur enim in Eccleſia Aquenſi de S. Karolo vicibus alternatis ſuffragando certa Antiphonæ cum collectis: de quibus hîc vna deuotionis cauſâ apponitur.*

O ſpes afflictis, timor hoſtibus, hoſtia victis,
Regula virtutis, iuris via, norma ſalutis,
Carole, ſeruorum pia ſuſcipe vota tuorum.

Gloria & honore coronaſti eum Domine: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

PRO COLLECTA.

IMmenſæ Maieſtatis Deus & bonitatis infinitæ, qui fidelem tuum Athletam Karolum M. Imperatorem & Confeſſorem tuum in terris gloria imperij exaltaſti, & dono gratiæ tuæ in cœlis coronâ beatitudinis triumphare concedis, præſta quæſumus, vt ſicut fidei Chriſtianæ fideliſſimus extitit propagator, ita pro nobis apud te exiſtat interceſſor. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Licet autem feſtum iſtud Pſeudo-Pontificis Paſchalis authoritate inſtitutum fuiſſe credatur, non fuit tamen poſtea à ſummis & veris Pontificibus improbatũ, nec ab ipſo Alexandro qui tunc ſedebat in Cathedra Petri, nec ab eius ſucceſſoribus: imo vbique paſſim receptum. Non erit extra rem referre quæ habet de Caroli virtutibus & Apotheoſi poſt Baronium Spondanus ad an. 814.

In moribus non haberet æqualem, niſi coniugalem caſtitatem concubinarum introductione fœdaſſet. Verum poſterior maculas iſtas pœnitentia abſterſit, dum ſenilem carnem ſuam cilicio ſuper nudum corpus inhærente iugiter indumento attriuit. Cuius quidem egre-

giarum virtutum merito Eccleſia Gallicana eiuſdem diem Natalem celebrat: eundémque ſub Friderico Imperatore Paſchalis Papa dictus in numerum Sanctorum adſcripſit. Sed quod is haud legitimus fuit Pontifex; eiuſmodi Canonizatio non eſt recepta ab Eccleſia Rom. Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnaſſe, res ſic tacitâ permiſſione ſiue tolerantiâ perſeuerauit, vt in propria Eccleſia, vbi ſepultus fuit, coleretur. Ita enim Canonum præcipui Interpretes declararunt. Propagatus autem poſtea noſcitur is cultus in alias Eccleſias Galliæ, Belgiæ atque Germaniæ, in quibus idem Carolus Sanctitatis titulo colitur: fauétque ſcripta plurimorum rerum Francicarum Hiſtoricorum.

Quando-nam verò hocce Feſtum in Francia inſtitutum fuerit aut receptum, merito quæri poteſt. Crediderim receptum id primum à deuoto populo non publicè quidem, ſed communi quodam & tacito cum Germanis & Italis conſenſu, qui tanti viri merita præſertim celebrarunt: teſtis enim Gaguinus ex veterum monumentis Ludouicum Pium Caroli filium ad Patris tumulum præiuiſſe populo & Deo preces ritu Chriſtiano ſupplicem habuiſſe. Carolus enim, inquit, *ob vitæ merita in numerum Sanctorum relatus eſſe à pleriſque creditur. Cui etiam Loci incolæ diem feſtum agunt; idque ab Eccleſia Rom. permiſſi Hoſtienſis Iure-conſultus tradit.*

Huicce ergo laudabili inſtituto inſiſtens Ludouicus XI. Feſtum illud Pariſienſibus imperauit circa ann. 1480. perpetuiſque temporibus celebrari voluit, addens etiam pœnam capitalem, ſi quis ſecus facere, aut celebrare contemneret. Cuius rei meminit Gaguinus in Ludouico Pio, ſtatim poſt verba quæ ex ipſo retulimus. *Quo exemplo*, inquit, *Ludouicus XI. Carolum à Pariſienſibus coli noſtrâ ætate imperauit, miſſis vicatim nunciis, qui diem feſtum celebrari populo indicerent, pœna capitis repugnantibus indicta.* Et Epiſt. ad Carolum Saccum Theologiæ Doctorem fuſius eâ de re agit. *Codicem*, inquit, *geſtorum Caroli Regis, qui Magni nomen ingentibus factis promeruit, legi diligenter, in quo permulta ſunt, quæ ab Hiſtoricis longè diſcrepant: de quibus iudicium concordiamque facere non eſt triduani operis labor. Præterea ſic in eo confusè omnia acernata ſunt, vt tametſi ad ordinem reuocari poſſint, oratione tamen pro rerum magnitudine illuſtrari vno vel altero die nequeant. Nam quod is, de quo ſcribere me mones, Imperator Regibus Francorum facile antecellit, quodque ad poſteros tranſmittenda eſt Oratio, quæ à Clero inter diuina Officia recitetur, inglorium erit authori texere flaccidè Diui hominis geſta, à quibus nunc retrahit malè digeſta narratio. Age igitur, mi Carole, excute tibi hanc curam, aut paulatim differ, donec plus aſſit nobis otij ad id exhibendum, quod poſcis. Interim forte euaneſcet dies illa ſolennis, quam vt viro ſancto Rex Ludoicus dicari, & quotannis celebrem eſſe imperauit. Vale apud Mathurinos Pariſienſes, pridie Kalend. Septemb. an. 1482.*

Ex hacce Epiſtola intelligimus Robertum Gaguinum ab amicis deſignatum rogatumque fuiſſe, vt Carolinæ ſanctitatis hiſtoriam texere aggrederetur: at illum excuſationi duplicem cauſam prætexuiſſe: nimirum & quod in eam rem plurimum temporis eſſet impendendum, pluſque quam haberet otij, & quod forte ſecuturis annis feſtum illud celebrari deſineret. Non ſatis meo iudicio Gaguinus poſteritati conſuluit: ex ignorantia enim rerum geſtarum & Apotheoſeos Carolinæ à ſede Apoſtolica approbatæ factum eſt, vt plurimi feſtum illud celebrare neglexerint. Exinde tamen Curia Senatus Pariſienſis 28. Ianuar. quotannis iuſtitium eſſe voluit ſolenne, quod & hodie etiamnum obſeruat. Vtriuſque Conſtitutionis & Imperatoriæ & Regiæ meminit Claudius Fauchet, in Carolo Magno his verbis, poſtquam varias huiuſce inuicti Principis virtutes retulit. *A cette cauſe ſa memoire eſt demeurée ſainte à l'endroit de pluſieurs Roys venus depuis, comme* Frederic Empereur, *qui le fit canoniſer & ſanctifier: & meſme Louys onzieſme de ce nom Roy de* France *ordonna que ſa Feſte ſeroit celebrée, enuoyant gens par les villages commander de ne trauailler ce iour ſur peine de la vie.*

His omnibus accedit Martyrologium, nam communiter Catalogo Sanctorum adſcribitur Carolus M. ab iis, qui vitas eorum collegerunt; eiuſque feſtum 28. Ianuarii celebrandum proponitur. Item in veteribus quibuſdam Miſſalibus & Breuiariis eadem dies feſta habetur. Caniſius Officium Caroli M. typis mandauit, quod ait ſe extraxiſſe *ex vetuſto quodam Rituali libro.* Eiuſdem meminit Molanus in ſuis ad Vſuardum Additionibus.

In antiquo Martyrologio Abbatiæ S. Laurentij Bituricenſis ad 5. Kal. Feb. ita legitur. 5. *in Monaſterio Reomenſi depoſitio S. Ioannis Presbyteri viri Dei.* Natalis B.

Caroli Magni Imperatoris Galliarum Regis. Adiecit aliquis recentior *ac iſtius S. Laurentij Bituricenſis Monaſterij fundatoris*. Ita refert Labbeus Ieſuita inter Miſcellanea Opuſcula rerum Aquitanicarum.

In Breuiario Regalis & inſignis Eccleſiæ S. Quintini Viromanduenſis, quod an. 1642. recognitum eſt & repurgatum, terſioriq; latinitate reſcriptum, habetur eiuſdem Caroli Officium Duplex, cum tribus lectionibus a. Nocturni propriis ad diem 28. Ian. hoc modo.

Die 28. Ian. In feſto S. Caroli Magni Imperatoris & Regis Franciæ Confeſſoris. Duplex. Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea quæ hîc ſunt propria.

Oratio. Deus qui ſuperabundanti fœcunditate bonitatis tuæ B. Carolum M. Imperatorem & Confeſſorem tuum depoſito carnis velamine beatæ immortalitatis trabeâ ſublimaſti, concede nobis ſupplicibus tuis, vt quem ad laudem nominis tui honore Imperij exaltaſti in terris, pium ac propitium interceſſorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum noſtrum.

In 2. Noct. Lect. IV. Carolus cui præclara domi bellique facta *Magni* cognomentum pepererunt, ætate & educatione prima ſementem virtutum maximarum altè concepit, timorem Dei & honeſtas diſciplinas; quæ dotes excellentes vbi & Imperij Maieſtas & anni maturiores acceſſerunt, in heroïcas ac planè diuinas actiones eruperunt. *Magiſtros habuit in humaniori litteratura Petrum Piſanum*; in Diuina *Alcuinum* viros eruditione præſtantes. Poſuitque militiæ tirocinium ſub Pipino Patre, Principe inter eos adſcribendo, qui Francicam ditionem rerum magnitudine præcellentiaque commendarunt. Quo humanis exempto Carolus Regnum capeſſens, ſtudia omnia atque inſtituta in idololatriæ præſertim excidium conuertit, conatus non tam debellare eos ſibique ſubdere quos impietas illa dementaſſet, quàm vni Chriſto lucri feciſſe, de cuius cultu gloriaque præcipuè in quauis actione cogitaret.

Lectio V. Fecit autem immenſus hic ardor extirpandæ profanæ ſuperſtitionis, vt arma ſæpe Saxonibus inferret, in errores obſtinata duritie ſubinde reuolutis quos triplici triumpho perdomuit, & tandem ſalutiferæ Cruci manſuetos ac dociles ſubmiſit. Et eodem impetu permouente Principem, Bauaros & Alemannos vicinaſq; circum regiones quæ vel Chriſtum nunquam didicerant, vel ab eodem impia defectione receſſerant, Chriſtianis etiam ipſe legibus ſubiecit, partemque maximam Hiſpaniarum aut Mahumetanorum erroribus aut Iudæorum impoſtutis inſanientem ad veritatis ſcholam reduxit. Euocatus ab Adriano Pontifice Longobardos hoſtili deprædatione in ſupremam ſedem ſæuientes Alpibus ſuperatis repreſſit, captoque Rege Deſiderio auulſa direptaque recuperauit & Eccleſiæ reſtituit, Leonemque Pontificem Cathedra eiectum ſua reddidit amiſſæ Dignitati, Coniuratorumque factionem compreſſit. Ex quo eſt conſecutus Auguſti atque Imperatoris nomen proclamante populo digniſſimum illum eo titulo, qui vnus Imperij caducam Maieſtatem in Oriente repararat.

Lectio VI. Inclinata iam ætate rediit ad Diſciplinas eo contentiùs quo maiori voluptate ab illis animum impleri ipſe experiebatur; & reuocauit earum lumen quod ſecula præterita turpiter extinxerant, & in clerum nobilitatemque Francicam induxit. Hinc *Schola Palatina Lutetiæ Pariſiorum Nobilibus eruditendis, & Epiſcopales Clericis*, quæ poſtea in florentiſſimam Academiam exoleuerunt. Reparauit ſacram Diſciplinam temporum iniquitate collapſam, & eo in opere laborantem Crodegangus Cancellarius Galliarum feliciter adiuuit. Eccleſiaſticas ſocietates priſtino ſplendori reddidit & nouas ædificauit, ac prouentu liberali dotauit. Sub eo Principe reſurrexit Baſilica S. Quintini Martyris quæ eſt Auguſta Veromanduorum nouâ molitione, Fulrado Abbate eius, quam idem Imperator pretioſa ſuppellectile; beneficiiſque plurimis ditauit: vnde maiores eum fundatorem illius alterum appellarunt. Obiit Dominus Princeps anno Chriſti 815. ætatis 74. & Aquiſgrani ſepultus, relictis innumeris exemplis pietatis ac fortitudinis, quæ optimi quique Reges imitentur.

Cum autẽ 4. Nationes Vniuerſitatis Pariſienſis Præter feſta communia D. Virginis & SS. Nicolai & Catharinæ delegerint ſibi ſingulæ ſingulos Patronos Cœlites, Gallicana quidem B. Guillielmum Bituricenſem, Picardica S. Firminum Am-

bianenſem, Normanica S. Romanum, Anglicana quæ & Germanica dicta eſt, Carolum M. Imperatorem cum Edmundo Anglorum quondam rege ſibi aſſumpſit. Quamobrem autem Extranea Natio, non Gallicana aut Picardica id fecerit, non difficilis eſt coniectura: illa enim præcipua adiutrix fuit inuicto Imperatori Carolo in condenda Academia Pariſienſi. Vnde circa an. 1280. orta inter Nationes controuerſia de præminentia, illa primum ſibi locum deberi contendit, quod prima in Vniuerſitate fuiſſet, immo ipſa Vniuerſitatis inſtitutrix. Qua de re nos aliàs.

Cæterum poſtquam exiit Edictum à Ludouico XI. circa an. 1480. ipſa maiorem voluit eſſe Patroni ſui celebritatem, habitiſque Comitiis die 27. Ian. 1487. deliberauit de augenda ſolennitate. Vt ſcribit M. Andreas Richardi eius Procurator his verbis. *Supplicauerunt aliqui Magiſtri Nationis noſtræ, vt ponereturin medium celebratio ſolennior feſti Caroli M. Et quantum ad hoc ordinatum erat, vt Natio conuocaretur per iuramentum, an præfatum feſtum celebraretur, an non.* Hoc feſtum in veteri eiuſdem Nationis Kalendario vocatur *Magnum* ad diem 28. Ian. his verbis.

CAROLI M. FRANCORVM REGIS. Quod eſt. FESTVM MAGNVM MAGISTRORVM ALLEMANIÆ.

Hinc Miſſa ſolennior celebratur cum organis, inſtitutumque quo maior eſſet ſolemnitas, vt ſingulis Magiſtris qui intereſſent, pecuniæ diribitio fieret. Vnde Receptor eiuſdem Nationis expenſas ſuas numerans an. 1489. ſic ſcribit. *Item in feſto Caroli M. pro diſtributionibus Magiſtrorum ac Bedellorum 2. libræ Pariſ. Item pro diſtributionibus Curati 2. ſol. Pariſ. Item pro ſeruientibus in Miſſa & in Veſperis 6. ſol. Item pro Bono homine & Clerico 2. ſol 2. den. Item pro Organiſta 2. ſol. Pariſ. Item pro illoqui cantauit Miſſam 2. ſ. Par. Item pro offertorio 2. ſol. Pariſ.*

Eiuſdem Caroli ſtatuam erigi voluit eadem Natio in æde SS. Coſmæ & Damiani, vbi ſua ſacra celebrare ſolet. De qua ſic ſcribit Martinus Beſardus Procurator ad 19. Nouemb. an. 1554. *Statuæ D. Caroli M. ſculpendæ inque Templo Diuis Coſmæ & Damiano ſacro collocandæ cura locatioque D. Quæſtori, Dominoque Dauidi Scot Scoto tanquam eius rei perito demandata.*

In eiuſdem Imperatoris honorem eadem Natio pro ſymbolo ſeu Teſſella aſſumpſit duas Aquilas obuerſas, quæ ſunt Teſſellæ Imperatoriæ & Germanicæ: quæ cum ab antiquo in ſigillo Procuratoris ſculptæ fuiſſent, circa an. 1587. MM. Simon Simſon & Blacuodæus Scoti Leonis inſigne quod eſt Scotiæ ſymbolum, addi & inſculpi curarunt. Qua de re M. Mauricius Vuillemin Vrſæus Lotharingus Spinalæus Tullenſis Diœceſis eiuſdem Nationis Procurator in Comitiis Centuriatis apud Mathurinenſes die 5. Iunij 1587. Rectore M. De la Barre habitis conqueſtus eſt, ſicque in Commentariis ſcriptum reliquit.

Die 5. Iunij ego infra ſcriptus ſupplicui coram tota Academia ad ædem ſacram Mathurinenſium congregata aduerſus D. Simſonium Decanum & D. Blacuodæum Scotos qui iuxta Aquilam introduci & ſculpi fecerunt Leonem nouo ſigillo Procuratoris, loco illius furtim ablati die Pentecoſtes 1586. dum defunctus M. Philbertus munere Procuratorio fungeretur, licet nunquam fuerint viſa & admiſſa Scotiæ Stemmata in ſigillis Germanicæ nationis, ſed ſola aquila duplex caput habens, quæ ſunt Germaniæ inſignia: Itaque requirio, vt ſumptibus eorum aliud ſigillum conficiatur, in quo non ſit introductus Leo, ſed ſola aquila iuxta præcedentis formam: ſicut etiam deliberatum fuerat & concluſum à tota Natione ad hoc legitimè conuocatâ. Et quoniam res grauis viſa eſt & magni ponderis nihil de ea eo die indicatum eſt, ſed eam viris Academiæ ſelectis Facultates diſcutiendam reliquerunt. Et ita ab ampliſſ. D. Rectore de la Barre concluſum. Sig. M. Mauricius Vuillemin Procurator Nationis.

Sed & Nuncij Vniuerſitatis Pariſienſis, qui vulgo Magni appellantur, eundem Carolum in Patronum aſſumpſerunt, atque in eius honorem ſodalitium (quod vulgo *Confratriam* vocant) inſtituerunt an. 1478. exaratque publicum inſtrumentum, quo natio Gallicana eorum poſtulatis annuit: & in eo habentur hæc verba. *Quorum ſupplicatio continebat in effectu, quod ipſi Nuncij recognoſcentes gratium eis à Natione factam conſiderantes excellentiam & dignitatem Vniuerſitatis Pariſ. cuius primum & firmius membrum eſt ipſa Natio, quæ quidem Vniuerſitas originem creditur traxiſſe ab Athenis, tandem per S. Karolum M. ab vrbe Roma in hanc Pariſiorum vrbem adducta*

&

& fructuosè collocata innumerabiles fructus continuo producens, proponebant ea præſenti voto ſi Natio laudaret, fundare vnam Confratriam ad honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ & S. Karoli M. ad diuini cultus augmentum, ad exorandum Altiſſimum pro felici ſucceſſu Regis & ſuorum, etiam ad recommendationem tam Vniuerſitatis quàm Nationis prædictarum.

Hinc ab iis in æde Mathurinenſium altare eidem Carolo erectum ad lævam magni, & ſtatua poſita. Hinc quoque in Capitulo, qui locus eſt Comitiorum Vniuerſitatis, prædicti Heroïs ſtatua erecta: quæ & alia plura M. le Maiſtre habens præ oculis cum Rector eſſet, communi conſenſu 4. Nationum præclaræ Facultatis Artium Ferias Carolinas edixit, & quotannis celebrandas promulgauit.

Verum quia qui deinde ſecuti ſunt Rectores, aut Edictum eiuſmodi ignorarunt, aut obſeruari non curarunt, quædam Gymnaſia ferias quidem illas retinuerunt, alia non retinuerunt. Cui malo mederi cupiens eadem Facultas die 16. Decemb. an. 1661. in Comitiis Mathurinenſibus, ne de cætero locus eſſet ambigendi aut ignorandi, perpetuâ lege ſtatuit, vt D. Rector & futuri Rectores quotannis ferias illas edicerent programmate publico, quemadmodum Indictales edicere ſolent, atque in omnibus ſcholis obſeruari imperarent, apponentes pœnam pro arbitrio, ſi qui parere recuſarent. Statutum eſt eiuſmodi, M. Cæſare Egaſſio Bulæo tum Rectore.

Die 16. Decemb. anno 1661. in Comitiis apud Mathurinenſes habitis de more prolectione Rectoris, poſtquam ampliſſimus D. Rector cauſam expoſuit congregationis.....M. Petrus de Lenglet Exrector & Procurator generalis Vniuerſitatis reduxit in memoriam olim in ſcholis Pariſienſibus celebrari ſolitum feſtum Caroli Magni huius Academiæ Fundatoris, quod cum abiiſſet in deſuetudinem lapſu temporum, illud tandem fuiſſe à D. le Maiſtre Rectore renocatum & reſtitutum: verum ſeu incuria conſequentium Rectorum, ſeu aliam ob cauſam rurſus in pluribus Collegiis celebrari deſiiſſe: quod ne deinceps accidat, vtque tanti Heroïs tam memorabile beneficium vigeat in Academicorum, non modò qui ſunt, ſed etiam qui poſthac futuri ſunt memoriâ, ſibi videri opus eſſe, vt D. Rector & conſequentium temporum Rectores publicè quotannis Feriæ Carolinæ concipiant ad diem 28. Ianuar. atque ideo petiit à D. Rectore, vt iuberet eâ de re per Nationes deliberari. Tum igitur iuſſæ per D. Rectorem Nationes deliberare, retulerunt concorditer & vnanimiter per ſuos Procuratores toto ſe animo cupere, vt dies illa 28. Ian. in omnibus ſcholis ſuis feriata deinceps ſemper habeatur, ac ne vllus Gymnaſiarcha, ſiue Regens ſtatutum hoc ignorare queat, velle, vt D. Rector & alij futuri Rectores illam edicant quotannis, vt Indictalem ſeu San-Dionyſiacam edicere moris eſt, pœnam quam viderint, refragantibus interminando.... atque ita per D. Rectorem concluſum.

Anno 1167. poſt mortem Willielmi Regis Siciliæ, cui ſucceſſerunt filij duo, alter in Regnum & alter in Ducatum Apuliæ, M. Petrus Bleſenſis ex Academia Pariſienſi in Præceptorem Willielmi II. delectus, vt eum politiori litteraturâ informaret, in Siciliam proficiſcitur: ibique Regiis litteris tabelliſque obſignandis præficitur & ſit omnium Regni Conſiliorum particeps: qua de re ſic ipſe Ep. 131. ad quendam nepotem ſuum Monaſteriolanum Priorem. *Tu*, inquit, *frequenter ex ipſius Papæ qui nunc ſedet, ac pleriſque Cardinalibus eius, qui in diebus meis legatione functi ſunt, fratris etiam mei & Abbatis S. Dionyſii aliorumque magnatum, qui interra ſunt, relatione cognoſcere potuiſti, quod cum in Sicilia eſſem Sigillarius & Doctor Regis Willielmi II. tunc pueri atque poſt Reginam & Panormitanum electum, diſpoſitio Regni ſatis ad meum pendebat arbitrium.* Verum cùm paulo poſt nempe an. 1168. Stephanus Panormitanus ille electus & Regis Cancellarius nonnullorum Siculorum proditione è Regno in Paleſtinam exulare coactus fuiſſet, ipſe verò Bleſenſis è morbo in quem inciderat, conualuiſſet, Sigilli curam à ſe abdicauit & impetratâ licentiâ in Franciam rediit. 1167.

Stephano autem illi in Archiepiſcopatu ſucceſſit Gualterus, ipſi quoque Bleſenſi amicus: quam promotionem illi congratulatur Ep. 66. Quis autem fuerit ille, dubito. Multoscertè huiuſce nominis cum ingẽti laude & fama floruiſſe video, Gualterum de Mauritania, de quo in Catalogo virorum Illuſtrium, Gualterum de Inſulis, Gualterum Marpeſium, Gualterum Archiepiſcopum Panormitanum & M. Gualterum etiam Gallum in Academia Neopolitana inſignem Grammaticæ

professorem: cuius obitum deflet Blesensis Ep. 171. ad Doctores Academiæ Neapolitanæ. Est autem huiusmodi.

Ad Doctores Academiæ Neapolitanæ.

Sedentibus super aquas amaritudinis in salicibus organa suspendentibus Neapolitani studij Doctoribus vniuersis M. Petrus solamen S. Spiritus & illam quæ omnem sensum exuperat pacem Domini nostri I. C. De seculo nequam & valle miseriæ ad scholas florentis patriæ, vbi garrulitatis improbæ nullus auditur tumultus illius vocatione cuius imperium in cœlo & in terris & in omnibus extenditur creaturis, Grammaticorum eximius Consocius noster & Frater M. Gualterus nouiter euocatus ab oculis nostris pertransiit velut vmbra, imò euanuit. Ad cuius transitum studii Parthenopes obscuratus est Sol & Luna versa in eclypsim. Nam Ars Grammaticæ quæ Lunæ vocabulo designatur, priuata decoris radiis tristis sedet in tenebris & habet vnde suum possit reiterare dolorem duobus maritis tam modico tempore viduata. Nondum præcedentis & recentis doloris sanata sunt vulnera, & sic calamitati calamitas & tempestas additur tẽpestati, dolor doloribus & vulneribus vulnera inferuntur. Mirũ in modũ hic est ordo præposterus & turbatus: quia naturaliter Magistrum sequitur Discipulus: hic autẽ Magister est Discipulum subsecutus, & hoc ideo quia mortis irregularitas de suo more peruerso peruertit ordinem, quæ præponenda erant, postponit; præponit è contrario postponenda. Proh dolor! vitis frondosa quàm subitò aruit! cuius fructus exuberat ad plenum. Nam in multitudine filiorum quos genuit, indefessus ille vterus Magistralis cunctis præualuit, & tanquam cedrus Libani superexcreuit, cui non sunt adæquatæ virgultæ de deserto. Ipse quidem fuit alter Ioseph in terra Ægypti, cui omnes inuiderunt Potentes, quem sæua bestia deuorauit, videlicet mors quæ per aphæresin cunctis aufert mortalibus caput & à membris diuidit & scindit. In cuius decisione Vos qui floretis in Cathedris tanquam multorum capita plena oculis retro respicite & diligenter attendite, quantum sit tenuis & fragilis gloria singularis, quæ est quasi vapor ad modicum durans, fœnumque quod mane floret, vespere decidit & arescit. Ad tutelam igitur bene viuendi, Doctores inclyti, substracti Magistri per illam syncopen à qua nullus Grammaticus excusatur, statum & transitum reciprocantes in vobis, vnum efficax per locum à Simili colligite argumentum, similiter istud iter currere quod vester socius præcucurrit.

Scripsit quoque ad Discipulos eiusdem Magistri Gualteri, & ad omnes auditores Grammatices, quibus suum de tanti viri, quem *Magistrum Magistrorum* appellat, obitu dolorem significat. Idem Ep. 173. deplorat eximij cuiusdam Professoris & Doctoris in iure ciuili obitum, nempe M. Iacobi de Regione, qui vnus fuit è 4. primis qui Ius ciuile Bononiæ repararunt & docuerunt: illamque Epistolam mittit ad Iuris Ciuilis Professores, hoc modo.

Iuris ciuilis Professoribus vniuersis Petrus salutem & attendere vltimum ante primum.

Amaritudo amarissima & materia concreta doloribus humanis nouiter mentibus concurrerunt. Nam vnicus & singularis homo, in quo velut in suo proprio Leges conuenerant & viuebant, eloquentiæ tuba, consilii plenitudo, vox populi ad finem & in fine optimus persuasor omnium excellentissimus Iacobus de Regione Iesu Christo vitalem spiritum resignauit, & attrita est nimium repentè gloria vultus eius. In cuius occasu non solum Lombardia sole priuata suo, verum etiam maxima pars viuentium continuis lachrymis ingemiscit & doloris gladius multorum viscera perforauit. Nec immeritò, cum ipse quasi legifer & supremus Doctor de proscriptis Iuris codicibus sensus informaret informes, & quasi adhuc viuens informare non desinit: quia licet vt homo desierit, non tamen desinit vt Magister, quia mortuus ipse docet quantum sit appellatio mortis difficilis & violenta, quia resistentia ei nulla fieri potest, quia ex modo necessitatis omnem superat syllogismum, exceptiones non recipit, dilationes aliquas non attendit. Ideoque viri prudentes, in Doctore mortuo prudenter addiscite quidquid possit, & quantum fortior, exterminant Angeli, & diligenter attendite quod Legum facundia mortis imperio non resistit.

De Reliquiis Heretici.

Ad hunc annum legitur in Chronico breui S. Dionysii, quod Vvillielmus Medicus attulit *libros Græcos à Constantinopoli*.

Ad hunc quoque annum scribit Hugo Pictauinus author historiæ Vizelia-

cenſis Deonarios ſeu Poplicanos Hæreticos in Niuernenſi Ciuitate detectos, examinatos & condemnatos fuiſſe, huicque iudicio adfuiſſe Guichardum Lugdunenſem Archiepiſcopum, Bernardum Niuernenſem Epiſcopum, M. quoque Gualterum Laudunenſem Epiſcopum; eorumque ſeptem igni traditos exuſtoſque fuiſſe in valle Eſconii. Omnem quoque diligentiam & curam ad exterminandam huiuſmodi peſtem adhibebat Ludouicus & frater eius Henricus Remenſis Archiepiſcopus, præſertim ex Flandria, vbi frequentes conuentus habebant. Qua de re ſic Ludouicus ſcribit ad Alexandrum Papam.

Sanctiſſimo Patri & Domino Alexandro D. G. ſummo Pontifici Ludouicus eadem gratia Francorum Rex ſalutem & debitam reuerentiam. Archiepiſcopus Remenſis Henricus frater meus nuper in Flandriarum terram profectus ibi inuenit homines deprauatos erroris peſſimi ſectatores in Manichæorum lapſos hæreſim, qui Populicani vocantur, & per quaſdam obſeruationes quas habent, meliores apparent quàm ſint. Et ſi fortè proſperati fuerint, diſpendium magnum erit noſtræ fidei, præſertim in partibus illis vbi iniquitas pullulauit, & radices altius fixit. Si voluiſſet Archiepiſcopus ſolummodo vt parceret iniquis iſtis & tolerare prauitatem hanc, pro huiuſmodi redemptione habuiſſet pecuniam magnam nominatam, videlicet ſexcentas argenti marcas. Quia apud eum non patebat illis refugium, proclamauerunt ad audientiam veſtram: ſed rem tam venenoſam, tam pernicioſam attendat diligentius veſtra ſapientia, & velitis vt tanta peſtis potius euellatur quàm pullulet. Precamur itaque attentius pro honore fidei Chriſtianæ, vt ex Conſilio Archiepiſcopi Chariſſimi filij veſtri rem præuenire ſinatis, vt illi ſcilicet deſtruantur, qui contra Deum eriguntur, & ſeueritas in tales commendabilis erit apud omnes qui in Patria illa pietatis amatores ſunt. Et ſi aliter egeritis, non expedit fidelium mentibus, quorum murmur non ſedabitur facilè, & in blaſphemiam veſtram & S. Rom. Eccleſiæ ora quàm plurimorum aperietis. Valete.

Interim feruebat in dies magis diſſidium Anglicanum ob expulſum Thomam; & hoc anno exarſit magis Henrici furor, ex eo quod Alexander Papa Thomæ Primatum Eccleſiæ Cantuarienſis Regnique Anglicani conceſſiſſet. Sic enim ipſi reſcripſit. *De Thoma Cant.*

Alex. Papa Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo. Frater in Chriſto Chariſſime Thoma Cantuar. Archiepiſcope, De Fratrum noſtrorum conſilio tuis iuſtis petitionibus debitâ benignitate duximus annuendũ, atque Prædeceſſorũ Noſtrorum felicis memoriæ Paſchalis & Eugenij Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes tam tibi, quàm tuis legitimis ſucceſſoribus Cantuarienſi Eccleſiæ Primatum ita plenè concedimus, ſicut à Lanfranco & Anſelmo aliiſque ipſorum Prædeceſſoribus conſtat fuiſſe poſſeſſum. Quidquid etiam Dignitatis ſiue poteſtatis eidem ſanctæ Cantuarienſi Eccleſiæ pertinere dignoſcitur, præſentis pagina ſcripti confirmamus, ſicut à temporibus B. Auguſtini prædeceſſores tuos habuiſſe Apoſtolicæ ſedis authoritate conſtat.

Eundem Thomam Alexander Legatum ſuum in Anglia conſtituit, & legatione Apoſtolica fungi iuſſit. Tum ergo Rex non amplius cunctandum ratus, omnino à partibus Alexandri diſcedere cogitat: & quod meditatus tantùm ante fuerat, per Ioannem de Oxonia executioni mandat, quem ad primarium ſchiſmatis fautorem, Reginaldum ſcilicet Colonienſem Archiepiſcopum remittit, vt cum eo tandem & cum Imperatore ad turbandum Eccleſiæ ſtatum fœdus ineat. Eundem tamen Ioannem iuſſit Romam proficiſci, vt ſi qua ratione poſſet, Papam à Thomæ partibus dimoueret. Quod vbi reſciuit Thomas, prædictum Ioannem & nonnullos alios ſibi præſertim inimiciſſimos publicè & nominatim denuo ſacris arcet: eaque de re his litteris certiorem facit Alexandrum.

Nominatim, inquit, *excommunicaui Ioannem de Oxoneford, qui communicauit ſchiſmatico & excommunicato illi Reginaldo Colonienſi, quique contra mandatum D. Papæ & noſtrum vſurpauit ſibi Decanatum Saresberienſis Eccleſiæ & in Curia Imperatoris ſchiſmate renouando præſtitit iuramentum. Similiter & Richardum de Tuceſter denunciauimus & excommunicauimus, eo quod inciderit in eandem hæreſim damnatam, communicando famoſiſſimo illi ſchiſmatico Colonienſi, & Richardum de Luci & Ioſcelinum de Baillol & Hugonem de S. Claro & Thomam filium Bernardi, qui poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantua-*

rienſis abſque licentia & conſenſu noſtro ſibi vſurpauerunt. Id factum à Thoma apud Vizeliacum ipſo die Pentecoſtes, vt ſcribit Ioannes Sareſberienſis ad Oxonienſem Epiſcopum, vel vt alii ſcribunt, die Aſcenſionis, vt ante diximus, niſi forte bina ab eo lata eſt excommunicatio, quæ videtur eſſe mens Hiſtoricorum, priorem quidem ad an. 1166. referentium, quod vix crediderim.

Verumvt vt ſit, Regẽ quoque ipſum ferire deſtinarat, ſed quia audiuit ipſum in morbum incidiſſe, contentus fuit eum per litteras & nuncios iuxta morem Eccleſiæ vocare ad ſatisfactionem & publicatâ vocatione ad fructum pœnitentiæ inuitare comminatus ſe in eum laturum ſententiam anathematis, ſi breui non reſipiſceret & de tantis aduerſus Eccleſiam facinoribus perpetratis non ſatisfaceret. Præterea ibidem ſcriptum illud, in quo continebantur prauitates malignantium aduerſus Eccleſiam, quas auitas conſuetudines dicebant, publicè condemnauit, innodans anathematis vinculo eos omnes quicunque de cætero authoritate illius ſcripti, vterentur. Epiſcopos verò qui ſe ſcripto illi adſtrinxerant, à iuramento per litteras & nuncios abſoluit.

Contra fulmina iſta & minas duo oppoſuerat Henricus. Vnum Romæ apud Alexandrum per Ioannem de Oxonia, petens diiudicandæ rei cauſâ delegari Willielmum Papienſem Cardinalem virum meritis & eloquentia conſpicuum, interimque vetari ne quis Regem anathemate feriat, idque impetrat. Alterum in Colloquio Chinonenſi, cui adfuerunt Rotrodus Rothomag. Archiepiſcopus, Arnulfus Lexouienſis, Frogerus Sagienſis, nimirum appellationem. Qua de re Prælatos Anglicanos certiores fecit per M. Gualterum de Inſula: vt ſcribit Ioannes Sareſberienſis Ep. 159. ad Oxonienſem Epiſcopum. *Rex virum Bonum M. Gualterum de Inſula miſit in Angliam cum litteris à colloquio Chinonenſi, vt inſulanos ſuper facta appellatione præmuniret, & portus & tranſitus faceret diligentius obſeruari & Clerum ab obediendo ſuſpenderet, cum tamen facta ſit appellatio & Archiepiſcopus Thomas poſſit facile inuenire. Nec dubio quin prædicto Gualtero machinatio iſta diſpliceat, cum omnibus quæ præſumuntur aduerſus Eccleſiam Dei, quoniam Deum timet.*

Atque vt eâdem operâ quid Romæ à Ioanne de Oxonia factum ſit, & quid inde conſecutum fuerit, expediamus, ille poſtquam à Pontifice impetrauit, ne quis Regem ſacris arceret, vtque mitterentur legati Apoſtolici qui vtriuſque partis cauſas & rationes examinarent, reuerſus in Angliam veris multa falſa miſcens plurimos à Thomæ partibus ad Regias auocauit. Audiens autem hæc Thomas, & ignarus quo ſe verteret, has ſummo dolore affectus litteras ſcribit ad Ioannem Cantuarienſem Gentilem & Apocriſiarium ſuum tunc Romæ apud Alexandrum degentem.

" *Thomas* D. G. Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis Ioanni Cantuarienſi ſa-
" lutem Quomodo denuo facti ſumus opprobrium vicinis noſtris.... Ecce Ioannes
" de Oxeneford & alij Regis Nuncij à Curia redierunt extollentes ſe ſuper omne
" id quod dicitur, aut quod colitur Deus, dicentes ſe impetrauiſſe à curia quidquid
" deſiderauerunt. Videlicet quod Rex exemptus ſit à poteſtate omnium Epiſcopo-
" rum, præterquam D. Papæ quoad excommunicationis innodationem, & quod
" habiturus ſit Legatum quem petiuit, Vvillielmum Papienſem, qui inimicus no-
" ſter eſt pluſquam manifeſtus, cum plenitudine poteſtatis in omnem terram Re-
" gis, vt ædificet & plantet & præſertim eradicet & euellat omni remedio appella-
" tionis ſublato, & maximè ad decidendam principalem, quæ inter Regem & nos
" vertitur, cauſam, & omnia incidentia omni exceptioni & omni de cætero vt di-
" citur præiudicium allaturam. Et cum hac pompa & cum hoc faſtu rediit Ioannes
" de Oxeneford in Angliam. Et cum applicuiſſet in portu quodam, inuenit ibi fra-
" trem noſtrum Herefordenſem Epiſcopum (nempe M. Robertum Melidun. profeſ-
" ſorem Academiæ Pariſ.) auram, proſperam ad transfretandum furtim ſaltem
" exſpectantem, quia palam non poterat prohibitus à Miniſterialibus Regis... Quæ
" ſi vera ſunt tum proculdubio ſuffocauit & ſtrangulauit D. Papa, non modò
" perſonam noſtram, ſed & ſe & omnes Eccleſiaſticas perſonas vtriuſque Regni, imò
etiam vtramque Eccleſiam tam Gallicanam quàm Anglicanam. Quid enim exem-
plo hoc peſſimo non audebunt cæteri Principes terrarum aduerſus Eccleſiaſticas
perſonas?... Eſt & aliud in quo grauamur, quia nobiles viri tam Proceres, quàm
Epiſcopi & alij Prælati de Regno Francorum iam quaſi deſperati de nobis coexu-

les noſtros quos miſericorditer ſuſtentabant, nobis remiſerunt. Qui frigore & fame de cætero peribunt, ſicut & quidam iam perierunt. Hæc omnia D. Papæ diligenter inſinua.

Similiter Lombardus quidam ſedis Apoſtolicæ Subdiaconus tunc Pariſiis degens, non ille quidem M. Petrus Lombardus author & Magiſter Sententiarum, ſed alius Papæ Clericus ad ipſum Papam dedit acres haſce litteras. *Cum veſtræ Sanctitatis puer*, inquit, & veſtrarum manuum opus in Chriſto ſim, quæ in veſtræ famæ ſuggillationem atque veſtri nominis derogationem celebriter dicuntur, quæque in totius Eccleſiæ detrimentum callidè ſtruuntur, diſſimulare nec poſſum nec debeo. Ioannes ſiquidem Oxenefordenſis cum Decanatus honore & gratiæ veſtræ plenitudine Româ rediiſſe inſolenter ſe iactat, nihilominus arroganter adiiciens ſe priuilegio fore munitum aduerſus D. Cantuarienſem & omnem Epiſcopum... Cum Ioannes de Oxeneford velut Legatus veſter vniuerſos Epiſcopos conuocans, eis authoritate veſtra ſicut fama eſt in Gallia, ne ad D. Cantuarienſis vocationem venirent, præcepit: qua occaſione M. Robertus Herefordenſis Epiſcopus cum iam ad mare veniſſet tranfretaturus, reuocatus eſt: ſicut ipſe coram D. Cantuarienſi per Nuncios ſuos viros Religioſos & bene notos me præſente ſe excuſauit.

Hæc itaque palam iactabantur ab amicis Regis, quæ tamen longè aliter ſe habuiſſe ſcribit Ioannes Sareſberienſis Ep. 195. ad D. Morinenſem, cuius verba tanto libentius referam, quod iis eximium Ludouici Regis erga Thomam exulem affectum ſtudiumque exprimat. *Chriſtianiſſimus* Rex Francorum, inquit, Patrem noſtrum Cantuarienſem Archiepiſcopum in vlnis Charitatis excipiens eum in Eccleſia B. Columbæ Senonenſis Regiâ magnificentiâ exhibet, & ſic tractat in omnibus vt à Chriſto tractari decet Chriſtum Domini. Aliter enim exprimere nequeo affectionem quam naufrago Sacerdoti exhibet Chriſtianiſſimus Princeps. Nos autem Domeſtici Sacerdotis, proſcripti quidem rebus, ſed adſcripti fidelibus, qui pro iuſtitia patientes honorificauerunt Miniſterium ſuum, diſperſi ſumus vt exules in Regno Francorum. Sed vbique nobis adeſt qui paſcit volatilia cœli & Lilia veſtit agrorum. Speramus autem quod idem Pater noſter & omnium Dominus procellam noſtram in auram conuertet in breui, licet maius nobis imminere naufragium hoſtes Eccleſiæ glorientur. Mentiuntur enim Romanam Eccleſiam Nobis conuerſam eſſe in arcum prauum, & D. Papam omnibus Regis Anglorum petitionibus annuiſſe, ex eo ſumentes coniecturam, quod Excommunicati noſtri aduocati ſunt in aduentu Ioannis de Oxenefordia. Qui etiam quaſi re bene geſta in curia Imperatoris, vbi ſchiſma confirmatum eſt, acceptum de manu D. Papæ reportauit Sareſberienſis Eccleſiæ Decanatum. Sed ſi quis ea quæ Romæ geſta ſunt, diligentius recolat, planè videbit quod Rom. Pontifex etiam circumuentus cauſam Eccleſiæ & noſtram fideliſſimè procurauit. Iam dictus enim Ioannes tandem præſtito iuramento de more abſolutus vt itidem publicè iurauit, quod nihil in præfato Schiſmaticorum conuentu fecerat contra fidem Eccleſiæ & honorem & vtilitatem D. Papæ, & vtinam non deieraſſet, poſtmodum commendatitias & deprecatorias porrexit ex parte D. Regis, quibus inſertum erat, vt illi tanquam Regi ipſi in omnibus crederetur. Deinde tanta fultus authoritate, cauſam quæ inter Regem & Archiepiſcopum ſuper prauis conſuetudinibus vertitur, D. Papæ commiſit arbitrio, vt illæ ad nutum eius roborarentur aut caderent, & Archiepiſcopo ad formam mandati eius pax omnimodo reformaretur. Et hoc item iuramento confirmans obtinuit, vt D. Papæ concederet ſe ad hoc legatos eſſe miſſurum. Quorum iter vt aiunt, ſuſpenſum eſt Iuratoris fraude comperta.

Venerunt tamen illuſtres illi Legati Pontificij, Willielmus Papienſis, Otho ſeu Odo, Humbaldus & Hyacinthus Cardinales: quos Regis auro corruptos fuiſſe fama fuit: certè Thomæ minus faciles ſe præſtiterunt, ob id fortè, quia nimis tenacem eſſe propoſiti putauerunt, minutias & argutias conſectari paulo obſtinatius quàm decuiſſet & licuiſſet: quod & amici etiam ipſi non probabant. Vnde Arnulphus Lexouienſis laudatâ quidem conſtantiâ qua cauſam Eccleſiæ tuebatur, admonet tamen ne cum de pace agetur, minutiis eiuſmodi inſiſtat, neve ſubtiliter & anxiè ſingula diſcutiat. Legitur eius ad eum Epiſtola in 2 tomo

Spicilegij Dacheriani; ex qua multa intelliguntur ad hanc hiſtoriam pertinentia.

Magnam mihi Latitiam dignationis veſtræ litteræ contulerunt. Omnibus quidem diligenter iteratâ lectione perſpectis, nihil inuentum eſt quod non aut humilitatem ſaperet, aut zelum iuſtitiæ redoleret. Placuit mihi zelus veſter, quia ipſum robuſta commendabat humilitas, mutuóque ſibi inuicem fauore zelus & humilitas concurrebant. Sic enim oportet, vt humilitas feruoris incendia temperet, & humilitatis modeſtiam zelus excitet & accendat, ne aut in puſillanimitatem deſcendat humilitas, aut in furorem zelus incitatus excedat. His igitur ſeſe inuicem mutuâ charitate complexis, intellexi tertiam duabus acceſſiſſe conſtantiam, quæ ſanctis initiis lætos exitus, & felices forti patientiæ repromittit euentus. Hæc ſiquidem in vobis nec damna, nec labores attendit, ſed omni ſtudio ſinceræ conſcientiæ teſtimonium quærens, fortunæ ſimul & perſonæ naufragium minoris æſtimat, quàm iuſtitiæ vel virtutis.

Arbitrabantur aliqui, quorum malitia conſueuit de aliena conſcientia diuinare, quod neſcit opus veſtrum de ſuperbia, non de virtutis procedere veritate, affectare vos priſtinos Cancellariæ mores, in hac quoque dignitate ſeruare, vt nullus potentatui veſtro, nullus audeat reſiſtere voluntati: Glorioſum vobis fore, ſi procedentem olim de lubrico voluntatis alienæ potentiam veſtro poſſetis nomine vendicare, cùm rectiùs Eccleſiaſticæ dignitati reuerentia debeatur, quàm officio ſæculari. Sublimatum enim vos, & ad altiora diuina bonitate prouectum; nec iam vos ſcabellum pedis, vel lateris etiam obſeruare conceſſum, ſed ipſius diademati capitis imminere, quod ſcilicet adeò de veſtra auctoritate pendeat, vt ipſius ad vos principalis aſſignatio, & aſſignationis conſignatio debeat pertinere. Ideircò ſanè vos inter initia Regalibus obſtitiſſe mandatis, vt in ipſo crederetur vniuerſitas expugnata, cùm nulla relinqueretur aliis fiducia reſiſtendi, vbi regia illi poſſent imperia prævalere. Addebant & vos inter amicos aliquando dixiſſe, non fouendos in Principe inconſultos elatæ iuuentutis affectus, ſed ſtatim viriliter intemperantiæ reſiſtendum, ne diſſimulatio creet audaciam, vel inſolentiam indulgentia prona confirmet. Notos vobis eſſe omnes Regalis animi motus, quid lenitatis habeat, quid virtutis audeat attentare, ipſúmque prudentiæ veſtræ magnificentiam nihilominus agnouiſſe, quam totiens in oportunitatibus vtilem, & in difficultatibus expertus ſit efficacem. Non repudiandum ab eo blandis adulatorum fallaciis conſilium ſalutare, quo conſueuerit fulcire nutantia, complanare ſcrupulos, obſtantia dimouere. Quæ verba cùm ad Regis notitiam malignitatis inuidia detuliſſet, aſſerebant irreuocabiliter indignatum dixiſſe, quòd totis vtendum eſſet viribus, totis artibus obſiſtendum, quoniam ei de dignitate contentio parabatur: Impoſſibilem fore concordiam, quoniam neque vos deſtinata dimittere, nec ipſe quicquam vellet dignitati regiæ derogare.

Igitur de incerto opinionis & malignitatis inuidia procedente iudicio variæ diſſentienteſque ſententiæ ferebantur. Porrò iam proceſſu temporis omnis eſt ſublata dubietas, propoſitíque veſtri ſanctitas euidentibus argumentis innotuit, adeo vt boni certè compatiantur & gaudeant, & debita cœperit operire confuſio malignantes. Certum eſt hoc, & luce clarius apud omnes extitit, minoris reputaſſe vos diuitias quaſlibet, & præcelſæ faſtigium dignitatis, quàm iuſtitiam quæ ex Deo eſt, & gloriam Eccleſiaſticæ libertatis. Si enim fauori diuino fauorem præferretis humanum, & ad inducendos profanæ nouitatis abuſus veſtra conſentiret authoritas, poteratis non ſolùm cum ſumma tranquillitate degere, ſed ipſi etiam magis quàm olim Principi conregnare. Quod autem veſtram familiam intereſſet, veſtro temperaretur arbitrio, & expoſito ſanguine cæterorum, domeſticus ſtatus veſter ex omni parte ſeruaretur illæſus. Verùm Sanctitas veſtra debitum Epiſcopalis officij recognoſcens, maluit interim ſequeſtrare potentiam, facultates exponere, ipſam quoque perſonam quibuſlibet iniuriis patienter offerre. Euangelicum ſiquidem illud fidei memoria retinetis ſummi Paſtoris doctrinâ proditum, & firmatum exemplo, quòd pro ouibus & fratribus noſtris debeamus animas ponere, non de ipſorum detrimentis deteſtabilem lucri materiam comparare. Poterat autem onus diſtributionis leuari, ſi cauſa communis communi tractata conſilio, communi ſuffragio niteretur. Firmatam quippe concordiâ Spiritus vnitatem, verum eſt vexationibus concuti, nulla tamen improbitate con-

uelli. Igitur inualeſcente malitia, qui ad tempus crediderant, tentationis tempore receſſerunt, ducíſque ſui non tantum facti ſunt deſertores, ſed in caſtra hoſtium facto transfugio tranſceſſerunt. Si vero cœptis perſeueranter inſiſterent, & quoſlibet patienter experirentur euentus, in ſemetipſam vehementia colliſa rediderent, & conceptos immunitas deſperata frænaret affectus. Sed vbi pertractatis animis ſingulorum communi cauſæ priuata præualuit, deſperatio reſumpſit audaciam, & ſepultas ſpes rediuiua ſuſcitauit denuò quæſtiones. Verùm tergiuerſantibus, imò præuaricantibus vniuerſis ad ſtandum ex aduerſo, & opponendum ſe murum pro domo Iſraël, virtutis veſtræ magnificentia ſola relicta eſt, quæ redemptam ſemel ſanguine Chriſti ſuo iterum ſanguine redimat libertatem. Licet enim nondum vſque ad ſanguinis effuſionem cauſa peruenerit, ſupplet tamen deuotio meritum paſſionis, quæ perſonam veſtram minis & terroribus non ſolùm expoſuit, ſed obiecit. Et cùm prorſus incredibile ſit ipſum in veſtram aliquid crudelius excogitaſſe perſonam, tamen non ſatis poterat inter tot indignationis motus bonitas abſcondita diuinari: præſertim cùm rerum omnium ſigna in veſtram viderentur perniciem conuenire. Sperauit ſiquidem vos ad obſequendum terroribus inclinare, tantóque ſeuerius terrendum cenſuit, quantò à maiori læſione cenſuit abſtinendum. Denique ſi veſtrum voluiſſet, impedire diſceſſum, non ſerenitas aëris, non ventorum gratia, non tranquillitas maris, non vos nautarum induſtria deduxiſſet. Vbique enim manus vobis regiæ poteſtatis occurreret, cuius nec diligentia falli poterat, nec potentia circumſcribi: ſed & quandiu domeſtica vos complectentis Inſulæ brachia continerent, neque vobis tanta nocendi pateret occaſio, nec tanta inuidiæ materia garriendi. Nunc vero quibuſlibet querimoniis ſilentia veſtra præponderant, & quolibet improbior eſt fuga veſtra congreſſu, dum nobis fauorem publicum modeſtia veſtra conciliat & ipſum efficacius apud opinionem publicam typo quodam excuſantis accuſat. Mallet igitur ſi animum eius ſeuerior indurauit affectus, præſentem frequentibus vexare moleſtiis, quàm ad indulgentiam qualibet importunitate compelli: mallet ſi mitius aliquid quandoque propoſuit, vt id liberalitatis eius in beneficium, quàm patientiæ veſtræ cederet in triumphum.

Ad ſummam, frequenti vobis eſt conſideratione tractandum, quæ cauſa veſtra ſit, quis aduerſarius, quæ parti veſtræ ſtudia ſuffragantur. Et cauſæ quidem iuſtitia manifeſta eſt, quoniam pro Eccleſiæ Dei libertate contenditur, quam ille ſemel in cruce liberatam euicit, & redemptam impretiabili pretio vniuerſis qui ipſius nomine cenſentur, reddidit vniformem. Sicut enim vna fides eſt, vna eſt & libertas, quam identitas Sacramentorum, & operantis omnia Spiritûs ſimplicitas conſecrat & confirmat. In hoc quippe conſiſtit vnitatis Eccleſiaſticæ mirabile Sacramentum, quòd ſicut vna fides eſt, vnus Spiritus, & vnum baptiſma, ita eſt vnum manumiſſionis perpetuæ teſtamentum, quo nos diuinæ bonitatis adoptio non tantum liberos efficit, ſed & cohæredes. In quo quotiens libertati detrahitur, conſtat fidei nihilominus derogari; quoniam mutuo ſibi inuicem ratione connexæ eadem ſemper & diſpendia ſentiunt & prouentus.

Porro aduerſus eum vobis agendum eſt, cuius aſtutiam remoti, vicini; potentiam, **ſeueritatem ſubditi reformidant: quem adeo crebri ſucceſſus & fortuna** fecit gratia delicatum, vt quicquid non obſequitur, ducat iniuriam: quem quantò moueri facilius tantò ſit difficilius mitigari; apud quem temeritatem non fouet impunitas, ſed indilatam delictis irrogat vltionem: Verum humilitati & patientiæ præparat ſe quandoque tractabilem: viribus non ſuſtinet expugnari, ſed planè quidquid fecerit, de voluntate videatur non de impotentia prouenisſe. Quod erit potius gloriam quærere, quàm prouentum: quod in Principe poſſet ſatis commendabile reputari, ſi gloriæ materiam virtus & veritas, non vanitas, & dulcis vſque in exitium adulatio compararet. Magnus eſt multorumque maximus, quoniam nec ſuperiorem habet qui terreat, neque ſubditum qui repugnet, nec alienis extrinſecus pulſatur iniuriis, quibus ab innato domeſticæ feritatis manſueſcat affectu, ſed omnes qui aduerſus eum contentionis cauſas habent, potius ad vanæ pacis fœdera peritura conueniunt, quàm ad virium experimenta decurrant, quoniam diuitiarum copiâ, multitudine fortium, amplitudine poteſtatis excedit.

„ Quod ſanè contemplati, quorum opè niti, quorum muniri conſilio, quorum
„ fulciri ſuffragio debuiſtis, à vobis velut facto agmine diſceſſerunt, quando ma-
„ ximè nominis ſui rationem deberent agnoſcere, & ſe vobis ſuffraganeos non re-
„ fraganeos exhibere. Vtinam priſtinæ profeſſionis ſuæ memores extitiſſent, quæ
„ concepta ſemel in ſeriem totam futuræ ſucceſſionis extenditur, & nouo ſucce-
„ dente vetus ſemper in idipſum obligatio reformatur. Hi ſunt qui ad veſtram cau-
„ ſam, imò cauſam Chriſti per omnia diſcrimina proſequendam tenebantur obno-
„ xij, ſi debitum Ordinis ſui, & detrimentum Eccleſiaſticæ libertatis atte nderent:
„ ſed qua fide, qua charitate vobiſcum, imò cum Deo cœperint ambulare, vidiſtis,
„ quia in neceſſitate veſtra nec vtendum diſſimulatione, nec ſermonibus tempe-
„ randum, nec parcendum contumeliis cenſuerunt, ſed totis ſtudiis ſeſe inuicem
„ præuenire certabant, vt vnuſquiſque vos vel magis odiſſe crederetur, vel in ni-
„ hilo peperciſſe. Mirabatur Romanus Pontifex, & hi penes quos cum eo ſumma
„ diſponendæ Eccleſiæ cura conſiſtit, quod oues in paſtorem, quod in patrem fi-
„ lij, quod in ſeipſos denique tanta vehementia gladios contorquerent. Si enim
„ potuiſſent efficere quod quærebant, nec ipſum libertatis nomen, nec ſpes liber-
„ tatis aliqua reſediſſet, ſed tanta iam regiminis Eccleſiaſtici fuiſſet ſecuta confuſio,
„ vt nihil ordine tractaretur, ſed omnia ſtolido permiſcerentur errore, cùm ſublatis
„ priſtinis inſtitutionibus nihil ad debitos ſuo iure dirigeretur effectus. In his igitur,
„ quantum mihi videtur, non niſi inanem vobis poteſtis collocare fiduciam; quia
„ fidelem reconciliationi operam non impendent, qui cauſam diſſidio præſtite-
„ runt.

„ Reliqui verò fere omnes qui in inferioribus ſunt gradibus conſtituti perſonam
„ veſtram ſinceræ caritatis brachiis amplexantur, altis, ſed in ſilentio ſuſpiriis im-
„ plorantes, vt ſponſus Eccleſiæ ad gloriam ſui nominis felici vota veſtra ſecundet
„ euentu. Nullus tamen eſt qui ſe vobis amicum audeat confiteri, ſed quò magis
„ odiſſe credantur, veteres inimicitiarum cauſas allegant, ne indicta velut in cæ-
„ teros proſcriptione damnarentur. Fertur enim de ſuſpicione ſententia, nec ad
„ irrogandam pœnam veritatis argumenta quæruntur, ſed inuoluuntur æqualita-
„ te ſupplicij, quos culpa non æquauerat qualitate delicti. Profectò gratiſſima
„ vobis eorum debet eſſe compaſſio, quia licet animos ſublimium, minorum vota
„ non moueant, indignationem tamen diuinæ etiam Maieſtatis expugnant, vt tan-
„ tò fiat ad indulgentiam pronior, quantò ab humiliore fuerit reuerentia ſuppli-
„ catum. Reſpicit enim in orationem humilium, cauſam potiùs reputat, quàm
„ perſonam, vt cauſæ ſemper iuſtitia ſua quantumcunque dilata reſpondeat, &
„ perſonæ nihilominus merces meritis compenſata concurrat. Eorum igitur apud
„ Deum vobis poterit prodeſſe deuotio, ſed apud Regem ſicut nullam impetrandi
„ fiduciam habent, ſic nullam fiduciam ſupplicandi.

„ Ad hæc ſi ſtudia Procerum elucitis inquirenda, certum eſt eos aduerſus Ec-
„ cleſiam Dei quaſi fœdus inuicem contraxiſſe, vt vtilitates eius ſemper impe-
„ diant, & dignitatibus inceſſanter obſiſtant, quia totum ſibi reputant deperire,
„ quicquid eius vel honori, vel prouentui viderint acceſſiſſe. Inſtant alacriùs, eo
„ quòd eis grata de temporis oportunitate refulget occaſio, quia vires eis Regiæ
„ **ſuffragantur, quoniam prædicant ſe in his ad ſtatum Regni** conſeruandum fi-
„ delem diligentiam adhibere. Aiunt prædeceſſores nec tantas vires, nec tantam
„ poteſtatis amplitudinem habuiſſe; non oportere eum indigniùs regnare, vel
„ remiſſiùs operari, dignitati magis quàm vtilitatibus intendendum, cum plerum-
„ que cupiditatem lucra redoleant, dignitas ſemper reuerentiam augeat, & glo-
„ riam maieſtatis illuſtret. Attribuunt ergo dignitati quicquid olim de poteſtate
„ conſtat eſſe præſumptum, licet illud nec fidei concordet, nec rationi conueniat,
„ nec conſentiat æquitati. Ille verò auidiùs quàm expediret blandos adulantium
„ ſermones amplectitur, fidem reputans, quod nihil aliud quàm dolum maligni-
„ tatis eſſe nouiſſimo deprehendet effectu. Si quis enim eorum altiùs vota diſcutiat,
„ intelliget quia callidè ſibi gratiam eius, & ipſi laboris ac detrimenti materiam
„ præparant in futurum. Ad hoc totis anhelant deſideriis, totis artibus elaborant,
„ dummodò eorum non innoteſcat intentio, vel ſcilicet eius quandóque potentia
„ reprimi poſſit, ipſiſque vetus delictorum importunitas, & noua delinquendi li-
„ centia reparetur. Horum quantò promptior eſt malignitas, tanto eſt efficacior

ad

ad nocendum, quia eis familiaritas occaſionem præſtat, & auctoritatem excellentia ſubminiſtrat.

Præter hæc ſi extraneorum ſubſidia diſcretio veſtra conſideret, in illis cum gratia ſtatim effuſæ liberalitatis concurrunt, ſed poſtmodum tædio diuturnitatis tepeſcit affectio, & liberalitas impendij quantitate laſſatur. Onus quippe modicum itineris longitudine certum eſt ingrauari, & domeſticæ ſarcinæ onus ſæpe præponderat alienum. Hæret altiùs, difficiliúſque conuellitur qui de præcedentibus meritis adoleuit affectus, ſemperque ſe verecundia reputat obligatam, donec ſaltem quæ præcepta ſunt, vberiùs compenſata ſoluantur. Conſtat itaque delicatè tractandos eſſe quos ad beneficium vltroneæ gratia caritatis inuitat, nec oblatum liberaliter poculum quis abſorbeat alienum, ſed citra votum etiam largientis manus continendæ ſunt, ne alienam virtutem neceſſitas vel impudentia noſtra conſumat.

Hæc ſunt quæ bonum eſt veſtram crebriùs tractare prudentiam, & rationis inſtrumentis ſæpius expenſa reuoluere; & ſic omnia quaſi ſub vnum conferatis aſpectum, vt quid ſingula ponderis habeant, pleniùs de ipſa poſſit collatione perpendi. Cæterum media vobis erit via ſecurior, vt nec propoſitum veſtrum aduerſitatis auſteritas interuertat, nec conſcientia veritatis obduret, ne vos vel pauor deſperatum faciat, vel confidentia pertinacem. Tolerandum quippe eſt quod ſine crimine poteſt, fideique periculo temperari, multaque ad tempus diſſimulare neceſſe eſt, quæ ſtatim nequeunt emendari, donec tranquillior nobis Spiritus auræ leuioris aſpiret. Non enim ſemper eoſdem diuerſa tempora repræſentant euentus, ſed præſentia nobis quandoque præteritorum detrimenta reſtaurant. Circa contingentia nihil ſtabile ſibi poteſt infirmitas humana præfigere, nec de ſuorum etiam niti poſſunt affectibus animorum; ſed & ipſos fortuitis caſibus cohærere neceſſe eſt, & ad ſingulos eorum motus ſingulas effingere voluntates. Totis ſiquidem ſtudiis coguntur exquirere quod ab eis modò nullis poterat precibus impetrari, quia dexteræ Excelſi repentina mutatio totam docet illicò manſueſcere feritatem; ſic eſt: In manu Dei corda ſunt hominum pariter & perſonæ, parique facilitate, & perſonas de medio tollere poteſt, & animos immutare. Super quo ſpem vobis certiſſimam tribuant conſcientiæ puritas, & momenta fortunæ, quia nec ea quæ vobis aduerſantur æterna ſunt, nec ſperantem in ſe confundi iuſtitia diuina permittet. Inclinabit ſiquidē Deus animum Principis & aduerſum ſua bonitate conuertet, vt Regnum & ſacerdotium paribus ſibi inuicem cooperentur auxiliis, mutuam ſibi reuerentiam, mutuam exhibeant caritatem. Si quis enim prouida prudentiæ veteris inſtituta conſideret, à quibus tam religionis Eccleſiaſticæ quàm Regalis excellentiæ iura fluxerunt, cognoſcet ea tanta ſibi inuicem rationis neceſſitate connexa, vt plurimam alterum de altero contrahat firmitatem. Vnde ſi quid inuicem violentiæ vel iniuriæ fuerit irrogatum, in eum qui irrogauerit conſtat eſſe vertendum: quia neque pax Eccleſiæ ſine Regno neque Regno ſalus poterit niſi per Eccleſiam prouenire. In caput igitur agoris reuertetur iniuria, ipſumque ſibi manus intuliſſe nouiſſimo comparebit effectu.

Interim ſi quid vobis ſerenitatis cœperit apparere, occaſionem veſtra ſapientia non repellat, ſed oblatam prompto colligatis amplexu. Super quo ſi quid tractandum inciderit, nolite ſingulos articulos nimia ſubtilitate diſcutere; quia ſubtilitas contentionem parit, contentio vero ſopitos odiorum ignes quaſi quibuſdam flatibus excitat & accendit. Non erit vobis ad ſingularia decurrendum, ſed quaſi generalibus ſtudioſius inhærete; quia ſalua res eſt, niſi pactiones ſpecialiter expreſſæ perimant libertatem. Si enim nos fidei profitemur, & reuerentiæ & obſequij debitores, ſi bona & perſonas noſtras honorari & vtilitatibus eius offerimus impendendas, ſed Regias dignitates, & antiquas conſuetudines, in quibus legi Dei non obuiant, promittimus obſeruare, non lædit, quia in his omnibus contra debitum nullatenus obligamur. Si ergo ſub hac vel ſimili verborum conceptione, pacem vobis & veſtris bonitas diuina parauerit, interpretatione verborū futuris reſeruate temporibus, quia nec ipſe vobis tot mouebit de cætero quæſtiones, & vos in omnibus poterunt experimenta præſentia reddere cautiorem, ſed neque vobis apud homines gloriam videamini quærere vel triumphum, ſed Re-

» gi tanquam præcellenti omnis honor,omnis victoria conferatur,dum tamen vo-
» bis liceat coram Deo conſcientiæ veſtræ teſtimonio gloriari. Ego verò fidele pa-
» ci veſtræ miniſterium, vt deuotus, ita promptus impendam, quoniam aduerſi-
» tati veſtræ Deo teſte compatior, & perſonam veſtram,& cauſam ſinceræ brachiis
» caritatis amplector. Certum ſiquidem eſt quia fortunam veſtram & perſonam ve-
» lut quoddam holocauſtum pro fratribus veſtris Deo in odorem ſuauitatis offertis,
» vt labor veſter nobis cedat ad requiem, inopia veſtra noſtras redimat facultates,
» & quod reſiduum libertatis eſt,patientia nobis veſtra confirmet. Proinde ſic agen-
» dum erit mihi, vt me vobis prima facie profitear inimicum, quia amicum profi-
» tenti neque fides haberetur, nec aliquis præſtaretur acceſſus. Poterit igitur con-
» ciliando fauori ſimulatio deſeruire, vt vtilitati veſtræ cautius virtus operis, & in-
» duſtria ſermonis incumbat.

» Proinde conſolamini, quia de aduentu eius ad partes iſtas plurima nobis com-
» moditas incipit apparere, quia præſens efficacius ab his qui vos diligunt, poterit
» eorum auctoritati cedere, adquieſcere conſiliis, precibus inclinari. Venit autem
» animi ſolito manſuetioris, vt aiunt, quia animum eius licet ipſe diſſimulet, quæ-
» dam præſagæ futurorum amaritudines compellunt, quoniam intelligit in pleriſ-
» que factis ſcintillas quaſdam ad excitanda incendia confoueri. Mouetur enim
» Francorum inuidiâ, calumniis Flandrenſium, Galenſium improbitate, Scotorum
» inſidiis, temeritate Britonum, Pictauorumque fœderibus, interioris Aquitaniæ
» ſumptibus, Gaſconum leuitate; & quod grauius eſt, ſimultate fere omnium quoſ-
» cunque ditioni eius conſtat eſſe ſubiectos. Suſpectam etiam habet Romani Pon-
» tificis quam ipſe motu repentino contraxit offenſam, Regnique ſtatus adeo de
» abſentiæ veſtræ cauſa confuſus eſt, vt nec Eccleſiaſtica, nec ſecularia ſuo
» proceedant ordine, neque quiſquam ſciat quid iuri Eccleſiaſtico, quid ſecu-
» lari debeat aſſignare. Pro his omnibus propoſuit primò cum Rege Francorum
» quibuſdam conditionibus conuenire, vt ſuo & ipſius terrore conuicto facilius
» poſſit cætera complanare. Diſpoſuit etiam ſicut aiunt, in pleriſque mitius agere, vt
» in pacem omnia diſſimulatis reuocentur iniuriis,& ipſe celeri reditu ad reprimen-
» dam Galenſium reuertatur audaciam, priuſquam cum eis Scoti Britoneſque con-
» ueniant & Albania, ſicut prophetatum eſt, incipiat indignari. Venit igitur impe-
» rata facturus, ſi fuerit, qui ſciat vel audeat imperare, vtilius æſtimans aliquid ad
» tempus de faſtu veteris ſupercilij ſcqueſtrare, quàm expectare, vt in perniciem
» eius quæ prædicta ſunt, omnia vel pleraque concurrant. Valete. Dominus perſo-
» nam veſtram conſeruet incolumem, & aduerſitatem veſtram velociter ad ſecun-
» dos reducat euentus.

1168. Ad annum 1168. refert Mathæus Pariſienſis commercium Regis Henrici cum Reginaldo Colonienſi contra Alexandrum Papam & Thomam Cantuarienſem: ſed procul dubio ſerius quàm oporteat: hoc enim anno Ioannes de Oxonia Româ redierat, iamque ante cum ſchiſmaticis communicarat,& hocce tempore age-
bat de pace per legatos: cui cum præcipuum obſtaculum afferre crederetur Gil-
bertus Folioth Epiſcopus Londonienſis, cuius conſilio Rex ad ſchiſmaticos litte-
ras dediſſe ferebatur, vt Alexandrum à Thomæ patrocinio auerteret, ad eum Papa ſic ſcripſit.

» *Alexander*..... Memoria tua non credimus excidiſſe qualiter Chariſſimus in
» Chriſto filius veſter Henricus Illuſtris Rex Anglorum multa à nobis olim precum
» inſtantia requiſiuit, vt ab Herefordenſi Eccleſia cui præminebas,de te in Londo-
» nienſem Eccleſiam tranſlationem fieri pateremur. Vt autem ſuæ petitioni noſtrum
» impertiremur aſſenſum, neceſſitatem pariter & vtilitatem proponebat, aſſerens
» quod Ciuitas illaquaſi Regia ſedes exiſteret, & quia te religionis & diſcretionis
» virtute crederet præminere, conſilio tuo ſuper his quæ ſaluti animarum expedi-
» rent, & ad Regni augmentum pariter& conſeruationem ſpectarent, temporali-
» ter & ſpiritualiter vti volebat, & ideo magis proximum te deſiderabat habere.
» Vnde attendentes quàm vtiliter prudentia & religio tua ſaluti eiuſdem Regni &
» Regis poſſet conſulere, & quanta inde valeat commoditas prouenire, libenter
» ſuis precibus acquieuimus & te conceſſimus in Londonienſi Eccleſia promoueri.
» Vnde quanto benignius eius beneplacitum & voluntatem compleui mus & tuæ
» pariter exaltationi intendimus & honori tanto probitas tua circa incrementum

& conſeruationem Eccleſiæ amplius deberet eniti & attentius circa hoc laborare, vt fructum quem idem Rex nobis propoſuit & nos ſperamus, exhibitione operis & ipsâ rerum experientiâ cognoſcamus. Quomodo autem Rex prædictus à deuotione Eccleſiæ animum auertit, & iam in multis, ſicut appellationibus & viſitationibus veſtris, communicando etiam excommunicatis nominatim & ſchiſmaticis & confœderando ſe eis, & in eo etiam quod venerabilem fratrem noſtrum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum de Regno ſuo exire coëgit, quaſi perſequi & impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter ſolicitudinem tuam rogamus, monemus atque mandamus quatenus adiuncto tibi venerabili fratre noſtro Roberto Herefordienſi Epiſcopo eundem Regem ſolicitè commoneas & ſtudioſâ exhortatione inducas, vt huius propoſito prorſus relicto, in eo quod exceſſit, ſicut dignum eſt, ſatisfaciat, à prauis actibus omnino deſiſtat, Creatorem ſuum puro corde diligat, Matrem ſuam Rom. Eccleſiam ſolitâ veneratione reſpiciat, nec eam viſitare volentibus inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediat, & prædictum noſtrum Fr. Thomam Cantuar. Archiepiſcopum ad ſedem ſuam benignius reuocans & reducens, in B. Petri & noſtra reuerentia firmus immobiliſque conſiſtat, & ad opera miſericordiæ ac pietatis intendat, vt ille per quem Reges regnant, temporale ſibi Regnum conſeruet in terris & ſempiternum largiatur in Cœlis. Et niſi iſta maturius correxerit, timendum ſibi erit, ne & Deus ei pro his omnibus grauiter iraſcatur, & in eum & in ſuos debeat grauius vindicare, & nos ipſi id non poterimus diutius in patientia ſuſtinere. Nec iſta pro nobis, quantum pro eo proponimus, cuius gloriam & honorem totis affectibus exoptamus.

Has litteras melle potiusquam felle & amaritudine plenas accepit Gilbertus eo animo quo decebat eum, qui ſe omnino Eccleſiæ ſubmittebat: atque vt Alexandro ſatisfaceret, reſponſorias dedit affectus quoque ſui & pietatis teſtes, Regemque conatus eſt in multis quæ ei obiiciebantur, excuſare. Sed & præterea admonuit, non expedire Eccleſiæ nec ſummo Pontifici Regem Chriſtianum & verè Catholicum ad extremas anguſtias propellere, graues enim eſſe morſus irritatæ neceſſitatis: iamque imminere ingentia pericula, niſi præcaueantur, eaque à multis res nouas molientibus, toto animo exoptari. Sic ergo ipſe.

Mandatum veſtrum. Pater in Chriſto Chariſſime, debitâ veneratione ſuſcipientes, illico filium veſtrum chariſſimũ illuſtrem Anglorum Regem adiuimus & adiuncto nobis venerabili fratre noſtro Roberto Herefordenſi Epiſcopo iuxta veſtri formam mandati diligenter conuenimus: cui ſingula quæ veſtris nobis expreſſa ſunt litteris ante oculos ponentes, ipſum obſecrando & quantum Regiam decebat Maieſtatem arguendo, conſtanter & inſtanter hortati ſumus, vt vobis ſatisfaceret, & ſi à rationis tramite deuiauerat, ad viam veritatis & iuſtitiæ redire noſtra per nos reuocatus admonitione non tardaret: & vt à Patre piè commonitus à prauis actibus omnino deſiſteret, Deum puro corde diligeret, Matrem ſuam ſanctam Romanam Eccleſiam ſolita veneratione reſpiceret, nec eam viſitare volentibus inhiberet, Appellationes ad eam factas non impediret & Patrem noſtrum D. Cantuarienſem Archiepiſcopum benignè reuocans & reducens in B. Petri & veſtra reuerentia firmus immobiliſque perſiſteret, & pietatis intendens operibus Eccleſiaſticas perſonas non grauaret, nec per ſe nec per alium grauari permitteret: vt ille per quem Reges regnant, temporale ſibi Regnum, conſeruaret in terris, æternum ſibi largiretur in cœlis. Alioquin ſi monitis ſalubribus non adquieſceret, ſanctitas veſtra quæ huc vſque patienter ſuſtinuit, vlteriùs in patientia ſuſtinere non poſſet. Ipſe verò correctionem noſtram multâ gratiarum actione ſuſcipiens multaque animi modeſtiâ conſequenter ad ſingula reſpondit. Imprimis aſſerens mentẽ ſuam à vobis nullatenus auertiſſe, nec id vnquam mentis propoſito concepiſſe, quin dum paternam ſibi gratiam exhibueritis, vos vt patrem diligat & S. Romanam Eccleſiam veneretur & foueat, & ſacris iuſſionibus veſtris ſaluâ ſibi ſuâ regnique ſui dignitate, humiliter attendat & obediat. Quod ſi vos aliquandiu non reſpexit ſolitâ reuerentiâ, hanc huius rei cauſam aſſerit eſſe; quod cum vobis in neceſſitate toto corde, tota mente, totis viribus, adſtiterit, ſibi poſtmodum in neceſſitate per nuncios recurrenti ad vos dignè pro meritis veſtra Sanctitas non reſpondit: ſed in omni fere petitione ſua ſe repulſam ſuſtinuiſſe conqueritur

„ & erubeſcit. De paterna confiſus gratia, qui filium dolentem exaudit, vultus ſpe-
„ rans & exſpectans lætiores in B. Petri & veſtra, vt dictum eſt, fidelitate immobi-
„ li conſtantia perſeuerat. Id eſt quod ſanctitatem veſtram viſitare volentem, nul-
„ lum prorſus impediet, ſed nec vt aſſerit, hactenus impediuit. *In appellationibus ex*
„ *antiqua Regni ſui conſuetudine id ſibi iuris vendicat & honoris*, vt ob Ciuilem cauſam
„ nullus Clericorum Regni ſui niſi antea authoritate & mandato ius ſuum obtinere
„ nequeat, ad te appellare queat. Quod ſi nec ſic obtinuerit, Excellentiam ve-
„ ſtram, ipſo in nullo reclamante, cum volet quilibet appellabit. In quo ſi iuri ve-
„ ſtro, vel honori præiudicatur in aliquo, id ſe totius Eccleſiæ Regni ſui Concilio
„ correcturum in proximo iuuante Domino pollicetur. Imperatorem illum etſi
„ ſchiſmaticum nouerit, à vobis tamen excommunicatum eſſe vſque hodie non reſ-
„ ciuit. Quod ſi denunciatione veſtra reſciuerit, ſi fœdus illicitum cum ipſo vel
„ quolibet alio iniit, & hoc Eccleſiæ Regni ſui iudicio ſimul in Concilio ſe correc-
„ turum promittit. *Patrem noſtrum Cantuarienſem Archiepiſcopum* à Regno ſuo ſe ne-
„ quaquam expulſſe aſſerit: vnde ſicut vltroneus receſſit, ſic ad Eccleſiam ſuam,
„ cum ſibi ſederit animo, plenâ pace reuerti ſibi liberum erit, dum tamen in ſatis-
„ faciendo ſuper his, vnde conqueritur, Regias ſibi in quas iuratus eſt, dignitates
„ velit integrè conſeruare. Si qua verò Eccleſiaſtica perſona vel Eccleſia ab ipſo vel
„ à ſuis ſe grauatam oſtenderit, ſatisfactioni plenæ totius Eccleſiæ iudicio paratus
„ erit. Hoc à Domino noſtro Rege in reſponſis accepimus, qui cauſam ſuam pluri-
„ mum ſibi iuſtificare videretur, cum in omnibus quæ prædicta ſunt, Eccleſiæ Re-
„ gni ſui iudicio ſe pariturum promittat. Vnde veſtræ ſupplicandum exiſtimamus
„ excellentiæ, quatenus illud præ oculis habentes, *calamum quaſſatum non conte-*
„ *res*, *linum fumigans non extingues*, zelum illum ſanctum qui ad vlciſcendam
„ omnem Dei Eccleſiæ iniuriam ſuccenſus eſt, ſi placet ad tempus intra fines mo-
„ deſtiæ cohibeatis, ne vel interdicti ſententiam, vel vltimum illud præciſionis elo-
„ gium proferendo, Eccleſias innumeras ſubuerti miſerè doleatis, & tam Regem
„ ipſum quàm innumeros cum eo populos à veſtra quod abſit obedientia irreuoca-
„ biliter auertatis. *Sanguis Regius tum ſe demum permittit vinci, cum vicerit, nec vere-*
„ *cundatur cedere cum ſuperauit*. Inſipienter attamen in charitate non ficta ſic loqui-
„ mur. Si huius rei finis extiterit, vt amiſſis omnibus D. Cantuarienſis exilium iu-
„ ge ſuſtineat, & veſtris, quod abſit, mandatis vlterius Anglia non obediat, fuiſſet
„ ſatius patiêter ad tempus ſuſtinuiſſe, quàm tanto ſeueritatis zelo deſeruiſſe. Quid
„ enim, quod pluris eſt nobis, ſi ab obedientia veſtra perſecutio ſeparare non po-
„ terit? Non deerit tamen, qui genua curuet ante Baal & de manu Idoli pallium
„ Cantuarienſe non habito Religionis delectu ſuſcipiat: nec deerunt qui ſedes no-
„ ſtras occupantes & Cathedris noſtris inſidentes, ipſi tota mentis deuotione obe-
„ diant. Iam multi pronoſticant ad talia, optantes vt veniant ſcandala & directa
„ ponantur in curua. Vnde Pater ſanctiſſime, non propria plangimus aut ploramus
„ incommoda. Niſi enim his malis celerius occurratis, ſecundam Eccleſiæ Dei ſub-
„ uerſionem pertimeſcimus, ita vt obvitæ tædium optemus periiſſe diem, in qua na-
„ ti ſumus.

Stragis Francorum in Sicilia.

Ex hiſce litteris apparet quàm ſapiens & modeſtus eſſet iſte Regis Conſiliarius, quamque ſedulo Eccleſiæ paci conſuleret. Nihilominus tamen quia Rex durius agebat cum Thoma, ab Alexandro vehementer increpitus eſt, quippe exiſtimabat non id fieri abſque eius conſilio. Quàm verò reuerenter Epiſcopus & patienter latam in ſe ab Archiepiſcopo ſententiam ſuſceperit, dicetur ad annum ſequentem.

Eodem anno teſte Monacho Antiſſiodorenſi, in Sicilia de Francigenis qui in Curia Willielmi II. Siciliæ Regis degebant, lamentabilis vbique ſtrages edita fuit. Rem ſic ille narrat. *Ipſo anno circa dies Paſchæ in Sicilia grauis eſt exorta ſeditio. Cancellarius enim Regis qui erat Francigena tunc plurimum potens, cum à plurimis odiretur in Curia, Quidam Curiæ potentes in vnum eiuſque Complices conſpirauerunt, & Sigillum Regis tranſformantes litteras Sigillo adulterino ſignatas vbique per Regnum diuexerunt, vt quotquot ex Francis reperirentur, capitaliter punirentur. Primò igitur in vrbe Meſſana factionis Authores nefandum detexêre conſilium, & Clericum dehinc aſino ſuper impoſitum ligatumque, ita vt os eius aſini poſteriora reſpiceret, per totam Vrbem vapulando duxerunt, & horrendo demum diſcerpsêre ſupplicio. Deinde quotquot Francigenas*

reperèrè, puniti ſunt. Sed & per diuerſa loca ſtrages non modica facta eſt. Res tandem Regi delata eſt & in ſeditionis Authores durius vindicatum. Eiuſdem rei meminit Petrus Bleſenſis, tunc willielmi Præceptor: qui vt Stephanum Cancellarium è Regno expulſum, ſeque etiam Siculorum inſidiis appetitum vidit, poſtquam è morbo in quem forte ob ſtragis mortiſque propriæ metum inciderat, conualuit, ſigillum quod ſibi traditum fuerat, tanquam Sigillorum cuſtodi, reſignauit & in Franciam rediit.

Anno 1169. rurſus Alexander Pontifex ſcripſit ad Regem Henricum pro pace & reſtitutione bonorum Thomæ Cantuarienſis, conatuſque eſt & per legatos & per Regem Ludouicum diſſidio finem imponere, ſed aſſequi non potuit. Quoniam ergo hiſtoriam iſtam quæ ab Academia noſtra non abludit, huc vſque perduximus, quæ deinde ſecuta ſunt, operæ pretium eſt attexere. Tales igitur extant Alexandri ad Henricum litteræ apud Mathæum Pariſienſem. 1164.

Alexander..... Quàm Paternè & quàm benignè Regiam ſæpius excellentiam conuenimus, & per litteras ac nuncios frequentius exhortati fuerimus, vt venerabilem fratrem noſtrum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum tibi reconciliare deberes, & ſibi & ſuis Eccleſiis cum cæteris ablatis reſtituere, ſublimitatis tuæ prudentia non ignorat, cum id toti fere Chriſtianitati publicum & manifeſtum exiſtat. Vnde quoniam in hoc huc vſque minime proficere potuimus, nec animi tui motum blandis ac leuibus emollire, triſtes efficimur & dolentes, & Nos ſæpe hac fiducia noſtra fruſtrari dolemus, præſertim cum te ſicut Chariſſimum filium ſincerius in Domino diligamus, cui in hoc graue periculum imminere videtur. Et quoniam ſcriptum eſt, *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam & annuncia populo meo ſcelera eorum*, duritiam tuam ſicut hactenus contra iuſtitiam & ſalutem veſtram non duximus vlterius ſupportandam, nec præfato Archiepiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officij ſui debitum libere exequatur, & ſuam & Eccleſiæ ſibi commiſſæ iniuriam Eccleſiaſticę ſeueritatis gladio vlciſcatur.

Similiter ad Thomam ſcripſit ſe deinceps non prohibere quominus in detentores bonorum Eccleſiaſticorum ſententiam vibret excommunicationis, exceptis tamen Regis, Reginæ & liberorum perſonis; *prouidentia tamen & circumſpectione adhibita quam modeſtia ſacerdotalis requirit.* Hoc vbi intellexit Gilbertus Londoniẽſis, nõ dubitauit quin quã primum à Thoma excomunicãdus eſſet. Itaque Dominica prima Quadrageſimæ ad declinandam illius ſententiam conuocato Clero Ciuitatis & populo in Eccleſia S. Pauli Romanæ ſedis audientiam appellauit, etiam ante quàm ſignificata fuiſſet ipſi excommunicationis ſententia. Thomas verò ſeu ignarus rei, ſeu certior factus ſententiam ad eum talem miſit latam apud Claram Vallem.

Thomas D. G. Cantuarienſis Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus, Gilbertõ Londonienſi Epiſcopo, vtinam vero fratri declinare à malo & facere bonum. Exceſſus veſtros dum licuit ſupportauimus, & vtinam manſuetudo patientiæ noſtræ quæ nobis ſupra modum damnoſa extitit, in totius Eccleſiæ perniciem non redunder. Sed quoniam patientiâ noſtrâ ſemper abuſi eſtis, neque D. Papa mneque Nos in verbo ſalutis veſtræ voluiſtis audire, ſed obduratio veſtra ſemper in deteriora excreuit, vos vrgente neceſſitate, officio, ratione & iure id perſuadente, ex iuſtis & manifeſtis cauſis Anathematis ſententiâ percellentes excommunicauimus & à corpore Chriſti quod eſt Eccleſia, donec condignè ſatisfaciatis, amputauimus. Præcipimus ergo in virtute obedientię & in periculo ſalutis, dignitatis & ordinis, quatenus prout Eccleſię forma preſcribit, ab omnium communione fidelium abſtineatis, ne veſtra participatio Dominicum gregem contaminet ad ruinam, qui veſtrâ doctrinâ erudiendus & exemplis reformandus erat ad vitam.

Dat quoque idem Thomas literas ad Decanum & Clerum Londonienſis Eccleſiæ, præcipiens in virtute obedientiæ, vt à communione ſui Epiſcopi penitus abſtinerent. Epiſcopus vero accepto humiliter mandato paruit & ab ingreſſu Eccleſiæ teſte Radulfo & Mathæo, patienter abſtinuit. Et quia appellauerat Papã, ſtatim ad eum ire feſtinauit. Ve. uniſenectutis incommodis impeditus adire non potuit. Pro eo verò Arnulphus Lexouienſis ad Papam ſcripſit, inno-

centiamque viri probauit. Eius Epiſtola eſt ordine 63. eſtque huiuſmodi.

Perſonam D. Londonienſis apud excellentiam veſtram diligentius commendare ſuperuacuum duxi, quia quod publicè notum eſt, nec accuſatione ſolẽni nec multâ commendationis inſtantiâ certum eſt indigere. Siquidem plenitudo virtutis eius ſcientiæ tot apud nos inotuit argumentis, tot ſubnixa ſuffragiis, tot vtilitatibus approbata eſt, vt quod in multos dignatio diuina diſtribuit, hoc in ipſum maioris affluentiæ gratia cumularit. Tractus eſt tamen iam diu homo ſanctus in cauſam; ſi tamen cauſa dicẽda eſt, vbi nullã potuit contradictio facere quæſtionẽ, vbi nullum litigium, nulla iudiciarij ordinis forma præceſſit: vbi ſine reo & teſte idem actor & iudex ſolitariam formauit de ſingulari voluntate ſententiam. Felicem ſe iſte & omni donatum beatitudine iudicaret, ſi ei Iudex ſuus auditorii communis aream impertiſſet, ſi citatus venire, ſi conuentus reſpondere, ſi denique dubium experiri potuiſſet ſententiæ fatalis euentum. Sed in ipſum de alio regno, de tranſmarinis partibus, de longinquo, ſcilicet velut in occultis ſagitta tranſmiſſa eſt, hoſtis dum præuideri metuit, gladium protinus capiti neſcientis illiſit. Solent patres filiorum delictis virgam prius adhibere quàm baculum: & ſi correctio moderata non proficit, ſeueriora poſtmodũ flagella conſumunt. Vtilius fuerat peperciſſe perſonæ in qua ſe nouerat totã ſcandalizare prouinciam, quia ad bonum pacis nõ tam pœna vniusquàm multorum gratia profuiſſet. Videtur de motu animi magis quàm de charitate proceſſiſſe quod factum eſt, quia totam ſe protinus ad pœnam irrogandam potentia præſidentis effudit, nihil reſeruans in poſterum in quo vel diſpenſare prudentia poſſet vel miſericordia ſubuenire. Fuerat fortaſſis primùm ab Epiſcopali ſuſpendendus officio, ab altaris miniſterio prohibendus, à liminibus ſequeſtrandus Eccleſiæ vt contumax nouiſſimè gladio feriretur: nec ad perniciem fratris libentius cucurriſſe, ſed cogi videretur inuitus. Neque enim ſalutem hominis velle credendus eſt qui feſtinat ad ſanguinem, ſed delinquentes Eccleſiaſtica etiam cenſura præmunit: vt ſcilicet liberentur dilecti quos pretioſi ſanguinis redemit effuſio, & fugiant à facie arcus, vt in contumaces tantum ſpicula ſuperbè prouocata deſcendant. Quod ſi etiam certum ſit tranſitum litteris & legatis ad eum peruium non fuiſſe, ſed omnem viam legitimis edictis ſecularis potentiæ terrore præcluſam, delictum alienum innocentia iſtius præiudicare non debuit, nec ipſi de iure potuit pœna quam non merebatur, infligi. Veruntamen eſt deluſa poteſtatis aſtutia ſagacitate perferentium aliquas ad ipſum litteras & mandata veniſſe quibus tota diligentia paruit, omnibus ſcilicet vel denunciatis publicè vel effectui debito mancipatis.

Porro ſi in tanto diſcrimine rerum conſulenda videtur præſidentis authoritas, Nunciis huius ad eum omnis negabatur acceſſus, nullumque paternæ charitatis extabat indicium, vbi ei conſilij gratia ſimul & remedij copia tollebatur. Ad hæc nobis qui rerum veritatem ex magna parte tam experimento quàm fideli de proximo relatione cognouimus, licet apud Maieſtatẽ veſtram de pura teſtimoniũ conſcientia perhibere, virũ inter minas alterius poteſtatis & alterius inſidias conſtitutũ, quatenus ad eum peruenire potuit, Eccleſiaſt. ſemper præceptionibus obediſſe, nec ab initio diſcordiæ cauſam vel poſtea fomentum aliquod audaciæ præſtitiſſe. Ille vero ſicut dictum eſt, non obſeruatâ causâ vel ordine virum cuius locus eſt in Eccleſia, ad ſcandalum omnium bonorum in facie confudit Eccleſiæ & animã ſanctam amaritudine ſimul & mœrore cõpleuit. Benedictus autẽ Deus qui aduerſus huiuſmodi S. Rom. Eccleſ nobis ad ſolenne refugium & remedium ſalutare conſtituit, vt eius ſcilicet præſulatu reducatur ad formam, quod cuiuſlibet inſolentia vel imperitia denigrauit ad culpam. Siquidem quod actum fuerat, veſtrę nimirum diſcretionis authoritate correctum eſt, accepto ſcilicet ab iſto iuramento, quod in tempore vobis complacito, ſuper his de quibus agebatur, mandatis Apoſtolicis obediret. Stabat ergo vir innocens ſub veſtri ſecurus exſpectatione mandati, ſed poſterior emiſſa eſt ſeuerior quidem priore ſententia, nulloque mandato nulloque prẽmiſſo cuiuſlibet vocationis aut conuentionis alloquio, in idem vinculũ, imo fortius litteris Maieſtatis veſtræ retruſus eſt, reique remedium conſuetudinis veſtræ in quo reſpirare cœperat, eſt ablatum. Mirati ſunt qui audierunt tantum aduerſus innocentiam perſonę, tantum aduerſus ordinem iuriſprudentiæ veſtræ ſubripi potuiſſe, cum ipſum à religione iuramenti nullatenus deſciuiſſe

conſtaret, nec ipſum poſtmodum in aliquo iudicialis experientia condemnaſſet. «
Certum eſt & omnibus Regni illius Incolis manifeſtum hominem ſanctum in his «
quæ malè acta ſunt, nihil voluntate, nihil conſilio, nihil ope deliquiſſe, eique ge- «
nerale teſtimonium de pura omnium cõſcientia perhibetur ipſum eccleſiaſt. ſem- «
per præceptionibus fideliter obedîſſe. Sanè verum eſt tam ipſum quã alios incum- «
bentis Potẽtię vehementiã timuiſſe, maioriſq; periculi neceſſitate compulſos diſ- «
ſimulaſſe plerumque & ſæpius exhibuiſſe modeſtiam quàm rigorem; & tanquam «
ſeductores motum poteſtatis conſultis aliquando blandiciis delinîſſe, vt eis veri- «
tatem iuſtitiæ quatenus id fieri poterat, puritas conſcientiæ reſeruaret. Profectò «
in articulo diei illius vidimus ſtatum Eccleſiæ partium noſtrarum ſub tanto diſ- «
crimine conſtitutum, vt ſciſſuræ quantitatem nulla potentia, nullæ diuitiæ, nulla «
poſſet ad plenum diligentia reſarcire: nec exſors tanti mali ipſa etiam Ro. Eccle- «
ſia præteriſſet, niſi incendium quod excreſcebat, Pontificalis temperantia reſtin- «
xiſſet. Super quo quatenus poſſumus de intimo cordium ſanctæ prouidentiæ «
veſtræ gratiarum refetimus actiones, quod paterna nobis clementia pepercîſtis, «
& malum à nobis longanimi patientia ſtuduiſtis auertere, quod noſtris credebatur «
proculdubio ceruicibus imminere. Inde eſt quod poſt multos metus laboreſque «
diutinos & naufragium imminens portus nobis ſecuritatis & tranquillitatis inci- «
pit apparere, certaque ſpe per merita veſtra lætos exitus & iocundos præſtolamur «
euentus. Porro licet perſonam pro qua ſcribimus facile ſit in omnibus excuſari, «
teſtimonia tamen & preces venerabilium perſonarum benignitati veſtræ credi- «
dit offerendas, quæ nulla vnquam audacia veſtram attentarent in aliquo fallere «
ſanctitatem. Quod ſi ad omnimodam fidei firmitatem vlterius procedendum cre- «
diderit veſtra diſcretio, paratus eſt coram Legatis veſtris aut perſonis quibus hoc «
vobis delegare placuerit, omnem à ſe culpam manifeſta veritate depellere, & «
ſi res altius diſcuſſæ fuerint, inuenietur in pleriſque laudem quoque plurimam «
ſagaci ſolertiâ meruiſſe. Affectabat omnideſiderio ad veſtram venire preſentiam; «
idque iam ſecundò an poſſet expertus eſt, ſed progreſſumaliquatenus ætas pro- «
uectior, perſonæ grauitas, difficultas itineris & ſenecturi ſemper cognata debili- «
tas reduxerunt. Ad hæc non ſolum noſtra pro eo, ſed totius Regni, immo etiam «
Regnorum deſideria pietatis veſtræ genibus aduoluuntur, vt ſecundum datum «
à Deo vobis ſpiritum iuſtitiam eius conſeruetis illæſam, aut ſi quid etiam imper- «
fectionis eſt, oculi veſtri videant æquitatem, quia nihil de indulgentiæ beneficio «
conſequetur, quod non excedentia perſonæ merita recompenſent. Et nos quidem «
iſta ad nullius ſuggillationem, ſed ad huius prouentum ſcribenda cenſuimus, «
quia & huic Apoſtolica poterit gratia prouidere & aliis nihilominus de eiuſdem «
diſcretionis & manſuetudinis copia ſubuenire.

Interim verò Pontifex duos Legatos à Latere ad pacem conciliandãm miſit M. Viuianum & Gratianum, quorum ille profeſſor olim fuerat in Academia Pariſienſi, hic Eugenii, olim Papæ, propinquus erat. Illi autem cum apud Baiocas in Normania rem prope ad exitum perduxiſſe crederentur, Willielmus Archiepiſcopus Senonenſis illis mandauit, ne quid ſine ſuo conſilio & aſſenſu, prout illis à Pontifice mandatum fuerat, concluderent. Itaque infecto negotio è Regis Curia receſſerunt. Igitur Rex putans ſibi illudi, iratus quoque quod Thomas Epiſcopos Anglię excommunicaſſet, per ſolennes Nuncios has dat ad Papam litteras, quibus ſe ab eius obedientia receſſurum minatur, ni Thomam comprimat.

Veſtræ, Pater Sanctiſſ. innoteſcit ſerenitati, quanta me & terram meam affli- «
git moleſtia, quantis me vexauerit iniuriis Thomas ille aduerſarius meus, cum «
teſte conſcientia nihil meruerim, nihil geſſerim tantâ contumeliâ dignum. Nunc «
autem innumeris præcedentibus nouam adiecit iniuriam, cum affligere non «
deſinit innocentem. Veſtra ſiquidem fultus authoritate, vt aſſerit, deuotos & «
fideles Eccleſiæ Romanæ filios Londinenſem & Sareſberienſem Epiſcopos cum «
quibuſdam familiaribus meis anathematis ſententia innodauit, cũ nullã aduerſus «
hos haberet rationabilem cauſam. Hoc autem quàm ſit mihi intolerabile, quam- «
que famæ meæ & veſtræ generet læſionem, veſtræ credo non incognitum pruden- «
tiæ. Videtur mihi etiam quod me quaſi derelictum proiecerit paternitas veſtra «
cum ad ignominiæ meæ augmentum, flagitioſum in me graſſari permittit inimi- «

» cum, mei reprimit iniuriarum vehementiam paternæ correctionis moderatio. Ve-
» ſtram igitur obſecro ſuppliciter & adiuro, vt iuſtum eſt, celſitudinem, vt quem
» filio debetis, operum exhibitione monſtretis affectum, & illatam mihi & perſo-
» nis meis & terræ meæ iniuriam abſque tardatione emendare dignemini, & quid-
» quid aduerſarius meus contra iuris ordinem, contra me & perſonas Regni, Clericos
» & Laicos ſtatuit, irritum habeatis & vacuum.

» Petitionibus enim quas paternitati veſtræ porrigimus, aſſenſum de iure præ-
» bere tenemini, maximè cum petitionibus veſtris, quas mihi Nuncij veſtri Vi-
» uianus ſcilicet & Gratianus proponebant, quatenus ſæpe fato Archepiſcopo
» Cantuarienſi Archiepicopatum ſuum & amorem noſtrum redderemus, nos poſt-
» poſito honore noſtro conceſſimus coram ipſis Legatis & octo Archiepiſcopis &
» Epiſcopis & Abbatibus multis, licet ille abſque conſcientia noſtra & coactione
» aliqua à Regno exierit, vt bene & in pace rediret & omnes poſſeſſiones ſuas
» haberet, ſicut habuit quando à Regno exiuit omnes qui cum eo vel pro eo exie-
» runt ſaluis dignitatibus Regni noſtri. Serenitatẽ igitur veſtram obnixè rogamus,
» quatenus attentè conſideretis honorẽ & vtilitatẽ quam vobis & curiæ veſtræ contu
» limus, & in futurum, niſi per vos ſteterit, conferemus, ſic & rem hanc ita temperare
» velitis, ne illius perfidi proditoris noſtri malitioſæ blanditiæ ſimplicitatem noſtrã
» circumueniant, ſed iuxta petitionem noſtram eos qui excommunicati ſunt, abſol-
» uatis, & ne in alios venenum excommunicationis effundere valeat, prouideatis.
» Ne ſi minus hac in iuſta petitione exauditi fuerimus, tanquam de beneuolentia
» veſtra deſperantes aliter ſecuritati noſtræ proſpicere compellamur. Et quoniam
» ſingula negotia noſtra difficile ſub ſcripto comprehenduntur, mittimus ad pedes
» paternitatis veſtræ Clericos noſtros familiares R. Archidiaconum Salesberien-
» ſem, & R. Barre, qui plenius vobis cuncta quæ geſta ſunt, & alia negotia noſ-
» tra exponent.

Igitur Pontifex viſis litteris Henrici, auditis quoque Nunciis, attentiſque omnibus quæ geſta fuerant, binas dedit ad Thomam litteras, vnis quidem ſignificabat ſe Regis precibus adductum legationis Apoſtolicæ munus indulſiſſe Archiepiſcopo Eboracenſi, alteris vero vetabat, ne in ipſum Regem aut Regnum eius vel perſonas Regni interdicti ſeu Excommunicationis vel ſuſpenſionis ſententiam promulgaret, niſi idem Rex in ſua pertinacia perſeuerans ante initium Quadrageſimæ ſibi gratiam ſuam non redderet, & bona omnia ſibi & ſuis reſtitueret pro animæ ſuæ ſalute & Regni ſui ſimiliter & hæredũ ſuorum perpetua tranquillitate. Hæc Mathæus. Ex his agnouit Thomas Pontificem tædio affici tam longæ diſcordiæ & iam ante agnouerat, cum ipſe ad eum litteras dederat, quibus ſignificabat ſe ad componendum diſſidium mittere legatos ſuos Gratianum & Viuianum, quæque tales erant.

Alexander... Illuſtris Regis Anglorum Nuncios & litteras accepimus. Et cũ à no-
» bis per eoſdem. Nuncios quædã magna & difficilia poſtulaſſet & ſuper iis obtinen-
» dis apud nos nnncii vehementer & fortiter inſtitiſſent, animũ noſtrum ad volun-
» tatẽ ſuam nequaquã flectere potuerunt. Sed ne poſſent habere vllam materiã & oc-
» caſionẽ de noſtra duritia cõquerendi, & quod ſibi nollemus in aliquo deferre ſe-
» quẽtes veſtigia & exempla prædeceſſorum noſtrorum, quos Sanctos eſſe non dubi-
» tamus, prædictum Regem cum omni benignitate, modeſtia & manſuetudine à ſuo
» reuocare propoſito, & eius mitigare animum & mollire diſpoſuimus duritiam. Inde
» vtique fuit quod nos, ſicut de conſilio & deliberatione fratrum noſtrorum proceſ-
» ſit, Dilectos filios noſtros Gratianum ſubdiaconum & Notarium noſtrum virũ ho-
» neſtum & litteratum quem ob memoriam ſanctę recordationis patris & prædeceſ-
» ſoris noſtri Eugenij Papæ intuitu ſinceriſſimæ fidei & obſequij ſui charum om-
» ni modis acceptumque tenemus: & M. Viuianum quem ob antiquam familia-
» ritatem, prudentiam & litteraturam eius ſincero cordis affectu diligimus, ad præ-
» ſati Regis præſentiam duximus deſtinãdos, per quos & per litteras noſtras ipſum cũ
» omni ſtudio & ſolicitudine diſtrictius quàm poſſumus, commonemus, vt tibi pa-
» cem & gratiam ſuam reſtituens, te ad Eccleſiam tuam honorificè reuocet, & tam
» tibi quã Eccleſiæ tuæ antiqua iura & libertates & honores integrè & illibatè cõ-
» ſeruet, & te & tua cum omni pace & tranquillitate eſſe permittat. Qua propter ro-

gamus

gamus fraternitatem tuam atque monemus, quatenus malitiam & anguſtiam temporis diligenter conſiderans & attendens, quomodo maiores noſtri tempora redemerunt propter diei maliciam, ad recuperandam gratiam & amorem ſupradicti Regis omnibus modis, quantum ſaluo ordine & officio tuo fieri poteſt, elabores & eius ſatagas animum mitigare, patientiam, manſuetudinem & benignitatem oſtendens, vt nullo modo poſſit dici per te remanſiſſe quominus gratiam & bonam voluntatem illius plenius deberes adipiſci. Rogamus prudentiam tuam, monemus, conſulimus & volumus vt vſque ad diſceſſum Nunciorum noſtrorum, nec in Regem nec in perſonas Regni, aut Regnum aliquam ſententiam proferas. Et ſi fortè, quod non credimus, iam protuliſti, ipſam vſque ad tempus illud ſuſpendas. Hoc autem ideo dicimus, vt illi omnem conquerendi occaſionem & materiam tollamus & eius duritiam tali modo vincamus. Si enim ſecus, quod abſit, contigerit, nos tibi authoritatem tuam ſubtrahere nullatenus volumus, ſed potius conſeruare & auxilium & conſilium noſtrum diligenter conferre. Cæterave-ro in ore Nunciorum noſtrorum poſuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas & eorum conſiliis & exhortationibus acquieſcas.

Iſti autem Legati parum profecerunt, quia vt inquit Mathæus poſt Radulfum de Diceto, quorum erat poteſtas æqualis, eos varius diſiungebat affectus, neque vnquam concordes fuerunt: quippe vterque parti quam ſuſceperat tuendam, impenſius quàm pacis conciliatores decet, fauebat: vnde factum, vt nec Gratianus apud Regem gratiam inuenerit, nec M. Viuianus apud Thomam. Quomodo vero ſe vterque geſſerit, fusè ſcribit Thomas l. 3. Ep. 60. ad Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum.

Antequam verò diſſolueretur frequentiſſimus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & Optimatum vtriuſque Regni conuentus, qui ad rem abſoluendã confluxerãt, Arnulphus Lexouienſis dedit ad Papam litteras, rogauitque vt iuberet & mandaret Legatis illis ſuis, ne minutias & tricas ſectarentur: mutuâ enim egere ope Regnum & Sacerdotium, nihilque derogari dignitati Eccleſiaſticæ, ſi dignitas Regia conſeruetur. Legitur eius Epiſtola ordine 68.

Nuncios & litteras veſtras D. Rex Anglorum tantò maiore lætitiâ & alacritate ſuſcepit, quantò maiorem eis benignitatis veſtræ gratiam promittere videbantur. Vnde petitione veſtra de pace Cantuarienſis Archiepiſcopi & ſuorum reſtitutione benigniùs exauditâ, eum ad Archiepiſcopatum ſuum redire, ipſumque cum omni integritate, qua tenebat, quando exiuit recipere, & deinceps in bona pace & ſecuritate poſſidere ad honorẽ ſiquidẽ Dei & Eccleſiæ, ſalua nimirũ Regni ſui priſtinâ dignitate conceſſit. Viſũ nobis eſt verbũ hoc Nunciis veſtris viris ſanè prudẽtibus placuiſſe; adeo vt eos qui præſentes erant, ſtatim abſoluerint, & ad eos abſoluendos qui erant in Anglia, alter eorum ſcilicet M. Viuianus illico tranſire, alter citra mare ad executionem conditæ pacis conſenſerint remanere. Poſtmodum reuocato conſenſu verbum conſeruandæ in futurum Regiæ dignitatis admittere noluerunt, & ea quæ diſpoſita fuerant, exſequi recuſantes, cum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Religioſæ perſonæ, Optimates Regni qui aderant pro bono tantæ pacis multis precibus inſtitiſſent, quoniam in obſeruatione Regiæ dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas Eccleſiaſtica pregrauari. Siquidem dignitas Eccleſiaſtica Regiam prouehit potius quàm adiuuat dignitatem, & Regalis dignitas Eccleſiaſticam conſeruare potius conſueuit quàm tollere libertatem. Etenim quaſi quibuſdam ſibi inuicem complexibus dignitas Eccleſiaſtica & Regalis occurrunt, cũ nec Reges ſalutem ſine Eccleſia, nec Eccleſia pacem ſine protectione Regia conſequatur Genibus ita pietatis veſtræ quanta deuotione poſſumus aduoluti ſuppliciter obnixéque depoſcimus, ne ſapientia veſtra quaſi litterarum apices & conceptiones verborum potius quàm rem ipſam duxerit amplectendam, ſed ſecundùm datum à Deo vobis ſpiritum diſcretionis id agite, ne cauſa vnius in multorum & fere innumerabilium perniciem conuertatur, quia ad bonum pacis quandoque magis proficit manſuetudo gratiæ, quàm ſeueritas Diſciplinæ.

Re igitur infectâ, aliâ operâ vtendum putauit Pontifex, nimirum Ludouici Regis Francorum, quo mediante Colloquium indictum eſt apud S. Dionyſium in Francia, ad quod vocatus eſt Archiepiſcopus Thomas, acquieſcente aut pro-

curante M. Viuiano: quod ille quàm moleſtè tulerit, patet ex eius ad ipſum Epiſtola quâ eum acriter reprehendit, quód Colloquium San-Dionyſianum procuraſſet. Sic enim ille.

" Cæterum quod hortaris nos, vt deſcendamus ad colloquium Regum quod habituri ſunt die Dominica proxima apud S. Dionyſium, quâ certitudine, quâ ratione, quâ ſpe pacis cum tanta inſtantia hoc feceris, ſicut ex mandato tuo intelligere non poſſumus, ſic te ad noſtri vocationem tam facilem fuiſſe plurimum miramur. Verum ob reuerentiam S. R. E. & tui dilectionem, licet in incertum vt timemus, ad tuam inſtãtiam die Veneris per Dei miſericordiam apud Caſtrum Curbulij tibi occurremus, vt citius audiamus per os tuum, quem laboris & operis tui fructum conſequi debeamus, & tu quid honoris & gratiæ. Vale, prouideat tibi Deus ne capiaris muſcipulâ, quam ſecum contrahentium vix aliquis potuit euadere.

VNIVERSITAS PARIS. ARBITRA INTER Regem Anglorum & Thomam antuar.

PErtractus eſt tandem Pariſios Thomas ſuadentibus & impellentibus Ludouico Rege & M. Viuiano Legato Apoſtol. inſtitutum colloquium inter Reges: in quo cum non potuiſſent omnino de pacis conditionibus conuenire, Henricus vt à ſe amoueret omnem inimicitiæ ſuſpicionem, profeſſus eſt coram & publicè ſe iudicio Parium Franciæ, aut Eccleſiæ Gallicanæ, aut Academiæ Pariſienſis, ſeu quod idem eſt 4. Nationum ſiue Prouinciarum examini, ſententiæ & ſuffragiis ſubſcripturum. Quæ res non parum commendat Vniuerſitatis noſtræ dignitatem, authoritatem & famam, quæ tanta ſcilicet tum erat, vt Regum diſſidia componere poſſe crederetur. Rem ſic refert ad hunc annum M Radulfus de Diceto tum Decanus Londinenſis, olim alumnus Pariſienſis, vt dictum eſt ad an. 1149. huiuſce tragœdiæ & hiſtoriæ teſtis oculatus.

" *In octauis S. Martini*, inquit, *habitum eſt colloquium inter Regem Francorum & Regem Angliæ proximè Pariſius*, vbi præſens fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſed ſe Regis Anglorum minimè conſpectui præſentauit. Cumque diu tractatum eſſet de pace facienda inter Regem & Archiepiſcopum, quoniam ad hoc qui conuenerant videbantur inniti, ne prætextu Regiæ dignitatis libertas Eccleſiæ deperiret, nouo genere obligationis ſic nouam conſiderationem inuoluere contendebant, vt ſimul & debita Deo reuerentia impenderetur in omnibus, & ius Regium nihilominus conſeruaretur illæſum, cum cõſtet pro certo, quod in obſeruatione Regiæ dignitatis libertas aut dignitas Eccleſiaſtica non grauetur. Siquidem Dignitas Eccleſiaſtica Regiam prouehit potius quàm adimit dignitatem, & Regalis dignitas Eccleſiaſticam potius conſeruare quàm tollere conſueuit libertatem. Etenim quaſi quibusdam ſibi inuicem complexibus dignitas Eccleſiaſtica & Regalis concurrunt, cum nec Reges ſalutem ſine Eccleſia, nec Eccleſia pacem ſine protectione Regia conſequatur. Conſilio itaque Regis Francorum, Epiſcoporum & Procerum Archiepiſcopus petitionem ſuam redactam in ſchedula Regi Anglorum porrexit continentem hæc verba.

Hoc petimus à D. noſtro Rege iuxta mandatum & conſilium D. Papæ, quatinus pro amore Dei & Domini Papæ & honore ſanctæ Eccleſiæ ac ſalute ſua & heredum ſuorum recipiat nos in gratiam ſuam & concedat nobis & omnibus qui nobiſcum & pro nobis exierunt de Regno ſuo, pacem ſuam & plenam ſecuritatem de ſe & ſuis ſine malo ingenio, & reddat nobis Eccleſiam Cantuarienſem in ea plenitudine & libertate, in qua eam melius habuimus, poſtquam facti ſumus Archiepiſcopus, & poſſeſſiones omnes quas habuimus ad tenendum & habendum ita liberè & quietè & honorificè ſicut Eccleſia & nos eas liberius & honorificentius tenuimus & habuimus, poſtquam promoti ſumus in Archiepiſcopum; & ſimiliter noſtris & omnes Eccleſias & prebendas ad Archiepiſcopum pertinentes, quæ vacauerunt poſtquam exiuimus de terra, vt faciamus de eis, ſicut de noſtris, prout nobis placuerit, ſimiliter habere permittat.

Duobus articulis plenum non præbuit assensum Rex Angliæ. Nec enim in nomine *restitutionis*, cum Archiepiscopum non expulerit, iuxta dignitatem Regni quidquam debebat exoluere: nec *bonorum vacantium possessiones quas iam dederat certis personis in irritum reuocare*. Sed vt legibus alligatum se Principē profiteretur, in medium coram Rege Francorum paratus erat Archiepiscopo per omnia satisfacere: vel si contendere decreuisset, *iudicium in Palatio Parisiensi subire Proceribus Galliæ residentibus*: aut Gallicana Ecclesia partes suas interponente: seu SCHOLARIBVS DIVERSARVM PROVINCIARVM ÆQVA LANCE NEGOTIVM EXAMINANTIBVS. Et ita Rex Angliæ qui prius odium in se plurimorum conflauerat, in hoc verbo plurium fauorem adeptus est. Itaque Rex Anglorum & Archiepiscopus in quali quali conuenissent concordia, nisi quia Rex Archiepiscopo dare signum pacis in osculo penitus abnegasset, & abiurasset omnem aliam securitatem arbitratu boniviri paratus offerre, paratus præstare.

Mathæus Parisiensis qui sequente seculo floruit & scripsit vsque ad an. circiter 1158. eandem Historiam refert ad hunc annum, eademque verba paucis immutatis. De Rege enim Henrico verba faciens sic ait. *Coram Rege Francorum vt asserebat, Archiepiscopo satisfacere paratus erat. Vel si contendere vellet, iudicium in Palatio Parisiensi subire, Gallicana Ecclesia proponente partes suas*, ET SCHOLARIBVS DIVERSARVM PROVINCIARVM ÆQVA LANCE NEGOTIVM EXAMINANTIBVS. Hinc iudicet lector, quanta tum esset fama probitatis Magistrorum Parisiensium.

Ipse Thomas ad Vvillielmum Archiepiscopum Senonensem amicum suum scribens eadem fere commemorat: clarius quoque ait Regem Angliæ Henricum se contulisse San-Dionysium, se vero Lutetiam, vt commodius pax tractari posset. Nos, *inquit*, ad illud Colloquium compulerunt accedere D. Rex Franciæ & M. Viuianus & alij SALIENTES vt nobis Parisius constitutis & illo apud S. Dionysium existente posset de vicino pax nostra commodius tractari... Cum verò præfatus Anglorum Rex à S. Dionysio recedens prope Montem Martyrum transitum faceret, illuc occurrimus petentes ab ipso per venerabiles viros D. Rothomagensem & Episcopum Sagiensem & alios pacem & securitatem, possessiones & ablata restitueret, offerentes nos paratos esse exhibere illi, quidquid Archiepiscopus Principi debet. Ille autem respondit se ex animo libenter remittere ex parte sua offensas & querelas, si quas contra nos habuerit. Et de his quæ proponere vellemus aduersus eum, paratum esse stare dicto curiæ Domini sui Regis Francorum, vel iudicio Ecclesiæ Gallicanæ aut SCHOLARIVM PARISIENSIVM. Quo audito respondimus nos Curiæ D. Regis si ei placeret, aut Ecclesiæ Gallicanæ non refutare iudicium: malle tamen si illius federet animo, cum illo amicabiliter componere quàm litigare.

Quare Thomas Curiæ aut Ecclesiæ Gallicanæ iudicium se accepturum pollicetur, *Magistros verò Academiæ Parisiensis* prætermittit? Certè quia sciebat Academiam constare ex quatuor Nationibus, quarum duæ, Anglicana scilicet & Normanica, erant Henrico subiectæ, quasque proinde verisimiliter credebat Regi suo potius quam sibi adhæsuras. Deinde verò quia iam multi apertè causam suam improbarant, Henricum absoluentes. Et reuera nihil æquius esse videbatur quàm quod Rex ipse proponebat. Nam vt legitur apud Saresberiensem Ep. 168. sic Henricus Ludouicum Regem compellabat. *Nihil Domine mi Rex* & vos sancti viri & Principes qui adestis, aliud ab Archiepiscopo peto, nisi vt mihi seruet consuetudines quas quinque proximi Antecessores sui, quorum aliqui sancti sunt & miraculis coruscant, meis obseruauerunt, quas & ipse promisit: & hoc in præsentia vestra tanquam Presbyter & Episcopus similiter sine malo ingenio mihi polliceatur. Hæc est enim causa sola dissensionis inter me & ipsum, quod eas infringit & quasdam eorum cum obseruatoribus suis apud Ecclesiasticæ libertatis professores esse permisit assertores iustitiæ & testes legis asseuerantis, quod necexilium nec proscriptionem, dummodo illa vigeat, pro ipsa fidelis debeat formidare.

Idem Rex in Conuentu Chinonensi multis cum lachrymis obtestatus fuerat Prælatos Ecclesiarum & Magnates qui tum aderant, vt sibi sanum darent consilium, grauiter enim se ferre & iniquo planè animo, quod sibi diffidissent cum Archiepiscopo. Quadere sic habet Idem Saresberiensis Epist. 159. *Accitis ergo* nuper ad Colloquium Chinonense Magnatibus suis cum familiaribus qui rerum ma-

» larum induſtriam habere dignoſcuntur & vſum, & ſapientes ſunt vt dicant & fa-
» ciant mala, ſtudioſius inquiſiuit cum promiſſis, minis, & obteſtatione quamplu-
» rima quonam conſilio ſibi vtendum eſſet aduerſus Eccleſiam, de Cantuar. Ar-
» chiepiſcopo grauiſſimè conquerens non ſine gemitibus & ſuſpiriis multis. Et vt
» tunc præſentes poſtea retulerunt, lachrymatus eſt dicens quod idem Cantua-
» rienſis ei corpus & animam pariter auferret.

Præterea ſpargebanturin vulgus libelli plurimi contra Thomam, quibus eius ſuperbia & contumacia exaggerabatur. Gilbertus Folioth Epiſcopus Londinenſis, quem Sariſberienſis vocat *Archiſynagogum*, dicebatur ſcripſiſſe quaſdam in ipſum Inuectiuas. Item de ſuperbia & elatione l. 1. De executione mandati lib. 1. Pro cauſa Henrici Angliæ Regis lib. 1. ſed erat iſte inimicus Thomæ: at plurimi alij etiam ex iis qui ſanctitatem eius vitæ mirabantur, nimium tamen zelum redarguebant. *Sanè*, inquit Neubrigenſis l. 2. c. 15. *cum plerique ſoleant in iis quos amant* & laudant, affectu quidem propenſiori, ſed prudentia parciori quidquid ab eis geritur, approbare, planè ego in viro venerabili ea quæ ita ab ipſo acta ſunt, vt nulla exinde proueniret vtilitas, ſed feruor tantum accenderetur Regius, exquo tot mala poſtmodum pullulaſſe noſcuntur, laudanda nequaquam cenſuerim, licet ex laudabili zelo proceſſerit: ſicut nec in beatiſſimo Apoſtolorum Principe arcem iam Apoſtolicæ perfectionis tenente, quod Gentes ſuo exemplo iudaizare coëgit: in quo eum Doctor gentium reprehenſibilem declarat fuiſſe, licet eum conſtet laudabili hoc pietate feciſſe. Quid plura? totius Eccleſiæ Anglicanæ Proceres contra ipſum erant, vt ipſe contra omnes erat.

His omnibus acceſſit, quod ipſe Rex Franciæ Ludouicus qui Thomam receperat, alebat & ſuſtentabat, audita Henrici ſubmiſſione, & Thomæ tergiuerſatione omnino deſerendum putauit, imò aliquandiu deſeruit, vt docet Geruaſius Dorobernenſis ad hunc annum *inſurrexerunt etiam magnates vtriuſque Regni* arrogantiæ ipſius imputantes impedimentum pacis & dicentes, Quia vtriuſque
» Regis voluntati reſiſtit, deinceps neutrius eſt dignus auxilio, ſed eiectum ab An-
» glia non recipiat Francia. Cum itaque nihil proficerent, auerſus eſt ab eo animus
» Regis Franciæ, vt per dies aliquot nec eum more ſolito viſitaret, nec per ſuos vt
» conſueuerat miniſtros victualium neceſſaria miniſtraret.

Omnium autem Thomæ aduerſariorum acerrimi erant Monachi Cantuarienſes, idque pro more, nam illi ſemper ſuis Archiepiſcopis aduerſabantur, vt docet Sareſberienſis Ep. 227. *Monachi*, inquit, *Cantuarienſes* hoc quaſi hæreditarium
» ſemper habent, vt Archiepiſcopos ſuos oderint, & vt verbo faciam fidem, Anſel-
» mo inquiunt, bis pro iuſtitia exulanti nihil vnquam ſolatij contulerunt; contem-
» pſerunt Radulfum, oderunt Guillielmum, Theobaldo tetenderunt inſidias; &
» ecce nunc Thomam gratis inſatiabiliter perſequuntur.

Nonnulli quoque qui aliàs in Academia Pariſienſi pro tuendis Eccleſiæ libertatibus ſtrenuos ſe præſtiterant, ſeu veritate cõuicti, ſeu quia à Rege Henrico Epiſcopatibus aut aliis dignitatibus donati fuerant, Thomam deſeruerant. Quamobrem ſuadet Thomæ ſuo Saresberienſis, vt Magiſtrorum Pariſienſium & Richardi Prioris San-Victorini vtatur operâ ad eos commonendos, vt ad officium redeant, præſertim vero Herefordienſem Epiſcopum, nempe Robertum Melidunenſem, qui aliàs Pariſiis demonſtrarat in ſcholis verè animum Epiſcopalem, antequam Epiſcopus eſſet, factus verò Epiſcopus terga veritati & fidei vertiſſe videbatur. Sic igitur Sareſberienſis Epiſt. 166. *Ad hæc accepi ab his qui Herefordienſem Epiſcopum ſe familiarius noſſe dicunt*, quod dum verſaretur in ſcholis, laudis
» auarus erat & lautus amator gloriæ, quantus pecuniæ videbatur eſſe contem-
» ptor. Putatur itaque, quod nihil illum magis mouere poſſet, quàm ſi eum *Magi-*
» *ſtri Scholarum* & viri Religioſi, vt pote Prior S. Victoris & ſimiles quos in Gallia
» familiares habuerat, ſocordiam eius qui ſperabatur redempturus Iſrael, ſuis litte-
» ris excitarent & animarent, vt nunc oſtendat Epiſcopum, quem in ſcholis de-
» pingere conſueuit, & ea à ſe propellens vitia quæ in aliis arguebat, amiſſam redi-
» mat famam.

Iſte Sareſberienſis Thomæ in omni itinere & exilio ſuo comes ſemper extitit fideliſſimus, & vt multâ pollebat eloquentiâ, eoque nomine notus erat multis Academicis Pariſienſibus, plurimos conatus eſt ad partes Archiepiſcopi adduce-

re. Extant enim plures eius ad Magiſtros Epiſtolæ: ad *M. Philippum Gualterum de Inſulis* inſignem illum Poëtam authorem Alexandreidos Vvillielmi Senonenſis familiarem; *M. Girardum Puellam*, futurum poſtea Conuentenſem Epiſcopum, M. *Gaufridum*, M. Raimundum Pictauienſis Eccleſiæ Cancellarium, M. Ioannem Sarracenum, M. Radulfum de Bello-monte, M. Vinifridum Boni. M. Silueſtrum Theſaurarium Lexouienſem, M. Simonem Lupellum, M. Laurentium & alios.

Iam ergo ſatis intelligitur quid ſit quamobrem Thomas noluerit ſubire iudicium Nationum Academiæ Pariſienſis, quoniam multi Magiſtri Anglicani & Normani aut palam ei aduerſabantur, aut ſuſpecti erant. Nam quod tunc Nationes conſortium inter ſe haberent, legeſque quibus Academia regebatur obſeruarent, nemo æquus rerum arbiter dubitauerit. Neque enim quis admittebatur ad regendum qui non fuiſſet ante probatus & licentiâ donatus, vt exemplo Abaëlardi liquet & ſupra demonſtratum eſt litteris Alexandri Papæ ad Cardinalem S. Griſogoni, quibus indulgebat & concedebat ſingularis Priuilegii loco M. Petro Comeſtori Cancellario, vt nonnihil pecuniæ pro licentiis dandis acciperet.

Addemus & authoritatem Mathæi Pariſienſis in vita Ioannis 1. Abbatis San-Albani 21. Ait enim eum fuiſſe Pariſiis in conſortium Magiſtrorum admiſſum, hoc eſt in Nationis Anglicanæ gremium & de eo ſic habet. Ioannes huic, id. Garino ſucceſſit an. 1195. in ſeculo ſecularis, dictus M. *Ioannes de Cella*, non procul à vi- culo qui Stodham dicitur, ex mediocri proſapia oriundus. Vir eximiæ pietatis, amator ordinis & vigoris diſciplinæ clauſtralis. *Hic in iuuentute Scholarum Pariſienſium frequentator aſſiduus ad electorum Conſortium Magiſtrorum meruit attingere*, vnde cum viridis eſſet ætatis, in Grammatica Priſcianus, in Metrico Ouidius, in Phyſica conſerî potuit Galenus.

Magna igitur hiſce temporibus erat profectò ſcholæ Pariſienſis celebritas: & ſi ad id probandum exempla teſteſque ſupra laudati non ſufficiunt, ſufficere debet tam virorum Doctorum numerus qui in ea tum excellebant, quàm Mecenatum dignitas, qui beneficiis, priuilegiis & fauoribus eam cumulantes, frequentatiſſimam reddebant.

Ioannes Saresberienſis ſæpe laudatus à nobis Ep. 172. ad Henricum Campaniæ Comitem, reſpondens ad quæſtiones quas ſibi Comes enodandas miſerat, de Magiſtris Pariſienſibus proculdubio loquitur cum ait. *Ad 3. progredior quæſtionem quidnam ſit menſa ſolis in ſabulo, quam famoſiſſimam inter Gymnoſophiſtas ſcrutator veritatis & litterarũ diligentiſſimus perſecutor Apollonius conſpexit in ſabulo, ſuper quo omnes conſulunt qui in Francia primatum dicuntur habere ſcripturarum.* Sed quia eos Gentilis hiſtoria latuit, non multum reprehendo, ſi quod non didicerant, docere nequierunt. Quidam tamen impudentiam ſuam impudentius detexerunt, id ſolum ineptâ reſponſione perſuadentes, *quod à Doctoribus quos diu & multâ mercede conduxerant nihil ſcire didicerunt.* Et in fine Epiſtolæ *Principem* Philoſophiæ cultorem, & qui litteratorum honeſta ſtudia amplectitur & fouet, litterarum Profeſſores non amabunt? Nec inficior quin Princeps illiteratus interdum Reipub. commodus eſſe poſſit. Sed ad parilitatem litteratorum ſi rite procedat vterque, aut nunquam condeſcendet, aut raro. Nam vt veſterait Vegetius, *nullus eſt quem oporteat aut plura aut meliora ſcire quàm Principem*, cuius ſcientia poteſt omnibus prodeſſe ſubiectis.

Mecenates huius ſeculi.

Henricum laudat ab amore litterarum & litteratorum. Reuera non parum promouerunt hoc ſeculo ſtudia litterarum 4. Reges, Ludouicus Craſſus, Ludouicus Iunior eius filius, vt ſupra docuimus, Philippus Auguſtus ſub finem ſeculi; Henricus II. Anglorum Rex. Item Theobaldus Campaniæ Comes, Henricus eius filius, & Willelmus hoc anno factus Archiepiſcopus Senonenſis, deinde Remenſis, poſtremo Cardinalis, eiuſdem Theobaldi filius. Inter Pontifices, Eugenius II. Adrianus II. Alexander III. Vrbanus III. Clemens III. Innocentius III. omnes viri litterati & litteratorum amantiſſimi. Sub quibus Principibus & Pontificibus tanto honori ducebatur aliquid ſcire, vt nemo Gradum aliquem aut Dignitatem conſequi ſoleret, qui Scholas non rexiſſet, aut *in conſortium Magiſtrorum Pariſienſium* admiſſus non fuiſſet. Itaque ipſi etiam Magnates non modò non erubeſcebant *Magiſtri* nomen aſſumere, quinimo ſuis omnibus titulis præponere affectabant: vt legimus apud Stephanum Tornacenſem

Ep. 128. ad *M. Meliorem* Cardinalem Ep. 50. ad *M. Petrum Tuſculanum* Epiſcopum, qui Meldenſis quoque Epiſcopus & Cardinalis fuit titulo S. Chryſogoni. Ep. 35. *ad M. Robertum* in Curia Regia potentiſſimum. Similiter apud Ioannem Sareſberienſem, & Petrum Bleſenſem Epiſtolas plurimas legimus directas Magiſtris Pariſienſibus viris Illuſtribus, *M. Viuiano Cardinali, M. Girardo Puella, M. Gualtera* de Inſulis, M. Radulfo Lexouienſi, M. Guillelmo Bleſenſi Abbati Maciacenſi, M. Alexandro Monacho, vt nihil decamus de *M. Ioſleno Epiſcopo* Sueſſionenſi, *M. Hugone de Campo Florido* Regis Cancellario, *M. Petro Lombardo* Epiſcopo Pariſienſi, *M. Gualtero de Mauritania* Epiſcopo Laudunenſi, & aliis.

Alexander III. qui quandiu in Francia fuit, ſæpe Pariſienſes luſtrauit Scholas, multos ex Academicis ad dignitates Eccleſiaſticas promouit, & promoueri curauit: atque inter alios *M. Petrum*, quem ex Meldenſi Epiſcopo Cardinalem fecit ſub titulo S. Chryſogoni, & poſtea Legatum in Gallia. Hunc M. Petrum ad Epiſcopatum Meldenſem eligi curauit Willelmus de Campania Theobaldi filius, de quo ſupra diximus. Petrus enim Cellenſis ob id maximè eum prædicat Ep. 8. l. 7. quod eres eximios viros Eccleſiæ Meldenſi viciſſim aſſignaſſet. *Meldenſi*, inquit *Eccleſiæ tres viros honorificentiſſimos Dominum ſcilicet Cardinalem, M. Petrum, & Simonem Archidiaconum viciſſim aſſignaſti.* Opinor mendum eſt in hoc loco: neque enim duos Petros reperimus fuiſſe Meldenſes Epiſcopos viciſſim, ſed *M. Petrum*, qui poſtea ad Cardinalatum euectus eſt, *Stephanum de Capella*, Gualteri Capellæ in Bria Toparchæ fratrem, ex Canonico Senonenſi & Cantore Meldenſi circa an. 1164. qui deinde Bituricenſis factus Archiepiſcopus abdicato Archiepiſcopatu obiit apud San-victorinos; & *Simonem* ex Archidiacono Senonenſi & Theſaurario Meldenſi: de quibus duobus extat mentio apud Sarisberienſem, tanquam de ſtrenuiſſimis Thomæ Cantuarienſis protectoribus & amicis.

Prædictum ergo M. Petrum Alexander ob ingentia merita ſingularemque doctrinam ad Cardinalatum promouit: ſed ille nihilominus ex Meldenſis Eccleſiæ reditibus penſionem aliquam ſibi retinuiſſe, aut Epiſcopatum ipſum non ſtatim dimiſiſſe videtur: quâ de re vehementer eum obiurgat Alexander his verbis.

Alexander Epiſcopus S. Dei Dilecto filio Petro titulo S. Chryſogoni Apoſtolicæ ſedis legato Sal. & Apoſtol. benedict. Quantò maiorem locum dono diuini
„ muneris adeptus es dignitatis, tantò debes cautiùs & circunſpectius ambulare, &
„ ita te compoſitum exhibere, vt homines inueniant in te quod ſequantur & quod
„ non debeant remordere. Accepimus autem quod Eccleſiam Meldenſem adhuc detines & reditus percipis; ita quod ſicut Nuncii venerabilis fratris noſtri
„ Vvillelmi Senonenſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis Legati retulerunt, Nobis,
„ nihil ad eum de reditibus illis peruenit, & Canonici eiuſdem Eccleſiæ electionem non audent liberè celebrare. Vnde quoniam ex hoc famæ & opinioni tuæ
„ & honeſtati Eccleſiæ plurimum detrahitur, & nimiæ auaritiæ imputatur, diſcretionem tuam monemus, conſulimus & mandamus, quatinus Archiepiſcopo & Canonicis dicas quod pro te non dimittant, quod eidem Eccleſiæ perſonam idoneam prouideant in Epiſcopum & Paſtorem. Tu verò & actibus & operibus tuis illam circunſpectionem & modeſtiam ſerues, quod in conſpectu Dei
„ & in oculis hominum ex inde valeas commendabilis exiſtere & Eccleſia Rom. honoris & gloriæ recipiat incrementum. Datum Ferenti 6. Id. Septemb.

Verum ſi tempora attendantur, M. Petrus tunc non erat Epiſcopus Meldenſis: nam cum in prædictis litteris mentio fiat Vvillelmi Archiepiſcopi Senonenſis, qui hoc tantùm anno ex electo Carnotenſi factus eſt Primas Senonenſis, quo tempore Meldenſis erat Epiſcopus Stephanus de Capella, hoc ſolum datur intelligi, quod aſſumpto Stephano ad Bituricenſem ſedem, Petrus Cardinalis aliquandiu Meldenſem Epiſcopatum quem olim habuerat, tenuerit, redituſque perceperit, donec ſucceſſor ſubſtitueretur: quod eo probabilius eſt, quia Stephanus circa an. 1171. promotus eſt ad ſedem Bituricenſem, & obiit an. 1177. Simon verò Archidiaconus, electus eſt tantùm Meldenſis Epiſcopus an. 1175. vnde neceſſe eſt, vt vacarit ſedes illa quatuor circiter annis.

Quanti autem hunc virum fecerit Alexander, patet ex variis ad ipſum & ad Prælatos Galliæ alioſque Proceres datis litteris, ex quibus paucas ſeligam. Ad

Lugdunenſem, Bituricenſemq; Archiepiſcopos eorumq; ſuffraganeos, vniuerſum Clerum & populum in Epiſcopatibus illis & in Epiſcopatu etiam Anicienſi conſtitutum ſic habet. *Non latet ſicut credimus veſtræ Diſcretionis prudentiam, quomodonos olim dilectum filium noſtrum Petrum tit. S. Griſogoni Presbyterum* Cardinalem, eius probitate & prudentia & honeſtate penſatâ in partibus Vltramontanis Legatum ſedis Apoſtolicæ conſtituimus: eam de ipſo ſpem fiduciamque tenentes, quod per ſollicitudinem & prouidentiam eius & vos proficiens authore Domino ſalutaribus inſtitutis & Eccleſia Dei gratum ſuſcipiet incrementum. Mandamus itaque Vniuerſitati veſtræ atque præcipimus, quatinus prædictum Cardinalem ſicut legatum Apoſtolicæ ſedis, & ſicut virum prouidum, induſtrium & diſcretum & charum nobis plurimum & acceptum cum honore debito & reuerentia curetis recipere & honeſtè tractare.

Et ad Vniuerſos Galliæ Prælaros & Laicos. *Cum ſimus* audenter experti prudentiam, litteraturam & honeſtatem dilecti filijnoſtri Petri tit. S. Griſogoni preſbyteri Cardinalis, ipſumque ſicut virum litteratum, prouidum & diſcretum ſincerè in Domino diligamns, tanto confidentius, committimus quæ ſunt per viros honeſtos & prouidos exſequenda, quanto de feruore ſuæ deuotionis & prouidentia ſua pleniorem fiduciam obtinemus. Inde eſt quod nos eundem Cardinalem pro quibuſdam magnis & arduis negotiis ſpecialiter & præcipuè ad partes veſtras duximus deſtinandum, cui authoritatem & facultatem indulſimus corrigendi quæ corrigenda ibi inuenerit, & cauſas quæ ad eius audientiam perlatæ fuerint, decidendi. Monemus itaque Vniuerſitatem veſtram attentius & præcipimus quatinus eundem Cardinalem ſicut virum litteratum, prouidum & honeſtum & à noſtro latere deſtinatum, qui nobis charus eſt plurimum & acceptus, cum honore debito curetis recipere, & correctionem ſuam & ea quæ prouidâ circunſpectione ſtatuerit, ſuſcipiatis firmiter & ſeruetis. Datum Anagniæ 4 Kal. Maij.

Huic ergo viro in Gallia Apoſtolicæ ſedis legato mandauit & præcepit Alexander, vt ſibi eorum nomina perſcriberet, qui doctrina & probitate vitæ præ cæteris eminere viderentur. Quod ille hac ad eum Epiſtola exequitur.

Sanctiſſimo Patri & Domino Alexandro D. G. Summo Pontifici Petrus ſola dignatione diuina tit. S. Griſogoni Preſbyter Cardinalis ſalutem & obedientiam tam deuotam quàm debitam. Iampridem litteras Beatitudinis veſtræ recepimus continentes vt inquirere deberemus, quæ perſonæ de Regno Francorum aut de partibus illis poſſent in Romanam Eccleſiam promoueri. Sanè cum propoſuiſſemus ad pedes ſanctitatis veſtræ redire, nomina illorum quos ad hoc dignos & idoneos credimus, viua voce potius circunſpectioni veſtræ volebamus exprimere, quàm litterarum commendare figuris. Cæterum cum quod ſine dolore dicere non poſſumus, multos Patrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium ad ſe reuocauerit Dominus & Eccleſia remanſerit ipſorum ſolatio deſtituta, & nos iuxta mandatum veſtrum propace inter illuſtres Francorum & Anglorum Reges confirmanda & hæreticorum extirpatione in partibus illis aliquantulum moram facere debeamus, vt Eccleſia Dei ſub ſancto Apoſtolatu veſtro & numero & merito poſſet augeri, ſanctitati veſtræ duximus ſignificandum, quod Abbas Clare-Vallenſis Henricus de Caſtro Marciaco, & Prior de Monte Dei ex Ordine Cartuſienſi & litterati ſunt & honeſtate & religione prædicantur inſignes. Et nos tantùm de vita & conuerſatione eorum cognouimus, quod in puritate conſcientiæ & ſine ſcrupulo alicuius dubitationis audemus conſulere, vt ipſi à vobis debeant promoueri. Magiſter autem Balduinus Abbas Fordenus, quamuis eum non viderimus, à toto Ordine Ciſtercienſi de multimoda litteratura, honeſtate & Religione potiſſimum commendatur. Licet autem venerabilis vir Petrus Igniacenſis Abbas non ſit adeo litteratus, cum tamen Dominus frequenter per eum miracula operari dignetur, de ſanctitate ipſius non eſt quomodolibet dubitandum.

Porro B. Remigij Remenſis (Petrus) & S. Criſpini Sueſſionenſis (Bernardus) Abbates litterati & diſcreti exiſtunt, & inter alios terræ & Ordinis illius Abbates non dubitantur honeſtate & Religione longius præminere. *Litteraturam & honeſtatem M. Petri Manducatoris Decani Trecenſis credimus vos non ignorare.* Magiſter autem Bernardus quondam Præpoſitus eius tantæ litteraturæ eſt, & ita honeſtè & laudabiliter eſt ſemper in illis partibus conuerſatus, quod ei ab omnibus

ſufficiens teſtimonium perhibetur & maximis honoribus digniſſimus reputatur. Præterea *M. Girardus Puella diſcretus & litteratus exiſtit*, & de omnimoda eius honeſtate ab omnibus qui eum nouerunt, teſtimonium perhibetur, ſicut Apoſtolica circunſpectio videre potuit & audire. Iuo quoque Rothomagenſis Eccleſiæ Archidiaconus & M. Herbertus Medecius (forte Medicus) non minori inter alios creduntur probitate lucere, cum & eorum ſuppetat ſcientia litterarum, & ad perfectioris vitæ meritum multarum ſibi adeſſe confidamus ornamentum virtutum.

Priuilegiũ Regentibus conceſſum,

Ipſe quoque Pontifex eidem M. Girardo Puellæ in Profeſſione litterarum occupato indulſit, vt quandiu doceret, Beneficiorum ſuorum reditus perciperet, nec ei noceret quod eos quos habuerat in Regno Teutonico inter ſchiſmaticos, & aliquandiu perceperat, percipere poſtea deſtitiſſet.

" *Alexander Epiſcopus S. S. Dei Dilecto filio M. Girardo Puellæ Sal. & Apoſt. Bened.*
" Litteratura tua, ac probitas ac morum honeſtas nos monent propenſius & hor-
" tantur, vt te ſicut probum, honeſtum & litteratum virum ſincero diligamus cha-
" ritatis affectu & ſpeciali prærogatiua amoris & gratiæ foueamus. Hac igitur con-
" ſideratione inducti & perſonam tuam ſpeciali volentes dilectionis noſtræ priuile-
" gio decorare, tibi Reditus quos in Regno Teutonico in feruore ſchiſmatis nullo
" cogente ſponteneè dimiſiſti, de conſulta clementia & benignitate ſedis Apo-
" ſtolicæ, interuentu quoque venerabilis fratris noſtri Moguntini Archiepiſcopi
" reſtituimus, ſtatuentes vt non obſit tibi ad diminutionem vel maculam famæ tuæ,
" nec circa promotionem tuam tibi præiudicium valeat in poſterum generare, quod
" aliquandiu reditus inter ſchiſmaticos noſceris tenuiſſe. Datum Laterani Id.
" Martij.

Extat eiuſdem Pontificis ad eundem Magiſtrum alia Epiſtola, quâ vult vt Reditus quos ille habebat in Anglia, percipiat, quamdiu Scholas reget.

" *Alexander....* Attendentes Litteraturam & ſcientiam tuam, & quomodo com-
" poſitione morum & honeſtate ſis præditus, nihilominus cogitantes, cogimur com-
" muni & ſpeciali debito tuis profectibus & incrementis intendere & multa tibi
" benignitate deferre. Ea propter, Dilecte in Domino fili, cum ſub Magiſterio tuo
" multi per Dei gratiam proficiant in ſcientia litterarum, authoritate tibi Apoſtoli-
" ca duximus indulgendum, vt vſque ad quadriennium ſi ſcholas rexeris, Reditus
" tui quos habes in Anglia, nullius contradictione vel appellatione obſtante, libe-
" rè tibi & ſine diminutione qualibet reddantur in Scholis; ita quidem vt nulli fas
" ſit tibi quicquam de illis reditibus diminuere vel ſubſtrahere, aut circa res tuas
" indebitã moleſtiam vel grauamen inferre, nec cogaris infra terminũ ipſum ſcho-
" las dimittere, niſi alicui Eccleſiæ in qua perſonatum vel magnum Beneficium ha-
" beas, ea neceſſitas imminuerit, quod meritò tuam ſibi debeas præſentiam & Pa-
" trocinium exhibere. Datum Anagniæ 7. id. Febr. M. Girardus factus eſt an. 1183. Conuentrenſis in Anglia Epiſcopus.

Hubertusquoque Cantuarienſis Archiepiſcopus apud Bleſenſem Ep. 135. ad Decanum & Capitulum Sareſberienſe eximit à reſidentia eos qui in ſcholis militant. *Certum eſt*, inquit, *quod quidam D. Regi* ſunt neceſſarij. Quidam nobis. Qui-
" dam infirmantur. *Quidam in ſcholis militant.* Quidam in peregrinatione ſunt.
" Quorundam præbendæ ad reſidentiam non ſufficiunt. In omnibus his habendum
" eſt diſcretionis & cautelæ iudicium: quatenus in ſingulis circa reſidentiæ obſer-
" uantiam habeatur conſideratio propriæ facultatis.
" Idem Pontifex Alexander contra id quod ante præceperat, ne vllus Cancella-
rius, aut alius pro licentia ad regimen ſcholarum impertienda pecuniam exi-
geret, mandati ſui rigorem relaxat in gratiam M. Petri Comeſtoris Cancellarij Pariſienſis: ſic enim ea de re ſcribit ad Cardinalem Sancti Griſogoni.

Alexander.... Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Petro tit. S. Griſo-
" goni Presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato Sal. & Apoſtol. Bened. Licet
" mandauerimus, vt ſi qui volunt docere, nihil pro ſcholis regendis ab aliquo exi-
" gatur, iuxta illud *veni & audi*; volentes tamen honeſtati & litteraturæ *M. Petri*
" *Cancellarij Pariſienſis* quantum ſalua honeſtate poſſumus, prompta benignitate
" deferre, quem ſpeciali prerogatiua diligimus & volumus honorare, diſcretioni

tuæ

tuę mandamus, quatenus habito conſilio cum venerabilibus fratribus noſtris Vvillielmo Senonenſi Archiepiſcopo Apoſtolicę ſedis legato & Henrico Remenſi Archiepiſcopo & aliis dignis & honeſtis perſonis *ſuper regimine ſcholarum Paſienſium*, quod tibi viſum fuerit, ita quod perſonam iam dicti Petri non excedat, quod exinde feceris, circunſpectâ diligentiâ prouideas atque diſponas, eam cautelam & maturitatem adhibiturus, quod non videaris modum excedere, & illi qui ſcholas rexerint, non debeant immoderatè grauari. Datum Ferenti. 4. Kal. Nouembris.

Ex his intelligitur tum veriſimiliter factam fuiſſe Reformationem aliquam Vniuerſitatis & conſtitutionem Apoſtolicam de Licentiarum impertitione. Vnde quoties Magiſtris Academicis cum Cancellario Pariſienſi lis & controuerſia fuit de exactione huiuſmodi, id ſemper & conſtanter Magiſtri contenderunt vetitum à ſede Apoſtolica. Neque prætereundum quod ante hancce Conſtitutionem, iam ab eodem Pontifice alia facta fuerat, certè dum Pariſiis moraretur, in gratiam Magiſtrorum & Scholarium, quâ vetuerat, ne quid pro licentia regendi exigeretur. Cæterum in haſce litteras, aut ſaltem in editionem vulgatam mendum irrepſiſſe videtur in verbo *exigunt* cuius loco reponendum *exigatur*: nam ſi legatur *exigunt*, priora verba omnino poſterioribus aduerſabuntur. Quippe ſenſus erit vetari ab Alexandro ne vllus Magiſter à Scholaribus honorarium vllum exigat, id tamen priuilegii ſingularis loco concedi M. Petro Comeſtori, quod abſurdum eſt & planè repugnat: quippe conſtat Pontificem noluiſſe ab iis qui ſcholas regere vellent aliquid pro licentia obtinenda exigi, ne nimis prægrauarentur, vt iam ante conſtituerat. At nullus vnquam Pontifex vetuit, ne Magiſtri à Scholaribus mercedem modicam exigerent in ſolatium laboris.

Commendatur quoque hoc ſeculo Henricus II. Campaniæ Comes Theobaldi filius ab amore litterarum, liberalitate & munificentia erga viros litteratos & Magiſtros Pariſienſes. A Patre Theobaldo Ioannes Sareſberienſis ad huc adoleſcens in ſcholis ſuſtentatus fuerat, & ab Henrico filio exulans cum Thoma victum & quæ ad vitam neceſſaria erant largè & liberaliter habuit. Nec ſunt ſilentio prætereunda quæ ſcribit ad tam illuſtris viri tamque benigni Mecenatis commendationem Philippus Abbas Bonæ-ſpei Ep. 71.

Tibi Magno plures magni munera magna mittunt qui tuam ſibi gratiam vel iam obtinent, vel promittunt, & ea quæ mittuntur vel ſui pretio tibi ſunt gratioſa, vel authores forte grati ea faciunt pretioſa.....

Quorundam relatio me multotiens animauit, quæ te virum nobilem nobiliore gratiâ præditum commendauit, eo quod tanto Principi adſint dona chariſmatum tam præclara, vt in aliis huiuſmodi Principibus inueniri valeant ſatis rara. Audis enim vt aiunt, reſpicis dignanter ſatis pauperem miſerandum, habens cor patiens & manum patulam ad donandum... Porro tuus ille Pater quem mira in pauperes liberalitas inſigniuit, cuius non animum auaritia, non manum tenacitas irretiuit, te quem ſuum hæredem diſponebat, honeſtâ ſcientiâ præmuniuit, dum prouidâ ſolicitudine *Studiis à puero liberalibus erudiuit*. Et rectè, quem enim reddit nobilem ſanguis ingenuus, ſeries parentelæ, quem diuitem poſſeſſio, Dominum ſeruitus vel obſequium clientelæ, dignum fuit vt à vulgarium ignorantia & brutorum hominum ſtolida cæcitate ſcientia litteralis educeret & clara præditum libertate redderet. Vnde & litterarum ſcientiam rectè vocant Ethnici liberalem, quia eum qui labore & ſtudio ſortitur gratiã litteralẽ, à confuſo vulgi conſortio & multitudine liberat publicana, ne preſſus & oppreſſus teneatur compede & hebetudine ruſticana. Multum ergo debes Patri tuo, cuius tibi cura & diligentia ſic prouidit, qui non ſolum quæ ſua erant, ſed & quæ obtinere non meruerat, filio non inuidit, vt cum te multis populis diſponeret Comitatus excellentia principari, vellet quoque ſuper cæteros Comites Litterarum ſcientia ſublimari. Multum etiam, imo plurimum debes Dei gratiæ tantæque bonitati, cuius ope & opere honeſtum quid & vtile tu & pater pariter eſtis operati, Pater quidem ſollicitudine, imperio, monitu, ſuadela; Tu verò affectu, ſtudio, moribus, obſequela. Horum concurſu *Scholarem diſciplinam* per annos aliquot proſecutus ſub magiſtrali ferula liberalem es ſcientiam aſſecutus & iuxta modum temporis & perſonæ tantis vt aiunt, litteris es imbutus, vt quàm plures Clericos tranſcendas in omni nequaquam numero conſtitutus. Quamuis enim appoſitus litteris te fore

„ Clericum non præſcires, ſed accingendum gladiali baltheo & implicandum ne-
„ gotiis militaribus præſentires, aduerſus tamen litteras non odio, non faſtidio tor-
„ puiſti, ſed labore cum gratia earum commendabilem tibi ſcientiam acquiſiſti. Ad
„ hoc autem additur, quod eum in litteris adeptus ſis intelligendi gratiam & pro-
„ fectum, erga eas applices quandam animi diligentiam & affectum, & miles
„ nobilis Princepſque militum ſic amas & honoras milites loricatos, vt Clericali
„ more diligas litteras, benignè colligas litteratos... Rectè ergo viro Nobili litterа-
„ rum placet Nobilis Officina, cuius exercitio cuditur ſalutaris morum, ſcientiæ,
„ fidei diſciplina: ita vt ſi cuilibet vulgares linguæ præſto ſint cæteræ, non Latina
„ ipſius pace dixerim, hebetudo eum teneat Aſinina. Quod tu rectè conſiderans,
„ Latinam linguam litteralemque ſcientiam non ignoras, & eos quos percipis ap-
„ primè litteratos, diligis & honoras, maiores quoſque reuerentia, minores pleroſ-
„ que munerans donatiuis, coſque indigentes de neceſſitatibus eruens oppreſſiuis.
„ Quapropter liuor edax qui iuxta quendam Etnicum petere ſumma gaudet &
„ cum forte maiorum faciem non præſumat mordere, calcaneum ſemper audet, vi-
„ dens quia *diligis & larga manu colligis litteratos cum non poſſit hoc ſufferre, apponit & inferre ſermones venenatos.*

Quam liberalis quoque fuerit & munificus erga Litteratos Henricus II. Anglorum Rex, innumeris exemplis probari poſſet eorum, quos cum in Academia Pariſienſi floruiſſent, aut ſcientia eminerent, ad Epiſcopatus aliaſque Regni & Eccleſiæ dignitates euexit. is Achardum S. Victoris Pariſ. Abbatem ad Epiſcopatum Abrincenſem vocauit: is Thomam Cantuarienſem ad Cancellariatum, deinde ad Archiepiſcopatum Cantuar. promouit. Gilbertum Foliothum ad Londinenſem Epiſcopatum, Robertum de Melidúno Thomæ olim Miniſtrum ad Herefordenſem, Rothrodum ad Rothomagenſem. Is Simonem è tribus qui propoſiti fuerant, Abbatiæ San-Albanenſi præfecit, quia *vir venerabilis & bene litteratus & librorum amator ſpecialis* erat: ac proinde cum trium nominatorum & genus & vitam renunciarent electores, in Priorem loci Dominum ſcilicet *Simonem reſpondit Spiritum ſanum requieſcere* vt legitur in vitis 23. Abbatum S. Albani.

Longum eſſet eos omnes enumerando percenſere, quos Henricus promouit, quique in Academia Pariſienſi ex eadem Natione illuſtres fuerunt. Nam licet Oxonienſis his quoque temporibus non parum haberet ſplendoris, quotquot tamen maioris famæ ſtudio ducebantur, ad Pariſienſem conuolabant. Petrus Bleenſis, qui antequam in Siciliam proficiſceretur ad aulam Willielmi Regis, Pariſiis docuerat, & poſt reditum docere non deſtitit, queritur Ep. 51. de Ioſcelino Sareſberienſi Epiſcopo, quod Nepotes ſuos ſibi ab eo promiſſos, & pecuniam quam ſimiliter promiſerat, non miſiſſet Pariſios, ſicque impediſſet, quo minus ipſe ſibi fortunæque conſuleret. Vnde arripit occaſionem inuehendi in Nepotes
„ Epiſcoporum & Sacerdotum. *Certiſſimè*, inquit, *mihi promiſerat veſtra benignitas*
„ *quod Nepotes veſtros inter Natale Domini proximum erudiendos mihi* mitteretis Pa-
„ riſius, & per eos debitum quod mihi debetis annuum, ſolueretis. Expectans ex-
„ pectaui Dominum meum, nec intendit mihi. Adhuc etiam promiſſam expe-
„ ctо gratiam, fortaſſe ſicut Arcturum Britannia, ſicut Iudæa Meſſiam. Donatio
„ quidem gratuita prius fuit & liberalis; ſed quia in promiſſione, ſcripturæ vin-
„ culum interceſſit, vt annuum fieret beneficium, gratiam in neceſſitatem debiti
„ conuertiſtis, vt etiam nunquam fuiſſet in promiſſa hæc pecunia, cuius expecta-
„ tio tandiu animum meum torſit: in cuius ſpe Ego diffuſiores expenſas faciens,
„ me debitis vſurariis oneraui. Si ſimplex promiſſio præceſſiſſet, circunſpectius
„ expendiſſem & vſus fuiſſem leuiter leui verbo. Nunc in libro experientiæ lego
„ quàm ſancta & efficax ſit eruditio Euangelicæ veritatis. *Sit*, inquit, *ſermo ve-*
„ *ſter, eſt eſt*, & *non non*. Nam quod amplius eſt, è malo eſt. Hoc malum nunc
„ ſentio, cui charta Epiſcopi & vehemens ipſius aſſertio cauſam dedit. Verba ta-
„ men Epiſcoporum qui Apoſtolorum ſunt filii & hæredes, vim iuratoriam in ſe
„ habent, vt in eis iuſiurandum ſit, quod eſt verbum ſimplex in aliis; vt quod in
„ aliis eſt ſimplex periurium, ſacrilegium ſit in illis. Attendite quid dicat Doctor
„ Eccleſiæ, *Nunquid*, inquit, *leuitate vſus ſum*, aut quæ cogito ſecundum car-
„ nem cogito, vt ſint apud me Eſt & Non. Illud autem vehementiſsimè reprehen-
„ do, quod Nepotes veſtros qui ſe in luſtris Scholaribus exercere debuerant, fo-

ueatis in deliciis, palpetis blandiciis, ſciatiſque quod hæc omnia exinanitio ſunt virtutum & ſubuerſio honeſtatis. Adhuc vita eorum in incerto eſt, quia biuium Pythagoricæ litteræ nondum tranſierunt: ideo magis expediret eos corripi quàm palpari. Scriptum eſt, qui parcit virgæ, odit filium. Heli cum filiis ſuis percuſſus eſt à Domino, eo quod filios ſuos minimè correxiſſet. *Dilexiſti*, dixit Dominus, *magis filios tuos quàm me.* Hodie pro filiis, quos abſtulit Prælatis Eccleſiæ Deus, habere nepotes in diſſipationem patrimonii Chriſti & in ſuæ ſalutis diſpendium permittuntur. Pernicioſa eſt circa minores blanda Maiorum permiſſio. Ideo dicit ſapiens; *filiæ tibi ſunt, vultum hilarem ne oſtendas eis.*

Et Ep. 60. Amico quidem conquerenti quod ab Epiſcopis nepotes ex patrimonio Chriſti ditentur, & non pauperes virtutis ſtudioſi ſuſtententur, declarat vetere hanc eſſe querelam. *Cauſarii*, inquit, *& arguis Epiſcoporum nequitiam*, qui circa parentum promotionem ſunt adeo ſingulariter occupati, vt nihil aliud affectent aut ſomnient, atque indigentiam Scholarium vel in modica viſitatione non releuent. Purpurata incedit parentela Pontificum, & elata de patrimonio Crucifixi in ſuperbia & in abuſione ad omnes vitæ ſecularis illecebras ſe effudit, non attendunt quid deceat, dummodo quid placeat, aſſequantur. Cumque eis ad votum omnia ſuccedant, & in contrarium ſuccedant omnia his qui ſoli militant honeſtati, Diuinam in temporalibus prouidentiam deſipere aut dormitare conquereris. Amice, vetus querela eſt. Et hæc Regis ac Prophetæ Dauid animum quandoque concuſſit. Cum enim preſſuras iuſtorum aſpiceret, videretque iniuſtos ad omnes huius vitæ concupiſcentias licentiùs euagari, quærebat ſi vtique eſſet fructus iuſto.... *Tu qui in Epiſcopos nunc deſæuis, citò Epiſcopaberis dante Domino, eriſque ſi bene te noui, Scholaribus illius temporis publicæ detractionis occaſio.* Nam & illi qui dulce lignum iam adepti ſunt, quandoque dum ſcholariter militarent, linguas procaces acuerunt in Epiſcopos, & telam quam hodie ordiris, longo tempore texuerunt. Certiſſimè autem ſcio, quod ex quo rapieris ad Cathedram, rapietur à corde tuo ſcholaris vitæ memoria, ſubita nepotum pullulabit affectio, de maritādis neptibus anxiè cogitabis, nec in Beneficiis attendes meritum, nec in Matrimoniis paritatem; atque in hac inſania ſingulariter æſtimabis plenitudinem voti tui, *ſi mulierculārum degenerem veritate titulos alienæ nobilitatis inficias, & perſonis infamibus contamines domum Dei.*

Inter alios etiam quos habuit Bleſenſis Diſcipulos, commemorat M. Petrum de Verno poſtea Pædagogum Odonis Soliacenſis Epiſcopi Pariſ. habuit & quendam alium quem verbis caſtigat Epiſt. 9. quod confecto artium liberalium curſu non ante cogitaret Theologiæ dare operam, quàm biennium in otio conſumpſiſſet. *Miſſione*, inquit, *vſus minus legitima & honeſta tanquam tranſfuga & deſertor caſtra ſcholaris militiæ demiſiſti*, & te ad laborioſiſſimum otium contuliſti. Præceperam tibi vt Diſcipulo, conſulueram vt amico, quatenus continuata inſtantia ſtudiorum imperfectum tuum perduceres in plenitudinem, & de Diſcipulo attenderes in Magiſtrum. Reſpondes te in diſciplinis liberalibus diutius laboraſſe, tuumque *propoſitum eſſe antequam Theologicas facultates expugnes*, biennio reſpirare.... Sancti quidem & honeſti propoſiti dilatio, magna ruina eſt. Nunc docibilis es: **proiectiori ætate capax doctrinæ non eris....** *Otium ſine litteris mors eſt & viui hominis ſepultura.* Miſer, quidquid longo tractu temporis didiciſti, biennale otium exſufflabit, *& illa Logices ventoſa loquacitas quâ tumeſcis, ſicut viſio nocturna & ſicut ſomnium euolabit.*

SERMONES IN SCHOLIS PARISIENSIBVS.

EX eodem authore intelligimus morem iam tum fuiſſe illis temporibus habere ſermones in ſcholis ad Magiſtros & Scholares. Vnde etiam colligimus iam tum fuiſſe Scholas Maiores, ſeu 4. Nationum, vbicunque illæ fuerint. Cum enim & D. Bernardus & Petrus Bleſenſis, & M. Alanus de Inſulis hocce ſeculo manifeſtè legantur habuiſſe ſermones in Scholis, non poteſt id certè de minoribus, ſeu ſingularibus, ſingularium ſcilicet Magiſtrorum intelligi, ſed de maioribus tantùm ſeu Publicis & Cõmunibus. Quis enim fructus habere ad paucos ſermonem? Deinde conſtat in illis ſcholis in quibus habebantur ſermones, omnium facultatum ſeu diſciplinarum interfuiſſe Magiſtros & Scholares: quod de priuatis & ſingularibus nequaquam dici poteſt.

Habebantur autem illi ſermones in ſcholis, omnibus diebus feſtis maioribus, in Aduentu & Natiuitate Domini. In Quadrageſima. Diebus quoque feſtis Patronorum ſeu Sanctorum, quos pro Patronis delegerant Nationes, quaſi ſtudiorum ſuorum auſpices & duces; nempe D. Virginis, S. Nicolai, & S. Catharinæ.

Leguntur inter opera M. Alani de Inſulis, qui hiſce temporibus Lutetiæ magnâ nominis famâ docebat, ſermones duo, quorum vnus eſt in die paſchæ *ad Magiſtros Clericorum Theologiæ*: alter in die S. Nicolai. Priorem ſic incipit præmiſſo
» hoc Themate *accelera. Tria ſata ſimilæ commiſce & fac panẽ ſubcinericium.* Iſta verba...,
» Hoc pane reficiuntur 3. viri quos vidit Ezechiel ſaluandos, Iob, Daniel & Noe.
» In Iob coniugatos intelligimus, in Daniele continentes, in Noe qui tempore cataclyſmi Arcæ regimen ſuſcepit, Rectores. Sciat eadem ſibi dicta Magiſter, non
» quilibet, ſed cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia, cui datum eſt noſſe myſterium
» Regni cœleſtis. Iſte fuit Saraï quaſi Princeps vnius dum ſub alio ſtudebat. Idem
» factus eſt Sara, id eſt Princeps plurium, quando Cathedraticum ſuſcepit honorem. Iſte *accelera* dicit Eccleſiæ, id. volumina ſacræ ſcripturæ ſæpe reuolue, auditorum vtilitati inuigila. Ne ſis aleator, gyra gregem tuum & pigros excita. Tria
» ſata ſimilæ commiſce, id. triplicem expoſitionem in lectione. Prima ſit hiſtoriæ.
» 2. Tropologica: 3. allegorica. Prima eſt fundamentum. 2. paries. 3. culmen his
» duabus appoſitum. 1. planior: 2 ſuauior: 3. acutior. 1. incipit: 2. prouehit: 3. conſummat & perficit. Inde fit Panis Subcinericius, id eſt lectio Theologica, quæ
» non floſculos verborum deſiderat, nec dictionum phaleras, ſed humiles ſententias. Hoc pane reficiuntur 3. viri, ſcilicet Maiores, Mediocres, Minores. Minoribus proponitur lac Hiſtoriæ: mediocribus mel Tropologiæ: Maioribus ſolidus
» panis allegoriæ.

Sermoni de S. Nicolao Thema eiuſmodi præmittit. *Quoniam tues qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero.* Et hoc appoſitè, nam minorum ſeu incipientium Scholaſticorum Nicolaus ſemper Patronus habitus eſt, vt Catharina Philoſophorum & Rhetorum.

Similiter plurimi leguntur apud Petrum Bleſenſem ex editione Buſæi ſermones ab ipſo in ſcholis habiti Dico ex editione Buſæi. Nam antiquiſſima Manuſcripta in fronte & in calce nomen præferunt M. Petri Manducatoris. Quorum vnum mihi commodauit M. Iacobus Mentelius Doctor Facultatis Medicinæ clariſſimus: in quo pro titulo ſic legitur. ORDO SERMONVM M. PETRI MANDVCATORIS PER ANNI CIRCVLVM. Et in fine. EXPLICIVNT SERMONES M. PETRI MANDVCATORIS. Eſt autem Manuſcriptum vetuſtiſſimum & hiſce temporibus quo florebat M. Petrus Comeſtor proculdubio ſcriptum. Itaque credibile eſt Petrum Bleſenſem prædictos ſermones à M. Comeſtore factos, tanquam à præceptore ſuo tantummodo collegiſſe.

Sed vt vt ſit, in Sermone 19. qui eſt de Annunciatione B. Virginis, cuius hoc eſt Thema. *Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem in diademate quo* coronauit hodie Mater ſua; poſt pauca ſubdit; ad nos (id. Theologos) ſanè præcipuè dirigitur ſermo. *Ad litteratos*, inquam, quibus datum eſt noſſe myſteria: cæteris au-

tem in parabolis, & his maximè qui eccleſiaſticis dant operam diſciplinis, qui poſtpoſitâ facundâ ſed infœcundâ Philoſophorum loquacitate veniunt; vt hauriãt aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, qui non immerito per filias Sion intelliguntur. Per Hieruſalem enim & Sion intelligitur Eccleſia. Filiæ itaque Sion & filiæ Hieruſalem filij ſunt Eccleſiæ. Iſrael ad litteram iuxta Sion ſita eſt, cuius municipium quod Mello dicebatur, in Sion poſitum fuit. Per filios ergo Hieruſalem, *Laïcos* tanquam minus peritos & cuſtodiâ Municipij egentes intelligimus: per filias Sion *litteratos* tum propter aliorum cuſtodiam & inſtuctionem, tum quia Sion *ſpeculatio* interpretatur.

Sunt & alij plures ſermones quos habuit Comeſtor in Scholis, quales ſunt ſermo 2. in aduentu Domini: ſermo 3. in feſto S. Nicolai, ſermo 23. in feſto S. Mariæ Magdalenæ &c. In ſermone 2. qui eſt de aduentu Domini ſic habet. *Poſſunt tamen hæc eadem nobis* non indecenter aptari, qui lectioni & ſacræ ſcripturæ operam damus. Nos enim ex maxima parte figmenta Poëtarum, qui ranis loquacibus comparantur, prætermiſimus, præternauigauimus pallida Sophiſtarum argumenta, qui Deo odibiles dicuntur. Vale fecimus pompoſis Philoſophorum opinionibus, qui dum adhuc eſſent inter nos, conati ſunt oculos attollere ſuper cœlos, quorum peritiores, Academicos loquor, confeſſi ſunt veritatem tanquam in puteo *abyſſi latere*. Et in fine. *Vos itaque*, quia iam acceſſiſtis ad portam, pulſate & aperietur vobis. Aperiat autẽ vobis ſenſum ad intelligendum ſcripturas qui aperuit oculos cœci nati Ieſus C. Dominus noſter, iudex noſter *qui iudicaturus eſt viuos & mortuos & ſeculum per ignem*. Multa quoque habet præclara ad *Litteratos* in ſermone Dominicæ 1. in Quadrageſima ſub hoc Themate. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi*. Item in ſermone de Trinitate ad Theologos & Grandiores. In ſermonibus de S. Auguſtino ad Regulares, & alibi paſſim. Sed inter omnes vnus qui eſt de S. Nicolao mihi videtur hiſce Annalibus inſerendus, habitus *in ſcholis*, cuius Thema tale eſt.

Qui non humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, non intrabit in Regnum cœlorum Verba ſunt Saluatoris quæ audiſtis per os meum. Emerſerat quæſtio inter Apoſtolos quis eorum eſſet maior, ſed quia hæc erat de ſupercilio Phariſæorum, qui amabant primas Cathedras in ſynagogis & ſalutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi, ideo humilis Magiſter & Doctor humilitatis, ad humilitatem reuocans eos, ſtatuit paruulum in medio eorum, Martialem vt tradunt, Apoſtolum Lemouicorum & ait: *Qui non humiliauerit* ſe ſicut paruulus iſte, non intrabit in Regnum Cælorum. Quaſi dicat, qui non erit humilis beneficio virtutis, ſicut hic paruulus beneficio ætatis, non intrabit in Regnum Cælorum. Salua tamen pace Saluatoris poſſunt hæc verba eſſe moderni temporis, poſſunt eſſe hodiernæ ſolennitatis. Eccleſia Dei eſt vt caſtrorum acies ordinata: in acie præliantium præmittuntur fortiores, in fine ordinantur fortiſſimi, in medio formidoloſi & imbecilles. In hunc modum in primitiua Eccleſia fuerunt viri fortes, qui primos impetus huius ſeculi ſuſtinuerunt, qui Eccleſiam Dei fundauerunt ſanguine ſuo: in fine erunt fortiſſimi, quorum erit tanta tribulatio, quod ſi fieri poſſet, mouebuntur etiam electi: temporibus verò noſtris tenera quædam eſt & cuirata medietas, quæ vix credere ſufficit, nedum præliari.

Vtatur ergo ad hos debiles mater Eccleſia verbis prætaxatis, & ordiamur altiùs eius admonitionem, à qua ſi ſub quodam dialogo interloquuntur mater & filioli, vir meus, Pater veſter rediit ad eum qui miſerat ipſum & reliquit me in vtero habentem. Verba autem ſua poſuit in ore meo, vt quos de cætero effunderem in lucem, hortarer ad ſequendum eum indilatè. Præceſſit enim parare vobis locum. Audiui enim dicentem eum: Si quo minus dixiſſem vobis locum. Ite ergo filioli proficiſcimini poſt patrem veſtrum. Nam & Viaticum reliquit vobis.

At quoniam vnus pro omnibus, Mater, arcta eſt via & difficilis & non potero ad eam. Prætereà *latro ſedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat tranſeuntes*. Timendus eſt Latro. Dixit enim, *non mouebor de generatione in generationem ſine malo*. Timendi ſunt Diuites pro quibus Magnus ille Viator, Pſalmiſtam loquor, titubans ei, *Mei autem pene moti ſunt pedes: ad quem* Mater: Fili tolle ſignaculum Patris tui tecum, quod ipſe reliquit mihi diſcedens. Si quis

vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam & ſequatur me. **Ego autem in Eccleſiis manufactis in edito ſtatui illud, vt omnes intrantes videant & recogitent, qui demum Domini fuerit exitus mortis, & quicunque voluerit, tollat illud. Multi iam præceſſerunt filii etiam virgines delicatæ & è veſtigio ſequentes Patrem. Sequere clauatam eorum, adeo tutus eris cum ſigillo, quod etiam quædam eius manualis repræſentatio inter quælibet pericula conſolatio eſt. Ita quod etiam de** Iudæo dixit dæmon *vas vacuum*, ſed ſignatum.

Ad quam filius. Quid eſt, quod dicis Mater? nemo carnem ſuam odio habuit. Etiam Chriſtus horruit mori. Petrus ductus eſt ad crucē nolens, Apoſtolus optabat ſi fieri poſſet, ſuperindui, non ſpoliari. Quid ergo faciet virgula cedri vbi concutitur cedrus Libani? Noſti teneritudinem, meam, Mater, determinatis horis vix orare ſufficio, ſtatutis diebus non ieiuno, quin ad luxurioſam cœnam ſeruem ventrem meum, licet promptuaria mea plena ſunt eructantia ex hoc in illud, tamen vix mihi ſeparo Deo minuta, quæ porrigam pauperi. Veſtes habeo extenſas, in perticis plicatas, in manicis in pabulum tantum tinearum, vix veteres panniculos nullo vſui aptos mihi tollo ad fouenda latera pauperum; & tu dicis mater, quod in tingam pedem meum in ſanguine. Muta mater vocem. Muta viam hæc eſt via Robuſtorum, barbati incedunt per eam.

Ad quem Mater. *Noli timere fili mi*, eſt alia via, Lactea nomen habet. Si non potes ſequi patrem per viam rubicundam, ſequere eam per candidam. Nam & ipſe dilectus meus candidus & rubicundus. Vidi quidem euntem illum per viam rubicundam in horto ſcilicet ligatum, colaphis expalmatum, ſputis illitum, flagellis cæſum, ſpinis coronatum, opprobriis ſaturatum, in patibulo clauatum, poſt mortem lanceatum. Veruntamen prius per candidam viam inceſſit, per viam ſcilicet humilitatis. Vidi eum humiliatum in præſepio, humiliter pendentem ad vbera Virginis ſuppoſitum manibus ſacerdotum, dum inuocarent ſuper eum nomen Domini & geſtaretur tremulis manibus Simeonis. Vidi eum cum parentibus ſuis in Nazareth & ſubditus erat illis. Imo vt perhibent de fonticulo qui ibi eſt, aquam Matri miniſtrabat in dies. Vidi caput eius verendum Angelis & tremendum Regibus inclinari ſub manibus Baptiſtæ. Baptiſta autem contremuit, nec audebat tangere eum donec Dominus ait, *Sine modo*. Sic decet nos implere omnem humilitatem. Si ergo fili, terret te via paſſionis, gradere per viam humilitatis. Veruntamen fili diligenter aduerte quam viam teras. *Quadriuium enim eſt humilitatis*. Sunt quidam humiles dum omnia ſuccedunt eis: ſi autem tetigerit eos manus Domini, excandeſcunt & ſtatim ponunt os ſuum in cœlum. *Sunt qui humiliantur*, vt aſcendant. Sunt qui humiliantur vt euadant. Impetu enim venti quercus frangitur, quem calamus euadit. Prima ergo humilitas eſt domeſtica, ſecunda erratica, tertia ſophiſtica, quarta Dominica. Prima enim eſt naturalis. 2. volatilis. 3. verſipellis. 4. admirabilis Per primam incedunt puſillanimes. Per 2. murmurantes. Per 3. Hypocritæ triſtes. Per 4. columbæ ſimplices. De 1. legitur. A puſillanimitate ſpiritu & tempeſtate. De 2 Confitebitur, tibi cum beneſeceris ei. De 3. Glorioſa res humilitas quæ palliari ſe appetit, ſuperbia ne inualeſcat. De 4. qui non humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, non intrabit in Regnum cœlorum. Paruulus hic filimi, de quo prædixit Iſaias, vitulus Leo, & ouis paſcuntur ſimul & puer paruulus minabit eos. Qui dictus eſt paruulus non pro diminutione ſtaturæ, quia ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſed pro minoritate pœnalitatis humanæ. Pœnam enim habuit non culpam.

Cæterum humilitas Dominica ſubdiuiditur. Eſt enim *debita*, *abundans*, *ſuperabundans*. Debita eſt ſubdere ſe maiori propter Dominum. Primam & ſecundam Pater tuus docuit. Tertiam & habuit & docuit. Conſidera, fili, quid habes amplius, & minoribus fratribus miniſtra tanquam ſubditus eis. *Habes ſubſtantiam?* eroga non habenti. *Habes Doctrinam?* pone eam ad vſuram, vt recipias cum augmento. *Habes exhortationem?* ditiuentur fontes tui foris: itaut bibant homines & iumenta. *Habes laborem manuum tuarum?* redde Decimam Domino Deo tuo. Reliquum manducabis, beatus es & bene tibi erit. *Habes quietem?* elongaſti fugiens, & manens in ſolitudine, ora pro populo, intercede pro relicta minorum multitudine. Clama ad Dominum & dic, aut dimitte eis, aut dele me de libro vitæ. Audi fratrem tuum Paulum dicentem. *Cum liber eſſem ex omnibus ſeruam om-*

nium me feci. Iuxta ergo doctrinam eius Maiores tuos honora duplici honore, pares tuos honores præuenias, Infirmos in fide ſuſcipe. Hoc fac & viues. Hæc via Patris tui, humiles incedunt per eam.

Poteſt quoque prædicta exhortatio Saluatoris ſpectare ad memoriam B. Confeſſoris, pro quo hodie Eccleſia ſolennizat in terris & exultat in excelſis. Et fit maximè ad viros Scholaſticos. Nam & noſter *Nicolaus Scholaſticus erat cum vocatus eſt à Domino, vt ſederet in Cathedra cum ſenatoribus terræ. Nec recedemus à tenore Dialogi, vt loquatur Didaſcalus ad Diſcipulum, tanquam Pater ad filium.* Et intelligitur per Regnum cœlorum ſacra ſcriptura ſecundum illud, *Auferetur à vobis Regnum cœlorum & dabitur genti facienti fructum.* Aperiens ergo os ſuum Pater inquit, fili omnium expetendorum prima eſt ſapientia, ſed non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Quienim non humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, non intrabit in Regnum Cœlorum. Ecce, fili, primus ingreſſus ad eam eſt humilitas. Audis & Philoſophum. Cum quæſitum eſſet ab eo quæ neceſſaria ſint ad ſtudendi formam, ait, *mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta, ſcrutinium tacitum, paupertas, terra aliena.* Attende quia propoſuit humilitatem & in tribus determinauit eam. Ne ſcripturam ſcilicet aliquam vilipendas, quia non omnia reperiuntur in Catone, nec ab aliquo addiſcere erubeſcas, quia quod tu non noſti, fortaſſis nouit Offellus. Nec minus ſcientes elatus deſpicias. Tibi vero fili, amplior neceſſaria eſt humilitas: niſi enim abundauerit humilitas tua ſuper humilitatem Philoſophorum, non intrabis in Regnum Cœlorum, id eſt ſacræ Scripturæ non attinges arcanum. Niſi, inquam, habueris humilitatem Nicolai.

Ad quem filius. Ediſſere Pater quæ ſit illa, vt ingrediar per illam. Cui Pater. Dum adhuc penderet ad vbera Matris, 4. & 6. feria ſemel in die papillas ſugebat. Ad quem filius quaſi ſubridens, Nunquid Pater, iterum introibo in vterum matris & denuo natus ſuperincumbam Matris vberibus. Cui pater, Non eſt ita Fili. Myſtica ſunt quæ dicuntur. Frange os litteræ & inuenies medullam intelligentiæ. Sex enim verba ſex ſpecies ſcientiæ ſignificant, & ſex feriæ tempora inuentionis earum, quæ merito dicuntur feriæ, quia tempore otii addiſcitur ſcientia. In principio mundi naſcentis hoſtis antiquus primis parentibus ſcientiam tradidit noxiæ libertatis non eſſendi ſub Domino & relationem ſuperbam criminis, vt contra culpam ſuam tacitè obliquarent in authorem ſuum. 2. Miſer homo contra multiplices defectus ſolatium inuenit mechanicarum artium, quas & poſt extendit ad abuſum ſuperfluitatis. 3. Non contentus his cauſas naturales quas Deus in rebus ipſis occultauerat, auſus eſt rimari adeo quod ac ſi intereſſet ſideribus, motus eorum, ortus & occaſus, combuſtiones & reſpectus ſe deprehendiſſe exiſtimans & contingentes rerum euentus fatali neceſſitate adſtrictos eſſe dogmatizauit. 4. Pater Miſericordiarũ videns hominem inutiliter laborantem, ſcientiam vitæ in Canone vtroque Teſtamenti promulgauit. 5. Abierunt quidam poſt vanitates adinuentionum ſuarum & ſimplicitatem Eccleſiaſticam irridentes, ſacram ſcripturam maculis hæreſum quaſi quadam lepræ varietate reſperſerunt. 6. Surrexere viri habentes zelum Dei & primis diſputationibus ſuis quaſiquadam theriacâ vehementi virus infuſum repulerunt. Poſtmodum manum ſupponentes Chartis, numeroſam reliquerunt nobis multitudinem expoſitionum.

Vides fili ſex verba traditionum ſuis temporibus quaſi ſex feriis emerſiſſe. Solum reſtat Sabbatum, vbi nemo dicet alij, doce me. Omnes enim erunt docibiles Dei. Audi adhuc fili & tace. Conſidera idiomata ſingulorum vberum, vt ſcias cui debeas os admouere & à quo amouere. Primum vber fuit ſerpentis, 2. Ægypti, 3. Philoſophi, 4. Dei, 5. Hæretici, 6. viri Catholici. De 1. manauit lac venenoſum: de 2. lac acetoſum, quia multis amaritudinibus reſperſa eſt dulcedo humanæ felicitatis. De 3. lac ampulloſum. De 4 lac coagulatum. De 5. lac aqua mixtum, peſſimi enim Caupones vinum aquæ miſcuerunt. De 6. Lac ſincerum. Primum ergo reiiciendum eſt ſecundum illud *Vade retro Sathana.* Secundum temperandum, ſecundum illud *victum & veſtitum habentes, his contenti ſimus.* Tertium excolandum, vt quod liquidum eſt in Philoſophis, reponatur, abiiciatur quod feculentum eſt. 4. hauriendum. Vnde haurietis aquas de fontibus Saluatoris. 5. vitandum ſecundum illud, *hæreticum hominem poſt primam & ſecundam admonitionem deuita* 6. bibendum iuxta illud. *Bibite & inebriamini filij.* De 1.

„ ſcriptum eſt, *fouit aſpis ouaſua, dedit vbera catulis ſuis.* De 2. fili mi, ſi te lactaue-
„ rint peccatores, non acquieſcas eis. De 3. *ſed & Lamiæ nudauerunt mammas, lactaue-*
„ *runt catulos ſuos.* Hæ ſunt Medici in quibus mulier hemorroïſſa omnem ſubſtantiam ſuam inutiliter erogauit De 4. *Memores erimus vberum tuorum ſuper vinum, recti diligunt te.* De 5. *Da eis Domine vuluam ſine liberis & vbera arentia.* De 6. *Statura*
„ *tua aſſimilata eſt palmæ & vbera tua botris.* Adhuc inſiſte fili, & ex propriis nomini-
„ bus proprietatem eorum concipe. 1. dicitur Paralogia. 2. Scenologia 3. Phyſiolo-
„ gia 4. Theologia 5. Carologia. 6. Pathologia, iſta enim ad omnes pertinens per ſin-
„ gulas tanquam ad caput redit. Ipſa enim Cacologiam expugnauit, Theologiam
„ explanauit, Phyſiologiam ſpoliauit, Scenologiam temparauit, Parologiam conculcauit. Reſtat Fili Sabbatum, vbi tantum audietur Alleluya. Noſti fili vbera ſextæ
„ feriæ tantum tibi poſita, non tamen fugenda. Non in die, ideſt in his quæ intelligi
„ poſſunt, reliquum igni comburatur & non niſi ſemel, vnus enim Dominus, vna
„ fides, vnum baptiſma, vna debet eſſe Catholica doctrina. Audiſti fili quam glorioſa eſt humilitas, ſal & condimentum reliquarum virtutum. Humiliemur ergo ſub
„ potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore tribulationis I. C. D. N. Iudex noſter cum venerit iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem.

Hiſce quoque temporibus non modo Lutetiæ, ſed & Aureliæ, Remis, Pictauii, Lexouii & alibi exercitia liberalium Artium florebant quàm maximè. De Lexouienſibus ſcholis diximus ſupra, vbi de Arnulfo Epiſcopo. Ioannes quoque Sareſberienſis ad amicum quendam Lexouienſem reſcribens, imprimis commendat Lexouienſes ob ingenii excellentiam, ſed maximè ob eloquentiam, eoſque ait concionando impuliſſe cæteros ad ſumenda arma & Crucis ſigna contra Toloſates ſeu Albigenſes Sic igitur ille.

Loquela tua manifeſtũ te facit, diſſimulantem pagina nuper mihi miſſa conuin-
» cit. In amicum ſiquidem imperitũ ſermone & ſcientiâ ingenium illud Lexouienſe
» exeris, linguam acuis Lexouienſem, cum qua nunquam conferre mihi propoſi-
» tum eſt ab initio, vel dici orator præpotens: nunc tua ſtabiliens, nunc deſtruens
» aliena mihi omnem defenſionis præcludis viã: & quidem præcluſa eſſet vt mutire
» non poſſem, ſi occupationes meas nouiſſes ad plenum. Sed in eo bene cum ſim-
» plicibus, mei ſcilicet ſimilibus agitur, quos vos *ſapientes* ſpiritus Prophetiæ non
» ſemper illuſtrat. Facile tamen crediderim Lexouienſes cum plurima ſciant, quæ-
» cunque voluerint eloquantur, eſſe Diuinos. Nunquid ergo ex quacunque cauſa
» auſu temerario contendam tecum qui authoritate & merito Lexouienſibus Pa-
» tribus adæquaris. Domini ſiquidem Lexouienſes Patres non modo eloquentium
» ſed eloquentiæ quodammodo ſunt. Nam cum Aurelianenſibus qui multarum re-
» rum peritiam & vſum habent, æquentur in plurimis, in eo facillimè antecedunt,
» quod naſcuntur & fiunt eloquentes, adeo quidem vt omnem ætatem & ſexum
» geminus eloquentiæ vſus imbuat & informet. *Quid ergo impeditioris linguæ homuncio torrenti tantæ eloquentiæ reſpondebo?* Tunc adhuc Eccleſiam Lexouienſem regebat Arnulphus.

Eodem anno 1169. willielmus Carnotenſis Epiſcopus electus famoſiſſimi Comitis Theobaldi filius ad Archiepiſcopatum Senonenſem poſt mortem Hugonis promouetur & Senonis à Mauricio Pariſienſi fuit conſecratus: in Epiſcopatu vero Carnotenſi ſucceſſorem habuit poſt biennium M. Ioannem Sareſberienſem, qui cum Archiepiſcopo ſuo Thoma Cantuarienſi in Gallia exul diu fuerat: de qua quidem electione & promotione dicetur infra.

1170. Anno tandem 1170. aſſiduâ & diligenti Regis Ludouici, Vvillielmi Senonenſis opera, ſtudio & labore pax inter Henricũ Angliæ Regẽ & Thomam ſancita eſt. Et primũ quidẽ Gilbertus Londonienſis Epiſcopus, qui à Thoma fuerat paulo ante excommunicatus, quique ab eius ſententia Papam appellauerat, accepit Mediolani ab Alexandro litteras, quibus ipſi mandabatur, vt à Rothrodo Archiepiſcopo Rothomagenſi abſolutionem accepturus regrederetur. Deinde cum pacem Archiepiſcopi maximè haberet in votis Pontifex, oblatâ quadam neceſſitatis occaſione Henricum adduxit, vt eam cum Thoma iniret & firmaret. Hactenus enim ei pepercerat, nec ab vllo excommunicari paſſus fuerat: at cum Rex de inaugurando in Regem filio Henrico conſilium agitaret, vetaret verò Pontifex violari iura Cantuarienſis Eccleſiæ, ad quam ab omni æuo Inauguratio Regum

dignoſcebatur

dignoſcebatur, ille nihilominus quid Romæ patraretur, certior factus, non exſpectatis Papæ litteris & ſpretâ authoritate Thomæ filium ſuum & nurum per Rogerum Eboracenſem Archiepiſcopum apud Weſtmonaſterium aduocatis & præſentibus Cantuarienſis Eccleſiæ ſuffraganeis coronari iuſſit 4. Kal. Iunii, ſtatimque mare tranſcendens venit in Franciâ ad colloquium cum Archiepiſcopo, veritus, ne ſi pacem non iniret, animum Papæ ſibi aduerſum redderet obfeſtinatam nimis contra ipſius mandatum, filij inaugurationem, & id denique ſibi accideret quod Friderico Imperatori Vaticanis fulminibus percuſſo acciderat. Primum ergo præſente Ludouico Rege initum eſt colloquium apud Monmirallum: ſed infructuosè, quia Rex Archiepiſcopum noluit admittere ad oſculum ſub his verbis. *In honore Dei vos oſculor.*

Iterum conuentum eſt apud Fractam-Vallem præſentibus eodem Ludouico & Willielmo Senonenſi & Epiſcopo Niuernenſi, vbi teſte Mathæo, cum *Rex & Archiepiſcopus in partem ſeceſſiſſent & bis equos aſcendiſſent, bis habenam Archiepiſcopi Rex tenuit, cum equum aſcendiſſet.* Hincque diſceſſum eſt re adhuc infectâ. Tertiò tandem procurante Rothrodo Archiepiſcopo Rotomag. apud Ambaſiam concordia inita eſt & pax ſancita. Totam rei geſtæ hiſtoriam ipſe Thom[illegible]d Alexandrum perſcripſit fuſiſſimè. Nos pauca quæ ſequuntur, inſerere non pigebit. Sic ergo ille.

Miſerationis oculo reſpexit Deus Eccleſiam ſuam..... Ecce enim ad nouiſſimas litteras veſtras quibus denuo Regi Anglorum innotuit, quod ei vlterius non parceretis, ſicut nec peperciſtis Friderico dicto Imperatori, cum intellexiſſet terram eius amotis omnibus ſubterfugiis interdicto ſubiiciendam eſſe, & Epiſcopos ſi qui forte non obedirent, ſuſpendendos & excommunicandos, illico nobiſcum pacem fecit ad honorem Dei & maximam vt ſperamus, Eccleſiæ vtilitatem. Nam de conſuetudinibus quas tanta pertinacia vendicare conſueuerat, nec mutire præſumpſit, nullum à nobis vel ab aliquo noſtrorum iuramentum exegit, poſſeſſiones quas occaſione diſſenſionis huius Eccleſiæ noſtræ abſtulerat, prout eas in chartula expreſſeramus, nobis conceſſit, pacem & ſecuritatem omnibus noſtris promiſit & oſculum: ſi tamen vellemus eum eatenus perurgere, vt non modo in omnibus articulis victus appareret, ſed vt periurus diceretur ab his, qui audiebant ipſum iuraſſe ex die, quod non erat nos oſculo excepturus. Nos autem habito plurium ſapientum conſilio & maximè D. Senonenſis qui pacem noſtram cæteris ſolicitius & efficacius procurabat, cum ipſo ad colloquium Regis acceſſimus.

Quem, Deo faciente, qui omnes illos amouerat qui ſanctitatem veſtram variis dolis circumuenire ſoliti ſunt, adeo immutatum inuenimus, vt quod ſine circunſtantium admiratione non corrigit, animus eius in nullo videretur à conſiliis quietis abhorrere. *Nam vt nos procul venientes conſpexit, à circunfuſa turba exiliens accurrit properus, & capite detecto nos in ſalutationis verba prorumpere geſtientes ſalutatione præuenit, & habitis paucis ſermonibus, ſolis nobis præſentibus cum D. Senonenſi, nos illo diuertente ſtupentibus vniuerſis traxit in partem, & diu tantâ familiaritate allocutus eſt, vt videri poſſet nunquam inter nos aliquando fuiſſe diſcordiam.* Omnes fere quot quot aderant lætiſſimâ admiratione ſtupentes, plurimorum genis inundatione lachrymarum madentibus glorificabant Deum & benedicebant B. Magdalenam, in cuius ſolennitate Rex conuerſus eſt à viis priſtinis, vt toti terræ ſuæ lætitiam reformaret & Eccleſiæ redderet pacem. *Corripuimus eum adhibitâ moderatione quam oportuit adhiberi, vias quibus inceſſerat, & pericula quæ vndique imminebant, patenter oſtendimus.* Rogauimus & monuimus vt rediret ad cor, vt dignos fructus pœnitentiæ faciens & Eccleſiæ quàm non mediocriter læſerat, manifeſtâ bonicompenſatione ſatisfaciens purgaret conſcientiam, vt redimeret famam animam ab iniquis conſilium potius, quàm propriæ voluntatis inſtinctu graue vtriuſque diſpendium patiebatur. Cum autem hæc omnia non modo patienter, ſed & benignè audiret, & emendationem promitteret, adiecimus ſibi neceſſarium eſſe ad ſalutem & liberis ſuis ad incolumitatem & indemnitatem conceſſæ ſibi diuintus poteſtatis, vt in eo S. Cantuarienſi Eccleſiæ ſatisfaceret, in quo eam nuper grauiſsimè læſerat. Nam filium ſuum contra ius antiquiſsimum Eccleſiæ noſtræ fecerat enormiter coronari... *Cum ergo equo deſiliens me humiliarem ad pedes eius, il-*

le arrepto ſcanſili me coegit aſcendere, & viſus illachrymari aſt, Quid multa? Domine Archiepiſcope, reſtituamus nobis inuicem veteres affectiones, & alter *alteri quod potuerit bonum exhibeat & præcedentis odij prorſus ſimus immemores.*

„ Et poſt multa. *Tandem itaque* nobiſcum multa & diu conferens, cum nos duo „ ſoli fere vſque ad veſperam collocuti eſſemus ſecundum morem familiaritatis „ antiquæ, in hoc conuenimus vt eo diſcedente rediremus gratias acturi Chriſtianiſ- „ ſimo Regi & aliis Benefactoribus noſtris, reuerſuri ad ipſum rebus compoſitis & „ aliquandiu moraturi circa eum antequam rediremus in Angliam, vt omnibus in- „ notescat in quantam familiaritatem & gratiam nos receperit. Exſpectabimus au- „ tem in Francia donec redeant Nuncij noſtri quos ad accipiendas poſſeſsiones no- „ ſtras deſtinabimus, quia non eſt in animo, vt redeamus ad ipſum quandiu de ter- ra Eccleſiæ paſſum pedis abſtulerit.

Igitur Thomas in Angliam Nuncios ſuos præmittit ad recipienda bona ſibi & Eccleſiæ ſuæ ablata. Rex quoque Henricum filium nouum Regem per litteras certiorem facit de pace eiuſmodi. *Sciatis*, inquit, *quod Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus mecum fecit ad voluntatem meam: & ideo præcipio vt ipſe & omnes ſui pacem habeãt & ſ[illegible]ui pro eo exierunt ab Anglia, omnes res ſuas bene & in pace & honorificè & faciatis eis habere & ſuis ſicut habuerunt tribus menſibus antequam exierunt ab Anglia. Et faciatis venire coram vobis de melioribus & antiquioribus militibus de Saltiunde & eorum iuramento faciatis recognoſci, quid ibi habetur de feudo Archiepiſcopatus Cantuarienſis: & quod recognitum fuerit eſſe de feudo eius, ipſi faciatis habere. Valete.*

Ad hanc ergo pacem Hentico ſic adducto Vaticanorum timore fulminum, ecce noua exſurgit diſcordiæ materia. Vetuerat Pontifex ne vllus Epiſcopus nouo Regi coronando, ſi forte coronari contingeret, abſque aſſenſu Cantuarienſis Archiepiſcopi & Eccleſiæ Cantuarienſis conniuentia contra antiquam conſuetudinem eiuſque dignitatem, manum apponere qualibet occaſione præſumeret, aut id aliquatenus attentaret. At cum id nihilominus perfeciſſet Rogerus Eboracenſis ante acceptas Papæ litteras, ipſum Papa à Diuinis nihilominus ſuſpendit, idque per Thomam ei ſignificari voluit. Thomas eodem anno ipſis Kalendis Decembribus ad portum Sand Vicenſem appulſus miſit D. Papæ litteras ad Rogerum Archiepiſcopum Eboracenſem hæc verba continentes.

„ *Cum filium ſuum Rex veſter coronari voluerit contẽpto Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo,* „ *ad cuius officium de antiquo iure dignoſcitur pertinere, per manũ tuã,* Frater Archiepiſ- „ cope, in *aliena Prouincia Diadema Regni ei fecit imponi.* In coronatione vero illius, „ nulla ex more de conſeruanda Eccleſiæ libertate cautio iuratoria eſt præſtita, nec „ ſicut aiunt, à vobis exacta: ſed potius iuramento aſſeritur confirmatum, vt Regni „ conſuetudines iniquas ſub quibus dignitas periclitatur Eccleſiæ, illibatæ debeant „ omni tempore conſeruari. In quo etſi multũ prænominati Regis vehementia nos „ conturbat, ampliustamen de veſtra & aliorum Coepiſcoporum veſtrorum poſſi- „ mus infirmitate moueri, qui quod dolentes dicimus, facti ſunt arietes non haben- „ tes cornua, abiiſtis abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Et ſi forte hoc li- „ cet tibi frater Archiepiſcope, in propria potuiſſet Prouincia; quomodo tamen in „ aliena & illius præcipuè, qui exulare pro iuſtitia & ſolus exire voluit & dare glo- „ riam Deo, tibi licuerit, nec de ratione poſſumus, nec de SS. Patrum conſtitutio- „ nibus inuenire.

„ Vnde & poſt tam iniquas conſuetudines iuramento firmatas non adieciſtis ſu- „ mere ſcutum fidei, vt ſtaretis pro domo Domini in die prælij. Ne autem ſi diu- „ tius tacuerimus, vnà vobiſcum in die iudicii damnationis ſententiâ inuoluamur, „ authoritate ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ, cui authore Deo miniſtramus, ab omni „ vos officio Epiſcopalis ſuſpendimus dignitatis.

Similiter idem Pontifex aliis litteris Epiſcopos Londonienſem, Sareſberienſem, Oxonienſem, Ceſtrenſem, Roffenſem, de ſancto Aſaph & Landauenſem cum aliis, qui præfatæ inaugurationi miniſterium præbuerant, ab omni Epiſcopali dignitate ſuſpenſos eſſe voluit. Quid autem inde ſecutum fuerit, dicemus ad annum 1171.

Interim quid hiſce temporibus San-Victorino Collegio contigerit ob prauam Erniſii Abbatis adminiſtrationem, commemorare lubet: de cuius inſignis domus ruinâ extant plurimæ Alexandri III. Epiſtolæ, quarum nonnullas interſerere non

erit ab Hiſtoriæ noſtræ propoſito alienum. Sic ergo ille ad Hiſtoriam præſentem.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Richardo Priori & Capitulo S. Victoris Pariſienſis S. & Apoſt bened. *Sæpius dilectum filium Erniſium Abbatem veſtrum & nunc etiam per ſcripta* noſtra monuimus, vt cum conſilio maioris atque ſanioris partis Capituli pertractet ac dirigat & ad profectum & commodum veſtrum ſecundum inſtitutionem Ordinis veſtri promptâ ſollicitudine & curâ intendat.....

Quoniam igitur eundem Abbatem id iuxta commonitionem & mandatum noſtrum libenter facturum credimus & ſperamus, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus eidem Abbati debitam obedientiam & reuerentiam impendentes, in ordinandis & diſponendis Eccleſiæ veſtræ rebus prouidè & efficaciter aſſiſtatis, & iuxta inſtitutionem Ordinis veſtri taliter & ad Religionis cultum & ad temporalium etiam incrementum vos exhibeatis vtroneos, quod eadem Eccleſia ſtudio & ſolicitudine veſtra cooperante Domino in ſpiritualibus amplietur & temporalibus etiam proficiat incrementis. Si quid autem in Eccleſia veſtra corrigendum fuerit, quod cum cònſilio maioris & ſanioris partis Capituli non poſſit corrigi, volumus & mandamus vt ad mandatum eorum quibus ſtatum eiuſdem Eccleſiæ commiſimus dirigendum, commodius dirigatur. Datum Verulis tertio idus Maii. anno Chriſti 1170.

Tunc adhuc erat Prior Domus Richardus vir bonus, ſimplex & moderatus, qui quamuis potuiſſet Erniſio plurimum nocere, illum tamen benignè hortari non deſiſtebat vt officio fungeretur, immo & adiuuare in moderamine & regimine Domus tam in ſpiritualibus vt vocant, quàm in temporalibus. Verum neglexit vir gulæ & immoderatis ſuis affectibus deditus tanti viri monitis acquieſcere, quinimo in maiorem veſaniam verſus omnia Abbatiæ bona dilapidare cepit & diſſipare, omneſque antiquas leges abrogare, Scholarum exercitia quæ hactenus ibi floruerant auferre, vno verbo omnia ſus deque vertere. Quæ res ita commouit & exacerbauit omnium animos, vt tandem eum San-Victorini fratres cedere coegerint intra biennium.

Nos quæ in hanc rem geſta ſunt, vno tenore deſcribemus. Igitur certior factus Pontifex in dies magis Erniſium deſipere, ſcripſit ad Regem Ludouicum & ad Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum, ad Stephanum Meldenſem Epiſcopum & ad Abbatem Vallis-ſecretæ, vt ſuas in homine corrigendo vices ſupplerent, & adimplerent. Epiſtola ad Regem eſt eiuſmodi.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Ludouico Regi Franc. Sal. & Apoſt. bened. Conſiderantibus... Nunc dormitantibus ſacerdotibus quos aliorum cuſtodiæ oportet intendere, tepeſcit in multis ſacra Religio, & vt cuiuſdam verbis vtamur *pro molli viola & purpureo Narciſſo Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ*. Hoc ſanè in Eccleſia S. Victoris non modicum dolemus accidere, quæ cum olim in Religione floreret, ita nunc, quod triſtes dicimus, in ſuæ profeſſionis aſſeritur obſeruantia tepuiſſe, vt quæ multis manum in via ſalutis errantibus porrigebat, nunc alieno indigeat & non inueniat qui ſubleuet eam. Nec tamen ex eo perhibetur accidere, quod non ſint, ibi plures, qui & notitiã Religionis habeant & amorem, ſed quibuſdam cum ſuo capite membris languentibus in eadem Eccleſia feruor Religionis noſcitur tepuiſſe. Nos autẽ cum iam dudũ ad Nos ſuper eorum tepiditate relatio peruenerit plurimorum, diſtulimus hactenus aures apponere & neceſſariam adhibere eam graui valetudini Medicinam, expectantes quod aliquando reducerent oculos ad ſeipſos & de reformanda Religione ſtudioſius cogitarent. Capite vero quæ ad emendationem ſuorum ſubditorum pertinent, negligentius exequente, nos iam tandem executioni eorum quæ dicta ſunt, oportet intendere: & ſi verus ſit rumor, qui totiens aures noſtras aſperſit, quia in propria perſona non poſſumus, per alios nuenire. Ita quidem vt ſi vera comparuerint quæ dicuntur, per eoſdem dilatione ſepoſita Medicina, quam viderint neceſſariam, apponatur. Venerabilibus ergo fratribus noſtris N. vices noſtras in hoc negotio præuidimus committendas, qui quanto pleniorem & faciliorem huius rei potuerint habere notitiam, tanto cum minori grauamine ſalutis remedia prouidebunt, &c.

Epiſtola verò ad Willielmum Senonenſem, Stephanum Meldenſem & Abbatem prædictum, talis eſt.

" *Alexander*... Venerabilibus fratribus Willielmo Senonenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato & Stephano Meldenſi Epiſcopo, dilecto filio Abbati Vallis-ſecretæ ſal. & Apoſtol. Bened. Crebra iamdudum ſuggeſtio ſuper ſtatu Eccleſiæ S. Victoris noſtrum pulſauit auditum, & timemus nos in extremo examine ſeuerius iudicandos, ſi ad inquirenda & corrigenda quæ ſuggeruntur, tardi fuerimus aut remiſſi dicente ſcriptura. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum ab omni ſanguine.* Vtinam ſanè ad doctrinam ſalutis, quæ de loco illo fluebat, & bonæ conuerſationis odorem quo eadem flagrabat Eccleſia in multis Eccleſiis, & praua in directa & aſpera conuertebantur in vias planas, & erat verè puteus aquatum viuentium, de quo arentia corda multorum ad extinguendum mundanorũ deſideriorum æſtum vitæ potum hautirent. Nunc autem vt dicitur, dormitante paulatim cuſtodiâ Prouiſoris & refrigeſcente in capite Religionis amore ad partem quoq; membrorum quidam ſe lethalis torpor effudit, & factũ eſt ibi quod de quodam dicitur per Prophetam. *Comederunt alieni robur eius, ſed & cani effuſi ſunt in eo & ipſe ignorauit.* Nec hoc tamen dicimus quod non credamus ibi ſapientes & Religioſos viros plurimos inueniri, qui multis eſſe poſſunt odor vitæ in viam, ſed non eſt facile cum multa quoque vi remigum dirigi nauem ad portum, ſi Rector qui clauum tenet, imperitus fuerit aut remiſſus. Idcirco ne forte contingat illi, quod de ſe ipſo lamentabatur propheta, dicens. *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & qui iuxta me erant, à longè ſteterunt,* quia in propria perſona eandem Eccleſiam viſitare non poſſumus, ei viſitationis officium decreuimus dependendum, per Apoſtolica vobis ſcripta mãdantes, quatinus illuc accedentes, de ſtatu eius, de actibus Abbatis & fratrum maturitate ac diligentia quâ conuenit, inquiratis, & quidquid ibi cognoueritis corrigendum, vice noſtra taliter corrigatis, vt & Religio ibi per ſtudium veſtrum ex gratia Diuina refloreat, & nos de diſſolutione tantæ Domus non teneamur in die iudicij reddere rationem. Si videritis autem quod niſi per amotionem vnius aut plurium perſonarum ſtatus Eccleſiæ reformari non poſſit, nec in hoc parcat gladius veſter: ſed plenam à nobis authoritatem accipite appellatione remotâ, quæ euellenda fuerint euellendi, & quæ plantanda fuerint, Domino auctore plantandi. Nos enim ita per vos apud Deum volumus excuſabiles inueniri, vt non ſit qui à nobis de ſpirituali eiuſdem Eccleſiæ detrimento in extremo examine requiratur. Si autem his exequendis vos tres non poteritis intereſſe duo veſtrûm non minus hæc quæ dicta ſunt, maturius exequantur. Datum Tuſcul. Kal. Febr.

Eadem die eodemque loco dedit quoque idem Pontifex litteras ad Abbatem & Canonicos S. Victoris, quibus admonuit ſe dediſſe tribus prædictis Præſulibus in mandatis, vt domum inuiſerent, & quæ corrigenda eſſent, corrigerent, præcipiens vt iis tribus & aliis legatis in omnibus parerent. Multa autem in illis litteris continentur ad laudem Domus San-Victorinæ.

" Alexander Ep. Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Abbati & Canonicis S. " **Victoris Pariſ. Sal. & Apoſt. Ben.** ***Iamdudum ad nos de ſtatu veſtro peruenit, quod*** " *requiri diſtrictius & corrigi oportebat. Nos autem quia Eccleſia veſtra longo tempore per* " *Dei gratiam religione floruit & ſcientia, itaut in odore vnguentorum veſtrorum multi con-* " *currerint, & in lumine veſtro viderint lumen, exſpectauimus hactenus ſi tandem per voſ-* " *metipſos rediretis ad vos, & de medio veſtri diſſenſionis & ſcandali materiam tolleretis.* " Cæterùm quia in exſpectatione noſtra non tam correctionem aliquam ſubſequi quam infirmitatem veſtram aggrauari conſpicimus, dignum duximus ad Eccleſiam veſtram perſonas aliquas deſtinare, venerabiles ſcilicet fratres noſtros " Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, & Stephanum Meldenſem Epiſcopum, & Dilectum filium N. Abbatem Vallis-Secretæ, " qui quomodo ſe habeat ſtatus veſter, inquirant, & quæ corrigenda cognouerint, " appellatione remotâ corrigant & emendent. Quocirca per Apoſtolica vobis " ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus expoſitis eis cum ad vos venerint, quæ " neceſſitas & emendatio veſtra poſcit exponi, quæ inter vos ipſi vel duo eorum " aut de reformanda Ordinis Diſciplina, aut de perſonis ſi tes exegerit, amouendis, ſtatuendum eſſe cognouerint, ſuſcipiatis humiliter & firmiter obſeruetis. Datum Tuſcul. Kal. Feb.

Prauæ eiuſdem Domus adminiſtrationis teſtimonium extat in litteris Burchardi filii Mathæi Mommorenciaci ad eundem Erniſium. *Domino & amico ſuo Erniſio Beati Victoris dicto Abbati & toti Conuentui Burchardus de Mommorenciaco ſalutem & debitam reuerentiam. Noſtis Dilectiſſimi, quod Pater meus homo diſcretus & amator Religionis locum qui vocatur Nemus S. Petri, dedit Eccleſiæ veſtræ ea ſcilicet conditione, quatenus ibidem Diuinum Officium celebraretur quotidie, & eundem locum in vita ſua dilexit multum & frequentauit. Et Ego & homines mei poſt patrem meum. Nunc verò quoniam locus ille vacat, & vos eum ſpoliaſtis, vt dicitur, calice, veſtimentis, equo & quibuſdam aliis, precor vt prædictum locum rebus ſuis veſtiatis & F. Radulphum quem diligimus, & qui mihi & fratri meo ægrotantibus multum ſeruiuit, ſi veſtræ Charitati placet, & ſi eius ægritudo aut cauſa nobis incognita non repugnat, ad eundem remittatis. Si non, aliquem honeſtum & boni teſtimonii, qui & ibidem Deo honeſtè ſeruiat, & Nos ſecundum Deum cognoſcat. Hoc itaque Noſtri gratia faciatis vt de vobis iuſtè non poſſimus conqueri. Valete.*

Cum ergo videret Erniſius ſe ita omnium oculis notari, intus & extus ſuſtinenda eſſe bella, iamque præfatos Antiſtites mandata Papæ exequi feſtinare, ſponte Abbatiæ munus & curam à ſe abdicauit circa feſtum Paſchæ an. 1172. veritus ne peccatis ita exigentibus cedere cogeretur, ſi vltro non cederet. In eius itaque locum ſuffectus eſt *Guarinus* vir nondum prouectæ ætatis, & morum grauitate & ſcientiâ clarus, ſub quo Richardus Prior annum adhuc vixit: ſed eo mox decedente *Gualterus* Supprior ſubſtitutus eſt.

Quia autem Erniſius dolebat ſe à tanto culmine excidere, cogique cedere, San-Victorinæ Domus ornamenta, quæ & quanta potuit, theſaurumque etiam Eccleſiæ auferre conatus eſt: quâ de re conqueſtis fratribus apud Vvillielmum Senonenſem, ille reſcripſit in hunc modum ad Mauricium Epiſcopum Pariſienſem.

Vvillielmus D. G. Senonenſis Archiepiſcopus Mauricio Epiſcopo Pariſienſi ſalutem. In quantam & quàm pernicioſam Fr. Erniſius quondam Abbas S. Victoris ex inordinatis actibus ſuis Eccleſiam & Fratres vniuerſos, qui tam Religione quàm litteratura præ cæteris præminere dinoſcuntur, adduxerit confuſionem, veſtra nouit plenius Circumſpectio, qui cum Sanctos qui ſecum erant, pro viribus impugnauerit & Sanctitatem perſecutus fuerit, eâ per Dei gratiam ſibi amputatâ nocendi facultate, nondum vt accipimus, quærit nomen Domini, ſed adhuc manus eius extenta eſt. Et cum internam & externam non poſſit ſubuertere diſciplinam, variis & innumeris exteriorum tentationum generibus eorum nititur perturbare quietem. Proinde cum Theſaurum Eccleſiæ adhuc occultare contendat, fraternitati veſtræ præſentium authoritate iteratò mandamus, quatinus ad Eccleſiam omni morâ ſemotâ accedentes ſub teſtimonio Dilecti filii noſtri Guarini Abbatis & Fratrum memoratæ Eccleſiæ Enthecas & repoſitoriola prætaxati Erniſii ſcrutari curetis, & calicem aureum & alia quæ ad ius Eccleſiæ B. Victoris ſpectantia ibidem inueneritis', Abbati & Fratribus aſſignetis. *Depoſitum verò Archiepiſcopi Daciæ in loco reponatis in Eccleſia maiori. Si verò memoratus prædictus Erniſius exhibere detrectauerit, nihilominus vaſe iniquitatis & mamonæ confracto, quæ prædiximus, executioni mandetis,*

Vt autem intellexit Pontifex Erniſium ceſſiſſe, Guarinum verò electum; ceſſionem eiuſmodi, Guarinique electionem vt ſibi gratiſſimam Bullis ad Canonicos & Abbatem Garinum datis libens confirmauit. Sic ergo ille ad Guarinum.

Alexander Epiſcopus S.S. Dei, Dilecto filio Guarino Abbati S. Victoris Pariſienſis ſal. & Apoſt. bened. Intellecto & cognito, *quod Erniſio quondam Abbate Eccleſiæ cui præeſſe dinoſceris, libera & ſpontanea voluntate amminiſtrationi cedente Fratres ipſius Eccleſiæ Te ſibi elegiſſent communi voto & deſiderio in Abbatem, tanto inde magis lætamur atque gaudemus, quanto de ipſius Eccleſiæ turbatione dolebamus amplius & pro eius ſtatu maiori anxietate & ſolicitudine vrgebamur.* Vnde quia decet te ſolicitè attendere quantæ Religionis & honeſtatis Eccleſia ad quam Domino prouidente vocatus es, hactenus extiterit, & quomodo ibi rigor regularis Diſciplinæ viguerit, Diſcretionem tuam monemus atque mandamus, quatinus iniunctæ tibi amminiſtrationi prudenter & conſtanter intendas, & ita commiſſum tibi Officium ad honorem Dei & ædificationem tuam, & eorum qui tibi commendati

„ ſunt, cum auxilio cœleſtis gratiæ efficaciter & diligenter exerceas, quod ibi per
„ prudentiam & ſolicitudinem tuam Religionis ordo ſemper refloreat, & de die in
„ diem magis ac magis ſuſcipiat incrementum. Nos etiam te & eandem Eccleſiam
„ diligere volumus & fouere, & vobis cum fuerit opportunum Apoſtolicæ defen-
„ ſionis patrocinium miniſtrare. Datum Tuſcul. 3. id. April.

Similiter ad Canonicos & totum Conuentum his verbis ſcribit, admonens vt Abbatem Guarinum diligant, eique debitam reuerentiam & honorem præſtent.

„ *Alexander*..... Dilectis filiis Canonicis Eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis ſal. &
„ Apoſtol. bened. Quantò Eccleſia veſtra maiori hactenus Religione floruit &
„ ampliori refulſit gloriâ meritorum, tantò auditâ reformatione ipſius lætati ſumus
„ amplius & gauiſi, & de ipſius commodo & profectu exhilarati. Audiuimus ſanè
„ quod venerabilibus fratribus Noſtris Bituricenſi & Senonenſi Achiepiſcopis coo-
„ perantibus, & ad hoc iuxta Mandati noſtri tenorem toto ſtudio laborantibus Ec-
„ cleſia veſtra in ſtatum & gradum ſit priſtinum reformata, & Erniſio quondam
„ Abbate veſtro ſponte nec in præſentia Dilectorum noſtrorum Alexii tit. S. Lau-
„ rentii in Lucina, & The. titul. S. Vitalis Preſbyterorum Cardinalium Apoſto-
„ cæ Sedis Legatorum amminiſtrationi cedente, cuius culpâ ſtatus eius fuerat ex
„ parte non modicâ deformatus, perſonam idoneam, honeſtam & litteratam in
„ Abbatem veſtrum communiter elegiſtis & prouidere vobis curaſtis vnanimiter in
„ poſterum. Nos verò quibus conuenit rationabilibus votis atque ſtatutis gratuitum
„ præſtare fauorem & incrementa deſiderare virtutum, electionem veſtram & abre-
„ nunciationem illius de communi fratrum noſtrorum Conſilio ratam & firmam
„ habemus & confirmamus, Vniuerſitatem veſtram monentes atque mandantes,
„ quatinus Abbati veſtro quem elegiſtis debitam reuerentiam & obedientiam im-
„ pendatis: & ita vos ſibi deuotos & humiles exhibere curetis, quod per obedien-
„ tiam veſtram & prouidentiam illius Ordo Religionis & honeſtatis in Eccleſia
„ veſtra refloreat, & plenius valeat auxiliante Domino conſeruari. Datum Tuſ-
„ cul. 3. id. April.

Cardinalium autem prædictorum extant duæ Epiſtolæ in tomo 4. Hiſtoriæ Ducheſnianæ: quarum vnâ mandant Archiepiſcopis Vvillielmo Senonenſi & Stephano Bituricenſi, vti prouideant ne Erniſius locum, in quo eum authoritate ſuâ conſtituerant, prauis ſuis actionibus infamet & dedecoret: quemadmodum domum San Victorinam euerterat.

„ *Dilectis* & diligendis ſemper in Chriſto fratribus W. D. G. Senonenſi Apoſto-
„ licæ ſedis Legato & S. Bituricenſi Archiepiſcopis Alexius tit. S. Laurentij in Lu-
„ cina & The. tit. S. Vitalis dignatione Diuina Preſbyteri Cardinales Apoſtolicæ
„ ſedis Legati cum iuſtitia parere in conſpectu Dei. *Inueteratis in via ſeculi peccato-*
„ *ribus & ad viam ſalutis per auſteriores obſeruantias reuocandis vtiliter & prouidè conſu-*
„ *litur, ſi peccandi opportunitas adimatur*. De fratre Erniſio quondam S. Victoris Ab-
„ bate quomodo carnem ſuam crucifixerit cum vitiis & concupiſcentiis, quàm di-
„ ligens etiam de ſalute ſubiectorum ſuorum extiterit, non oportet nos veſtris au-
„ ribus intimare. Vos enim plenius noſtis, qui effodiſtis parietem, & latentia intus
„ reptilia conſpexiſtis. Nunc autem, vt dicitur, quod timuerunt fratres in amo-
„ tione ipſius, niſi prudentia veſtra occurrat, euenit eis, & quod verebantur, ac-
„ cidit. Locum enim illum in quem ad tempus eum vos mittere dicebatis, donec
„ videlicet ordinaretur Eccleſia, retinere laborat: & qui ſi rectè ſaperet, locum ſibi
„ deberet eligere, in quo labore manuum, afflictione corporis & voluntariâ pau-
„ pertate ſatisfaceret Domino Deo ſuo: locum potius habere deſiderat, in quo
„ tranſgreſſionibus tranſgreſſiones accumulet, & epuletur cotidie ſplendidè cum
„ illo Diuite purpurato. *Non eſſet hoc bonorum*, ſicut credimus, *Medicorum, qui &*
„ *reſtrictione cibi & opportunitate loci, ſalubrem prouidere debeant languentibus Medici-*
„ *nam*. Vnde Charitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, quatenus
„ opponatis adhoc Pontificalem ſollicitudinem, & ne in peſtifera ille voluntate
„ prevaleat, ſtudioſius peragatis, ne ſanguis illius in die iudicii de manu veſtra re-
„ quiratur, ſi & in diæta & in aliis, quæ inuitis etiam interdum à bonis Medicis in-
„ feruntur, ſalubriter ei non fuerit prouiſione veſtra conſultum. Valete.

Alteram Epiſtolam dirigunt ad Guarinum Abbatem, admonentque vt circumſpectè & prouidè Domum adminiſtret. Nam Erniſius quandiu vixit, nihil non

molitus eſt contra Fratres ſuos, & quæcumque potuit auferre ornamenta, furto abſtulit. Imo cum Laudunenſis Epiſcopus apud eum 400. triginta minus argenti puri pondere Trecenſi marcas depoſuiſſet, poſt eiuratam Abbatiam nunquam potuit recuperare. Quare ſcripſit ad Regem rogauitque vt eas eum ſibi ſua authoritate reddere compelleret.

Fama Victorina Domus.

Quod verò ad famam huius Victorinæ Domus, quæ prima Pariſienſis Academiæ alumna & columna dici poteſt, attinet, magna erat apud exteras gentes & tanta, vt Ioannes Cardinalis Neapolitanus à Guarino Abbate Canonicos petierit ad inſtituendam Domum Canonicorum Regularium, eamque tam doctrinâ quàm religione firmandam. Quod cum Guarinus exequi non poſſet *ob inopiam virorum litteratorum*, quæ tum in Conuentu illo erat, ſe apud eum & apud Alexandrum Papam excuſauit. Petierat autem Ioannes ille Cardinalis Neapolitanus *M. Petrum Petragoricum & M. Hugonem de S. Germano*, viros doctos & litteratos: ſed tum alter eorum obierat, alter periculosè laborabat. Verba Garini in Ep. ad Alexandrum notatu digna videntur, quibus inſinuat, quàm deformis eſſet tunc Eccleſia San-Victorina, quamque vacua virisDoctis. *Denique illi Religioſi, quorum quondam teſtimonio Religionis noſtra magnificabatur Eccleſia & conſilio regebatur, maiori iam obierunt ex parte, paucique ſurrexerunt poſt eos. Plures enim venerabiles & litteratæ perſonæ quæ poſſent eſſe Eccleſiæ profectui & honori cum deuotè flagitarent ingreſſum, nolente vel ſimulante predeceſſore meo (Erniſio) nolis inuitis repulſæ. Domus quoque perturbationibus fatigata, oppreſſa debitis, bonis temporalibus nuda, & in ſpiritualibus aliquantulum læſa. Et ſi inter tot curarum angustias paucos quoque inueni qui me adiuuando & conſulendo ſupportare debent in hac nouitate, maximè cum ſim ætate iuuenis, Religione iunior, cogor dimittere. Et ſi oculos qui mihi in via Religionis & diſciplinæ, conſilij & auxilij lumen debent præſtare, perdidero, de facili profectò errare continget: nec ſolus onus & prouidentiam Domus portare potero.*

Cum ergo è Domo San-Victorina viri pij & litterati educi non poſſent, è Genouefiana euocati ſunt in Daciam qui Canonicorum Regularium Coloniam ibi collocarent. Nam Abſalon Epiſcopus Rupenſis à Rege Daciæ miſſus Legationis cauſa ad Ludouicum, in mandatis habuit, vt è Canonicis San-Genouefianis aliquos ſecum reduceret. Ille autem ab Alberto Abbate San-Genouefiano, qui Odoni I. ſucceſſerat, tres obtinuit, quorum Primarius erat *M. Guillelmus*, qui in Dacia *Roſchildenſis Abbas* conſtitutus eſt, ibique ſanctitate eminuit. Hinc commercium tam litterarum quàm ſocietatis inter Dacos & Canonicos San-Genouefianos emerſit. Nam plerique qui è Dacia Pariſios mittebantur ſtudiorum cauſâ, apud S. Genouefam hoſpitabantur. Quod commercium fouit & aluit Stephanus Abbas ordine quartus. Cuius ad Epiſcopum Rupenſem extant Epiſtolæ multæ, quique eius nepotem habitu Canonico apud S. Genouefam indutum & religionis legibus inſtructum in Daciam remiſit. Eiuſdé extant quædam Epiſtolæ ad Canutum Daciæ Regem, equarum vna conſtat *Vulaidemarum Fratrem* Regis Canonicum quoque factum ibi obiiſſe: & ex aliâ *nepotem Hungariæ* Regis ad ſcholas *Pariſienſes miſſum*, ibidem ſepultum fuiſſe.

Collegium Dacicum in vico San-Genouefiano.

Ex hoc certè commercio accidit, vt Daci Collegium conſtruxerint in vico San-Genouefiano, eo loco qui medius eſt inter Carmelitas & Collegium Laudunenſe. Carmelitæ quidem e veteri hoſpitio in quo primum à S. Ludouico collocati fuerant (vbi ſunt hodie Cœleſtini) tranſlati ſunt à Philippo Longo anno 1317. vt viciniores eſſent ſtudiis & ſcholis: ſic enim continetur in illius litteris. *Domum noſtram quæ fuit M. Guidonis de Liuriaco, aliàs dicti Cointet Clerici noſtri, & quam ab eodem comparauimus, ſitam in magno vico S. Genouefæ vltra Crucem Haymonis inter Domum M. Quintini Furtinent ex parte vna & Domum Petri Lotharingi Sciſſoris Pannorum ex altera, habentemque introitum in vico magno prædicto & exitum ſupra vicum S. Hilarij, prout domus ipſa altè & baſsè in longum & in latum ſe protendit ob noſtræ chariſſimæ conſortis Ioannæ Franciæ & Nauarræ Reginæ & progenitorum noſtrorum animarum remedium in puram & perpetuam eleemoſynam de noſtra Regali munificentia perpetuâ donatione largimur: vt Fratres ipſi ſint vicini ſtudiis & ſcholis, in quibus potum ſapientiæ haurire valeant.*

Atque illi vt commodius habitarent, Eccleſiamque ſuam ædificarent, propinquum Daciæ Collegium ſuis ædificiis adiunxerunt, aut ſaltem partem illius

præſertim Domum aliquam inſtar turris quæ noſtris diebus deſtructa fuit. Alteram vero partem ſibi vindicauit Collegium Laudunenſe, vt conſtat ex quodam inſtrumento confecto an. 1429. ex quo intelligimus Domum illam in eo loco conſtructam fuiſſe vetuſtis temporibus cum obligatione præſtandi cenſus annui Collegis San-Genouefianis, quam illi ob non præſtitam penſionem ſubhaſtauerant. Iſti vero ſubhaſtationi Laudunenſes interceſſiſſe, aientes domum illam multo ære ſibi obſtrictam & oppigneratam fuiſſe. Præterea Nationem Anglicanam quæ hodie Germanica dicitur; item & ipſam Vniuerſitatem ad cauſam Scholarium Dacorum acceſſiſſe atque interceſſiſſe ne Laudunenſes illam ſibi vindicarent: demum ita litem compoſitam, vt Laudunenſes alteram domum ſibi propriam in vico Gallandiæ ſitam in ius & Dominium Scholarium Dacorum transferent. Inſtrumentum ſuo loco referemus.

1171. *Cædes S. Thomæ Cantuarienſis.*

Ad annum 1171. ſcribunt omnes Hiſtorici Angli occiſum fuiſſe Thomam Cantuarienſem: res autem ſic contigit. Poſtquam vt ſupra dictum eſt, Thomas in Angliam transfretauit, ſententiam ſuſpenſionis in Rogerum Eboracenſem & omnes alios, qui contra iura antiqua Cantuarienſis Eccleſiæ noui Regis inaugurationi adfuerant aut operam præſtiterant, promulgauit, non ſuo quidem ſed Alexandri Pontificis nomine. Quod factum adeo vtriuſque Regis, Patris ſcilicet & filij exacerbauit animos, vt omnino implacabiles fuerint. Plurimum autem ſpei ſemper poſuerat Thomas in nouo Rege, itaque ad eum ſtatim deſtinauit Simonem San-Albanenſem Abbatem & Richardum Capellanum ſuum. At iſti vix auditi ſunt, imo repulſi cum minis, & verbis atrocibus, parumque abfuit, quin cum verberibus, repellerentur. Res quoque eadem perlata ad aures Henrici Patris, qui tunc in Normania apud Argentonium morabatur, ſupra modum exaſperauit. Vnde 4. viri nobiles occaſionem arripientes vlciſcendi priuati odij, abſque vllo Regis mandato transfretant in Angliam & Thomam crudeliſſimè ingulant rati ſe non aliter poſſe ſibi Regno Regique conſulere. Rem ſic narrat Guillielmus Neubrigenſis lib. 2. de Rebus Anglicis c. 25.

» *Igitur Epiſcopis pro memorato exceſſu, qui vtinam pro tempore diſſimulatus fuiſſet, ad*
» *inſtantiam venerabilis Thomæ Apoſtolicæ ſedis authoritate ab omni Epiſcopalis officij di-*
» *gnitate ſuſpenſis, Rex quorundam querelis exaſperatus infremuit, & turbatus ſupra modum*
» atque in ipſo feruore erumpentis furoris parum ſui compos ex abundantia cor-
» dis turbidi eructauit verba non ſana. Tunc quatuor aſſiſtentium Procerum viri
» genere nobiles à militiæ actibus clari æmulando pro Domino temporali inflam-
» mati ad facinus mox egreſſi ſunt à facie eius, tantâ velocitate transfretantes, vt
» quaſi ad ſolennes epulas feſtinare viderẽtur concepti furoris ſtimulis agitati quin-
» to Natalis Dominici die Cantuariam venerunt, & venerabilem Archiepiſcopum
» religioſa lætitia præclaræ ſolennitati intentum inuenerunt. Ingreſſique ad eum
» iam pranſum & ſedentem cum viris honoratis ſalutatione non præmiſſâ, ſed
» Regij nominis terrore prætento iuſſerunt magis quàm petierunt aut monue-
» runt, vt *quoniam Epiſcoporum ſuſpenſio qui Regis parnerant voluntati in ipſius Regis*
» *contemptum & contumeliam redundaret, eandem maturius relaxaret.* Illo reſpondente
» ſuperioris ſententiam à minori poteſtate conuelli non poſſe, proinde ſua non in-
» tereſſe relaxare, non à ſe ſed à Pontifice Rom. ſuſpenſos, voces ſermonum gran-
» diũ emittebant. Quibus ille non territus furentibus granditerq; frementibus mi-
» ra libertate & fiducia loquebatur. Vnde magis accenſi concitè egreſſi ſunt &
» ſumptis armis (nam ſine armis ingreſſi fuerant) ad atrociſſimum ſe facinus cum
» ingenti ſtrepitu fremituque præparabant. Suaſum eſt venerabili Pontifici, vt in
» ſacram ſe Baſilicam recipiens inhumanã ſæuientium rabiem declinaret. Cumque
» non facilè acquieſceret paratus ad ſubeundum diſcrimen, tãdem irrumpentibus
» atque vrgentibus aduerſariis amica ſuorum violentia ad ſacri loci munimina tra-
» hebatur. Canebantur à Monachis omnipotenti Deo ſolenniter laudes veſpertinæ, & ipſe venerabile Chriſti Templum ingreſſus eſt ſacrificium veſpertinum
» mox facturus. Inſecuti enim Satellites Diaboli neque ſacri ordinis, neque ſacri
» loci vel temporis reuerentiam vt Chriſtiani habuerunt, ſed Sacerdotem magnum
» ſtantem ad orationem ante venerandum altare aggreſſi in ipſis Chriſti natalitiis
» Chriſtiani nequiſſimi gladiis crudeliſſimè peremerunt. quo facto tanquam trium-
» phantes ingreſſi cum infelici lætitia abierunt. Reputantes autem ne forte quod

actum

actum erat, ei pro quo æmulati fuerant., diſpliceret, in Aquilonares Angliæ partes ſeceſſerunt, animum erga ſe principis plenius pro tempore cogniturí.

Neque verò tantùm Archiepiſcopum Eboracenſem alioſque prælatos, qui ſacris interfuerant, nomine Pontificis ſuſpenderat, ſed ipſe præterea, vt narrat Mathæus Pariſienſis, propriæ ſedi redditus ſermonem *habiturus ad populum in die Dominicæ Natiuitatis pulpitum aſcendit & ſermone Completo Nigellum de Sakeuille Eccleſiæ de Herges violentum incubatorem & eiuſdem Vicarium Eccleſiæ, Robertum quoque de Broc, qui equum quondam ipſius Archiepiſcopi victualia deferentem ad dedecus & ignominiam eius decurtauerat, ſolemniter excommunicauit.* Poſt quinque verò dies ab Impiis 4. illis Carnificibus trucidatus eſt, quorum nomina hiſce verſibus continentur.

Richardus Britò, nec non Maruillus & Hugo
Willielmus Trachi, Reginaldus filius Vrſi
Thomam Martyrium fecere ſubire beatum
Anno milleno centeno Septuageno
Anglorum primus corruit enſe Thomas.
Quinta dies natalis erat, flos orbis aborbe
Vellitur, & fructus incipit eſſe poli.

Nec videtur prætereundum, quod narrat Mathæus de B. Thoma, multa ſcilicet ei neſcio quo fato mirabilia contigiſſe die Martis. Nam, inquit, die Martis B. Thomæ Apoſtolo ſacra natuſſte: vnde & in Baptiſmo nomen eius ſuſcepit. Die Martis aduerſus eum ſententia dicta eſt apud Northamtonam. Die Martis actus in exilium. Die Martis apparuit ei Dominus apud Pontiniacum dicens *Thoma, Thoma Eccleſia mea glorificabitur in ſanguine tuo.* Die Martis reuerſus eſt ab exilio. Die quoque Martis occiſus eſt & Martyr occubuit. Denique *propter humanam prouidentiam*, inquit ille, *accidit Dei gratia procurante quod anno quinquageſimo paſſionis ipſius, qui etiam annus remiſſionis, eſt annus videlicet Domini* 1220. *Venerabile Corpus eius die Martis gloriam Tranſlationis ſuſcepit.* Itaque bene, eodem authore prodiit in lucem die Martis tanquam contra Diabolum præliaturus (Mars enim ſecundum Poetas Deus belli nuncupatur). Vita namque B. Thomæ ſecundum illud Iob. *Vita hominis militia ſuper terram*, tota fuit contra hoſtem bellicoſa. Quæ vero mortem eius conſecuta ſint, videamus.

Vt ergo fama cædis peruenit ad aures Henrici Regis tunc adhuc apud Argentonium degentis, ille ad omnia lamentationum genera ſe conuertens, inquit, Mathæus, Regiam Maieſtatem cinere & cilicio commutauit, Deum teſtem appellans tale facinus nec ex voluntate, nec ex conſcientia ſua perpetratum: ſeque Iudicio Eccleſiæ prorſus ſuppoſuit, humiliterque ſubiturum promiſit, quidquid imperaretur. Atque in eam rem miſit ad Papam Legatos: qui vix tandem à ſummo Pontifice Alexandro impetrarunt, vt mitterentur in Angliam & Normaniam Cardinales, qui in factum inquirerent, interim vero ſententia ſuſpenderetur in Regem, donec rei veritas ipſis conſtaret.

Hinc ergo contra Regem & pro Rege emiſſi libel'i in vulgus. Multis quidem eius famam denigrantibus ipſumque imprecatione crebra impetentibus: aliis excuſantibus, quod licet occaſionem cædi dediſſ't, eam tamen non imperarat. Quâ de re ad annum ſequentem fuſius. Extât apud Radulfum de Diceto litteræ Willielmi Senonenſis Archiep. ad Papã quibus rem grauiter exaggerat, *qui locus tutus eſt ſi rabies tyrannica ſanctã ſanctorum cruentat, & ad columnas Eccleſiæ vicarios dilacerat? inſurgant ergo Eccleſiaſticæ leges, armentur iura cæleſtia, introeat in conſpectu veſtro vltio ſanguinis glorioſi qui de Anglia clamat.* Interim non omittendũ quod ſcribunt Iacobus de Voragine & Antonius Florentinus poſtridie poſt condita Thomæ oſſa tumulo, cum cantaretur Miſſa pro defunctis, quæ incipit *Requiem*, auditas fuiſſe voces Angelorum concinentium *Lætabitur iuſtus in Domino*, quæ communis eſt Miſſa Martyrum: ſacerdotes verò omiſſo *Requiem*, perſecutos fuiſſe.

Hinc ergo Quæſtio inter Theologos orta, an Thomas verè Martyr obiſſet pro Chriſti cauſa. Erant qui ita arbitrabantur: contra alij, obſtinatiorẽ eum fuiſſe quã *Quæſtio de Sanctitate Thomæ.*

expedire videretur. Neque Thomam duntaxat, ſed & ipſum Alexandrum minus in ea re prudenter ſe geſſiſſe dicebant, qui Archiepiſcopum Eboracenſem ob recentem inaugurationem excommunicaſſet: fuiſſe enim aliquandiu diſſimulandum, nec exacerbandum dolorem tam citò, nondum obducta cicatrice. Qua de re ſic ſcribit Neubrigenſis l. 2. c. 25. *Habebat* (Thomas) *penes ſe Rege inſcio litteras D. Papæ contra Eboracenſem & alios Epiſcopos, qui illi infauſtiſſima coronationi interfuerant, impetratas, factæ iam concordiæ irritatrices & maioris iræ prouocatrices futuras.* Has in Angliam ad ſuſpenſionem Epiſcoporum præmiſſas ipſe ſequebatur zelo iuſtitiæ feruidus. Vtrum autem plenè ſecundum ſcientiam, nouit Deus. Noſtræ enim paruitati nequaquam conceditur de tanti viri actibus temere iudicare. Puto tamen quod Beatiſſimus Papa Gregorius in molli adhuc teneraque Regis concordia mitius egiſſet, & ea quæ ſine fidei Chriſtianæ periculo tolerari potuiſſent, ratione temporis & compoſitione pacis diſſimulanda duxiſſet, iuxta illud Propheticum *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. Amos* 5. Itaque quod à venerabili Pontifice tunc actum eſt, nec laudandum eſſe iudico, nec vituperare præſumo. Sed dico, ſi vel modicè in huiuſmodi à S. viro per zeli laudabilis paulo immoderatiorem impetum eſt exceſſum, hoc ipſum eſt ſacræ, quæ conſecuta noſcitur, igne paſſionis excoctum. *Ita quippe ſancti viri vel amandi vel laudandi ſunt à nobis, qui nos illis longè impares eſſe cognoſcimus, vt tantum in quibus homines vel forte fuerunt, vel fuiſſe noſcuntur, nequaquam vel amemus vel laudemus; ſed ea tantum in quibus eos ſine ſcrupulo imitari debemus. Quis enim dicat eos in omnibus quæ ab ipſis fiant, eſſe imitabiles.*

Itaque plurimi de Sanctitate viri dubitabant: & cauſa dubitationis erat, quia in vita nullis certis viſus fuerat coruſcare miraculis. Quâ de re ſic habet Cæſarius Heiſterbakenſis lib. 8. c. 69. *B. Thomas Epiſcopus Cantuarienſis, qui noſtris temporibus pro Eccleſiæ libertate vſque ad mortem dimicauit*, nullis miraculis in ſuis perſecutionibus coruſcauit, ſatiſque de illo poſt occiſionem diſputatum eſt. *Quidam dixerunt eum damnatum vt Regni proditorem. Alij vt Martyrem, & Eccleſiæ Defenſorem.* Eadem Quæſtio *Pariſius* inter Magiſtros ventilata eſt. Nam M. Rogerus iurauit illum dignum fuiſſe morte etſi non tali, Beati viri conſtantiam iudicans contumaciam. E contra M. Petrus Cantor iurauit eſſe Martyrem Deo dignum, vt pote pro libertate Eccleſiæ trucidatum. Quorum Quæſtionem Chriſtus ſoluit, cum multis & magnis illum ſignis glorificauit. Non ideo tamen Apoſtolis ſiue aliis magnis Martyribus in meritis præferendus eſt, qui tanta & tam crebra miracula poſtmortem feciſſe non leguntur. Simile habes de S. Anone Colonienſi Archiepiſcopo, cui cum poſt mortem multi detraherent dicentes eum Eccleſiarum fuiſſe diſmembratorem & Ciuium ſuorum excoecatorem, Dominus Deus in tranſlatione illius, quantæ ſanctitatis eſſet, ſignis plurimis oſtendit.

Notat vero Radulfus de Diceto & poſt eum Mathæus, eodem anno quo occiſus eſt B. Thomas, circa Paſchalem ſolennitatem Deo volente multis cum miraculis, irradiaſſe, neque vllum ad eius ſepulchrum in fide accedentem receſſiſſe vacuum quantacunque infirmitate grauaretur. *Nam*, inquit *reſtituuntur ibi Claudis greſſus, ſurdis auditus, cæcis viſus, loquela mutis, ſanitas leproſis, vita mortuis: & non ſolum vtriuſque ſexus homines verum etiam aues & animalia de morte ſeparantur ad vitam.*

Hiſce rationibus adductus Alexander Pontifex cum Cœlitum Martyrum catalogo ad ſcripſit, vt dicetur infra. Itaque cœpit haberi & coli vt Martyr. Extat Epiſtola cuiuſdam Scholaris Pariſienſis, qui ad Cœnobium San-Victorinum conuolarat, ad aliquem Anglum, quâ eum rogat vt ſibi, ſi fieri poſſit, Reliquias B. Martyris Thomæ tranſmittat. *Pariſius*, inquit, *ad aratrum Diuinum manu miſſa in Domo Dei ac Beatiſſimi Martyris Victoris ſub regula Canonica S. Auguſtini tirunculus degens Chriſto militare decreui...* Supereſt vt flagrantiſſimi deſiderij mei tibi Chariſſimo meo ſecreta reuelem, quatinus ſi quomodo ſedulitate tuâ interueniente de ſacri glorioſi Chriſti Martyris Thomæ Reliquiis aliquam particulam habere poſſem, obnoxius attendas. erit mihi in peregrinatione Comes & ſolatium. Erit mihi contra inſidiantis inimici tentamenta dulce præſidium, vt me ouiculam ſuam pius paſtor protectionis ſuæ humeris impoſitam Gregis ſui numero non deeſſe patiatur. Quod ſi deſiderium meum complere ſtudueris & effectui rem

mancipaueris, in vaſe ſignato & nuncio fideli aliquo inde huc remeante tranſ-
mittere feſtines.

Licet ergo in vita plurimos habuiſſet æmulos & inimicos in Anglia, communi tamen ſuffragio eo Martyre non minus lætata eſt, quàm olim India B. Thoma Apoſtolo: quam in rem præclarè Petrus Bleſenſis Ep. 46. *Thomam Apoſtolum India & Orientalis Regio iactitabat: ſed Occidentalem reſpexit Eccleſiam qui in Cœlis habitat & humilia reſpicit.* Dedit Dominus Angliæ Thomam noſtrum: non inuidemus Indiæ Thomam ſuum. Sit Thomas Apoſtolus in India: ſit Thomas Martyr noſter in Anglia: vt per hos duos teſtes Chriſti ab ortu ſolis vſque ad occaſum ſit laudabile nomen Domini. Eat qui voluerit in Indiam ad ſuffragia B. Apoſtoli, tam longa peregrinatio nimis laborioſa eſt mihi. Mihi ſufficit Thomas meus. Ille palpauit latus Domini & fixuras clauorum: ille, quia vidit credidit. Beatus qui non vidit & credidit, nec dubitauit: atque holocauſtum Chriſto & pro Chriſto ſe obtulit. Non laboro Martyrem Apoſtolo comparare, cum Apoſtolus ſit maior Martyre. *Sed glorioſum eſt nos habere Martyrem, qui Apoſtoli nomen habeat & Apoſtolum miraculis aut imitetur aut vincat.* Non indignatur Apoſtolus, quia nec indignatur Dominus Apoſtolorum & Martyrum, ſi quandoque Spiritus S. in operatione virtutum plenius & celebrius alicui ſe infundit. Et hæc, inquit Dominus, facietis, & maiora horum facietis. Amor Martyris à propoſito meo aliquantulum me abduxit.

Hugo de Campo-Florido.

Hoc anno M. Hugo de Campo Florido, aliàs de Anglia Epiſcopus Sueſſionenſis, & Regni Cancellarius in odium Ludouici Regis incidit quorundam ſuggeſtione: quod quidem ad mortem vſque ipſius duraſſe videtur, vt ad an. 1175. dicetur. Erat autem M. Hugo Willielmo Senonenſi & Henrico Remenſi acceptiſſimus. Vnde iſte in eius gratiam ad Regem fratrem ſuum litteras direxit, quas per Erniſium tunc adhuc Abbatem S. Victoris offerri voluit. Sic ergo ad Regem.

Amantiſſimo Domino & fratri Ludouico D. G. Regi Francorum Excellentiſſimo Henricus Remenſis dictus Archiepiſcopus ſalutem & veræ dilectionis affectum. Relatum eſt nobis quod ex quo à vobis diſceſſimus, interuenerunt quidam qui Dominum Sueſſionenſem Cancellarium veſtrum infidelem vobis intimauerunt, à gratia veſtra eum recedere facientes. Quia vero vos & Dominum & fratrem & amicum habemus chariſſimum, honorique & commodo veſtro pro poſſe noſtro prouidere debemus, omnibus modis ſublimitati veſtræ ſupplicamus, quatenus ſuper his nulli vllatenus acquieſcatis. Siquidem memoratum Cancellarium vobis fideliſſimum & credimus & ſcimus.

Cæterum homo veſter eſt, neque quod ſuum eſt, ab eo vllatenus euellere poſſetis, quin in vos culpa redundaret, atque ſuper hoc culpabiles haberemini. Super hoc negotio ſollicitus ſum. Timeo enim ne ſi ab eo receſſeritis, Dei & populi offenſam incurratis. Rogo, ſupplico, conſulo, ne ab eo vſpiam recedatis atque à fidelibus in infideles manus vos ipſum & veſtra ponatis.

Haſce litteras Erniſio tum adhuc Abbati San-Victorino miſit, vt eas Regi in manum traderet. Sicque ad eum ſcripſit. Henricus Remenſis dictus Archiepiſcopus Chariſſimo ſuo Erniſio venerabili S. Victoris Abbati Sal. & Dilectionem in Domino. Relatum eſt nobis quod quidam intercedentes poſt receſſum noſtrum à Pariſius D. Sueſſionenſem Chariſſimum noſtrum à gratia D. Regis recedere fecerunt. Scripſimus D. Regi ſuper hoc negotio ſupplicantes, & conſulentes quatenus ſuper hoc nulli acquieſcat. Veſtræ quoque dilectioni ſcribimus, vt litteras quas illi deſtinamus, ipſi ex parte noſtra dirigatis & earum fidus ſitis interpres. Cæterum ſi in gratiam D. Regis rediit D. Sueſſionenſis, ſigillumque ſuum ei reddidit, litteras noſtras ei non præſentes. Smiliter ad M. Hugonem ſcripſit conſolatorias litteras hoc modo.

Henricus Remenſis dictus Archiepiſcopus venerabili fratri Hugoni D. G. Sueſſionenſi Epiſcopo Sal & dilectionem in Domino. Scripſimus Domino Regi ſuper negotio veſtro rogantes & omnimodo conſulentes, quatenus gratiam ſuam nullatenus à vobis ſubtrahat, nullique ſuper hoc acquieſcat. Videatis ergo ne moueamini, vel aduerſis aliquibus turbemini. Parati ſumus ad honorem & commodum veſtrum vigilanter eniti. Mittimus Abbati S. Victoris, vt litteras noſtras D. Regi præſentet, quia fidum credimus interpretem fore.

Eodem anno Hiberniam inuaſit Henricus Angliæ Rex, primuſque eam ſubegit, nunquam adhuc antea neque à Romanis neque ab vllo alio Rege ſubactam. Idque eſt planè mirabile, inquit Neubrigenſis, quod cum maior Britannia æquè Oceani Inſula, nec ſpatio longiori ſeiuncta, tantos bellorum caſus experta ſit, toties exteris Gentibus præda fuerit, toties externam dominationem incurrerit, expugnata & poſſeſſa primò à Romanis, deinde à Germanis, conſequenter à Danis, poſtremò à Normanis, Hibernia Romanis etiam Orcadum Inſularum Dominium tenentibus inacceſſa, rarò & tepidè ab vllo vnquam expugnata & ſubacta eſt: nunquam externæ ſubiacuit ditioni vſque ad hunc annum. Quod enim dicunt Britones eandem Inſulam ſuo paruiſſe Arturo, fabuloſum eſt. Quomodo verò ſubacta fuerit ab Henrico & quâ occaſione, fuſè deſcribit Neubrigenſis. monuiſſe ſufficiat.

1171. Anno 1172. Albertus & Theodinus Cardinales & Legati ab Alexandro miſſi ad inquirendum in cædem B. Thomæ, in Agro Abrincenſi apud Sauigniacum, quæ eſt Abbatia in Normaniæ, Armoricæ & Cenomanicæ ditionum finibus ſita, Concilium celebrant 5. Kal. Octob. cui præſedit Rothrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis. Illi quoque adeſſe iuſſus Henricus II. cum filioin terrogatuſque an facinus illud imperaſſet, iurauit ſe nec imperaſſe, nec petiiſſe mortem Archiepiſcopi, ſeque nihilominus, pœnitentiam quæ ſibi iniungeretur, acturum, propterea quod forte verbis ſuis temerè prolatis dederat occaſionem interficiendi. Extat autem vtriuſque Regis Iuramentum inter Acta Alexandri Pontificis, his verbis.

EGO HENRICVS REX IVRO SVPER HÆC SANCTA DEI EVANGELIA, QVOD MORTEM THOMÆ ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS NEQVE COGITAVI, NEQVE SCIVI, NEQVE FIERI PRÆCEPI. ET QVANDO COGNOVI FACTVM IPSVM FVISSE PERPETRATVM, TRISTIS EFFECTVS SVM MAGIS, QVAM SI MEVM PROPRIVM FILIVM COGNOVISSEM INTERFECTVM. SED IN HOC ME NON VALEO EXCVSARE, QVOD OCCASIONE COMMOTIONIS ET IRACVNDIÆ MEÆ QVAM ADVERSVS S. VIRVM CONCEPERAM, INTERFECTVS FVIT. PORRO PRO HVIVSMODI REATV, QVIA CAVSAM MORTIS EIVS DEDISSE VIDEOR, MILITES 100. SVB EXPENSIS MEIS AD DEFENSIONEM CHRISTIANITATIS ABSQVE DILATIONE HIEROSOLYMAM DESTINABO PER ANNVM IBIDEM PERMANSVROS, VEL TANTVM EIS PERSOLVAM, VNDE TOTIDEM MILITES IBI PER ANNVM VALEANT COMMORARI SIGNVM QVOQVE DOMINICÆ CRVCIS VSQVE AD TRIENNIVM ACCIPIAM ET IN PROPRIA PERSONA ILLVC PROFICISCAR, NISI DE ROM. PONTIFICIS LICENTIA PERMANEAM. ILLICITAS CONSVETVDINES QVAS TEMPORIBVS MEIS IN TOTA TERRA MEA INTRODVXI, PENITVS QVASSO, ET EX HOC MINIME OBSERVARI DECERNO. APPELLATIONES VERO AD APOSTOLICAM SEDEM DE CÆTERO LIBERE FIERI PERMITTAM ET IN HOC NEMINEM PROHIBEBO.....PRÆTEREA EGO ET MAIOR FILIVS MEVS REX IVRAMVS, QVOD A D. ALEXANDRO PAPA ET EIVS CATHOLICIS SVCCESSORIBVS RECIPIEMVS ET TENEBIMV REGNVM ANGLIÆ ET NOS ET SVCCESSORES NOSTRI IN PERPETVVM NEC REPVTABIMVS NOS ANGLIÆ REGES DONEC IPSI NOS CATHOLICOS REGES TENVERINT.

Totam huiuſce rei Hiſtoriam fusè deſcribit willielmus Neubrigenſis loco ſupra citato, nimirum à morte D. Thomæ, ad hanc diem, ſeu donec ſe Rex pœnitentiæ ſubmiſit. Sic ergo ille. *Tanti piaculi fama in breui per omnes fere Latini Orbis fines diſperſa Illuſtrem Anglorum Regem infamauit, & præclaram eius inter Reges Chriſtianos gloriam ita denigrauit, vt quoniam vix credi poterat* illud abſque eius » voluntate & mandato fuiſſe attentatum, fere omnium imprecationibus impe» teretur, & publicis inſectandus odiis cenſeretur. Ipſe quoque audito quod à ſuis » actum fuerat, intelligens datam eſſe maculam in gloriam ſuam, & vix expiabilem » ſibi næuum inuſtum, ita doluit, vt diebus aliquot perhibeatur nihil guſtaſſe. Siue » autem parceret homicidis illis, ſiue non, conſiderabat proclives eſſe homines » ad malè ſentiendum de eo. Nam ſi parceret ſceleratiſſimis, tanti mali auſum vel » authoritatem præſtitiſſe videretur. Si verò in eis plecteret quod abſque eius man» dato non attentaſſe putabantur, vtrobique nequiſſimus diceretur. Idcirco par-

cendum eis duxit & tam famæ ſuæ quàm illorum ſaluti proſpiciens, ſedi eos Apoſtolicæ ad ſuſcipiendam ſolennem pœnitentiam præſentari præcepit. Quod & factum eſt. Nam ſtimulante conſcientia Romam profecti ad agendam pœnitentiam, à ſummo Pontifice Hieroſolymam ſunt directi, vbi annis aliquot indictum ſatisfactionis modum non ſegniter, vt dicitur, exequentes, vitam omnes finiere. Sed hoc poſtea. Tum verò idem Rex, dum fere omnes in eum B. viri necem refunderent, & Francorum maximè Principes, qui felicitatis eius æmuli ſemper extiterant, aduerſus eum tanquam in verum certumque tantæ enormitatis authorem, Sedem Apoſtolicam inſtigarent, Reſponſales Romam direxit, vt precum verecundia feruentem inuidiam temperaret. Qui cum Romam veniſſent, cunctis Regem Anglorum execrantibus ægre admiſſi ſunt. Conſtanter verò allegantes quòd Domini ſui mandato ſine conſenſu tantum facinus non fuiſſet commiſſum, tandem impetrauerunt vt à latere D. Papæ Legati in Gallias cum plenitudine poteſtatis mitterentur, qui re diligenter inquiſitâ & cognitâ eundem Regem vel ad purgationem famæ ſuæ admitterent, vel reum inuentum cenſurâ Eccleſiaſticâ coercerent. Quod & factum eſt. Miſſi enim à ſede Apoſtolica Cardinales duo venerabiles, ſcilicet Albertus qui poſtea eidem ſedi præfuit & Theodinus in Gallias venerunt, factoque in terrâ Regis Anglorum celebri Conuentu Eccleſiaſticorum virorum atque nobilium, eiuſdem Principis humiliter ibidem apparentis & conſtanter aſſerentis, quod ſua neque voluntate neque iuſſione, illud quo eius fama grauabatur contigerit, & quod de nulla re vnquam magis doluerit, purgationem ſolenniter ſuſceperunt. Sanè non negauit Homicidas illos ex aliquibus forte verbis incautius prolatis occaſionem anſamque tanti furoris ſuſcepiſſe cum ſuſpenſione Epiſcoporum accepto nuncio irâ immoderatiori abſorptus minus ſobriè loqueretur, & propter hoc, inquit, *Diſciplinam non refugio Chriſtianam, decernite quod placuerit, deuotè amplectar exequarque decretum.* Quo dicto & veſte abiecta iuxta morem publicè pœnitentium nudum ſe Eccleſiaſticæ ſubmiſit Diſciplinæ. Hac tanti Principis humilitate delectati & prægaudio lachrymati Cardinales collachrymantibus & Deum laudantibus plurimis confortatâ eiuſdem Principis conſcientiâ & famâ minus laborante ſoluerunt conuentum.

Sic ergo Rex abſolutus eſt, & interfectores 4. qui Hieroſolymam miſſi fuerant fortiter pugnando ibi interierunt, ſepultique ſunt ante fores Templi Hieroſolymitani cum hoc elogio, teſte Rogerio Houedenſi.

HIC IACENT MISERI QVI MARTYRIZAVERVNT B. THOMAM CANTVARIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Hinc ergo cœpit fama Regis minus laborare, & multi qui eius crudelitatem initio deteſtati fuerant, eiuſdem poſtea humilitatem & pœnitentiam admirati ſunt. Petrus Bleſenſis Epiſt. 66. ad M. Gualterum Archiepiſcopum Panormitanum, Regis ſui famam omni macula præclarè liberat. His verbis.

Quod autem de mente S. Martyris quæritis, in verbo Domini & in ordine Diaconi vobis dico me nullo modo habere in conſcientia ipſum huius rei culpabilem extitiſſe. Huiuſque fidem pleniſſimam vobis faciet D. Theodinus Portuenſis Epiſcopus & D. Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus noſtris legatione fungentes explorauerunt & innocentiam viri cognouerunt: atque ſub vmbra illius hæc à quibuſdam attentata fuiſſe totamque hanc iniquitatem à ſanctuario proceſſiſſe. Accepta ſiquidem ab eis Canonica purgatione illius, illi de mandato ſummi Pontificis publicè ſententiauerunt eum ab hoc crimine coram Deo & hominibus eſſe innoxium, & in quoſdam Magnates, quorum malitiam in hac parte manifeſtè conuicerant, notam infamiæ retorſerunt. Illud quoque noueritis D. Regem glorioſum Martyrem in omnibus anguſtiis ſuis Patronum habere præcipuum. Eadem ſiquidem die qua primò tumulum Martyris viſitauit, Regem Scotiæ perſecutorem & impugnatorem fortiſſimum captum vinculis carceralibus mancipauit. Continuatoque deinceps fauore ſucceſſuum ope Martyris de vniuerſis hoſtibus glorioſiſſimè triumphauit. Sciatis igitur certiſsimè quod Charitatem illam qua ſe olim Rex & Martyr mutuo dilexerant, neque mors neque

" gladius aboleuit: fortis enim eſt dilectio vt mors, & cum omnia tranſeant, Chari-
" tas nunquam excidit. Hæc eſt porta ſpecioſa quæ in ſubuerſione Hieruſalem in-
" tegra & intacta permanſit: cumque omnia euacuentur in morte, dilectio in mor-
" te non moritur, cuius fortitudini mors ſuecumbit. Regnum quidem *Angliæ quod*
" *aduerſus Regem Stephanum armis ſtrenuiſſimum ſudoribus obtinuerat bellicis, licet adoleſ-*
" *centulus & contemptus, filij eius conſilio & auxilio Regum & Principum circumiacen-*
" *tium, graui ſeditione turbauerant.*

" Accuſatus quoque fuerat Reginaldus Bathonienſis Epiſcopus electus. Negat ve-
" ro Bleſenſis Ep. 45. eum fuiſſe perſecutorem aut authorem facinoris: & ſi quid
" vel verbo, vel facto deliquerit, id ex ignorantia accidiſſe; vel certè quale-
" cunque fuit ipſius crimen, eleemoſynis, lachrymis pœniſque ſponte ſuſceptis ex-
" piatum fuiſſe. Sic ergo ait.

Arguitis & damnatis Reginaldum Bathonienſem electum, tanquam B. Thomæ Martyris perſecutor fuerit & occiſor. Scitis equidem quam periculoſum ſit homini innocenti notam tanti criminis inurere & aduerſus innoxium deteſtabilem ſuſcitare infamiam: quam cum abolere volueritis, ipſius excurſum non poteritis cohibere. Scio quia Martyrem dilexit ex corde & inter deſiderabilia huius mundi fuit in votis eius quandoque præcipuum familiaritati & obſequio Martyris adhærere. Beatus ſiquidem Martyr ſuſpenderat Patrem ſuum Saresberienſem Epiſcopum (Ioſſelinum) nec mirum eo tempore videbatur, ſi filius afflicto Patri compatiens quandoque durius ac minus conſultè de S. Martyre loquebatur. Nam & nos inſenſati vitam ipſius putabamus inſaniam & finem illius ſine honore; ſed computatus eſt inter filios Dei, & ſors illius inter electos. Quidquid faciebat Charitatis obtentu & zelo iuſtitiæ, in crimen odij & inuidiæ vertebatur. Sed contra quidquid machinabatur ad eius infamiam humana malitia, eidem conuertebat Dominus ad coronam... Si ergo Bathonienſis electus ſicut & nos omnes vitam martyris quandoque habuit in deriſum, ſi Patri ſuo beneficium relaxationis obtinere curauit, non eſt quod ei imputari debeat ad crimen. Sed & ſi aduerſus eum deliquit in aliquo, eum excuſabilem ignorantia facit. Eccleſiam Dei perſecutus ſum, dicit Apoſtolus, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Credo quod ſi ſanguis Abel clamat de terra vltionem, ſanguis mitiſſimi Martyris clamat remiſſionem peccatorum, in his maximè qui pœnitentiam agunt humilem & deuotam. Scio autem quantum exterioribus ſignis perpendere poteſt fragilitas. Quod ſi præfatus electus aliquid attentauit in contumeliam martyris, illud expiauit aſperitate cilicij largioribus eleemoſynis, lachrymis profuſioribus, & auſterioribus diſciplinis.

Gilbertus Londonienſis Epiſcopus ſimiliter accuſatus, quod eædem illam procuraſſet præſtito iuramento quod eam nec verbo, nec facto, nec ſcripto ſcienter procuraſſet, hoc eodem anno eſt ſuæ dignitati reſtitutus, quo anno pariter Henricus Rex iuuenis cum ſponſa ſua Margareta Ludouici Regis Franciæ filia menſe Auguſto in Angliam transfretauit 12. Kal. Sept. quos apud Vvintoniam Rothrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis in Regem & Reginam Angliæ denuo conſecrauit, ſibi miniſtrantibus quibuſdam Cantuarienſis Eccleſiæ ſuffraganeis, vt refert Mathæus.

Cæterum plurimi ſcriptores huius temporis vitam moreſque & ſingula acta B. Thomæ ſtylo perſecuti ſunt. Imprimis vero Alanus Teuſkeſburienſis Anglus **Abbas Monaſterij ad Confluentiam Auonæ & Sabrinæ ſiti, familiaris Thomæ**, eius vitam exiliumque libro vno complexus eſt. Ioannes Sareſberienſis exulis Comes, deinde Carnutum Pontifex. Herebertus de Boſham ex Archigrammateo B. Thomæ factus Beneuentanus Epiſcopus & Cardinalis geſta eius proſecutus eſt l. 1. ex quo duobuſque prioribus concinnatum opus & inſcriptum, *Vita & proceſſus S. Thomæ*; quod opus concinnatũ eſt à M. Stephano de Langetona Cantuarienſi quoque poſtea Archiepiſcopo, qui tranſlationẽ S. Thomæ inſtituit. Eadmus Grymeus eiuſdem Comes indiuiduus & Cruciger l. 1. Guillielmus Stephanides Monachus Cantuarienſis exilij comes vitam necemque cruentam lib. 1. complexus eſt. De viſionibus & ſpectris poſt mortem obſeruatis l. 1. Guil. Tyr. Belli ſacri c. 24. Epitomæ vitæ eius miraculorumque his concluſit verbis, *Contumeliis affectus pro perſecutoribus orans, capite cæſus, proprio ſanguine laureatus, felici commercio coronatus eſt, per quem pius & miſericors Deus in ſæpe dicta Eccleſia & vniuerſa Prouincia tot & tanta diebus pæne prope ſingulis operari dignatus eſt miracula, vt Apoſtolorum videantur innouata tempora.*

Hoc anno Robertus Antiſſiodoranſis ſcriptor Chronici nomen dedit Mariano

Canonicorum Regularium apud Antiſſiodorum Conuentui: tum natus annos ſexdecim: quam in rem ipſe hoc diſtichon compoſuit.

Annus hic ipſe mihi ſextus decimus fuit aui,
Quo mea Chriſte tuo præbeo colla iugo.

Eodem anno res accidit in Vniuerſitate Pariſienſi digna poſterorum memoriâ. Cum M. Silo Philoſophiæ profeſſor rogaſſet vnum è diſcipulis periculosè ægrotantem, vt ſi mori contingeret, ad ſe poſt mortem de ſtatu in quo eſſet, admonitu-rus rediret, ille Magiſtro apparuit, & ſuæ purgationis atque expiationis notas & indicia eius manibus impreſſit Quamobrem Silo tædio vitæ caducæ correptus & deſiderio melioris relictis ſcholis, conuenientibus ad matutinã lectionem Diſcipulis vale dicit & ad Ciſtercienſes ſe confert, quorum tunc ingens erat fama, & ſanctitas vitæ cognita. Huius conuerſionis meminerunt M. Petrus Cantor coæuus ſcriptor & teſtis oculatus, Iacobus à Voragine & Petrus de Natalibus, hocque modo eam enarrant. *M. Silo quendam ſuum ſcholarem ægrotantem obnixiſsimè roganit*, vt poſt mortem ad ſe rediret, & ſtatum ſuum ſibi renunciaret. Poſt aliquot igitur dies ſibi apparuit cũ cappa de purgamento, tota *de ſophiſmatibus* deſcripta & flammâ ignis tota confecta. Qui requiſitus à Magiſtro quinam eſſet, ait, Ille vtique ſum, qui ad te redire promiſi. Qui de ſtatu ſuo requiſitus ait: *Hæc Cappa* plus ſuper me ponderat & plus me premit, quàm ſi vnam turrim ſuper me haberem. Et eſt mihi data vt eam portem pro gloria quam *in ſophiſmatibus* habui. Pro flamma ignis quâ cooperta eſt, pelles ſunt delicatæ & variæ quas ferebam: quæ flamma me cruciat & exurit. Sed cum Magiſter illam pœnam facilem iudicaret, dixit ei defunctus vt manum oſtenderet, & facilitatem ſuæ pœnæ ſentire poſſet. Cumque manum extendiſſet, ille guttam vnam ſui ſudoris demiſit, quæ prædicti Magiſtri manum citius perforauit. Itaque cruciatum mirabilem ſenſit & ait, Talis totus eſt ignis. Ille ergo Magiſter ex illius pœnæ acerbitate perterritus ſeculum deliberauit deſerere, & Religionem intrare, vnde mane ſcholaſticis congregatis hos verſus compoſuit.

Conuerſio M. Silonis Philoſophiæ Profeſſoris.

Linguo Coax ranis, Cras coruis, vanaque vanis;
Ad Logicen pergo, quæ mortis non timet ergo.

Et ſic ſeculum deſerens ad Religionem confugit. Aliqui dicunt ad Claram-Vallem ſe contuliſſe, alij ad Ciſtercium, nec malè, nam Clare-Vallenſes è Ciſtercio profecti. Eandem Hiſtoriam refert Vincentius Bellouacus ſcriptor Temporum iſtorum propinquus in Speculo Morali part. 1. diſt. 26. *Dicitur quod cum quidam Scholaris videretur Pariſius mori valde pœnitens & compunctus, apparuit poſt mortem Magiſtro ſuo habens Cappam de ſchedulis conſcriptam diuerſis ſophiſmatibus. Et cum quæreret Magiſter qualiter eſſet ei? reſpondit, quod Cappa iſta plus ponderaret eum, quàm aliqua Turris de mundo, & quod intus incomparabiliter vreretur. Et cum alius diceret quomodo hoc eſſet, cùm ita mori compunctus viſus eſſet, ait, quod illæ lachrymæ potius ex timore mortis & gehennæ proceſſerunt, quàm ex amore Dei, vel ex amiſſione eius. Et cum diceret Magiſter, quod non videretur ita torqueri, extendit illi manus ſuas, & vnam guttam ſudoris ſui extendit* ſuper manum eius, quæ ſtatim perforata eſt, & ipſe euanuit. Tunc ipſe dicens:

Linquo Coax Ranis, Cras Coruis &c.

Eodem anno iacta ſunt ſemina funeſtiſſimi belli contra Henricum II. Angliæ Regem, Deo ita permittente, vt cædem B. Thomæ & perſecutionis longæ mala grauiſſima expiaret. Cum enim ille in Hibernia moraretur, vt gentem illam nondũ ſubactã ſubigeret, nonnulli rerum nouarum cupidi, & inter eos præcipui duo, *Hugo de Sainte-More* & *Radulfus de Faye* auunculus Alienoris Reginæ, Henrici III. Regis noui animum occuparunt, aientes indignum eſſe, vt ille qui Regis nomen haberet, nulla Regni parte gauderet, & veluti priuatus viueret, Patre interim tam multas gentes imperio premente. Itaque ſuaſerunt vt à Patre ſibi vel Angliam re

gendam, vel ſaltem Normaniam poſtularet. Latuit ſub cineribus hæc ig nis ſcintilla vſque ad annum ſequentem, quo in magnum incendium erupit ; vt infra docebitur.

De Electione M. Ioan. Sareſberienſis in Epiſcopum Carnotenſem.

Hoc anno M. Ioannes Sareſberienſis Thomæ exulis Comes aſſiduus procurante Willielmo Archiepiſcopo Senonenſi ad Carnotenſem Epiſcopatum promouetur ; quem ille ſatis diu, ita permittente Alexandro cum Archiepiſcopatu retinuerat : ſic enim hac de re Robertus de Monte in ſupplemento Sigeberti ad an. 1168. *Archiepiſcopo Senonenſi in fata concedente Willielmus electus Carnotenſis ei ſucceſſit, conceſſo tamen ei Epiſcopatu Carnotenſi per biennium à Papa Alexandro.* Extat ad M. Ioannem electum Capituli Carnotenſis Epiſtola apud Radulfum de Diceto ſcriptorem coæuum in Hiſtoria Henrici II. Anglorum Regis, quæ talis eſt de eius electione.

» Venerabili Domino ſuo & Patri Ioanni D. G. Carnotenſi electo Paſtoralis cu-
» ræ ſollicitudinem gerere ad ſalutem. Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Hinc
» eſt quod magnificat anima noſtra Dominum, & in Deo ſpiritus noſter exultauit,
» quia vos nobis in paſtorem electum non reuelauit caro & ſanguis : ſed pater no-
» ſter qui in cœlis eſt viſitans nos oriens ex alto. Sanè tam diſſona hominum vota,
» tot varias mentium voluntates adunare non potuit niſi ſpiritus vnitatis, adeo vt
» indubitanter ſit euidens, eum quem ſpiritus reuelauit, cœlitus deſtinatum. Curiæ
» cœleſti gaudium intuliſſe credimus, quod B. Virginis Eccleſia per ſpiritum S.
» concipiens delectum Deo & hominibus paſtorem germinauit.
» Acclamantibus itaque omnium votis deliberatum ſibi poſtulat, & ad dilectum
» & ad electum ſibi incunctanter aſpirat Carnotenſis Eccleſia, ſponſique deſiderio
» iam langueſcens, *oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui*, vrgeat amor Chriſti eum,
» qui Regis filiæ deſideratur amplexibus, & ſtimulis ſalutaribus compungatur,
» qui ad dei filios propagandos Chriſti gener eligitur, erubeſcat Regnum cælorum
» ſolus ingredi, cui Diuini germinis pompa glorioſa promittitur, & qui coronam
» auream creditur meruiſſe, glorioſi labore officij mereatur aureolam. Mittimus er-
» go ad vos ex Capitulo noſtro perſonas ſpectabiles, Decanum videlicet, Canto-
» rem & Cancellarium, qui Vniuerſitatis noſtræ mentem vobis offerant, & perſo-
» nam veſtram poſtulantes veſtri aduentus deſiderium viuâ vobis voce denun-
» cient.

Geruaſius in Chronico ait ad an. 1172. die feſto S. Magdalenæ veniſſe Cantuarienſem Decanum, Cantorem & plures Clericos Eccleſiæ Carnotenſis, eoſque ob honorem & amorem S. Thomæ Martyris & Cantuarienſis Eccleſiæ excellentiam exegiſſe in Capitulo Ioannem de Sareſberia ad regimen Carnotenſis Eccleſiæ. *Erat enim*, inquit, *hic Ioannes iuuentute ſua Cantor, Eccleſiæ Clericus, primò Theobaldo Archiepiſcopo, poſtea S. Thomæ etiam in exilio fideliter adhærens. Pronunciatâ itaque electione coram Conuentu Cantuarienſis Eccleſiæ & lectis Epiſtolis de conſenſu Capituli Carnotenſis deduxerunt electum ad altare Canonicis vocibus Deum collaudantes.*

Eiuſdem viri electionem Ludouicus Rex datis ad eum litteris comprobauit ob ſingularem ipſius cum D. Thoma olim Cantuarienſi Archiepiſcopo familiaritatem inſignemque doctrinam.

Ludouicus D. G. Francorum Rex amico ſuo chariſſimo M. Ioanni de Sareſberia Carnotenſi electo ſalutem cum ſincera dilectione. Quod Capitulum Carno-
» tenſe de Conſilio D. Senonenſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis Legati, vel Diui-
» no potius, vt credimus inſtinctu vos in paſtorem & Dominum pari voto & aſſen-
» ſu ſolenniter & canonicè elegerunt, gratum ducimus & acceptum B. Thomæ
» Martyris conſideratione, cuius familiaritatem meritis veſtris meruiſtis adipiſci,
» tum morum ſcientiæ veſtræ contemplatione. Eapropter diſcretionem veſtram
» monemus & precamur attentius, quatinus electioni de vobis factæ benignum
» præbentes aſſenſum, tam ſolenni & tam laudabili tantæ Eccleſiæ vocationi præ-
» ſentiæ veſtræ exhibitione ſatisfacere maturetis, ne noſtrum & Archiepiſcopi Se-
» nonenſis, qui ad hoc fideliter & efficaciter conſummandum laborauit, diutius ſuſ-
» pendatur deſiderium, & ſpes Eccleſiæ Carnotenſis morâ prolixiori torqueantur.
» Valete.

Legitur hæc Epiſtola apud eundem Radulfum de Diceto, qui ibidem ait, Ioannem

nem ab Anglorum ſubiectione tum liberum & abſolutum declaratum receptumque à Carnotenſibus cum hymnis & canticis & lætitia magna, eumque Senonis à Mauricio Ep. Pariſ. fuiſſe conſecratum 6. id. Aug. & Carnoti ſolenniter inthronizatum in Aſſumptione B. Virginis.

Hanc electionem congratulatur Petrus Cellenſis Vvillielmo Senonenſi, cuius operâ facta fuerat, ſicque ea de re loquitur Ep. 8 lib. 7. *In inſigni electione Carnotenſi de M. I[illegible]ellam matutinam produxit Deus de Theſauris ſuis.* Affuit affuit huic prædeſtinat[illegible] Dei partui vigilans ſagacitas Domini mei & manum obſtetricantem ſuppoſuit, ne abortum pateretur incommutabilis Dei prælectio. Deus tibi laus, tibi gratiarum actio, Archiepiſcope, tibi merces, tibi æterna remuneratio. *Hoc opus de raritate admirabile, de ſingularitate incomparabile, de puritate commendabile, de bonitate ſpeciali omnibus imitabile. Quando & vbi ſimile factum eſt in Regno Franciæ, vt remotis omnibus Simoniæ ſpeciebus, nullis munerum ſuffragiis incumbentibus, nullis Clientum vellicationibus, pruritum aurium excitantibus ſolus Dei honor & populi ſalus in Epiſcopali electione quæreretur?* Certè hoc in rationali & ſuperhumerali tuo, Pater amantiſſime, ſtylo ferreo, ungue adamantino ſcribetur, quod in vicariis Petri eligendis nulla te mouet humana gratia, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ auaritia. Trecenſem Epiſcopum, virum qui Miniſterium ſuum honorificauit, elegiſti & conſecraſti (Mathæum nomine) *Meldenſi Eccleſiæ tres viros honorificentiſſimos Domnum ſcilicet Cardinalem* (tit. S. Griſogoni) *M. Petrum & Simonem Archidiaconum viciſſim* aſſignaſti: ſed nunc ſuperlatiuè hominem de alia gente amore Dei tantummodo ductus in Eccleſia Carnotenſi ſubſtituiſti. Vbicunque hoc Euangelium prædicabitur, dicetur quod ſis amicus ſponſi, cum tam verax ſis & fidelis non iam in quærenda vxore Iſaac, ſed in inueniendo Ioſeph virum Mariæ. Verè Maria veneratur in Carnotenſi Eccleſia. Vere vir iſtè Ioannes pretioſo ſanguine B. Thomæ Pontificis & Martyris intinctus Lege Diuina ad plenum inſtructus, bonis moribus & piis actibus ornatus Apoſtolico ad Timotheum Catalogo virtutum bene depictus ad Dei honorem & ad veſtram perpetuam laudem columna facta eſt in Eccleſia Dei. *Reuiruit in nobis antiquus Apoſtolicæ ordinationis ramuſculus, cum pro Patribus filij vngebantur, imo pro panibus omni ſabbato calidi cum thure ſubſtituebantur panes.*

Petrus iſte Abbas S. Petri Cellenſis apud Trecas, deinde S. Remigij Remenſis Ioannem olim fouerat & propriis ſumptibus ſuſtentarat: vnde in Ep. 6. ad Archiepiſcopum Lundenſem, eum vocat Clericum ſuum. *M. Ioannes Sareſberienſis quondam Clericus noſter factus eſt Epiſcopus Carnotenſis.* Et lib. 7. Ep. 20. & 21. ad Cantuarienſem præſulem. *Sanctiſſimæ memoriæ Prædeceſſor veſter Archiepiſcopus Theobaldus de gremio & ſinu noſtro M. Ioannem Carnotenſem Epiſcopum inopem & pauperem ſuſcepit; ſed Deo iuuante vſque ad nomen magnorum, qui ſunt in terra, fomentis ſuis prouexit.*

Ipſe quoque Ioannes tanti beneficii memorem ſe præſtat & gratum Ep. 85. imprimis vero quod cum Thoma exul factus ab eo benignè fuiſſet exceptus & ſuſtentatus. *Non eſt nouum*, quod mihi veſtra benignitas alimentorum ſubſidia procurauit, quæ ſic meam in terra aliena paupertatem excepit, vt nec patris munus, nec maternus mihi deeſſe videretur affectus. Magnũ quidẽ erat ſic exuli prouidere, vt apud exteras Nationes ciuium commoditatibus fruerer, ſed multo maius eſt quod mihi diligentia veſtra proſpexit, ne à Natalis ſoli dulcedine, qua totius humani generis vniuerſitas capitur, perpetuo exularem. Veſtrum namque munus eſt quod reuerſus ſum in terram Natiuitatis meæ. *Veſtrum munus eſt, quod principum virorum aſſecutus ſum notitiam, familiaritatẽ gratiamque multorum. Veſtrum munus eſt, quòd florere in patria videar & authore Domino multis præferri conciuibus & coætaneis meis.* Sed quid eſt, quod liberalitatis & munificentiæ veſtræ titulos membratim exequor, cum illorum numerus & immenſitas ſic totum animum impleant, vt effluant, & totius mentis capacitatem exuperent? à Domino quidem, vt & illa ſola, quæ non ſufficio recordari, debeam meruiſſe quidquid ſum & poſſum. Obligatus itaque ſum, vt nulla gratiarum actione valeam liberari, cum merita veſtra omnes conatus meos abſorbeant, præſertim cum deuotio veſtra me ſibi continuis obliget beneficiis.

Petrus quoque Bleſenſis eidem M. Ioanni congratulatur talem promotionem, ſimulque gratias agit quod M. Petrum Bleſenſem cognominẽ ſuum promouiſſet,& vitã D. Thomæ Martyris elegãti ſtylo deſcripſiſſet. Sic ergo ille Ep. 114. *Dilectiſſimo Domino ſuo & Patri Ioanni L.G. Carnotenſi Epiſcopo* Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis ſalutem,& ſi quid eſt melius ſalute. Benedictus Dominus qui erexit vos in titulum & gloriam ſuæ laudis plantans vos quaſi oliuam fructiferam in Domo Domini ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, ad redimendum iuxta verbum Prophetæ diſperſos in gentibus & reducendum filios de longinquo. Clerus Bleſenſis cœleſtis arbitrij diſpenſatione proſcriptus vagus erat & profugus ſuper terram, donec eis datus eſt Epiſcopus animarum ſuarum, qui poſſet compati patientibus & ex longa experientia exulandi ſciret quàm humanum ſit exulibus miſereri. Vocatus ergo à Domino tanquam Aaron non acquieuiſtis ſtatim Carni & Sanguini, non Epiſcopalis munificentiæ gratiam à parentibus inchoaſtis, non ædificaſtis Sion in ſanguinibus; *ſed primitias beneficiorum veſtrorum conſecraſtis in eo quem me alterum ſentio, qui me totum gerit animo, vultu, nomine, cognomine & ſtatura. Ille iuxta ſuorum exigentiam meritorum, ſi ad vitam, ſi ad mores, ſi ad litteraturam reſpicias, dignus eſt vt ei plenioris gratiæ oleum infundatur.* Manus veſtræ myrrham primam diſtillauerunt, ſpero futurum iri, quod balſamum vberioris gratiæ reſudabunt. Recolo autem quid de promotione Noſtratum auribus meis inſtillauerit os illud ſecretius veritati & Euangelio conſecratum. Secretum meum mihi. Secretum meum mihi. Dabitis voci veſtræ vocem virtutis: nec inuenietur apud vos *Eſt* & *Non*; ſed in campis Geth & compitis Aſcalonis nominis veſtri gloria prædicabitur, vbi nuper ignominia exilij veſtri & infamiæ publicæ palpebris verſabatur. Benevalete. *Illud autem noueritis, quod de mandato D. Archiep.* (Vvill. Senon.) *ſcribere triumphum B. Thomæ Martyris attentaſſem, niſi mihi aliud ſcriptum fortuitus obtuliſſet euentus, in quo elegantia ſtyli M. Ioannis Saresberienſis exprimebat & linguam. Admirans ergo gratiam quæ diffuſa eſt in labiis veſtris, ſubſtiti; ne laudes quas lingua erudita dictauerat, indoctis humanæ ſapientiæ verbis & ſtylo degeneri deturparem & iniurius fierem Martyri, qui per inſufficientiam rudis ingenij tantæ magnificentiæ præconia decurtaſſem. Vale.*

Hæc dilectiſſimi Præceptoris promotio ad Epiſcopatum, hæc amici & cognominis ſui Petri Bleſenſis ad Canonicatum prouectio inſtimulauit animum Archidiaconi Bathonienſis: itaque nihil non egit, vt præpoſituram in Eccleſia Carnotenſi obtineret, aut Præbendam, quam tamẽ haud ſcio an viuo Ioanne obtinuerit, quem ſuâ apud Regem & magnates ambitioſâ petitione offendiſſe videtur: vnde ſe apud eum excuſat Ep. 130. *Audiui & turbatus ſum vehementer, quia quidam de tractores Deo odibiles*, ſicut dicit Apoſtolus, veſtræ gratiæ ſerenitatem mihi obnubilare conati ſunt ex bonitate veſtra ſumentes occaſionem malitiæ, vt quia vos altiſſimi miſericordia votis meis quandoque facilem & benignum exhibuit, ſimili, imo longè diſſimili facilitate vos contra me poſſint ad odium inclinare. Auſus eſt ſuſurro & bilinguis veſtræ diſcretioni conſulere me ad obtinendam Carnotenſis Eccleſiæ præpoſituram ſubſidia Regum & Comitum contra vos implo**raſſe. Sed de iuſtitia mea & conſcientiæ veſtræ puritate ſecurus emendicata ho**minum ſuffragia non requiro. Placet mihi, ſitamen beneplacitum eſt in oculis veſtris, vt cauſa mea in aleam controuerſiæ & euentum iudicij deducatur. Quod ſi miſericordiam & non iudicium erga me cogitatis, ſcripto veſtro quod de præpoſitura mihi feciſtis, authentico, Abbatibus etiam qui adfuerunt & veſtræ conſcientiæ committo.

Quanto autem deſiderio Præbendæ Carnotenſis teneretur Petrus, declarat Ep. 128. ad Vvillielmum Arch. Senon. *Me*, inquit, *ad obſequium ſuum plerique magnates promiſſionibus ſuis & donis alliciunt, ſed veſtra promiſſio & natiui dulcedo aeris me fortius trahunt, & maximè præbendæ Carnotenſis deſiderium, in quo mihi ſpem dediſtis, & ideo vberes & certos reditus veſtræ nudæ pollicitationi poſthabui.* Et Ep. 130. ad Ioannem Ep. Carnot. *In proximo Deo dante me totum B. Virginis obſequiis deputabo & veſtris, futurus vitula Ephraim, docta diligere trituram ad theſauros veſtræ conſcientiæ curram, pro quibus omnes ſeculi theſauros commutarem.*

Cum ergo reuiſendæ Patriæ tanto deſiderio teneretur, incredibili dolore affectus eſt, cum Præpoſiturâ Carnotenſi, lite priuatus eſt. Inuidi enim quidam illi

litem mouentes adeo inualuerant, vt nunquam potuerit aſſequi quòd tanto- «
pere cupiebat. Itaque ſortem ſuam cum gemitu & ſuſpiriis deplorat apud «
Decanum Carnotenſem & Archidiaconum Bleſenſem EPISTOL. 49. *Patior, pa-* «
tior vehementer & non eſt qui compatiatur, qui miſereatur afflicto. Miſeremi- «
ni mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici, quoniam manus Domini tetigit me. Diu laboraui in gemitu meo, ſed nunc materiam gemitus deduco publicam, ideo & verba mea dolore ſunt plena. Exitus aquarum deducunt oculi mei, «
& torrentes effluunt lachrymarum... Domini noſtri Carnotenſes quorum frater & «
Canonicus eram, quos ex toto interiore homine diligebam, verbum iniquum «
conſtituerunt aduerſum me. Poſuerunt mihi mala pro bonis & odium pro dile- «
ctione mea. In cauſa ſiquidem quam habebam aduerſus R. Sareſberienſem ſuper «
Præpoſitura Carnotenſi quam adhuc mihi vendico tanquam meam, iudicibus «
noſtris infames litteras porrexerunt, meique Patris vitam nequiſſimè deprauantes «
ſic nomen meum denigrare conati ſunt. Contra mortuum & aduerſus innocen- «
tem inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Deum teſtor «
& innocentiam Chriſti, Patrem meum vixiſſe innocenter & ſanctè: fuit enim «
homo ſimplex & rectus ac timens Deum ſine querela & dolo, & manſuetus & «
mitis & humilis. Quod quidem non adeo confidenter aſſererem, niſi quia id- «
ipſum vos & tota Prouincia cognouiſtis. Indubitanter ſcitis quod ſi Pater meus «
fuiſſet litteris imbutus, prudentia & ſancta eius conuerſatio copioſiſſimè ſuffeciſ «
ſet ad regimen eminentiſſimæ dignitatis. Confidenter extollo & prædico Patrem «
meum, cuius me malo filium eſſe quàm illius nobilis proditoris, à quo noſter «
æmulus, ſicut ſcitis, iactitat ſe fuiſſe progenitum.... In domo Dei, in Eccleſia B. «
Virginis Carnotenſis cuius Canonicus eram, amicus illius eſſe credebar, cuius «
erant cogitationes in malum, qui ſub lingua blandiente venenum aſpidum nutrio- «
bat. Propoſueram certè in Eccleſia & obſequio B. Virginis & morari & mori. De- «
ſiderium mihi erat Eccleſiæ neceſſitates in me ſuſcipere, meiſque pro ea militare «
ſtipendiis, viuere omnibus, labore & incommoditate proprij corporis commodita- «
tes omnium procurare. Nunquid redditur pro bono malum? quia foderunt mihi «
amici mei foueam in præcipitium atque in neceſſitate mea proximi mei aduer- «
ſum me ſteterunt.

Porro ille quem hîc Competitorem habet, videtur eſſe Robertus Sareſberienſis nepos Epiſcopi, quem olim Patruo commendauerat, pluribus rationibus oſtendens Ep. 70. nepotes pauperes & honeſtos eſſe potius ad Beneficia Eccleſiaſtica promouendos, quàm extraneos. ET Ep. 170. quam ſupra retulimus, excuſat ſe apud Ioannem Epiſ. quod videretur prędicto Roberto nepoti inuidere, quaſi preſentiens futurum vt illum ſe ſpreto promoueri curaret. Fuerat autem Robertus ille diſſolutus, quem ipſe quoque Bleſenſis è vitiis retrahere conatus fuerat.

Anno 1173. B. Thomæ Cantuarienſis Martyris Feſtum ab Alexandro III. inſtitutum eſt, eâ diè à Fidelibus celebrandum, quâ gladijs impiorum occubuit, nim. 3. kal. Ian. Auditis enim miraculis quæ ad eius tumulum Dei operâ patrabantur, Pontifex ad ſuffraganeos Eccleſiæ Cantuar. & ad omnes Chriſti Fideles haſce litteras dedit. 1173.

Feſtum S. Thomæ Martyris inſtituitur.

Alexander Epiſcopus.... Redolet Anglia fragantia & virtute ſignorum, quæ per me-
rita illius Sancti & venerandi viri Thomæ quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi Om-
nipotens Deus operatur, & vniuerſa vbique lætatur Fidelium Chriſtiana Religio; pro eo
quod ille qui eſt mirabilis & glorioſus in ſanctis, ſanctum ſuum poſt mortem clarificauit,
cuius vita laudabilis multâ fulſit gloriâ meritorum; & tandem martyrio conſumma- «
ta eſt certaminis glorioſi. Quamuis autem de ſanctitate ipſius dubitare non poſ- «
ſit, qui eius laudabilem conuerſationem attendit & glorioſam conſiderat paſ- «
ſionem, voluit tamen Redemptor atque Saluator noſter eius ſanctitatis inſignia «
magnificis radiare miraculis, quæ iugiter per ſancti illius viri merita fieri vniuerſi- «
tas narrat fidelium, & ſuper his non ſine magno gaudio per dilectos fratres no- «
ſtros Albertum tituli S. Laurentij in Lucina & Theodinum tituli S. Vitalis pres- «
byteros Cardinales atque Apoſtolicę ſedis Legatos, qui eadem miracula tantò «
perſpicacius didicerunt, quantò amplius ſunt loco vicini, præcipuè certiores ef- «
fecti, & plurium aliarum perſonarum teſtimonio fidem ſicut debuimus exhi- «
bentes, prædictum Archiepiſcopum ſolemniter in Eccleſia magna ibidem Cleri- «

torum & Laïcorum Collegio præſente in capite ieiunij deliberato fratrum noſtrorum Conſilio, *Canonizauimus ipſumque decreuimus Sanctorum Catalogo adſcribendum. Vniuerſitatem itaque veſtram monemus, & authoritate qua fungimur, diſtrictè præcipimus, vt Natalem Thomæ Martyris glorioſi Cantuarienſis olim Archiepiſcopi, diem videlicet paſſionis eius ſolemniter ſub annis ſingulis celebretis, & apud eum votiuis orationibus ſatagatis peccatorum veniam promereri, vt qui pro Chriſto in vita exilium, & in morte virtutis conſtantiâ martyrium pertulit paſſionis, fidelium iugi ſupplicatione interpellatus apud Deum pro nobis intercedat. Datum Signiæ 4. id. Martij.*

Et quoniam, inquit Mathæus, ſuffraganei eius debitam patri reuerentiam, aut exulanti, aut ab exilio reuertenti, vel etiam reuerſo non exibuerant, ſed potius fuerant eum perſecuti, vt ſuum publicè omnibus confiterentur errorem & iniquitatem, ex ore vnius Epiſcopi, omnium Epiſcoporum eſt expreſſa confeſſio dicentis. ADESTO SVPPLICATIONIBVS NOSTRIS, VT QVI EX INIQVITATE NOSTRA REOS NOS ESSE COGNOSCIMVS, B. THOMÆ MARTYRIS TVI ATQVE PONTIFICIS INTERCESSIONE LIBEREMVR.

Eodem anno in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus eſt primum Regerus Abbas Beccenſis; ſed quia ſe tantâ dignitate indignum tantoque oneri imparem exiſtimauit, ei ſubſtitutus eſt Richardus natione Normanus, Academiæ quoque Pariſienſis alumnus: qui artium liberalium Scholas egreſſus Eccleſiæ Cantuarienſi ſe addixerat & proceſſu temporis Theobaldi Archiepiſcopi Capellanus fuerat, eique cum Thoma ſedulò miniſtrarat; poſtremò tandem Douerenſis Prior factus fuerat: electus verò libere à clero Anglicano ab Henrico Rege nouo prohibitus eſt adire ſedem Cantuar. Itaque præmiſſis Romam Nuntijs ſuis paulo poſt ipſe profectus eſt, & in eius gratiam de tota ipſius electione ſcripſit ad Papam Arnulphus Lexouienſis Epiſtolam quæ legitur in 2. tomo Spicileg. Dacher. quæque talis eſt.

» Quæ detrimenta, quos labores, quas iniurias Eccleſia Cantuarienſis hac tem-
» peſtate pertulerit, veſtra compaſſio non ignorat. Verùm afflictam diutiùs, & mi-
» ſerabili mœrore confectam & miſerator & miſericors Dominus oculo miſericor-
» diæ reſpexit ad præſens, ipſamque cœpit ad ſtatum priſtinæ dignitatis & excel-
» lentiæ per gloriosa Beati Thomæ noui Martyris magnalia reuocare, quibus eam
» frequentiùs magnificentia diuinæ majeſtatis illuſtrat. Certum eſt autem ibi no-
» uiter quoddam inter cætera contigiſſe miraculum, quod nulla ſpes anteà, nulla
» fiducia præſumebat: ſcilicet quòd ibi perſona ad regimen Eccleſiæ ſine deſi-
» gnatione laïcæ poteſtatis electa eſt, cùm ibi nullus anteà promoueri potuerit, ni-
» ſi de quo priùs potentia ſecularis edixit. Siquidem cùm opus illud ad veterem
» abuſum reuocari multis fuiſſet artibus attentatum, per merita prædicti Martyris
» omnis ſemper machinatio eluſa aſt; quia ea, quam ipſe ibi proprio redemerat
» ſanguine libertatem, perſonæ committi non pertulit, cuius non electio libera,
» & canonicus probaretur ingreſſus. Si enim tam recenter conualere veteris ritum
» violentiæ contigiſſet, inanis fortaſſe à pluribus pretioſi ſanguinis reputaretur ef-
» fuſio, & in defectum decertata tot laboribus victoria concidiſſe. Cæterùm nunc
» tota prouincia in ſpecie optatæ tanto tempore libertatis aſpirat, & confirmatum
» Chriſti ſanguine teſtamentum nouo gaudet iterum ſanguine conſignari.
» Omnium igitur adtriumphum nouiter euictæ libertatis concurrente licentia,
» exorato ſpiritu, & eos in vnum ſuauiter dirigente conſenſum, electus eſt vir cu-
» ius religio, cuius magnificentia tanto operi idonea crederetur, quòd non exter-
» nis indicijs, ſed inter domeſtica clauſtra per longum tempus ipſis rerum conſti-
» terat argumentis. Nulla inuidia, nulla ambitio, nulla denique vis obuiare præ-
» ſumpſit: quoniam Sanctus ille ſucceſſoris ſui conſecrare videbatur initia, & alta-
» ri, cuius ipſe ſacerdos extiterat, gratum ſibi ſubſtituere ſacerdotem: felicitati
» temporum veſtrorum hæc licentia ſeruabatur, ut hoc ad veſtrorum accederet
» gloriam titulorum; ſcilicet quod vbique virtus veſtra ſuam reſtituerit Eccleſiæ
» libertatem. Benedictus autem Deus qui ad conſenſum hunc deuoti filii veſtri
» ſenioris Regis animum inclinauit, factúmque hoc debito fauore proſequitur,
» quod aliquando conſueuerat deſignatione neceſſariâ præuenire.
» Verùm filius, quem ad ſuccedendum ſibi in Regno fecit præmatura patris af-

fectio conſecrati, tanto bono cœpit obſiſtere, eorum ſcilicet impellente conſilio
qui eum de ſinu patris abſtrahere potuerunt, & ſimplicitatem adoleſcentiæ eius
in proprium magis quàm in patris conuertere detrimentum. Studium igitur eo-
rum eſt ipſum patri ſemper opponere, vt ex omnibus cauſis inter eos quæ ipſi
ſeminauerunt odia conualeſcant, ne aliquando conuerſus ad cor debitum gratiæ
naturalis agnoſcere, & ad paternos incipiat redire complexus. Super quo pru-
dentiam veſtram neceſſe eſt ſollicitè prouidere, ne violentia neceſſariæ deſigna-
tionis quæ in patre per gratiam Dei & gloriam veſtram penitus expirauit, intui-
tu manſuetudinis, vel diſſimulationis veſtræ reſurgat in filio, ne tam ſublata
quam tranſlata videatur in alium, tantoque vehementior paret inſiſtere, quantò
paternam abrenuntiationem propoſito ſuo conſiderat obuiare. Perſonam itaque
in qua deſideratæ diu libertatis cœperunt initia conſecrari, benignè ſuſcipite, ip-
ſique ad executionem tanti operis neceſſariam de magnificentia virtutis Apo-
ſtolicæ conferte fiduciam, vt primitiæ veſtræ veſtris ſemper auſpicijs conualeſ-
cant, & læto conſummentur effectu. Ad vos omnium fidelium oculi, ad vos
omnium Eccleſiarum vota ſuſpirant, vt ex hoc qui libertatem habent, retinendi
fiduciam, & qui non habent, ſpem concipiant obtinendi. Ad hæc, hoc opus, hoc
ſtudium, hæc Martyris illius iugis fuit intentio, Eccleſiæ cui præerat redimere li-
bertatem. Hic laboris fructus, hæc merces ſanguinis, hoc præmium paſſionis.
Quia verò ille hunc velut hæredem & ſucceſſorem conſeruandæ libertatis ele-
git, glorioſum vobis eſt cooperari Martyri; & ipſius initijs veſtrum addere com-
plementum, vt operationi eius operatio veſtra velut eodem ſpiritu vegetata con-
currat. Ipſum ergo ad opus ad quod tam ſanctè, tam celebriter aſſumptus eſt,
cum feſtinatione remittite, ne de abſentia eius occaſionem malitia contrahat, &
rediuiua potentiæ ſæcularis incipiant germina pullulare, ſed per iſtum Beatitudo
veſtra renaſcentes paruulos teneat, & allidat ad petram: ſublatoque priſtinæ ſer-
uitutis elogio Eccleſia Dei lætabundè procedat, meritiſque illius, & veſtris, de
antiqua ſemper iniquitate triumphans hoſtibus ſuis incipiat apparere terribilis vt
caſtrorum acies ordinata. Porrò intelligat ſapientia veſtra, non ſolùm Prouinciæ
illius & Regni, ſed aliorum etiam Regnorum deſideria ſupplicare ad quæcun-
que Sancti illius tam relatione quàm præſenti inſpectione magnalia peruene-
runt.

Porro Richardus annum Romæ moratus poſt varias cum Legatis Henrici Iu-
nioris concertationes tandem acceptâ Pontificiâ benedictione conſecratus rediit
in Angliam. Ei inter cæteros ex Academicis Pariſienſibus ſe addixerunt M. Ge-
rardus Puella & M. Petrus Bleſenſis, vt ex ſequentibus patebit.

Bellum Anglicanum Ciuile.

Quoniam autem in Hiſtoriam rerum Anglicarum recidimus, hoc anno tan-
dem erupit incendium, ea quâ diximus ex cauſâ ortum: quod Angliam cæteraſ-
que Henrici ditiones certiſſimâ clade obruiſſet, niſi pax poſt paulum coaluiſſet.
Ex vna enim parte coniurauerant aduerſus Henricum Patrem Henricus filius &
fratres Richardus & Ioannes cum Alconora matre; Ludouicus quoque Franco-
rum Rex ad eaſdem partes acceſſit, & plurimi Optimates, Duces & Principes.
Henrici Patris partes quoque multi clari Duces ſequebantur, ſed præſertim cau-
ſa melior. Nec dubitatum, quin hoc ei malum obnecem B. Thomæ accidiſſet.
Huic ce autem componendo diſſidio allaborarunt inter cæteros Rothrodus Ar-
chiepiſcopus Rotomagenſis, & Richardus Cantuarienſis viri magnæ famæ &
authoritatis. Sic ergo Rothrodus Henricum filium ab incepto reuocare conatur
apud Bleſenſem Ep. 37.

Quoniam ex officio nobis iniunctæ adminiſtrationis incumbit animarum cu-
ram agere, quarum exactiſſimam rationem diſtrictus Iudex in examine terribili
poſtulabit à nobis, excellentiæ tuæ quæſumus non ſit oneri, ſi te deprecamur
vt Dominum, hortamur vt Regem, monemus vt filium: nec enim alligatum, eſt
in ore noſtro verbum Domini, ſed in ſpiritu libertatis loquimur, quod ſalutem
animabus, quod quietem populis, quod Eccleſiæ libertatem, quod honorem
Deo & patriæ liberationem conferat, atque de erroris inuio ad viam virtutis &
Iuſtitiæ te reducas. Non attendis, fili clariſſime, quia inceperis, nec incepti ope-
ris metiris exitum, votis odientium te feſtinas ſatisfacere & in proprium caput
prouocas inimicum. Non barbaras impugnas Nationes, ſed familiares & dome-

» ſticos; non extraneas regiones, non hoſtiles munitiones inuadis, ſed tuas: ſub-
» iectum tibi affligis populum, non rebellem, non hoſtem, ſed patrem, imò non
» patrem perſequeris ſed te ipſum. Pater ſiquidem tuus poſthabitâ corporis &
» animæ ſuæ curâ ſe omni labori & diſcrimini exponebat, vt tuum faceret;
» quod nunc vis facere tuum: & vt verius loquar, quod intendis facere, ne
» ſit tuum. Magis non tuum facies pugnando, quod paterna tibi ceſſio, quod gene-
» rale votum populi, quod Iuramenta Principum, quod hereditaria ſucceſſio de-
» ferebat. Quod Rex & Princeps pacificè poſſidebas, hoc tyrannus & inuaſor ſpo-
» liatione Eccleſiarum, oppreſſione pauperum, incendiis & homicidiis & ad vlti-
» mum parricidio nunc vſurpas. Parricidæ ſiquidem cenſentur, qui in parentes ar-
» mati inſurgunt, quos & leges ſeculi damnant & Canones à beneficio ſucceſſio-
» nis excludunt. Ius tuum in iniuriam conuertiſti, dum quod æquitas offerebat,
» per iniquitatem extorquere intendis: quod ſanè puerile dicerem, niſi quia hoc
» malitiam prouectæ ætatis excedit. Si cum Patre venias ad conflictum, dubium
» eſt, vtrum tibi expediat aut vinci aut vincere..... Francorum igitur Gentibus ſuc-
» ceſſit ad votum. Normaniam enim eorum imminentem ceruicibus, quam ſem-
» per munitam & inexpugnabilem inuenerant, nunc ex omni parte te mediante
» demuniunt, vt nec de cætero caput contra eos erigere, nec incurſus hoſtiles va-
» leant ſuſtinere. *O leuitas adoleſcentiæ deploranda!* nec mirum. *Si enim tibi Deus cur-*
» *ſum vitæ longioris indulſerit, flebis ætate prouectior quod amittis impubes;* nec erit tunc
» locus pœnitendi, cum res in eam deſolationem venerit, vt reformari non poſſit.
» Tibi, dilectiſſime fili, licet amarè, tamen ex amore ſic loquor. Inconſultos enim
» animi tui motus æquanimiter tolerare non poſſum. Et vtinam mors quam me co-
» gis optare, præueniſſet hos dies, quibus te patris & patriæ perſecutorem conſpi-
» cio; quibus te amicum hoſtibus tuis & amicis hoſtem intueor: quibus in eo ſtatu
» te video, quaſi gladium tuo gutturi affixiſſes. *Ad hæc ſcias Andeliacum vnicum eſſe*
» *ſubſidium vitæ noſtræ. Ipſum tuæ committo cuſtodiæ. Si prædonibus & Incendiariis Ande-*
» *liacum expoſueris, mihi viuendi materiam adimes, qui das animum moriendi.*

Similiter ad Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum magnæ apud Ludouicum Regem authoritatis ſcribit, vt ipſum ab incendiis & deuaſtatione Rothomagi dimoueat, quod ea terra ſit ei ſubiecta, quod ipſe eius cuſtos eſſe debeat & patronus. *Recordetur*, inquit, *Rex Francorum Rothomagenſem Eccleſiam ſuam eſſe, quæ pro illo aſſiduè tanquam pro Rege ſuo vnico ſpecialiter interpellat, ſuaſque facultates omninò de eius iuriſdictione cognoſcit: Regiæ maieſtati non congruit depopulari quod ſuum eſt, aut illas expugnare Eccleſias, quarum tutor eſt & Patronus. Andeliacum ergo & alias poſſeſſiones ipſius & veſtræ protectioni committimus & tutelæ.*

Ipſe quoque Henricus Rex Pater videns ſe vndequaque à filiis vrgeri & ab iis qui eorum fautores erant, Rege Franciæ, Rege Scotiæ, Comitibus Pictauienſi & Flandrenſi aliiſque plurimis Principibus, coactus eſt ad Alexandrum Pontificem confugere, & auxilium Vaticanum contra filios implorare. Eius ad eum Epiſtolam ſcripſit Petrus Bleſenſis, tunc ipſius Secretarius, eſtque numero & ordine 136.

» *Sanctiſſimo* Domino ſuo Alexandro D. G. Catholicæ Eccleſiæ ſummo Ponti-
» fici Henricus Rex Angliæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegauen-
» ſis & Cenomanenſis ſalutem & deuotæ ſubiectionis obſequium. *In magnorum*
» *diſcriminum anguſtiis, vbi domeſtica conſilia remedium non inueniunt, eorum ſuffragia*
» *implorantur, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbauit.*
» *Longè latéque diuulgata eſt filiorum meorum malitia, quos ita in exitium Patris ſpiritus*
» *iniquitatis armauit, vt gloriam reputent & triumphum, patrem perſequi & filiales affe-*
» *ctus in omnibus diffiteri, præueniente meorum exigentiâ delictorum.* Vbi pleniorem
» voluptatem contulerat mihi Dominus, ibi grauius me flagellat: & quod ſine la-
» chrymis non dico, contra ſanguinem meum & viſcera mea cogor odium morta-
» le concipere, & extraneos mihi quærere ſucceſſores. Illud præterea ſub ſilentio
» præterire non poſſum, quod amici mei receſſerunt à me, & Domeſtici mei quę-
» runt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos intoxicauit clande-
» ſtina coniuratio, vt obſeruantiæ proditoriæ conſpirationis vniuerſa poſt habeant.
» Malunt namque meis adhærere filiis contra me transfugæ & mendici, quàm reg-
» nare mecum & in ampliſſimis dignitatibus præfulgere. Quoniam ergo vos extu-

lit Deus in eminentiam Officij Paſtoralis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, licet abſens corpore, præſens tamen animo me veſtris aduoluo genibus conſilium ſalutare depoſcens. Veſtræ Iuriſdictionis eſt Regnum Angliæ, & quantum ad feudatorij Iuris obligationem vobis duntaxat obnoxius teneor & adſtringor. Experiatur Anglia, quid poſſit Romanus Pontifex; & quia materialibus armis non vtitur, Patrimonium B. Petri ſpirituali gladio tueatur. Contumeliam filiorum poteram armis rebellibus propulſare, ſed patrem non poſſum exuere. Nam & Ieremia teſtante *nudauerunt Lamiæ mammas ſuas, lactauerunt catulos ſuos.* Et licet errata eorum quaſi mentis efferatæ me fecerint, retineo paternos affectus, & quandam violentiam diligendi eos mihi conditio naturalis importat. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Lactant filios meos Domeſtici hoſtes, & occaſione malignandi habitâ non deſiſtunt, quouſque redigatur virtus eorum in puluerem, & conuerſo capite in caudam, ſerui eorum dominentur eis iuxta verbum illud Salomonis, *Seruus aſtutus filio dominabitur imprudenti.* Excitet ergo prudentiam veſtram ſpiritus conſilij, vt conuertatis corda filiorum ad Patrem. Cor enim patris pro beneplacito veſtro conuertetur ad filios, & in fide illius per quem Reges regnant, veſtræ magnitudini promitto me diſpoſitioni veſtræ in omnibus pariturum. *Vos Eccleſiæ ſuæ, Pater ſancte, diu Chriſtus ſeruet incolumem.*

Alexander Pontifex his acceptis litteris mandat Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo, vt Henricum filium & fratres, alioſque Regis Henrici ſenioris impugnatores anathemate percellat; quod ille priuſquam facit, Henricum filium admonet, quid ferant litteræ Pontificiæ, ſeque coactum iri parere mandatis, niſi reſipiſcat, & Patri reconciliari curet. Extat Epiſtola apud Bleſenſem ordine 47. cuius hoc eſt exordium. *Si quid durum tibi locuturi ſumus,* Illuſtriſſime Princeps, *ſuſtine patienter.* In fine verò. *Quod ſi noſtro & ſuffraganeorum noſtrorum conſilio, qui ſuper hoc generaliter tibi ſcribunt, acquieſcere & conſentire detrectes, ſcias nos recepiſſe à ſummo Pontifice in mandatis vt te & omnes qui pacem Domini tui turbant, ſublato appellationis remedio excommunicationis vinculo innodemus. Noſque mandatum nobis iniunctum licet inuiti & dolentes prompto effectu & debita reuerentia, niſi infra 15. dies reſipueris, proſequemur.*

Comminationes iſtas ſpernit Henricus Iunior: itaque Richardus apud Cadomum eum anathematis fulmine ferit, ſimulque alios omnes ſubditos, qui in caput Patris & Regis ſui coniuraverant: qua de re Bleſenſis certiorem facit Radulfum Andegauenſem Epiſcop. Ep. 69. *Nouum ſiquidem à D. Papa noueritis emanaſſe mandatum, vt quicunque pacem D. Regis turbant, appellatione remotâ excommunicationis vinculo adſtringantur. Hac authoritate fretus D. Cantuarienſis omnes D. Regis impugnatores apud Cadomum nuper excommunicauit, nec Regi Iuniori, nec alij exceptionis gratiam fecit. Illud autem certiſſimè teneatis ipſum nunquam aliquem excommunicaſſe, qui aut non moreretur in proximo, aut cuius non operiret faciem ſubita & improuiſa confuſio. Excratis itaque gladium Petri, vt ad debitæ fidelitatis obſeruantiam compellantur inuiti, qui ſpontanea voluntate pro ſalute Principis ſe mori & carceri debuerant obiecisſe.*

Armis ſpiritualibus adiutus Henricus reſumit animos quos improuiſa cõiuratio abſtulerat, filiumq; inſtructiſſimo exercitu & validis copiis iam à pluribus diebus Vernolium obſidentem fugat: deinde accitis Brabantionibus, ſtipendiariis militibus Dolum oppidum in minore Britannia liberat, incluſos capit; inter cæteros Ceſtrenſem Comitem, & Radulfum de Fulgeriis alioſque nobiles & optimates fere centum. In Anglia quoque multa præclarè gerit & feliciter, donec tandem hoſtes ſuos ſecum pacem paciſci cogit.

Miſerrima fuit clades iſta & tanto miſerior, quod pater eodem clauo retrudere cogeretur clauos filij, ſcilicet copiis Brabantionum, quas magno numero filius habebat in exercitu. Vnde ſic ad eum Richardus Cantuarienſis apud Bleſenſem Ep. 47. *Vnde hoc tibi, quod Barbantionum factus es ductor, Gentique excommunicatæ & perditiſſimæ adhæſiſti, vt perderes deuotiſſimam tibi gentem? In quo te offendit? in quo gratiam tuam demeruit Pater tuus?*

Video Brabantiones ſeu Brabantes illos fuiſſe valde exoſos omnibus bonis, veluti prædones & incendiarios. Vnde Iacobus de Vitriaco l. 7. Hiſtor. Occident.

commemorans ſcommata, quibus ſe ſe viciſſim perſtringebant Scholaſtici diuerſarum Prouinciarum, *Brabantes viros ſanguinum*, inquit, *Incendiarios, Rutarios & Raptores appellabant.*

Hancce autem pluſquam belluinam filiorum à Patre defectionem apud ſe recogitans Nicolaus Ricuellenſis hoſce finxit de mundi contemptu verſus.

Quam breuis & nulla eſt totius gloria mundi,
Mente tua recolas. Henricus purpura Regum,
Et Paris abſque pari forma Flos vnicus orbis,
Militiaque decus, Rex inclytus, Hector in armis,
Duxque Britannorum Gaufridus, & ille Ioannes
Qui cumulauit opes, vbi ſunt? mors ſuſtulit illos
Floruit Henricus quaſi Carolus: alter Vlyſſes
Senſu, Crœſus erat opibus, poſt pauper Amyclas.
Occaſu metire diem, non ſolis ab ortu.
Felix auſpiciis, fructu fœcunda propago
Prima fuit, ſed poſt roſa marcuit in ſaliuncam.
Membra caput lacerant.... genitura parentem.

Floruit iſte Poëta ſub finem huius ſeculi & ſub Honorio adhuc III. Pontifice. In his autem verſibus per Paridem intelligit Henricum III. qui patri & Patriæ bellum intulit, & per R. Richardum fratrem, qui Anglicanum & ipſe Regnum poſt Henricum tenuit.

Conqueſti quoque ſunt apud Pontificem Filij Regis, quod à patre detinerentur ſuæ coniuges; & hanc cauſam armorum prætexebat Ludouicus: itaque Pontifex æquitati & iuſtitiæ incumbens non fauori partium, mandauit Anglicanis Prælatis vt patrem Henricum admonerent, curarentque ſuis maritis coniuges reſtitui, ſi ſecus fieret, in iis Prouinciis in quibus detinerentur, iuberent ab omni officio diuino abſtineri.

Eodem anno obiit inſignis ille Theologorum Coryphæus M. Richardus à S. Victore Prior Domûs ordine quintus. Nam Gilduinus Primus Prior vulgò cenſetur, qui deinde Abbas factus. 2. Prior M. Thomas, qui pro Iuſtitia trucidatus eſt. 3. Odo aſſumptus ad Abbatiam S. Genouefæ an. 1148. & primus illius Abbas conſtitutus. 4. Nanterus, qui obiit pridie idus Ian. an. 1162. 5. M. Richardus vſque ad diem 10. Martij huius anni. A Gilduino primo Abbate veſtem Canonicam accepit. M. Hugonis Diſcipulus fuit. Ad officium Supprioris aſſumptus eſt an. 1159. Nantero tunc Priore & Achardo Abbate. Anno 1162. Nantero ſucceſſit, in Prioratu. An. 1164. Alexandrum III. ſummum Pontificem excepit in Abbatia San-Victorina.

De M. Gualtero de S. Victore.

Richardo ſucceſſit M. Gualterus à S. Victore inſignis quoque Theologus, qui Petrum Abaëlardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictauinum & Gilbertum Porretanum hæreſeos inſimulauit, quod Trinitatis cæteraque Diuina myſteria Ariſtotelicis regulis & præceptis enarrarent: **contra quos 4. libros compoſuit**, qui apud S. Victorem extant manuſcripti in duobus exemplaribus: quorum vni hic titulus præfigitur CONTRA MANIFESTAS ET DAMNATAS ETIAM IN CONCILIIS HÆRESES, QVAS SOPHISTÆ ABAELARDVS, LOMBARDVS, PETRVS PICTAVINVS ET GILBERTVS PORRETANVS LIBRIS SENTENTIARVM SVARVM ACVVNT, LIMANT, ROBORANT.

Prologus ſic incipit. *Quiſquis hoc legerit, non dubitabit 4. labyrinthos Franciæ id. Abaelardum & Lombardum, Petrum Pictauinum & Gilbertum Porretanum vno ſpiritu Ariſtotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis ſcholaſticâ leuitate tractarent, multas hæreſes olim vomuiſſe, & adhuc errores pullulare.* Et lib. 4 *Dialectici, quorum Ariſtoteles Princeps eſt, ſolent argumentationum retia tendere & vagam Rhetoricæ libertatem & ſyllogiſmorum ſpineta concludere. Hi ergo in eo totos dies & noctes terunt, vt interrogent, vel reſpondeant, vel dent propoſitiones, vel accipiant, aſſumant, affirment atque concludant.* Et poſt pauca: Ex his nempe Dialecticorum Regulis, *ſunt ſententiæ Abaëlardi, Porretæ &c.* Et de Petro Pictauino ſic habet. *Sicut enim rerum, ita propoſitionum infinita conuerſio eſt; vnum idemque verum eſt & falſum, & neutrum*

trum adhibitis mille differentiis facillime negat & probat. Si eis credis utrum Deus, ab non Deus, vtrum Chriſtus homo, an non homo, aliquid an non aliquid, nihil, an non nihil, vtrum Chriſtus, an non Chriſtus ſit, neſcis, & ſic de cæteris.

Porro Gualterus iſte, & Ioachimus Abbas Florenſis aliique nonnulli id effecerunt, vt Alexander quaſdam propoſitiones Lombardi damnaret: quam in rem extat eius Epiſtola ad Willielmum Senonenſem Archiepiſcopum, cæterarum verò fieret indiculus, quas docere non liceret: eæque ſunt quæ ad calcem Sententiarum deſignantur hoc modo, *Articuli in quibus Magiſter Sententiarum communiter non tenetur.*

Epiſtola Alexandri adv villiel mum Senonenſem contra Petri Lombardi Doctrinam.

Ad hæc itaque tempora reuocanda eſt Epiſtola Alexandri Pontificis ad Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum contra Petri Lombardi doctrinam: eo quod in quibuſdam ſcriptis ſuis ab articulis fidei deuiaſſe videretur. Talis autem eſt apud Mathæum.

Alexander Seruus Seruorum Dei... Vvillielmo Senonenſi Archiepiſcopo ſalutem & Ap. Ben. Cum in noſtra olim eſſes præſentia conſtitutus, tibi viua voce iniunximus, vt ſuffraganeis tuis *Pariſius* tibi aſcitis ad abrogationem prauæ Doctrinæ *Petri quondam Pariſienſis Epiſcopi*, quâ dicitur *quod Chriſtus ſecundum quod eſt homo, non eſt aliquid*, omnino intenderes & efficacem operam adhiberes. Inde ſiquidem eſt quod fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quod tibi, cum præſens eſſes, præcepimus, Suffraganeos tuos *Pariſius* conuoces, & vnà cum illis & aliis viris Religioſis & prudentibus præſcriptam Doctrinam ſtudeas penitus abrogare, & à Magiſtris & Scholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem præcipias edoceri; Vniuerſis firmiter & diſtrictè iniungens, quod Doctrinam illam de cætero nequaquam docere præſumant, ſed ipſam penitus deteſtentur.

Quid ſtatutum ſuper ea re à Willielmo fuerit, non habemus: credibile tamen eſt nihil contra illam Lombardi Doctrinam decretum: nam eodem Mathæo teſte ad an. 1179. ſtetit hęc altercatio indeterminata à diebus Alexandri Papæ vſque ad tempora Innocentij III. per annos multos, ſedentibus ſucceſſiuè in Cathedra Ro. Lucio, Gregorio, Clemente & Cœleſtino pontificibus Romanis. Quibus ſuccedens Innocentius III. an. 1215. in Concilio Lateranenſi libellum quem Abbas Ioachim aduerſus Lombardum compoſuerat, damnauit.

Prædicti autem Lombardi Petrus Pictauinus Diſcipulus, vt fuerat ei addictiſſimus, ita Doctrinam quam ab eo hauſerat, acerrimè defendebat, ſed quia multos habebat æmulos, ſentiebatque ſe ſine nobili aliquo Patrocinio in Academiæ ſcholis ſubſiſtere non poſſe, Diſtinctiones ſeu libros quinque Sententiarum edidit & Guillielmo Archiepiſcopo Senonenſi tum litteratorum omnium Mecenati dedicauit. Epiſtolam eius dedicatoriam placet hîc inſerere.

Ad D. Gvillelmvm archiepiscopvm Senonensem.

In deſerto manna colligentes alius integrum *Gomor*, alius plus, alius minus pro ſua quiſque auiditate colligebat. Nobiſcum bene agitur, ſi poſt magnum laborem, de eo quod aliis reſiduum eſt, medietatem *Gomor* colligere datum fuerit. In eo quippe laboris noſtri fiduciam ponimus, quod nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus. Sic vtique nos ſi ad altiora verbi Dei penetranda myſteria, *Gomor* perficere nequiuimus, à Deo perficiendum exſpectantes dimidium *Gomor* perficere diſperſa & præ ſui tenuitate manus colligentium ſubterfugientia, vel duas aut tres oliuas ſuperſtites poſt excuſſionem ad aceruum portamus. Diſputabilia igitur ſacræ ſcripturæ, vt rudimentis ad eam accedentium conſulamus, in ſeriem redigentes, inordinata in ordinẽ redigimus, inueterata per modeſtam inquiſitionem renouamus, ſolutiones vt de medio montium fluxerunt, adhibemus: vbi vero ſcriptura tacuerit, ſumpto pleno pugillo de ſimila, quod reliquum eſt, de ſacrificio filiis Aaron dimittimus. Quod ſi nec illi ediſſeruerint, donec ſole incaleſcente manna liquefiat, quod de agno comedere non poterimus, igni cremandum relinquemus. Huius autem operis, tibi PATER INCLYTE VVILLIELME PRÆSVL SENONENSIS, limam reſeruauimus, cui & ſcientia ad diſcernendum, & facundia ad erudiendum, & mores exuberant ad exemplum. Tuæ igitur bonitatis erit, ſi

„ cur tuus eſt mos, humilibus fauere, opus humiliter elaboratum paternâ manu ſuſ-
„ cipere, ſuſceptum ſplendore correctionis illuſtrare, correctis authoritatem præbe-
„ re. Ordinem quoq; quinque partitionum diſtinximus. In prima agẽdo de fide Tri-
„ nitatis: in 2. rationalis creaturæ. In 3. de reparatione, quæ facta eſt per virtutum re-
„ ſtitutionem. In 4 de ea quæ ſemel facta eſt per incarnationem. In 5. de ea quę quo-
„ tidie fit per ſacramentorum participationem.

Fuit autem iſte Petrus poſt Comeſtorem & Hilduinum Cancellarius Pariſien-ſis ſub finem huius ſeculi, & duo-de quadraginta annis Theologicam Cathedram rexit in ſcholis Atrienſibus. Contra quem ſcripſit prædictus Gualterus de S. Victo. re tanquam contra hæreticum, cuius hæc verba expendens. *Huius operis, tibi inclyte Vvillielme Præſul Senonenſis, limam reſeruauimus. Tuæ ergo erit bonitatis opus ſplendore correctionis illuſtrare, correctis auctoritatem præbere*, ſubdit *vah*, inquit, *tuo operi non debetur lima ſed gehenna. Omnis Catholicus qui legit, non dubitat.*

Hæreſeos iſtius, quam vocat *Nichilianiſtarum* qui negabant Chriſtum eſſe aliquid, primarium authorem Petrum Abaelardum conſtituit, cuius præmittit propoſitionem initio lib. 1. & c. 1. quæ talis erat.

De intelligentia harum locutionum *Deus factus eſt homo*, *Deus eſt homo*, an his „ locutionibus dicatur *Deus factus eſſe aliquid, vel non*, Oritur hic quæſtio valde dif-„ ficilis. Quæritur enim vtrum in his locutionibus *Deus factus eſt homo*, *filius Dei fa-„ ctus eſt filius hominis*, *Deus eſt homo*, *& homo eſt Deus*, dicatur Deus factus eſſe ali-„ quid, vel eſſe aliquid, vel aliquid dicatur eſſe Deus, vel quæ ſit intelligentia „ earum. In ſolutione huius quæſtionis magna inter Doctores cõtrarietas inuenitur. „ Dicunt enim quidam quod *homo aſſumptus non eſt Deus*, *non eſt perſona*, *non eſt fi-„ lius Dei*, *non eſt Rex ſeculorum, non Dominus gloriæ*, *nec etiam ſecundum eoſdem*, *homo „ nec filius hominis*, *nec filius Virginis*, *nec aliquid quod ſit homo vel Deus*. Et quod fi-„ lius Dei nõ eſt niſi id quod fuit ab æterno, ſed Deus tantũ. Et quando Deus factus „ eſt homo, non eſt factus aliquid. Per hominem enim aſſumptum non intelligunt „ niſi carnem & animam. Dicunt etiam prædicti quod ex anima & carne Chriſti „ nihil eſt compoſitum, nec id quod eſt homo nec aliud, ſed verbum duobus ſcili-„ cet anima & corpore quaſi indumento veſtitum: & ideo verus homo factus di-„ citur, quia veritatem carnis & animæ accepit; qui etiam ſecundum habitum „ tantum Deum hominem factum dicunt. Et ſic ſecundum iſtos dicitur homo, quia „ homo hominem accepit, & eſſe homo quia habet hominem, vel quia eſt habens „ hominem: & homo eſt factus Deus, quia aſſumptus eſt à Deo, & homo eſſe Deus „ *quia habens hominem eſt Deus.*

Contra iſtam opinionem pugnat Gualterus Authoritatibus ſanctorum Doctorum, Auguſtini, Hilarij, Anſelmi Cantuarienſis, Hugonis de S. Victore & aliorum. Sic ergo c. 2. *Auguſtinus ait in libro de Trin. Cum legitur verbum Caro factum eſt,* „ *in Verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnoſco verum hominis filium, & vtrumque* „ *ſimul unam perſonam, Deum & hominem ineffabilis gratiæ largitate coniunctum.* Idem „ in Enchiridio. *Chriſtus verè Deus de Deo eſt, homo autem natus de Spiritu S. ex Maria* „ *Virgine.* Vtrumque ſubſtantia Diuina ſcilicet & humana filius eſt vnicus Dei Patris „ **omnipotentis, de quo procedit Spiritus S. vtrinq; vnus.** Sed aliud propter verbum, „ aliud propter hominem. Non duo filij Deus & homo, ſed vnus Dei filius. *Deus ſine* „ *initio, homo à certo initio.* Item in eodem. *Quid natura humana in Chriſto homine me-* „ *ruit* vt in vnitatem perſonæ vnici filij Dei ſingulariter aſſumpta eſſet? quæ bona „ voluntas, quæ bona opera præceſſerunt quibus mereretur iſte homo vna fieri per-„ ſona cum Deo? nunquid antea homo & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum „ eſt, vt ſingulariter promereretur Deum? *Nempe ex quo homo cœpit eſſe, non aliud cœpit eſſe homo quàm Dei filius, & hic vnicus & propterea Dei verbum quod ab illo ſuſce-pta Caro facta eſt.*

Poſtquam multa eiuſmodi loca S. Auguſtini retulit Gualterus, Cap. 3. ſubiungit, quæ ſequuntur. *Quero ab his qui dicunt Chriſtum non eſſe aliquid in eo quod eſt* „ *homo*, quid per *me* ſignificetur cum dicitur. *Pater maior me eſt.* Vel quod eſt „ Chriſtus, vel quod non eſt Chriſtus. Si dicatur aliquid quod non eſt Chriſtus per „ *Me* ſignificari in illo loco, conſequens eſt, vt Chriſtus dicat ſe eſſe aliquid quod „ ipſe non eſt, quod non conuenit veritati. Item ſi aliquid per *me* ſignificatur „ quod non eſt Chriſtus, illud eſt vel ſubſtantia increata vel creata. Sed nulla „

maior eſt patre : ſi autem ſubſtantia increata eſt , vel eſt rationalis vel irrationalis : ſed ſubſtantia irrationalis eſſe non poteſt : ergo eſt ſubſtantia rationalis : & ſic Angelica vel humana : ſed Angelica non eſt , ergo humana. Oportet itaque ibi ſignificari ſubſtantiam creatam & rationalem & humanam id. hominem conſtantem ex anima & carne. Vnde dicit Auguſtinus, quod pars cum dicitur *Verbum caro factum eſt* ponitur pro toto ſcilicet homine. Neceſſario ergo homo eſt aliquod totum , cuius pars ſit Caro , & illud totum ſit Chriſtus. Vnde idem dicit. Deus in æternam perſonam Diuinitatis temporalem accepit ſubſtantiam carnis. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum; ad Deum meum & Deum veſtrum.* Si Chriſtus non eſt aliqua ſubſtantia creata ,non habet Deum,quia tantum Creatura Deus eſt. Sed ipſe dicit ſe habere Deum;neceſſario ergo eſt aliquid quod habet Deum & Creatorem.

Dicitur alibi quod tota eſt vnio hominis & Dei,quod totum Deus , totum homo. Si enim ſic intelligatur, *Deus eſt homo* , ideſt hominem habet, ſic poteſt dici *Anima eſt caro* id eſt habet Carnem. Auguſtinus dicit ſuper Ioannem. *Quid aliud eſt verbum Dei & aliud homo* , quid hîc per hominem ſignificatur ? ſi enim vt Quidam opinantur hîc per hominem anima & caro intelligitur & non aliquid compoſitum ex duobus, dicere debent,aliud eſt verbum Dei , aliud eſt homo, cum per hominem plura , & non vnum ſignificetur. Item Auguſt. dicit alibi ſuper Ep. ad Coloſſ. *Homo excellentius aſſumptus perſonam gerit ſapientiæ.* Item dicit authoritas. *Qui deſcendit* , ideſt Deus , & qui aſcendit,id eſt homo. Dicit enim expoſitor quod Diuinitas & humanitas ſunt eadem perſona. Vnde Leo Papa. Mirabilior nobis ſit in Deo humilitas quàm potentia ; & difficilius capitur à nobis Maieſtatis,diuinæ exinanitio , quàm ſeruilis formæ ſumma prouectio.

Et poſt multa c. 11. ſic habet. *Concedunt nobiſcum quia Chriſtus eſt homo...* Nos quidem ſic intelligimus, imo omnes Catholici intellexerũt *Chriſtus eſt homo*,id eſt Subſtantia creata conſtans ex corpore& anima. Ipſi ſic exponunt,*(chriſtus eſt homo,* ideſt habens *hominem*, ſi Chriſtus non eſt homo eadẽ ſignificatione qua aliquis ex nobis,quomodo frater noſter eſt ?Petrus homo erat,non hominẽ habebat,Chriſtus homo erat , id. hominem habebat, vt iſti exponunt. Nunquid ergo licet pluraliter inferre , Ergo Chriſtus & Petrus homines erant. Item nonne paſſibilis & mortalis erat ſicut vnus ex nobis ? ſi ergo paſſibile poteſt nobis & illi in eadem ſignificatione conuenire,quare non homo ? quare potius concedimus accidentia nobis & illi eſſe communia,quàm non eſſe hominem. Nunquid conuenit nobiſcum in accidentalibus,& non in ſubſtantialibus?

Denique in toto primo libro 18. capitibus contento multis rationibus & authoritatibus tam Scripturæ quàm Sanctorum Patrum pugnat cum eodem Abaelardo probatque Chriſtum verè fuiſſe hominem & Deum ſubſtantialiter, ac proinde falſum eſſe quod dicebat abſolutè *Chriſtum non eſſe aliquid.* In 2. verò lib. multas quoque impugnat Petri Lombardi propoſitiones circa Trinitatis & Incarnationis myſteria,eaſque ſimiliter hæreticas eſſe plurimis rationibus & authoritatibus demonſtrare conatur : vt cap. 4. vbi refert Lombardi verba de perſona naturam humanam aſſumente, dicentis ſcilicet Chriſtum prout homo eſt non poſſe dici perſonam in Trinitate, alioqui *Quaternitas* perſonarum eſſet ſtatuenda , non *Trinitas. Hinc*, inquit, *Petrus Lombardus diabolicis argumentis commentatur Chriſtum , ſecundum quod homo, perſona eſt tertia in Trinitate, ergo Deus.* tanquam dicens. Si ſecundum quod homo perſona , & ſecundum quod Verbum perſona, & Spiritus S. perſona & Pater perſona. Item ſi ſecundum quod homo Deus , & ſecundum quod Verbum Deus,& Spiritus S. Deus., & Pater Deus : ergo Quaternitas. Adhuc peius commentans ſubdit, *Propter hæc* inquit, *& alia inconuenientia Quidam dicunt Chriſtum ſecundum hominem non eſſe perſonam nec aliquid* , ſubaudit in Trinitate. *Rogo tu es Magiſter in Iſraël & Epiſcopus licet Simoniacè intruſus in Eccleſia & ſic blaſphemas ?* Chriſtus & ſecundum quod homo & ſecundum quod Deus nunquam duæ ſed vna ſemper in Trinitate perſona , quam diuidi ſecariue nulla ratio ſinit. Quod prorſus nullus Catholicorum dubitat. Quod & tu ſi crederes, nunquam de vna eademque Dei & hominis perſona tanquam de duabus argumenta hæretica poſteris legenda tam ſubtiliter ſcriberes,imò damnares.

Idem Gualterus contra Lombardum & Petrum Pictauinum ſcribens l. 3. c. 2.

& 3. qui inter cæteras ridiculas & inutiles Quæſtiones quas Diſcipulis ſuis in ſcripturis tradebant, hanc propoſuerant, *An potuerit Deus aſſumere hominem in ſexu mulieris*, & an potuerit *Mulier dici Deus, & è conuerſo.* Et pro affirmatiua pugnantes multa producebant teſtimonia. Eiuſmodi inquam Quæſtiones damnatas fuiſſe ait ab Alexandro Pontifice. *Talibus mille malleis meritò conteri poſſet os pudum*, quo Deus mulier eſſentialiter & filius effœminari potuiſſe blaſphemantur, niſi nimium puderet vel audire. Vnde merito Alexander Papa cenſuit damnari huiuſmodi ſententias, quibus tam nefanda de incarnatione latrantibus quaſi pro magno proponuntur, quæ proculdubio melius tacerentur: imò prorſus iuſto iudicio ab omni Chriſtiano comburerentur. Non enim Doctores ſed Gentiles, non denique Chriſtiani, ſed planè Iudæi & Hæretici huiuſmodi blaſphemias vomunt. At *tu Vniuerſalis Magiſter* qui & Hæreticos & etiam Catholicos Patres cogis quaſi coram te de authoritatibus ſuis ad voluntatem tuam ludere, & tu quid credis? quid profiteris? quid inquam determinas? *Lombardus.* Satis inquit, diligenter diuerſorum ſententias abſque aſſertione & præiudicio tractaui. *Imò damna blaſphemias, ne te hæreticum probes, nec enim dubia ſed hæreſes damnatas proponis.*

Eundem Lombardum reprehendit, quod quæ ſua eſſet ſententia, nunquam fere aperiret; ſed triplicem vulgo de omni Quæſtione proponeret opinionem, quarum prima eorum erat qui nec Hæretici nec Catholici verè dici poterant. 2. Eorum qui manifeſtè Catholici erant. 3. Denique eorum qui abſque vllo dubio cenſendi erant hæretici. Omnes verò authoritatibus Sacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum, rationibus quoque & argumentis dialecticis confirmabat, non determinans quæ vera eſſet & tenenda, aiens nolle ſe vt lectori ſua ſufficeret diſputatio. *Verumtamen*, inquit, *nolo iſtam ſibi* id. Lectori *noſtram ſufficere diſputationem.* Hoccine eſt illud plurimum vtilitatis, quod promiſeras Lectoribus tuis? vt omnes errores æqualiter hauriant, & quæ ſit fides Catholica, iterum omnes dubitent. Auertat Deus ab Eccleſia tales *Doctrinas varias*, vt dicit Apoſtolus, & peregrinas, taleſque *Doctores errantes* & in errorem mittentes. Si enim fundatiſſimam & indubitabilem fidem ſolaque Euangelica teſtimonia ſuperius ſcripta iſti fideliter legiſſent, procul dubio talia deliramenta olim in Conciliis damnata non ſcriberent.

Contra eundem Lombardum pluribus agit lib. 2. vbi hæreticis propoſitionibus ſubiungit ex aduerſo Catholicas & ab Eccleſia receptas: quâ de re Nos in ſynopſi huius ſeculi.

Ad hunc quoque annum, quæ fuerit M. Petri Comeſtoris fama, ſic ſcribit Chronologiſtes Antiſſiodorenſis. *Petrus Comeſtor celebris habetur in Francia Magiſtrorum Pariſienſium Primas, vir facundiſsimus & in ſcripturis Diuinis excellenter inſtructus, qui vtriuſque teſtamenti hiſtorias vno compingens volumine, opus edidit ſatis vtile, ſatis gratum ex diuerſis hiſtoriis compilatum.*

De Librariis Pariſienſibus.

Hiſce temporibus Bibliopolæ videntur iam tum addicti fuiſſe Vniuerſitati Pariſienſi: nam cum Petrus Bleſenſis libros emiſſet Iuris Ciuilis à quodam Bibliopola etiam pretio numerato, ſed propter nimiam feſtinationem auferre non potuiſſet, poſtmodum vbi didicit alium quendam maiori pretio perſoluto illos abſtuliſſe, queſtus eſt, rogauitque M. Ernaldum Bleſenſem Collegam quondã ſuum & amicum in Academia & Scholis Pariſ. Iuris tunc Ciuilis profeſſorem, vt curaret eos ſibi reſtitui, ſubdens rationes multas è Iure Ciuili petitas, quibus illos ſibi deberi conteſtabatur. Sic ergo ille Ep. 71. ad Magiſtrum prædictum.

Cum Dominus Rex Anglorum me nuper ad D. Regem Francorum Nuncium deſtinaſſet, libri legum vænales Pariſius oblati ſunt mihi ab illo B. publico mangone Librorum. Qui cum ad opus cuiuſdam nepotis mei idonei viderentur, conueni cum eo de pretio, & eos apud Venditorem dimittens, ei pretium numeraui. Superueniente verò C. Saxeburgenſi Præpoſito, ſicut audiui, plus obtulit, & licitatione vincens libros de domo Venditoris per violentiam aſportauit. Quoniam igitur ad eum qui me miſit, redire maturius me oportet, voſque moram facturus eſtis *Pariſius*, pleniſſimam habens in veſtra diſcretione fiduciam, vobis prædicti procurationem negotii committo, aut ſi moram *Pariſius* aliqua vobis neceſſitas interdicit. M. Hugoni Genuenſi ſub litterarum mearum teſtimonio committatis

Cum enim ratione Ciuili alienis negotiis exactissima diligentia debeatur, scio quod si præsenti causæ cui plurimum assistit æquitas, solicitæ impenderitis Procurationis officium, intentio nostra cum honore & fructu veniet ad effectum. Nam licet rei venditæ aut donatæ aut ex causa relicti debitæ non soleat sine traditione transferri dominium, hîc tamen habeo vtilem actionem in rem, per quam contendo libros mihi exhiberi & tradi. Et ad hoc facit lex illa Digestorum ad Municipalem de Iure omnium Incolarum. Et lex 3. de Liberis exhibēdis. Sed & libertum meum cuius possessionem nunquam habui, sic peto; item & filium adiecta causa ex Iure Quiritum. Itē Ciuis aut Ciuitas Decurionem suum; vt in Instit. §. *præiudiciales* & ff. De rei vindicatione l. 1. §. per hunc Cod. de *Agricolis* & censitis L. *quisquis* & l. *omnes* C. de Colonis Palestinis & cod. de Colonis Palestinæ & cod. de Colonis Thracensibus. Cod de fugitiuis Colonis. Ex Municipiis etiam & Colonis l. 2. & 3. In his omnibus vindico rem, cuius possessionem nunquam nactus sum. Sed nec in omnibus his traditionis aut possessionis fit mentio. Nam & libertum petam non traditum aut possessum. Alioquin quid fiet, si statim post manumissionē se contendat ingenuū, aut si ius patronatus emerim à Patrono, etsi non possederim tamen ago. Etsi Pater mihi assignauerit Libertum, citra omnem traditionem aut possessionem Patre mortuo ipsum peto. Item si debitor paratus erat soluere, deinde conuenit vt retineret pecuniam in causam crediti, contrahitur mutuum, quia creditor intelligitur recepisse & illi dedisse. Vt Dig. de Rebus Creditis L. Singularia. Expressa similitudinis forma videor libros ab Emptore recepisse & in causam depositi commisisse. Præterea traditio alia est vera, quæ fit interueniente corporali tactu, vnde dicitur; *traditionibus & vsucapionibus rerum dominia acquiruntur vt* Cod. de pactis L. de Traditionibus. Alia fit per fictionē iuris, quæ triplex est: fit enim per Constitutionē vt Cod. de Donationib. L. Quisquis Dig. de rei venditione. L. Mulier. de acquirenda possessione. L. Interdum. Alia fit per celebritatem vnius actus, qui alium occultat, vt Dig. de Donationibus inter virum & vxorem L. hæc ratio. §. sciendum in medio paragraphi. Alia fit ex appositione custodis, vt Dig. de acquirenda possession. L. *Quarundam*, Hac breui deliberatione vsus sum, non vt vos instruam, qui estis in Iure Ciuili præcipuus, sed vt ad subtiliora vos excitem. Informe principium vos informabit ad optima. Scriptum est enim. *Da sapienti occasionem & sapientior erit*. Nam & riuulus ex cursu continuo in magnum plerunque stagnum exuberat, & scintilla incendij ventorum suffragio se porrigit in immensum.

Anno 1174. scribunt omnes Historici Anglicani Henricum II. Regem pœnitentiam publicam egisse ad tumulum S. Thomæ Martyris, quem in vita malè persecutus fuerat. Rebus enim in Normania & Aquitania pro tempore satis bene compositis, in Angliam quò maior belli moles ruebat, à fidelibus suis aduocatus antequam aggrederetur quidquam, humilitate suâ Deum flectere conatus est. Et primum quidem conscensis nauibus apud Barbefluuium, cum ventum non haberet opportunum, nec mare pacatum, existimans ista esse suæ cladis prognostica, erectis in cœlum oculis, hæc ad Deum verba fecit cunctis audientibus, quæ leguntur apud Mathæum. *Si ea quæ ad pacem sunt Cleri & populi habeam in proposito, si pacem in aduentu meo dare Rex Cœlorum disposuerit, tunc pro sua misericordia indulgeat mihi portum salutis. Si autem aduersus fuerit, & Regnum Angliæ in virga furoris visitare decreuerit, nunquam mihi concedat fines attingere Regionis.*

1174. *Pœnitentia publica Henrici Regis Anglorum ad tumulū. D. Thomæ Cantuar.*

Hac oratione finitâ secuta est tranquillitas maris, & ipse cum suis facilè ad portus Anglicanos applicuit: tum in pane ieiunans & aquâ ab ingressu Ciuitatum abstinuit, donec Cantuariam peruenisset, ibique vota quæ mente conceperat, Thomæ Martyri glorioso persoluisset. Quò cum peruentum est, equo desiliens & Regiam maiestatem deponens, nudus pedes, faciem peregrinantis, pœnitentis & supplicantis assumens 3. id. Iunij feriâ sextâ ad Ecclesiam Maiorem profectus cum gemitibus & suspiriis velut alter Ezechias, lachrymarumque affluentiâ petiit *Martyris Gloriosi* sepulchrum. Vbi toto corpore prostratus manibusque in cœlum expansis diutius in oratione permansit. Interim per os Episcopi Londoniensis (verba sunt Mathæi) *sermonem ad populum habentis Rex Deum & B. Martyrem in animam suam inuocans*, publicè protestatus est, quòd mortem Martyris nec mandasset, nec voluisset, nec artificio suo perquisisset. Sed quo-

niam interfectores Martyris glorioſi ex verbis ſuis non ſatis circunſpectè prolatis occaſionem ſumpſerant Archiepiſcopum perimendi, ab Epiſcopis qui tum aderant, abſolutionem petiit, *Carnemque ſuam nudam Diſciplinæ virgarum ſupponens, à ſingulis viris Religioſis* (id. Monachis Cantuarienſibus) *quorum multitudo magna conuenerat, ictus ternos vel quinos excepit.*

At Willielmus Neubrigenſis l. 2. c. 34. ait eum ingreſſum fuiſſe Capitulum Monachorum & virgis ibi exceptum. *Ingreſſus Capitulum Monachorum proſtratus humi humillimè veniam poſtulauit & propriæ petitionis inſtantia, à cunctis per ordinem fratribus, virgis eſt vir tantus corporaliter caſtigatus. Sequenti verò nocte cuidam Venerabili eiuſdem Eccleſiæ Monacho ſeniori dictum eſt in ſomnis: Nonne vidiſti hodie humilitatis Regis tam grande miraculum? ſcito quòd in breui quantum hæc Regia humilitas Regi Regum placuerit, rerum quæ circa ipſum gerentur, exitus declarabit.*

» Eandem Hiſtoriam perſpicuè complectitur Rogerius Houëdenſis Hiſtoricus
» Anglus, qui ſequentis ſeculi initio floruit. *Antequam Ciuitatem intraret*, inquit,
» *vt ipſam vidit Metropolitanam Eccleſiam*, in qua martyr requieſcit, mox incredibi-
» liter humiliatus & deuotus exinaniuit ſe poteſtate tantâ, pauperis ſerui formam
» induit, nudis pedibus totoque nudato corpore præterquam vili quadam tunicâ
» ſuper nudo amictus, & pedes & nudus ſic palam in omnium conſpectu Ciuita-
» tem intrauit, & per vicos & plateas Ciuitatis luteas tanquam de plebeis viliſſimis
» vnus abiectè ſic inceſſit. Ecce Dauid alter, qui quemadmodum dilecto filio ſuo
» Abſalone ob peccatum ipſum perſequente nudis plantis Ciuitatem exiuit, ita iſte
» ſecundus Dauid ingreditur. Et ita ſuſpiriis & gemitibus tot Gentibus & Natio-
» nibus tremebundus ipſe timens & tremens adiit Martyris ſepulturam, vbi totâ
» illâ aduentus ſui die & nocte ſequente ieiunus & peruigil ante Martyrem perno-
» ctauit. Non fallor, nec enim dubito, ſicut gemebundas & pias ante martyrem
» quem adeo dilexerat, & à quo tantùm dilectus fuerat, orationes effundens, eius
» nec dubium, meritis, orationibus & patrociniis in tam arcto, toto cordis affectu
» ſe commendans, quod citò poſt rerum exitus comprobauit. Ibidem tam coram
» martyris ſepultura quàm coram ipſo martyre ſancto illo & venerabili fratrum cœ-
» tu conuocato, à ſingulis virgæ Diſciplinalis percuſſiones ſingulas, velut quaſdam
» ſecundas Quadragenas Apoſtolicas, imò Regias nouas, & ſicut arbitror vſque
» tunc inauditas accepit.

Hanc tam humilem tamque publicam pœnitentiam ſecuta eſt mira rerum Anglicarum proſperitas & felicitas. Nam ex hac die, quæ fuit dies ſabbati, immenſæ hoſtium opes viresque corruere & langueſcere cœperunt. Imprimis verò, quod mirum dictu eſt, eâ ipſâ die & horâ quâ B. Thomæ ſupplicabat, captus eſt Rex Scotiæ hoſtis infenſiſſimus. Sic enim hac de reſcribit Herebertus. *Omnibus itaque in tanta* humilitate & deuotione conſummatis Rex peregrinus in craſtino poſt Miſſam ante Martyris ſepulchrum celebratam de Martyre, maculatis
» ſic pedibus, vt humiliter coram martyre venerat, nec etiam refocillatus in ſpe
» multa patrocinij per Martyrem in breui futuri receſſit. Enimvero quod dictu mi-
» rum, & ad Martyris gloriam & ad Regis pœnitentialem deuotionem commen-
» dandam non eſt tacendum, ipſo die, ſicut nouit mundus, & Rex ipſe fatetur dignatus eſt, quo vt diximus ante Martyrem & de Martyre Miſſa, Martyre affectuo-
» ſiſſimè ſalutato quaſi à Martyre benignè licentiatus receſſit, ipſo inquam die,
» qui dies Sabbati tunc erat, eadem die & horâ quâ Miſſæ interfuerat, Rex Scoto-
» rum captus eſt, inter multos & magnos Regis inimicos, ipſe tunc maximus aut
» de maximis à militibus quibuſdam paucis & mediæ manus hominibus, qui inter
» paucos Regi ſeniori fauebant, interceptus eſt, & tanquam gladio non extracto
» nec militiæ illato, ſed ſicut ſine pugna & plaga captus quodam ſicut dicebatur,
» caſu fortuito, ſed neſcio quo, ab exercitu ſuo grandi, quem collegerat, parum
» deflexus, altiſſimo quidem in cuius poteſtate cuncta ſunt poſita, volente eum
» tradi ſic. Sed quis per ſingula narret, quæ Rex poſt tam humilem, tam deuotam
» peregrinationem ſenſerit in dies? Sed hactenus de pœnitentia Regis.

Hiſce temporibus mirâ ſanctitatis famâ prædicabantur Carthuſienſium & Ciſtercienſium Ordines ad quos è noſtris Academicis plurimos migraſſe legimus laboris claſſici & ſcholaſtici negotii tædio affectos. Vtriuſque ſœpe meminit Petrus Bleſenſis. Imprimis ergo ſic ſcribit de Ordine Carthuſienſi Epiſt. 86. ad M.

Alexandrum, qui relictis Scholis illuc ſe contulerat, & iterum inconſtantiæ vento agitatus in mundum regredi meditabatur. *Cur ſanctum & glorioſæ opinionis Ordinem Carthuſienſem præuaricando depranas? nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt tibi?* Ibi ſane inueneras locũ pœnitẽtiæ, ſecretum ſolitudinis, pace manimę contemplationis arcanum, gaudium in ſpiritu S. munus ſalutis & efficax beneficium medicinæ. Verum Manna cœleſte faſtidiens & ſuſpirans ad ollas carnium, domum illam appetis, quæ deſiderio tuo ſatisfaciet, quo tibi delicatius & indulgentius miniſtrabit. Ideoque tumultum frequentiæ popularis ſilentio, & ſolitudini anteponis ſollicitudinem.

Et infra, Si attendas Domum Carthuſienſem, quam relinquere deſideras, conſideres vnde venias, aut quo vadas. Hieruſalem pro Babylone; terram promiſſionis pro Ægypto, pro exilio Patriam, Cœlum pro inferno, quietem & pacem pro labore & miſeria relinquis. Domus ſiquidem Charthuſienſis & locus habitationis illius ſitus eſt in mõtibus & ſcopulis & in petris, vt ſit potius habitatio Angelorum quã hominum ad dandã altiſſimo vocem confeſſionis & laudis ſicut ſcriptum eſt: *Super ea volucres cæli habitabunt & de medio petrarum dabunt voces.* Sed & colũba nidificat in foraminibus Petræ: & vir prudens ædificat domum ſuam ſupra petram, vbi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluuiarũ inundatio, nec alluuio formidatur. Verè terribilis eſt locus iſte, nec eſt hic aliud niſi Domus Dei & porta cæli. Et licet Domus illa ſit in terra horroris & vaſtæ ſolitudinis, nominatiſſima tamẽ eſt in obſeruãtia religionis & ordinis. In omnẽ terram per gratiam Dei exiuit fama eius & in fines orbis terræ ſuæ odorem ſuauitatis effudit. Plantatio enim Dei eſt & vinea Domini Sabaoth, ideoque iam excreuit in immenſum & multiplices fructus fecit. Vide ſi iam non operuit montes vmbra eius, ſi non extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſq; in Angliam propagines eius. *Et paulo poſt*, Ad exemplar domus illius, de qua ſcriptũ eſt, In Domo Patris manſiones multæ ſunt, habet hic vnuſquiſque Cellulam & Manſiunculam ſuam, vt contemplationi & orationi liberius vacet. Sic enim in Schola Euangelica veritas nos informat dicens, *Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum & clauſo oſtio ora Patrem tuum.*

In eadem Epiſtola tangit antiquam & primæuam Carthuſienſium conſuetudinem, quâ non licebat ſacerdotibus ſuis celebrare quotidie Miſſam. Et hanc exeundi è Cœnobio ſibi cauſam aſſumebat Alexander ille Conſcholaris Petri Bleſenſis. *Hoc in ordine Carthuſienſi cauſaris & arguis quod* ſingulis diebus Miſſas non faciunt, atque huius religionis aut potius ſuperſtitionis obtentu tuum machinaris egreſſum. Tuæ litteræ faciunt te inſanum. Scis quia Monachorum Pater & ſacri Ordinis inſtitutor (S. Benedictus) nec etiam ſacerdotij gradum attigit, experſque Miſſarum multo tempore, etiam in die Paſchæ, vtrum eſſet Paſchalis ſolennitas, ignorauit. Paulus Eremita primus & Antonius & Petrus & Paulus Apoſtoli, atque cæteri quorum laus eſt in Euangelio, non leguntur ſingulis diebus ſalutis hoſtiam immolaſſe. *Frequentia contemptum parit: & ex ipſa raritate creſcit reuerentia Sacramenti.*

Idem Author c. 2. in Iob. refert mirabile exemplum cuiuſdam Gerardi Carthuſiani fratris Laici ſeu Conuerſi, qui vix aliquâ horâ panem edebat ſine lachrymis; & licet ignarus eſſet litterarum, tam eruditè tamen reſpondebat ad ſingulas Quæſtiones de fidei dogmatibus propoſitas, ac ſi Pariſiis multo tempore litteris Theologicis operam dediſſet. *Nudius-tertius*, inquit, *vidi quendam Diſcipulum huius ſectæ Gerardum nomine Cathuſienſis Ordinis fratrem.* Iſte ſuper omnia deſiderabilia ſua iam perſeptennium deſiderauerat mori, cupiẽs exire de carcere & de vinculis huius carnis, ſicut dicit Propheta. *Educ Domine de carcere animam meam.* Confidens itaque de meritis ſuis, ſed amplius de miſericordia Redemptoris cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Certè non minus exoſam habebat vitam præſentem, quàm Nos miſeri mortem; non minus abhorrebat viuere, quàm Nos moti. Singulis noctibus in principio vigiliarum ſurgebat, imò anticipabat vigilias noctis. Ego & quidam alij qui eramus cum eo, dabamus requiem corporibus noſtris & oculis noſtris dormitationem. Ipſe autem pernoctabat in oratione, ſemper tamen cum fletu & gemitu: vix aliqua hora comedebat panem ſine lachrymis, ſed & poculum ſuum cum fletu miſcebat. In omni opere ſuo ſuſpirabat ad Chriſtum, deſpiciens terram, ſuſpiciens Cœlum, vtẽs modo

Exemplum mirabile Cartuſiani.

„ quaſi non vtens, & inter vtenda & fruenda quodam intimo ſapore diſcernens „ tranſitoriè tranſitoriis vtebatur, & æterna quodammodo quaſi æterno ample- „ ctebatur affectu, vere quaſi æterno: quia quædam æternitatis imago eſt con- „ ſtans & firma & inconuulſa mortis æqualitas. Et licet Laicus eſſet & litteras non „ nouiſſet, habebat tamen ſcriptam in corde ſuo digito Dei ſcientiam vitæ & diſci- „ plinæ. Sanè docuerat eum, qui docet hominem ſcientiam: & vtinam litterati „ omnes ſic eſſent docibiles Dei, & infudiſſet illis gratia quod non contulit diſci- „ plina. Deum teſtor, non minus circunſpectè & ſanè de articulis fidei Chriſtianæ „ reſpondebat, quàm ſi maximam vitæ ſuæ partem *in Scholis Pariſienſibus* expen- „ diſſet. Erat itaque Conſcholaris Apoſtolorum, & illius qui dicit, *miſcet de excelſo* „ *Dominus ignem in oſſibus meis & erudiuit me.* Sic loquebatur quaſi ſermones Dei: „ habebat enim ſemper ad manum verba vitæ.

De Lege Diuina & humana Philoſophia.

Diſcant quæſo noſtri Legiſtæ, quid eis ad ſalutem animæ confert ille ciuilis & picturatus loquendi modus, ille Babylonius Calix, quo inebriantur peccatores terræ, illæ leges Principum, quibus ego infelix aliquando militaui. Vſuſtamen earum vitæ hominum vtiliſſimus eſſet, niſi bonitate ipſarum abuteretur humana „ malitia. Vnus eſt Rex & illius vera eſt lex, lex immaculata conuertens animas „ & ſapientiam præſtans paruulis. Ipſa paruulis & magnis & mediocribus ſe con- „ formet, condeſcendit neceſſitatibus pauperum, anxietatibus oppreſſorum, tur- „ bationibus triſtium, culpis delinquentium. Suauiſſima eſt perfectis, compatiens „ imperfectis, mediocribus mitis, tolerabilis delicatis, fortioribus ſufficiens, mo- „ derata infirmis, humilibus blanda, pœnitentibus miſericors, ſeuera peruerſis, bo- „ nis optima. Lex iſta inſtruit & informat ad vitam. Sapientia verò huiuſmodi ſtul- „ titia eſt apud Deum. Et quid profuit Ariſtoteli & ſequacibus eius mundanæ „ Philoſophiæ ventoſa loquacitas? inflati ſeculari ſcientia Deum Sabaoth ignora- „ bant. Ab ipſo erant, ſed non cum ipſo. Per ipſum viuebant, ſed non ipſi: ex ipſo „ ſapiebant, ſed non ipſum. Sapientia ergo mea & Philoſophia ſit Philoſophia „ fratris Gerardi, qui nihil habebat aliud in ore & in corde, niſi Ieſum Chri- „ ſtum.

Ciſtercienſis Ordinis Laus.

Ciſtercienſis quoque Ordinis laudes Ep. 86. præallatâ proſequitur, ſic aiens ad eundem M. Alexandrum *Ferrem patientius*, ſi ad Ciſtercienſis Ordinis obſeruantiam te transferres. Si enim in propoſito Religionem habes, ibi probatiſſima Re- „ ligionis ſchola eſt, ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas, fraternitatis af- „ fectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obſequela, diſciplinæ vi- „ gor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis ſeruitus, hoſpitalitatis exhibi- „ tio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, deuotio pſalmodiæ.

Et Ep. 82. ad Abbatem & Conuentum Ciſtercienſem. *Inter vniuerſas Ordinum varietates, quibus decorata eſt ſponſa Chriſti, nullus Ordo virtute fragrantior, nullus ſancti nominis odore ſuauior eſt in Chriſto, quàm veſter.* Vna omnium vox eſt, quia Ci- „ ſtercienſis Ordinis profeſſores tanto differentius præ cæteris triumphales ſancti- „ tatis titulos referunt, quanto expreſſius Religionis Apoſtolicæ veſtigiis inhæſe- „ runt, cum in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigiliis, in confeſſioni- „ bus, in diſciplinis, in pſalmis, in humilitate, hoſpitalitate, obedientia, Charita- „ te & cæteris, quibus fructus vitæ ſeminatur, in terris deprimatis carnem, ſpiri- „ tum erigatis. Et Ep. 96 ad Richardum qui è Monacho Ciſtercienſi ad Archiepiſ- „ copatum Cantuarienſem poſt B. Thomam, vt ſupra dictum eſt, euectus fuerat. „ *O caſtra optabilia!* ô Congregatio veneranda! ô Ciſtercium, quàm magna eſt do- „ mus tua! quàm fœcunda in filiis, quàm magnifica in linguis, quàm glorioſa in po- „ pulis!

Ad hunc Ordinem, cuius quanta eſſet celebritas hiſce temporibus, ex dictis manifeſtum eſt, complures Academici ſe conferebant, nec vllus Ordo eſt Religioſorum qui plures è Noſtris quàm iſte, habuerit per centum circiter annos. Ad eum migrauit M. Silo, vt ſupra dictum eſt: ad eundem ſe conuertit hiſce temporibus M. Alanus de Inſulis celeberrimus Theologiæ profeſſor & omnium Liberalium artium peritiâ clariſſimus, de quo dicemus ad an. 1179. Quod ſi quis communis & mundanæ vitæ tœdio affectus ad Religioſam aliquam domum ſe conferre proponebat, Theologi noſtri illam adiri vulgò ſuadebant: vt exemplo demonſtratur Ioannis de Monte-Mirabili vulgò de *Mommiral.*

Cum

Cum Ioannes ille Princeps & de prima Galliæ nobilitate ortus ſancto pœnitentiæ vitæque in melius commutandæ deſiderio teneretur, ſtatuit vxorem & liberos dimittere cum amplis poſſeſſionibus quas habebat, & mundo vale dicere. At incertus quodnam vitæ aſceticæ genus profiteri ſatius eſſet, conſuluerunt ei quidam ex intimis & familiaribus amicis, vt Theologos Pariſienſes aditet. Quod ille præſtitit. Itaque conſulti Magiſtri Pariſienſes eiuſmodi propoſito reſponderunt Ciſtercienſem Domum ſecurum eſſe portum ſalutis. Et ille continuo ad Abbatiam Longi-Pontis ſe conferens ab Hugone Trecenſi, cognomine Iuuencori Monachicam veſtem accepit. Rem ſic narrat author anonymus, qui vitam eius ſcripſit. *Conuerſio Ioannis de Monte-Mirabili ad Ciſtercienſes.*

Cum Pariſienſem vrbem fuiſſet ingreſſus, peritorum Theologorum conuentu maximo in vnum congregato, primum quidem ad eos ſalutationis verba præmiſit. Illi vero de aduentu tanti Principis gauiſi plurimum, cum hilaritate & honorificè eum ſuſceperunt, quos poſtquam familiari colloquio fuiſſet affatus, ait illis. Dignum eſt ô Domini vt noſtra præſentia vobis ad vtilitatem cedat. Vobis igitur in communi expenſa craſtinæ diei 30. librarum donamus benedictionem. Quibus gratias agentibus, nunc inquit ſupereſt, vt ſecreta cordis noſtri diſcretioni veſtræ pandamus. Hoc primum poſtulantes, vt à Comitatu veſtro eligantur decem, qui doctrina & Religione præcellere cæteris videantur. Et factum eſt ita. Quibus rurſum ita. Ex vobis quoque qui decem eſtis numero, tres nihilominus ſeparentur in vnum vt dictum eſt, moribus & ſcientia præminentes. Hoc facto tres illos Doctores famoſiſſimos ab aliis ſeorſum ducens procidit illorum pedibus humili ſupplicatione deprecans eos & dicens: O Venerabiles viri, homo ſum contemptibilis & valde miſerabilis. Nam totius Iuſtitiæ hactenus expers extiti, & à malorum perpetratione nunquam ceſſaui. Veruntamen ad cœleſtem Patriam à qua multorum commiſſione facinorum temere deuiaui, per arctam pœnitentiæ viam me nunc tandem paratum reuerti. Vos inſtantius rogo, vt ſecundum quam à Deo accepiſtis ſapientiæ doctrinam, cuiuſlibet conuerſationis iter rectiſſimum edocere ſtudeatis. Ad hoc illi paululum intra ſe cogitantes, vnanimiter ex vno ore Dei ſeruo reſponſa dederunt dicentes nullum omnino tramitem, quo ad Paradiſi Regna dirigi quiſquam queat ac perduci, quàm Ordinem Ciſtercij vos poſſumus edocere meliorem; ſi tamen tanta vobis Diuinâ gratiâ virtus collata fuit, vt cum perſeuerantia illius aſperitatem velitis & valeatis pro Domino ſuſtinere. Gratias egit in reſponſo talis vir venerabilis Ioannes. Et nunc, inquit, illi 7. Doctores qui paulo ante aderant, introducantur, vt ſciamus vtrum æqualia & ipſi ſentiant, an diuerſa. Qui cum introducti fuiſſent, & ſuper hoc requiſiti, in nullo ad inuicem fuerunt contrarij, ſed omnium vna ſententia fuit idem per omnia dicentium, quod tres illi priores fuerant locuti. Quibus intentâ mente per Dei famulum auditis, ab illa die ſtatuit ſe Ordinem Ciſtercij ingreſſurum. *Nota Comitia Vniuerſitatis.*

Denique vt verbo abſoluam, ille Ioannes cum aliquot comitibus & famulis ad Longum-Pontẽ Diœceſis Sueſſionenſis Abbatiam ſe contulit ante Aſcenſionem; & die Aſcenſionis receptus fuit an. 1184. Obiit autem an. 1200. 24. Sept. ſignis poſt mortem clarus: iacetque intra Eccleſiam ad latus maioris altaris à parte ſeptentrionali, in monumento, cuius in circuitu hæc legitur epigraphe.

In Longo-ponte voluit ſe ſubdere ſponte
Obſequio Chriſti lapidi qui ſubiacet iſti,
Cuius ibi Cineres Montis-Mirabilis hæres
Olim iure Dei Gratia nomen ei. *id. Ioannes.*
Gratia ſit Chriſto, qui nos decorauit in iſto
Aue Maria gratia plena.

Ioannes Sareſberienſis l. 12. de Nugis Curial. c. 23, ſupra omnes Religioſos Ordines extollit maxime Carthuſienſes & Grandimontenſes, quod minimè ambitioſi eſſent, nec ſeculi dignitatibus inhiarent.

Anno 1175. obit Henricus Remenſis Archipræſul; Willielmus vero ex ſede Senonenſi ad Remenſem tranſit annuente & conſentiente Alexandro Pontifice. Ei 1175.

autem in Senonenſi ſubſtituitur M. Guido de Nuceriis Præpoſitus Antiſſiod. præclarè optimis ſtudiis inſtructus ac rerum tam ſecularium quàm Eccleſiaſticarum peritiâ clarus; proindeque inter inſignes huius ſeculi viros à Vincentio reponitur. Is à Ioanne Carnotenſi 6. Kal. Oct. conſecratus eſt.

Quæſtio de Baptiſmo agitata in Scholis.

Eodem anno moueri & agitari cœpit à Theologis Quæſtio de validitate Baptiſmi, qui per Laïcos conferebatur. Inualuerat enim hæc conſuetudo vt Laïci abſente ſacerdote baptizantes hæc tantum verba pronunciarent. *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, omiſſis illis. *Ego te baptizo*, quæ forte ſacerdoti dicenda reſeruabant. Quæſitum ergo an pueri ita baptizati rebaptizandi eſſent, nec ne. Huiuſce autem Quæſtionis agitandæ occaſionem dedit Pontius Claromontenſis Epiſcopus, qui M. Mauricium Epiſcopum Pariſienſem & Stephanum tunc adhuc S. Euurtij apud Aurelios Abbatem, (paulopoſt San-Genouefianum, poſtremo Epiſcopum Tornacenſem) ſuper ea difficultate conſuluit. Quid autem illi reſponderint, habemus ex eorum Epiſtolis, quæ extant inter editas Stephani Tornacenſis. Sic igitur Pontius ſcribit, Pontius inquam, non Petrus, vt male ab aliquo qui Stephani Epiſtolas in lucem edidit, repoſitum eſt.

„ Reuerendis in Chriſto Dominis & Patribus ſuis Mauricio D. G. Pariſienſi Epi-
„ copo & Stephano S. Euurtij Abbati Petrus (imo Pontius) eadem gratia Claro-
„ montenſis Epiſcopus ſalutem & totius dilectionis obſequium. Vobis duobus ſpe-
„ cialiter fidem noſtam ducimus referendam, quos & ſpiritualis commendat af-
„ fectus dilectionis, quem erga vos habemus, & ſpecialis intelligentia ſcripturarum fructuoſos reddit & commendabiles apud omnes. Homo iſte præſentium
„ lator quandã olim fœminã amabat, quam quidem deſponſauerat, ſicut ipſe dicit,
„ ſed priuſquam eam acciperet vxorem, fœcundauit eam. Cum igitur puer natus
„ eſſet, nec poſſet ſacerdos ad baptizandum eum congruè reperiri, pater eius im-
„ merſit eum aqua dicens. *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Et hæc eſt peſſima
„ conſuetudo in terra noſtra, vt in talis neceſſitatis articulo dicant, *In nomine Patris*
„ *& Filij & Spiritus S.* nec totam exprimant verborum formam, quæ debet exprimi
„ in baptiſmo, quod *Vndeiare* vocant, Quærimus ergo vtrumiſtud Baptiſmus ſit vel
„ vtrum puer poſtea debeat baptizari. Vtrum etiam homo iſte mulierem illam acci-
„ pere valeat vxorem, quoniam boni ſatis eſſe teſtimonii perhibetur, & rogamus
„ dignationem veſtram, vt per litteras veſtras de his omnibus certificetis Nos. Va-
„ lete.

„ Mauricius vero ſic reſpondet. *Reuerendiſſimo Patri & Domino Petro* (repone
„ Pontio) Venerabili Claromontenſi Epiſcopo Mauricius Pariſienſis Eccleſiæ
„ humilis Miniſter ſalutem & obſequii plenitudinem. Super quo Celſitudo veſtra
„ noſtram conſuluit paruitatem, breuiter reſpondemus. Quia in quem modum
„ forma Baptiſmi vel recipi debeat, ſcripturarum Diuinarum authoritate & SS. Pa-
„ trum teſtimonio tandem habemus in hunc modum, ſcilicet *Ego te baptizo in nomi-*
„ *ne Patris & Filij & Spiritus S.* & tanta eſt verborum viuacitas, vt nihil immutari,
„ nihil innouari oporteat. Niſi vero tota hæc verba ſimul à quocunque & quacun-
„ que lingua proferantur, batiſmum eſſe non credimus. Quia ergo ſicut litterarum
„ veſtrarum teſtimonio cognouimus, præſentium lator in ſubmerſione filii ſui *Ego*
„ *te Baptizo* ſiluit, & tantum *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, protulit, Baptiſ-
„ mus non fuit; & ideo puer ille baptizandus eſt, quia baptiſmum nunquam ſuſce-
„ pit. Itaque de reliquo nulla ſupereſt quæſtio. Vale.

Hæc ergo mens fuit Mauricij, vt crederet Baptiſmum non valere, niſi à Baptizante proferrentur hæc verba *Ego te baptizo*. Contra Stephanus, prædicta verba ſummo quidem cum honore & reuerentia, vt pote ab Eccleſia inſtituta, eſſe ſuſcipienda; at ad ſubſtantiam ſacramenti non requiri, nec eſſe neceſſaria reſcripſit his verbis.

» Sanctiſſimo Patri & Domino Petro (Pontio) Claromontenſi Epiſcopo F. Stepha-
» nus de S. Euurtio ſalutem & cum omni deuotione reuerentiam. Premit fateor im-
» peritiam meam & quærentis authoritas & nouitas quæſtionis. Accedit moles ve-
» recundiæ meæ, Pater, quod in tanta conſultatione veſtra Domino Pariſienſi me
» iungitis, Camelo culicem, cedro carduum, Hylam Herculi comparantes. Scriba
» doctus in Regno cœlorum proferre de theſauro ſuo noua & vetera Quæſtionibus
» veſtris in profunditate ſenſus & ſublimitate ſcientiæ reſpondit & cæleſte oracu-

lum ſuum facili vobis abſoluit Epiſtola, Felix lingua, Diuinam eius reſponſionem vt Thebaïs Æneida longè ſequor & veſtigia ſemper adoro. Mouerer in contrarium ſi abſque ſacris eius apicibus mihi Quæſtio moueretur. Qui ſacramentum inſtituit baptiſmi, formam tradidit baptizandi. *Ite*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, & Filij & Spiritus S.* Qui baptizandi ſibi poteſtatem retinuit, in hac forma Miniſterium aliis conceſſit. Nemo dixerit quia quod dicitur *Ite docete omnes Gentes*, vel ſacramenti obtineat ſubſtantiam, vel exprimat formam. Teneamus quod ſequitur. Baptizantes eos *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Si baptizare intingere & baptiſmus intinctio eſt, quid aliud ſunt baptizantes, niſi intingentes. Intingens ergo cum intentione baptizandi, ſi proferat, quod veritas iubet, id eſt *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* baptizaſſe videtur & formam à Chriſto traditam compleuiſſe. Etiam Hæreticos, ſi hæc tremenda nomina protulerint, Catholicam formam tenuiſſe dicemus. Nouatiani, inquit Innocentius, tremendis nominibus Patris & Filij & Spiritus S. baptizare, nec apud eos de vnitate poteſtatis diuinæ, hoc eſt Patris & Filii & Spiritus S. aliquando Quæſtio mota eſt.

Sed & Pater Auguſtinus de Eccleſiaſticis regulis. Si qui, *inquit*, apud illos Hæreticos baptizati ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſſione baptizant & veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur quidem vt baptizati, ne ſanctæ Trinitatis inuocatio vel confeſſio adnulletur. Si ab hæreticis baptizati in confeſſione Trinitatis ab Eccleſia recipiuntur, ne Trinitatis inuocatio vel confeſſio adnulletur, quare non baptizatus dicetur, qui à Laico Catholico dicente *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* tertiò merſus eſt? Nam ſi hoc non admittitur, confeſſio vel inuocatio Trinitatis quæ ibi facta eſt, tanquam quæ nihil contulit, adnullatur. Idem ad Oroſium. Idem Baptiſma eſt, & Hæreticorum ſcilicet, qui In nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptizant, & Eccleſiæ Catholicæ: & ideo eos Eccleſia non rebaptizat, qui in nomine Trinitatis baptizati ſunt. Et ipſa eſt profecto forma ſacramenti.

Ecce quia formam Sacramenti hanc eſſe dicit, immergere ſcilicet *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* non additur *Ego te baptizo*, vel immergo. Idem de vnico Baptiſmo. *Nequaquam dubitarem* eos habere baptiſmum, qui vbicunque vel à quibuſcunque illud Euangelicis verbis conſecratum ſine ſimulatione & cum aliqua fide accepiſſent.

Vides Pater, quia ſolis verbis Euangelicis conſecratur baptiſmus. Nuſquam autem in toto Euangelio lego. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Sed tantum baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. ſed & Zacharias Papa Bonifacio Epiſcopo. *In ſynodo Anglorum* decretum & firmiſſimè præceptum & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, quod quicunque ſine inuocatione Trinitatis merſus fuiſſet, ſacramentum regenerationis non haberet, quod omnino verum eſt, quia ſi merſus in fonte baptiſmatis quis fuerit ſine inuocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris & Filij & Spiritus S. fuerit merſus: non ait, niſi qui baptizat dixerit *Baptizo te In nomine Patris.*

Plura poſſem colligere, Pater, quæ in hac parte me mouent, & motæ Quæſtionis ſolutionẽ promouent. Verũ quia timeo & prolixitatis argui & procacitatis notari, parco chartulæ, parco & famæ meæ. Opiniones profundo, non aſſertiones, paratus vt dixi, ſummi & Catholici viri Domini Pariſienſis ſequi veſtigia, non tamen addictus in alicuius iurare verba. Clauſulam tamen quæ à Baptizantibus ſolet & debet dici, ſcilicet *Ego te Baptizo*, ſummo ſtudio amplector. Eam Mater Eccleſia ſic induxit, vt eſſet de ſolẽnitate Miniſterij, non de ſubſtantia ſacramenti. Nã ſi aliud dixerimus: abſque medio confitebimur damnatos quos in neceſſitatis articulo à Laïcis nouimus baptizatos: hoc enim ſolum dicere ſolent qui litteras ignorantes, Paruulos vndaizant *In nomine Patrũ & Filij & Spiritus S.* in quibus verbis eandem virtutem ineſſe quam in Latinis ſyllabis idem ſignificantibus & credimus & fatemur. Vehementer tamen arguendos & pœnitentiâ afficiendos, qui vel per negligentiam vel per imperitiam aliquid omiſerint de verborum ſolenni dignitate. Qui præmiſſis rationibus fidem adhibuerit, baptizatum taliter *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* non iterum baptizabit. Itaque qui ſic eum baptizauit & ſpiritalis pueri Pater & Matris eius compater effectus eſt. Vnde & ſi vxor eius prius non

» erat, impediente compaternitate iudicio meo cum eo non contrahat matrimo-
» nium, cum qua etſi vxor contraxiſſet ſecundum quod Deus dedit Papa aſſerit,
» nullo modo ſe in coniugio cum ea reciperet. Nec obloquitur quod Ioannes Papa
» Anſelmo Epiſcopo ſcribit Capitulo ad Limina B. Petri. Ibi namque de coniunctis,
» hîc agitur de modò coniungendis. Et certè multa impediunt Matrimonium con-
» trahendum, quæ non dirimunt contractum. Nam & idem Papa in eodem Capi-
» tulo rationem ſubdit, quare coniuncti ob talem cauſam non ſeparantur, quod fie-
» ri, inquit, nullatenus debet dicente ſcriptura à Domino iunctam eſſe viro vxo-
» rem & quod Deus coniunxit, homo non ſeparet vbi planè loquitur de coniun-
» ctis, qui forte aliter diceret de coniungendis. Valeat ſanctitas veſtra.

M. Hugonis de Campo-Florido obitus.

Eodem anno M. Hugo de Campo-Florido ex Magiſtro ſcholæ & Canonico Pariſienſi Cancellarius Regni & Epiſcopus Sueſſionenſis obit pridie non. Septembris ægritudine & tædio vitæ confectus, quod neſcio quorum ſuſurronum inuidiâ è gratia Regis excidiſſet, & Cancellariatum Regni amiſiſſet. Morti vero ſe propinquum ſentiens ſcripſit ad Regem, inſinuans ſe in eum peccaſſe nunquam & commendauit è ſuis famulis nonnullos quibus nihil opis & emolumenti præſtare potuerat. Epiſtola eſt eiuſmodi.

» Domino ſuo Ludouico Francorum Regi Hugo Sueſſionenſis dictus Epiſcopus
» ſemper ſuus ſalutem & etiam poſt mortem dilectionem. Vera loquor & ante
» Deum. Poſtquam veni in ſeruitium veſtrum, à veſtra fidelitate ſcienter nunquam
» exorbitaui. Adhuc Domino permittente vobis fidelius ſeruire propoſueram. Sed
» nunc Deo aliter diſponente in extremo vitæ articulo poſitus has litteras dictaui,
» poſt mortem meam tanquam extremum vale vobis mittendas. Siquidem de præ-
» ſentia veſtra lætificatus quando vos nouiſſimè vidi & morbo turbatus affectum
» animi mei vobis aperire ſubitò non poteram, neque rebar vniuerſæ Carnis viam
» me tam cito ingreſſurum, à veſtro pauidus conſortio & ſeruitio exiens veſtris &
» ſanctorum orationibus, quos pro me orare faciat veſtra benignitas, animam meam
» cõmendo. Pro Clericis autẽ meis qui in Curia veſtra mihi ſeruierunt, veſtræ ſup-
» plico benignitati: ſed ante omnia Petrum, quem nutriui à puero, & præ cæteris
» generis mei diligebam & quem ſemper voluiexhibere, ſeruitio veſtro vobis com-
» mendo & trado. Non feci ei ſicut debui, & nunc mortis inclementia præuentus,
» ipſi implere non poſſum quod cogitabam. Sed quoniam de liberalitate veſtra pe-
» nitus confido grande mihi præſtat ſolatium, quod eum in manu veſtra relinquo.
» Vale. Idipſum quod litteris mando, per Abbatem S. Victoris veſtrum & meum fi-
» delem mando vobis, vt quod ore non potui, per litteras & per talem nuncium im-
» plerem. Valete.

Hæc ſcripſit Hugo cum adhuc in viuis eſſet Henricus Remenſis frater Regis, cuius opem ſibi fauentem in multis ſæpe expertus fuerat. Nam ad eum ſimiliter litteras dedit, eique Petrum prædictum conſanguineum ſuum & Canonicum Sueſſionenſem commendauit.

» Reuerendo Domino ſuo Henrico D. G. Remenſi Archiepiſcopo Hugo ſuus Ec-
» cleſiæ Sueſſionenſis dictus Epiſcopus ſalutem & in morte & poſt mortem etiam
» dilectionem. Amantiſſime Pater & Domine poſtquam me nouiſſimè vidiſtis, ar-
» ripuit me grauis ægritudo, vt niſi iam negetur videre deſideratam veſtram faciem
» & ea vobis eloqui ore, quæ nunc per litteras poſt mortem meam vobis præſen-
» tandas neceſſe fuit dictare. Sperabam me diutius in agro Domini moraturum &
» pro viribus meis interna charitate portaturum veſtros labores. Sed nunc euoca-
» tum ad diſtricti Iudicis præſentiam me veſtris orationibus commendo. Migranti
» à ſeculo amici veſtri, qui vos ſemper dilexi alleuatis in hoc curam, vt Petrum
» conſanguineum meum, veſtrum & Eccleſiæ Sueſſionenſis Canonicum, quem
» nutriui & ante alios generis mei diligebam & cui non feci præuentus ſicut co-
» gitabam, diligatis & contemplatione mei charum & ſicut veſtrum habeatis.
» Valete.

Paulo poſt ergo obiit Hugo; habetque anniuerſarium in Necrologio San-Victorino; obiit pariter eodem anno Henricus Remenſis, vt ſupradictum eſt.

Eodem quoque anno Stephanus vulgo Tornacenſis dictus vir litteratiſſimus ex Abbatia S. Euurtij Aurelianenſis euocatus eſt ad ſuſcipiendum regimen Abbatiæ

San-Genouefianæ, quam rexit perplures annos donec ad Episcopatum Tornacensem promotus est. Hic vir insignis in scholis Parisiensibus educatus complures habuit condiscipulos tam Francigenas quàm extraneos, magni quoque nominis viros, Vrbanum III. Gratianum Cardinalem, Petrum S. Grisogoni Cardinalem & Legatum, M. Petrum Tusculanum Episcopum, Albertum Papæ Cancellarium: contraxit quoque cum Dacis & Hungaris familiaratem & amicitiam, quam Abbas fouit & auxit: ex iis enim partibus plurimos scholasticos aduenientes benignè suscipiebat, in hospitiis idoneis & commodis collocabat & in studio sustentabat. Vnde quemadmodum ciues Parisienses quos vulgò *Maiores Nuncios* appellamus, cæteris pecuniam & alia quæ ad victum & vestitum necessaria erant, suppeditabant: ita iste plurimis, quorum parentes nouerat aut amicos, beneuolè & liberaliter subministrabat.

Extat ipsius ad Regem Hungariæ Epistola quâ eum certiorem facit de obitu Bethleem illustris adolescentis Hungari, eiusque sepultura in æde San-Genouefiana *absque contradictione seu querela* creditorum aut fideiussorum. Inquiri enim fecisse an in aliquo *debito siue apud Christianum siue apud Iudæum obligatus Parisius* teneretur; factaque decem circiter diebus inquisitione neminem inuentum, qui *vel principaliter vel secundario prædictum adolescentem sibi diceret obligatum.* Et cum Nuncij parentum ipsius adolescentis aduenissent parati soluere si quis sibi pro eo fateretur aliquid deberi, *sicut non comparuit creditor, sic & defuisse fideiussorem.* *Nota de Magnis Nunciis Vniuersitatis.*

Idem scribit ad L. & Christianam prædicti Bethleem parentes significans tum cum sepultus est, crediti aut debiti nullam factam fuisse mentionem, nullam commemorationem querelarum, imo nec postea postquam eorum Nuncii Parisius aduenissent, inquisitione per decem circiter dies facta nec Christianum nec Iudæum apparuisse *qui sibi prædictum filium de aliquo debito diceret obligatum.*

Hinc nemo est qui non agnoscat fuisse tum ciues Parisienses, qui Scholaribus pecuniã subministrarẽt datis fideiussoribus, aut à parẽtibus per litteras rogati. Quod genus Ciuiũ *Nuncios maiores* appellare consueuit Vniuersitas. Et quod genus officii ipsum etiã Stephanũ Abbatẽ præstitisse legimus: sic enim ille Ep. 67. ad Alexandrum Pontificem. *Ad unius iussionis vocem vestræ Pater obtemperans, filio Laxij de Archerio, sicut præsens coram vobis promiseram, absens exhibere curaui, quanquam sit vobis aliter per eius vicinos intimatum. Frumento & vino stabiliui eum, vt altero confirmaretur cor hominis, altero lætificationem sentiret. Superueniente Nuncio mutatum est mandatum & aggrauatum præcepto vt quotidianum victum in immensam pecuniæ summam conuerterem & decem solidos Parisienses per singulos menses puero numerarem. Factum vt imperastis. Cum hæc & alia quæcunque iusseritis ego & fratres nostri parati simus & libenter suscipere & liberaliter adimplere. Sciat interim paternitas vestra nos in quibusdam Clericis exhibendis per aliquos Dominos meos Cardinales consimilia onera sustinere.*

Similiter Ep. 68. ad Albertum Ecclesiæ Ro. Cancellarium *in consummandis*, inquit *precibus* vestris pro Ærnando Clerico vestro mihi quandoque oblatis nec dissimulatio me fecit desidem nec simulatio deceptorem. In illa ægritudine mea Chronica quæ plus minus anno dimidio me fecit vsque ad extrema confecit, semel eum vidi & cum vt reuerteretur; ei blando non blæso sermone dixissem, vsque ad Pentecosten mihi nec comparere voluit nec parere. *Et tunc per initia singulorum mensium intuitu vestro quinque solidos Parisienses ei conferri facio nec differri.* Idem Ep. 75. ad eundem Albertum scribit de Aluardo clerico, quem ait se fuisse expertum *honesto consortio & moribus grauem & sumptibus non grauantem.*

Ad annum 1176. notat Robertus Antissiodorensis in Chronico maximam per Gallias famem inualuisse & in eâ malorum occasione multarum Abbatiarum; maximè verò Cisterciensium magnam apparuisse munificentiam in pauperibus sustentandis; multa quoque Ecclesiarum ornamenta oppignerata & sanctorum corporum feretra decrustata. 1176.

Hoc quoque anno factæ sunt multæ è Gallia ad Tumulum B. Thomæ Cantuariensis peregrinationes tum ad auerruncanda Ecclesiæ mala, tum ad obtinendam frugum vbertatem. Ecclesia quidem ab Hæresi Tolosanâ valde turbabatur, quam non modo Rusticani homines, sed multi quoque Pseudo-Magistri ambitiosè & pertinaciter tuebantur & propugnabant. Quamobrem apud Albigium iussu Ale- *De Hæresi Albigensiã.*

xandri Pontificis celebratum eſt Concilium plurimorum Epiſcoporum aliorumque Eccleſiæ Prælatorum. Nam cum videret Vvaldenſium ſectam in dies magis inualeſcere, vteam tandem extirparet, nihilque intentatum relinqueret quo poſſet Hæreticos ad ſaniorem mentem ſententiamque reducere, voluit rem in ipſis partibus malo iſto infectis agitari: atque ne haberent vnde conquererentur, iuſſit ad Concilium Doctiſſimos eorum euocari. Illi ergo Magiſtros ſuos illuc delegarunt, & præterea quatuor Iudices Diſputationis & Controuerſiæ delegerunt, Gerardum Epiſcopum Albigenſem, Rogerium Abbatem Caſtrenſem, Petrum Abbatem Ardorelli & Arnaldum Preſbyterum Narbonenſem. Addunt & Abbatem de Candilio: de quibus etiam Catholici conuenerunt cum Hæreticis. Conuentus fuit frequentiſſimus: ad quem etiam admiſſi ſunt Magnates & Barones plurimi illius regionis, vt vtriuſque partis rationes, & fundamenta audirent. Interrogati ergo qui Hæreticorum partes propugnabant de fide & ſacramentis, ibi publicè & audacter vetus teſtamentum reiicere auſi ſunt. Matrimonii ſacramentum nullatenus admittebãt, Baptiſmum parum curabant, ſacerdotem peccati lethalis labe infectũ conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti negabant, neque Prælatis qui luxu diffluerent parendum eſſe contendebant. Hæc ſuprema, hæc precipua Hæreſeos capita diu agitata ſunt, ſed tandem damnata. Verum illi Iudicio parere detrectarunt, ſe etenim veritatem & viam ſalutis in ore habere arbitrabantur ac proinde *Bonos homines* ſe vocari volebant, quorum Princeps erat Oliuerius quidam, cui proinde veluti Chriſto aut Apoſtolo Paulo credebant. Hanc hiſtoriam fusè deſcribit Rogerius Houedenſis in Poſteriori parte Annal. ad hunc annum: Alij vero Hiſtorici ad annum ſequentem. Sic ergo ille.

„ Erant in Prouincia Toloſana quidam Hæretici qui ſe appellari faciebant *Bonos homines*, quos manu tenebant milites de Lombercio (ſeu Lombeſio) *proponentes* „ & docentes populum contra fidem Chriſtianam, dicentes etiam quod non reci„ piebant legem Moyſi, neque Prophetas, neque pſalmos, neque vetus teſtamen„ tum, neque Doctores noui teſtamenti, niſi ſolummodo Euangelia & Epiſtolas „ Pauli & ſeptem Canonicas Epiſtolas & Actus Apoſtolorum & Apocalypſim. Et „ interrogati de fide ſua & de baptiſmo paruulorum & ſi ſaluabantur per baptiſmum, „ & de corpore & ſanguine Domini vbi conſecrabatur, vel per quos & qui ſume„ bant, & ſi magis vel melius conſecrabatur per bonum quàm per malum, & de Ma„ trimonio ſi poterant ſaluari, ſi carnaliter iungebantur vir & mulier.

Dogmata Albigenſia.

„ Reſponderunt, quod de fide ſua & de baptiſmo paruulorum non dicerent neque „ dicere cogebantur. De corpore & ſanguine Domini dicebant, quod qui dignè „ ſumebat, ſaluabatur, & qui indignè, acquirebat ſibi damnationem. *De Matrimo„ nio* autem dicebant, quod vir & mulier iungebantur propter luxuriam & fornica„ tionem vitandam, ſicut dicit Paulus. Dicebant *etiam multa non interrogati* quod non „ debebant iurare omnino per iuramentum aliquod, ſicut dicebat Mathæus in „ Euangelio & Iacobus in Epiſtola ſua. Dicebant etiam quod Paulus præcipie„ bat quod eſſent ordinandi in Eccleſia Epiſcopi preſbyteri, & ſi tales non ordina„ bantur quales præcipiebat, non eſſent Epiſcopi, nec preſbyteri, ſed lupi rapaces „ hypocritæ & ſeductores, amantes ſalutationes in foro, primas cathedras & primos „ accubitus in cœnis, volẽtes vocari Rabbi, cõtra præceptum Chriſti, ferentes albas „ & candidas veſtes, geſtantes in digitis anulos aureos & gemmatos, quod non præ„ cipit Magiſter eorum. Et ideirco quia tales Epiſcopi & Preſbyteri erant quales „ ſunt Preſbyteri, qui tradiderunt Ieſum, non debebant illis obedire, quia mali „ ſunt.

Iudicium contra eos prolatum.

„ Auditis itaque vtrinque allegationibus coram Gerardo Albienſi Epiſcopo, ele„ ctis etiam & ſtatutis iudicibus ab vtraque parte, & conſentientibus & aſſidenri„ bus præfato Epiſcopo Gerardo Albienſi & Rogerio Caſtrenſi Abbate & Petro „ Ardulenſi, & Abbate de Candilio & Arnaldo Narbonenſi, in præſentia Bonorum „ virorum tam Prælatorum & Clericorum quàm Laicorum videlicet D. Petri Nar„ bonenſis Archiepiſcopi, atque aliorum Epiſcoporum & Abbatum, Archidiaco„ norum, nec non & Comitum & virorum potentum numero 20. illius Prouinciæ „ & fere totius populi Albiæ & Lumberri, contra quæ prædicti Hæretici propone„ bant: & inducti ſunt noui teſtamenti multæ authoritates à D. Petro Narbonenſi „ Epiſcopo, & à Petro Sandracenſi & Abbate de Fonte frigido. Præfati enim Hæ-

retici nolebant recipere iudicium niſi per nouum Teſtamentum. Talem ergo definitiuam ſententiam ex nouo teſtamento protulit Lugdunenſis Epiſcopus coram omnibus prædictis facto à cunctis ſilentio. EGO GILBERTVS (imò Guichardus) LVGDVNENSIS EPISCOPVS EX MANDATO ALBIENSIS EPISCOPI ET ASSESSORVM EIVS IVDICO ISTOS ESSE HÆRETICOS, ET DAMNO SENTENTIAM OLIVERII ET SOCIORVM EIVS VBICVNQVE SVNT ET HOC IVDICAMVS PER NOVVM TESTAMENTVM.

In 1. Capitulo damnamus & iudicamus eos hæreticos eſſe qui non recipiunt vetus teſtamentum: lex enim recipienda eſt per Euangelium, & qui legem non recipit Dominum noſtrum I. C. non credit. Ipſe enim in Euangelio dicit, ſi crederetis Moyſi &c. Et iterum. Non veni legem ſoluere, ſed adimplere. Et iterum. Oportet impleri quæ ſcripta ſunt in lege & prophetis & pſalmis de me &c. incipiens à Moyſe interpretabatur illis ſcripturas.

In 2. Capitulo conuincimus iſtos & iudicamus Hæreticos eſſe noui teſtamenti authoritatibus. Dicimus enim quod Deus vult omnem hominem ſaluum fieri..... Nec Chriſtus pro omnibus eſſet Crucifixus, ſi tantum ſaluarentur maiores qui originali peccato actualia peccata addiderunt; & ſi infantes non ſaluarentur, quos Deus creauerat & formauerat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, qui nullum forte peccatum fecerant, ſed tamen originale contraxerunt, Baptiſma enim omnibus generaliter eſt traditum tam Maioribus, quàm minoribus, ſicut ait Dominus Diſcipulis *Ite docete omnes gentes baptizantes eos In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

In 3. Capitulo conuincimus & iudicamus iſtos hæreticos eſſe noui teſtamenti authoritatibus. Quia Dominicum Corpus non conſecratur niſi per ſacerdotem ſiue bonus ſit ſiue malus. Per verba enim ſacra quæ dixit Saluator in cæna, ſcilicet *Hoc eſt Corpus meum, & hic eſt ſanguis meus*, conſecratur & conficitur Dominicum Corpus. Sicut enim Imperatoris vel Regis Franciæ vel alicuius Potentis Nuncius non corrumpit, nec vilificat ſui abiectione vel pannoſitate quod dicit: ſic verba Domini non variantur, nec maculantur. Et ſicut ſolis radius tranſiens per cloacas maculam non contrahit, nec fœtorem; vel ſicut aqua pura & nitida tranſit ad accolas per canales luteos aut ſordidos vel limoſos: ſic verba Dominica non ſordidantur, nec melius, nec nitidius per bonum quam per malum proferuntur. Quoniam apud Deum non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio. Quod autem Dominicum Corpus non debeat celebrari niſi in Eccleſia, Paulus ait, *Aut Eccleſiam Dei contemnitis? nunquid domos non habetis ad manducandum?*

In 4. Capitulo conuincimus & iudicamus Hæreticos eſſe iſtos noui Teſtamenti authoritatibus. Nolunt enim confiteri quod vir & mulier poſſint ſaluari ſi carnaliter miſceantur. Qui quidem palam prædicare ſoliti ſunt, quod vir & mulier ſaluari non poterant, ſi carnaliter non conuenirent. Laudant enim & approbant pecudum fœcunditatem, & improbant hominum fœcunditatem. Amant ſterilitatem mulierum, ſicut dicit ſcriptura, *Beatæ ſteriles quæ non genuerunt*..... Et hæc prædicant vt innumerabiles ſubſtantiæ, ratus inueniatur Dominus, & quæ facta eſt creatura ad vſum & ſeruitium hominum careat poſſeſſore, habitatore, Rectore volentes omnes eſſe ſicut ipſi ſunt.

In 5. Capitulo conuincimus & iudicamus iſtos hæreticos eſſe & ab vnitate Eccleſiæ præciſos noui Teſtamenti authoritatibus. Dicimus enim, quia miniſterium & poteſtatem ligandi atque ſoluendi Dominus tradidit Petro dicens *Quodcunque ligaueris ſuper terram*, &c. Iacobus. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ.*

Præterea dicimus quod ſtantes debeant de Euangelio reſpondere & diſputare, cum omnes Chriſtiani ſtent, quando Euangelium recitatur: & ſi tunc ſtatur, cum legitur, multò fortius cum legitur ſimul & exponitur. Nec debuiſſent tenere locum ſedendi, poſtquam elegerant locum ſtandi, &c.

In 7. Loco interrogauit eos prædictus Epiſcopus de Pœnitentia, ſi in fine faciet ad ſalutem; vel ſi milites qui vulnerabantur lethaliter, ſaluarentur ſi pœniterent in fine: vel ſi deberet vnuſquiſque confiteri peccata ſua ſacerdotibus & Miniſtri Eccleſiæ, vel cuilibet laïco, vel illis de quibus dicit Iacobus, *Confitemini ad al-*

terutrum peccata veſtra. Qui reſpondentes dixerunt *Infirmis* ſufficere *ſi confiterentur cui vellent.* De militibus verò dicere noluerunt, quia non dicit Iacobus niſi de Infirmantibus.

Videntes autem Hæretici ſe eſſe conuictos atque confuſos, conuerterunt ſe ad omnem plebem dicentes, *Audite ô Boni viri fidem noſtram* quam confitemur, nunc confitemur autem propter amorem & gratiam veſtram. Reſpondit Epiſcopus prædictus, Vos dicitis quod non propter Deum dicatis, ſed propter gratiam populi. Et illi inquiunt. *Nos credimus vnum Deum Trinum, & vnum Patrem & Filium & Spiritum S. & Filium Dei carnem noſtram ſuſcepiſſe, Baptizatum eſſe in Iordanne, ieiunaſſe in Deſerto, predicaſſe ſalutem noſtram, paſſum, mortuum, atque ſepultum, ad Inferos deſcendiſſe, reſurrexiſſe tertia die, ad Cælos aſcendiſſe, Spiritum Paracletum in die Penteceſtes miſiſſe. Venturum in die Iudicij ad iudicandum viuos & mortuos, & omnes reſurrecturos.*

Cognoſcimus etiam quia quod corde credimus, ore debemus confiteri. Credimus quia non ſaluatur niſi qui manducat corpus Chriſti, & quod corpus Chriſti non conſecratur niſi in Eccleſia, & niſi à Sacerdote ſiue bono, ſiue malo, nec melius fieri per bonum quàm per malum. Credimus etiam quod non ſaluatur quis, niſi qui baptizatur, & paruulos ſaluari per baptiſma. Credimus etiam quod vir & mulier ſaluantur, licet carnaliter miſceantur, & Pœnitentiam debeat vnuſquiſque accipere, ore & corde à Sacerdote, & in Eccleſiis baptizari. Et ſi quid amplius poſſet eis oſtendi per Euangelia vel Epiſtolas, illi crederent & confiterentur.

Hæc cum illi dixiſſent, iurare tamen noluerunt aientes hoc ſibi vetari Sacræ Scripturæ authoritate. In fine autem ſeu ad calcem Synodi ſunt ſigna eorum qui interfuerunt, quos inter fuit *M. Blancus.* Et ita diſceſſum. At vix Prælati exinde profecti ad ſuas quiſque partes abſceſſerant, cum Anteſignani Hæreticorum peruerſa ſua dogmata, vt ante, prædicare cæperunt. qua de re ad annos ſequentes. Apud eundem Rogerium Houëdenſem legitur, quod Gaucelinus de Montperoux Lodouenſis Epiſcopus, qui etiam ſynodo illi interfuit, *vir doctus & litteratus* multis ſacræ Scripturæ teſtimoniis adegit Oliuerium illum Hereſiarcham iureiurando firmare formulam ſuæ Religionis audientibus Gerardo Albienſi, Goſcelino Toloſano, Vvillielmo Agatenſi, Petro Narbonenſi, Adalberto d'*Vſez* Nemauſienſi Pontificibus, & Conſtantia ſorore Ludouici Regis Francorum aliiſque compluribus viris Illuſtribus.

Similiter apud Angliam Hugo Petro-Leonis Apoſtolicæ ſedis legatus Concilium Generale indixit Londini, ſed propter controuerſiam de primatu ſedis inter Cantuarienſẽ & Eboracenſem Archiepiſcopos ortã, habere non potuit. Mathæus verò Pariſienſis ſcribit Regem illi quatuor capitula in Anglia obſeruanda indulſiſſe. 1. *Quod de cætero Clericus non traheretur* ante Iudicem ſecularem pro aliquo crimine vel tranſgreſſione perſonaliter, niſi pro foreſta & laïco feudo, vnde Regi, vel alij Domino ſeculari Laïcum debetur ſeruitium. 2. *Vt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus vel Abbatiæ non teneantur in manu Regis vltra annum*, niſi pro cauſa euidenti vel neceſſitate vrgente. 3. Conceſſit vt *Interfectores Clericorum conuicti* vel confeſſi coram Iuſticiario Regni præſente Epiſcopo puniantur. 4. *Quod Clerici duellum facere non cogantur*, hæc Mathæus.

Quæſtio de Aſſumptione B. Virginis.

Circa hæc tempora Quæſtio agitabatur in Scholis Pariſienſibus an B. Virgo in corpore aſſumpta fuiſſet, nec ne. Affirmabant verò cum corpore aſſumptam duo inter cæteros egregij illuſtreſque ſcholares: quibus vulgò ab aliis inter diſputandũ dicterij & ſubſannationis loco obiiciebatur quod Virgo non fuiſſet aſſumpta in corpore. Quod dicterium adeo illis diſplicuit, vt ſeorſim factis ad Beatos Ioannem Baptiſtam & Euangeliſtam precibus poſtularint id ſibi certò reuelari, ne deinceps cauillis exponerentur. Eorum verò opinio confirmata eſt miraculo. Nam eorum alter, qui imberbis erat ſubitò barbatus euaſit: alter verò, qui caluus, crinitus apparuit. Rem ſic narrat Thomas Cantipratanus lib. 2. c. 29.

" Tempore B. memoriæ M. Petri quondam Cantoris Pariſienſis duo Clerici vita
" & opinione probati fuiſſe dicuntur, quorum vnus Ioannem Baptiſtam, alius
" Ioannem Euangeliſtam miro venerabatur affectu: ita vt zelo nimio, quo ſuum
" quiſque præferret, diſſidebant: erga glorioſam vero Virginem Chriſti matrem
" tam mirabili deuotione feruebant, vt cum quis eos in diſputationibus irritare volebat

volebat, Matrem Christi nequaquam assumptam cum corpore contendebat: & hoc frequenter risum sociis excitabat. Et per hoc tædium cordis ex sinceriſſima simplicitate sœpius sustinebant. ERGO vbi solennitas glorioſiſſimæ Assumptionis instabat, dicti Clerici ieiuniis, vigiliis & orationi vacabant, rogantes Sanctos suos, Baptistam dico & Euangelistam Ioannem, & obnixius Christi Matrem, quatenus per signum aliquod euidens suam verecundiam releuarent in repressionem contrariæ opinionis quâ Mariam assumptam cum corpore prædicabant. Quid igitur, nonquid apud summum iudicem erat iustorum simplicitas deridenda? absit, cum sit cum simplicibus sermocinatio eius. Ergo vbi quilibet per se in conclaui orationibus insistebat, illis singillatim Ioannes Baptista & Ioannes Euangelista apparuerunt dicentes *Exaudiuit Dominus preces vestras, & nunc vobis primo dicimus, ne pro prærogatiua meritorum nostrorum vlterius contendatis: cum nos in cælo de pari meritorum priuilegio concordemus. Glorioſam vero Christi Matrem assumptam cum corpore nullus ambigat Christianus. Et hoc signum omnibus qui vos nouerunt, vnum ex vobis naturaliter imberbem, barbatum reddimus: alium vero caluum penitus restituimus copioſiſſimè recrinitū.* His dictis disparētibus Sanctis, mane reuelationis effectus apparuit in ambobus: & se Magistris quibusdam Clericis argumentum testatiſſimæ veritatis quanto gratius, tanto humilius ostenderunt. ET Ego quidem satis miror, quod post illam sinceriſſimæ veritatis probatiſſimam authoritatem Doctoris omnium maximi Aurelij Augustini intrare cor potuit fidelis hominis Christiani Christiferæ Virginis corpus etsi incorruptum, vt quidam simplices crediderunt, in hoc seculo nequam glorificatâ animâ remansiſſe. Valde ergo & indignanter admiror, quod sapiens quisq; non videat Hieronymum ad Paulam & Eustochium de Assumptione B. Mariæ sub dubio scriptitasse, quia in suis scriptis promiserat se nihil scribere, nisi quod posset authoritatibus Bibliæ comprobari. Maiores ergo & plures diu iam & nunc quoque assumptam esse cum corpore Matrem Christi authoritatibus Augustini in Ecclesia censuerunt. Nec vlli vnquam homini credere contra scripta veridica tanti Patris, cui præ omnibus expositoribus creditur, secundum quod B. Volusianus in Epistola scribit, *In aliis sacerdotibus per mundum quomodocunque toleratur inscitia, cum autem ad Augustinum ventum fuerit, legi Dei deesse creditur, quidquid contigerit ignorare.*

Ad hunc annum narrat Robertus de Monte quàm sedulo Mauricius Episcopus Parisiensis incumberet in ædificationem Basilicæ. *Mauricius*, inquit, *Ep. Paris. iamdiu est quod multum laborat & proficit in ædificatione Ecclesiæ prædictæ Ciuitatis, cuius caput iam perfectum est excepto maiori tectorio: quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes cui aptè debeat comparari.*

Anno 1177. res accidit in Gallia Lugdunensi digna memoriâ posterorum. Benedictus quidã Iuuenis sese obtulit Ciuitati Auenionensi, pollicituſq; est se si vellent secũ paciſci de pretio, pontem mirabilis structuræ super Rodanum ædificaturum. Quod cum audiſſent Ciues seque quid petebat, daturos polliciti fuiſſent, ille Pontem illum toto orbe prædicabilem construere aggressus est. Qua de re sic habet Robertus Antisiodorensis in Chronico. *Ipso anno vrbem Auenionem adolescens nomine Benedictus adiuuit dicens frà Domino missum, vt ibi super Rhodanum Pontem construeret.* Derisus est ille, cum illi nec sumptus ad opus & operi complendo spem demeret fluminis magnitudo & profunditas tam vasti & latitudine tam diffusi. Ille tamen institit prædicando. Nec multo post Diuino nutu incitati ciues certatim aggressi sunt opus iam dictum, licet supra modum difficile, incredibiliter sumptuosum: ad quod peragendum sanctæ admodum vitæ iuuenis per multas diu Prouincias ex fidelium Eleemosynis infinitas aggregauit expensas. Quem ferunt etiam nonnullis claruisse miraculis. Hæc Robertus. Addit vero illum obiisse an. 1184. opere magna iam ex parte confecto. *Ipso anno Benedictus Auenionensis Pontis author* sanctæ admodum vitæ iuuenis obiit, sepultusque est super Pontem illum mirificum magna iam ex parte constructum ab eiusdem fundatione pontis 7. annis circiter iam decursis. 1177. Pons Auenionensis.

Hanc Historiam paulo fusius refert Baronius, nescio ex quo authore; sed ait eam diplomatibus Pontificiis fuisse comprobatam. Anno, inquit 1177. *Pastoritius puer nomine Benedictus vulgo Benezet, dum pasceret maternum gregem*, tergeminâ I C. compellatione admonitus est pontem facere in Rho dano. Puer expaues-

» eens primum negauit ſe poſſe Ouium cuſtodiam deſerere, vel tantæ prouinciæ,
» cum inops eſſet, ſatisfacere. Cui cum Chriſtus curam gregis omniaque neceſſaria
» ad opus pollicitus eſſet, Benedictus ſe accingit itineri, ac in Angelum eiuſdem ha-
» bitus incidens, ab eo vſque ad Rhodanum perductus eſt, ac ab eodem ob aſ-
» pectum fluminis à re ſuſpecta deterritus iterum conteſtatus eſt. Angelo recedente
» puer tranſmittens fluuium ac Auenionem ingreſſus, in media Epiſcopi concio-
» ne interuenit, *Audite me*, inquit, *atque intelligite*, mittor à Chriſto ea de cauſa
» vt faciam vobis pontem in Rhodano. Qua voce populus in riſum conuerſus co-
» ram Præpoſito eum ſiſtere ab Antiſtite decernitur: quem monet Benedictus in
» ſtructuram pontis aliquid elargiri. En tibi ſaxum ingens, inquit, in atrio meo, ſu-
» ſtolle in humeros, habebis fortaſſe vnde tui pontis queas aliqua fundamenta po-
» nere, tum te id poſſe intelligam. Puer, feram, inquit, ſaxum, & accerſito Epiſ-
» copo ac Ciuibus, cui ferendo non forent 30. homines, expeditè humeris porta-
» bat, fundamentum futurum tantæ molis: eoque prodigio Ciuitas vniuerſa ſtupe-
» facta Præpoſitus veniâ erroris impetratâ primus 300. ſolidos pro ponte largitur,
» ac eius exemplo alii in limine ad quinque millia nummorum contulerunt, vnde
» cæpit pons ædificari. Perfectum eſt opus mirandum dignum præconiis Pontifi-
» cum Romanorum celebrari. Extat Diploma Innocentii IV. in Concilio Oecu-
» menico datum apud Paradinum in Hiſtor. Lugdunenſi, quo additur Benedictum
» fuiſſe puerum 12. annos natum, natione Almilatenſem, quod oppidum eſt in
» antiqua Burgundia, eumque tridui itineris ſpatium tribus horis emenſum fuiſſe,
» ſaxumque illud 13. pedum longitudinem, latitudinem 7. habuiſſe. Abſoluto autem
» ponte ipſum Romam petiiſſe, redeuntem verò Lugdunum adiiſſe, ibidemque
» pontem cum Xenodochio ædificaſſe ac miraculis claruiſſe & ſancto demum fine
» quieuiſſe. Porro tantæ rei veritati non ſolum Innocentij IV. ſed & Clementis
» IV. & V. Bonifacii VIII. etiam atque Ioannis XXII. diplomata adſtipulan-
tur.

Adhunc quoque annum referunt Hiſtorici pacem concordiamque Friderici Imperatoris cum Alexandro Papa, imò memorabilem & ſtupendam Principis ſubmiſſionem: Nam cum Imperator, Venetias ingreſſus eſſet, ad valuas Baſilicæ D. Marci proſtratus ab Alexandro poſtulauit longi ſchiſmatis abſolutionem. At Papa collum eius pede premens dixiſſe fertur: *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Et cum Imperator paulum indignatus reſpondiſſet, *Non tibi ſed Petro*; ille contra retulit, *Et mihi & Petro.*

Huiuſce pacis exemplo incitati Reges Franciæ & Angliæ omnes quoque diſcordias ſuas amicâ pace ſopierunt apud Nonnancurtum 7. Kal. Octob. teſte Mathæo: promiſeruntque & iuramento confirmarunt ſe ad auxilium Chriſtianorum Hieroſolymam profecturos.

Athiſce temporibus exarſit graue diſſidium inter Richardum Cantuarienſem Archiep. & Rogerium Abbatem electum Auguſtinianorum eiuſdem Ciuitatis. Nam vt verbis Geruaſij vtar, *Rogerius iam fere biennio poſt electionem ſuam* expleto de benedictione ſua cœpit tandem eſſe ſollicitus. Prædeceſſorum itaque ſuorum veſtigia ſecutus Richardum Cantuarienſem Archiepiſcopum adiit, & benedictionem poſtulauit. Annuit Archiepiſcopus electi petitionibus & debitam ſibi petiit fieri profeſſionem. Conſilio habito contradixerunt Monachi primò; ſed in proximo redeuntes ad cor conſenſerunt vt electus ſuus profiteretur, ſic tamen vt in Eccleſia Cantuarienſi non fieret eiuſmodi profeſſio & in ſcedula profeſſioni ſubſcriberetur, *ſaluis vtriuſque Priuilegiis Eccleſiæ.* Reſponſum eſt Abbati vt Archiepiſcopo ſuo debitam & Canonicam profeſſionem faceret, deinde non ex ſcripto ſed ex corde diceret ſi vellet, *Salue ſancta Parens*, vel *Salue feſta dies*, vel *ſaluis Priuilegiis*, vel quidlibet aliud. Noluit Abbas conſentire, nec pariter Monachi. Sed *toto conatu ſcripturæ intenderunt.* Renuit quoque Epiſcopus quod petitum fuerat, concedere, ne Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem antiquam diminueret, nouamque & inauditam profitendi formam introduceret. Rogerius igitur Romanum adiit Pontificem eique Eccleſiam ſuam faciens tributariam, Curiam Ro. in odium Cantuarienſis Archiepiſcopi quocunque potuit molimine incitauit: adeo vt in contumeliam Archiepiſcopi

Abbas acceptis inſignibus in Angliam redierit an. 1178. cũ litteris Pontificis. Archiepiſcopus tam enormi grauamine exaſperatus appellat; atque ita benedictio dilata & ſuſpenſa eſt. Reuerſus Romam Rogerius Pontificiarum litterarum contemptum exaggerat & Archiepiſcopum nominatim citari curat. Quid plura? Archiepiſcopus Pariſius vſque progreſſus (certè vt Academicos ſuper re conſuleret) familiarium ſuggeſtione in Angliam reuertitur. Romam verò mittit MM. Gerardum Puellam & Petrum Bleſenſem, viros magni nominis ipſique Pontifici acceptiſſimos. Comparentibus partibus, inquit Vvillielmus Thornus Monachus Auguſtinienſis Cantuarita (qui ſcripſit vſque ad an. 1380.) coram D. Papa & Cardinalibus habita eſt longa diſceptatio. Tandem auditis partibus, priuilegiis ab vtraque parte exhibitis pro electo Rogerio ſententiam definitiuam Papa protulit in hunc modum.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Rogero electo & fratribus S. Auguſtini Cant. ſal. & Ap. Bened. Receptâ olim querimoniâ ex parte veſtra quod Venerabilis frater noſter Cantuarienſis Archiep. Apoſt. Sedis legatus tibi, fili electe, in Monſterio veſtro, quod ad iuriſdictionem Rom. Eccleſiæ nullo mediante pertinet, nollet benedictionem impendere, eidem Archiepiſcopo Apoſtolicis ſcriptis dedimus in mandatis, vt vel te, fili Electe, in præſcripto Monaſterio abſque exactione profeſſionis benediceret, aut vſque ad feſtum Purificationis proximè præteritum per ſe aut per ſufficientem reſponſalem ſuum noſtro ſe conſpectui præſentaret. Cumque tam tu fili, electe, *quàm dilecti filij noſtri M. Gerardus Puella & M. Petrus Bleſenſis procuratores eiuſdem Archiepiſcopi*, ad noſtram pro cauſa ipſa veniſſetis præſentiam & longam diſceptationem coram nobis habuiſſetis ad inuicem, illis aſſeuerantibus quod in Eccleſia Cantuarienſi ab Archiepiſcopo benedici & obedientiam ei præſtare deberetis, vobis quoque contra proponentibus, quod in Monaſterio veſtro benedictionem ſine exactione obedientiæ deberet impendere, Nos inſpectis antiquis priuilegiis Eccleſiæ veſtræ & præcipuè priuilegio B. Auguſtini Cantuarienſis Archiep. quod veſtro Monaſterio indulſit. Conſideratis quoque ſcriptis piæ recordationis prædeceſſorum noſtrorum, Anaſtaſij & Adriani Rom. Pontificum, quibus idem Archiepiſcopus videbatur inniti. Cognito etiam quod S. memoriæ Pater & prædeceſſor noſter Eugenius Papa Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo iniunxiſſet, vt Silueſtro quondam electo Monaſterij veſtri *benedictionis in eodem Monaſterio munus impenderet, ita quod ab eo profeſſionem obedientiæ non poſtularet.* Te ab impeditione ipſius Archiepiſcopi communicato conſilio fratrum noſtrorum abſoluimus, ſtatuentes vt Cantuarienſis Archiepiſcopus te & ſucceſſores tuos in Monaſterio veſtro abſque exactione obedientiæ, contradictione poſtpoſita benedicat. Vt autem hæc noſtræ definitionis ſententia perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruetur, eam authoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum &c.

In eandem rem dat idem Alexander litteras ad Archiepiſcopum hoc modo. *Alexander Ep. S. &c. Cum Dilecti filij noſtri electus* B. Auguſtini Cant. *& Magiſter G. Pucella & M. Petrus Bleſenſis* Clerici tui pro cauſa quæ inter te & eundem electum vertebatur ſuper benedictione illi exhibenda, noſtro ſe conſpectui præſentaſſent & in audientia noſtra tam pro te quàm pro altera parte multa varia & diuerſa allegata fuiſſent, Nos inſpectis priuilegiis Rom. Pontificum Eccleſiæ B. Auguſtini indultis & præcipuè priuilegio quod B. Auguſtinus Cantuar. Archiepiſcopus Monaſterio illi conceſſit. Conſideratis quoque ſcriptis piæ recordationis Anaſtaſij & Adriani Rom. Pont. quibus videbaris inniti: cognito etiam quod S. memoriæ Pater & prædeceſſor noſter Eugenius Papa Theobaldo quondam Cantuarienſi Arch. iniunxiſſet, vt Silueſtro quondam Electo Monaſteri S. Auguſt. benedictionis munus impenderet, ita quod ab eo profeſſionem non poſtularet, Electũ ipſum ab impeditione tua & ſucceſſorum tuorum communicato fratrum noſtrorum conſilio abſoluimus, ſtatuentes vt Archiepiſcopus Cantuar. qui pro tempore fuerit electus in Eccleſia B. Aug. abſque contractione obedientiæ de cætero benedicat. Ideoq; fraternitati tuæ per Apoſt. ſcripta præcipiendo mandamus & in obedientiæ virtute præcipimus, quatinus prædictum electum in Monaſterio

ſuo nulla exacta obedientia benedicas. Quod ſi poſt 30. dies poſtquam exinde requiſitus fueris, ipſum benedicere forte nolueris, venerabili fratri noſtro Wigornienſi Epiſcopo dedimus in mandatis, vt eum nullius contradictione vel appellatione obſtante authoritate fretus Apoſtolica benedicat.

Rogerius cum his & aliis etiam ad Vvigornienſem Epiſcopum datis litteris reuerſus, neque Archiepiſcopum prædictum neque Vvigornienſem Epiſcopum adducere potuit, vt mandatis eiuſmodi quæ ſtabilitum Eccleſiæ turbabant ordinem, parerent. Ipſe quoque Rex Henricus pareri noluit, maximè propterea quod Rogerius Eccleſiam ſuam Papæ ſubdidiſſet in grande Regni Anglicani præiudicium. Igitur Romam reuerti cogitur & tandem ab ipſo Papa benedictionem accipit an. 1179. Tuſculani 5. Kal. feb. & cum aliis litteris ad Archiepiſcopum datis Laterani 5. id. April. in Angliam regreditur, quibus priorum quidem litterarum acerbitatem mitigauit; non tamen ſic litem diremit: quippe Archiepiſcopus priuilegia illa antiqua quæ iactitabant Monachi, falſitatis arguere aggreſſus eſt, conuicturumque promiſit. Mutata itaque rerum facie, quia non poterant facile inſtrumenta publica Abbatiæ Romam tranſmitti, Papa tres viros iis recognoſcendis commiſit, ſcilicet Epiſcopos Herefordenſem & Vuigornienſem ac M. Petrum de Melidis. Apud quos acerrimè vtrinque certatum eſt, ſed tandem certis conditionibus Pax inita eſt Pictauij Rege Henrico II. præſente an. 1184. cum aliquo detrimento iurium, quæ prætendebant Rogerius & Conuentus.

1178. *De Hæreſi Toloſana*

Anno 1178. creſcente & ingraueſcente in dies Hæreſi Toloſana ſeu Albigenſium Reges Franciæ & Angliæ cogitarunt primum illuc mittere numeroſum exercitum communibus impenſis ad exterminandam penitus Gentem illam, quæ cæteras prouincias peſte ſua inficere cœperat. Verum tandem cum illis mitius adhuc agere decreuerunt. Et nonnullos viros graues & Doctos ad prædicandum Dei verbum delegarunt, Petrum Cardinalem tit. S. Griſogoni, Reginaldum Bathonienſem, Ioannem Pictauienſem Epiſcopos, & Henricum Clare-Vallenſem Abbatem: de quorum virorum miſſione & prædicatione, Hæreticorum verò pertinacia fusè ſcribit Rogerius Hoüedenſis ad an. 1178.

Interim, inquit, *Arriana Hæreſis*, quæ damnata erat in prouincia Toloſanâ iam
" reuixerat. Quod cum ad aures Regis Franciæ ac Regis Angliæ peruenirent, zelo
" Chriſtianæ fidei accenſi ſtatuerũt quod illuc irent in propriis perſonis & prædictos
" Hæreticos prorſus à finibus illis eliminarent. Elapſo deinde aliquanto temporis
" ſpatio videbatur eis plus poſſe perficere, ſi viros ſapientes illuc miſiſſent, qui hæ-
" reticos illos prædicatione & doctrinâ ad fidem Chriſtianam conuerterent, quàm
" ſi ipſi in propriis perſonis illuc ire properaſſent. Dictum enim erat eis.
"
" *Vindictam mandaſſe ſat eſt, plus nominis horror,*
" *Quàm tuus Enſis agit. Minuit præſentia famam.*
"
" Miſerunt ergo illuc Petrum titulo S. Griſogoni Presbyterum Cardinalem Apo-
" ſtolicæ ſedis legatum & Bituricenſem, & Narbonenſem Archiepiſcopos, & Re-
" ginaldum Bathonienſem, Ioannem Pictauienſem Epiſcopos, & Henricum Abba-
" tem Clare Vallenſem & alios multos viros Eccleſiaſticos, vt prædicatione ſua hæ-
" reticos illos ad fidem Chriſtianam conuerterent, vel rationibus probabilibus illos
" eſſe Hæreticos manifeſtarent, & à liminibus S. Matris Eccleſiæ & fidelium con-
" ſortio ſequeſtrarent. Qui cum vẽniſſent, orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum
" S. nondum enim in quenquam illorum venerat. Præterea prædicti Reges elege-
" runt Raimundũ Comitem Toloſanum & Vice-comitem de Turena, Raimundum
" de Caſtro nouo & alios viros potentes & præceperunt quod ipſi prædicto Cardi-
" nali & ſociis ſuis in fide Chriſti aſſiſterent & Hereticos illos à finibus illis virtute
" potenti expellerent. Cum igitur prædictus Cardinalis & cæteri viri Catholici
" Toloſam eſſent ingreſſi, inuenerunt illi quendam Diuitem duo Caſtella haben-
" tem, vnum infra ciuitatem, & aliud extra muros ciuitatis, qui ante illorum ad-
" uentum ſe Hæreticæ prauitatis ſectatorem confitebatur, ſed iam præ timore ex-
" territus ſectam illam execrabilem velare cupiens, Chriſtianiſſimũ ſe eſſe ſimula-
" bat. Quod cum Cardinali innotuit, præcepit prædictum diuitem ſibi præſentari,
"

qui cum veniſſet vt fidem ſuam confiteretur, in omnibus articulis inuentus eſt fidei Chriſtianæ contrarius; & ideo à prædicto Cardinale & Epiſcopis qui cum eo erant manifeſtus hæreticus iudicatus eſt & condemnatus: & ab illis præceptum eſt vt res illius confiſcarentur, & turres eius quas proceras & pulcherrimas habuit, demolirentur.

Videns ergo ſe damnatum & res ſuas confiſcari, venit ad Cardinalem & ad ſocios ſuos Epiſcopos, & ad eorum pedes proſtratus veniam poſtulauit, & iniuncta ſibi pœnitentia nudus ducitur & flagellatur perplateas & vicos Ciuitatis. Deinde iurauit Hieroſolymam ſe iturum & ibidem in Dei ſeruitio per triennium moram facturum. Et ſi poſt triennium domum rediret, poſſeſſiones ſuæ redderentur ei. Ita tamen quod turres ſuæ cederent in teſtimonium hæreticæ prauitatis & ipſe daret Domino ſuo Comiti Toloſano 500. libras argenti. His ita geſtis multi hæretici timentes vt ſimili modo tractarentur, venerunt ad Cardinalem & ad ſocios ſuos, & ſecreto confeſſi errorem ſuum & veniam poſtulantes miſericordiam conſecuti ſunt.

Tunc erat Bituricenſis Archiepiſcopus Garinus de Girardo religione & genere clarus, vt legitur in chronico Lemouicenſi, Narbonenſis verò, Pontius de Alſatio, cui paulo poſt ſucceſſit Ioannes des Bellemains Epiſcopus Pictauienſis.

In eandem rem extat Epiſtola Petri Cardinalis S. Griſogoni vniuerſis S. Matris Eccleſiæ filiis, quæ ſic incipit. *Teſtante Apoſtolo ſicut vnus Deus, ita & vna fides eſſe dignoſcitur, à cuius integritate nullus poteſt ſine periculo deuiare.* Extat quoque Epiſtola Henrici Abbatis Claræ-vallenſis ad omnes Chriſti fideles apud eundem Houedenſem in poſteriori parte Annalium ad hunc annum de *Petro Morono* Principe Hæreticorum. Qua totius rei geſtæ ſeriem ordinemque complectitur. Eſtque eiuſmodi.

Audite cœli quod plangimus, ſentiat terra gemitum cordis noſtri, doleant vices Chriſti Catholici Chriſtiani & ad detrimentũ fidei fidelis populus ingemiſcat, quique terrigena & filij hominum humanæ ſalutis damna deplorent, & generalis vitæ ſuæ ſubuerſioab omnibus viuentibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Iſrael nouus noſtri temporis Philiſtæus Hæreticorum ordo, exercitus peruerſorũ, qui agminibus Dei viuentis irreuerenter exprobrat & Dominum Maieſtatis impiâ præſumptione blaſphemat. Quid dubitas ô Dauid! quid trepidas vir fidelis! ſume tibi fundam & lapidem, percutiatur protinus in fronte blaſphemus, & caput nequam quod imprudenter erigitur, ſuo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars Chriſti vincitur, ſi vel ad modicum & in pũcto mater Eccleſia conculcatur, ſcimus profecto non deeſſe cauſæ noſtræ meritũ, ſed patronum: ſcimus quod non negabitur Agoniſtæ noſtro triumphus, ſi in amore Chriſti militem pugnaturus. Verum iuxta veritatis verbum, Domini meſſis multa eſt, operarii vero pauci ſubintroierũt, audacter tuorũ Bone Ieſu, depopulatores agrorum, parati ſunt operarii ſubdoli acerba magis eradicare quàm matura demetere, & ſuæ meſſionis diem ſuis diſreptionibus præuenire. Vbi ſunt ergo nunc Agricolæ tui conſtituti ſuper fertilem agrum & iocundum, tuo cuore floridum & aſperſione pii ſanguinis irrigatum? ſurgant & opitulentur nobis, & in neceſſitate vos protegant, ſeque ad cruentas beſtias murum defenſionis opponant. Surgite inquã, ſurgite viri patres, duces gentium, principes populorum. Abigite feras peſſimas quas vidimus, quas monſtramus, vel ſaltem vulpes paruulas effugate. Et capere quidem melius, ſed ad hæc quis idoneus? Non habent certos aditus, ſemitas ambulant circulares, & in quodam fraudum ſuarum labyrintho monſtra noua reconduntur. Tanquam Damulæ de manu diffugiunt, & inſtar colubri tortuoſi, quò eos plus adſtrinxeris, facilius elabuntur. Deo autem gratias, quia etſi capi nequeunt, fugari poſſunt, vt cum prodiderint quæ demoliebantur in nobis confundantur & pereant in ſeipſis. Hoc quàm ſit autem facile, per ea quæ vidimus & tractauimus, approbamus, vt iam amodo ſi factum fuerit, non tam illorum nequitiam, quàm defectus noſtros noſtrorumque negligentiam deploremus.

Contigit enim nuper ad imperium D. Papæ & hortatu piiſſimorum Principum Ludouici Francorum & Henrici Anglorum Regem, uenerabilem Petrum Apoſtolicæ ſedis Legatum viroſque diſcretos Pictavienſem & Bathonienſem Epiſco-

Status vebis Toloſana Hæreſi infeſta.

„ pos, noſque in comitatu eorum vrbem adire Toloſam, quæ ſicut erat ciuitas ma-
„ ximæ multitudinis, ita etiam dicebatur Mater Hæreſis & caput erroris. Perrexi-
„ mus ergo ad illam, vt ſciremus, ſi iuxta clamorem qui aſcenderat, eſſet dolor eius.
„ Et ecce inuenta eſt plaga eius magna nimis. Itaut à planta pedis vſque ad verti-
„ cem non eſſet in ea ſanitas. Verè enim tertia pars nobis nunciata non fuerat de
„ omnibus abominationibus ſuis malis, quas Ciuitas illa nobilis in incredulitatis
„ ſuæ gremio confouebat. Locum in ea ſibi abominatio deſolationis inuenerat, &
„ propheticorum ſimilitudo reptilium in latibulis eius domicilium obtinebat.
„ Ibi hæretici principabantur in populo, dominabantur in clero, eo quod ſicut
„ populus, ſic ſacerdos, & interitū gregis ipſa configurabat vita paſtoris. Loquebantur Hæretici & omnes admirabantur. Loquebatur Catholicus, & dicebant quis
„ eſt hic? in ſtuporem & miraculum deducentes, ſi eſſet aliquis inter eos, qui de
„ verbo fidei auderet aliquid vel mutire. Interim prȩualuerat peſtis in terra, quod
„ illi ſibi non ſolum ſacerdotes & Pontifices fecerant, ſed etiam Euangeliſtas habe-
„ bant, qui corruptâ & cancellatâ Euangelicâ veritate noua illis Euangelia cuderent
„ & de corde ſuo nequam recentia dogmata ſeducto populo prædicarent. Men-
„ tior, ſi non erat inter eos homo quidam ætate grandæus, rebus locuples, orna-
„ tus fratribus & amicis, & magnus homo inter maximos Ciuitatis, quem ita pec-
„ catis exigentibus Diabolus excœcarat, vt ſeipſum Ioannem Euangeliſtam dice-
„ ret, & verbum quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum prin-
„ cipio tanquam à Deo altero ſegregaret. Hic erat in vrbe illa pereuntium caput
„ & Princeps Hæreticorum, qui licet tanquam Laïcus & Idiota nihil ſaperet, in-
„ ter eos tamen velut quidam Diabolicæ ſapientiæ fons perditionis latices emana-
„ bat. Conueniebant ad eum nocte noctuæ tenebroſæ, & ille indumento adin-
„ ſtar tunicæ dalmaticęque veſtitus cum ſederet inter eos tanquam Rex circun-
„ ſtante in exercitu erat & iuerat deſipientium prædicator. Totam penitus vr-
„ bem Diſcipulis ſuis & diſciplinâ repleuerat. Quippe cui aliquis de vrbe præ
„ fortitudine ſua reſiſtere non auderet. In ipſo quoque introitu noſtro tanta erat
„ Hæreticorum vbique licentia, vt nos quoque per vicos & plateas recto iti-
„ nere procedentes verbo ſubſannarent, digito demonſtrarent, nos Apoſta-
„ tas, nos hypocritas, nos hæreticos conclamantes. Verum procedente tempore &
„ datâ nobis requie diebus paucis nunciatum eſt vni de nobis verbum exhorta-
„ tionis aſſumere, & de regula veræ fidei coram infideli multitudine diſputare.
„ Habito autem ſermone orthodoxæ prædicationis ad plebem conterriti ſunt in
„ Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas, vt qui prius obſtruebant ora loquen-
„ tium, iam apparere coram loquentibus non auderent. Audires illico vel videres
„ vulpes transfiguratas in talpas, vt quæ prius in publico diſcurrebant, iam terrarū
„ latebris, iam ſe ſe cellulis immergerent cauernoſis, & plantaria ſacra quæ iam
„ non audebant in aperto commandere, infra terræ viſcera corroderent & neca-
„ rent. Ne autem Pardus ille diſcolor pellis ſuæ varietate ſe proderet, ſermonē ſi-
„ bi nequam callidis adinuentionibus firmauerunt, vt ad noſtræ cōformitatis ſimili-
„ tudinē tracti ad diſcuſſionis examen, quidquid nos credimus, ſecredere mentire-
„ tur. Ex illa ergo die D. Legatus & nos alii, qui cū tetris beſtiis cōgredi putabamus,
„ ad perſcrutandos eos, quos timor & confuſio tanquam ignobile reptile in ima ter-
„ ræ detruſerant, ſtudium totum conuertimus & laborem, vt vel coacti prodirent
„ in publicum & abiicerent in luce opera tenebrarum. Factum eſt exinde præci-
„ piente Legato, vt iuraret Epiſcopus & Quidam de Clero & Conſules Ciuitatis
„ aliique viri fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama reſperſerat, vt quoſ-
„ cunque vel hactenus nouerant, vel noſſe eos contingeret in futuro, qui eſſent hu-
„ ius hæreſis vel complices vel actores, eorum nobis nomina ſcripto depromerent,
„ nulli penitus vel amore, vel pretio vel cuiuſpiam neceſſitudinis ratione parcen-
„ tes.

„ Cumque per dies ſingulos innumera multitudo in catalogum illius conſcriptio-
„ nis incederet, nominatus eſt inter alios Magnus ille Petrus Moronus, quem Ioan-
„ nem Euangeliſtam, vt ſupra diximus, nominabant: ſuper quo nos omnes commu-
„ nicato conſilio decreuimus ab illo inchoare iudicium, vt turba in reliquis perfi-
„ da cum contremiſceret cū falſi Euangeliſtę verſutiam veri Euangelij ſimplicitas
„ condemnaſſet. Miſſis igitur apparitoribus ſuis præcepit eum Comes S. Egidii qui

fideliter nobis aderat, accerſiri. Sed ille in multitudine diuitiarum ſuarum & parentum numeroſitate confidens primæ citationis edictum faſtuoſæ dilationis colludio declinauit.

Altera ergo die prædictus Comes S. Egidij blandictis magis quàm terroribus vtens eundem Petrum per amicos & notos leniter aduocauit, & eum nobis tandem poſt difficultates plurimas mixtis cum terrore blandiciis præſentauit. Tunc vnus qui loquebatur è nobis taliter eum exorſus eſt commonere. *Eia nunc, Petre, tui te Conciues accuſant, quod ſanæ fidei regulis confutatis in Arrianæ hæreſis deuenerit prauitatem, imo per multiplicium errorum verſutias & ducas ipſe alios & ab aliis ducaris.*

Ad hæc ille de profundo ſuſpirans, in ſe non eſſe huiuſmodi prima fronte eſt mentitus. Et requiſitus an hoc iuramento probaret, ſimplici aſſertioni ſuæ tanquam viri nobilis & illuſtris oportere credi contendit. Cæterum cum in exigendo iuramento vniuerſi pariter inſtaremus, promiſit continuò ſe iuraturum, ne in hoc deprehenderetur Hæreticus, ſi iuxta quod conſuetudo erroris illius obtinuit, vitandi iuramenti exiſteret obſtinatus. Mox igitur Sanctorum Reliquiæ honorabiliter afferuntur cum tam ſolenni reuerentia & deuotione ſuſceptæ, vt & fidelis populus compungeretur ad lachrymas, Hæreticos vero qui conuenerant, latebræ potius, quàm talia ſpectacula delectarent. Ipſum vero Petrum in cantu quem ad inuocandam Spiritus ſancti gratiam profuſis lachrymis cantabamus, tremor euidens & pallor operuit, ita vt ab eo color multus aufugeret, & virtus animi deperiret. Quomodo enim aduenientе Spiritu ſancto in aduerſarijs eius ſpiritus remaneret? Cernere erat hominem quaſi morbo paralyſi diſſolutum nec loquelam retinuiſſe, nec ſenſum, quamuis tantæ facundiæ diceretur ab omnibus, quod omnes in dicendo ſolitus ſit ſuperare. Quid pluratiurat infelix adſtantibus vniuerſis, quod de omnibus fidei articulis quos requireremus, ab eo ſuæ credulitatis exprimeret veritatem.

Res mira, & in tali ſpectaculo pia iocũditate gratiſſima. Allatus eſt liber in quo iurauerat & vno de circunſtantibus Religioſo quodã loco occurrẽtis litteræ prænoſticũ perquirente, illius ſcripturæ textus occurrit. *Quid tibi & nobis Ieſu fili Dei? veniſti ante tempus perdere nos?* Vere Domine Ieſu nihil tibi & illis quos pater tuus eiectos à te vite verâ tanquam infructuoſos palmites amputarat & foras miſerat vt areſcant. At nobis inſtantibus vt de ſacramento altaris ſuam nobis nobis fidem ſine fraude aliqua fateretur, quod corde non credidit ad Iuſtitiam, nec ore confeſſus fuit ad ſalutem ſed contra quod de omnibus mentiri decreuerat, falſitatis ſuæ prodidit veritatem & panem ſanctum vitæ æternæ ſacerdotis miniſterio in verbo Domini conſecratum non eſſe Corpus Chriſti nouo dogmate contendebat. Tunc ſurrexerunt omnes eum quodãmõdo lachrymis obruentes, quas & ſacramentorum contemptus elicuit, & habita erga miſerum compaſſio Chriſtiana profudit. Nec plura. Datur Comiti Reus & hæreticus iudicatus, ſtatimque ſub diligenti pollicitatione parentum cuſtodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos & plateas ampliſſimæ ciuitatis, aperiuntur ora fidelium, & Catholicæ plebis labia in tua Chriſte præconia reſoluuntur, velut tunc primum in eadem vrbe fidei ſplendor erumperet, & in ſpem ſalutis æternæ deſperata dudum ciuitas reſpiraret. Ex tunc igitur & deinceps verbum fidei creſcebat & multiplicabatur in dies, itaut vniuerſa vrbis facies lætior videretur, quæ in candorem lucidæ virtutis de tenebris euadebat erroris. Interea *Petrus* ad ſe reuerſus & Domino reſpiciente compunctus cumſe dignum penitus tam præſenti morte cerneret quàm futurâ, miſſis mediatoribus multis ſatisfactionis quærit aditus & conuerſionis pollicetur affectum, vt poſſit in fugam vitæ melioris ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur & in conſpectu ſiſtitur populi circunſtantis nudo quidem corpore veteris exuens perfidiæ prauitatem. Ibi ſe coram omnibus Hæreticum recognoſcens ibi dedit manus fidei, ibi abrenunciauit errori præſtito coram omnibus manu dexterâ iuramento & datis fideiuſſoribus tam Comite quàm multis præcipuis de Conciuibus ſuis, quod ad omne mandatum Domini Legati ſe ſubderet, & iuſſionem eius in omnibus adimpleret. Tunc indictum eſt populo, vt omnes pariter ad Eccleſiam S. Saturnini die altera conuenirent audituri & viſuri ſolenniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille ſuſcipe-

» ret obſeruandam. Omnes ergo ſequenti die vt fuerant præmoniti conuenerũt,
» tanta vtique multitudo tam frequens vt vix remaneret ſecus ipſa altaris cornua
» locus vacuus, qui Domino Legato Miſſæ ſolennia celebranti ſine compreſſione ni-
» mia praberetur. ET ecce coram illa multitudine multa nimis Petrus ille iam no-
» ſter per ipſas Eccleſiæ valuas nudus & diſcalciatus adducitur cedentibus adhuc
» inde Epiſcopo Toloſano & Abbate S. Saturnini, donec ad pedes Legati in ipſis alta-
» ris gradibus ſe proſterneret. Ibi in facie Eccleſiæ Eccleſiaſticis reconciliatus eſt ſa-
» cramentis abiuratâ omni hæreſi & hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autẽ poſ-
» ſeſſionibus eius publicatis vniuerſaliter & proſcriptis pœnitentia illi talis iniũgi-
» tur, quod infra 40. dies à patria ſua exulaturus abſcederet in ſeruitio pauperũ Hie-
» roſolymis triennio moraturus. Interim vero ſingulis diebus Dominicis Eccleſiæ
» Toloſanæ vrbis nudus & diſcalciatus & diſciplinatus cum diſciplinalibus virgis
» iuſſus eſt circuire, Eccleſiarum bona quæ abſtulerat, reddere, vſuras omnes quas
» acceperat, reſtituere, damna pauperum quos afflixerat, reſarcire, & caſtrum quod-
» dam ſuum, quod Hæreticorum conuenticulis profanarat, ab ipſis fundamentis
» euertere. *Deus bone*, quot lachrymas lætitia ſancta profudit! quas gratiarum actio-
» nes & laudes populus iubilauit & deuotus cœleſtibus Choris ingeſſit, cum de
» cauerna perfidiæ talpa talis educitur, & in Iſraeliticam ouem lupus rapaciſſimus
» reformatur. Poſthac illo dimiſſo D. Legatus ad alios manus miſit examinaturus
» vtique illos quos in magno numero vel ſuſpicio publica vel accuſatio priuata no-
» tauerat. Nos autem vix tandem extortâ cum lachrymis licentiâ reuertendi pro eo
» quod inſtantia capituli noſtri iam reditus exigebat, petita licentia ſub ea nobis eſt
» exceptione conceſſa, vt Albienſem Diœceſim intraremus commonituri Principem
» terræ Rogerum ſcilicet Bitercenſem & Albienſem Epiſcopum quem ſub cuſto-
» dia Hæreticorum in vinculis tenebat abſolueret & vniuerſam terram ſuam iux-
» ta D. Legati præceptum eliminatis Hæreticis emundaret. Ingredientibus ergo
» nobis vnàcum ſupradicto Bathonienſi Epiſcopo illam perditiſſimam Regionem,
» quæ velut totius ſentina maliciæ totam in ſe colluuionem Hæreſis illuc defluentis
» excepit, prædictus Rogerus in vltimos & inacceſſibiles terræ ſuæ fines abſceſſit tã
» malà conſcientiâ profugus, quàm cauſæ ſuæ merito deſperatus. Oderat enim lu-
» men veritatis actor maliciæ; nec ſuſtinere poterat noſtræ collocutionis acceſſum,
» qui totus receſſerat in opera tenebrarum. Peruenimus tamen ad quoddam muni-
» tiſſimum Caſtrum eius, quod propriè ac ſingulariter *Caſtri nomine* (vulgo *Ca-*
» *ſtres*) Incolæ nuncupabant. Ibi habitabat vxor eius cum militia magna & fami-
» lia multa nimis. Omnes ferè habitatores illius Caſtri vel hæretici, vel hære-
» ticorum complices erant, licet ſola Domini virtute repreſſi nihil contra fidem
» quam prædicabamus, præſumebant vel mutire. Quamuis enim eſſemus & Nos
» in manibus ipſorum poſiti & velut intra quoſdam potentiæ Complices hæretica
» vndique multitudine circumuenti, verbum tamen Domini non erat alligatum
» quin eos continuis inuectionibus & increpationibus feriremus. Cumque videre-
» mus quod nihil omnino præſumerent reſpondere, iudicauimus prædictum Roge-
» rum proditorem hæreticum & violatâ pace Epiſcopi & ſecuritate periturum; eum
» tanquam publicâ excommunicatione damnatum ex parte D. Legati & prædi-
» ctorum Regum in præſentia conitigis militumque ſuorum confidenter in Chriſti
» nomine diffidantes.

» *Ecce à modo ſatis apparet quàm grande & euidens oſtium patet Principibus Chriſtianis,*
» *vt Chriſti vlciſcantur iniurias; ponantque deſertum illud quaſi hortum Domini & ſolitu-*
» *dinem eius quaſi delicias paradiſi. Ne autem vel parum nihil contra illos poſſe cauſentur,*
» *ſciãt omnes generalem fuiſſe in vrbe Toloſana ſententiã, quod ſi viſitatio iſta fuiſſet adhuc*
» *triennio retardata, vix inueniretur in ea qui nomen Chriſti amplius inuocaret. Super hæc*
» *autem omnia prædictus Comes S. Egidij coram populo Ciuitatis præſtito iuramento firma-*
» *uit, quod amodo nec prece, nec pretio fauerit Hæreticis, nec eos in terra ſua vlterius ſuſti-*
» *nuerit.*

Eodem anno Simoni Abbati San-Albanenſi ſucceſsit Guarinus Prior ſeu Warinus, de quo & de fratre Mathæo item & de Guarino nepote fusè diximus ad annum 1162. ſub eo florebat ſchola S. Albani quam Guarinus nepos rexerat poſt Alexandrum Nexamum. Et iſte, poſt aſſumptum ad Abbatiæ regimen Guarinum, cum apud Duneſtapliam doceret, ſcholas iterum S. Albani petiit ſibi concedi, vt

aliqui

aliqui ſcribunt: verum ab Abbate iocoſo dicterio læſum ſe putans, eas repetere neglexit. Sic enim legitur in vita Guarini apud Mathæum Pariſienſem ad Marginem. *Hic cum tum temporis anno ſcilicet proximo tranſacto* (1177.) *apud Duneſtaple ſcholam rexiſſet, vocauit eum Abbas Guarinus üs litteris breuiter & iocosè ſcriptis:* (peticrat enim idem Alexander Nequam ſcholam S. Albani inſtanter) *Si Bonus es venias, ſi Nequam, nequaquam. Cui tam breuiter & iocose reſcribens Alexander ait. Si velis, veniam; Sin autem, Tu autem. Ac ſi diceret, non multum curo.* Alij hoc ſcribunt non de ſcholis petitis, ſed de ingreſſu in Monaſterium.

Eodem anno Willelmus Remenſis Archiepiſcopus, vt orationum vota Thomæ Martyri glorioſo perſolueret, inquit Radulphus Dicetenſis, magno comitatu Cantuariam venit 6. Kal. Aug. Cui Rex Anglorum, Epiſcopi plures & multi Proceres occurrerunt, eumque maximo cum honore ad Palatium Londinenſe deduxerunt. Eodem anno Richardus de Lucy Iuſticiarius Regni Anglorum, in Roffenſi territorio Cœnobij Canonicorum Regularium fundamenta fecit in honorem eiuſdem Thomæ Martyris.

Anno 1179. habitum eſt Romæ Concilium Lateranenſe, quod II. Vniuerſale Latinorum vocant. Alexander enim Pontifex compoſitis tandem cum Imperatore Friderico diſſidiis, extinctiſque aut domitis feliciter ſchiſmaticis, tanquam poſt tanti temporis ſcandala reſarcitæ vnitatis & veritatis gaudia ſolenniter celebraturus, inquit Neubrigenſis, Generale Concilium Pontificatus ſui anno 20. à partu autem Virginis 1179. 5. id. Martij Lateranis celebrandum inſtituit, ad quod totius Orbis Latini Epiſcopos cum Maiorum locorum Abbatibus euocauit. Imo ad 4. mundi partes 4. Cardinales miſſos fuiſſe legimus in Appendice ad Sigebertum, vt ex iis Prælatos euocarent. Quorum Nomenclatura in M.S. San-Victorino conſcribitur, quamque Io. Picardus in Notis ad Neubrigenſem exſcripſit. Ante illam autem hæc Epigraphe appoſita eſt. 1177. *Concilium Lateranenſe ſeu Romanum.*

Anno ab incarnatione Domini 1179. Præſidente S. R. E. Sanctiſſimo Alexandro Papa III. Pontificatus eius an. 20. menſe Martio, Indictione 15. & 19. die menſis ſedata iam diſcordia quæ inter Eccleſiam & Imperium occaſione Schiſmatis per Octauianum Hæreſiarcham aduerſus prædictum ſanctiſſimum Papam introducti, & per ſucceſſores eiuſdem Octauiani, Guidonem Cremenſem, & Ioannem Strumenſem diutius perdurantis longo tempore inualuerat, prædicto Ioanne vltimo Hæreſiarcha & Frederico Romanorum Imperatore ad vnitatem matris Eccleſiæ redeuntibus ſedi præſidente eodem ſummo Pontifice Alexandro, ſancta & Generalis Synodus in Baſilica Lateranenſi quæ appellatur Conſtantina 300. Epiſcoporum ad hoc ex diuerſis mundi partibus conuocatorum. Quorum nomina ſubtus annexa ſunt.

E Noſtra Gallia hi Epiſcopi in prædicta Nomenclatura leguntur. De Prouincia Remenſi, *Vvillielmus* Arch. Remenſis, *Neuelo* Epiſc. Sueſſionenſis, *Theobaldus* Ambianenſis, *Reinoldus* Nouiomenſis, *Rogerus* Laudunenſis, *Deſiderius* Morinenſis, *Rogerus* Cameracenſis. De Prouincia Rotomagenſi *Egidius* Ebroicenſis. De Senonenſi *Guido Archiep.* Senon. *Ioannes Saresb.* Carnotenſis Epiſc. *Simon* Meldenſis, *Matheus* Trecenſis, *Willielmus* Antiſſiodorenſis, *Obaldus* Niuernenſis. De Prouincia Bituricenſi *Guarinus* Archiep. Bitur. *Girabons* Cadurcenſis Ep. *Seibrandus* Lemouic. De Turonenſi *Radulfus* Andegauenſis Ep. *Gaufridus* San-Briocenſis, *Guido* Leonenſis, *Bartholomæus* verò Archiepiſcopus Turon. morbo præpeditus ire non potuit: quem proinde Stephanus Tornac. per litteras apud Papam & apud Willielmum Remenſem excuſauit. Vt legitur in Ep. 45. & 49. De Prouincia Burdegalenſi, *Vvillielmus* Burdeg. Archiep. *Ioannes* Pictauienſis Ep. Ademarus *Charbonelli* Santonenſis.

Gualterus à S. Victore, cuius ſupra meminimus, lib. 1. aduerſus hæreſes huius ſeculi, Concilium iſtud appellat *Romanum*, quia nempe Romæ habitum eſt in Baſilica Lateranenſi. Alanus quoque de Inſulis, vt infra dicetur, illud idem propter eandem rationem *Romanum* appellat. Alij *Lateranenſe*, quia in Lateranenſi Eccleſia celebratum: vbi teſte Rogerio Houedenſi Alexander in eminentiori loco cum Cardinalibus ſuis & Præfectis & Senatoribus & Conſulibus vrbis conſtitutus feria 11. tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ quæ 3. Non. Martij euenit, primum Concilii diem celebrauit. Secundum 4. feria ſequentis Hebdomadæ quæ 2. idus Martij euenit. In eoque Concilio Vvillielmus Remenſis Archiepiſcopus factus eſt Preſ-

byter Cardinalis ad titulum S. Sabinæ, & Henricus Abbas Clare-uallenſis propter egregiè nauatam in extinguenda hæreſi Toloſana operam, factus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis.

Huiuſce Concilij Canones nonnullos refert Neubrigenſis: Mathæus verò Pariſienſis ſumma Capitula 28. quæ nos quoque hiſce Annalibus inſeremus.

Canones Concilii.

1. *De Electione ſummi Pontificis.* De qua ſic legitur apud Neubrigenſem l. 3. c. 3. *Statuimus, vt ſi fortè ſuperſeminante zizania inter Cardinales ſe ſubſtituendo Pontifice* non potuerit eſſe plena concordia & duabus partibus concordantibus tertia pars concordare noluerit, aut ſibi alium præſumpſerit nominare, ille ab vniuerſa Eccleſia accipiatur Epiſcopus, quià duabus partibus electus fuerit & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus, quia de ratione non poteſt, nomen Epiſcopi ſibi vſurpauerit, tam ipſe quàm qui eum receperint, excommunicationi ſubiaceãt, & totius ſacri Ordinis priuatione multentur: ita vt Viatici etiam eis, niſi tantum in vltimis, communicatio denegetur, & niſi reſipuerint, cum Dathan & Abiron, quos terra viuos abſorbuit, accipiant portionem. Præterea ſi à paucioribus aliquis, quàm à duabus electus fuerit ad Apoſtolatus officium, niſi maior aſſenſus & concordia interceſſerit, nullatenus aſſumatur, & dictæ pœnæ ſubiaceat, ſi humiliter noluerit abſtinere.

2. *De Hæreticis Albigenſibus & diuerſis eorum appellationibus.* Canonem vero ſic exprimit Neubrigenſis. *Sicut ait B. Leo Papa. Licet Eccleſiaſtica Diſciplina Sacerdotali* contenta iudicio cruentas effugiat vltiones, Catholicorum tamen Principum Conſtitutionibus adiuuatur, vt ſæpe quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſupra ſe metuunt iudicium vel ſupplicium euenire. Ea propter quia in Waſconia, Albigeſio & partibus Toloſanis & aliis locis ita Hæreticorum, quos alij Catharos, alij Publicanos, alij Paterinos, alij aliis nominibus vocant, inualuit damnanda peruerſitas, vt iam non in occulto ſicut alij, nequitiam ſuam exerceant, ſed errorem ſuum publicè manifeſtent, & ad conſenſum ſuum ſimplices attrahant & infirmos, eos & defenſores eorum & Receptores anathemati decernimus ſubiacere, & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo, vel in terra ſua tenere vel fouere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, nec ſub priuilegiorum noſtrorum, quibuſcunque indultorum obtentu, niſi ſub alia quacunque occaſione aut oblatio pro eis fiat, aut inter Chriſtianos ſepulturam accipiant.

3. *De Ruptariis & Brabantiis Prædonibus, qui fideles affligunt.* In Canone Neubrigenſis ſic legitur. De Brebantionibus & Arragonenſibus, Nauarris, Baſculis & Coterellis.

Tertius iſte Canon apud Geruaſium Dorobernenſem eſt de multiplicitate Beneficiorum Eccleſiaſticorum: de qua ſic habetur. Quia verò nonnulli modum auaritiæ non ponentes & diuerſas Eccleſiaſticas dignitates, & plures Eccleſias parochiales contra ſacrorũ Canonum inſtituta nituntur adquirere; ita vt cum vnum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vindicent plurimorum, ne id de cætero fiat, diſtrictius inhibemus. Cum igitur vel Eccleſia vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco & curam eius per ſeipſam valeat exercere. Quod ſi aliter factum fuerit, & qui receperit quod contra ſacros Canones acceperit, amittat. Et qui dederit, largiendi poteſtate priuetur. Et quia tantum quorundam proceſſit ambitio, vt non duas vel tres ſed ſex vel plures Eccleſias perhibeantur habere, nec duabus poſſunt debitam protuitionem impendere: per fratres & Coepiſcopos noſtros hoc emendari præcipimus, & de multitudine Canonibus inimica, (quæ diſſolutionis & vagationis materiam inducit & certum continet periculum) eorum qui Eccleſiis deſeruire valeant, indigentiam ſubleuari.

Legitur apud eundem alius Canon ordine nonus pertinens ſimiliter ad vacationes Beneficiorum & Expectationes vacationis eorundem: nec abludit ab hac hiſtoria, in qua frequens mentio fiet ſequentibus ſeculis de Gratiis Expectatiuis & Reſeruationibus Beneficiorum à Curia Rom. introductis. Sic ergo habet. *Nulla Eccleſiaſtica miniſteria ſeu etiam Beneficia vel Eccleſiæ alicui tribuantur ſeu promittantur, antequam vacent, ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum & beneficium ſe credit ſucceſſurum. Cum enim id etiam in ipſis Gentilium legibus inuniatur inhibitum, turpe nimis eſt & diuini plenum animaduerſione iudicij, ſi locum in Eccleſia*

Dei futura ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam condẽnare Gentiles homines certauerunt. Cum verò prebendas, Eccleſias, ſeu quælibet Officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, vel ſi etiam modò vacent, non diu maneant in ſuſpenſo, ſed in ſex menſes perſonis quæ dignè adminiſtrare valeant conferantur: ſi autem Epiſcopus vbi ad eum ſpectauerit, conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur. Quod ſi ad Capitulum Electio pertinuerit & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundum Deum hoc cum conſilio Religioſorum virorum exequatur. Aut ſi forte omnes neglexerint, Metropolitanus de ipſis ſecundum Deum abſque illorum contradictione diſponat. Præterea Epiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconem vel Presbyterum ordinauerit, tandiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec ei in aliqua Eccleſia conuenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet, niſi talis forte qui ordinatur, extiterit qui de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.

4. *Quod* nullus promoueatur in Epiſcopum vel ad aliquem ordinis gradum, niſi legitimæ ſit ætatis & de legitimo matrimonio ſuſceptus.

5. *Ne viuentibus* Perſonis Eccleſiæ conferantur, nec illis defunctis vltra ſex menſes vacent.

6. *De appellationibus.*

7. *Ne* intra ſacros ordines conſtituti, vel qui Eccleſiaſticis ſuſtentantur ſtipendiis, ſe immiſceant ſecularibus.

8. *De Treugis* ſtatuendis & temporibus Treugarum.

9. *Quod* Clerici vnam habeant tantum Eccleſiam, & quod Epiſcopus ſi aliquem ſine certo ordinauerit titulo, tandiu neceſſaria inueniat, donec ei in aliqua Eccleſia ſtipendia aſſignet.

10. *Ne Patroni* vel quilibet Laici Eccleſias opprimant aut Eccleſiaſticas perſonas.

11. *Ne Iudæi* vel Sarraceni Chriſtiana mancipia permittantur habere, ſed ad fidem Chriſti ſi conuerti voluerint, à poſſeſſoribus ſuis nullatenus excludantur.

12. *Vt Leproſi* excludantur à cohabitatione hominum, Oratorium habeant & proprium ſacerdotem.

13. *Ne bona* Eccleſiaſtica in vſus alios conuertantur, nec Decani pro certa pecuniæ quantitate iuriſdictionem exerceant Epiſcopalem.

14. *Et in* Electionibus vel Eccleſiaſticis ordinationibus conſequatur effectum, quod à maioris & ſanioris Concilij parte fuerit conſtitutum.

15. *Quod* vſurarij manifeſti ad communionem altaris non admittantur, nec Chriſtianam habeant ſepulturam. Et agricolæ & viatores & omnia quæ ſua ſunt, plena vbique pace & ſecuritate lætentur.

16. *Vt* ordinationes ſchiſmaticis factæ, irritæ habeantur & inanes, & beneficia ab eis collata reuocentur.

17. *Ne pro* Eccleſiaſticis inſtituendis perſonis, ſeu mortuis ſepeliendis, aut nubentibus benedicendis vel aliis Eccleſiæ ſacramentis aliquid exigatur.

18. *Ne viri* Religioſi vel quilibet alij Eccleſias vel decimas præſumant de manu ſuſcipere Laicorum ſine authoritate Epiſcoporum, & non ſemel in anno Templarij, ſiue Hoſpitalarij Eccleſias ſub interdicto poſitas aperiant, nec corpora ſepelire tunc præſumant.

19. *Ne* quis interuentu pecuniæ habitum Religionis vſurpare præſumat, nec Conuerſus peculium habeat: nec facti Prælati non niſi pro dilapidatione vel incontinentia degradentur.

20. *Ne* Chriſtiani Sarracenis armavendant, nec patientes naufragium quiſquam ſpoliare præſumat.

21. *Vt Clerici* intra ſacros ordines conſtituti continenter viuant, & ſi illâ incontinentiâ, quæ contra naturam ſit, deprehenſi fuerint laborare, excommunicentur & à clero abiiciantur.

22. *Vt* Archiepiſcopi Parochias vel Eccleſias viſitantes quadraginta vel quinquaginta equorum numero ſint contenti. Epiſcopi viginti vel triginta. Legati 25. Archidiaconi 5. vel 7. Decani duarum euectionum numerum non excedant.

23. *Vt nullus* Torneamenta exercere præſumat, & mortui in Torneamentis Chriſtiani careant ſepultura.

24. *Quod* vnaquæque Cathedralis Eccleſia Magiſtrum habeat, qui pauperes

ſcholares & alios doceat, nec pro licentia docendi aliquis pretium exigat. Hunc Canonem habemus ſic expreſſum.

De Scholaſtica Prabenda & licentia docendi.

Quoniam Eccleſia Dei & in his quæ ſpectant ad ſubſidium corporis, & in his quæ ad profectum proueniunt animarum, indigentibus ſicut pia mater prouidere tenetur, ne pauperibus qui parentum opibus iuuari non poſſunt, legendi & proficiendi opportunitas ſubſtrahatur, per vnamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro qui Clericos eiuſdem Eccleſiæ & ſcholares pauperes gratis doceat, competens Beneficium aliquod præbeatur, quo docentis neceſſitas ſubleuetur & diſcentibus via pateat ad Doctrinam, & in aliis quoque Eccleſiis reſtituatur ſeu Monaſteriis, ſi retroactis temporibus aliquid in eis fuerat deputatum. Pro licentia verò docendi, nullum omnino pretium exigat, vel ſub obtentu alicuius conſuetudinis ab his qui docent, aliquid querat, nec docere quenquam expetitâ licentiâ, qui ſit idoneus, interdicat. Qui verò contra hoc venire præſumpſerit, ab Eccleſiaſtico ſiat beneficio alienus. Dignum quippe eſſe videtur, vt in Eccleſia Dei fructus laboris ſui non habeat, qui cupiditate animi dum vendit docendi licentiam, Eccleſiaſticum profectum nititur impedire.

Hic Canon, qui ad Scholas pertinet, valde notandus eſt. Nam Scholaſticam Præbendam in Cathedralibus Eccleſiis inſtituit, vbi certè non fuerat ante inſtituta: & Cancellariis ſeu aliis ſtudiorum Præfectis interdicit omnipretio & mercede pro concedenda licentiâ docendi. Iamque id prohibuerat Alexander initio ſui Pontificatus; & tamen M. Petro Comeſtori ſingularis priuilegii loco indulſerat exigendi facultatem, ſed ea lege ne vllus præter eum eo iure gauderet: quam in rem dederat ad Cardinalem S. Griſogoni litteras, vt ante retulimus.

Idem Pontifex Epiſt. ad M. Richardum de Lucy Epiſcopum Vvintonienſem, prout refertur in Decretalibus Gregorij IX. ſic habet. *Prohibeas ne in Paræcia (Diœceſi) tua pro licentia docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur. Si quid verò poſtea ſolutum fuerit vel promiſſum, remitti promiſſum facias & reſtitui appellatione ceſſante ſolutum, ſciens quod ſcriptum eſt, Gratis accepiſtis, gratis date. Sanè ſi quis diſtulerit Magiſtros in locis congruis inſtituere, tibi liceat appellatione poſtpoſita ibi aliorum inſtructioni præficere viros prouidos, honeſtos & diſcretos.*

Ibidem vetat pro licentia docendi pecuniam exigi, licet alicubi contraria vigeret conſuetudo. *Quanto Gallicana Eccleſia Maiorum Perſonarum ſcientia & honeſtate præfulget & eo cautius nititur curare quæ confundere videantur Eccleſiaſticam honeſtatem, tanto vehementiori dignos eſſe animaduerſione cenſemus, qui nomen Magiſtri Scholarum & dignitatem aſſumunt, & ſine certo pretio Eccleſiaſticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc praua conſuetudo à cupiditatis radice proceſſerit, & decorem admodum Eccleſiaſticæ honeſtatis confundat, mandamus, quatenus conſuetudine ipſa de veſtris Eccleſiis extirpata, ſub anathematis interminatione hoc inhibere curetis diſtrictè præcipientes, vt quicumque viri idonei & litterati voluerint regere ſtudia litterarum, ſine moleſtia & exactione qualibet ſcholas regere permittantur. Si qui verò huiuſmodi prohibitionis vel præcepti extiterint tranſgreſſores, eos Officiis & Dignitatibus ſpolietis.*

Hæc videtur eſſe conſtitutio Alexandri de licentiis impertiendis, cuius meminit in Ep. ad Cardinalem S. Griſogoni, quam alibi retulimus: damnat enim prauam conſuetudinem Gallicanæ Eccleſiæ, quæ cum Magiſtros licentiis dandis præpoſuiſſet, non vetuerat tamen pro illis aliquid pretij exigere. Et ideo Gloſſa in hunc locum ſic habet. *Conſuetudo erat in Eccleſia Gallicana* (& maximè Pariſiis) *quod Magiſtri ſcholarum ſine certo pretio alicui docendi licentiam non concedebant. Papa volens illam prauam conſuetudinem extirpare quæ de radice cupiditatis procedit, prohibet ſub anathematis interminatione, vt quicunque idonei fuerint regere ſcholas, ſine moleſtia vel exactione aliqua permittantur. Etſi qui huiuſmodi prohibitionis fuerint tranſgreſſores, officiis & Dignitatibus ſuis ſpolientur.* Ibidem notat Gloſſa Magiſtros ſcholarum inter Dignitates eſſe accenſendos. Sic enim habet. *Item nota Magiſtros Scholarum dignitatem habere.* Sed abſoluamus quæ reſtant ſtatutorum Lateranenſium Capita.

25. Vt Prælati vnam tantum regant Eccleſiam, & quod Patroni ab Eccleſiis in ſuo fundo conſtitutis exactiones non faciant.

26. Ne Epiſcopi ſeu viri eccleſiaſtici ſtare compellantur iudicio Laïcorum: nec Laïci Laïcis decimas conferre præſumant. Hic canon hoc modo exprimitur

apud Neubrigenſem. *Sanè quia Laïci* quidam Eccleſiaſticas perſonas & ipſos etiam Epiſcopos iudicio ſuo ſtare compellunt, eos qui de cætero id præſumpſerint, à communione fidelium decreuimus ſegregandos.

Cæteri Canones pertinent ad vſuras, quas Eccleſiaſtici tam liberè tunc exercebant, quàm ipſi fœneratores publici.

In hocce Concilio aiunt nonnulli agitatas fuiſſe & damnatas quaſdam Petri Lombardi propoſitiones: ſed in acta nihil video relatum. Nam quod ſcribit Mathæus ad hunc annum Alexandrum Papam mandaſſe Vvillielmo Senonenſi vt ſynodum Pariſiis congregaret & malè ſonantes Petri aſſertiones damnaret, ad ſuperiores annos referendum. *Hæreſis Lombardi.*

Crediderim tamen ea de re Alexandrũ bis ad Guillielmum ſcripſiſſe: ſemel quidem circa an. 1173. quo tempore Guillielmus erat adhuc Senonenſis Archiepiſcopus: & nos ſupra ad an. prædictum 1173. ipſius litteras retulimus. Iterum hoc anno: cum enim materia iſta propoſita fuiſſet ad diſcutiendum, palamque & apertè hæreſeos accuſaretur Petri Lombardi Doctrina, nonnulli Cardinales & Epiſcopi qui fuerant eiuſdem Petri Diſcipuli pro poſſe repugnarunt, tandemque de Concilio exierunt indignum iniquumque reputantes vexari memoriam tanti hominis, eiuſq; ſcripta indiſcuſſa notari, quæ plurimi parati erant defendere. Veruntamen ſcribit M. Gualterus de S. Victore Alexandrum de Concilii ſententia damnaſſe hanc propoſitionem, *Chriſtus ſecundum quod homo, non eſt aliquid, interdixiſſeque omnibus Magiſtris Pariſienſibus aliiſque aliarum ciuitatum Doctrinam eiuſmodi docere datis ad prædictum Guillielmum Remenſem tunc Archiepiſcopum litteris.* Rem ſic narrat Gualterus.

Hoc ſciendum quod Alexander Papa nuper in Concilio Romano parauerat nominatim illius (Lombardi) *ſententias damnare, quarum argumentis & Arrij & Sabellii & nouorum hæreticorum error recrudeſceret, ſcilicet quod Chriſtus nihil ſit ſecundum quod homo. Quidã verò Cardinaliũ cauſam Dei & fidei Chriſtianæ Religionis, qua ſtamus & viuimus alienis negotiis poſtponentes non rectè & reſpondentes dixerunt Venerabili Papæ. Domine alia maiora ſuſcepimus tractanda. Tunc Apoſtolicus.* Imo primum & maximum *de fide & Hæreticis agendum eſt. Quod illi audientes egreſſi ſunt de Conſiſtorio. Quidam etiam Epiſcopus Vvalenſis Adam exiuit cum illis dicens*: Domine Papa ego ei Eccleſiæ & Præpoſitus olim ſcholarum eius defendam ſententias Magiſtri. *Quid plura? ceſſent iam putidæ Ranarum garrulitates, Apoſtolica ſede de Roma ita intonante & definiente.*

Alexander Ep. S. S. D. Venerabili fratri Vvillielmo Remenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato Sal. & Apoſtol. bened. *Cum Chriſtus perfectus Deus, perfectus ſit homo, mirum eſt qua temeritate quiſquam audet dicere quod Chriſtus non ſit aliquid ſecundum quod eſt homo. Ne autem tanta poſſit in Eccleſia Dei dici abuſio ſuboriri vel error induci: fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus conuocatis Magiſtris* Scholarum Pariſienſium & Remenſium & *aliarum circumpoſitarum Ciuitatum authoritate noſtra ſub anathemate interdicas, ne quis de cætero dicere audeat Chriſtum non eſſe aliquid ſecundum quod homo. Quia ſicut verus Deus, ita verus eſt homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Datum 12. Kal. Mart.*

Idem Mathæus ſcribit Ioachimum Abbatem Florenſis Cœnobij in Calabria libellum euulgaſſe contra Petrum, eumque hæreſeos inſimulaſſe, eo quod inter cætera ſua dogmata de vnitate ſiue eſſentia Trinitatis verba faciens dixiſſet, *Quod quædam ſumma res eſt, Pater & Filius & Spiritus S. & illa non eſt generans neque genita neque procedens.* Contra enim Abbas opponebat, quod Petrus non Trinitatem in Deo, ſed Quaternitatem adſtrueret, tres videlicet Perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam manifeſtè proteſtans, quod *nulla res eſt quæ ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec ſubſtantia, nec eſſentia, nec natura*; quamuis concederet quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vna natura.

Hanc autem aſſertionem idem Ioachim his rationibus & authoritatibus confirmabat teſte eodem Mathæo. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus S.* & hi tres vnum ſunt. *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.* Item *Volo Pater vt ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus.* Vnde videtur, inquit Mathæus, quod dictus Ioachim

huiuſmodi vnitatem non veram & propriam, ſed quaſi collectiuam & ſimilitudinariam eſſe fateretur, quemadmodum multi homines dicuntur vnus populus, & multi fideles vna Eccleſia.

Hæc altercatio inter vtriuſque authoris ſectatores creſcens, indeciſa remanſit à temporibus Alexandri vſque ad annum 1215. ſub Innocentio III. a quo libellus Abbatis damnatus eſt in Concilio Lateranenſi III.

DISSERTATIO DE M. ALANO INSVLENSI.

E Idem Concilio Romano interfuiſſe fertur M. Alanus de Inſulis, tantæ olim prædicationis & famæ Profeſſor in Academia Pariſienſi, tunc vero Conuerſus Ciſtercienſis. Nempe ille abiectâ docendi prouinciâ ſe ſubſtrahens, ignotus & ſublimem mentitus animi magni capacitatem ad Ciſtercienſes pro more multorum Magiſtrorum ſe contulerat, & veluti Laico & Idiotæ habitum Monachicum dari ſibi poſtularat: at aliquanto poſt quis & quantus eſſet ſeſe prodidiſſe perhibetur. Cum Abbate enim ſuo Petro (cui Petrus Bleſenſis Tractatum de Tranſſubſtantiatione dedicauit, quique poſtea factus eſt Atrebatenſis Epiſcopus) Romam profectus & locum Concilij clam & latenter ingreſſus, vt vidit quoſdam Doctores Vualdenſes & Albigenſes tam ſubtiliter & acutè hæreſim ſuam tueri, vt Patres Concilij, quid reſponderent, non haberent, ipſe petitâ & obtentâ reſpondendi veniâ eorum ſophiſmata ingenioſè & fortiter confutauit. Quamobrem cum ſe viderent Doctores illi maximo ſuo cum dedecore conuictos, eorum vnus qui Alani famam agnouerat, reſpondit AVT DIABOLVS ES, AVT ALANVS. Quibus ille. NON SVM EGO DIABOLVS, SED ALANVS. Virum tum ibi agnitum ſeu potius recognitum Alexander Pontifex honoribus Eccleſiaſticis cumulare voluit, quos ille non minus generosè reſpuit, quàm Abbatiam ſibi ab Abbate Petro oblatam recuſauit. Hæc de illo ſcribunt aliqui.

Quia tamen variant Hiſtorici, deque tempore quo vixit Alanus, non concordât, præcipuas opiniones referre nõ pigebit. Cõſentiunt fere omnes de eius operibus; de ſeculo vero & ætate quâ vixit & obiit diſcrepant, quorum tres præſertim ſunt variæ ſententię. Prima Trithemij qui ait in lib. de Script. Eccleſ. eum floruiſſe ſub Alberto Imperatore an. 1300. Trithemium ſecuti quàm plurimi; Geſnerus in Bibliotheca, Lilius Giraldus Dial. 5. de Poëtis, vbi de Anticlaudiano his verbis. *Eſt Anticlaudianus contra Claudiani Rufinum liber ab Alano compoſitus, qui ob multiiugam quam in eo admirabantur Germani Diſciplinarum cognitionem*, VNIVERSALIS DOCTOR *eſt cognominatus. Scripſit hic & de plãctu naturæ & eruditionem quidem præ ſe fert vbique, ſed ſtylum habet inconditum & inquinatè loquitur. Fuit hic Germanus ex Inſulis, præfuitque aliquandiu Lutetiæ per tẽpora Adulphi, & mox Alberti Imperatorum annum circiter 1300. Pæne infinita conſcripſit.* Videtur hic author nihil vnquam legiſſe de Alano noſtro, quem ſtylum habere inconditum dicit & inquinatè loqui: cum certum ſit paucos fuiſſe eo præſtantiores, non modo iis temporibus quibus vixit, ſed etiam conſecutis.

Antonius Poſſeuinus Ieſuita ex eodem fonte Trithemiano hauriens, non vltra veritatem ſcrutatus & ſciſcitatus ait ſcripſiſſe Alanum in 4. libros Sentent. M. Petri Lombardi, Oraculum ſacræ ſcripturæ. De Doctrina &c. Et tandem vixiſſe ſub Alberto Imperatore circa an. 1300. Ioannes Gerardus Voſſius idem ſentit. lib. de Poëtis Latinis. *Anno*, inquit, *1300. ſub Alberto Cæſare fuit Alanus de Inſulis Teutonicus ſcriptor operis contra Claudiani Rufinũ. Vnde Anticlaudianus vocatur.* Hic eſt ille qui vocatur DOCTOR VNIVERSALIS. Idem fere ſcribit tota recentiorum authorum turba, qui ſuã ſententiam hac quoque coniectura & ratione fulcire poſſunt, quod M. Vvillielmus Brito qui ſub Auguſto Philippo floruit & ſcripſit, Gualteri & Egidij inſignium Poëtarum meminerit, nullam vero vſquam de Alano mentionem faciat: quem certè non præteriiſſet, ſi tum inter Poëtas celeberrimus & excellentiſſimus habitus fuiſſet.

Contra alij Alanum Inſulanum hocce ſeculo vixiſſe & floruiſſe contendunt:

ſed quis ille fuerit, quodque vitæ genus amplexus fuerit, non conſentiunt. Scribunt nonnulli eum fuiſſe Monachum Clare-Vallenſem, deinde Abbatem Ripatorij Gall. *de la Rivon* in pago Trecenſi, tum Antiſſiodorenſem Epiſcopum, poſtremò ad Claram-Vallem rediiſſe ibique extremos vitæ dies egiſſe an. 1182. Cuius ſententiæ eſt Aubertus Myræus in Scholiis ad Henricum Gandauenſem. *Alanus*, inquit, *Inſulenſis Gallo-Flander ob multiplicem doctrinam nuncupatus Doctor Vniuerſalis, ex Theologo Pariſienſi Monachus Clare-Vallenſis anno 1139. à S. Bernardo conſtitutus eſt primus Abbas Ripatorij in Diœceſi Trecenſi. Exinde ob pietatem atque eruditionem an. 1151. creatus eſt Epiſcopus Antiſſiodorenſis, ſed veteris ſolitudinis deſiderio tactus anno 1167. permittente Alexandro Rom. Pontifice ad Claram-Vallem rediit, vt Robertus Chronographus Antiſſiodorenſis narrat; & ibidem ſub annum 1182. obiit ſepultus in eodem Monaſterio iuxta Goffridum Epiſcopum Lingonenſem.* Camuzatus in Notis marginalibus ad Chronicon Antiſſiodorenſe *dicit hodieque in Ripatorio adſeruari Teſtamentum Alani ſcriptum an. 1182.* Idem aiunt Summarthani fratres in Gallia Chriſtiana. Idem quoque Hiſtoria Giſtercienſis. Camuzatus quidem hæc habet ad marginem Chronici Antiſſiod. *Ripatorium*, Lariuour, *Cœnobium eſt Ciſtercienſis Ord. duabus leucis ab vrbe Tricaſſina diſtans, in quo hodieque aſſeruatur Teſtamentum Alani ſcriptum an. 1182. cuius etiam ſepulchrale monumentum adhuc viſitur in Eccleſia Claræ-Vallenſis Monaſterij, vbi perperam in tabula iuxta tumulum appenſa eſt notatum ipſum obiiſſe an. 1181.*

Valerius Andreas in ſua Bibliotheca Belgica duos ponit Alanos: vnum Inſulis in Gallo-Flandriæ oppido oriundum, primo Monachum Claræ-Vallenſem ſub. D. Bernardo, deinde primum Abbatem Ripatorij; demum anno 1151. Epiſcopum Antiſſiodorenſem; poſtremò prioris ſolitudinis deſiderio tactum anno 1167. Epiſcopatum dimiſiſſe, ad Claram-Vallem rediiſſe, ibidemque obiiſſe an. 1182. & inter alia opera ſcripſiſſe vitam S. Bernardi. Alterum vocat etiam *Alanum de Inſulis* S. Theologiæ Doctorem & Pariſiis ait ſcholæ Eccleſiaſticæ plures annos præfuiſſe & Doctorem Vniuerſalem appellatum fuiſſe contendit, deque eo dici hoc vulgatum. *Sufficiat vobis vidiſſe Alanum.* Id autem iſte author de duobus Alanis ſcribit, opinor, vt duas conciliet opiniones: aliorum quidem exiſtimantium Alanum Abbatem Ripatorij hoc ſeculo vixiſſe; & aliorum, qui ſub Alberto Imper. an. 1300. Alanum floruiſſe contendunt.

Certum eſt hoc ſeculo ſub Ludouico Craſſo, Ludouico Iuniore & Philippo Auguſto floruiſſe Alanum primò Monachum Clare-Vallenſem, deinde primum Ripatorij Abbatem à B. Bernardo conſtitutum, eundemque an. 1151. Antiſſiodorenſem Epiſcopum factum. Nam ita ſcribit Robertus Chronographus Antiſſiod. qui eundem Alanum vidit & nouit. *Anno 1151. obiit Hugo Antiſſiodorenſis Epiſcopus, vir moribus & ſcientia clarus, cui ſucceſſit Alanus Ripatorij primus Abbas.* Et ad an. 1167. *Alanus Epiſcopus dimiſit Epiſcopatum ſuum, cui ſucceſſit Vvillielmus Antiſſiodorenſis Eccleſiæ Theſaurarius & Senonenſis Archidiaconus, frater ante Hugonis eiuſdem Eccleſiæ Archipræſulis.* Tunc erat Robertus annos natus vndecim.

Ad eundem Alanum ſcribit Anaſtaſius IV. Pontifex Max. an. 1154. Anaſtaſius S.S.D. Venerabili *Fratri Alano Antiſſiodorenſi Epiſcopo.* Item in quadam Charta Inſtrumentali conuentionis inter Epiſcopum Antiſſiodorenſem & Comitem Niuernenſem factæ an. 1157. ſic legitur. *Ego Alanus Dei Gratia Antiſſiodorenſis Epiſcopus & Ego Vvillielmus Comes Niuernenſis notum eſſe volumus, &c.* Item in Titulo quodam ſeu Documento Confirmationis pro Abbatia S. Mariani Antiſſiodorenſis an. 1163. *In nomine S. & individuæ Trinitatis Ego Alanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus, &c.*

An vero iſte Alanus Monachus, Abbas & Epiſcopus fuerit idem cum M. Alano de Inſulis Poëta & Polyhiſtore, quem Doctorem Vniuerſalem vocarunt, dubium eſt. Affirmant quidē Recentiores & inter alios Nicol. Camuzatus Canonicus Eccleſiæ Trecenſis in Miſcellaneis Hiſtoricis ſic ſcribens. *Ad dexteram Godefridi Lingonenſis Epiſcopi* (qui ſimiliter abdicato Epiſcopatu an. 1163. ad Claram Vallem vbi Monachus fuerat, rediit) *verſus chorum Monachorum iacet D. Alanus Epiſcopus*, qui in quadam Eccleſiâ oppidi famoſi in Flandria, quod Inſula nuncupatur, à puero educatus, ſub B. Bernardo in hac Clara-Valle habitum Religionis ſuſcepit: poſtea primus Abbas factus eſt Monaſterij, quod Ripato-

„ rium nominatur, cui per annos 12. preſidens Domino cooperante ſategit, vt per-
„ ſonis vtilibus & poſſeſſionibus neceſſariis, videlicet grangiis, ſiluis, agris pratis &
„ paſcuis idem Monaſterium ditaretur. Anno verò nouiſſimo vitæ B. Bernardi ab
„ Eccleſia Antiſſiodorenſi in Epiſcopum concorditer eſt electus.... Peractis de-
„ mum in Epiſcopatu 13. annis de licentia ſedis Apoſtolicæ ceſſit Epiſcopatu & ad
„ ſuam rediit Claram-Vallem. Manſit autem in Clara-Valle in Domo S. Bernar-
„ di poſt deceſſum D. Godefridi Lingonenſis Epiſcopi multum exercitatus, in ne-
„ gotiis Ordinis pariterque Eccleſiaſticis, D. Abbati Pontio ſucceſſoribusque eius
„ vſque ad Petrum Venerabilem Abbatem Claræ-Vallis VIII. non mediocriter
„ neceſſarius fuit.

Verum nullus è veteribus Authoribus quod ſciam, hunc Alanum Epiſcopum ſcribit Inſulanum fuiſſe. Non Robertus Antiſſiodorenſis, qui eo Epiſcopante natus eſt & adoleuit. Non Otho de S. Blaſio, qui eodem ſeculo floruit. Itaque crediderim duos fuiſſe hocce ſeculo Alanos, vnum Monachum Clare-Vallenſem ſub Bernardo, de quo ſatis multa ſupra dicta ſunt: alterum Inſulanum in Academia Pariſienſi profeſſorem, Poëtam eximium, omniſque litteraturæ virum, authorem denique Anticlaudiani & aliorum operum quæ eius nomine circunferuntur.

Ac primum ipſemet Alanus diſertis verbis declarat ſe in Flandria apud Inſulam natum: ſic enim ille lib. 5. Commentariorum in Prophetias Ambroſij Merlini fol. 198. editionis recentioris Antuerpienſis. *Vidi & Ego in Flandria cum puerulus adhuc eſſem, apud Inſulam vnde natus fui, fœminam quandam maleficam, quæ in maleficio ſuo comprehenſa.....Tempus illud fuit, quo Comes Theodoricus ab Inſulanis hominibus, Gandenſibus quoque atque Brugenſibus aduocatus erat è terra ſua in Flandriam tanquam legitimus Flandriæ hæres.* At Theodoricus ille cognomine *De Alſatia*, filius Theodorici ſtrenui Lotharingiæ Moſellanæ Ducis filius, accerſitus & electus eſt Comes Flandriæ an. 1128. vel 1130. vt legitur in Annalibus Flandrenſibus: quo tempore puerulus adhuc erat Alanus. Demus fuiſſe octennem aut decennem, non videtur idem eſſe cum Alano Clare-Vallenſi qui anno 1139. Abbas Ripatorij conſtitutus eſt: tunc enim Alanus noſter vix attigerat vigeſimum ſuæ ætatis annum. Cui ætati Abbatia tum primum regenda & inſtituenda non conuenit. Deinde vix dicas quandonam ſtuduiſſet, tamque multa opera edidiſſet, vir in Abbatiæ, deinde in Epiſcopatus regimine occupatiſſimus?

Quod vero Alanus noſter in Academia Pariſienſi docuerit, ſatis clarè innuere videtur Otho de S. Blaſio Abbas in Hercinia ſilua, ſcriptor coætaneus, qui nempe florebat an. 1190. quique appendicem ſcripſit ad lib. 8. Chronicorum Othonis Friſinghenſis, incipiens ab anno 1146. quo ſcribere deſiit Friſinghenſis, vſque ad an. 1210. Ille autem expreſſiſſimè meminit Alani & Anticlaudiani his verbis. *His temporibus Petrus Cantor Pariſienſis & Alanus & Præpoſitiuus Magiſtri claruerunt.* Horum priorem librum Diſtinctionum, lib. Pſalmorum, Euangeliumq; vnum ex
„ quatuor per continuas gloſſas ſubtiliter compilauit, & præter hæc alia multa. *Alter*
„ *verò multa* conſcribens expoſuit: inter alios librum, qui intitulatur *Anticlaudianus*
„ & Regulas cœleſtis vitæ, & contra hæreticos, & librum de vitiis & virtutibus, &
„ **de arte prædicandi, librumque ſuorum, & multa alia ſana & Catholica conſcripſit.**
„ Iiſdem temporibus Lambertus Mediolanenſis librum qui ſic intitulatur *Frumenta*
„ *cæleſtis meſſis* & ita incipit, *Colligite frumenta ne pereant*, quantitate & ſubtilitate
„ inſignem ſcripſit.

Accedit Henricus Gandauenſis Doctor Pariſienſis & Sorbonicæ Domus, vt aiunt alumnus, qui ante annum 1270. ſtudebat Pariſiis & obiit Tornaci an. 1293. Alanum iſtum noſtrum reponit in ſerie virorum Illuſtr. qui hoc ſeculo floruerunt, ab anno ſcilicet 1110. ad an. 1200. & de eo ſic ſcribit. *Alanus Inſulis oriundus Liberalium artium peritus Pariſius Eccleſiaſticæ ſchola præfuit & ingenij ſui monumenta relinquens ſcripſit Summam ad prædicationis officium vtilem. Et quia metro multum claruit, ſcripſit metricè Poëticen excogitata materia de viro optimo & in omnibus perfectiſſimo: quem librum vocauit Anticlaudianum, &c.* Quid contra horum ce virorum authoritatem afferri poſſit, non video. Quo pacto enim vterque meminiſſe potuit Alani & Anticlaudiani, ſi vtroque poſterior fuit Alanus? quis credat Henricum Gandauenſem repoſiturum eum fuiſſe inter viros Illuſtres huius ſeculi vndecimi,

ſi ſuo tempore florentem vidiſſet in ſcholis Pariſienſibus Alanum?

Vnde Gaſpar Barthius in Notis ad Guillielmum Britonem ad verſ. 546. *Ericio ſimilis, &c.* diſertè agnoſcit Alanum inter authores huius ſeculi: ſic enim ille. *Compendio* quædam ſcripta illis adiice præter propter tempora Britonis noſtri ab Alano lib. 6. Commentariorum in prophetiam Merlini. Dixi æuo hoc authorem illum ſcripſiſſe, cui qui contradicunt, errant, cum ſub annum 1194. expreſſim eundē collocet Otho de S. Blaſio, additione ad Friſinghenſem c. 40. etiam Anticlaudianum eius commemorans. Opera autem viri digna quæ editione ſunt, mirum cur hactenus lateant, cum multo minoris frugis quotidie clathros perrumpant. Non ſunt autem tantùm ea quæ à Catalogorum ſcriptoribus memorantur: ſed ipſemet vidi ingentem Commentarium de ratione Metrorum & ſyllabarum in Bibliotheca Baſilienſi cum teſtimoniis authorum adſcriptis, cuius nullum meminiſſe Nomenclatorem memini.

Et ad Verſ. 52. lib. 7. Latere plano &. *In Caſura negligit ſyllabam, vt ſingulis paginis ſic ſæpe aly. Et in Anticlaudiano opere circa eadem hæc tempora ſcripto Alanus Inſularius Vniuerſalis Doctor dictus, quem apud Ciſtercium anno* 1202. *mortuum adnotat Author Chronici, quod Magnum Belgicum indigitant.*

Author iſtius Chronici Belgici ſcribere deſiit anno 1475. ait autem ille Alanum apud Ciſtercienſes obiiſſe an. 1102. (error irrepſit certè in numeri notam, reponendumque anno 1202. quia paulò poſt dicit anno 1203. obiiſſe Guidonem Cantorem: & præterea ait eum diſputaſſe contra Albigenſes & Waldenſes, qui nondum erant exorti an. 1150.) *Anno* 1202. inquit, *apud Ciſtercium* mortuus eſt hoc anno M. Alanus de Inſulis Doctor ille famoſus Scriptor Anticlaudiani, qui in Theologia fecit artem quandam prædicandi, & contra Albigenſes, Vvaldenſes, Iudæos & Sarracenos libellum edidit ſuccinctum ad Vvillielmum Montiſ-Peſſulani Dominum.

Libellus iſte ſuccinctus de quo loquitur Author Chronici, diu latuit in tenebris; ſed tandem è Bibliotheca Papyrij Maſſonij prodiit in lucem Pariſiis an 1612. in cuius prologo ſic habet Alanus. *Amantiſſimo Domino ſuo Vvillelmo Dei Gratia Montis-Peſſulani Principi*, quem non ſolum Generoſi Generis titulus inſignis, verum etiam generoſior mentis generoſitas præinſignit, *M. Alanus* in omnibus & per omnia ſuus opus ſuum. Cum inter vniuerſos mundi Principes te videam ſpecialiter indutum armis fidei Chriſtianæ, ne Nauicula Petri inter tot tumultuantes huius ſeculi procellas deſerere uideatur, hoc opus de fide Catholica conſcriptum tuæ diſcretioni deuoueo conſummatum.

Guillelmus autem ille Montis-Peſſulani Dominus, cognomento *Sibylla* vocabatur à matre Sibylla: Comiti Toloſano aduerſatus eſt, & Toloſam cum Anglis obſedit an 1158. Alexandum III. excepit an. 1162. & anno 1174 Mathildem Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani filiam duxit vxorem. Catholicæ fidei aſſertor fuit contra Albigenſes Hæreticos, vt legitur in Hiſtoria Oxitana. Obiit autem an. 1202. eodem quo Alanus. Eiuſdem quoque Pater Guillelmus vocabatur, quem ait Gaufridus Clare-Vallenſis induiſſe Monachum: ſic enim ille in vita B. Bernardi. *Ad multorum aures famam credimus peruenisse viri Venerabilis Guillelmi, qui olim Montis-Peſſulani Dominus; nunc verus Chriſti pauper & humilis Monachus degit in Cœnobio, quod Grandis-Silua vocatur. Ipſius relatione didicimus, &c.* Illa autem Abbatia Grandis-Siluæ Diœceſis Toloſanæ fundata eſt an. 1144.

Illi ergo Guillelmo Alanus opus ſuum contra Vvaldenſes dedicauit, de quibus loquitur lib. 2. his verbis. *Quomodo litteras nouerunt Waldenſes, qui non didicerunt? Videmus enim ſanctiores eis non prædicare, qui etiam intellectum habent ſacræ Scripturæ, vt multos Ciſtercienſes, quia miſſi non ſunt.* Et alibi meminit Concilij Lateranenſis, in quo illi damnati ſunt. *Iſti*, inquit, *Vvaldenſes qui ſub pœna excommunicationis & contra præceptum D. Papæ, imò contra totam Eccleſiam prædicant, quibus iniunctum eſt à D. Papa non prædicare, ſententia excommunicationis ſubiacent. In Concilio enim Lateranenſi in eos ſententia excommunicationis lata eſt, vnde eis etiam communicandum non eſt, cum ſententiâ Apoſtolicâ ab Eccleſia præciſi ſint.*

Hinc patet Alanum libellos ſuos contra Vvaldenſes edidiſſe poſt celebrationem Concilii Lateranenſis. Nam vt infra dicemus, iuſſus fuit ab Alexandro Papa contra eos ſcribere. Neque verò eſt quod quis dicat Vvaldenſes diu regnaſſe, atque ita

Alanum licet hocce ſeculo non vixerit, potuiſſe tamen contra eos ſcribere; nam in prologo ait nouos hæreticos ſuo tempore fuiſſe exortos, *Noſtris vero temporibus*, inquit, *Noui Hæretici*. At tempore Alberti Imperatoris, nempe an. 1300. iam erant obliuione ſepulti Vvaldenſes, Paterini & alii Hæretici, quos in libello ſuo commemorat Alanus.

De Merlini Prophetia.

Omnia igitur cum temporibus & ſcriptis Alani planè conſentire videntur. Nam hocce ſeculo orti Vvaldenſes & Albigenſes: contra eos habitum eſt Lateranenſe Concilium, & in eo damnati ſunt, vt ſupra docuimus. Contra quos Alanum ſcripſiſſe teſtis eſt Otho de S. Blaſio Author coætaneus. Vvillelmus Montiſ-Peſſulani Dominus aſſertor fidei Catholicæ fuit acerrimus. Adde Commentaria quæ Alanus edidit in Prophetias Merlini, quæ de Francia deque Angliæ excidio mira vaticinabantur.

Fuit is Ambroſius Merlinus Anglus circa annum Chriſti 440. ſcripſitque Diuinationem ſeu obſcuratarum prædictionum libros, quos Gauftidus Monemuthenſis de Anglico tranſtulit in Latinum: & ex Latino Clarotonus in Rythmos Gallicos, vt docet Balæus. Hoc autem ſeculo frequens Merlini mentio recidit propter Anglorum Regum aut tyrannidem, aut bella inteſtina, aut captiuitatem. Vnde multi litterati viri coniecerunt fore vt Anglicanum breui corrueret Imperium. Maximè verò poſt mortem Thomæ Cantuarienſis, cum filii in Patrem conſpirarunt, filiorumque partes fouerunt Rex Francorum Ludouicus & Comes Flandrenſis. Inter cæteros verò Alanus noſter Commentaria ſcripſit in Diuinationes Merlini, & omnia malorum genera ipſumque excidium Angliæ vaticinatus eſt in gratiam Principis ſui Comitis Flandrenſis, qui Henrico II. Patri aduerſabatur. Item Ioannes Sareſberienſis eidem Prophetiæ animum adiunxit odio eiuſdem Henrici Patris, qui Thomam Archiepiſcopum perſequebatur. Sic enim ille Ep. 167. *Inſtat tempus, vt aiunt, quo aquila rupti fœderis iuxta Merlini Vaticinium frænum deauratura eſt, quod Apro eius datur, aut modò fabricatur in ſinu Armorico.* Et Ep. 272. *Fretus tamen eſt oraculo Merlini qui neſcio quo repletus ſpiritu perhibetur ante aduentum.* At Petrus Bleſenſis, qui contrariarum erat partium & Henrici Patris cauſam parteſque tuebatur, Merlinum vocat *Magum* & *Cacodæmona ex incubo Dæmone natum.* Cuius nempe Prophetia Aduerſarii & hoſtes Regis ad faſcinandas & infatuandas populi mentes abutebantur.

Verum euentum tandem habuit illa in Ioanne Rege Henrici filio, cuius miſerrimum ſtatum, Angliæque ſubuerſionem deſcribit Vvillielmus Brito in ſua Philippide: qua de re nihil Alanus noſter, quia initia tantum Regni Ioannis videre potuit.

Sed quæ demum fortuna fuerit Alani, quæ & qualis conuerſio operæ pretium eſt inquirere. Authores huiuſce tertiæ opinionis aiunt eum è Pariſienſibus ſcholis migraſſe ad Ciſtercienſes & Conuerſi nomen habitumque ſumpſiſſe, atque apud eos etiam obiiſſe. De eo ſic habet Menologium Ciſtercienſe ad 3. Kal. Feb. *Ciſtercij in Gallia B. Alanus Conuerſus, qui cum omnia complexus animo ſtudia fuiſſet, ideoque obtinuiſſet nomen Doctoris vniuerſalis atque ſumma cum laude ſcholis Pariſienſibus præfuiſſet, Diuina reuelatione tactus habitum Conuerſorum in Ciſtercio induit, oues pauit, & aliis abiectiſſimis occupationibus ſe exercuit, vbi cum diu ignotus lateret, tandem in Concilio Romæ celebrato magno omnium applauſu cognitus dignitates ſibi oblatas reſpuit, & in ſancta humilitate perſeuerans obdormiuit in Domino.* In quem locum Scholiaſtes per Concilium *Romanum* intelligit *Lateranenſe* quod anno 1215. celebratum eſt ab Innocentio III. ſed malè. Patet enim ex iis quæ diximus & quæ infra dicemus, hoc intelligendum eſſe de *Lateranenſi* cui præſedit Alexander an. 1179. in quo nempe Vvaldenſes & alij Hæretici cauſas ſuas & rationes expoſuerunt, & quibuſcum decertauit Alanus, vt ex Chronico Belgico conſtat: ac præterea ex hoc Mathæi Bon-homme teſtimonio, qui Commentarium edidit in Parabolas Alani an. 1501. in quo quæ cauſæ fuerint eius ad Ciſtercienſes conuerſionis, commemorat his verbis.

Cauſa Conuerſionis Alani Doctoris Vniuerſalis.

" Author iſtius libri vocabatur Alanus, de quo legitur, quod cum quadam die ſtuderet Pariſius, ſciens ſeptem artes liberales nec non *Leges atque Decreta*, ſuam ſcientiam propoſuit exponere & in aliquem fructum redigere ſeu explicare. Et cum in craſtinum de tota Trinitate prædicare vellet & ſcientiam & notitiam veram de

illacunctis audientibus exhibere, ipſo pergente ad ſpatium prope Ripariam quandam cogitans qualiter opus propoſitum complere poſſet, quendam puerum reperit, qui tenens vnum cochlear in manu fecerat vnam paruam foueam, modicum procul ab aqua, & hauriens aquam cum ſuo cochleari portabat ad foueam quam fecerat, & inſtanter ſicut puer appoſuerat aquam in fouea, aqua in terra intrabat, quia locus erat arenoſus. Quod videns *Alanus* dixit puero. O puer quid hîc agis? Et puer reſpondens dixit. *Totam iſtam Ripariam in foueam meam ponere propoſui, nec ceſſabo quouſque propoſitum meum adimpleuero.* Cui Alanus, quando putas feciſſe? opus tuum licet ſit puerile, tamen eſt impoſſibile tibi. Cui puer. *Hoc citius fecero, quàm tu propoſitum tuum adimpleueris.* Et Alanus reſpondens dixit. *Quidenim propoſui facere? Et puer dixit. Tu propoſuiſti eras declarare totam Trinitatem per tuam ſcientiam in prædicatione*, quod eſt magis impoſſibile tibi. Quod audiens Alanus multum territus reuerſus domum & dicta pueri in ſe memorans, multumque dolens & triſtis ſuam præſumptionem ſiue arrogantiam recognouit.

Adueniente verò die craſtina & hora prædicationis, vbi multitudo magna populi fuerat congregata, Alanus adſcendens Cathedram dixit loco Thematis. *Sufficiat vobis vidiſſe Alanum.* Quibus verbis dictis deſcendit de Cathedra & abiit. Quod videns populus, non modicum ſtupefactus fuit. Hoc facto Alanus verecundia confuſus pergere nolens *Pariſius*, tranſiuit Burgundiam & in quadam Abbatia Ciſtercium nomine Paſtor ouium fuit & deinde fuit Conuerſus ipſius Abbatiæ ad modum Laici. Hæc eſt ratio & cauſa Conuerſionis. Conſequenter vero idem Commentator narrat, quomodo Romam profectus fuerit, Hæreticos confuderit, & pro Alano tandem recognitus fuerit.

Accedit quod Romæ quidam Heretici aduenerant, qui per ſua argumenta falſaſque ſyllogizationes totam fidem catholicam ſubuertebant: quapropter Papa mandauit omnes Prælatos, Abbates, Doctores & Clericos totius Chriſtianitatis Romam venire, quatenus dictos Hæreticos confunderent. Quod Abbas Magiſter Alani audiens, Alano relicto in Abbatia voluit Romam pergere. Tum Alanus qui iam ſenſum recuperauerat, dixit Magiſtro ſuo, *ô Domine*, me tædet hîc ſtare, & diu eſt quod Abbatiam non exiui: quapropter humiliter deprecor vt vobiſcum pergam Romam & bene ſeruiam vobis, optimèque penſabo de equis. *Tunc Abbas pergens Romam duxit ſecum Alanum.* Adueniente autem die diſputationis Abbas voluit intrare locum diſputationis, cum quo Alanus voluit intrare. Cui Abbas dixit, Vade ad Hoſpitium & penſa de Equis, quia locum iſtum non poſſes intrare propter cuſtodes & clientes hic exiſtentes, qui non ſinunt intrare niſi Prælatos & magnos Clericos, & poſſes verberari. Cui Alanus dixit. Volo verberari vt intrem, & ſupponens ſe Clamydi ſeu Cappæ ſui Magiſtri intrauit dictum locum, & ipſe ſedens ad pedes ſui Magiſtri audiuit diſputationem. Hæretici verò proponentes Quæſtiones Chriſtianos ſuperauerunt & vicerunt. Quod videns Alanus exiuit latebras dicens Magiſtro ſuo *Iube Domine benedicere.* Et Abbas ſtupefactus dixit Alano, *Sile miſer quid vis facere!* Tunc Alanus intrauit dicens vt prius, *Iube Domine benedicere* vſque ad tertiam vicem. Quod videns Papa permiſit eum arguere. Et Alanus recitans Quæſtiones per dictos Hæreticos motas, arguit & confudit illos. Quod videns Hæreticus confuſus dixit, *Tu es Diabolus aut Alanus.* Cui Alanus. *Non ſum Diabolus, ſed Alanus.* Tunc Abbas Magiſter ſuus voluit ſibi ſuam dignitatem donare, quam Alanus ſuſcipere noluit. Sed per Papam & Abbatem fuit ſibi conceſſum, vt duos Clericos haberet in dicta Abbatia, qui Clerici libros quos ipſe dictaret, ſub ſe ſcriberent. Vbi plures libros fecit, inter quos fecit iſtum qui incipit, *A Phœbo Phœbe.* Alano verò mortuo, fuit ſepultus in dictâ Abbatiâ ſuper cuius tumulo ſcribuntur iſti verſus.

Alanum breuis hora breui tumulo ſepeliuit,
Qui duo, qui ſeptem, totum ſibi ſubdidit Orbem,
Scire ſuum, mores dare vel retinere nequiuit.

At ii qui Alanum hunc noſtrum vno ſeculo & amplius poſteriorem faciunt, dicunt ſequentes verſus eius tumulo fuiſſe inſcriptos.

Alanum breuis hora breui tumulo ſepeliuit,
Qui duo, qui ſeptem totum ſibi ſubdidit Orbem.
Labentis ſæcli contemptis rebus egens ſit.
Mille ducenteno nonageno quoque quarto
Chriſto deuotus mortales exuit artus.

Eum autem non negant interfuiſſe Lateranenſi Concilio, ſub Innocentio an. 1215. celebrato, eiuſque ætatem faciunt centum decem annorum: & ne id incredibile videatur, probant exemplo Ioannis de Temporibus qui vltra 300. annos vixiſſe fertur, & aliorum quorundam qui plus centum annis vixerunt. Nugæ: & quæ ſatis euidenter ex dictis refelluntur. Nam cum ipſe diſertè fateatur ſe natum apud Inſulam, ſe puerulum tum fuiſſe, cum Theodoricus ab Alſatia in Flandriam euocatus eſt (euocatum autem videamus circa an. 1130.) Otho de S. Blaſio ſcriptor huius ſeculi & Henricus de Gandauo eum adſcribant inter authores, qui ſeculo duodecimo ab anno 1100. vſque ad annum 1200. floruerunt, nihil omnino dubij ſupereſſe videtur.

De Doctrina Alani. Cæterum quod ad Doctrinam eius ſpectat, multa edidit opera, quæ eius eruditionem, facundiam & reconditam ſapientiam manifeſtant. Prodierunt in lucem eius commentaria in Prophetias Merlini an. 1608. Franco-Furti typis Ioannis Spiegij in 8. cum hoc titulo *Prophetia Merlini Ambroſij....vna cum 7. libris Explanationum in eandem Prophetiam Excellentiſſimi ſui temporis Oratoris, Polyhiſtoris & Theologi Alani de Inſulis, Germani, Doctoris Vniuerſalis & Academiæ Pariſienſis ante annos 300. Rectoris Ampliſſimi.* Nuper verò prodierunt in lucem eius Opera Antuerpiæ operâ & ſtudio R. D. Caroli de Viſch Prioris Cœnobij B. Mariæ de Dunis Sacræ Theologiæ Profeſſoris apud *Guillelmum Leſtennium & Engelbertum Gymnicum ſub Pellicano aureo* an. 1654. Operibus autem iſtis præfixus eſt hic titulus.

„ Alani Magni de Inſulis Sacræ Theologiæ Doctoris, cognomento Vniuerſalis ex
„ Glorioſo Scholæ Eccleſiaſticæ Pariſienſis Moderatore Humilis Ciſtercienſis
„ Conuerſi Opera Moralia, Paranetica & Polemica quæ reperiri potuerunt. Quo-
„ rum pleraque nunc primum ex antiquis M. S. Codicibus eruta luci dantur, alia
„ typis olim edita collatione facta cum Exemplaribus M.S. correctiora variéque il-
„ luſtrata proferuntur.

Robertus Holkot S. Theologiæ Doctor Ordinis Prædicatorum qui florebat an. 1349. teſte Bellarmino in lib. de Scriptoribus Alanum hunc noſtrum, *Magnum Alanum* vocat: de Sodomitico enim vitio agens ſic habet. *Contra iſtud flagitioſum & nefandiſſimum Sodomiæ vitium fecit librum de Planctu Naturæ Alanus Magnus de Inſula Doctor S. Theologiæ famoſus metro & proſa compoſitum ſcientificè multum & curioſè.* Nimirum hunc librum de Planctu ſeu complanctu Naturæ ad imitationem Boëtii de conſolatione Philoſophiæ, metro & proſâ conſcripſit Alanus, & in eo præſertim Sodomiticum vitium perſtringit.

Quantopere autem ille in Artibus excelluerit, commodius in Synopſi referemus. Nunc placet ex opuſculo Theologico quod aduerſus Waldenſes & Albigenſes compoſuit, pauca ſeligere; tum vt quod de eius ætate ſupra dictum eſt, confirmetur, tum vt pateat quàm eleganter & ſubtiliter de *Tranſubſtantiatione* diſſeruerit. **Quod vocabulum Hæretici dicunt primò vſurpatum in Concilio Lateranenſi an. 1215. cum tamen & Algerus & Alanus & Petrus Bleſenſis eodem vocabulo in eadem ſignificatione vſi ſint.** Sic igitur ille poſt præmiſſum hunc titulum. *Præmiſſarum ſolutio, quod Panis mutatur in Corpus Chriſti.*

Doctrina Alani de Tranſſubſtantiatione. Primæ obiectioni reſpondemus, quod alia eſt mutatio, *alteratio* & *alteritas*. Alia *Tranſſubſtantiatio*. Alteratio dicitur illa mutatio quæ fit ſecundum varietatem accidentium in eodem ſubiecto. Vt cum ſubiectum primò ſit album, conſequenter
„ incipit eſſe nigrum: & ſecundum hanc mutationem concedimus quod album
„ erit nigrum, & quod album incipiat eſſe nigrum & fieri nigrum. Sed non conce-
„ dimus, quod de albo fiat nigrum vt album intelligatur de materia nigra....In tali
„ mutatione manet ſubiectum, non manent accidentalia, ſed ſubſtantialia.
„ *Alteritas* verò eſt illa ſpecies mutationis, in quâ manente eadem materia non
„ manent ſubſtantialia. Quæ mutatio facta eſt in Cana Galileæ, quando mutata eſt
„ aqua in vinum. Aquâ enim mutatâ in vinum manſit materia. Eadem enim fuit

materia aquæ & vini, ſed quædam ſubſtantialia mutata ſunt. Subſtantiale enim quod aqua erat, aqua deſiit eſſe, & illud quod vinum eſt, vinum incipit eſſe; quædam accidentalia mutata ſunt. Secundum hanc mutationem dicitur, quod de aqua factum eſt vinum, & quòd aqua mutata eſt in vinum, nec futura fuit vinum.

Tranſſubſtantiatio illa eſt ſpecies mutationis ſecundùm quam mutatur & materia & ſubſtantialis forma, ſed remanent accidentalia, id eſt accidentia. Vnde dicitur *Tranſſubſtantiatio*, quia nihil de ſubſtantia remanet, vel quantum ad materiam, vel quantum ad ſubſtantialem formam. Talis mutatio fit in conſecratione panis. Panis enim ita mutatur in Corpus Chriſti, quod nihil de materia panis remanet, & ſubſtantialia etiam non remanent, ſed quædam accidentalia, vt rotunditas, ſapor albedo: etiam quia tota mutatur ſubſtantia in corpus Chriſti, non augetur, quamuis multotiens panis in Corpus Chriſti mutetur. *Panis enim qui in Corpus Chriſti mutatur, non remanet in Corpore Chriſti, nec remanet Corpus Chriſti & ideo non augetur Corpus Chriſti.* Duæ enim ſpecies augmenti ſunt. Vna quæ fit per partium extenſionem: alia per additionē. *Per additionem*... Creſcit aceruus. Per protenſionē creſcit... *Non enim* creſcit quod aliquid in ea addatur, ſed quia mediante calore & humore protenduntur partes. Secundum quam augmenti ſpeciem multiplicati ſunt panes illi, quibus Dominus refecit quinque millia hominum. Ergo quia corpori nihil additur, nec partes eius protenduntur Secundum panis mutationem quod Corpus Chriſti non augetur. Secundum hanc mutationem dicimus etiam quod panis mutatur in Corpus Chriſti & conuertitur. Et ſimiliter omnia verba ſignificantia mutationem concedimus. Et ideo dicimus, quod panis fiet Corpus Chriſti. Nec tamen Corpus Chriſti ſicut Domus iſta fit, nec tamen incipit eſſe vel eſt.

Dicimus etiam quod panis deſinit eſſe, nec tamen corrumpitur. Non enim deſinit eſſe per Naturalium infirmationem: ſed per miraculum. Nec mirum ſi Corpus Chriſti aliquantæ quantitatis exiſtens intrat in os hominis cum iam glorificatus ſit, nec faciat aliquam diſtantiam in loco. Dicimus etiam quod de pane non fiet Corpus Chriſti. *De* enim notat materiam, & panis non eſt, nec erit materia Corporis Chriſti.

Præterea dicimus quod Corpus Chriſti comeditur & dentibus atteritur, id quod incorruptibile manet & indiuiſibile. Et cum Corpus Chriſti dicitur diuidi vel frangi, potius ad formam panis refertur, quàm ad Corpus Chriſti. Fractio enim illa vel diuiſio non eſt in Corpore Chriſti, ſed potius in forma panis. Nec mirum ſi ille qui fecit omnia de nihilo, faciat accidentia eſſe ſine aliquo ſubiecto.

Adhoc quod dicunt, quod in altari eſt panis poſt conſecrationem, quia ibiprius fuit panis & adhuc eſt forma panis. Reſpondemus quod verè ibi fuit panis, ſed mutatus eſt in Corpus Chriſti & forma remanet ſub qua latet Corpus Chriſti. Et hoc multiplici de cauſa. Vna eſt, *quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Alia, ne Chriſtianus abhorreat comedere Redemptorem ſuum. Tertia ne Hæretici exultarent nobis dicentes *vos comeditis Dominum veſtrum.* Videmus etiam, quod quædam res mutantur in alias: & tamen quædam proprietates rei mutatæ remanent, vt quando vinum mutatur in acetum, remanet ibi ſiccitas, & liquiditas. Sub forma vnius rei latet alia. Vnde frequenter Angeli leguntur latuiſſe ſub humana forma, non tamen erat humana forma in Angelo.

Similiter Corpus Chriſti in altari eſt & in alia forma ideſt in humana, & ſub alia forma eſt, ideſt ſub forma panis. Præterea accidentia quæ remanent, ſine ſubiecto ſunt. Ille enim, qui omnia creauit ex nihilo, poteſt facere vt accidentia ſint ſine ſubiecto. Ille enim qui accidentia ita creauit, vt in ſubiecto eſſent, poteſt facere vt ſine ſubiecto ſint. Quod enim hoc modo vel alio modo ſunt, à Deo eſt. Poſſumus tamen dicere quod Calor & Sapor eſt in forma panis; & ita miraculoſè eſt accidens in accidente.

Sed ſimiliter hic queritur de ipſa forma in quoſit, cum & ipſa forma ſit accidens. Sunt qui dicunt nulla accidentia ibi eſſe propter *Tranſſubſtantiationem*, ſed videri eſſe cum non ſint. Vnde non dicunt ibi eſſe albedinem, vel rotunditatem, ſed Sacramentalem albedinem & Sacramentalem rotunditatem, id eſt talia videri ineſſe in Sacramento. Nec dicunt ibi eſſe præſtigium ſed Sacramentum. Sunt enim multæ ſpecies fallaciæ viſus. Vna eſt quando non videmus quod

» oculis præſentatur, quod dicitur *Acriſia*, id eſt *Auidentia*. Quâ percuſſi ſunt illi,
» qui quærebant Eliſæum: & qui in Emaus Chriſtum videbant & non cognoſce-
» bant. Alia eſt quæ dicitur *præſtigium*, quando Arte Magicâ ita perſtringuntur
» oculi, vt videatur aliquid eſſe quod non eſt, nec videatur eſſe quod eſt. Et ita fit
» à Magicis ad decipiendum. Alia verò eſt quæ fit *ad inſtruendum & in Sacramen-*
» *tum*. Iuxta quod videbatur Prophetis ea videre quæ non videbant. Vnde &
» Hieremiæ videbatur olla ſuccenſa ab Aquilone. Similiter ſapor & color viden-
» tur eſſe in Sacramento Altaris, nec tamen ibi eſt præſtigium, quia hoc non fit ad
» decipiendum, ſed potius ad inſtruendum & in Sacramentum. Et quid iremus
» per anfractum verborum illorum? vnica eſt in his reſponſio, quod in miraculo
» non eſt quærenda ratio.

» *Dicimus* etiam quod forma illa diuiditur in partes. Sicut prius Corpus Chriſti
» totum & integrum latebat ſub forma integra: id eſt ſub ſingulis portionibus illius
» hoſtiæ fractæ latet idem Corpus totum & integrum ſicut in ſpeculo integro vna
» apparet imago. Eo autem fracto & in ſingulis portionibus eadem forma apparet.

» *Dicimus* etiam quod ſub minima illa forma latet totum Corpus Chriſti, quia
» cum iam glorificatus ſit, tantæ ſubtilitatis eſt, quod non facit diſtantiam aeris ad
» aera, & non poteſt iacere in paruo loco & tamen mẽbra diſtincta ſunt. Corpus au-
» tem ſuum dedit Diſcipulis ſuis tale quale habuit, ideſt miraculoſum. Miraculo-
» ſum, quod Corpus tantæ quantitatis intrauit per anguſtum os comedentis: quo
» enim miraculo natus eſt in vtero Virginis: & quo miraculo ſuper mare ſiccis pe-
» dibus ambulauit, eodem miraculo intrauit in os comedentis. Dicimus etiam
» quod ſi quis celebraſſet ſacramentum Euchariſtiæ Romæ in die Paſſionis, quod
» Chriſtus Romæ exiſtens pateretur in Hieruſalem: ſicut ſi aliquid incipit eſſe, in
» hoc momento incipit eſſe.

» *De mure* qui accedit ad pixidem. *Dicimus quod non comedit Corpus Chriſti, ſed*
» *formam illam; & miraculosè cedit in nutrimentum forma panis, ac ſi eſſet ſubſtantia panis.*
» Nec mirandum, cum & in naturalibus videamus quod aliquis inebriatur ſolo o-
» dore vini. Legimus etiam quod quidam populi paſcuntur ſolo odore pomorum.
» Sunt tamen qui dicunt quod nihil comedit, ſed videtur quod comedat: & ſic
» miraculosè fit ſaturatio, ac ſi aliquid comediſſet. Calice autem pleno ſanguine
» Chriſti alius liquor non poteſt infundi illo manente, quamuis ſanguis non faciat
» diſtantiam aëris ad aëra: ſpecies enim vini ſub qua latet ſanguis, implet locum &
» implet Calicem. Sicut miraculosè Corpus glorificatum locum non implet, ſic
» ſpecies vini locum implet miraculosè. Illud autem quod Chriſtus ait, omne quod
» in os intrat, intelligendum eſt de cibo materiali non ſpirituali. Sicut enim mate-
» rialis vadit in ſeceſſum, ita ſpiritualis in mentis exceſſum. *Iſte enim cibus ventris,*
» *ille mentis. Tandiu autem eſt Corpus Chriſti in ore comedentis, quandiu ſapor ſentitur, nec*
» *trahitur in ventrem ſecundùm viam aliorum ciborum, niſi ſola ſpecies panis.*

Sequenti art. quærit vtrum ſit articulus fidei panem *Tranſſubſtantiari* in Corpus Chriſti; & ſoluit Hæreticorum obiectiones qui negabant illud eſſe de fide. Quamobrem vero Alanus de hac materia ſcripſerit, ſatis patet ex Hiſtoria huiuſce temporis & ſeculi. Nam vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi, cuius Author eodem tempore florebat, *Puplicani*, vel *Cathari* vel *Paterini*, quos *Populicanos* vulgo vocabant, *Chriſti abnegabant Sacramenta*: quapropter Alanus de omnibus Sacramentis egit via & methodo Catholica, vt eos confunderet, præſertim verò & accuratius de ſacramento altaris, quod maiore vi & conſpiratione ab illis impugnabatur.

Doctrina Petri Bleſenſis de Tranſſubſtantiatione.

Eodem quoque tempore florebat & ſcribebat M. Petrus Bleſenſis, qui eandem Doctrinam luculenter aſſerit, vtiturque eodem *Tranſubſtantiationis* vocabulo in Ep. 140. & ſermone 38. libellum quoque metro conſcripſit de eadem materia. Nec forte extra rem erit ex eo ſimul referre, quæ tum eſſet de Corpore Chriſti in Auguſtiſſimo ſacramento Doctrina. Sic igitur ille Ep. 140. ad *Petrum Diaconum* Clericum Regis Angliæ, quem hortatur, vt relicto Iuriſprudentiæ ſtudio totum ſe ad Theologiam conferat.

» *Magna*, inquit, in ſacramentis eſt eminentia intelligentiæ, quorum fide potius
» expedienda eſt quàm adinuentione humana. Et vt gratia exempli, in vino ſa-
» cramentorum videns abyſſum profundiſſimam & humano ſenſui imperceptibi-
» lem *Patre & vino tranſubſtantiatis virtute verborum Cæleſtium in Corpus & Sanguinem*

Chriſti accidentia quę prius ibi fuerant ſine ſubiecto remanent & apparent. Cumque Corpus Chriſti caro ſit & non ſpiritus, ſpiritum tamen & non Corpus reficit, ſpiritualiter paſcens atque viuificans. Corpus idem apud Nos eſt in diuerſis locis, quia in diuerſis altaribus cõtra naturam corporis idem tamen corpus eodem tempore eſt in cœlis. Licet enim ex natura corporali & circunſcriptibili ſit vno duntaxat in loco, tamen in pluribus locis eſt virtuali potẽtiâ & ſpirituali modo. Tanta enim eſt vnio Diuinitatis & carnis, quę tota diuina & glorioſa facta eſt, vt ex plenitudine Diuinitatis, quę teſte Apoſtolo corporaliter ibi habitat, illud Corpus licet in vno loco corporaliter & naturaliter, in pluribus tamen eſt Diuina & ſpirituali virtute. Et ſicut ipſe Deus quamuis in pluribus, imo in omnibus locis ſit virtualiter & eſſentialiter, tamen ſecundum aliquem modum exiſtendi, id eſt perſonaliter eſt in vno loco, id eſt in ipſo homine aſſumpto per gratiam: ita quod Diuinitatis eſt, retribuit infallibiliter corpori ſuo, vt ex vnionis virtute & in vno homine ſit verbum, & in pluribus locis ſit illius Corporis & ſanguinis incomprehenſibile ſacramentum. Gregorius in homilia Paſchali. *Eodem momento & in cœlum rapitur miniſterio Angelorum conſecratum Corpus Chriſti, & ante oculos ſacerdotis in altari videtur. Sicut autem Diuinitas verbi totum implet mundum, ita Corpus illud in locis pluribus conſecratur. Nec ſunt multa Corpora, ſed vnum Corpus & vnus ſanguis: ideoque ſiue plus ſiue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter Chriſti Corpus integerrimè ſumunt. In his & ſimilibus ratio prorſus deficit: non deficit tamen fides, ſed attingit, quod non præſumit ratio: & quod mirabilius eſt, ex rationis defectu fortius conualeſcit. Apprehendit ratio per gratiam, quod non potuit ratio capere per ſeipſam. Infirmatur ratio, vt ſit fortior fides. Ratio ſuccumbit, vt fides mereatur: nec inuidet ratio merito fidei, ſed libenter aquieſcit.* Quod enim fides meretur, non ſibi ipſi meretur, ſed potius rationi. Sanè fides euacuabitur & ratio permanebit: fides nimirum non eſt niſi in via; ratio autem erit in patria perfecta & plena. Ibi ratio ſeu ſcientia metet quod nunc ſeminat fides, dignumque eſt vt ratio ibi fructum percipiat de merito fidei quam adiuuat, dum ſe prorſus abnegans à ſeipſa hîc deficit, vt quandoque fidei beneficio in ſe creſcat. Fidei igitur ſine contradictione conſentiens gratia Dei tota innititur & dat gloriam Deo, ſciens ipſum poſſe facere quod non poteſt humana ratio percipere.

Et ſermone 38. vbi oſtendit ſacerdotes eſſe Deo ſimiles. *Eorum miniſterio*, inquit, *panis & vinum in Carnem Chriſti tranſſubſtantiatur. Magna debet eorum ſanctitas eſſe, quorum dignitas in tam ſanctis habet efficaciam.* In Tractatu vero de Euchariſt. c 1. ſic habet.

Panis in altari verbi virtute ſacratus
Fit Diuina Caro noſtri medicina reatus.
Fit Caro non alia, quàm Chriſti nos redimentis
Plena ſacramento cibus & vegetatio mentis.
Hæc Caro cottidie quamuis Caro non videatur,
Panis habens ſpeciem pro mundo ſacrificatur.
Horret Natura. Rerum ſtupet Ordo, ſacratum
De modico panis quondam de Virgine natum.
Horret quod verbum Caro factum, fit Caro rurſum,
Quod naturalem mutat res condita curſum.
Et tamen eſt eadem Caro tunc de Virgine nata:
Et Caro nunc verbo vitæ de pane ſacrata.
Propter Nos homines dignatus tunc homo naſci,
Nunc prius ille ſuo nos optat corpore paſci.
Eſt Deus & vitæ panis datus vt ſatiaret.
Eſt effectus homo Deus, vt lapſos releuaret.
Quid datus à Cœlo vitæ panis valuiſſet,
Si redimendus homo patiendo famem periiſſet?
Non igitur ſatis eſt naſci de Virgine Chriſtum,
Si ſuus eſuriens homo non incorporet iſtum.

Hic Tractatus hactenus ſub Anſelmi Cantuarienſis nomine in lucem prodierat, ſed nouiſſimè à Ioanne Buſæo adſcriptus eſt Petro Bleſenſi, quia in prologo author ſe *Petrum* appellat. Sed de his hactenus.

Eodem anno Ludouicus Rex iam ſenio grauis Filium ſuum Philippum in Regem & ſucceſſorem deſignare cupiens, magnam Procerum frequentiam Remos ad ipſius inaugurationem conuocauit. Quo cum iret Philippus, accidit res omnino ſtupenda. Ille enim venatũ profectus, à ſuis neſcio quo fato malè ſe ſubmouẽs, biduo & binoctio in ſilua inter arbores & dumeta errauit, viarum ignarus & locorum, donec tandem ab homine quodam obuio reductus eſt ad ſuos. At ille inter ſolitudines & antra ferarum tanto tempore verſatus in grauiſſimum periculoſiſſimumque morbum ſubinde incidit. Cui Ludouicus Pater vt à Deo ſanitatem impetraret, duo vouit. Vnum, ſe peregrè profecturum in Angliam ad B. Thomæ tumulum, quod poſtea votum impleuit, vt infra dicemus: alterum, ſe certum numerum *Pauperum Scholaſticorum* alimentis in ſtudio ſuſtentaturum. Cuius rei curam magno ſuo Eleemoſynario commiſit, vt intelligimus ex Ep. 37. Stephani Tornacenſis tunc S. Genouefæ Abbatis, quâ eum obnixè rogat, vt pauperem Scholarem nuper è Iudæo ad fidem Chriſtianam conuerſum in Pauperum illorum alimentariorum Catalogum adſcribat. Sic ergo ille.

Alimentarii Pueri ſeu Burſarii.

Rarò accidit, vt de plebis incircunciſa duritia in nouam Eccleſiæ renatus infantiam fideliter aliquis conuerſetur. Quod ſi præter exempla quæ videmus, occurrit, eo charius, quo rarius amplectendum. Pauper iſte de Iudæis ortus parentibus Iudæorum Scandalum Crucem Chriſti non erubuit, & ab Epiſcopo Legionenſi baptizatus de maſſa perditionis inter Catholicos & Eccleſiæ ſuæ Canonicos tranſlatus, diſciplinis & Miniſteriis Eccleſiaſticis legendi ſimul & cantandi plurimum edoctus in ſcholaſticos ſudores ſe ſe dedit: vbi veſtris pariter, quoniam ei Deo volente manum ſemel aperuiſtis, & aliorum Eleemoſynis ſuſtentatur. Precamur Pater, ſi placet, *vt in numero pauperum illorum qui pro Domino veſtro Domini Regis noſtri filio aluntur*, eum computari *faciatis*: quoniam & ipſius verecundia & paupertatis ac laborum voluntaria patientia de ipſo præſumimus fidei fructum & ſalutis ac laboris. Capicerius S. *Crucis cum ad S. Iacobum iret in Capitulo Legionenſi, conuerſationis eius* bonum audiuit teſtimoniũ, quo & ipſe illi benefaceret, *& nos ad benefaciendum ei deuotius incitaret.* Ex his duo intelliguntur. Vnum eſt, pauperes ſcholaſticos in ſcholis à nonnullis viris piis ſuſtentari ſolitos: vt & à Roberto Rege & à Theobaldo Campaniæ Comite, item à Roberto Comite Drocenſi factum legimus. Vnde & iſti Burſarij dicti ſunt, quia commune hoſpitium communemq; Burſam habebant. Alterum, huiuſmodi Regiis fundationibus *Magnum Eleemoſynarium* præfici ſolitum, atque adeo nouum non eſſe, quod *Regiarum ſcholarum* curam habeat.

Alterum votum hac occaſione concepit Ludouicus. Cum enim plurimum condoleret de filij ægritudine, diuinâ reuelatione in ſomnis admonitus eſt, vt deuotâ peregrinatione adiret B. Thomam Cantuarienſem martyrem, ſi vellet filium ſuum priſtinæ ſanitati reſtitui. Itaque communicato ſomno & conſilio, ad Henricum Angliæ Regem legatos de commeatu mittit, nonnullis licet diſſuadentibus. Quo obtento, & aſſumptis ſecum Philippo Flandriæ Comite, Balduino Comite Ginenſi, Henrico Louanij Duce, Vvillielmo Comite de Mandeuille, Aduocato Bethuniæ aliiſque Franciæ Baronibus transfretat, applicuitque ad Doueram Feria 4. 11. Kal. Septemb.

Eum in littore Henricus ſenior tam fraternè ſuſcepit quàm honorificè, & die ſequenti quæ vigilia erat B. Bartholomæi Cantuariam deduxit ad Thomæ tumulum.

» Ibi, vt ſcribit Rogerius Houëdenſis, *vnam Cappam de auro valde magnam &*
» precioſam obtulit ſuper tumbam B. Thomæ Martyris, & ad vſus Monachorum
» ibidem Deo ſeruientium centum modios vini in perpetuum ſingulis annis reci-
» piendos apud Poiſſy in Francia ad omnimodam impenſam Regis Franciæ. Præ-
» terea conceſſit eis, quod quæcumque de cætero emerentur in Regno Franciæ ad
» proprios vſus illorum, quieta ſint de Telonio & omnibus aliis conſuetudinibus &
» exigentiis. Et hæc omnia fecit eis confirmari Charta ſua, quam ipſi receperunt de
» manu Hugonis de Puteaco Cancellarij Regis Franciæ, filij Hugonis Dunelmen-
» ſis Epiſcopi. Poſt tres verò dies ad eundem portum rediit & in Franciam repor-
» tatus eſt.

Mathæus Pariſienſis ad hunc annum expreſſius declarat quos honores Henricus Ludouico in Anglia detulerit. *Eodem anno*, inquit, *Ludoicus Rex Francorum* B. Thomam

mam Martyrem orationis gratia viſitare decernens, Angliam quam nec ipſe nec ſuorum Anteceſſorum aliquis aliquo tempore viſitauerat, deuotus intrauit. Rex autem Anglorum naues apud Doueram egredienti Francorum Regi II. Kal. Septemb. feſtinanter occurrit. Cui quidquid honoris ab aliquo excogitari poſſit, vel impendi, tam ipſi quàm ſuis Comitibus eſt impenſum. Concurrentibus enim Archiepiſcopo cum ſuis Suffraganeis Epiſcopis, cum Comitibus & Baronibus, cum Clero & populo ſolemnis proceſſio in tanti aduentum Principis maiorem Eccleſiam illuſtrauit. Quantum auri vel argenti Gallicanæ Nobilitati Rex Henricus contulerit, quantumque in vaſis & lapidibus pretioſis omnes honorarit, cum non ſit qui hoc ſciat, deſit qui ſcribat. Centum vini modios Rex Francorum annuatim in perpetuum Pariſiis ſoluendos ob reuerentiam Martyris glorioſi in vſus Collegij Cantuarienſis conuertit. Rex autem Henricus gazas totius Regni ſui, & quidquid ipſe & Anteceſſores eius in diuitiis congeſſerant, Regi Francorum & ſuis expoſuit. Sed ne Franci aliud quàm martyrem quæſiſſe viderentur, manum à munere cohibuerunt Martyrem forſitan oblatis præferentes inuentum. Sic Rex Francorum cum in vigiliis, ieiuniis & orationibus Cantuariæ triduum compleuiſſet, & xeniola quædam patua à Rege Anglorum in ſignum dilectionis accepiſſet, 7. Kal. Sept. ad Galliam transfretauit.

Inauguratio Philippi Adeodati.

Reuerſus Comitia habuit Procerum Regni in æde Epiſcopali ciuitatis Pariſienſis, iuſſitque de filij inauguratione deliberari. Placuit omnibus Philippum nondum annos quindecim natum in Regem vngi. Itaque magna Procerum caterua Remos deducitur ibique à Vvillelmo Remenſi inauguratur. Quâ de re ſic habet Rogerius Houedenſis. *Rex Franciæ* in magno fluctuans gaudio, publico præcepit edicto, vt omnes Principes Regni ſui, Eccleſiaſtici & ſeculares conuenirent Remis in capite Kalendarum Nouembrium ad coronationem Philippi filij ſui. Quibus congregatis Vvillielmus Remenſis Archiepiſcopus præfatum Philippum filium Alæ ſororis ſuæ iam quintum decimum annum ætatis ſuæ agentem coronauit & in Regem vnxit Remis in Eccleſia ſedis Pontificalis die ſolennitatis omnium Sanctorum, miniſtrantibus ei in illo Officio Vvillielmo Turonenſi, & Bituricenſi & Senonenſi Archiepiſcopis & fere omnibus Epiſcopis Regni. Henricus autem Rex Angliæ filius in progreſſione à thalamo vſque in Eccleſiam ipſo die coronationis ibat ante illum geſtans coronam auream de iure Ducatus Normaniæ, quò prædictus Philippus coronandus erat. Et Philippus Comes Flandriæ præibat, ferens ante illum gladium Regni. Alii vero Duces, Comites & Barones præibant & ſequebantur diuerſi diuerſis deputati obſequiis, prout res exigebat. Sed Lodouicus Rex pater eius ſenio & morbo laborans paralytico coronationi illius intereſſe non potuit. Nam cum ab Anglia rediret & ad B. Dionyſium iter arriperet, ſubito percuſſus frigore incidit in paralyſim & vſum dextræ partis corporis ſui amiſit.

Aliquis autem Poëta huiuſce temporis Philippo Patris virtutes apprecatus eſt hocce diſticho.

Hunc ſuperes tu qui ſuper es, ſucceſſor honoris;
Degener es ſi degeneres à laude parentis.

Anno autem ſequente pater obiit, vt infra dicemus.

Ad hunc annum ſcribit Robertus Antiſſiodorenſis obiiſſe M. Petrum Comeſtorem, reclamantibus tamen nonnullis, qui aiunt eum ad annum vſque 1198. vitam protraxiſſe; atque id San-Victorini apud quos ſepultus eſt, probant ex domeſticis Commentariis: quibus accedit Labbeus Ieſuita in Diſſertatione Hiſtoricâ de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Verum quis credat Robertum viginti fere annorum numero lapſum? præſertim cum & Petrum Comeſtorem noſſet ſaltem de fama, ſi non de facie, & iiſdem temporibus floreret. Sed vt vt ſit, de eo ſic habet. *Petrus Comeſtor famoſiſſimus Doctor obiit, qui teſtamento ſapienter diſpoſito cuncta quæ habuit, pauperibus & Eccleſiis prorſus diſtribuit.* Huius ſepulturæ hoc Epitaphium habetur inſertum.

Petrus eram, quem petra tegit, dictuſque Comeſtor,
Nunc comedor. Viuus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, vt dicat qui me videt incineratum,
Quod ſumus iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.

1180. Anno 1180. 14. Kal. Octob. Ludouicus VII. Craſſi filius litteratorum parens, iam ante paralyſi correptus Pariſiis diem clauſit extremum, ſummo cum luctu Academiæ Pariſienſis, cuius in gremio fuerat educatus, vt pote in Clauſtro Baſilicæ Pariſienſis, in quo tunc temporis multi alebantur ad capeſcendas ingenuas artes. Ipſe enim memor illius ætatis tenellæ quam ibi tranſegerat, Priuilegium Canonicis indulſit, tum ſedem Epiſcopalem tenente Theobaldo, his verbis. » Nos ergo Eccleſiam Pariſienſem in cuius Clauſtro, quaſi quodam maternali » gremio incipientes vitæ & pueritiæ noſtræ exegimus tempora, Anteceſſoribus » noſtris latiorem & inter Regni Eccleſias eminentem conſiderantes &c. Itaque Rex factus ſuum ſemper erga Pariſienſes Academicos amorem retinuit & ſtudia litterarum propoſſe promouit, vt ex Rigordi Hiſtoria intelligitur, cuius verba Papyrius Maſſonius habens præ oculis, ſic Ludouici Regnum claudit. *Priuſquam ad Philippi Regnum accedam, hoc vnum dicam Pariſiis Ludouico Rege Liberalium Artium ſtudia floruiſſe; præſertim Philoſophiæ ac Theologiæ. Quid ni floruiſſent, Rege earum profeſſores honoribus ac præmiis proſequente, vt Rigordus in vita Philippi teſtatur, docentibus Abailardo, Hugone, Lombardo altiſque clariſſimis viris.* Difficile eſſet enumerare Magiſtros omnes quos ad Eccleſiaſticas dignitates & Regni honores prouexit: ſed duos præſertim habuit ſuis temporibus omnium Conſiliorum Participes M. Ioſlenum Epiſcopum Sueſſionenſem, & M. Hugonem de Campo-Florido, qui Epiſcopus quoque fuit Sueſſionenſis, & Regni diu Cancellarius: addamus & Mauricium Epiſcopum Pariſienſem & Ioannem Carnotenſem, quibus ſæpe in multis rebus vſus eſt.

Eius elogium legitur in lib. 3. Chronicorum Anonymi cuiuſdam ſcriptoris, quod refertur in tomo 4. ſcript. Hiſtoriæ Gallic. apud Duchenium his verbis. *Iſte Ludouicus multa fuit honeſtate laudabilis, erga Religioſos quoque ſimplex ac benevolus, ac erga ſubditos vnica moderatione vſus. Eleemoſynis largus, cultor Iuſtitiæ, peruigil in oratione. Litterarum quidem ignarus, ſed Philoſophis coæquandus: nutritor generis, legum augmentator, pietatis exemplar, plus ſemper in orationibus quàm in armis confidens. Sepultus eſt in Monaſterio quod Sanus-Portus dicitur, quod ipſe extruxerat prope Melidunum.* Aliis vocatur *Sacer-Portus* ſeu *Barbel.*

Huic pio Regi ſucceſſit Philippus cognomento Auguſtus & Adeodatus Paterni in Academicos amoris æmulator, & hac parte verus ac legitimus illius hæres. Cuius tempora rebus præclarè geſtis & Academiæ Pariſienſis celebritate commendantur: adeo vt fere ſuperet fidem, quod authores huius & ſequentis ſeculi de numero ſcholarium Pariſios confluentium ſcribunt: quorum authoritate nixus Paſcaſius non veretur Philippum appellare fundatorem Vniuerſitatis potius, quàm amplificatorem: à quo nempe illa non modo habuit veterum priuilegiorum ac paternorum confirmationem, ſed longè plurium amplificationem.

Philippus ergo recens in Regem vnctus Hannoniæ Comitis filiam, eandemque Philippi Flandriæ Comitis neptem duxit vxorem: quam Guido Senonenſis Archiepiſcopus vnxit in Reginam apud S. Dionyſium: ſed initio huiuſce coniugij, inter eum & Matrem Adelam orta eſt diſcordia. Orta quoque inter eundem **& Guidonem Senonenſem ſub Natales Domini, eo quod teſte Roberto Antiſſiodorenſi,** Archiepiſcopus Decreta Concilij Lateranenſis anno præterito ab Alexandro Papa celebrati nullatenus vellet infringi, præſertim quoad Mancipia Chriſtiana, quæ Concilium prohibebat Iudæis ſubiici; & cauſas ſecularium, quas Rex non niſi in Curia ſua definiri volebat, illaſque tantum quæ ad ius Eccleſiaſticum pertinebant, Archiepiſcopali iudicio reſeruari. *His aliiſque nouis vſurpationibus*, inquit, Robertus, *Archiepiſcopo viriliter reſiſtente adeo ira Regis incanduit, vt ipſum iuberet aut ſedem relinquere, aut ſuis iuſſibus aſſentire, qui tamen maluit ſubire exilium, quàm contra Iuſtitiam Regium implere præceptum. Verum paulopoſt accepto ſaniore conſilio Rex pœnitentia ductus exulem reuocat, & vt prius ei ſuum in omnibus ius reformat.*

Is eſt forte magnus ille Prælatus Lateranenſium Canonum rigidus obſeruator, ad quem extat Ep. 12. Stephani Tornacenſis, nomine alicuius Epiſcopi, quâ Canonem 9. prædicti Concilii Lateranenſis in quo ſic habetur, *ſi Epiſcopus aliquem ſine certo ordinauerit titulo, tandiu neceſſaria inueniat, donec ei in aliqua Eccleſia ſtipendia aſſignet,* ad amuſſim obſeruari non poſſe contendit. In ea autem multa ſcribit, quæ ab hiſtoria noſtra non omnino aliena ſunt. *Sicut muros Almæ vrbis,*

inquit, *Iure Ciuili ſanctos & inuiolabiles eſſe didicimus, adeo vt qui eos tranſierint, pœnâ capitali ſeueritate Romulea puniri debeant; ita & S. Rom. Eccleſiæ mandata intranſgreßibilia Iure Canonico confitemur eſſe debere & eorum contemptum ſeueritate Apoſtolica puniendum.* Confidimus autem de beneuolentia paternitatis veſtræ, quod Nobis tanquam obedientibus filiis nequaquam impoſſibilia & intolerabilia mandare intenditis; ſed quæ & præſentibus eſſe debeant accepta & vtilia, & poſteris profutura. Accedunt ad Nos frequenter & paſſim cum diuinis Apicibus veſtris plures numero, pauci merito, ſine omni examinatione originis, conditionis, delicti vel criminis, terribili commonitorio & comminatorio noſtram excitantes & tentantes obedientiam, *vt quibuſcunque à prima tonſura Clericali vſque ad ſacros Ordines incluſiuè manus impoſitionem ordinatoriam contulimus, vel deceſſores noſtros impoſuiſſe cognouimus, eis interim prouideremus neceſſaria, quo ad vſque Beneficia conferamus.*

Quidã etiam quibus propriæ facultates, vt inde viuere poſſint, ordinari tamen expetunt, vt pro titulo ſecundum diſpenſationem ſacrorum Canonum rebus propriis vtantur. Nonnulli, vt poteſtatum ſecularium iuriſdictionem deuitent, tonſurâ tantum vel minoribus ordinibus dolo inter Clericos ſe ſe ſimulant aggregari.

Salua ſancta reuerentia veſtra nobis nouum videtur hoc & inſolitum, cum in ſacris & antiquis Canonibus circa preſbyteros tantum & Diaconos præſtringatur hæc obſeruãtia & in Lateranenſi Concilio ſub felicis recordationis beatiſſimo Papa Alexandro, cui plures ex nobis interfuerunt, præſtantibus, de preſbyteris tantum & Diaconibus ſtatutum fuerit & decretum, id libenter amplectimur, fideliter approbamus, obediente Deo volente ſeruabimus & ſeruamus. Impoſſibile autem eſt nobis nomina vel numerum eorum quos infra Diaconatum ordinauimus, memoriter tenere, nec minus impoſſibile eſt omnibus eis vel conferre Beneficia vel neceſſaria prouidere. Satius erit nobis amodo non celebrare, quàm hæc importabilia ſuſcipere onera. Quod ſi forteceſſantibus nobis contigerit, quantum periculum futuris temporibus vel perſonis immineat, nemo dubitat vel ignorat. *In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantum pleriſque litteras addiſcunt ſiue paruuli ſiue adulti, vt in Eccleſia Dei gradatim per ordines promoti Deo ſeruiant & miniſtrent.* Quod ſi ordinatores defecerint deficient ordinandi, & ceſſabunt myſteria, ſi miniſteria ceſſare contigerit. Attendat & pius & iuſtus pater, quia lex noua in obſeruatione ſua debet eſſe poſſibilis, in conſtitutione ſua non præteritis dare formam negotiis ſed futuris. Pro his omnibus paternitati veſtræ ſupplicamus & preces fundimus, vt mandatum iſtud arduum, intolerabile & oneroſum, ſi placet temperetis; cui nos obtemperare & difficultas prohibet & impoſſibilitas non permittit.

Eodem anno obierunt Guarinus de Girardo Biturcienſis Archiepiſcopus, Mathæus Trecenſis Epiſcopus, Ioannes Carnotenſis omnes tam ſapientia quàm animi ſtrenuitate famoſi, inquit Robertus Antiſſ. *quorum Ioannes S. Thomæ cuius ſocius extitit paſſionem deſcripſit. Scripſit & librum quem prænotauit de Curialibus nugis, in quo de Diuinis Etniciſque ſcripturis affatim teſtimonia congerens, ſatis innotuit quam fuerit ipſe omni affluens ſapientiâ, quam venuſtus eloquio, quam præclarus doctrinâ.* Alij ſcribunt Ioannem anno tantum 1181. aut etiam 1182. obiiſſe. Ei ſucceſſit Petrus Cellenſis, vir quoque litteratus & eruditus, ſcriptis & virtutibus ſatis notus. Guarino vero ſucceſſit Henricus de Soliaco. De quo ſuo loco dicemus.

Eodem quoque anno 15. Kal. Octob. obiit Alterum huiuſce ſeculi ſidus muliebre, inſignis Sanctimonialis Hildegardis Abbatiſſa Monaſterij S. Ruperti Moguntinæ Diœceſis, anno ætatis 82. à pueritia Diuinis reuelationibus illuſtrata, multis miraculis inſignis, doctrina incredibili conſpicua, 4. Pontificibus Romanis ſummo in honore habita, Eugenio III. Anaſtaſio IV. Adriano III. & Alexandro III. Diuo quoque Bernardo & aliis Compluribus Eccleſiæ Prælatis. Eugenius quidem III. in Concilio Treuerenſi coram D. Bernardo, Cardinalibus, Epiſcopis, & Abbatibus multis libros huius Virginis publicè lectos approbauit tanquã diuinitus inſpiratos & Catholicæ fidei conſentaneos. Scripſit de ſacramento altaris contra quoſdam huiuſce ſeculi Hæreticos. Scripſit & aliud volumen grande Diui-

norum operum : item aliud quod inſcripſit. *Vitæ merita*. De futuris Eccleſiæ Calamitatibus l. 1. ad Colonienſes. Scripſit & multa alia opera, quorum Catalogum texit Trithemius in lib. de viris illuſtribus.

Richardus Pariſienſis à Iudæis occiſus.

Memorabile quoque eſt exemplum ſancti Richardi Pariſienſis, quem Iudæi hoc anno crucifixerunt: quamobrem Philippus eos ex vrbe expulit. Rem ſic narrat Rigordus in vita Philippi. *Reuolutis quàm paucis diebus ex quo nouus Rex poſt ſacram inunctionem Pariſius rediit, opus quod longo tempore mente geſtauerat, ſed pro nimia reuerentia quam Chriſtianiſſimo Patri ſuo exhibebat, perficere formidabat, aggreſſus eſt.* Audierat enim multoties à Principibus qui cum ipſo pariter in palatio fuerant
" nutriti, & hoc ſine obliteratione memoriæ commendauerat, quod Iudæi qui Pa-
" riſius manebant, ſingulis annis Chriſtianum vnum in opprobrium Chriſtianæ Re-
" ligionis quaſi pro ſacrificio in cryptis ſubterraneis latentes in die cœnæ, vel in
" illâ ſacrâ hebdomadâ pœnosâ iugulabant, & in huiuſmodi nequitia Diabolicæ
" fraudis diu perſeuerantes tempore Patris ſui multoties deprehenſi fuerant & ig-
" ne conſumpti. S. Richardus cuius corpus requieſcit in Eccleſia S. Innocentij in
" Campellis Pariſius ſic interfectus à Iudæis & crucifixus feliciter per martyrium
" migrauit ad Dominum, vbi ad honorem Domini per preces & interceſſiones S.
" Richardi miracula multa ipſo Domino operante facta fuiſſe audiuimus. Et quia
" Chriſtianiſſimus Rex Philippus diligenti inquiſitione à Maioribus hæc & alia
" quamplurima nefanda de Iudæis plenius didicerat, ideo zelo Dei inflammatus
" ad mandatum ipſius eodem anno quo Remis ſacra Regni Francorum ſuſcepit
" gubernacula 16. Kal. Martij in Sabbato capti ſunt Iudæi per totam Franciam in
" ſynagogis ſuis. Et tunc expoliati ſunt auro & argento & veſtibus, ſicut & ipſi Iu-
" dæi in exitu de Ægypto Ægyptios expoliauerunt. Iſta tamen Iudæorum expul-
" ſio facta tantum fuit an. 1182. vt infra referemus.

1181. Refert quoque Geruaſius ad an. 1181. apud S. Edmundum Puerum quendam nomine Robertum à Iudæis fuiſſe occiſum diebus Paſcalibus, eumque in Eccleſia S. Edmundi honorificè ſepultum multis inclaruiſſe miraculis.

Arnulfus Lexouienſis Epiſcopatu abdicat & ad S. Victorē ſe recipit.

Anno 1181. vt ſcribunt aliqui, Arnulfus Lexouienſis Epiſcopus tranſactis in Epiſcopatu 40. & amplius annis in ſolitudinem ſcilicet ad Canonicos San-Victorinos Pariſ. ſe contulit. Quanquam alij meo iudicio veriùs id anno 1177. feciſſe aſſerunt. Sed vt vt ſit, priuſquam illuc quietis cauſa ſecederet, conſilium petiit à M. Petro Bleſenſi tum Archidiacono Bathonienſi, vt quid opus facto putaret eſſe, reſcriberet. At eo diſſuadente nihilominus Epiſcopatum abdicauit, & Pariſios in hoſpitium quod ſibi apud S. Victorem contruxerat receſſit. Epiſtola Bleſenſis, quæ eſt ordine 44. multa continet in hanc rem ſcitu digniſſima.

Reuerendo Patri ac Domino Arnulpho D. G. Lexouienſi Epiſcopo Petrus Bleſenſis ſalutem ſpiritumque conſilij & fortitudinis. *Cum ſitis vir alti conſilij & prudentiæ approbatæ, miror quomodo à me & cæteris maioribus in re periculoſa & ardua conſilium poſtulatis; niſi quia & hoc ipſum prudentia eſt in arduis rebus minorum explorare conſilium. Frequenter enim minori reuelat Dominus, quæ à maioribus abſconduntur.* Habetis in deſideriis Epiſcopali adminiſtrationi cedere, & ad ſanctum
„ otium vos transferre, ſi ſuper hoc amicorum veſtrorum habeatis conſilium & aſ-
„ ſenſum. Temerarium eſſet mihi in re tam periculoſa & ardua præcipitare ſenten-
„ tiam, niſi prius omnes veſtri ſtatus circunſtantias cognouiſſem, ſcio quia iam de-
„ clinatis in ſenectam & ſenium, corpuſq; confractum laboribus & ætate ſuum præ-
„ nunciat imperfectum. Habet equidem SS. Patrum inſtitutio, vt Epiſcopis infir-
„ mis & ſenibus Coadiutor addatur. Nam & Valerio Hipponenſi Epiſcopo adiun-
„ ctus eſt Auguſtinus. Quod ſi Principis indignationem & Capituli veſtri vexatio-
„ nes aut alias vitæ moleſtias formidatis & ideo pacem eligitis & quietem, homi-
„ nem degeneris & delecti animi decet hæc facere, non vos quem conſtat præ
„ cæteris cor magnificum & munificum habuiſſe. Sanè in hac requie non inueni-
„ retis requiem, & ecce in pace veſtra eſſet amaritudo amariſſima, cum recole-
„ retis cum anguſtia ſpiritus gementes vos ibi defeciſſe, vbi fortius erat ſtandum;
„ abiectoque ſpiritu conſilij & fortitudinis videretis vos à puſillanimitate ſpi-
„ ritus & modica tempeſtate ſubuerſum. Ad reſignationem Epiſcopatus nulla, ſi
„ mihi creditis, vexatio vos inducat. Nam hæc omnia forta ſſe operatur Dominus,
„ vt det vobis vexatio intellectum. Trituratur granum, vt reponatur in horreo: qua-

dratur lapis, vt ſine ſonitu mallei in templi ædificio collocetur. Mouetur turbo, vt Elias rapiatur in Cœlum. *Si verò veſtri Principis gratiam affectatis, eam poteſtis obtinere leuiſſimè: dummodo vos habeatis circa eum humiliter & deuotè. Ipſe homo eſt, qui rebellionem & contumaciam in Epiſcopis ſuper omnia deteſtatur.* Ipſe eſt qui ſola humilitate vincit & vincitur. Porro aliunde ſubeſſe poteſt legitima reſignationis occaſio. Cum enim ſcriptum ſit, quia proni ſunt ſenſus hominis ab adoleſcentia in malum, dicitur quod ab adoleſcentia cœpiſtis Eccleſiaſticos honores olfacere, & ad hunc honorem qui nunc oneroſus eſt vobis, obſequiis atque interceſſionibus & aliis ambitionis humanæ ſuffragiis adſpirare. Currite ergo ad conſcientiæ veſtræ teſtimonium: & ſi inueneritis vos minus canonicum habuiſſe ingreſſum, ſitis ſolicitus de egreſſu. Nam hîc reſignatio habet locum. Beato enim Gregorio teſte, Qui in Ouile ouium non per oſtium ſed aliunde adſcendit ad æternæ ſalutis brauium, in vanum ſe fatigat, niſi honorem in quo deliquit, penitus derelinquat. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio facta de Epiſcopatus deceſſione. Priuatam eligere vitam, ſi recolitis conſcientiam veſtram iam dictæ promotionis obtentu fuiſſe vel in modico vulneratam. Si meæ paruitatis acceptatis conſilium, nihil omnino retinebitis penes vos, quod acquiſieritis per peccatum. Iam adueſperaſcit vobis & vitæ veſtræ inclinati ſunt dies. Obſeruat etiam inimicus calcaneum veſtrum & ad luctam vos exſpectat extremam. Diſſoluite colligationes iniquas & iugum exactoris abiicite. Deponite ſarcinas ambitioſæ ſupellectilis, ne vos luctator occultus inueniat oneratum. Nudus Athleta fortius dimicat. Natator exuitur, vt fluuium tranſeat. Viator exoneratur à ſarcinis, vt expeditius currat. In hac vita torrentem mortis natraturus eſtis in proximo, pugnaturus cum eo, cum quo ſemper eſt anceps congreſſus, periculoſus caſus, difficilis reparatio, rara & nunquam ſecura Victoria. Nihil quæſo in vobis reperiat ſuum: ſed qui vos in annis fortioribus quandoque deuicit, ipſe vos victorem inueniat licet decrepitum & infirmum. Vale.

Intenderat prius Arnulfus ad Ciſtercienſes ſe conferre & in eam rem ſcripſerat ad Abbatem, vt ſibi liceret in cœnobio Mortui-Maris vitam finire. In Epiſtola autem ad ipſum ſcripta cauſas tædij & faſtidii vitæ tangit his verbis. *Confectus ſenio & aliquarum ægritudinum grauatus acceſſu ad medicinæ ſalutare remedium confugere & confracta laboris membra neceſſariâ requie ſublenare conſtitui.* Siquidem in perniciem meam veluti coniurata veniunt, debilitas, infirmitas & ſenectus, mihique tot incommodorum inſtantia fiduciam vitæ longioris abrumpit. Accedit extrinſecus negotiorum quibus diſtrahor, importuna vexatio, quæ miſerabiliter anhelantem vel ad momentum etiam reſpirare non ſinit. Siquidem ad Regales ſæpius cum cæteris trahor angarias, eorumque quibus deeſſe non poſſum, frequentibus infeſtor iniuriis.

Poſtquam vero illuc ſeceſſit, graues moleſtias à Canonicis Lexouienſibus paſſus eſt, à quibus apud Lucium Alexandri ſucceſſorem reus factus eſt prauæ bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationis & dilapidationis: item & apud Regem Angliæ Henricum accuſatus à M. Waltero de Conſtantiis ſigillifero & principe factionis. Quod crimen apud Lucium diluere conatur, vt legitur in 2. Tomo Spicil. Dacher.

Eodem anno Alexander Pontifex migrauit ad Dominum 12. Kal. Octob. cum ſediſſet annos 22. minus diebus 7. cuius extiterunt olim tot Epiſtolarum Decretalium libri, quot annos in Pontificatu vixerat. Sed omnes perierunt præter paucas Epiſtolas. Teſtatur Henricus Gandauenſis eum in vnum volumen collegiſſe ſeorſũ omnes à ſe datas Epiſtolas, eaſq; Conſulta Alexandri nuncupaſſe. De eo ſic ſcribit Robertus de Monte. *An. 1181. obiit Alexander Papa III. ad cuius litteraturam pauci de prædeceſſoribus eius infra 100. annos attigerunt. Fuit enim in Diuina pagina Præceptor maximus, & in Decretis & Canonibus & in Rom. legibus præcipuus. Nam multas quæſtiones difficillimas & graues in Decretis & Legibus abſoluit & enucleauit: dedit etiam ei Deus hanc gratiam, quod cum à B. Petro vſque ad ipſum fuerint 174. Pontifices Ro. tres tantum præceſſerunt eum in numero annorum, quo Romanæ Eccleſiæ præfuerunt, B. Petrus ſedet 23. annis, Silueſter. 1. 23. Adrianus 1. totidem. Ipſe Alexander 22.* Eo in S. Petri Cathedra ſedente cœpit initium Ordo Carmelitarum in Palæſtina; at quo anno, incertũ. Illi ſucceſſit Humbaldus Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis, vir grandæuus

Alexandri III. Obitus.

& modicè litteratus, Patria Lucenſis, Luciumque proinde III. appellari ſe voluit & ſedit annis 4.

Eodem anno obiit Rogerus Archiepiſcopus Eboracenſis homo litteratus & eloquens, inquit Neubrigenſis, atque in procurandis commodis temporalibus prudentiæ pœne ſingularis. In officio Epiſcopali minus ſolicitus, Monachorum inimicus & cæterorum Religionem profitentium. Sic enim de eo Neubrigenſis. *Chriſtianos Philoſophantes ideſt viros Religioſos in tantum exhorruit, vt dixiſſe feratur felicis memoriæ Turſtinum olim Eboracenſem Archiepiſcopum nunquam grauiùs deliquiſſe, quàm ædificando inſigne illud Chriſtianæ Philoſophiæ ſpeculum, Monaſterium ſcilicet de Fontibus.* Thomæ quoque Cantuarienſi aduerſatus eſt, vt ſupra docuimus.

Miracula de Chriſti Corpore

Ad hunc annum Robertus Monachus Antiſſiodorenſis refert in Chronico mirabilem prorſus de Chriſti corpore hiſtoriam. *Poſt breue apud Aurelianis,* inquit, vrbem inſigne prodigium diuinitus eſt oſtenſum. Circa feſtum B. Laurentij die Dominica ſacerdos quidam Miſſam celebrans duas parauerat hoſtias, alteram quam reponeret, alteram vero quam ſumeret. Iam vſque ad Dominicam orationem proceſſerat, cum repente ipſam quam tenebat manibus hoſtiam, rubeo conſpicit colore ſuffuſam. Vidit deinde ebullientem ex ea ſanguinem; iamque ſibi inter digitos profluentem. Mox eam ſuper Corporale deponens per tria loca trāſpoſuit, & in ſingulis quantum loci ipſa continuit, tantundem ſanguine purpurauit. Dum hoc cernens ſacerdos repletus extaſi moram facit, vt moræ cauſam inquireret, propius Miniſter acceſſit. Qui videns rem mirabilem mox conuocat populum tunc adſtantem. Accurrunt vniuerſi & in re tam ſtupenda nimio ſunt ſtupore percuſſi. Porro ſacerdos vt ſacrificium ex more perageret, alteram habuit Euchariſtiam quam parauerat reponendam.

Percrebreſcente famâ miraculi ad tantum ſpectaculum vrbs tota confluxit. Rex quoque qui non longè tunc aberat, feſtinus aduenit. *Pleroſque vidimus, qui viderunt ipſam hoſtiam in formam carnis liuidæ, & ſupra Corporale ipſas Sanguinis notas, cum tranſponeretur hoſtia, ad modum hoſtiæ circulatas.* Poſt modicum in Burgundia apud Carolum Caſtrum res quidem ſimilis ſed diſſimiliter accidit, vbi profectò inſignius Diuina virtus irradiat, dum vna eademque hoſtia partim carnis, partim panis ſpeciem repræſentat, accidit autem ſic. In feſto Omnium ſanctorum præfati loci Prior dum myſteria Diuina conficeret, & iam in hora fractionis ex more vellet hoſtiam tripartire, frangere ipſam non potuit, ſed manens integra ſolummodo eſt per medium replicata. Mox cruentam carnis ſpeciem vna pars induit, pars reliqua in priſtina figura remanſit. Tale quid etiam illo in tempore alibi contigiſſe certiſſimè fertur: quod nunc apud Brennam oppidum reſeruatur. Siquidem illic per eiuſdem oppidi Dominum de loco vbi contigit, eſt allatum. Sed & in Vindocinenſi territorio prodigium ſuper eadem re ſimile pro certo compertum eſt effulſiſſe. *Ante paucos quoque annos apud Atrebatenſem vrbem euenisse rem ſimilem veridicâ relatione vulgatum eſt.* Hinc euidentiſſimè claret panem & vinum in altari per verba Chriſti in Chriſti carnem & ſanguinem tranſmutari. Indubitanter ergo credendum eſt quod ſic & res ipſa comprobat & veritas aſſeuerat. Quod tamen nobis occultur, vt fides meritum ſortiatur: in id namque tantò maius eſt fidei meritum, quantò magis humanum ſupergreditur intellectum. Enimvero quibus mens eſt ſanior, fit ſtupor non modicus, quod eodem fere tempore ſuper Chriſti D. corpore tanta prodigia claruêre; nam nullatenus præter cauſam; teſte quippe ſcriptura, nihil in terra fit ſine cauſa. Si ergo cauſa & in minimis, quanto magis in tam magnis? At quanquam res iſta ſit abyſſus multa, credi tamen tam ſecurè quàm piè poteſt, id eſſe diuinitus geſtum ad confutationem perfidiæ & fidei firmamentum: nempe illorum quos *Publicanos* vel *Catharos* vel Paterinos Populicanos vocant, hæreſis execranda, quæ Chriſti abnegat ſacramenta, per id tempus clam quidem pluribus in locis irrepſerat, ſed palam in Guaſconia maxime populos occuparat. Illic namque à Catholica communione præciſi caſtra habent quamplurima aduerſus Catholicos communita, Catholico ritu poſthabito ſuis adinuentionibus inſeruientes, earumque virulentiâ quos potuerint toxicantes. Quocirca ad eorum retundendam veſaniam miſſus ab Alexandro Papa vir linguæ diſertæ Henricus ex Abbate Claræ-vallis, Epiſcopus Albanenſis, qui prædicationis verbo militum peditumque copias vndecumque contraxit, præfatoſque hæreticos ex-

pugnauit, verum id fruſtra. Nam vt ſui compotes facti ſunt, ſe in erroris priſtini volutabro reuoluerunt.

Et quoniam in Religionis Chriſtianæ mentionem incidimus, Hereſeoſque Toloſanę commemorationem, placet referre quę in hanc rem ſcribebat hiſce temporibus Gaufredus Prior Voſienſis Monaſterii, quod eſt in agro Lemouicenſi Gall. *Viegeois*. Is quippe inunctus eſt Preſbyter an. 1164. à Geraldo Epiſcopo Cadurcenſi in vigilia S. Mathæi apud Beneuentum, vt ait cap. 66. Chronici. Benedictionem verò Monachalem acceperat an. 1160. à D. Petro Archiepiſcopo Bituricenſi cum Gregorio Voſienſi in Octauis Aſcenſionis Domini, vt ſcribit c. 58. ſcribebat autem Chronicon ſuum an. 1183. qui erat quintus ſui Prioratus Voſienſis vt ait cap. 22. Ille ergo quanta eſſet Religionis deformatio ob Hareſim illam Toloſanam, ſic explicat cap. 37. *Priſci Cœnobitæ religione florentes nos Manzerinos hæredes habuêre, qui ſilentium & quæ honeſta ſunt, relinquentes, paruas coronas, ſtrictos ſotulares, cucullas clauſas, pro floccis ocreas, pro gandengis floccos capellatos abſque cuculla, capellos camelo & alios circundatos pelle adinſtar ſcapularis, pannos irregulares in lectis, eſus carnium indiſcretè & enormiter infectamur.* Idcirco immiſcuit in medio multorum ſpiritum vertiginis, qui ſchiſmata faciunt in electione adeo vt Tuſturiacenſes (forte Turciacenſes) hodie 4. viuos Abbates habeant, Heliam & Artaldum, Gaufredum atque Fulcaldum. Gratias Deo quod apud S. Martialem vno ſumus contenti: adaugeat illi cum ſalute conditor orbis tempora plura. Ciſtercienſes quidem eleemoſynas de labore ſuo tribuunt multas, in choro pſallunt ordinatè, pluraque peragunt honeſta. Verumtamen cæteris vi & ingenio terras auferunt, adeo vt Obaſinenſes Voſienſibus quãdam abſtulerint terram, ſicut Dalonenſes Arnacenſi Præpoſito decimas de Celoris. Sanctorum nomina vel memorias auferunt indiſcretè, etiam in eodem Epiſcopatu quieſcentium, adeo vt apud Dalonum Pontiniacenſes de Collectario abraſerint nomina S. Valeriæ, Aridij atque Pardulphi: quæ ſi alij feciſſent, pro ſacrilegio reputaretur.

Pontifices inſolitas exactiones per Parochias exercentes Diœceſes causâ victus & quæſtus circumeunt, ipſamque procurationem in quandam vertunt redemptionem. Inſulis & ipſis ſuiſmetipſis Clericis Eccleſias plerumque tribuunt non gratis, ſed muneribus gratis qui ſe Mercenarios ouium lanam tondendo, non infirmitatibus compatiendo declarant. Quodque deterius eſt, malè viuendo, quos deberent corrigere, pertrahunt ad ſcelera.

Milites ac Principes quemadmodum Patres illorum Eccleſias ſtudebant conſtruere, iſti nituntur euertere. Si homines ipſorum capti fuerint alicubi ipſiſque quoquo modo redditi, paulominus ab hoſtibus exigunt redemptionem: cum vicinis aliquid rapuerunt, præter Capitale exigunt procurationem. Huius criminis inuentor Henricus de Leſigniaco, Aymericus de Iarnac frater Hugonis Comitis de Marchia, Gulferij Senioris de Turribus ſatelles fuiſſe refertur. *Fœneratores olim publici obnoxij Principibus erant, nunc tam crebrò reperiuntur, vt aliqui vſuras vocitent Cenſus, quaſi redditus agrorum.* Et quia huiuſmodi ſceleribus corrupta eſt omnis caro, Nam Principes, & etiam Mediocres conſanguineas ducunt vxores, immiſit Deus in Aquitaniam hoſtes crudelium populorum, quales Patres noſtri non viderunt à tempore Normanorum. *Primò Baſculi: poſtmodum Teutonici Flandrienſes, & vt ruſticè loquar, Barbanſons, Hanuuyers, Aſperes, Pailler, Nauar, Turlau, Vales, Roma, Cotarel, Catalans, Aragons*, quorum dentes & arma omnem pœne Aquitaniam corroſerunt.

Et Cap. ſequenti. *Sunt* qui deprauant Eulogias, quas vocamus *Oblias* ſeu *Hoſtias*, nimirum Hæreticis fauent dicentibus, *Magnum bonum Miſſa. Sed nullus idoneus ad hoc.* Scimus, quia nullus tanto myſterio dignus, ſed pro poſſe nos præparare debemus per pœnitentiam, quia in multis offendimus omnes. Si ſacrificium nullus offerret, non eſſet qui Corpus Chriſti ſumeret vel porrigeret. Vnde eſſemus miſerabiliores omnibus hominibus.

Eodem anno, Ioannes cognomento de *Bellemains* Epiſcopus Pictauienſis vir *magnæ litteraturæ & eloquentiæ*, inquit Robertus de Monte, Pariſienſis olim alumnus illuſtris ad Archiepiſcopatum Narbonenſem aduocatur; qui cum Romam ad conſecrationis obtinendum honorem proficiſcitur, defuncto id temporis Archiepiſcopo Lugdunenſi à Canonicis Lugdunenſibus communi voto expetitur & eligitur, quam quidem electionem ei gratulatur Ep. 42. Stephanus Tornacenſis, tum

Abbas San-Genouefianus, cui Ioannes vt amico & familiari Nepotis ſtudiorumque eius curam crediderat: diſſuadet vero Narbonenſes infulas aſſumere ob feritatem Albigenſium. *Iucundum mihi theatrum proponit, recordatio veſtra*, cuius „ & reficiar ſpectaculo & afficiar blandimento. Concertant in idem caput diuerſa„ rum Prouinciarum Pontificales infulæ; & dum Pictauienſi Cathedræ ſacerdo„ tem ſuum Narbonenſis conatur eripere, religioſo ſaltu perambula Narbonenſem „ electũ prima ſedes Galliarum ſibi vindicat Lugdunenſis. Admirabilis & amabilis „ Eccleſiarum ludus iſte, vbi ſuperior inferiorem ſpoliat, & æmulatione ſancta „ voluntate pares apparent, quæ ſunt impares dignitate. Abſit Pater à manſuetudi„ ne veſtra, vt ad Gothorum barbariem, ad leuitatem Vaſconum, ad crudeles & „ efferos mores Septimaniæ declinetis, vbi ſupra fidem infidelitas, ſupra famam fa„ mes, dolus & dolor pluſquam valeat æſtimari. Vidi nuper in tranſitu cum D. Rex „ Toloſam me mitteret frequentem & feruentem in illa terra terribilem mortis „ imaginem, ſemirutos Eccleſiarum muros, ambuſta ſacrorum ædificiorum loca, „ fundamenta effoſſa, & vbi fuerunt habitacula hominum, inculta domicilia be„ ſtiarum. Contremui fateor & expaui, cum ad ea loca vos inuitari audirem, in qui„ bus etſi contingeret vos præeſſe, facile eſſet non prodeſſe. Audito tamen quod „ Rodanuſia Sidonij vos vocaret, gauiſus ſum gaudio magno, & Primatem no„ ſtrum in gloria videre deſidero, quem prius affectione patrem, liberalitate bene„ uolum ſimul & beneficum ſum expertus. Nepoti veſtro Archidiacono bonæ „ indolis adoleſcenti ſicut mihi mandauiſtis, paratus ſum & conſilio & auxilio pro„ uidere.

1182. *Schola Iudæorum.* Anno 1182. qui tertius eſt Regni Philippi, Edicto Regis expulſi ſunt à Ciuitate Pariſienſi Iudæi, eorumq; bona fiſco magna ex parte adiudicata, Synagogæ quoque & ſcholæ eorum plurimæ in ædes ſacras conuerſæ: qua de re ſic habet Rigordus Philippi Medicus & teſtis oculatus. *Opus gloriosè inceptum Deo diſponente glorioſius conſummauit: nam omnes Synagogæ Iudæorum, quæ ſcilicet Scholæ ab ipſis vocabantur, vbi Iudæi ſub nomine religionis fictæ cauſa orationis quotidie ſimulatè conueniebant, prius mundari iuſſit, & ſecundum voluntatem omnium Principum eaſdem Synagogas, Eccleſias Deo dedicari fecit & ad honorem Domini noſtri I. C. & B. Dei Genitricis Virginis Mariæ in eiſdem altaria conſecrari præcepit.* Idem ſcribit Guillielmus Brito lib. 1. Philipp.

Tunc Synagogali cedente ſuperſtitione
Eccleſias fecit ſacrari pro Synagogis,
Vt quocunque loco Schola vel Synagoga fuiſſet,
Diuinum cultum per vicos amplificando
Neuè Dei pereat (egeant ſi forte Miniſtri)
Seruitium, dotat largis loca dotibus illa.

Quàm celebres autem circa illa tempora eſſent ſcholæ illæ Iudæorum Pariſiis, teſtatur Beniamin Iudæus in Itinerario ſuo. *Hinc*, inquit, *reuerſus in Franciæ Regnum me contuli: quæ regio Sarphat ab antiquis dicebatur, ex vrbe Alſanad ſex dierum itinere peracto Pariſius vſque maximam Regni metropolim Ludouici Regis Regiam, iuxta fluuium Siban ſitam; in qua ſapientiæ Diſcipuli ſunt omnium qui hodie in omni regione ſunt doctiſſimi, qui die ac nocte legis ſtudio incumbunt.* Et Rigordus in vita Philippi. *Audierant Iudæi ſtrenuitatem Regum Francorum contra inimicos & pietatem magnam erga ſubditos. Et ideo maiores eorum & ſapientiores in lege Moyſi qui ab ipſis Iudæis Didaſcali vocabantur, Pariſius venire decreuerunt, vbi longam habentes conuerſationem in tantum ditati ſunt, quod fere medietatem totius Ciuitatis ſibi vindicauerant.*

Eodem anno Mauricius Epiſcopus Pariſienſis conſecrauit maius altare Baſilicæ B. Virginis: cuius rei meminit Gaufredus Prior Voſienſis in parte altera Chronici ad hunc annum. *Feria*, inquit, *quarta Pentecoſtes Henricus Legatus altare S. Mariæ Pariſius conſecrat vnà cum Mauricio præſule.*

Hoc anno extinctum eſt bellum ciuile in Francia Willielmi Archiepiſcopi Remenſis inſigni & indefatigatâ prudentiâ, quanquam ipſe prius cum aliis Principibus Philippo Comite Flandriæ, Odone Duce Burgundiæ, Theobaldo Comite

mite Bleſenſi & Stephano Sacri Cæſarienſi conſpiraſſet in Regem Philippum, vt teſtatur Chronologiſtes Antiſſiodorenſis. Itaque cum hinc & inde copię comparārentur, caſtella munirentur, vici vallarentur, Fridericus Imperator Coniuratis ſubuenire præſto eſſet, Henricus Rex Angliæ & filij Philippo, ipſe Rex Brabantinos tunc temporis gentem nefariam in auxilium aduocaſſet, tandem pactis primum induciis pax reformata fuit operà Vvillielmi Remenſis, cuius ſtudio & cõſilio Philippus in omnibus agendis vtebatur. Vnde miror hîc diſſentire Chronologiſtem Antiſſiodorenſem à Stephano Tornacenſi: nam ille ſcribit Willielmum cum aliis Proceribus coniuraſſe, iſte Regi fideliſſimum fuiſſe commemorat. Cum enim Vvillielmum Lucius Papa per litteras ad ſe Romam euocaſſet, Rex veritus etiam ad breue tempus amittere tantum Regni ſubſidium, penes ſe retinuit, precatus Pontificem ne id moleſtè ferret, quoniam tunc à Proceribus Regni ſui oppreſſus non alio poterat quàm Vvillielmi conſilio vti. Sic enim Philippus apud Stephanum Tornacenſem, cuius ſtylo vſus eſt, Ep. 121.

Impugnant adoleſcentiam noſtram & auſpicia Regni noſtri perturbare contendunt Potentes: & qui multiplici ex cauſa fidem nobis debuerant, infideles aduerſarij, quorum improbitate cõpellantur & conſilia noua quærere & auxilia corrogare. Adſiſtit nobis ſuper omnes amicos & fideles noſtros chariſſimus auunculus noſter Willielmus Remenſis Archiepiſcopus, in Conſiliis noſtris oculus vigilans, & in negotiis dextera manus. Eum vel ad tempus recedere à nobis, ſuccedere eſt hoſtibus noſtris, qui ſicut abſque armis, ita & abſque amicis nos eſſe votis infidelibus irreuerenter & expetunt & expectant. *Vocaſtis eum*, Pater, ſicut audiuimus, & vt præſentiam ſuam vobis exhibeat, *ſacris veſtris apicibus inuitaſtis*. Eius vero loco mittit Rex ad Pontificem, Secretarium ſuum Stephanum Tornacenſem tunc S. Genouefæ Abbatem. *Et quoniam magnum & cordi noſtro* profundè inſitum eſt negotium, mittimus ad vos prædictum & familiarem noſtrum Stephanum Abbatem S. Genouefæ diſcretum & fidelem Regno, quem loco noſtro benignè ſuſcipite, & ei tanquam Nobis in his quæ ex parte noſtra vobis dixerit, indubitanter fidem habete.

Porro vt Coniuratis eiuſmodi pro more prætextus ſumi ſolet prauæ rerum adminiſtrationis, vt pax ſanciretur inter eos & Regem, petierunt Ægidium cognomento Clementem è curia & rerum gubernaculo expelli: penes quem tota Regni adminiſtratio erat. Ille duos habuit fratres, Robertum natu maiorem, & Garmundum. Robertus cognomento Clemens *Regem à prima ætate nutrierat & inſtruxerat*, vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi, *eratque moderatus & prudens, Regique fidelis & qui Regalia induſtriè ſatis & ſtrenuè adminiſtrarat negotia, dum Regem poſt mortem Patris habuit in tutela. Huic prædictus Ægidius in Regni adminiſtratione ſucceſſerat.* Iſte Robertus tres habuit filios, Hugonem, Albericũ & Henricum, quorũ iſti fuerunt Franciæ Mareſcalli, Hugo vero Eccleſiæ Pariſienſis Decanus, vt ſuo loco docebimus. Garmundus autem Ægidij frater fuit primum Abbas Pontiniacenſis: deinde à Canonicis Antiſſiodorenſibus electus in Epiſcopum poſt mortem Guillielmi, in gratiam Ægidij fratris: ſed dum altera pars contra nititur, ille Romam profectus ad Lucium Papam graſſante ibi peſte corripitur & diem claudit extremum eodem tempore, quo frater Ægidius è Curia Franciæ exulare cogitur, teſte Chronologiſta Antiſſiodorenſi.

Lis inter Archiepiſcopos Turonenſem & Dolenſem.

Hoc quoq; anno, ni fallor, magno animorum æſtu Bartholomæus Turonenſis & Rolandus Dolenſis Archiepiſc. Romę de Archiepiſc. contenderunt. Nolebat enim Dolenſis haberi ſuffraganeus, ſeq; totius Britanniæ Minoris Archiepiſc. & Primatem eſſe iactitabat ex veteri Priuilegio. Contra Turonenſis & eum & cæteros eiuſdem Prouinciæ Epiſcopos inter ſuos connumerabat. Turonenſi fauebat Philippus Rex eiuſque cauſam omnino ſuam eſſe reputabat, quam & in ſcholis Pariſienſibus & in Conuentibus Prælatorum agitari & diſcuti voluerat. Dolenſi ſuffragabantur omnes Proceres Britannici ſeu Aremorici & nonnulli etiam Anglicani Principes. In gratiam vero Turonenſis has dedit Philippus ad Lucium Papam litteras, quæ leguntur apud Stephanum Tornacenſem Ep. 125.

Si obliuiſci potuerit Mater filiorum veteri ſui, & Eccleſia Romana Regni Francorum obliuionem aſſumet, cum vtrumque de iure ſit impoſſibile, de natura difficile, de facto enorme. Quid enim vltra facere debuimus Matri noſtræ & non fecimus ei, vſque

„ in hodiernos dies? in partibus noſtris cum gaudente gauiſi ſumus, cum flen-
„ te fleuimus, vtrumque calicem paſſionis & lætitiæ ſine ſimultatis idolo aut diſ-
„ cordiæ combibentes. Perſecutiones ipſius, quæ frequentius acciderũt, Patres no-
„ ſtri Reges Francorum & robuſtis portabant humeris & extentis brachiis defen-
„ debant. Exempla proponere retractare eſt beneficia, quorum debetis in quem
„ collata ſunt, non qui contulit meminiſſe. Et quoniam hæc omnia melius noſtis,
„ Pater, & tam perſecutionis alienæ quàm veſtræ in ſanctæ memoriæ Patre noſtro
„ conſolationis particeps fuiſtis, ſecuriori confidentia vobis exponimus ea quæ ad
„ Coronæ noſtræ gloriam vel eius ignominiam & iacturam reſpiciant, vt de pleni-
„ tudine conſilij & auxilij veſtri ſolatium reportemus. Turonenſem Eccleſiam no-
„ ſtram ſemper ac Patrum noſtrorum fuiſſe, & præſentium memoria tenet, & priſ-
„ corum annalia profitentur. Totius Britanniæ minoris Metropolitanus hactenus
„ extitit, qui Turonenſi præfuit Eccleſiæ: & in ipſo partes extremæ Regni noſtri vſ-
„ que ad Oceanum requieſcunt. Ecce, Pater, diebus adoleſcentiæ noſtræ nos im-
„ pugnant non ſolum qui armatam militiam exercent, ſed & qui in ſorte Domini
„ vocantur. Clerici Dolenſes, forte non ſine dolo dolorem nobis inferre conantur,
„ in tenero capite noſtro coronam antiquam cõfringere molientes. Chariſſimumac
„ fidelem noſtrum Turonenſem Archiepiſcopum ſuggeſtione quorundam & fauo-
„ re vt dicitur, cuiuſdã infra breuiſſimi temporis anguſtias vocaſtis, vt de cauſa quę
„ magis noſtra eſt quàm ſua, reſponderet, & ſtatum Coronæ noſtræ in ancipiti ſta-
„ tera ponat. Periculoſum ſanè & ignominioſum nobis & poſteris qui ſuccedent.
„ Proinde ſanctitati veſtræ preces ex toto corde prodeuntes fundimus, vt intuitu
„ Dei & pacis Regni Francorum, quæ in hoc articulo, ſi proceſſerit, peritura eſt, à
„ cauſa iſta penitus deſiſtatis. Sed ſicut temporibus anteceſſorum noſtrorum Tu-
„ ronenſis Eccleſia Metropolitanum ſuum in tota Minori Britannia obtinuit, ita
„ diebus noſtris quos perturbare nec debetis nec vultis, obtineat & obſeruet. Quod
„ ſi forte, quod non credimus, inexorabilem vos inueniremus, vſque ad congruum
„ tempus, quo Dominus pacem & quietem Regno noſtro dare voluerit, Archiepiſ-
„ copo noſtro Turonenſi dilationes indulgeat benignitas veſtra, quoniam propter
„ neceſſarias Regno cauſas eum retinuimus. 1. Propter difficillimam quam cum
„ Comite Flandriæ guerram habemus. 2. Propter motus pluſquam Ciuiles qui in
„ Prouincia Britanniæ inſurgunt inter Principes eiuſdem Prouinciæ & Regis
„ Anglorum filios. 3. Propter proximum Colloquij terminum, quod cum
„ Imperatore poſt Paſcha Deo volente ſumus habituri. In quibus omnibus
„ ipſius Archiepiſcopi induſtriâ, præſentiâ, conſilio & auxilio indigemus. Sciat au-
„ tem Paternitas veſtra, quoniam in Generali Conuentu noſtro, quem in initio Qua-
„ drageſimæ propter hanc cauſam & alias Regni neceſſitates Pariſius conuocaui-
„ mus, Conſilio Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ac Baronum noſtrorum prædi-
„ ctum Archiepiſcopum ab incepto itinere retinuimus, vt pote neceſſarium nobis
„ & vtilem rebus inceptis & per Dei gratiam ad honorem Regni noſtri peragendis.
„ Fideles noſtros præſentium Latores Abbatem de Sarquo-cello & Magiſtrum B.
„ Familiarem & Clericum Pariſienſem Noſtri ac noſtrum vobis tranſmiſimus, vt in
„ his quæ ex parte noſtra dixerint, fidem eis exhibeatis, & per eoſdem voluntatem
veſtram nobis, ſi placuerit, remandetis.

Ex hiſce litteris (quas intelligimus ante ſcriptas quàm pax cum Coniuratis com-
poneretur) patet Lucium Papam vehementer propendiſſe in partes Dolenſis Epiſ-
copi, & amplius patebit ex aliis eiuſdem Regis ad ipſum litteris. Nam ille ſe pre-
cibus Regis inexorabilem omnino præſtitiſſe videtur: cauſas dilationis nullas
accepit, aut accipere voluit, ſeque cauſam quæ inter Epiſcopos de primatu ver-
tebatur, iudicaturum minatus eſt. Itaque Philippus iam non ciuilitate vſus, nec
„ modeſtia verborum, ira percitus reſcripſit in hunc modum.

„ *Clauſa nobis & Regno* Francorum, *quod hactenus Eccleſiæ Rom. fideliſſimum extitit,*
„ *paterna viſcera veſtra ſaltem in dilatione quã pro Eccleſia Turonenſi poſtulauimus, ſen-*
„ *tientes inexorabilem animum veſtrum non ſine confuſione noſtra nunc experti, Cœlum &*
„ *terram in teſtimonium vocamus, vt ſi quando Regias aures noſtras vobis aut fratribus ve-*
„ *ſtris clauſerimus, excuſabiles apud Deum & apud homines valeamus apparere.* Suſtinui-
„ mus pacem veſtram & ecce turbatio, & in læſione Turonenſis Eccleſiæ, quæ tem-
„ pore Patrũ noſtrorũ integrã Metropolitani Iuriſdictionẽ in tota minori Britannia

obtinuit, Rgnũ noſtrum turpiter imminuere aemulare contendis Eccleſ Rom. coronam de Capite noſtro deiicere, frangere & pedibus conculcare. Quid enim aliud eſt Archiepiſcopum in eadem Prouincia contra Metropolitanum ſuum & integritatem Regni noſtri erigere velle, quàm ab hæreditate Patrum noſtrorum nos tanquam imbecilles & reſiſtere non valentes eiicere & fugare? Videat Dominus & iudicet. Quod ſi proceſſerit factum iſtud, minus modo vos æſtimabimus Patrem quam victricum, minus ſentietis nos filium quàm priuignum. Vſque ad animam noſtram pertinget gladius iſte, vt exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti & abiecti à vobis vltionem quandoque Dei & hominum expectemus. Neque enim ſolummodo vulnerabit nos plaga iſta, ſed & omnes totius Regni Barones in compaſſionem accendet, vt de manu veſtra requirat Dominus aliquem ſanguinem, qui propterea fundi poteſt & inter Regnum & maiores Regni Principes materiam ſeceſſionis & guerram perpetuam quæ accidere poterit, eis imputet, qui merentur. *Ex præteritorum enim exemplis colligimus materiam futurorum, & ſicut antiquis temporibus occaſione diſſenſionis huius multorum ſanguis effuſus eſt, ita & diebus noſtris niſi per induſtriam veſtram venienti morbo citius occurratur, clades communis & generalis ſtrages inter Francos & Britones poterit ſuſciturri. Melius eſt autem in tempore occurrere, quam poſt exitum vindicari.*

Scripſit quoque in eandem rem ad D. Octauianum Cardinalem, cuius tum plurimæ partes erant in Curia Rom. & ſi quid ex huius cauſæ diſceptatione acciderit mali, totum id à ſe amolitur & in Papam eiuſque Conſilium refundit.

Inuiti compellimur hodie Cœlum & terram inuocare & mouere in teſtimonium noſtrum. Hinc Eccleſiaſtici Patres, inde Principes ſeculares, Eccleſiam Romanam quod nequaquam ſperauimus aduerſariam nobis ſentimus, & vſque ad animam deſcendit gladius iſte, cum in Regiæ coronæ noſtræ confractionem manus extendant qui eam ſaltẽ Petri gladio defendere debuiſſent. *Contra Taronenſem Eccleſiam quæ noſtra eſt, erigere conatur Apoſtolica ſedes in Britannia minore Dolenſem Archiepiſcopum & integritatem Regni noſtri, quæ temporibus Patrum noſtrorum illæſa perſtitit, ledere, minuere, detruncare.* Hæc ſunt Beneficia meritorum Regni noſtri. Hæ retributiones & gratiarum actiones deuotionis & fidei, quam Eccleſiæ Rom. Patres noſtri ſemper exhibuerunt in omni perſecutione noſtra parati pro Eccleſia Dei & imperare fideliter ſuis & reſiſtere viriliter alienis. Perpetuæ diſſenſionis & guerræ materiam ſuſcitare contenditis inter nos & Regni noſtri Principes Occidentales, & vt abiectâ reuerentiâ quam Eccleſiæ Rom. hactenus exhibuimus, facie vobis reſpondeamus aduerſa, ſuſcitatis odiorum incendia, quæ ſi excreuerint in flammam, inextinguibiliter peruenient in fauillam. Exhæredati, ſpoliati, nudati per Eccleſiam Rom. quantum in vobis eſt, aut periculosè pugnare compellimur, aut turpiter exulare. Opponat ſe tantis malis authoritas veſtra, nec recidiua permittat exempla renaſci, quibus multus ſanguis innoxius effuſus eſt, & iterum effundi poterit, ſi fauore cuiuſdam, vt dicitur, qui non ſine dolo Dolenſis electus eſt, Regni noſtri partes nobis occiduas auferatis.

Quis ille electus Dolenſis ſit, niſi Rollandus, non inuenio. Is autem die S. Martini an. 1177. ſuffectus fuiſſe legitur in ſupplemento Sigeberti, vocaturque ibi vir *Religioſus & litteratus*: cuius electioni adfuerunt Henricus Balocenſis, Ricardus Abrincenſis Epiſc. & Robertus de Monte S. Michaëlis. Ciaconius eum ſcribit fuiſſe factum à Lucio Cardinalem an 1185. Porro lis iſta ſæpe agitata apud Curiam Rom. indeciſa remanſit vſque ad an. 1199. quo Innocentius III. pro Archiepiſcopo Turon ſententiam dixit.

Eodem anno M. Walterus de Conſtantiis Archidiaconus Oxonienſis & poſt Radulfum de Vuarne-Villa Theſaurarius & Canonicus Rothomagenſis conſecratus eſt Andegauiin Eccleſia S. Laudi à Richardo Cantuarienſi, in Epiſcopum Lincolnienſem: quem Epiſcopatum Gaufridus Filius Regis Anglorum ſponte dimiſerat.

Anno 1183. Philippus Rex in primæuo ætatis flore æterna agitans conſilia, vt verè Adeodati nomen impleret, ſicut Iudæos expelli voluerat, ita ad nouellorum Hæreticorum & Pſeudo-Theologorum, quorum numerus vbique magno Eccleſiæ & quietis publicæ damno creſcebat, conuerſionem aut expulſionem animum 1183.

applicuit; Contumaces verò flammis damnauit: quâ de re ſic Guillelmus Brito l. 1. Philippidos.

Pulſis Iudæis ſanctoque rigore fugatis
Dehinc perſeuerari citiùs facit Hæreſiarchas,
Simplicium falſo qui fallunt dogmate corda,
Incautas animas occultâ fraude necantes.
Qui bona Coniugij reprobant, qui carnibus vti
Eſſe nefas dicunt, aliaſque ſuperſtitiones
Inducunt, breuiter quas tangit Epiſtola Pauli,
Omnes qui ſaperent fidei contraria noſtræ,
Quos Popelicanos vulgari nomine dicunt,
De tenebris latebriſque ſuis prodire coacti
Producebantur, ſeruatoque ordine Iuris
Conuincebantur & mittebantur in ignem.

Poſt hæc locum qui vocabatur *Campelli*, muris cinxit. Domos quas *Hallas* vocabant, conſtruxit; in quibus & ſub quibus pluuio & incommodo tempore Mercatores commodè poſſent merces ſuas exponere. Cœmeterium autem quod hodie *S. Innocentij* dicitur, tunc in Campellis erat platea grandis & vaſta, omnibus, vt hodie, tranſeuntibus peruia, vendendiſque mercibus expoſita teſte Rigordo. Hoc autem Philippi opus ita deſcribit Guillelmus Brito.

Pariſiis locus eſt, Campellos nomine dicunt,
In quo communi tumulantur corpora iure,
Quotquot defungi vitâ contingit in vrbe.
Hic cuiuis hominum Suibuſque patere ſolebat
Spurcitiis ſcopibus ſordens & ſtercore multo:
Et quod pejus erat meretricabantur in illo:
Et ſic defunctis iniuria magna fiebat
Sacratoque loco, quibus eſt tribuendus vbique
Præcipiente Deo timor & reuerentia ſemper
Huic Rex Diuini zelo ſuccenſus amoris
Indignans fieri Poliandro probra ſacrato
Corpora Sanctorum quo plura ſepulta quieſcant,
Quadratos lapides circundedit atque politos.
Ædificans muros in circuitu ſatis amplos
Et ſatis excelſos, Caſtris aut Vrbibus aptos.
Et ſic ille ſacer locus eſt nudatus ab omni
Sorde, datuſque fuit honor ex tunc debitus illi.

Eodem anno Hugo de Nuceriis Milonis Dynaſtæ filius Eccleſiæ Senonenſis Theſaurarius, creatur Epiſcopus Antiſſiodorenſis, vir genere, *litteris & facundia clarus*, vt legitur in Chronico; & in alio M. S. Corde magnificus, *ingenio perſpicax, facundia copioſus & tam in Eccleſiaſticis quàm in ſecularibus admodum ſagax & peritus.*

Eodem *M. Girardus Puella*, qui per multos annos Lutetiæ publicè docuerat, quique ab Alexandro III. omnium Beneficiorum ſuorum quandiu regeret ſeu doceret, reditus integros obtinuerat, conſecratus eſt Epiſcopus Couentrenſis in Anglia, ſed poſt ſeptem ab inito Epiſcopatu hebdomadas in fata conceſſit teſte Mathæo Pariſienſi. Rogerius Houëdenſis illum vocat *Girardum la Pucelle*, quem ait ſucceſſiſſe Richardo *Pecche*, obiiſſe verò an. 1184. quo anno combuſta eſt Eccleſia S. Iuliani Cenomanenſis.

Eodem tempore M. Vualterus de Conſtantiis Lincolnienſis Antiſtes in Angliam profectus, in ſua ſede ſolenniter eſt collocatus, ſed ibi parum moratus, Rothrodo Archiepiſcopo 7. Kal. Decemb. fatis functo, vt ſcribit Albericus, in ſucceſſorem poſtulatur, & ad ſedem illam anno 1184 traductus eſt.

Eodem anno, neſcio quo malo fato Henricum Angliæ Regem perſequente;

Henricus filius Rex Iunior fato communi functus eſt apud Caſtellum Martellum in Prouincia Cadurcenſi menſe Iunio. Cauſa belli quod ille fratribus indixerat, cauſa mortis fuit: ſed variè refertur ab Hiſtoricis. Nam Mathæus Pariſienſis ait Henricum Patrem omnem curam impendiſſe, vt filij ſui Gaufridus de Britannia, Richardus de Aquitania Henrico Regi iuniori & fratri primogenito obſequium præſtarent: Gaufridum quidem paruiſſe, Richardum verò renuiſſe, propterea quod indignum eſſe ſibi videbatur vt fratres fratri Patre viuo ſe ſe ſubiicerent. Eam contumaciam diſplicuiſſe Henrico Patri: ac proinde impulſum ab eo Henricum, vt arma contra Richardum fratrem ſumeret, & extorqueret quod amicè obtinere non poterat: illum autem cum congredi cum fratre ſuo decreuiſſet, in flore Inuentutis anno ætatis 28. apud Caſtellum Martel menſe Iunio nempe feſto die S. Barnabæ Apoſtoli interiiſſe.

Iterũ Henricus Anglorum Rex à filiis impetitur.

At Vvillielmus Neubrigenſis ſcriptor illorum temporum, qui ſub Richardo hiſtoriam ſuam abſoluit, an. ſcilicet 1198. rem aliter narrat, & peſſimam Henrici filii indolem accuſat, aiens fœdaſſe adoleſcentiam ſuam næuo inexpiabili adinſtar ſceleſtiſſimi Abſalonis: Iuuentutem ingreſſum rebellaſſe iterum contra Patrem, propterea quod Richardum Aquitaniæ, Gaufridum Britanniæ præfeciſſet, ſibi expectationem ſucceſſionis legitimæ reſeruaſſet: itaque iuncto ſibi fratre Gaufrido cum quibuſdam proceribus Aquitanicis Patrem motibus bellicis laceſſiuiſſe: Patrem verò cum rebelles filios blandis demulcere mandatis fruſtra laboraſſet, vt improbis eorum auſibus obuiaret, fines Aquitanicos cum exercitu ingreſſum. Mox Dei Iudicio Henricum Iuniorem febre duplicis præuaricationis vltrice correptum rebellibus animos ademiſſe, & præualente morbo deſperataque ſalute ad patrem miſiſſe, qui rogarent, vt ſe morientem inuiſere dignaretur: patrem verò, quia tutum eſſe non putabat ſe Coniuratis credere, in ſignum clementiæ & indultæ veniæ, annulum notum miſiſſe, eoque cum oſculis excepto præſente Archiepiſcopo Burdigalenſi miſerrimum filium vitam finiſſe: corpus verò Rothomagum patre iubente delatum fuiſſe.

Hunc finem habuit, inquit ille l. 3. c. *inquietus ille* puer ad multorum quidem natus exitum: ſed tamen hominibus adeo fauorabilis & gratioſus, quia ſcriptum, Stultorum infinitus eſt numerus, vt etiam de mortuo præclara dicerentur. Denique poſt mortem eius quidam mentiendi libidine atque impudentiſſima vanitate famam latè ſparſerunt, quod ad ſepulchrum eius curationes fierent infirmorum, ſcilicet vt vel cauſam contra Patrem iuſtam habuiſſe, vel finali pœnitentia Deo egregiè placuiſſe crederetur.

Hæc ſcribebat Neubrigenſis ſub Richardo, forte vt eius gratiam aucuparetur. At Rogerius Houedenſis planè admirabilem indicat fuiſſe Henrici Iunioris pœnitentiam, & tantam vt vix ei fides adhiberi poſſit Sic enim ille. Rex filius deficiente ſibi pecunia perrexit ad S. Mariam de Rupe Adamatoris & decorticauit feretrum S. Adamatoris & theſauros Eccleſiæ aſportauit. Paucis poſt elapſis diebus idem Rex filius cum vidiſſet ſe non poſſe multum nocere Patri ſuo, & indignatione & animi rancore in grauem incidit infirmitatem in villa quæ dicitur Martel non longè à Ciuitate Lemouicenſi. Primò enim arripuit eum febris, deinde fluxus ventris contriuit eum vſque ad mortem. Qui cum ſenſiſſet mortem ſibi imminere, miſit pro Domino Rege Patre ſuo, qui ad eum venire noluit, timuit enim inſidias illius.

Rex igitur filius conuocatis coram ſe Epiſcopis & viris Religioſis qui aderant, primùm ſecretò, deinde coram omnibus ſua confeſſus peccata, pœnitentiam & ſuorum recepit abſolutionem peccatorum, & tradidit Vvillielmo Mareſcallo familiari ſuo Crucem ſuam Hieroſolymam deferendam. Deinde depoſitis mollioribus indumentis cilicium induit, & ligato fune in collo ſuo dixit Epiſcopis & cæteris viris Religioſis circunſtantibus *Trado me peccatorem indignum culpabilem & obnoxium per funem iſtum, vobis, Miniſtri Dei, poſtulans, vt Dominus noſter I. C. qui Latroni confitenti in Cruce peccata dimiſit, per preces veſtras & per ſuam ineffabilem miſericordiam miſereatur infeliciſſimæ animæ meæ. Et reſponderunt omnes, Amen. Et ipſe ait illis, Trahite me à lecto iſto per hunc funẽ & imponite illi lecto cinereo*, quẽ ſibi præparauerat. Et fecerunt ſicut ipſe præcepit illis, & apoſuerunt capiti & pedibus ſuis

Pœnitentia Regis Henrici Iunioris & obitus.

» duos lapides magnos quadratos: & omnibus rite peractis ipſe præcepit Corpus
» ſuum deferri in Normaniam vſque Rothomagum & ibidem ſepeliri. Et his dictis
» ipſe ſacro ſancti Corporis & ſanguinis Domini viatico munitus in timore Domi-
» ni emiſit ſpiritum. Quod cum Domino Regi Patri ſuo nunciatum eſſet, lachry-
» matus corruit in terram & vehementer planxit filium.

Ad Patrem ita mæſtum & magnitudine doloris confectum ſcripſit Petrus Bleſenſis Epiſtolam conſolatoriam, pulcherrimam certè dignamque quæ huic Hiſtoriæ inſeratur.

Petri Bleſenſis Conſolatoria ad Henricum Patrem Epiſtola.

Henrico D. G. Illuſtri Anglorum Regi Duci Normaniæ & Aquitanniæ Commiti Andegauenſi ſuus Petrus Bleſenſis, Bathonienſis Archidiaconus ſalutem & ſpiritum fortitudinis in aduerſis.

Audiui & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Nam
» ex familiarium veſtrorum relatione cognoui, quod illa veſtra magnanimitas ce-
» lebri hactenus opinione conſpicua in morte filij veſtri mortificata eſt, & quadam
» mollitie muliebri degenerans gemitibus indulget ac lachrymis, atque reuerentiâ
» Regiæ Maieſtatis abiectâ ſuperuacuis doloribus pueriliter intabeſcit. Doloris af-
» fectum in vobis non arguo, ſed dolendi exceſſum. Scio quia piũ eſt flere mortuũ
» & huiuſmodi mæſtuoſos affectus lex naturæ indicit. Nam & Iob audita filiorum
» ſuorum morte veſtimentorum ſciſſione & aſperſione pulueris vim doloris expreſ-
» ſit. Abraham mortua Sara venit, vt fleret eam & plangeret. Iacob exiſtimans fi-
» lium ſuum Ioſeph deuoratum à beſtia multos dies continuauit in planctu. Ioſeph
» etiam cum fratribus ſuis & cunctis ſenioribus domus Pharaonem Patrem ſuum de-
» ferens mortuum venit ad Arcam. At ad trans Iordanem vbi ſeptem dies ſuper mor-
» te Iacob in fletu & gemitu compleuerunt. Sed & Ioſia Rege mortuo ſcriptum eſt
» quia vniuerſus Iuda & Hieruſalem luxerunt eum & præ omnibus Rex Adadrem-
» non, ita quod in prouerbiũ verſum eſt & populariter dicebatur: Planctus eius ſicut
» planctus Adadremnon. In Eccleſiaſtico etiam legimus quod luctus mortui ſeptem
» diebus legitimè celebratur, & ibidem hæc verba leguntur, *Fili in mortuum produc lachrymas.* Chriſtus lachrymas produxit in Lazarum. Ideoque non miror ſi tam de-
» plorando funeri pietatis lachrymas exhibetis. Nec enim de numero illorum eſtis,
» de quibus Dominus dixit per Prophetam; Percuſſit eos & non doluerunt, & vt
» verbis Iob vtar, *nec fortitudo veſtra fortitudo lapidis eſt, nec caro veſtra ænea eſt.*

Sed ſit quæſo hic dolendi modus. Nec vos dolor rapiat vltra modum. Temperãtior debet eſſe apud voſerga defunctum filium dolendi occaſio, quia Chriſtianiſſimè abiit ne dicam obiit, & dolendo pœnitens dolores æternos euaſit. Nobis ſuper-
» eum flentibus iam ſecuriſſimè dicit, *Nolite ſuper me flere, ſed ſuper vos ipſos flete.*
» Planxit Dauid filium parricidam Abſalon, fili mi, Abſalon. Planxit ſuper Saül
» & Ionatham fines eorum deplorans, quos dominium mortis inuoluerat ſine fine.
» veruntamen ſi circa filium veſtrum pium eſt flere, pium eſt & gaudere. Si enim Pe-
» trus Apoſtolus, ſi Magdalena ſuos defleuerunt exceſſus, iſtelicet adoleſcens & in-
» ter malitiæ incentores, & vt ita loquar tamquam lilium iter ſpinas, in omnem ſe
» deiecit pœnitentiæ humilitatem, mundi gaudia conuertens in planctum & deli-
» cias in dolorem. Conuerſus eſt planctus eius in gaudium, conuertatur & veſter.
» Cedat vobis ad plenitudinem gaudiorum talem filium de lumbis veſtris proceſ-
» ſiſſe, in quem naturæ dotes vniuerſæ confluxerant: quem timebant remotiſſimæ
» nationes, quem vereri & diligere etiam inimicus & inuidus tenebatur. Qui cũ præ
» vniuerſis mortalibus obtinuiſſet gloriam & ſupereminentiã militiæ ſecularis, tan-
» dem in abiectione temporalium & humilitate pœnitentiæ factus & defunctus eſt
» Chriſti miles. Exemplũ dedit vobis vt & vos ſequamini veſtigia pœnitentis. Nemo
» enim fuit in confeſſione humilior, in ſui accuſatione contritior, in emendatione
» deuotior, in propriæ carnis afflictione crudelior, in omni ſatisfactione feruentior.
» Conſilio ſiquidem & ſuggeſtione proditoriæ factionis minus conſultè contra vos
» erexerat & direxerat arcum ſuum: ſed Dominus aduerſus eum tetendit arcum
» ſuum, & in eo parauit vaſa mortis, volens vobis & aliis dare in eo ſignificatio-
» nem vt fugiatis à facie arcus & liberentur dilecti eius. Cũigitur de ſalute eius ſpẽ
» certiſſimam habeamus, beati enim qui in Domino moriuntur, vt voce Apoſtoli
» vtar, nolite contriſtari de dormiente, ſicut & illi qui ſpem non habent. Omne
» iudicium iam euaſit: iudicauit enim ſeipſum, ne in poſterum iudicetur. Vtinam

amantiſſime Princeps, dumhoc ſeculum manet, immo potius, dum hoc ſeculum manat, iudicemus Noſmetipſos. Fallax enim eſt hic mundus, vita breuis, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna infinibilis. Planctus itaque quos impenditis mortuo, in arma pœnitentiæ conuertatis, vt ſicut turbato fatalitatis ordine filius vos præceſſit ad mortem, ſic ordinato huius mortalitatis excurſu cæteros præcedatis ad vitam.

Cæterum iubente Henrico Patre Corpus filij Rothomagum delatum eſt, ibique honorificè ſepultum: & de eo ſic Quidam metricé cecinit, vt legitur apud Ioannem Bromptonem.

Omnis honoris honos, decor & decus vrbis & orbis,
Militiæ ſplendor, gloria, lumen, apex.
Iulius ingenio, virtutibus Hector, Achilles
Viribus, Auguſtus moribus, ore Paris.

Ad hunc quoque annum cõmemorat Rigordus quàm immaniter & impiè Cotarelli ſeu Albigenſes Hæretici in agro Bituricenſi ſacra omnia profanarent, ſacerdotes & Religioſos trucidarent, vxores Catholicorum raperent, Captiuos tormentis cruciarent, & quod omnium facinorum & impietatum faſtigium eſt, Corpus Dominicum invaſis aureis aut agenteis ſeruari ſolitum, manibus humano ſanguine pollutis extractum in terram viliter proiicientes pedibus conculcarent, deque Linteaminibus quæ Corporalia vulgo dicuntur, concubinæ eorum pepla capitibus componerent. Contra quos tandem Philippus expeditiſſimo exercitu miſſo omnes ad vnum meritiſſima morte affecit.

Anno 1184. Lucius Papa nonnullos ex Academicis Pariſienſibus ad Cardinalatum promouiſſe legitur, M. Meliorem & M. Radulfum de Nigella viros litteratiſſimos: qua de creatione ſic habet Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum. Lucius Papa in Capite ieiunij id eſt feria 4. Cinerum ordinauit plures Cardinales, inter quos M. Meliorem Preſbyterum Cardinalem creauit, ſcilicet quem fecit Camerarium ſuum. Creauit inſuper electum Dolenſem Diaconum, & M. Radulfum Nigellum chariſſimum amicum noſtrum magnæ honeſtatis & litteraturæ virum. Extat apud Stephanum Tornacenſem Epiſtola Willielmi Remenſis Archiepiſcopi ad M. Meliorem Cardinalem qua ſignificat quàm grauiirâ Philippus Rex exardeſceret, quod Pontifex in Britannia Minore Dolenſem Archiepiſcopatum erigere contenderet. Qua de re nos ſupra diximus. 1184

Eodem anno Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui S. Thomæ ſucceſſerat, diem clauſit extremum, cui ſucceſſit Balduinus ex Abbate Fordienſi Vvigornienſis Epiſcopus, vir religioſus & litteratus, inquit Neubrigenſis. Hunc autem Richardum, quem idem author dicit fuiſſe mediocriter litteratum, ſed laudabiliter innoxium Petrus Bleſenſis vehementer reprehendit quod Eccleſiæ bona diſſipaſſet, licet ſub eo cancellariatum Eccleſiæ Cantuarienſis exercuiſſet, eique ab Epiſtolis & Conſiliis fuiſſet. Tunc autem Petrus in Curia Regis Henrici degebat & ſic loquitur. *In eo turbata eſt anima mea valde, & ſicut ranam tabeſcere me feciſtis, quia exprobrauerunt qui me tribulant inimici mei, dum dicunt per ſingulos dies vbi eſt Dominus tuus? vbi latitat?* Vſque quò piger dormit? exurgat qui dormit & exurgat à mortuis. Et iam hora eſſet à ſomno ſugere & vigilare ſuper cõmiſſum ſibi gregem & attendere qualem habuit prædeceſſorem... Reperit inquiunt Archiepiſcopus Eccleſiam in optimo ſtatu, ipſe vero eam deſtituit & deiecit Cantuarienſis Eccleſiæ dignitates, quas glorioſus Martyr rubricauerat ſanguine ſuo, & quaſi teſtamentum æternum morte & cerebri effuſione firmauerat, puſillanimitas eius uacuat, eamque reduxit in antiquæ ſeruitutis opprobrium, quæ ſe in gratiam plenæ libertatis erexerat.

Eodem anno Walterus de Conſtantiis, quem diximus anno ſuperiore Lincolnienſem factum fuiſſe Epiſcopum, electus eſt in Rothomagenſem Præſulem, eiuſque à Lincolnienſi ad Rothomagenſem ſedem tranſlatio impetrata eſt à Lucio Papa, qui datis Veronæ litteris hoc anno 15. Kal. Decemb. ad Decanum & Capitulum Rothomagenſe iuſſit eum pallio Archiepiſcopali decorari: dubitaſſe autem legitur diu Gualterus an Lincolnienſem ſedem vt potè ditiorem & locupletio

rem pro honoratiore ſed minus diuite acciperet, ſed tandem diuitiis honorem, & ambitionem prætuliſſe. Qua de re ſic Neubrigenſis l. 3. c. 8. *Non diu ſedit ibidem* (Lincolniæ) *nempe poſt modicum electus ad Epiſcopatum Rothomagenſem formæ venuſtioris blandiente illecebra, nouæ nuptæ valedixit. In quâ re penſandum eſt quanti ſit momenti ambitus excellentiæ, quantumque in homine pecuniæ etiam auidiſſimo ſuperet amorem pecuniæ.* Satis quippe notum eſt, quod quantum Rothomagenſis Eccleſia Lincolnienſi præminet maioritate dignitatis, tantum etiam cedit in temporalibus commodis. Homo tamen qui Epiſcopatum Lincolnienſem propter ampliſſima commoda multum ambierat, maluit eo relicto minores diuitias aſcendere ſuperius, quàm eo retento cum maioribus diuitiis ſedere inferius. Et quidem diu hæſitaſſe dicitur vtrum eminentior an ditior eſſe eligeret, ſcrupulosè ſecum deliberans: ſed ambitu loci celſioris de amore commodi largioris triumphauit.

Ad eum extant aliquot Petri Bleſenſis Epiſtolæ. Ioannes vero Hautivillenſis vulgò Architrenius dictus, Poëta inſignis horumce temporum qui 9. libros metricè compoſuit de corruptione morum ſui temporis, cuius verſus ad Vniuerſitatem noſtram pertinentes ad an. 1190. referemus, opus ſuum hoc anno ei dedicauit, atque imprimis eius ortum ſtatumque deſcribit lib. 1. c. 6. aiens eum Cornubiæ natum ex illuſtri gente, atque ex ipſis Troianis & Iulio cæſare originem ducere. Cap. vero 7. ei ſuum opus dedicat hoc modo.

O cuius ſtudio, quo remige nauigat æſtu
Mundanoque mari tumidis exempta procellis
Linconiæ ſedes! ô quem non præterit æqui
Calculus! ô cuius morum redolentia cælum
Spondet & eſſe nequit virtus altiſſima maior,
Indiuiſa minor, cuius ſe nomen & aſtris
Inſerit & fama lituo circunſonat orbem.
O quem Rothomagi ſedes viduata maritum
Spectat, & adſpirat, ſolidiſque amplexibus ardet
Adſtrinxiſſe virum, fragrantiùs odoribus vti,
Morum deliciis, virtutis aromate, ſponſi
Pectore quod Phœbum redolet, quod Neſtora pingit.
Virgo virum, matura toros, innupta maritum,
Orba Patrem, mutilata caput, iactata ſalutem,
Cæca Ducem, tenebroſa iubar, nocturna lucernam
Exigit, & queritur tardanti mane, ſuumque
Eclipſata ſitit rediturum Cinthia Phœbum.
O mihi Mecenas operis fractique laboris
Exſpectata quies, rudis indubitata Mineruæ
Spes, adhibe cœptis oculi mentiſque fauorem:

Ioannem hunc aliqui ſcribunt Anglum fuiſſe natione, ſed malè: cum ipſe diſertè fateatur in prologo ſe *Normannum* eſſe. Architrenium verò ideo ſe nominat, quia mundum circumluſtrans, vbique lachrymarum materiam inuenit, nullibi moribus bonis locum eſſe queritur, omnium vero animis prauas cupiditates inſediſſe, venerem, ambitionem, auaritiam, gulam & cæteras mundi meretrices. Capite autem II. eiuſdem libri incipit deflere calamitatem ſuam, cum recordatur ſe nihil vnquam boni feciſſe, ſed adoleſcentiam impendiſſe vitiis nullumque diem virtutibus. Itaque malè tranſactæ adoleſcentiæ memor ſic ait.

——— *Memor Architrenius imas*
Fectoris euoluit latebras merſoſque profunda
Explorat ſub mente lares, nec moribus vſquam
Inuenit eſſe locum, nec ſe virtutibus vnum
Impendiſſe diem. Méne iſtos, inquit, in vſus
Enixa eſt Natura parens? miſit vt arma

In ſuperos damnata feram, Diuûmque reatus
Irritent odium? legeſque & iura meique
Præteream Decreta Iouis? vitij ne poteſtas
Mortales æterna premit? facinus ne redundat
Diis inuiſa palus? Mater quid pignora tanta
Deſtituit labi, nec quem produxit, alumno
Excubat, vt nullis maculam ſcelus inſpuat actis?

Impensè addictus fuit Henrico Regi ſenioti, quem l. 5. c. 4. laudibus ornat & proſequitur, doletque inuictum Regem ſeneſcere.

Hic vbi delegit ſummam præſumptio ſedem,
Inſerpit feſtina comis criſpatque ſenecta
Henrici faciem, quem ſtana Britannia Regem
Iactat, eoque Duce titulos Normania videt
Et belli & pacis, totumque ſupermeat orbem.
Indole quem belli nunquam fregere tumultus
Dediſcitque virum gladio matura Iuuentus.
His vernare genis æternum debuit aui
Floſculus, & nulla ſenii marceſcere bruma.

Ad hunc quoque annum prædixerunt omnes fere omnium terrarum Aſtrologi futuram intra biennium totius orbis deſtructionem. Inter cæteros vero Anſelmus quidam Vvigornienſis Monaſterij Monachus ad omnes Vniuerſitates & ſcholas publicas miram Fratris cuiuſdam conuerſi, qui nunquam Latinas litteras didicerat, vaticinationem verſibus latinis expreſſam miſit cum hac præfatione, quæ legitur apud Rogerium Hoüedenſem.

Vniuerſis litteras & præcipuè Scholaribus ad quorum præſentiam præſens « pagina peruenerit, Anſelmus Vvigornienſis Monaſterij Frater humilis in Domino ſalutem. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis & operibus qui miracula pro ſuis nunquam ceſſat operari. Et quia nemo ponit lucem ſub modio, ſed ſuper cãdelabrum, vt luceat Vniuerſis, miraculum ſupra modum eſt mirabile, quod in Domo noſtra contigit pridie Kal. Nouembris, vt ad abſentium ſaltem ſcripto poſſet deuenire notitiam, in ſcripto commendaui. Noſcat itaque veſtra diſcretio quod quidam Fratrum noſtrorum ex toto Laicus cum in mentis exceſſu laboraſſet 9. diebus & 9. noctibus velut exanimis ante quoddam altare proſtratus in modum Crucis iacuit. Et quia vir Religioſus erat & ſanctæ conuerſationis frater, nullus noſtrum auſus erat eum inde remouere. In decima die hora 3. voce demiſſa modoque lamentabili, mira tamen lamentatione verſus iſtos decies aut ſæpius eodem ordine quo hîc ſcribuntur, cecinit. «

Humani generis caſum ſubitamque ruinam
Infert huic orbi pernicioſa lues.
Ætatis tenerè pueros premit vnica clades,
Cum ſenibus pariter eſt peritura nece.
Corporis aerij vitio liquor inficietur
Totaque lethifero rore madebit humus.
Hinc Miranda lues orietur & vnica clades,
Vnica cauſa necis, vnica cauſa mali.
Nam ſimul Herculei ſol tanget terga Leonis,
Exuret geminus viſcera ſicca calor.
Si tunc mille forent Lacheſes & cuique manus tot,
Atropos hæc carpet omnia fila ſimul.
Mortis enim gladio populi peccata piabit
Vltio digna Dei. Me miſerum quid agam!
Ecce micat gladius, qui totum conteret orbem.
Ecce manus Domini, quo miſer hinc fugiam?

Ecce furor Domini, fugiam ne vel hîc latitabo?
Quóue Deum fugiam, cum ſit vbique Deus?
Si nequeat flecti precibus Diuina voluntas,
Granum cum palea conteret ira Dei.
Ecce neceſſe probat ſententia Philoſophorum,
Rurſus in antiquum cuncta redire chaos.
Sic tamen eſſe nequit, quia conſtat quaque fuiſſe,
Pluraque quæ veluti ſunt modò, ſemper erunt.
Iam ſuper aſtra feror, videoque relatus ad aſtra
Luminibus clauſis Solis vtramque domum.
Nox ſine ſideribus vnáque dies ſine ſole
Eſt, ſed cum ſit ita, neſcio cur ſit ita!
Sidus Mercurÿ, Veneriſque Iouiſque latent nunc,
Non ſunt, vel ſi ſunt, deſeruere polum.
Toto Zodiaco paſſim ſpatiantur & errant,
Mars, & falciferi ſtella nociua Senis.
Mars ferit enſe, ferit Saturnus falce nociuâ,
Rebus in humanis nititur eſſe nocens.
Hinc feror ad ſtygÿ iam lubrica Regna Tyranni,
In quibus æterna ſunt, & erant tenebræ.
In tantis tenebris nec ſol, nec luna, nec ignis
Sufficit huic moeſto lumina ferre loco.
Hîc labor atque dolor & inextricabilis ardor,
Hîc grauis eſt miſeris pœna parata reis.
Hîc ſonat aſſiduè carmen lachrymabile Væ Væ
Quanta ſunt tenebræ! væ mihi, væ mihi, Væ!
Cerberus ante fores furit & tria guttura pandit,
Tres ſimul horrendos mittit ab ore ſonos.
Atria tres furiæ ſeruant, Alecto, Megæra,
Tiſyphone, quarum vultibus horror ineſt.
Horridus aſpectus & fœdus anhelitus oris,
Voxque velut tonitrus gutture rauca ſonat.
Omnibus eſt ſceleris innata malicia mentis:
Omnibus eſt animus pronus ad omne ſcelus.
Ore tenus mediâ ſitiens ſtat Tantalus vndâ
Quæ, ne poſet eam, ſemper ab ore fugit.
Siſyphus hîc ingens ſaxum reuolubile voluit
Semper vi ipſius ſit ſine fine labor.
Ille vorax vultur Tityÿ vorat vſque iecur, quod
Vt ſemper pereat, non ſibi pœna perit.
Quoſdam dira fames, quoſdam ſitis aſpera, quoſdam
Opprimit atque domat abſque quiete labor.
Hos frigus ſtringit, alios calor ignis adurit:
Quemlibet vt meruit, ſic ſua pœna grauat.
Omnibus introitus, nulli patet exitus, omnes
Deuorat & furiis deputat iſte locus.
Tiſyphone diris coniuncta ſororibus illis
Diſtribuit pœnas, quas meruere pati.
Nunc ſtyga, nunc Lethen, nunc linquo Reis Acherontem
Ad ſuperos iterum vixque reuerto gradum.

» *Cum* autem extremum hunc verſum recitaſſet, vltimò ad ſe reuerſus, & velut
» à ſomno foret excitatus, caput erexit, & quendam fratrem qui admirandi cauſâ
» illuc cum reliquis venerat, acutiſſimo intuitu reſpiciens, ait.

Ne mea mireris ora, quia tu morieris:
Te grauis & ſubitus ſubruet interitus.

Poſt hæc autem ad Conuentum oculorum conuertens aciem, non minus elegánter quàm ſi ab infantia Tullianâ ditatus eſſet eloquentiâ, quædam tunc futura latino prædixit eloquio. Vnde quia poſtea contigerunt, vt prædixerat, ſtupore repleti plurimi, vt nobiſcum mirentur alij verſus quos ille Laicus compoſuit, qui nunquam vllas cognouit litteras, de ſcholis ad ſcholas propter fabulas quas innectit, mittere decreuimus, vt earum examine noſtra ventiletur controuerſia. Hæc ille.

Eiuſdem meminit Robertus Monachus Antiſſiodorenſis in Chronico ad an. 1186. & fortaſſis illæ ipſæ ſunt litteræ quas Monachi ad omnes ſcholas miſerunt. *Per idem tempus*, inquit, *littera incerto nuncio* profectæ per orbem latè ventilabantur conteſtantes quod in anno prædicto menſe ſeptembri omnes planetæ conuenirent in Libra, & à parte Occidentis procederet ventus validus, ita vt fere vniuerſa deſtrueret, nec à venti turbine & fragore terribili poſſent euadere niſi qui in hypogæis ſpecubus latitarent. Huic adſtipulabantur opinioni plures Aſtronomiæ periti. Quæ quidem opinio multorum animos, etiam ſapientum pauore conſuſſerat, ſed quàm vanum falſumque id fuerit, euentus probauit.

Ad hunc inſuper annum idem Author notat ſectam quandam Capuciorum quæ anno præcedenti apud Anicium orta fuerat, cœpiſſe in Francia propagari: ſed illis ſubiectionem inſolenter denegantibus Principum contradictione deletam fuiſſe. Item Benedictum Auenionenſis Pontis authorem ſanctæ admodum vitæ iuuenem obiiſſe, ſepultumque fuiſſe ſuper pontem illum mirificum magna iam ex parte confectum & conſtructum ab eiuſdem fundatione ſeptem annis iam circiter decurſis. Item Heraclium Patriarcham Hieroſolymitanum & cum ipſo duos Magiſtros Templariorum & Hoſpitaliorum Romam veniſſe, & poſt habitum cum Lucio Papa colloquium tranſalpinaſſe ad poſcendum auxilium, querimoniaſque Chriſtianorum Terræ ſanctæ incolarum deferendas. Quam in rem extant Lucii Papæ ad Henricum Regem Angliæ litteræ apud Neubrigenſem l. 3. c. 11. & apud Mathæum Pariſienſem ad an. 1185.

Ad an. 1185. notat Rigordus Gaufridum Britanniæ minoris Comitem Henrici Anglorum Regis filium ægrotaſſe Pariſiis lethaliter & obiiſſe poſt exploratam & conſumptam inutiliter omnium Medicorum artem peritiamque. Quod audiens Rex Philippus, inquit, qui nimis tenerè eum diligebat, conuocauit omnes Medicos qui eo tempore Pariſius morabantur, præcipiens illis quod curam & diligentiam quantamcumq; poſſent circa ipſum Comitem adhiberent. Sed poſtea paucis euolutis diebus, Medicis incaſſum laborantibus 14. Kal. Septemb. viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Ciues autem Pariſienſes & milites cuſtodierunt Corpus eius cum honore & reuerentia in Eccleſia B. Mariæ vſque ad aduentum Regis. Interim Canonicis & Clericis ipſius Eccleſiæ deuotiſſimè exequias debiti funeris celebrantibus ſequenti die Rex cum Comite Theobaldo Franciæ Seneſchallo Pariſius veniens Corpus eius conditum aromatibus & in ſarcophago plumbeo repoſitum in eadem Eccleſia inter maius altare fecit ſepeliri à Reuerendiſſimo Mauricio Pariſienſi Epiſcopo conuocatis Abbatibus & viris Religioſis & Clericis totius Ciuitatis. 1185.

Ex hoc loco intelligitur tum fuiſſe Lutetiæ multos Medicos, quorum ſchola hoc ſeculo cœpit habere commendationem Pariſiis, vt in Synopſi dicetur. Cæterum Gaufridus ille filium habuit Poſthumum, cui cum Rex Henricus nomen ſuum in baptiſmate voluiſſet imponi, contradictum eſt à Britonibus & ſolenni acclamatione nominatus eſt Arturus. Sicque Britones, inquit Neubrigenſis, *qui fabuloſum dicuntur exſpectaſſe Arturum, nunc ſibi cum multa ſpe nutriunt verum; inxta opinionem quorundam grandibus illis & famoſis de Arturo fabulis Prophetarum.* De qua vana exſpectatione Arturi ſic quoque Ioſephus Iſacanus ſeu potius Ioannes Hautiuillenſis.

Et Britonum ridenda fides per ſecula multa
Arturum exſpectat, exſpectabitque perenne.

Eodem anno 17. Kal. Feb. Heraclius Patriarcha Hieroſolymitanus, Rogerus Magiſter Hoſpitalis & Willielmus Tyri Archiepiſcopus ad Philippum miſſi mi-

ſerrimum Chriſtianorum in Oriente ſtatum expoſuerant, auxiliumque contra Sarracenos à Chriſtianiſſimo Principe poſtularunt. Pariſiis autem, vt notat Rigordus, *cum ſolenni proceſſione à Venerabili Mauricio Epiſcopo Patriarcha receptus eſt quaſi Angelus Domini. Sequenti die in Eccleſia B. Mariæ Miſſam celebrauit & ſermonem ad populum fecit.* Audito autem Patriarcha Philippus Generale conuocauit Concilium omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Principum, vt cum iis de modo auxilij Chriſtianis fratribus ferendi ageret.

Inſtitit quoque huic operi vigilantiſſimè Lucius Pontifex apud omnes Principes, præſertim verò apud Francorum & Anglorum Reges: ſed relapſis illis in noua bella & ipſe morte præuentus non abſoluit quod inceperat. Obiit autem Veronæ 17. Kal. Decemb. ibique honorificè ſepultus eſt cum hoc Epitaphio.

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.

Addita verò reciproca Antitheſis.

Immò Verona dedit verum tibi viuere, Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

Extat inter Decretales Gregorij huiuſce Papæ edictum aduerſus Hæreticos. Ei autem ſucceſſit Hubertus ex Cardinale in Mediolanenſem Præſulem nuper aſſumptus vir multæ litteraturæ, vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi, & Vrbanus III. vocatus eſt. Hunc olim in Academia Pariſienſi condiſcipulum habuerat Stephanus Tornacenſis, & Balduinus Cantuarienſis Magiſtrum. Quamobrem vterque ad eum congratulatorias miſit litteras de promotione ſua ad ſupremum Pontificatum. Balduinus quidem apud Petrum Bleſenſem Epiſt. 99. hoc modo.

Electio Vrbani III. Academici olim Magiſtri.

» Domus Dei, quæ in lapide adiutoris ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ſtabilita eſt, à Petro & ſucceſſoribus eius formam ſemper eruditionis & » ſtatum incolumitatis accepit. Quod enim ſtipiti rami, quod capiti membra, quod » radij ſoli, quod fonti riuuli, hoc Apoſtolicæ ſedis reuerentiæ debent Eccleſiæ » omnes quas vbique terrarum Religio Chriſtiana fundauit. Inde eſt quod B. recordationis Lucio III. Papa viam vniuerſæ carnis ingreſſo (mortis enim tributarij omnes ſumus, mortiſque reſponſum habemus in nobis & fœdus cum ea percuſſimus) erant & lugebant filiæ apud Nos ſine ſponſo. Cumque munus exequiale defuncto & pios affectus impenderent, electionis veſtræ Nuncius ſuperuenit, qui nubilum publici mœroris auferens corda omnium feſtiuiore lætitia ſerenauit.

» Communis enim fama eſt, quod Dominus qui iuxta verbum Amos ſuſcitat de » filiis Prophetas & de Iuuenibus Nazaræos, ipſe in ſpecula Celſitudinis Apoſtolicæ talem nunc de filiis ſuis per gratiam ſuam collocare dignatus eſt, qui prodeſſe velit & præeſſe ſciat, qui prudentia & moribus præminens Cathedram ſanctorum meritis implere ſufficiat. In commune itaque deſiderium cedit, verboque celebri & votiua gratiarum actione publicè recenſetur, qualiter Dei ſapientia ſuauiter vniuerſa diſponens vos de gradu in gradum, de virtute in virtutem, de » honore in honorem promouerit. Nec illud deeſſe permittit ad plenitudinem gaudiorum, quod tanta fuit eligentium vos vnanimitas, nullumque ſuſtinuit in rete Petri ſciſſionis aut rupturæ diſpendium: ſed iuxta verbum Iſaiæ, quod Dominus exercituum decreuerat, quis poterit infirmare? nec variat caſualis euentus » quod Conſilij Cœleſtis altitudo diſpoſuit. *Quia ergo ex hominibus aſſumpti eſtis à Domino Pontifex & pro hominibus conſtituti in his quæ ſunt ad Deum, ipſi qui vos elegerit, cum multa gratiarum actione preces affectuoſas offerimus, quatenus is qui ſegregauit & vocauit vos ad dandam ſcientiam ſaluti plebi eius, ipſe in vobis dies veſtros continuet, atque in faciem teſtamenti, vel Chriſti ſui reſpiciat, Eccleſiam ab omni errore purgatam ſub veſtra prouiſione tranquillet.* Adhæc non quantas volo, ſed quantas valeo vobis gratiarum actiones referens minorem me profiteor cunctis miſerationibus veſtris: nã » meorum exigentiam meritorum multipliciter veſtrorum Beneficiorum magni-

tudine præueniſtis. Non ſufficio tantæ gratiæ reſpondere ad meritum. Ille pro me reſpondere dignetur qui ſecundum diuitias bonitatis ſuæ ſuorum inſufficientiam ſupplet. *Ego enim vir videns paupertatem meam pra munificentiâ & magnificentiâ indultæ mihi gratiæ veſtræ me vobis totum debere profiteor, quidquid debere ſeruus Domino, Magiſtro Diſcipulus, filius Patri poteſt.*

Qua munificentiâ fuerit vſus Vrbanus erga Balduinum, neſcio, niſi forte quia pallium Archiepiſcopale ei miſit, ſimulque conceſſit poteſtatem Eccleſiæ in honorem B. Thomæ Martyris conſtruendæ & dedicandæ, quæ materia fuit diſcordiæ & ſeditionis inter eum & Monachos Cantuarienſes, vt ad an. ſequentem dicetur.

Eiuſdem Pontificis dum in hac Academia verſaretur, condiſcipulus olim fuit Stephanus Tornacenſis, vt ipſe verbis ſatis expreſſis ſcribit Ep. 140. *Initia ſacri Apoſtolatus veſtri, Pater, ea deuotione ſuſcipimus, vt ex eo certam concipiamus fiduciam & humilibus dari gratiam & confuſionem ſuperbis. Hac iuſtitiæ libra ſingulorum merita penſabit tantus Vicarius Petri, cui Dominus affluenter contulit ſcientiam & cum ſcientia poteſtatem. Nec deeſſe poterit his duabus gratiſſima comes voluntas bona & beneplacens & perfecta: quo funiculo triplici ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta opera conſummatius adſtringantur. Interim glorior inde mecum Ego minima filiorum veſtrorum portio, quod Dominum nunc & Patrem meum quandoque viderim in ſcholis, vbi tanquam Hylas mirabar Herculem magnis virtutum & prudentiæ paſſibus incedentem. Exinde veſtri nominis reuerentiam concepi, veſtræ authoritatis combibi memoriam, fructuoſum mihi proponens exemplar, doctrinam ex verbis, exemplis diſciplinam.*

Anno 1186. idem Pontifex Balduino Cantuarienſi Pallium miſit Archiepiſcopale cum legatione Apoſtolica, ſimulque indulſit vt Eccleſiam in honorem B. Thomæ Martyris conſtrueret, quæ tum erat communis pietas Anglorum Francorumque. Pariſiis quoque in Luparæa regione Robertus Comes Drocenſis Ludouici Craſſi quartus filius eidem Thomæ Eccleſiam vouit & ædificari voluit, inſtituitque quatuor Canonicos qui ſacris operarentur. Item quaſdam domos ſuas cum ſtabulis Noſocomio, cæteroſque reditus Fratribus quibuſdam *Noſodochis*, ſeu vt obtinuit loquendi vſus, *Hoſpitalariis* attribuit. Sunt etiam qui putant eundem Robertum fundaſſe ſimul Collegium pauperum Scholarium, qui ſcholas Vniuerſitatis frequentarent: quod an verum ſit, infra commodius diſquiretur. 1186.

DE COLLEGIO PAVPERVM SCHOLARIVM S. Thomæ de Lupara.

CHarta inſtitutionis ſeu fundationis prædictæ nondum mihi venit in manus, eam dico quam Robertus Comes confici voluit. At Bullas habemus Pontificias ex quibus ſufficienter intelligimus, quid in illa contineretur. Nimirum à Roberto fuiſſe quaſdam domos & ſtabula Noſocomio & Noſocomij adminiſtratoribus deſtinata; fuiſſe quoque 4. Canonicos inſtitutos, Eccleſiam ædificatam, & cæmeterium Eccleſiæ adiunctum, vbi humarentur infirmorum Corpora, qui ibi deceſſiſſent. Prior Bulla eſt Vrbani his verbis concepta.

Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto Filio Willielmo Presbytero Prouiſori Domus S. Thomæ Pariſius ſal. & Apoſt. Bened. Cum Principes ſeculi diuinitus inſpirati aliqua de bonis ſuis piis vſibus applicant, in bono eos debemus propoſito confouere, Et ne factum illorum per alicuius valeat malitiam immutari, Apoſtolicum eis patrocinium impertiri. Sicut autem in audientia eſt noſtra propoſitum, *Electus filius noſter nobilis Comes Robertus Diuinæ pietatis amore quaſdam Domos quas habebat Pariſius Prouiſioni Pauperum Clericorum, cum quibuſdam reditibus de vxoris & filiorum ſuorum conniuentia deputauit Religioſis perſonis in eodem loco authore Domino conſtitutis, qua ſecum pariter in eodem laudabili opere debeant exerceri.* Quia igitur poſtulauit à nobis benignus in Chriſto filius noſter Philippus illuſtris Francorum Rex & Regina vxor ipſius, poſtulauit etiam & iam dictus Comes, vt donationem

„ eius noſtra deberemus authoritate firmare, ipſam prout piè ac laudabiliter facta
„ eſt, authoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communi-
„ nimus. Statuimus autem vt per Diœceſanum Epiſcopum ad opus fratrum & fami-
„ liæ ipſius atque infirmorum decumbentium cimiterium debeat benedici. Sanè
„ Noualium veſtrorum quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſiue de nu-
„ trimentis animalium veſtrorum, hortorum vel domorum fructibus nullus à vo-
„ bis decimas extorquere præſumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam no-
„ ſtræ confirmationis & prohibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si
„ quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB.
„ Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Veronæ XI. Kal.
„ Aug.

Porro non eſt exiſtimandum ex hoc loco Collegium pauperum Scholarium S. Thomæ de Lupara fuiſſe tum primum à Roberto Comite fundatum. Alioquin certum eorum numerum deſignaſſet, & quid quantumque ad victum quotidianum fuiſſet aſſignandum aut erogandum: quid quantumque Prouiſori Domus ſeu Magiſtro ſcholarium & aliis Miniſtris ſeu Officiariis. Item certas regulas legeſque præſcripſiſſet, iuxta quas eis conueſcendum fuiſſet. Igitur ita ſtatuendum videtur, prædictum Collegium vetuſtioris eſſe fundationis, eiuſque primæuam inſtitutionem ad Robertum Regem eſſe referendam qui vt ad an. 1030. diximus *Collegium 160. Pauperum Clericorum alere ſolebat* dum eſſet in viuis, moriens verò prouidit ne quotidianus eis victus defuturus eſſet.

Et reuera Comes pauperibus Clericis nihil aſſignat, immo ex prædicta Bulla videtur ipſas domos quas habebat, conuertiſſe in vſum Noſodochorum ſeu Fratrum Religioſorum, qui curandis infirmorum corporibus incumberent. Quò enim pertinent hæc verba, *Robertus quaſdam domos quas habebat Pariſius prouiſione pauperum Clericorum, deputauit Religioſis Perſonis in eodem loco conſtitutis.* Ex his certè nihil aliud videtur poſſe colligi, niſi hoc quod Pauperibus Clericis Religioſæ illæ perſonæ fuerint à Roberto ſubſtitutæ. Quanquam tamen ipſa Domus pauperum Scholarium nomen ſemper retinuerit.

Verum quo facilius quæ prædicta ſunt intelligantur, operæ pretium eſſe crediderim vna quaſi ſerie fundationis præallatæ confirmationes à ſubſecutis Pontificibus factas attexere. Clemens III. qui an. 1187. ſedere cœpit, anno 2. ſui Pontificatus talem dedit Bullam ad Canonicos S. Thomæ poſt mortem Roberti Comitis.

„ *Clemens Epiſc. S. S. D. Dilectis filiis Canonicis Eccleſiæ S. Thomæ de Louurea ſal. &*
„ *Apoſt. bened.* Iuſtis petentium deſideriis facilem nos conuenit præbere conſenſum
„ & vota quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Ea
„ propter Dilecti in Domino filij precibus inclinati nobilis fœminæ Comitiſſæ Bra-
„ yæ *poſſeſſiones & Reditus à Roberto Comite quondam marito ſuo, ab ipſa & liberis eius in*
„ *Eleemoſynam Eccleſiæ veſtræ conceſſos*, ſcilicet *Curiam* in qua erant ædificata ſtabula,
„ vt ibi conſtrueretur *Hoſpitale*; partem *Virgulti* vulgò *du Verger* inter Hoſpitale
„ Canonicos attingentis à Clauſtro quod eſt ante ianuam Eccleſiæ vſque ad extre-
„ mitatem muri; & *reditus* ad ſuſtentationem 4. Canonicorum ſacerdotum manen-
„ tium, in decimis de Torciaco, Calliaco & de Braya; & *centum ſolidos Pariſienſis*
„ *monetæ apud* Villam nouam S. Georgij annuatim in feſto S. Remigij perſoluendos:
„ *vineam etiam & arpentum terræ* quæ iacent extra muros prædicti loci S. Thomæ, ſi-
„ cut ea iuſtè & ſine controuerſia poſſidetis & in eorum ſcripto authentico contine-
„ tur, Eccleſiæ veſtræ authoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti pa-
„ trocinio communimus, Statuentes vt nulli omnino hominum liceat hanc pagi-
„ nam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis au-
„ tem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri &
„ Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani 7. Kal. Aug.
„ Pontificatus noſtri an. 2.

Eandem quoque donationem & fundationem confirmauit Philippus Auguſtus litteris ſuis an. 1192. datis, quæ in quodam Chartulario deſcriptæ ſunt olim, an. ſcilicet 1343. confecto, ex quo quæ ſequuntur exſcripta ſunt & communicata mecum à D. Sauualio Antiquitatum Pariſienſium Scrutatore diligentiſſimo.

„ In quadam archa fuerunt inuentæ litteræ fundationis & dotationis 4. antiquo-

rum Canonicorum Eccleſiæ S. Thomæ de Lupara ſpecificatæ in hunc modum. « *Et 1. quædam littera Regis ſub magno ſigillo Regio in Cera viridi & ſericeis filis ſub an.* « *1192. continens quod dicti* 4. Canonici haberent & habere deberent pro dotatio- « ne & ſuſtentatione eorum quæ ſequuntur. 1. apud Villam nouam S. Georgij in feſto S. Remigij 100. ſolidos. Item totam decimam frumenti, hordei, auenæ, & « cuiuſlibet leguminis & annonæ & vini ſimiliter, ſiue prouenjat de molendinis ſiue « de cultura terræ vel de quocunque reditu, quem Comes Robertus patruus dicti « Regis habebat & hæres ſuus habiturus & acquiſiturus erit in domanio de Braya, « de Torciaco & de Calliaco. Item vineam & arpentum terræ quæ adiacent extra « muros (Ibidem folio verſo.) Item quædam bulla plumbea in filis ſericeis ſuper « confirmatione *Curiæ in qua erant ædificata ſtabula ad conſtruendum Hoſpitale de Clauſtro ante ianuam & parte Virgulti vineam & arpentum terræ extra muros S. Thomæ.* Et « ſunt prædictæ litteræ in vno coffro forti ferrato tribus ſeris diuerſis ſerato in Ca- « mera Matricularij dictæ Eccleſiæ exiſtenti, qui coffrus propriè eſt dictorum « Canonicorum antiquorum, & eius clauem habent 3. Canonici de iiſdem, non « alij. «

Item Robertus Roberti fundatoris filius anno 1198. eandem donationem confirmat, nonnulla tamen immutando, vt ſequitur.

In nomine S. & individuæ Trinitatis Amen. Ego Robertus Comes Drocenſis, « & Iolenſis vxor mea notum facimus vniuerſis præſentibus pariter & futuris, « quod cum de eleemoſyna Patris noſtri Comitis Roberti, aſſenſu Matris noſtræ « Agnetis Comitiſſæ & filiorum eius fratrum noſtrorum facta eſſet Pari- « ſius inſtitutio 4. Canonicorum ſacerdotum in Eccleſia S. Thomæ de *Louure* « & eis in quibuſdam villis quæ ad nos deuoluræ ſunt, Beneficiorum ſuorum perce- « ptio aſſignata, Nos de eadem inſtitutione gauiſi & eorum poſtmodũ vtilitatibus « inſiſtentes de conſulto fecimus pro eo quod reditus illi non ita liberè habe- « bantur quomodo nullus moleſtiæ ſuperſit locus & ad reddendas illis Præbendas « ſuas nulla de cætero interueniatur difficultas, ſtatuentes vt loco eorum quæ ipſi « ſolebant accipere annuatim, habeant apud Brayam in cenſiua Domorum, de qui- « bus ſic inſtitutum eſt, vt vnaquæque duos ſolidos reddat, 20. libras Pariſienſis « monetæ infra octabas S. Remigij de eadem cenſiua atq; aliis cenſibus Domini « Brayæ quicunque ipſe erit ſine dilatione reddendas, eâ per ſingulos annos condi- « tione ſeruanda, vt ſi prædictos denarios infra præd ctas octabas non reddi contigerit, detentores ſeu dilatores pro vnoquoq; die quo ab elapſo termino dilati fue- « rint, quinque ſolidos de pœna reddere tenebuntur. Quod ſi Dominus loci ſecun- « dum ſtatuta non exequeretur prædictis Canonicis iuſtitiam ſuam &c. Actum « apud Calliacum anno gratiæ 1198.

Innocentius quoque III. qui anno 1198. ad ſupremum Pontificatum prouectus eſt, datis an. 1209. ad Thomam Prouiſorem & fratres Religioſæ domus pauperum Scholarium S. Thomæ Pariſ. Litteris vetat ne vllus eorum abſque licentia Rectoris ſui è domo prædicta excedat, niſi arctioris Religionis obtentu. Sic enim ille.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Thomæ Prouiſori & fratribus Religioſæ Domus pauperum Scholarium S. Thomæ Martyris Pariſius ſal. & Ap. bened..... Prohibemus inſuper vt *nulli fratrum veſtrorum poſt factã in eodem loco profeſſionem fas ſit inde abſque Rectoris ſui licentia, niſi arctioris Religionis obtentu, temerariã diſcedere leuitate.* Ad indicium vero huius protectionis ab Apoſtolica ſede perceptæ duos obolos aureos gratis oblatos nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis exſoluetis. Datum Laterani 2. Kal. Ian. Pontif. noſtri an. 12.

Paulo poſt idem Pontifex eiſdem permiſit iuxta Vrbani litteras Capellam ſeu Eccleſiam ædificare, Cœmeteriumque ab Epiſcopo Pariſienſi conſecrari, ad quem ſic reſcripſit.

Innocentius Epiſc. Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri Epiſcopo Pariſienſi ſal. & Apoſt. bened. De parte dilectorum filiorum Thomæ Prouiſoris & fratrum Religioſæ Domus pauperum Scholarium S. Thomæ Martyris Pariſius nobis eſt humiliter ſupplicatum, vt cum eis per bonæ memoriæ Vrbanum Papam prædeceſſorem noſtrum conceſſum ſit, quod per Diœceſanum Epiſcopum ipſis debeat Cimiterium benedici, ſuper hoc tibi ſcribere dignaremur, propriam ſibi conſtruendi capellam nihilomi-

» nus concedentes poteſtatem. Nos ergo fraternitati tuæ cum loco Diœceſani exi-
» ſtas, deferre volentes, per Apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandamus quati-
» nus ſecundum memorati prædeceſſoris noſtri conceſſionem Cimiterium eis hu-
» iuſmodi benedicendi, ſaluo iure Parochiali licentiam eis tribuas propriam con-
» ſtruendi Capellam. Super quo ſi contentio aliqua mota fuerit, & vocatis qui fue-
» rint euocandi, eorum appellatione remota, iuſtitia mediante decîdas, faciemus
» quod decreueris per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſeruari. Datum Laterani
» 2. id. Feb. pontific. noſtri an. 12.

» Petrus Epiſ. Pariſ. ad quem Papa dederat eiuſmodi litteras, eas non tam citò exe-
cutioni demandauit, forte quia interceſſerat Canonici S. Germani Antiſſiodorenſis:
quorum præcipue intererat obſtare quominus Collegæ S. Thomę propriã Capellã
propriumquè cœmeterium haberent: ſed anno demum 1217. litem diremit permi-
ſitque Rectori (ſic Prouiſorem vocat) & fratribus prędicti Hoſpitalis, *habere Cimi-
terium ad opus fratrum & familiæ ipſius Domus atque infirmorum ibi decumbentium. Li-
centiam quoque habeant, inquit, conſtruendi propriam Capellam ſaluo iure Parochiali.
Si vero aliquis de Parochianis S. Germani in infirmitate ſua ad dictum Hoſpitale fuerit
deportatus, & ſumpſerit ibidem habitum, eumq; in infirmitate illa ſua mori contigerit, cor-
pus ipſius ad parochialem Eccleſiam referetur, vt ibi prima Miſſa pro eo celebretur. Poſtmo-
dum autem fratres dicti Hoſpitalis corpus defuncti ad ſuam reportabunt Capellam, de ipſo
tanquam de fratre ſuo facturi. Si vero in ſanitate conſtitutus habitum ſumpſerit, non refere-
tur ad Parochialem Eccleſiam. Imo fratres ipſius Hoſpitalis facient de eodem tanquam de
fratre ſuo.* Atque ne Petri Conſtitutionem S. Germani Capitulum violaret, ve-
tuit Honorius Pontifex datis ad Stephanum Decanum, Nicolaum Cantorem
& Philippum Cancellarium Eccleſię Pariſienſis litteris an. 2. ſui pontificatus.
Idem verò Petrus an. 1212. menſe Nouembri compoſuerat litem exortam inter
Canonicos S. Thomę & fratres loci prædicti *ſuper quadam Eleemoſyna quam vene-
rabilis Pater Beluacenſis Epiſcopus & ſui fecerant præfatis Canonicis & futuris commu-
niter poſſidendam.*

Cum autem ſimiliter ob præſentationem præbendarum prędictę Capellæ orta
fuiſſet contentio inter Philippum Epiſcopum Bellouacenſem, qui nouas aliquot
fundarat, Robertum Comitem Drocenſem fratrem & Petrum Epiſcopum Pariſ.
anno tandem 1209. rem amicè & pacificè compoſuerunt, vt ſequitur & legitur in
chartulario Baſilicæ Pariſienſis.

*Philippus D. G. Beluacenſis Epiſcopus Omnibus præſentes litteras inſpecturis ſal. in
Domino. Ad Vniuerſitatis veſtræ notitiam volumus peruenire, quod cum eſſet contentio in-
ter Nos & nobilem virum Comitem Robertum fratrem noſtrum ex vna parte, & Venerabi-
lem Patrem Petrum Epiſcopum Pariſienſem ſuper donatione præbendarum S. Thomæ de Lu-
para Pariſius tam veterum quàm nouarum*, tandem mediantibus bonis viris amicabi-
» lis interceſſit compoſitio in hunc modum, quod Nos quandiu vixerimus, omnes
» præbendas prædictas tam veteres quàm nouas factas & faciendas, integras & di-
» midias pro noſtra donabimus voluntate. Poſt obitum verò noſtrum donatio 4.
» veterum præbendarum ad D. Brayæ & ſucceſſores eius perpetuò pertinebit. De
» aliis verò videlicet de factis & faciendis, de integris & dimidiis ita ſtatutum, quod
» poſt mortem noſtram donatio earum ad Pariſienſem Epiſcopum quicumque ſit,
» & Dominum Drocarum communiter pertinebit. Ita quod primò vacantem poſt
» obitum noſtrum ſiue integram ſiue dimidiam dabit Epiſcopus Pariſ. quicumque
» ſit. Secundò verò vacantem ſiue integram ſiue dimidiam dabit Dom. Drocarum.
» 3. autem vacantem ſiue integram ſiue dimidiam dabit Pariſ. Epiſcopus quicum-
» que ſit. 4. verò vacantem ſiue integram ſiue dimidiam dabit D. Drocarum Et ſic
» ad Pariſ. Epiſcopum & D. Drocarum ſucceſſiuè pertinebit dictarum donatio præ-
» bendarum. Vt igitur hæc compoſitio robur in poſterum obtineat firmitatis, has
» litteras fecimus ſigilli noſtri impreſſione muniri. Actum anno gratiæ 1209. men-
» ſe Nouemb.

Robertus Cardinalis Legatus an. 1215. menſe Octobri indulſit relaxationem
pœnitentiæ 60. dierum omnibus fidelibus, qui de ſuo in ædificationem Eccleſiæ
S. Thomæ conferrent. Henricus Drocenſis Archiepiſcopus Remenſis quandam
Capellam cœpit ædificare, ſed morte præuentus an. 1240. abſoluere non potuit.
Petierunt autem Rector ſeu Prouiſor illius Domus & fratres à Guillelmo Epiſco-

po

po Pariſ. confirmationem cuiuſdam Conſtitutionis à Petro Cambio factę, & obtinuerunt.

Guillelmus permiſſione Diuina Pariſienſis Eccleſiæ Magiſter indignus Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis æternam in Domino ſalutem. Notum facimus quod nos an. Dom. 1239. menſe Auguſto litteras bonę memoriæ P. quondam Pariſienſis Epiſcopi prædeceſſoris noſtri inſpeximus in hęc verba. *P. Dei gratia Pariſienſis Epiſc. omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino.* Notum facimus *quod cum Rector & fratres Hoſpitalis S. Thomæ Martyris de Lupara Pariſius authoritate Apoſtolica* peterent coram nobis vt liceret eis habere Cimiterium & Capellam ſaluo iure Parochiali S. Germani Antiſſiodorenſis, in cuius Parochia ipſum Hoſpitale dignoſcitur eſſe ſitum, tandem auditis rationibus hinc inde propoſitis & plenius intellectis de prudentum conſilio pronunciauimus *licere Rectori & fratribus Hoſpitalis S. Thomæ martyris de Lupara Pariſius habere Cimiterium ad opus fratrum & familiæ ipſius domus atque infirmorum inibi decumbentium.* Licentiam quoque habeant conſtruendi propriam Capellam ſaluo iure parochiali S. Germani Antiſſiodorenſis, videlicet vt in *prædicto Hoſpitali nullum de Parochianis S. Germani ad diuina recipiant, ad purificationem* neque ad baptiſterium, neque ad ſponſalia ſeu confeſſionem, nec ad aliquod aliud ius parochiale. Si verò aliquis de parochianis S. Germani in infirmitate ſua ad *dictum Hoſpitale fuerit deportatus* & ſumpſerit *ibidem habitum*, eumque in infirmitate illa mori contigerit, corpus ipſius ad parochialem Eccleſiam referetur, vt ibi prima Miſſa pro eo celebretur. Poſtmodum autem fratres *dicti Hoſpitalis* corpus defuncti ad ſuam reportabunt Capellam de ipſo tanquam de fratre ſuo facturi. Si verò in ſanitate conſtitutus habitum ſumpſerit, non referetur ad parochialem Eccleſiam. Imò fratres prædicti Hoſpitalis faciant de eo tanquam de fratre. Si quis autem de parochianis S. Germani in infirmitate ſua Legatum fecerit ſiue Tricennale ſiue Annuale Hoſpitali prædicto & non parochiali Eccleſiæ S. Germani vel Preſbytero loci, quamuis aliquis in infirmitate ſua ſumpſerit habitum Hoſpitalis prædicti, medietatem ſiue mobile, ſiue immobile ſit, habebit Hoſpitale prædictum, & aliam medietatem Decanus & Preſbyter parochialis S. Germani quam inter ſe diuident, prout diuidere conſueuerunt Preſbyter & Decanus. Si verò vtriſque ſpecialiter legauerit, quod cuique legatum fuerit, ſuum erit. Cuicunque autem ſiue Regulari preſbytero ſiue ſeculari commiſſa fuerit cura eiuſdem Hoſpitalis in ſpiritualibus per Epiſcopum Pariſienſem, cui per omnia & in omnibus prædictum Hoſpitale tenetur eſſe obediens, & ſubiectum, ſuper his omnibus conſeruandis fidelitatem faciat Decano & Parochiali Presbytero S. Germani Antiſſiodorenſis. De conſenſu autem *Rectoris & Fratrum eiuſdem Hoſpitalis* pronunciamus quod ſingulis annis infra octauas S. Remigij decem ſolidos Pariſienſes reddere teneantur Decano & presbytero parochiali de S. Germano. Actum anno D. 1217. *Copiam autem iſtarum litterarum eiſdem Magiſtro & fratribus S. Thomæ de Lupara Pariſius ſub ſigillo noſtro fecimus in teſtimonium rei geſtæ.* Datum anno & menſe ſuperius annotatis.

Ex his igitur Bullis, chartis & inſtrumentis publicis manifeſtum eſt Roberti Drocenſis inſtitutionem ſeu fundationem ad Scholares nullatenus pertinuiſſe, **ſed ad Canonicos duntaxat & ad Noſodochos qui eiuſdam religionis legibus** & ſtatutis ei domui curandiſque ægrotis adſtringerentur; quemadmodum adſtrictos videmus nunc, quos vulgò *Fratres Charitatis* appellamus.

At, inquiet aliquis, ipſa Domus pauperum Clericorum ſeu pauperum Scholarium appellabatur. Enimvero appellabatur: vnde ſuſpicari licet antiquum fuiſſe nomen iſtud Domûs, nec accedente illâ fundatione fuiſſe mutatum. Imo & credibile eſt ſcholares inibi retentos: adeo vt domus illa, quæ antiquitus ſcholarium duntaxat erat, ex fundatione Roberti Comitis complexa ſit ſcholares, Canonicos, Noſodochos, ſeu fratres vulgò *Hoſpitalarios*, & *Infirmos*; & quæ antiquitus Capellam non habebat, contenta ſcilicet ſacris Eccleſiæ San-Germani, poſt additos adiunctoſque Canonicos, Fratres Hoſpitalarios & Infirmos, Eccleſiam propriam habere cœperit & cœmeterium.

Nihil ergo Robertus Scholaribus aſſignauit: at Ludouicus IX. anno 1270. eorum meminit in ſuo Teſtamento, quibus ſcilicet 15. libras legauit. *Item legamus Pauperibus Scholaribus S. Thomæ de Lupara Pariſius 15. libras.* Tandem verò deiectis

indeſcholaribus & Noſodochis ſeu Hoſpitalariis, Canonicorum numerus creuit ad 30. vt in quibuſdam vetuſtis Chartis legitur.

Quæri quoque poſſet hîc de Antiquitate Collegiorum S. Nicolai & Bonorum Puerorum S. Honorati in eadem Luparea regione; item & Bonorum Puerorum ad portam S. Victoris: quæ vetuſtiſſima pariter eſſe conſtat: ſed vt ſe dabit occaſio de Collegiis illis differendi, commodius ea perſequemur. Ad Hiſtoriæ filum reuertamur.

Eodem anno, quia vt ſupra dictum eſt, inualuerat rumor breui ruituræ mundi Machinæ, Abbas Ioachim è Calabriæ finibus Vrbanum tunc adhuc Veronæ degentem conuenit, eique librum quem compoſuerat *Reuelationum* hactenus incognitarum porrexit. Qua de re ſic legitur in Chronico Antiſſiodorenſi.

Per hos dies venit ex Calabriæ partibus ad Vrbanum Papam Veronæ morantem, quidam „ Abbas nomine Ioachim, de quo ferebant, quia cum prius non plurimum didiciſſet, diuinitus accepit intelligentiæ donum, adeo vt facundè diſertéque enodaret difficultates quaſlibet ſcripturarum. Hic itaque dicebat quædam Apocalypſis myſteria hactenus latuiſſe, ſed modò per eum clareſcere in ſpiritu Prophetiæ, ſicut ex opuſculo quod ſcripſit legentibus liquet: dicit enim quia ſicut ſcripturæ veteris teſtamenti quinque ætatum ſeculi ab Adam vſq; ad Chriſtum decurſarum, hiſtoriam continent, ſic liber Apocalypſis ætatis ſextæ à Chriſto inchoatæ curſum exponit ipſamque ætatem ſextam in ſex ætatulas diſpertitam, earum ſingulas ſingulis huius libri periodis ſatis congruè deſignatas. Dicit quoque hæc reuelata fuiſſe in fine ætatulæ quintæ, atque in proximo ſuccedere ſextam, in qua tribulationes varias multipliceſque preſſuras perhibet emerſuras, ſicut in apertione ſigilli & in ſexta libri periodo vbi de ruinâ Babylonis agitur, patenter oſtenditur. Id vero in libello eius præ cæteris notabile ac ſuſpectum habetur, *quod mundi definit terminum & infra duas generationes, quæ iuxta ipſum annos faciunt ſexaginta, arbitratur implendum, quidquid de Antichriſto legitur euenturum. Dicat quiſque quod ſenſerit, nos tutius iudicamus non diſcutere quàm arguere quod neſcimus, & rei nobis incertæ præſagium iudicio relinquere poſterorum.* Hic liber deinde magnos in Academia Pariſienſi tumultus excitauit, vt ſuo loco dicemus

Eodem anno Viterbienſis Hiſtoriam ſuam quam Pantheon appellauit, proſa metroque contextam Vrbano dedicauit, in qua licet Imperatoris Friderici eiuſque filij Henrici Notarius eſſet, multa tamen de iure Pontificio ſcripſit, eique ius omne Regium & Imperatorium ſubiecit. Itaque in frequentibus quæ inter Pontifices & Imperatores acciderunt, altercationibus huius viri authoritas in medium ſemper adduci conſueuit. Librum autem ſuum hac occaſione dedicaſſe videtur, quia vt notat Chronologiſtes Antiſſiodorenſis, Hoc anno Henricus Friderici Filius Regno Italiæ à Patre præfectus ductâ in coniugem Conſtantiâ Rogeri quondam Siciliæ Regis ſorore ſimultatem exercuit cum Vrbano, adeo vt Papæ Veronæ commoranti prodeundi quoquam facultatem præcluderet, & ipſum adeuntium præpediret itinera, multaſque iniurias irrogaret. Porro quid quantumque Romano Pontifici tribuat, in ſcriptis eius legitur. Epiſtola verò dedicatoria talis eſt.

Summo & Vniuerſali Papæ Vrbano III. Domino & Patri ſuo Reuerendiſſimo Gotfridus Viterbienſis ſacerdos indignus ſeipſum in omni obſequio & obedientia ſubiectiſſimũ. *Dum ſacro-ſanctæ Matris noſtræ Rom. Eccleſiæ culmen inſpicio & eius eminentiæ conſidero maieſtatem, illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor*, vt ſicut ipſa „ omnibus noſcitur præeſſe Principibus, ita omnes Reges & Principes & vniuerſæ „ orbis Eccleſiæ doctrina eius & regimine adornentur, & ab ea tanquam à fonte „ iuſtitiæ totius & ſapientiæ regulis inſtruantur. Quia nullum ſcripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab eius ſapientiæ fluminibus, ſitientibus propinetur. Quare ſi quod Hiſtoriarum opus nouâ per aliquem inſtitutione conficitur, ratio ſuggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apoſtolico examini præſentetur, quatenus ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, eius „ mandato & iudicio approbetur, & ab eo vires authoritatemque recipiat, cui terrena & cœleſtia diuinitus ſunt commiſſa. Eapropter, Reuerendiſſime Pater, „ hoc opuſculum longo tempore ſimplicitatis meæ ſtudiis aggregatum & de veteri „ & nouo teſtamento atque de omnibus fere hiſtoriis in vnum volumen ſub com-

pendio redactum, ad honorem Dei, emendationem ſeu approbationem S. Romanæ Eccleſiæ ante veſtrum examen perferre diſpoſui, veſtræ gratiæ præſentare curaui, vt ſi authore Deo per vos fuerit approbatũ, ad alias Eccleſias vlterius deriuetur & non ſolum Clerici, ſed etiam Reges & Principes habeant hoc opus à veſtræ ſanctitatis authoritate. Impoſſibile enim eſt perfecti regiminis & Regiæ poteſtatis excellentiã conuenienter attingere his qui mundi curſum & originem aut ſcripturarũ dogmata ignorant. *Imperator vero aut Rex qui ceteris Principibus poteſtate præponitur, ſi fuerit Philoſophiæ neſcius, errare ſæpius quàm regnare videtur, quia dum in cauſis Reipublicæ ſapientia indiget, cogitur eam abaliis frequẽter emendicare, & ex hoc aliena ſæpius quàm ſua cernitur virtute regnare.* Omnes namque Reges debent Rerum ſtatum & Iuſtitiæ diſciplinam cognoſcere, quam ſola bruta animantia ignorant. Oportet enim eos Creatori de his omnibus reddere rationem, quia ipſi cum legibus ſint abſoluti, non in legem ſed in Deum potius videntur peccare. Vnde dicitur *Tibi ſoli peccaui.* Cum ergo Reges non in leges, ſed in Deum peccent, & Dei ſolius veſtroque examini reſeruentur, antiquorum Regum vitam & geſta atque hiſtorias oportet eos agnoſcere: vt cauſa præcedentium fiat eis in poſterum cautio futurorum. Ipſi quoque Principes inter alia beneficia S. Romanæ Eccleſiæ gaudeant ſe hunc Hiſtoriarum libellum de fonte ſanctitatis veſtræ ſuſcipere, *Cuius inſtructi adminiculo poterunt ſubiectos ſibi populos rationabilius gubernare.*

Circa eadem tempora obiit, inquit Mathæus Pariſienſis, maxima mulierum Venerabilis Domina Mathildis filia Regis Anglorum Henrici I. Imperatrix & vxor Henrici Romanorum Imperatoris, deinde Mater Henrici II. Anglorum Regis Maximi. Vnde eiuſdem Mathildis Epitaphium.

Ortu magna, viro maior, ſed maxima partu,
Hîc iacet Henrici filia, ſponſa, parens,

Hocce quoque tempore grauis & vehemens intercedebat inter Balduinum Cantuarienſem Archiep. & Monachos diſcordia. Cauſa erat ædificatio nouæ Baſilicæ in honorem S. Thomæ, vt ſupradictum eſt, & Canonicorum ſecularium inſtitutio quam moliebatur Balduinus, vt haberet Clericos ſuis mandatis obedientiores quàm Monachos. In Anglia primum ea de re diſputatum eſt, ſed præualente Archiepiſcopo Monachi ad Romanum Tribunal prouocarunt. Nec deſtitit Balduinus vrgere inceptum opus, licet vetante Pontifice donec auditis partibus ſententia proferretur. Monachi Priorem ſuum Honorium & alios quoſdam cum M. Pillio legis-perito ad Papam delegant: Balduinus M. Petrum Bleſenſem & alios Iuris legumque peritos. Petrus, vt legitur in Chronico Geruaſij *ſublimiores perſonas Franciæ concitare. niſus eſt adverſus Monachos Cantuariæ, & aliquorum litteras obtinuit.* Tota concertatio inter Magiſtros Pillium & Bleſenſem Veronæ fuit præſente Pontifice. Poſtulabat Pillius opus deſtrui quod contra Papæ interdictum fuerat ædificatum, & cuius nulla eſſet neceſſitas. Bleſenſis neceſſitatem obtendebat. Interrogatus verò à Pontifice quænam eſſet illa, reſpondit his verbis, vt habetur in prædicto Chronico. Eccleſia *Cantuarienſis ſublimis valde & glorioſa eſt, ideoque contra Principes & poteſtates multo & maximè Clericorum ſapientum indiget adiutorio, qui in expedientis negotiis prudentiores Monachis exiſtunt & exercitatiores.* Præterea ſubiunxit Balduinum nihil aggredi noui, idemque habuiſſe propoſitum Anſelmum & Thomam prędeceſſores. Poſt multos tandem dies in diſputationibus illis & Quæſtionum enodationibus conſumptos, Papa quo ſe ab importuna illa lite liberaret, tres Abbates Anglos diſcutiendo negotio præfecit. Sed nec illi tam cito rem conficere potuerunt.

1187. Anno 1187. innotuit hiſce Occidentalibus plagis clades Chriſtianæ Genti irreparabilis, nimirum expugnatio Hieroſolymitanæ vrbis per Saladinum Turcarum Imperatorem & totius Terræ ſanctę deploranda ſubiectio: De quaclade extant litteræ Magni Magiſtri Templariorũ, qui ſuis comitatus fortiter quidem, ſed infeliciter pugnauerat. Extant & litteræ Aimerici Patriarchę Antiochęni ad Henricum Anglorum Regem, quibus miſeranda terręillius facies deſcribitur. Cuius

cladis fama vt Romam peruenit, adeo Vrbanum Papam percelluit, vt infra paucos dies præ ægritudine obierit. Admiratione & iſtud dignum accidit, quod ſicut Vrbani II. tempore liberata eſt Hieroſolyma, ita Vrbano III. in Cathedra Petri ſedente ab Infidelibus recepta eſt. Quam in rem hi verſus.

Sublatis annis tredecim de mille ducentis
Hieruſalem capitur & eâ gens Turca potitur.

Tranſmarinæ iſtius calamitatis Hiſtoria vbi per occidentem inſonuit, inquit Chronicon Antiſſiodorenſe, graui mœroris aculeo corda omnium ſauciauit, quod ibi emarcuiſſet Chriſtiana Religio, vbi principum eius floruiſſet, & *Princeps Prouinciarum facta eſſet ſub tributo.* Accreuit quoque dolori quod multa illic nefanda patrata eſſent, profanatæ Baſilicę, loca ſacra ſordibus ac iumentis expoſita, nomen Chriſti & Chriſtiana Religio habita in blaſphemiam & contemptum.

Gregorii VIII. electio. Vrbano igitur inter hæc apud Ferrarias defuncto ſubſtitutus eſt M. Albertus Beneuentanus Cardinalis & ſedis Apoſtolicæ Cancellarius ex Academicis quoque Pariſienſibus aſſumptus Stephani Tornacenſis familiariſſimus, dictuſque eſt Gregorius VIII. *Vir*, inquit Neubrigenſis, *planè & ſapientia & vitæ ſinceritate conſpicuus æmulationem Dei habens in omnibus ſecundùm ſcientiam & ſuperſtitioſarum conſuetudinum quarum in Eccleſia per quorundam ruſticam ſimplicitatem circa ſcripturarum authoritatem multo inoleuerat, reprehenſor acerrimus.* Itaque omnibus Principibus & præcipuè Friderico Imperatori qui cum aliis Pontificibus ſimultates exercuerat, acceptiſſimus fuit. De vtroque id. de Vrbano & de ipſo ſic habet Chronologiſtes Antiſſiodorenſis.

Vrbanus Papa cum tam flebilem rem audiſſet, nimis indoluit, & ex nimio dolore animi
" *langueſcens poſt breue moritur* ſepeliturq; in vrbe Ferrarias, quo nuper aduenerat de
" Verona. Ferarienſes Ciues miram defuncto honorificentiam exhibuere & 7. die-
" bus eius exequias cum immenſis luminaribus celebrarunt. *Poſt eum Albertus Can-*
" *cellarius ſubſtituitur & Gregorius VIII. vocatur vir litteratura facundiaque clarus, ſed pu-*
" *ritate vitæ & animi integritate præclarior, ſuique corporis vehemens caſtigator.* Audita
" eius promotione lætatus eſt admodum Fredericus Auguſtus, eo quod virum diſ-
" cretum & Iuſtitiæ zelatorem cognoſceret, ſibique beneuolum & omnibus ſi diu
" viueret, profuturum. Præcepit quoque Principibus & Præfectis omnem ei reue-
" rentiam impendere & tranſeunti per terram ſuam de fiſco proprio victualia mi-
" niſtrare. Pontificali itaque dignitate ſuſceptâ vir Dei penſare cœpit attentius, qua-
" liter labenti rerum ſtatui ſubueniret. Videbat nempe ſui temporis Eccleſiam per
" vitia diffluam & in maligna prolapſam, ambitioneque & auaritia, luxuriaque nec
" non hæreſibus quaſi quibuſdam peſtilentiſſimis hoſtibus vineam Domini totam
" fere iam eſſe depaſtam. Hoc meditabatur die ac nocte, hæc eius cura, hoc ſtu-
" dium, vt ſui negligens viueret omnibus, vt per eum cooperante Domino facies
" Eccleſiæ marcida refloreret.

Odo de Soliaco. Sub initia eius Pontificatus contigit vt Odo de Soliaco tum adhuc adoleſcens Romanam Curiam adiret, cui Gregorius eum honorem detulit quem ſolebat Epiſcopis deferre, ob inſignem vnde ortus erat proſapiam. Erat enim conſanguineus duorum Regum Franciæ & Angliæ, nepos Henrici Bituricenſis Archiepiſcopi, qua in Eccleſia Cantoris Dignitatem habuit. Tunc autem Petrus Bleſenſis Romanam Curiam comitabatur, eumque à Gregorio vidit Odoni honorem deferri, vt ipſe teſtatur. *Cum iam in eius facie pubeſcentis adoleſcentiæ lanugo vernaret*, ſedem Apoſtolicam viſitauit, eo ſcilicet tempore quo Gregorius VIII. ſucceſſit
" Vrbano. Eram tunc in curia & vidi nec inuidi, quod honor ei à ſummo Pontifice
" Patribuſque *Conſcriptis exhibitus non multum inferior Epiſcoporum reuerentiâ vide-*
" *batur.* Iſte Odo ſucceſſit Mauricio in Epiſcopatu Pariſienſi, vt dicemus ad an.
" 1196.

Cæterũ Gregorius paucis diebus ſedit, quibus (ſedit enim tantũ vno mẽſe & diebus 27.) ſuæ pietatis æterna monimenta reliquit, dum ad ſubuentionem Hieroſolymitanæ terræ totis inhians animis ad inuitandos Principes & populos per Occidentis Prouincias deſtinauit tam legatos quàm litteras, qui & cladem orientalem exponerent & pœnitentiarum abſolutiones promitterent Hieruſalem profecturis.

Tales autem dedit ad vniuerſos Chriſti fideles litteras, vt leguntur apud Neubrigenſem.

Gregorius Seruus Seruorum Dei Vniuerſis Chriſti fidelibus ad quos litteræ iſtæ peruenerint, ſalutem & apoſt. Bened. *Audita tremendi ſeueritate Iudicij*, quam ſuper terram Hieroſolymitanam Diuina manus exercuit, tanto ſumus Nos & fratres Noſtri horrore confuſi, tantis afflicti doloribus, vt non facile nobis occurreret quid ducere aut facere deberemus, niſi quod Pſalmiſta deplorat & dicit. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Ex occaſione quippe diſſenſionis, quæ ſuggeſtione Diaboli facta eſt, nuper in terra acceſſit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas & occurrentibus Rege & Epiſcopis, Templariis & Hoſpitalariis, Baronibus & Militibus cum populo terræ & Cruce Dominica, per quam ex memoria & fide paſſionis Chriſti qui pependit, & genus humanum in ea redemit, certum ſibi contra Paganorum incurſus ſolebat eſſe tutamen. Facta eſt congreſſio inter eos & ſuperata parte noſtrorum capta eſt Crux Dominica, trucidati Epiſcopi, captus eſt Rex, & vniuerſi fere aut cæſi gladio aut hoſtilibus manibus deprehenſi; ita vt pauciſſimi per fugam dicantur elapſi. Ipſi quoque Templarij & Hoſpitalarij in eiuſdem ſunt oculis decollati. Nos autem licet cum Propheta dicere habeamus. *Quis det oculis meis fontem lachrymarum & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* non tamen adeo nos deiicere debemus, vt in diffidentiam decidamus & credamus Deum ita populo ſuo iratum, vt quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permiſit iratus, non cito per miſericordiam pœnitentia placatus alleuet & poſt lachrymationem, exultationem inducat. Quiſquis ſanè in tanta lugendi materia non lugeat, non tantum fidei Chriſtianæ, ſed ipſius etiam humanitatis videtur oblitus: cùm ex ipſa periculi magnitudine & feritate barbarica Chriſtianorum ſanguinem ſitiente, ac totam ſuam in hoc ponente virtutem, vt profanet ſancta & cultum Dei auferat de terra, quod nos tacemus, diſcretus quiſque valeat æſtimare. Sanè cum prius ac poſtmodum Apoſtoli laborauerunt, vt Diuinis cultus eſſet in terra illa, & ad omnia climata mundi ex ea diffluereat, imo quod maximum & ineffabile eſt, Deus qui ibi voluit ſalutem operari, per ſe ipſum ad hoc dignatus ſit laborare, nec lingua dicere nec ſenſus cogitare poteſt, quantum nobis & vniuerſo populo dolendum ſit, quod nunc id perpeſſa eſt terra illa, quod ſub veteri populo legitur pertuliſſe. Nos autem credere non debemus quod ex iniuſtitia ferientis iudicis, ſed iniquitate potius populi delinquentis iſta prouenerunt. Terra illa, deuorauit habitatores ſuos, & nec diu habere quietum ſtatum, nec tranſgreſſores legis Diuinæ potuit retinere. Porro in tanta contritione terræ illius non ſolum peccatum habitatorum eius, ſed & noſtrum & totius populi Chriſtiani debemus attendere, ac veteri, ne quod reliquum eſt terræ illius depereat, & in alias etiam poteſtas infidelium deſæuiat regiones, cum ex omnibus partibus inter Reges & Principes, Ciuitates & Ciuitates diſſenſiones audiamus & ſcandala & cum Propheta dicere valeamus, *Non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra: furtum & mendacium & homicidium & adulterium inundauerunt & ſanguis ſanguinem tetigit.* Cogitate itaque, filij, qualiter tranſeant vniuerſa, & pariter tranſeatis & vos: & date veſtra & date quoque vos ipſos non in exterminium, ſed in conſeruationem ei à quo & vos & veſtra omnia recepiſtis, nec dicimus dimittite ſed præmittite in cœleſte horreum quæ habetis, & reponite apud eum, apud quem ærugo non demolitur aut tinea, nec fures effodiunt aut furantur, laborantes ad recuperationem terræ illius: in qua pro ſalute noſtra Veritas de terra orta eſt, & ſuſtinere pro nobis patibulum Crucis non deſpexit. Et exemplo veſtro alios exhortamini vt ad ponendas pro fratribus animas confortentur, & à vobis addiſcant, qualiter in obſequiũ Creatoris ſui & perſonas & ſubſtantias ſuas impendant, recolentes non eſſe nouum, quod terra illa iudicio diuino non percutitur, ſed nec eſſe inſolitum vt flagellata & caſtigata miſericordiam conſequatur. Poterat quidem Dominus ſolâ eam voluntate ſeruare, ſed non habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim forſitan experiri & in notitiam ducere aliorum, ſi aliquis ſit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum ſibi tempus pœnitentiæ hilariter complectatur & animam ponendo pro fratribus conſummetur in breui & compleat tempora multa. Eis autem, qui corde contrito & humiliato ſpiritu labores itineris huius aſſumpſerint & in pœnitentia peccatorum &

Litteræ Gregorii pro Terra Sanc.

» fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam & vitam pollice-
» mur æternam: ſiue mortem ſuperuixerint, ſiue mortui fuerint, de omnibus pec-
» catis ſuis, de quibus rectam confeſſionem fecerint, impoſitæ ſatisfactionis relaxa-
» tionem de omnipotentis Dei miſericordia & Apoſtolorum Petri & Pauli autho-
» ritate & noſtra ſe nouerint habituros. Bona quoque, ex quo crucẽ acceperint, cum
» ſuis famulis ſub S. Romanę Eccleſiæ, nec non Archiepiſcoporum & Epiſcopo-
» rum atque aliorum Prælatorum Eccleſiæ protectione conſiſtant, & nullam de
» his quæ in ſuſceptione Crucis quietè poſſederunt, donec de ipſorum reditu vel
» obitu certiſſimè cognoſcatur, ſuſtineant quæſtionem: ſed bona eorum integra
» interim maneant & quieta: ad dandas quoque vſuras ſi tenentur aliqui, reddere
» non cogantur. Nec eant in veſtibus pretioſis & cum canibus ſiue auibus aut aliis
» quæ oſtentationi potius aut laſciuiæ quàm neceſſariis videantur vſibus deſeruire;
» ſed modeſto apparatu & habitu, in quo pœnitentiam potius agere, quàm ina-
» nem affectare gloriam videantur. Data Feb. 4. Kal. Nouemb.

Ad placandum autem irati Dei animum idem Pontifex indixit ieiunium quinquennale certis hebdomadæ diebus obſeruandum. Quam in rem hanc Bullam emiſit.

„ Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Vniuerſis Chriſti fidelibus, adquos
„ litteræ iſtæ peruenerint ſal. & Apoſt. bened. *Nunquam melius ſuperni iudicij ira pac-*
„ *catur, quàm cum ex mandato ipſius carnalia in nobis deſideria extinguuntur: proinde*
„ *quia Hieroſolymitanæ terræ diſcrimen quod irruentibus Sarracenis nuper euenit, ex pecca-*
„ *to maximè habitatorum terræ & totius populi Chriſtiani accidiſſe non dubitamus, Nos de*
„ *fratrum* noſtrorum communi conſilio multis Epiſcopis approbantibus ſtatuimus
„ vt omnes vſq; ad quinquennium ſaltem per omnes ſextas ferias in cibo quadrage-
„ ſimali ieiunent, & Miſſa vbi cantanda fuerit, ad nonam cantetur: quod ab aduentu
„ Domini vſque ad Natale Domini ſtatuimus obſeruandum: feria vero 4. & Sab-
„ bato omnes indifferenter qui bene valent, à carnibus abſtineant. *Nos autem & fra-*
„ *tres noſtri in ſecunda quoque feria nobis & familiis noſtris eſum Carnis interdici-*
„ *mus, niſi forte aut infirmitas aut magna ſolemnitas vel alia euidens cauſa viſa fuerit im-*
„ *pedire*: ſperantes quod ſic nobis ignoſcet Dominus & relinquet poſt ſe benedictio-
„ nem. Hoc igitur adeo ſtatuimus obſeruandum, vt quicunque tranſgreſſor exti-
„ terit, quaſi præuaricator Quadrageſimalis Ieiunij habeatur. Datum Ferrariæ 4.
„ Kal. Nouemb.

Ipſi quoque Cardinales vltro pol'iciti ſunt ſe abiectis omnibus diuitiis & deliciis militiam Crucigeram non ſolum verbo, ſed opere & exemplo ſuaſuros acceptoſque Crucem ipſoſmet & præceſſuros in Hieruſalem. Statuerunt autem & conuenerunt cum Pontifice, vt ad quinquennium omnibus Chriſtianis Principibus induciæ bellorum indicerentur & iniungerentur ſub commination interdicti & excommunicationis in eos fulminandæ, qui rupiſſent eas primi, aut rumpendarum occaſionem dediſſent. Cum vero huc & illuc prædicandæ crucis cauſâ profectionem adornarent Cardinales, ſummo bonorum omnium luctu & dolore Gregorius è viuis exceſſit vix completis in Pontificatu duobus menſibus, & Piſis, quo venerat ad conciliandam inter Genuenſes & Piſanos pacem, honoricè ſepultus eſt circa Natalem Domini.

Clementis III. electio. Ibidem autem ſtatim ei ſubſtitutus eſt Paulus Epiſcopus Præneſtinus & Clemens III. vocatus, vir ſcientia litterarum facundiáque clarus & viris litteratis addictiſſimus. Vnde ante promotionem *Scholaris* appellabatur, non tantum propter eminentem litteraturam, ſed etiam quia impenſe Magiſtros & ſcholares diligebat, quorum ſecuritati & tranquillitati incumbens vetuit ne vllus Magiſter vel ſcholaris aliorum Magiſtrorum vel ſcholarium hoſpitia conducere auderet ante tempus elapſum conductionis. Quod priuilegium infra referemus.

1188. Anno 1188. Clemens Pontifex ſtatim initio ſui Pontificatus deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens in Galliam mittit Vvillielmum Tyri Archiepiſcopum natione Gallum, eloquentiâ præſtantem & magnæ virum exiſtimationis: qui eo adduxit animos Regum Franciæ & Angliæ, vt ad mutuum colloquium inter Giſortium & Triam conuenirẽt, auditaque Orientalium Chriſtianorum miſerabili clade vltro promitterent ſe ſignum Dominicũ ſeu Cruces accepturos: ſed in hac re præcipuè commendatur Richardus Pictauienſis Comes, Henrici Anglorum Regis filius &

ſucceſſor futurus, qui teſte Neubrigenſi, nuncium tantæ deſolationis inclinato iam die accipiens, abſque vlla deliberatione laudabile propoſitum toto mox pectore combibit, & ſummo mane in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis *Characterem Dominicum* ſolemniter accepit.

Reges ergo poſt colloquium per manum Archiepiſcopi prædicti Signum Crucis acceperunt, neque tantum ſua ſed & ſe ipſos iſti militiæ deuouerunt. Quorum exemplum ſtatim ſecuti Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ & Comes Campaniæ, aliique multi Nobiles & Barones vtriuſque Regni, nec non Eccleſiarum Prælati & Clerici. Atque vt expeditionem iſtam promoueret Pontifex, indulgentiam vt vocant plenariam, conceſſit iis omnibus qui Cruces acciperent, aut qui de bonis ſuis contribuerent. Generatim verò permiſit idem Pontifex Regibus exigere Decimas bonorum omnium tam quæ ad Laïcos quàm quæ ad Eccleſiaſticos pertinebant: exceptis ſolummodo Carthuſienſibus, Ciſtercienſibus, Veſtalibus Fontebraldenſibus & Elephantiacorum Noſodochiis. Quæ res magnos clamores excitauit.

Neubrigenſis l. 3. c. 23. ait Reges ita communi conſilio ſtatuiſſe, ſcilicet *quod vnuſquiſque tam Clericus quàm Laïcus Decimam omnium redituum ſuorum vnius anni & mobilium ſuorum, quæ nunc poſſidet, excepto blado iſtius anni, dabit ad ſubuentionem terræ Hieroſolymitanæ, & de blado futuri anni dabit ſimiliter decimam.* Excipiuntur libri & veſtimenta & veſtes & tota Capella Clericorum, & equitaturæ eorum & ornamenta Eccleſiarum, & ſimiliter veſtes & equi & armatura militum & lapides pretioſi vtrorumque. *Quicumque autem Clericus aut Laïcus Crucem acceperit, nihil dabit, & de hominibus terræ ſuæ Decimam habebit, exceptis Burgenſibus & Ruſticis, niſi aſſenſu Dominorum ſuorum Crucem acceperint.* Omnibus ergo hanc Decimam legitimè reddentibus de miſericordiâ Dei confiſi medietatem ſibi pœnæ iniunctæ condonamus, remiſſionem nihilominus facientes de Decimis huc vſque legitimè non datis & de peccatis oblitis. Si autem de aliquo dubium fuerit, quod legitimam Decimam non dederit, per 7. legales homines de vineto ſuo veritas inquiretur, & hoc legitimè fieri ſub anathematis vinculo præcipietur Statutum eſt etiam à DD. Regibus & ab Archiepiſcopis & Epiſcopis & Baronibus conceſſum, vt quicunque Clericus vel Laïcus crucem acceperit, ſi reditus ſuos ante inuadiauerit, exitus huius anni integrè habeat, &c.

Hæc eſt ergo origo Decimarum Saladinarum, quæ ſic dictæ ſunt, quod ad expulſionem Saladini è terra ſancta exactæ fuerint & collectæ. Iſti tamen exactioni plurimi reclamarunt & voce & ſcriptis, augurantes fore vt Reges eiuſmodi Decimas bonorũ etiam Saladino bello confecto ſibi vindicarent, nec exigendarum prætextum vnquam defore. Petrus Bleſenſis tunc Archidiaconus Bathonienſis ad amicos ſuos D. Criſpinum & M. Paganum ſic ea de re ſcribit Epiſt. 20. *Sane ſicut audiuimus, exiit Edictum à Philippo Rege, vt deſcriberetur Gallicus orbis & oneretur Eccleſia Decimationibus recidiuis. Sic paulatim tranſibit decimatio in conſuetudinem, & præſumpta ſemel abuſio ignominioſam Eccleſiæ ſeruitutem infliget. Offertur Domino noſtro cœlitus gratiæ triumphalis occaſio. In optione ipſius eſt, aut degenerem aut deiectum animum turpiter ad ſeruiendum ſubmittere, & importabile iugum ſuis ſucceſſoribus importare, aut coronæ immarceſſibilis eminentiam obtinere.* Decimæ Saladinæ.

Longè plures clamores excitarunt decimæ iſtæ, poſtquam agnitum eſt, quanta ſeueritate exigebantur, ſine vlla tamen expeditione tranſmarina, quæ per biennium dilata omnium vota animoſque fatigauit. Vnde idem Bleſenſis ad Ioannem Decanum Rotomagenſem ſcribens, audacter inuehitur in huiuſmodi exactiones. *Eccleſia quidem à diebus antiquis libera eſt & filij eius, quâ libertate Chriſtus nos liberauit, dicens in Euangelio, quia filij Liberæ ſunt. Si autem angariatur exactionibus & oppreſſionibus potentium cogitur ancillari, iam ipſa eſt Agar, quæ ſeruit cum filiis ſuis..... Inducere poſſemus exempla multorum, ſed ſufficiat pro exemplo biennalis illa dilatio nouiſſimæ peregrinationis quæ toti Chriſtianitati verſa eſt in ſingultum. Illud etiam quod viam ſuam ab exactionibus inceperunt, & viaticum ſibi de rapinis pauperum & Eccleſiarum ſpoliis confecerunt, fuit propterea hæc via illorum ſcandalum ipſis.* Id auguratus erat Bleſenſis & ita accidit: vt ait Chopinus lib. 3. de Doman. tit. 23. *Neglecto ſacrarum expeditionum conſilio nihilo ſecius decumantur Sacerdotiorum reditus & Decimæ in annuas fiſci rationes Patrimonij inſtar referuntur.*

Porro cum omnes Eccleſiaſticorum Ordines decimas illas perſoluere tenerentur, quas milites impune per vim exigebant, Ciſtercienſes omnium Monachorum ditiſſimi immunes ſe curarunt eſſe, & illi cæteros Monachos cæteraſq; terras vexari videntes, ſoli ſecuritate & immunitate gaudebant. Imo nec de agris ſuis ſinebant à Parochis ſeu Curatis Eccleſiarum percipi decimas. Quod moleſtè plurimum fert Bleſenſis Ep. 82. in qua de iis & eorum Ordine multa quidem dicit ad laudem, ſed hoc vno deturpari ait, quod ſe exemptos iactarent, dum alij opprimerentur.

Contra Immunitatem Ciſtercienſium à Decimatione.

" *Vna*, inquit, *omnium vox eſt*, quia Ciſtercienſis Ordinis profeſſores tanto differentius præ cæteris triumphales ſanctitatis titulos referunt, quanto expreſſius Religionis Apoſtolicæ veſtigiis inhæſerunt: cum in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigiliis & confeſſionibus, in diſciplinis, in pſalmis, in humilitate, obedientia, caritate & cæteris, quibus fructus vitæ ſeminatur in terris, deprimatis carnem, ſpiritum erigatis. Angelicæ ſinceritati vos homines compararent, niſi cum vobis in fauorem pleniſſimum laus hominũ communis aſſiſtat, vnum niſi clamaret in contrarium, tantamque glorioſæ opinionis faciem decoloraret. Et quæ eſt iſta maledicta coniunctio, niſi quæ à Chriſti gratia & fauore hominum vos diſiungit? Inuiti & dolentes hoc dicimus, ſed ad dicendum murmur Vniuerſorum & immunis querimonia nos impellunt. Vota & linguæ omnium in veſtræ ſanctitatis præconium laxarentur, niſi raperetis quod alienum eſt, niſi Monachis & Clericis Decimas auferretis. Teſtimonio ſacræ paginæ Decimæ tributa ſunt egentium animarum. Et quæ eſt hæc iniurioſa immunitas, vt exempti ſitis à Decimarum ſolutione quibus obnoxiæ terræ erant antequam veſtræ eſſent, vt quæ ſolutæ ſunt hactenus non perſonarum obtentu ſed territorij ratione, ſi in veſtram poſſeſſionem terræ deuolutæ ſunt, quare in hoc periclitatur alienum ius? Nam ad vos terræ iuxta communem æquitatem cum ſuo honore tranſierunt, vt quid in alienam iniuriam terras & nutrimenta veſtra priuilegiari facitis, vt auferatis quod alienum eſt?.... habet Iuſtitia Diuinæ legis, vt in Leuitarum ſortem cedant Decimæ. Vnde & inſtitiæ Dei manifeſtè reſiſtit, qui Miniſtris Eccleſiæ nititur ius Decimationis auferre. Sane & ex his & conſimilibus ſatis liquet, quod ſi virtus obedientiæ eſſet in ſolutione decimarum aut redituum aut exhibitione iuris alieni, facile detrectaretis obedientiæ iugum *Milites Galliarum ſibi ius Decimationis vſurpant, nec veſtris priuilegiis deferentes eas à vobis potenter extorquent. Aduerſus eos deberetis recolere vos quandoque fuiſſe Clericos atque ſacramenta ſalutis in eorum Eccleſiis percepiſſe, ſed Chriſtianæ profeſſionis vinculum & deuotio filialis affectus priuignales induit, & ſub Religionis prætextu tranſiit in contemptum.* Non ponimus os noſtrũ in cœlum, nec de facto ſummi Pontificis diſputamus: ſed ſi D. Papa indulgentia ſpeciali quandoque priuilegiauit vos, dum Ordo veſter in paupertate gaudebat, dum in vſus egentium ſuæ tenuitatis viſcera liberaliter effundebat, potuit tolerari ad tempus licet in communem redundaret iniuriam, quod cauſâ neceſſitatis fuerit introductum. Nunc autem quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatę ſunt etiam in immenſum priuilegia hæc potius ambitionis quam religionis inſtrumenta cenſenda ſunt. Quidquid indulgeant priuilegia Rom. Eccleſiæ, vobis expedire non credo **contra conſcientiam veſtram, quod alienum eſt, vſurpare.**

Idem Ep. 112. ad R. ſeu potius H. id. Henricum Aurelianenſem Epiſcopum acriter in illas Decimarum exactiones, inuehitur. *Patrimonium*, inquit, *Chriſti & Eccleſiæ ſuæ hodie vertitur in occaſionem ſcandali & materiam ſeruitutis... Enorme famæ & animæ diſcrimen incurres, ſi hanc iniuriam Chriſti ſilentio aut neglectu diſſimules. Doctrina & exhortatione tua recolat D. Rex ſe non ad oppreſſionem pauperum, ſed ad tuitionem Eccleſiæ poteſtatem gladij ab Eccleſia ſuſcepiſſe.*

Mors Henrici II. Anglorum Regis.

Cæterum cum fidelium deuotio nihilominus ferueret, omniaque ad profectionem tranſmarinam appararentur, ecce ſubitus tumultus bellumque repentinum duo Regna turbauit; & contra omnium expectationem duo Reges facti ſunt ex amicis inimici. Richardus, Comes Pictauienſis, mox Ioannes Patri Henrico chariſſimus ad Philippum relicto patre tranſierunt; aliquot vrbes & caſtella ceperunt & expugnarunt, Henricum viribus imparem fugere coëgerunt, qui tandem ægritudine & dolore confectus, quod in extrema ſenectute qui toties aliàs victor fuerat, turpem fugam arripere coactus fuiſſet, apud Chinonem in febrim incidit

incidit & paulo poſt obiit, ſepelirique voluit apud Fontem-Ebraldum ; quem locum multis beneficiis affecerat & locupletarat. De eius morte mortiſque cauſa ſic ſcribit Guillelmus Brito l. 3. Philippidos in fine.

Anglicus interea pacem rogat, & licet ægrâ
Febre laboraret calidâ, Chinone relictâ
Vſque Columbare pro pacis amore venire
Suſtinuit: cum quo Rex pacem fecit, & ipſi
Pictauum (Richardum) ſolidâ ſub pace reconciliauit
Sub tali forma quod vterque vel alter eorum
In Syria partes ipſum comitetur iturum.
Pacificare tamen nequiit cum Patre Ioannem;
Cui bellum infelix alia iam parte mouebat,
Eſſe mereretur vt mortis cauſa paterna,
Addens fraude ſua patrio tormenta dolori,
Cor luctu crucians, dum febris ſæuit in artus.
Iamque ſuprema dies illi Chinona reuerſo
Poſt triduum occurrit, qui Fonte ſepultus Ebrardi
Per proprios victus natos & obire coactus
Abbreuiaſſe ſuæ lugetur tempora vitæ,
Felix ſi Regis Regum ſtuduiſſet haberi
Gratus & illius metuiſſet lædere ſeruos.
Felix, ſi ſancti Thomæ fratrumque ſuorum
Non interfector ſed amator amaſſet haberi:
Felix ſi proles illi ſua chara fuiſſet,
Ipſeque charus eis, genuit quos omine læuo
Ipſius exitij cauſam mortiſque futuros.
Hinc tibi ſcire licet homo, quid ſit gloria mundi,
Quid luxus, quid opes, quid honor, quid ſumma poteſtas,
Cui nuper dare vix poterant caſtella vel vrbes
Hoſpitium, nec ei capiendo ſufficiebant.
Quem formidabat Regni pars maxima noſtri,
Nomine quam feodi Francorum à Rege tenebat
Neuſtria, Pictones, Andis, Vaſconia, Santo
Armorici, Bitures, Aluernicus, Anglia tota,
Multi præterea populi quos æquore lato
Circuit Oceanus cum Regibus atque tyrannis
Subiiciebantur, illi ſeruire coacti.

Ille igitur qui viuens dicere conſueuerat ex animi magnificentia *Orbem vniuerſum non debere pro voto Principi magnifico ſufficere*, vt ait Mathæus Pariſienſis, hoc Epitaphio contentus fuit, quod apud Radulphum de Diceto cum hac ſuperſcriptione legitur.

Sufficit hic tumulus cui non ſuffecerat Orbis
Res breuis eſt ampla, cui fuit ampla breuis.
Rex Henricus eram, mihi plurima Regna ſubegi,
Multiplicique modo Duxque Comeſque fui.
Cui ſatis ad votum non eſſent omnia terræ
Climata, terra modo ſufficit octo pedum.
Qui legis hæc, penſa diſcrimina mortis, & in me
Humanæ ſpeculum conditionis habe.
Quod potes inſtanter operare bonum, quia mundus
Tranſit & incautos mors inopina rapit.

Corporis eius dotes deſcribit Bleſenſis Ep. 66. ad Gualterum Archiepiſcopum Panormitanum his verbis. *De Dauid legitur ad commendationem decoris eius*, quoniam rufus erat: vos autem Dominum Regem ſubrufum hactenus extitiſſe noueritis, niſi quia colorem hunc venerabilis ſenectus & ſuperueniens canities aliquantulum alterauit. Statura eius mediocris eſt, vt & inter paruos magnus appareat,

» nec inter maiores minimus videatur. *Caput eius ſphæricum eſt*, tanquam ſapien-
» tiæ magnæ ſedes & alti conſilij ſpeciale ſacrarium. *Ea vero eſt Capitis quanti-*
» *tas*, vt collo & toti corpori proportionali moderatione reſpondeat. *Oculi eius or-*
» *biculati ſunt*, dum pacati eſt animi, columbini & ſimplicis: ſed in ira & tribula-
» tione cordis quaſi ſcintillantes ignem, & in impetu fulminantes. *Cæſaries eius dam-*
» *na caluitij non veretur*, ſuperueniente tamen artifici capillorum tonſura. *Leonina*
» *facies quaſi in quadrangulum ſe dilatat*. Eminentia naris ad totius corporis venuſta-
» tem naturali eſt moderatione propenſa. *Arcuati pedes*, equeſtres tibiæ, *thorax ex-*
» *tenſior, lacerti pugiles virum fortem, agilem & audacem denunciant*: in quodam tamen
» articulo pedis eius pars vnguis innaſcitur carni atque in contumeliam totius pe-
» dis vehementer increſcit. Manus eius quadam groſſitie ſua hominis incuriam
» proteſtantur: earum enim cultum prorſus negligit: nec vnquam niſi aues deferat,
» vtitur chirotheciis. Singulis diebus in Miſſis, in Conciliis & aliis publicis actioni-
» bus Regni ſemper à mane vſque ad veſperam ſtat in pedes. Et licet tibias habeat
» frequenti percuſſione calcitrantium equorum enormiter vulneratas & liuidas,
» niſi tamen equitet vel comedat, nunquam ſedet. Vna die ſi opus fuerit, quatuor
» aut quinque dietas excurrit, & ſic inimicorum machinamenta præueniens artes
» eorum frequenter inopinata ſubitatione deludit. Ocreis ſine plica, pileis ſine fa-
» ſtu & veſtibus vtitur expeditis, vehemens amator nemorum, dum ceſſat à præliis,
» in aubus & canibus ſe exercet. Caro ſiquidem eius ſe mole pinguedinis enormi-
» ter oneraſſet, niſi quia ventris inſolentiam ieiuniis & exercitio domat, atque in
» aſcendendo equum & in excurrendo leuitatem adoleſcentiæ ſeruans potentiſſi-
» mus ad laborem, ſingulis fere diebus itinerando fatigat. Non enim ſicut alij Re-
» ges in palatio ſuo iacet.

Ei autem in Ducatu Normaniæ & Regno Anglicano ſucceſſit Richardus, qui ſtatim poſt mortem patris Rothomagum adiit & à Vualtero de Conſtantiis Archiepiſcopo Ducatus Normanici gladium de more accepit 13. Kal. Aug. poſtea in Angliam transfretauit & Londini à Balduino Archiepiſcopo Cantuarienſi in Regem vnctus eſt: vbi M. Radulfus de Diceto author Chronici vacante ſede Londinenſi, ipſe eiuſdem Eccleſiæ Decanus tam in oleo ſancto quàm in criſmate miniſtrauit Archiepiſcopo, vt ipſe ſcribit

De Rectore Academiæ Bononienſis Adhunc annum notat Carolus Sigonius lib. 4 Hiſtor. Bonon. conductum fuiſſe à Bononienſi Ciuitate Lotharium Cremonenſem ad Leges publicè in ſua Academia interpretandas. Cuius conductionis veterem formulam refert, & nonnihil etiam de Rectore illius Academiæ. Sic autem habet.

„ Nos Conſules ex authoritate & conſenſu totius Conſilij Lothario Cremonen-
„ ſi promittimus neque nos neque ſucceſſores noſtros ipſum aliquo ſacramento
„ adacturos, quo plus Communi Bononiæ obſtringatur, neque coacturos vt ſcho-
„ lam in vrbe Bononiæ regat. *Ego vero Lotharius iuro me nuſquam* niſi Bononiæ Legum
„ ſcholas recturum, neque authorem futurum, vt ſchola Bononiæ minuatur, & ſi
„ quem comperero ei rei ſtudere, me primo quoque tempore indicaturum Con-
„ ſulibus aut Prætori, *qui pro tempore fuerint, eiſque auxilio futurum*. Tum ſubiungit
„ de ſuo Sigonius.

„ *Quam formulam qui Profeſſorum* conducendorum tum fuiſſe non attenderunt, ver-
„ bo *Regendi* decepti, quod pro publicè profiteri tum vſurpabant, Lotharium Gym-
„ naſij Rectorem creatum eſſe tradiderunt. Nondum autem fuiſſe Gymnaſiarchas
„ aut Legum aut Artium inſtitutos, qui poſtea fuerunt, ex ſuperiore Friderici con-
„ ſtitutione cognoſcitur (an. 1158.) in qua ſcholares non à Gymnaſiarchis, ſed à
„ Magiſtris ſuis quos illi Dominos vocabant, vult iudicari. Huc accedit quod
„ primi Gymnaſiarchæ non aut Legum aut Artium extiterunt, ſed Nationum: ſi-
„ quidem poſtannum 1200. duo in Gymnaſio *Rectores* inueniuntur, vnus
„ Tranſmontanorum, alter Ciſmontanorum, qui rei vtriuſque Vniuerſitatis geſ-
„ ſerunt, quos fortaſſe intellexit Odofridus cum an. 1262. ſcripſit ſcholares etſi
„ Vniuerſitatem conſtituunt, & creare atque habere *Rectores* poſſunt, tamen
„ iure *Rectores* legere non poſſe, quia Diſcipuli ſint Doctorum, ac Doctoribus
„ potius Rectores creandi ius quàm ſcholaribus conuenire. Verum Legibus Bo-
nonienſium aliter obſeruari. Veruntamen credibile eſt Lotharium illum fuiſſe *Rectorem*, quippe ad ſacramentum admiſit Banduinum an. 1198. vt ad illum an-

num referemus. Præterea Sigonius malè citat conſtitutionem Friderici: neque enim plures Magiſtros nuncupat, quos ille dicit vocatos fuiſſe Dominos, ſed hoc modo. *Veruntamen* ſi litem eis, (ſcholaribus) *quiſpiam ſuper aliquo negotio mouere voluerit, huius rei optione data ſcholaribus, eos coram Domino, vel Magiſtro ſuo, vel ipſius Ciuitatis Epiſcopo.* Quem locum interpretans Rebuffus ſic ait. *Nota tres Iudices*, quos ſtudentes habent in ſcholis. Primò *Rectorem*, ibi, *Domino*. Nam *Rector* Vniuerſitatis ſimpliciter dicitur *Dominus* in Vniuerſitate: ideo de eo poteſt textus intelligi, licet Gloſſa hîc aliter intelligat & Doctores. Vel poteſt intelligi de *Domino Ciuitatis*, id eſt de *Præſide* illius Prouinciæ in qua eſt Vniuerſitas.

Ad hunc quoque annum refert Baronius magno animorum æſtu agitatam fuiſſe hancce Quæſtionem in Academia Pariſienſi, an aqua vino mixta in calice mutaretur in Chriſti ſanguinem, nec ne. Qua de re fuſiſſimè ſcribit Gaufridus Monachus Clare-Vallenſis ad Henricum Cardinalem Albanenſem, à quo ante rogatus fuerat, ea quæ in cauſa Gilberti Porretani acta fuerant, perſcribere.

Quæſtio ex libris de aqua vino mixta an mutetur in ſanguinem.

Amantiſſimo Domino & Patri Henrico Dei gratia Albanenſi Epiſcopo & D. Papæ Vicario F. Gaufridus de Clara-valle minimus id quod eſt. Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum ſuper verbo etiam altero, cum vobis opportunum fuerit, veſtrum deſiderans obtinere reſponſum. *Ad partes enim Galliæ ſicut noſtis hoc anno cum veſtra benedictione reuerſus, nouam & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæſtionem de ſubſtantia aquæ*, quæ vino mixta in calice ſimiliter offertur, & an ipſa ſimiliter cum eodem vino in ſanguinem Domini conuertatur. Nec mediocris eſt inter modernos Theologos ſuper eadem quæſtione diſſenſio, negantibus aliis, aliis affirmantibus totius liquoris modum, ſicut panis qui ex ſimila & aqua ſimiliter conficitur, vnam fieri *tranſſubſtantiationem*. Et affirmantium quædam aſſertio eſt, nullatenus eſſe credendum quod in Calice Domini purum fuerit vinum, præſertim cum in regione illa ſic habeatur in vſu commixtio aquæ vt de ſapientia quoque legatur, quia miſcuit vinum, nec niſi mixtum in illis maximè regionibus facile ſolet propinari. Aiunt etiam, quod dum ſubſtantia aquæ ad confi.iendum panem miſcetur ſimilæ, poſt conſecrationem aqua non maneat, incongruum forté videtur, vt mixta vino ſimiliter in conſecratione non mutetur. Poſtremò cum elementa 4. ignis, aeris, aquæ & terræ ſupernus artifex ſic coniunxerit, vt non tam elementa ſimplicia, quod ex eis elementa ſunt quæ videntur, ſi ab ea mutatione excipere cœperit alius ignem, alius terram, ſicut iſti aquam excipiunt, non mediocris inde confuſio conſequatur.

Igitur circa hoc & huiuſmodi affirmantium conuerſionem totius mixti liquoris qui in Calice continetur, in ſanguinem Domini, ratiocinatio ſtudioſa verſatur. Authoritates etiam quaſdam protulêre, quas præſentis ſcripturæ conſummationi duximus reſeruandas. Nam qui eis ſuper hoc aduerſantur, ex nullis antiquorum, ſiue etiam ex modernorum ſcriptis tam euidentia teſtimonia protulere ſuæ aſſertionis.

Cæterum innituntur potiſſimum vni verbo, quod principales Sancti in duabus ſpeciebus panis & vini conſecrationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicuius diuerſæ ſpeciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Ad quod reſpondetur eis, quod non conſueuêre homines mixturam vini & aquæ, nec ſi quantitas aquæ præualeat, aquam renunciare, ſed vinum. Præterea Calicem Dominus legitur accepiſſe, non vinum, quamuis continens Euangeliſta poſuerit pro contento. Sacerdos quoque cum Miſſam celebrat, quid dicere ſoleat, attendendum. Similiter poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc ſacroſanctum Calicem (in quo videlicet continetur vinum mixtum aquæ) benedixit & dedit Diſcipulis ſuis dicens. *Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus.*

Dicunt aliqui qui ſub M. Petro Lombardo, dum adhuc viueret, ſtuduêre, quod nunquam eos docuerit aquæ mutationem, ſed quod eam negauerit, neminem audio profitentem. Nam & in libro Sententiarum eius ſuper eodem Sacramento authoritates plurimæ continentur, quarum aliquas aiunt illi pro parte ſua, ſed nec ſoluta nec ſaltem propoſita in eius codice eadem Quæſtio reperitur. Opponunt iidem authoritates, in quibus legitur de mutatione aquæ in ſanguinem, & huic verbo potiſſimum innituntur, quod iam per Apoſtolos ad ſignificandam plebem vniendam Chriſto, miſceri iuſſa eſt aqua vino. Et Reſpondetur eis qui Authores

quod non aſſerunt commutationem, non tamen negant, & proferunt teſtimonia de Scripturis, in quibus & iidem ipſi ſiue alibi reticent, ſiue etiam alibi vini mixti mutationem euidentius aſſeuerant.

Cyprianus Martyr. *Calix Domini non eſt aqua ſolum vel vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur. Sicut nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, vel aqua ſola, niſi vtrumque fuerit adunatum, & panis vnius compage ſolidatum.* Idem Cyprianus. *Si quis de Anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter hoc non ſeruauit, quod Dominus noſter facere exemplo & magiſterio docuit, poteſt ſimplicitati eius indulgentiâ Domini venia concedi, non poteſt verò nobis ignoſci, qui nunc à Domino inſtructi ſumus, vt Calicem Domini cum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus.*

Hieronymus in Marcum. *Format Sanguinem ſuum in Calice vino & aquâ mixtis, vt alio purgemur à vitiis, & à culpis alio redimamur & pœnis.*

Ambroſius in lib. de Sacrament. *Sermone Chriſti hoc conficitur Sacramentum, quia ſermo Chriſti creaturam mutat: & ſic ex pane fit Corpus Chriſti, & vinum cum aqua in Calice mixtum fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.*

Paſchaſius. *Aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertitur in ſanguinem.* Hildebertus Cœnoman. *Aqua in ſanguinem vertitur, vt populus qui per aquam figuratur, in melius ſe mutatum intelligat.* Algerus. *Sed licet in menſa Domini tria conſtituantur munera, ſunt tamen duo: per quam ſacrificatur, eſt aqua prius mixta vino: ſed quando ſacratur, non niſi ſanguis erit, quo anima intus alatur.*

Cæterum pars aduerſa Authoritates priores vtcumque permittit dicens vinum, quod aquâ mixtum eſt, ſed non propterea aquam mutari. Teſtimonium verò Paſchaſij quod euidens eſt, eadem pars contemnit, licet magnum ipſius B. Papa Gregorius in lib. Dialogorum perhibeat teſtimonium ſanctitati. Sicut Hildebertum aiunt verificatorem fuiſſe, non Eccleſiaſticorum dogmatum aſſertorem. De Algero dictum. *Nouimus hominem.* Ipſius tamen nullum adhuc comperi librum, & Sancti vel cuiuſcunque Doctoris authoritatem ſimiliter ſuffragari. Ac proinde ſi placeat veſtræ Dominationi, cum Dominis noſtris fratribus & veſtris ſuper hoc verbo, cum opportunum tempus affuerit, diligenti collatione tractare, vt authoritas S. Rom. Eccleſiæ definiat quid ſuper hoc credi debeat vel doceri. Hæc ex Gaufrido Baronius ad an. 1188. Eandem Quæſtionem proponit & definit Petrus Bleſenſis, ſeu quiſquis alius Tractatu de Euchar. c. 14. his verſibus.

Sed licet in menſa Domini tria conſtituantur
Munera, ſunt tantum duo poſtquam ſacrificantur.
Eſt aqua mixta prius, ſed vino quando ſacratur
Non niſi ſanguis erit, quo ſpiritus intus alatur.
Myſtica res dat aquam. Chriſti cruor ebibit illam.
Nam transfert noſtram Deus in ſua membra fauillam,
Transfert, quando ſuum per Corpus ei ſociamur,
Perque fidem tanto Capiti noua membra creamur.
Transfert & pridem, cum Criſmatis vnctio ſacri
Nos populos facit eſſe nouos in fonte lauacri.
Sed lauacri fontem fons vulneris iſte figurat,
Et per vtrumque Deus animarum vulnera curat.
Quorum Corda prius facit in Baptiſmate munda.
Poſt Lauacrum lapſos emundat ſanguinis vnda,
Ergo duo tantum cruor & caro percipiuntur,
Tertia res typus eſt populorum, qui redimuntur,
Altera res ſaturat, ſed inebriat altera mentem
Catholicamque Deo confœderat vtraque Gentem.
His geminis gemina ſubſtantia noſtra reſultat,
Quam per Adam veterem mortis ſententia multat.
Sanguine vita calet, gaudet caro carne reiecta.
Gaudet vtroque bono refici mundata ſenecta.
His renouatur homo peccatis inueteratus,
Hiſque reuiuiſcit fidei virtute renatus:
His humana ſuum natura reſumpſit honorem.
His ſerpentinum gaudet ſuperaſſe furorem.

Anno 1189. Fridericus Imperator Ioachimi Abbatis vaticinio non deterritus, qui de expeditione Hieroſolymitana conſultus reſponderat nondum tempus aduenisſe recuperandæ Hieroſolymæ, in Syriam cum ingenti exercitu nihilominus proficiſcitur: at cum in Cydno Armeniæ flumine lauandi refrigerandique ſui cauſâ natat, vorticibus hauritur aquarum, inquit Cluuerius, extractuſque ingenti labore militum, triduo elinguis, accepto Domini Corpore diem claudit extremum, Princeps nulli virtute & rerum geſtarum magnitudine ſecundus. Imperio functus eſt annos 38. eius mortem infauſtam acerbiſſimè deplorat inter cæteros Petrus Bleſ. Ep. 169. his verbis. 1189. *Mors Friderici Barbaroſſæ.*

Rumor terribilis & nefandus noſtris & aliorum auribus nuper inculcatus omni bicipiti gladio penetrantior noſtri cordis vitalia ſic acerbè, ſic medullitus, ſic lethaliter ſauciauit, quod vix ſperatur, antidotum, vix reſtat viuendi fiducia, vix ſpes aliqua ſubſiſtendi. Audiuimus enim & ipſo pœne auditu defecimus præ dolore, quod illa Imperij columna immobilis & Regni Apuliæ ſtabile firmamentum, ille Lucifer matutinus omni micanti ſtella micantior, ille inquam ingens Chryſolitus omni iaſpide & lapide pretioſior, Fridericus videlicet noſter ſereniſſimus Imperator ſui fati diem, proh dolor! clauſit extremum. Ad cuius obitum vniuerſis eius fidelibus & præſertim Regnicolis qui ſuo præſidio defenſante inconcuſſæ pacis quiete vigebant, quaſi ſol & luna & vniuerſa cæli luminaria tenebreſcunt, dum illud lumen lucidiſſimum obturatur, quo vbilibet coruſcante hactenus nullius horroris vel erroris offendiculum timebatur. Heu quid agimus? ad quem confugimus? cuius præſidia præſtolamur? quis fiet amodo grande præſidium? quis Regnicolis mite leuamen? quis Gentis Apuliæ tuta defenſio? Occubuit enim Leo fortiſſimus, cuius facies inclyta, cuius præpotens dextera feroces beſtias deterrebat, & rebellium colla ſibi ſufficiens vbique terrarum monſtra placabat. Plangite igitur Regni fideles tanti Principis præſidio deſtituti, vlulate iuuenes, plorate ſenes, nuptæ ac virgines cum ephœbis. Nam vitæ veſtræ Dux & regimen, vita & ſalus, lux & defenſio, tutela & virtus, anchora ſpei, refugiũ & auxilium, heu mortis Imperio ſubiugatur! heu heu importunæ mortis proteruitas effrenata & effreneda præſumptio ſororum triplicium vitæ hominum fila trahentium, quæ ſumptis à parcendo vocabulis, ſuis nominibus antiphraſticè ponuntur, cur ſaltem in tanto Principe vera ſibi nomina non adſciſcunt, vt illius capitis ſaluti præeſſent, quod mille damnandis capitibus iam pepercit? O mortalium miranda conditio deploranda, dum mortis imperio curuantur Imperia, & eius iugo colla nobilia ſubiugantur, quorum Dominio pauperum ac Diuitum, debilium ac potentum capita ſupponuntur. Hoc tamen Diuinâ creditur prouidentiâ definitum, vt ſicut eſt ſimilis cunctorum naſcendi conditio, ita ſimilis finis & interitus vniuerſis & ſingulis ſubſequatur. Quia igitur de tanto & de tam irrecuparabili damno fere inconſolabiliter eſt dolendum, multorum mentes ita ſunt in dubio poſitæ quod incertum eſt eis de facto guerrarum & pacis quid fieri debeat in futurum, cum D. Imperatoris Hæredibus exiſtat impotens aduerſator, qui totis vt creditur, viribus nititur contra eos mala malis quotidie ſi prævalet, cumulare.

Circa hæc tempora Pariſiis obiit Bethleem Lucij & Chriſtianæ filius, & Hungarorum Regis affinis, ſcholaris Academiæ Pariſienſis inclytus & apud S. Genouefam ſepelitur. Cuius morte audita parentes ad Stephanum tunc Abbatem nuncios ſuos miſerunt, curaruntque ſolui ſi quod debitum filius contraxiſſet, vt ante retulimus: qua de re, deque eius ſepultura ſic ad R. Hungariæ Regem Stephanus reſcripſit. *Mors Bethleem Scholaris Hungari.*

Manifeſtis ad nos venientium litteris in dies expertiſumus, quia iuſtitiam diligitis & colitis veritatem. Hæc eſt ſublimitas Regni veſtri, hæc veſtri gloria Principatus. Inde eſt quod excellentiam veſtram ſcire voluimus, quia bonæ memoriæ adoleſcens Bethleem qui apud nos in Domino requieſcit, in ſancta confeſſione & fide Catholicâ coram omnibus abſque contradictione ſeu querela creditorum aut fideiuſſorum in Eccleſia noſtra ſepultus eſt. Sed & nuper cũ ob hanc eandem cauſam nuncij parentum ipſius ad nos veniſſent, diligenter inquiri fecimus an aliquo debito ſiue apud Chriſtianum, ſiue apud Iudæum obligatus Pariſius teneretur. Facta circiter decem diebus inquiſitione non eſt inuentus qui vel principaliter vel ſecundariò prædictum adoleſcentem ſibi diceret obligatum. Parati

» erant prædicti Nuncij ſoluere ſi quis ſibi pro eo fateretur aliquid deberi. Verun-
» tamen ſicut non comparuit Creditor, ſic & defuit Fideiuſſor. Hic interfuerunt
» Clerici de Regno veſtro Iacobus, Michael & Adrianus. Valeat ſanctitas veſtra,
» & Regnum veſtrum coram Domino roboretur.

Idem reſcribit ad Lucium & Chriſtianam parentes adoleſcentis, quos certiores facit cum in ſancta confeſſione, in fide Catholica, in ſpe communi, in charitate non ficta, in manu Domini ſpiritum ſuum commendaſſe, & in Eccleſia San-Genouefiana ſepultum fuiſſe coram *Clericorum & Laicorum multitudine fideli*. Sunt verba ipſius Stephani: qui iiſdem parentibus eadem Ep. gratias agit ob accepta quædam ab iis munera, *duas*, ſcilicet, *Caſulas ſericas & vnum vexillum & marcam argenti cum nummo aureo & quinque ſolidis ad faciendum Calicem & equum Album ad conuehendos lapides ædificij*. Cuius ædificij? nempe vt creditur, *Capellæ Clauſtralis B. Mariæ de Miſericordia* quam Stephanus conſtruxit & ædificauit, vti alias S. Eligij & Auſtregeſili reparari curauerat. Quamobrem ad Canutum Danorum Regem, è cuius Regno proculdubio multi ſcholares tum erant & commorabantur in monte Genouefiano ſcholis vacantes, ſcribit, vt ſua liberalitate opus quod incepit, adiuuare dignetur, ruinaſque quas maiores, nempe Normani fecerant, cum Lutetiam obſidebant, pro parte ſua reparare. *Perſecutionis à veſtris potentibus Gentilibus tum illatæ calicem bibit & abſinthio doloris inebriata eſt Eccleſia B. Virginis Genouefæ, in qua Deo licet indigni deſeruimus, fracta, diruta & combuſta. Teſtantur hoc parietes incendio illo conſumpti & calce in cinerem concremata putrefacti, tremuli & exeſi. Eos renouare incepimus, ſuperponenda noua ſignorum macerie & tecto plumbeo ſupponenda.*

Scholæ San Genouefianæ. An vero ille Bethleem in Cœnobio San-Genouefiano conuictor fuerit, Cœnobiique ſcholas tantum modo, an pariſienſes frequentaret, nihil ex Stephani litteris intelligi poteſt. Certum quidem eſt San-genouefianos ab omni ævo ſcholas exercere ſolitos, ad eaſque admiſiſſe etiam extraneos, vt Huboldi Lingonenſis exemplo ad ſeculum decimum probauimus. At poſtquam è ſeculari facta eſt Regularis iſta Domus, hoc eſt poſtquam anno 1148. expulſis ſecularibus Canonicis San-Victorini Regulares introducti ſunt, exercuerunt quidem ſcholas ſed ſuis tantum modo Concanonicis, nec facile patiebantur eos aut extraneos qui ad ſe mittebantur ſecumque conuerſabantur, Pariſienſes ſcholas frequentare, niſi forte Theologicas: vt ex eiuſdem Stephani ad Londenſem Archiepiſcopum pro Petro Canonico San Genouefiano & ſcholari Epiſtolis intelligimus. Epiſt. quidem 97. ſic habet.

» Hilarẽ ſuipræbet opinionem adoleſcens, cuius inter ætatis initia virtutis indi-
» dicia coaleſcunt. Reſpiciunt hæc Petrum noſtrum pariter ac veſtrum qui vobiſ-
» cum Regularis profeſſus obedienter ſuſcepit & Doctrinam in ſtudiis & in mori-
» bus diſciplinam. Et quoniam in eo ſpiritus quidem promptus, caro autem infirma
» ſecundum mandatum veſtrum vobis commendamus eum & committimus, ſatius
» æſtimantes & gratius eum apud vos morari quàm apud nos mori. Infeſtas Quar-
» tanæ moleſtias crebro ſentit, & illius infeſtationis reliquiæ diem noſtrum agunt:
» ſibi Soli natalis & naturalis aëris beneficio poſſe iuuari credimus teneros ætatis
» annos & humores maternis vberibus infuſos paterno ſimul & materno ſolatio
» confoueri... Quod autem de ipſo nobis per litteras veſtras intimaſtis, vel in Mon-
» te, *vel in Pariſienſium ſecularium ſcholas & venditores velorum mittendo, ſalua gratia*
» *veſtra non admittimus*: quoniam inſtitutioni noſtræ repugnat & conſuetudini, ſicut
» per ipſum præſentibus fratribus nouum proponetur ſpectaculum, quod futuris
» pernicioſum trahetur in Exemplum. Habet in Clauſtris ſapientia Regulas ſuas
» erigens ſibi ſcholas inde veritatis, hinc virtutis. Quod ſi forte conſilium ve-
» ſtrum in hoc declinauerit, vt de Regulari ſecularem facere contendatis, aliam
» quàm Pariſius Ciuitatem, in qua ſtudeat, eligite: ne in oculis noſtris pro
» matutino & veſpertino ſacrificio, quod nobiſcum offerre debuerat Domino,
» verborum ſtrepitus & diſputationum anfractus offerat, & vnde ſperaui-
» mus fructum, vertatur nobis in opprobrium & contemptum. Et Ep. 129. *Pe-*
» *trum veſtrumque pariter ac noſtrum commendabili morum nobilitate inter Iuue-*
» *nes præcipuum ſicut mandaſtis, quantum nobis Dominus permittit, & commonemus*
» *Patrum verbis & promouemus fratrum exemplis ſacræ paginæ ſtudens ſcholas veritatis in*

Auditorio, ſcholas virtutis frequentat in Clauſtro : cum neque hic ſine veritate virtutem, neque ibi ſine virtute combibat veritatem. Duo ſugens vbera citò poterit impinguari, vt tanquam ſaginatus vitulus, vel fortis aries aut filius arietum de grege Domini ad altare ipſius & ipſe immolari poſſit, & quando vobis placuerit, pro aliis immolare. De eodem extat Ep. 154. quâ eius laudes complectitur & Ep. 164.

Idem ab Henrico Anglorum Rege conatur obtinere, vt quod A. Clericus ſeu Scholaris Alexandri III. quondam nepos teſtamentum de bonis quibuſdam, quæ habebat in ipſius Regno, condiderat, effectum obtineret, liceretque Alberto ipſius Clerici Magiſtro eleemoſynas diſtribuere, prout præſcripſerat. *Bonæ indolis adoleſcens*, inquit, *laudabilem conuerſationem ſuam fideli fine concludens, inter extrema ſanctæ confeſſionis Catholica verba, ſanâ mente ſanoque conſilio de rebus ſuis legitimè diſpoſuit, teſtamentum ſolemne condidit, in cauſas pias diſtribuit & leganit. Et quoniam nihil eſt, quod magis hominibus debeatur quàm vt vltimæ voluntatis liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium, Excellentiæ veſtræ preces effundimus, vt authoritate veſtra teſtamentum prædicti clerici confirmetis & res ipſius quæ in regno veſtro de reditibus ſuis per vos eidem collatis ſuperſunt, fideli diſpenſatori & Magiſtro ſuo Alberto per cuius manum diſtribuendæ ſunt eleemoſynæ, ſine difficultate & mora faciatis aſſignari : vt ex liberalitate veſtra nomen veſtrum clarius reſplendeat & defuncti voluntas effectum obtineat, & tam vobis quàm ipſi merces æternæ retributionis accreſcat.*

Anno 1190. Philippus Rex antequam ad bellum Hieroſolymitanum proficiſceretur, totam illam partem quæ à Paruo ponte ad Abbatiam S. Genouefæ tendit, & totum iſtum ambitum qui nunc Vniuerſitatis nomen habet, Edicto iuſſit intra vrbis ambitum cludi, mœnibus cingi turribuſque vallari. Quem locum licet Muſæ iam occupaſſent antea, longè tamen maior ſtudioſorum numerus illuc confluere tum cœpit, propter commoditatem ædificiorum & hoſpitiorum, quæ ibi eo iubente conſtructa fuerunt. Idem Rex vicos ſterni iuſſit lapidibus, offenſus fœtore qui ex cœno lutoque viarum publicarum exhalabat. Idem nemus Vicennarum muris cinxit. 1190.

Porro montem San-Genouefianum, qualis erat antequam ad commoditatem ſcholarum & ſcholarium ædificiis ornaretur, arboribus, hortis & floribus conſitus, deſcribit Poëta illius temporis Ioannes de *Hauteville* vulgo Architrenius dictus natione Normanus, de quo ante verba fecimus, qui eum vocat *Montem Ambitionis* l. 4. cap. 2. & ſic eius ſitum deſcribit.

Mons ſurgente iugo Pellæam deſpicit vrbem
Aſtra ſupercilio libans, luná que minorem
Miratur longè poſitam decreſcere terram.
Sideribus vicinus apex, vt ſæpe meantem
Oculus offendat, cum curſu eſt proxima lunam
Augis in oppoſito, cum viſu eſt maxima, peſſum
Vergit in orbe breui, mediumque aſpectibus offert
Quadratura iubar, partem deuecta ſub omnem
Vix aliqua vergit, facilemque admittere neſcit
Arduus aſcenſum, ſola hic, latus omne pererrans
Ambitio reptans, prædilexitque colendum
Præ laribus montem : zephyris vbi ſuccuba tellus
Veris alumnat opes, paſſimque intexit amara
Dulcibus, & fruticum nodis armantur oliuæ,
Et laurus criſtata rubis, ſuſpectaque dumis
Quercus, & horrenti crudeſcit coniuga ruſco
Æſculus, & rigidis ſpinæ vallantur ariſtis,
Aſtra comis abies ſuperûm conciuis inumbrans.
Hic quacumque virûm ſit gloria, crinibus arbor,
Gratia montis habet; & ſi qua audacius alto
Vertice Diis certat : vbi nulla licentia preſſæ
Arboris, vt ſurgat, montiſque aſſurgere vano
Crine myrica timet. ſteriles ibi verberat auras
Infœcunda ſalix, riguiſque libentior alnus

Deſcendiſſe vadis, æternaque teſtis amorum
Populus Oenones, platanuſque & ſi qua neganti
Naturâ haud recipit partûs ingloria fructum.

Sequenti capite deſcribit alias arbores, quæ in illo monte paſſim cernebantur. Nec pigebit ipſius verſus attexere, tum quia author iſte ad manum non eſt paſſim, tum ad hiſtoriæ perſpicuitatem & antiquitatis huius loci intelligentiam. Nam in monte noſtro vites hic & vuæ olim, alibi arbores conſitæ, illic rubi & ſpinæ; horti, vagæ domus, nec ordinatim ædificatæ. Sic ergo perſequitur.

Hîc pinus graciles ſuccingitur alta capillos,
Palmaque Centennis tardante puerpera fructu,
Et pretioſa rogos fumo condire Cupreſſus
Et meliore libro Cynamulgi Cinnamus hoſpes.
Et lachymâ felix noſtræ ſacra balſamus aræ,
Et ficus geminis depingens floribus annum,
Et bina nucleum quæ claudit amygdalus arcâ
Et ſitiens Bacchi Primæuum Perſicus Imbrem,
Et tunicata Croco germanaque Cotonus auri,
Et rugoſa genam producto Dactylus æuo,
Et Pyrus, huicque ſacrum tituli dat Regulus omen:
Et Pyrus, hancque volæ plenus denominat orbis,
Et Pyrus, huicque dedit materna anguſtia nomen:
Et Pyrus Auguſto quæ patrimante vocatur.
Et Pyrus, hoc nota eſt & Filio lata Roberto.
Et Pyrus, eſt huius alius Baptiſta Ioannes.
Et Pyrus à quouis pretio ſignata veloris,
Cœna vel aſpectus. Coit vno quælibet arbor
Ambitioſa ſinu, quo pictæ prodiga formæ
Rumpitur in verno montis laſciuia riſu.
Gratus ibi liuor violæ dulcique roſarum
Flamma cruore natans, terræ deuinctius auras
Mulcet odore Crocus & notus amantibus hoſpes
Exæquaſſe niui præſumit Lilia pallor.
Floribus egregiis ſolum pubeſcit, vt abſit
Gloria pauperibus hortis, vileſque Liguſtra
Ornatura rubos, & quæ certaſſe Liguſtris
Nigra licet, cogit zephyrus vaccinia pingens.

Cap. 4. deſcribit fluuiolum Bieuerim qui ſupernè defluens per vicum qui etiamnum hodie Bieuerius vocatur, in Sequanam defluebat. Cuius curſus poſt ædificatum montem alio deflexus eſt, vt hodie cernitur.

In planum deſcendit apex, variuſque ſupernè
Riuulus exultat, conflictantiſque ſuſurrat
Ludus aquæ, ripaſque ioco pulſante laceſſit.
Solis vnda vacat pretiis: haut vlla profundo
Vilis arena ſedet, lapidumque ignobile vulgus.
Ditia luxuriant ridentibus ima metallis
Exundatque iubar lapidum generoſa propago,
Vt gelidus mixtis delectet in ignibus humor.
Illic bilimes byſſo cundentibus vndas
Liliat argentum, partimque argenteus auro
Omnis inauratur gemmarum turba nitore,
Auget aquæ radios. Hic Jaſpidis, hic Amethiſti
Gloria laſciuit, hyacinthi Cærula plaudunt
Et pretium præbet nutricibus vnio conchis,
Et fruitur viridis æterno vere Smaragdus.

Cap. 8. deſcribit idem author Aulam ſuperbam & magnificam in vertice Montis eiuſdem ſitam; quam Clodouæi cæterorumque deinceps Regum Regiam ſuburbanam fuiſſe planum eſt: conſtat enim etiam illis temporibus aliquando Reges illic habitaſſe, vt vel vnico Philippi Regis exemplo probari poteſt, qui illuc ſeceſſit ob ingentem aquarum inundationem, quæ imas Vrbis & Ciuitatis partes occuparat. De cuius Regiæ admirabili ſtructura deque Baſilica à Normanis olim deſtructâ præclarè Stephanus Tornacenſis Ep. 164. *Inter alias, quod ſine ſuſpirio & ſingultu referre non poſſumus aut debemus, Eccleſiam Apoſtolorum Petri & Pauli, in quâ B. Virgo Genouefa requieſcit in corpore, regali ope & opere conſtructam, muſiuo intus & extra, ſicut reliquiæ adhuc teſtantur, ornatam & depictam miſerabili concremarunt incendio.* Sed clarius & fuſius Hautiuillenſis cap. 8.

De Aula Regia in vertice Montis ſita.

Huc noua viſurus faſtigia ſurgere, feſſis
Luctatur pedibus, & iam ſuperatur Olympus
Tertius, alter Atlas & adeſt qua ſidera dorſo
Culminis Aula quatit. Contendit in ardua cælo
Inuidiam factura Domus ſublimis in altum.
Admodicum ſtatura volat, tranſcendit & oras,
Et pacem quam ſumma tenent, ſeque inſerit aſtris
Solicitatque Deos, iteret ne prælia Phlegræ.
Haud aliter Cæleſtis homo ſuſpecta minanti
Arduitate Iouem repetita in fulmina cogit,
Armataſque manus hominum ſecurus & arces
Deſpicit, & terræ dignâ ſcelus excipit irâ.
Tollitur alta ſolo Regum Domus Aula, Deumque
Sedibus audaci ſe vertice mandat, at vmbras
Fundamenta premunt; Regniſque ſilentibus inſtat
Vltima Tartareos æquans ſtructura receſſus.
Radices operis ne verticis ardua præceps
Sarcina ſubſidat, ſtygias demittit in vndas
Tartareæ iam Ciuis homo ſtygis, incola mortis
Non exſpectato laqueo venit illa: ſupremo
Vix rapitur fato, mauult præcedere liber
Fatorum quàm Iuſſa ſequi: nam tramite cæco
Ad ſtyga rumpit iter, viuus veniſſe laborat
Quò defunctus eat. Deſcendit ad infima mundi
Centro fixa Domus, medioque innititur axi.
Explicat Aula ſinus montemque amplectitur alis
Multiplici latebrâ ſcelerum terſura ruborem.
Ipſa loco factura nefas, erroribus vmbram
Cæca parat, noctiſque vices, oculique verendas
Excipit excubias, pereuntis ſæpe pudoris
Celatura notas, Veneriſque accommoda furtis.
Nam tenebras qui peccat, amat, latebriſque pudorem
Excuſat, noctemque facit velamina culpæ.
Marmor, & attriti quidquid ſplendore politus
Aſpectum pauiſſe poteſt, aut nobile reddit,
Et famæ commendat opus pretioſa Domorum
Materies, laudiſque venit fœcunda bonorum,
Luxuriam largitur humus, mundique nefandis
Obſequitur votis, rarum Tellure miniſtra
Ædificat ſecurus homo: nam Terra paratum
Iurat in exilium quiduis natura Potenti:
Expedit ad nutum, lapides & tigna ligandis
Ædibus & quidquid pretioſior exigit vſus.
Exhibet & gemmas, quarum fulgore dieſcit.
Sole ſuo contenta Domus, ſed gloria paucas

Hæc viſura meras. Curſum felicibus aufert
Temporis occurſus. Latis venit obuia fati
Ianua, ſumma dies metuenda Potentibus hora.

Et cap. 10. de eadem Aula verba faciens, deque ornamentis ſuperbarum ædium, quæ ibi extabant.

Hîc auro Parias onerant aulæa columnas.
Nobile ſurgit opus, leuius quod torſit Arachnes
Pollice Lydæ manus & veſtibus impluit aurum
Pectinis ingenio nulli ceſſura, licebit
Pallas anum ſimulet, Hermi ſatiatur arena
Gloria picturæ, florum laſciuia ductu
Pectinis accedit, & veris gratia maior
Veſtibus arridet. Series depingitur anni
Temporis excurſu vario diſtincta, ſed illic
Aurea.

Porro in illo Monte multa erant alia ſuperba ædificia, in quibus conſtruendis multi opes immenſas conſumpſerant: quapropter eos ſtultitiæ inſimulat.

Hoc fatui Cælum Mundi videt, inque dolentes
Excutitur riſus. heu quæ dementia tantis
Erexiſſe Domos ſtudiis, tantoſque labores
Perdere, tot cenſus quos craſtina diruat ætas!
Inſtruit inſtanter labor irritus. Ocyus iſta
Otia tollantur. Ad inania Mundus anhelat.
Deflectatur iter, totuſque in ſeria ſudet.
Nam riſu aut digito quid dignius? ardua tollit
Cras ruiturus homo. furor eſt ſublimibus vti
Sedibus: ad lapſum properant improuida, montes
Accumulat caſura manus; nam ſufficit vnam
Contraxiſſe caſam morituro, cum irrita ſurgant
Quæ fati pulſante manu faſtigia nutant.

Hæc & alia plura de Monte San-Genouefiano Architrenius, qui præclaris quoque & elegantibus verſibus Ciuitatem Pariſienſem extollit, tum ob alia multa, tum maximè ob ſtudia bonarum litterarum, quæ ibi exercebantur ſuo tempore. Sic enim l. 2. c. 17.

Hæc fatus lachrymas non vltra continet, illò
Deueniſſe dolet, aliò feſtinat. Eunti
Exoritur tandem locus, altera Regia Phœbi
Pariſius, Cyrrhæa viris, Chryſæa metallis,
Græca libris, Inda ſtudiis, Romana Poëtis,
Attica terra Sophis, Mundi Roſa, balſamus Orbis.
Sidonis ornatu, ſua menſis & ſua potu.
Dives agris, fœcunda mero, manſueta Colonis,
Meſſe ferax, inoperta rubis, numeroſa racemis,
Plena feris, piſcoſa lacu, volucroſa fluentis.
Munda Domo, fortis Domino, pia Regibus, aura
Dulcis, amœna ſitu, bona quælibet, omne venuſtum,
Omne bonum, ſi ſola bonis fortuna faueret.

Hi verſus planè conſentiunt cum verſibus Abbonis in deſcriptione vrbis Pariſiacæ, & cum loco Hilduini quem infra referimus: vnde Ioannes Brompton Abbas Iornalenſis rectè & commodè Pariſienſem Ciuitatem fuiſſe ſtudiis depu-

tatam. *Ciuitas Pariſius erat ſimiliter ſita in medio Sequanæ. Inde dicebatur Pariſeos, id. Par Iſidi, ſcilicet illi caſtro quod dicebatur Iſeos. Poſtea verò ampliata eſt ſicut nunc patet. Quàm verò apta erat vacandi ſtudio, narratur in vita S. Dionyſij vbi dicitur* quod " Pariſeorum Ciuitas vt ſedes Regia nobilitate pollebat, quia ſalubris aëre, io- " cunda flumine, fœcunda terris, arboribus nemoroſa, & vineis vberrima, conſti- " pata populis, referta commerciis ac variis commeatibus, vnda fluminis circum- " fluente. *Ob hanc loci amœnitatem, ac patriæ fertilitatem, Regni pacificam tranquillitatem* " *& Regum conſuetam pietatem ordinatè prouidit Deus, quod ibi ſapientialia ſtudia florerent.* "

Similiter Guill. Brito l. 1. Philippid. deſcribens quo pacto Franci occupatâ Franciæ parte Pariſiis ſedem fixerint ſeque Pariſios nomine Græco appellari voluerint, ſubdit de Lutetia.

At iam Sequanio ſurgebat littore cunctis
Vrbibus vrbs ſpecioſa magis, bona cuius ad vnguem
Commendare mihi ſenſus breuitate negatur.
Quæ caput eſt Regni, quæ grandia germina Regum
Educat, & DOCTRIX exiſtit TOTIVS ORBIS

Et alio loco:

Sequana Nobilium Pater Inſtructorque virorum,
Nulla quibus toto Gens acceptior Orbe
Militiâ, ſenſu, DOCTRINIS, PHILOSOPHIA,
ARTIBVS INGENVIS, ornatu, veſte, nitore.

Hoc eodem anno Philippus Franciæ & Richardus Angliæ Reges curſu, inquit Sigonius, in Syriam intento Maſſiliam nauibus aduenerunt; ac rationibus ibi rei gerendæ communicatis Philippus prior diſceſſit ac Genuam progreſſus poſt 20. dies ibi actos in feſto S. Bartholomæi Siciliam petiit, vbi apud Meſſanam à Tancredo Rege benignè exceptus eſt, vbi & hyemare decreuit. Quo etiam paulo poſt Richardus aduenies ab eodem Tancredo repulſus eſt, ſed armorum vi ſibi ad Hiberna hoſpitium paraſſit. Hîc prima inter Reges Philippum & Richardum ſimultas orta, quæ deinde vires aſſumens in apertum odium bellumque deſiit.

Decretalis de Hoſpitiis Scholarium.

Ad eundem annum ſcribit Sigonius Clementem Pontificem Decretum edidiſſe de Domibus ſeu Hoſpitiis Bononienſibus ob controuerſias ſcholaſticorum ſuper conductione frequenter oriri ſolitas. ſic enim ille l. 15. de Regno Italiæ. *Cæterum confluente quotidie magna in vrbem (Bononienſem) litterarum gratia multitudine, cum nouæ quotidie controuerſiæ ſuper Domibus à Scholaribus conducendis exiſterent, ſequenti anno qui fuit milleſimus centeſimus nonageſimus, Clemens Pontifex Decretum edere coactus eſt de ædibus ſcholaribus Bononiæ locandis. Quod adhuc in libris Decretalium legitur. Hoc autem tempore Albericus de Porta Rauennate tanta auditorum celebritate profitebatur, vt Odofredus author ſit ipſum in Palatio Commanis profiteri coactum.* Tale autem eſt Clementis Decretum.

Ex reſcripto litterarum Tuſculanenſis Epiſcopi nobis innotuit, quod cum Ciuitatem Bononienſem tempore ſuæ legationis intraſſet. Et infra. ***Conſtitutionem factam ab Epiſcopo*** *Portuenſi Apoſtolicæ ſedis Legato & à prædicto Tuſculanenſi Epiſcopo poſtmodum confirmatam*, videlicet vt nullus Magiſtrorum ſeu Scholarium ſuper conducendis aliorum hoſpitiis in læſionem & præiudicium habitantium audeat hoſpitem conuenire, niſi prius conſtiterit tempus conductionis elapſum, vel inquilini in hoc ſuum fauorem præſtiterint & conſenſum, *cum idem Portuenſis ſub excommunicatione hoc prohibuit & alter ſub pœna anathematis idem decreuit obſeruandum, ratam eſſe decernimus & authoritate Apoſtolica confirmamus, ſtatuentes vt à te, frater Epiſcope, & tuo quolibet ſucceſſore hoc ſingulis annis in* COMMVNI AVDIENTIA MAGISTRORVM ATQVE SCHOLARIVM RECITETVR.

Hanc autem Conſtitutionem ideo factam ſcribunt Decretiſtæ, quia potentes & pecuniis abundantes Magiſtri vel ſcholares alios Magiſtros vel ſcholares pauperiores aliquando vi aut maiori pretio promiſſo etiam ante tempus conductionis elapſum è domibus ſeu hoſpitiis conductis expellebant. Quod ne fieret, hac Decretali vetuit Clemens. Nec dubium quin idem Pontifex Vniuerſitati Pariſienſi par priuilegium indulſerit.

1191. Anno 1191. Clemens Papa moritur, cui Iacinthus Diaconus Cardinalis grandæuus ac generoſus, Patria Romanus, Petri cognomento Bubonis filius ſubſtituitur Cæleſtinuſque III. vocatur, qui in officio Diaconi 65. annos expleuerat: vt ſe ex eius ore frequenter audiuiſſe teſtatur Petrus Bleſeuſis Ep. 123. vnde probat ſe cogi non debere ad ſacerdotalem ordinem ſumendum. *Vidimus quamplures in Eccleſia Romana in ordine Diaconatus vſque ad ætatem decrepitam & exhalationem extremi ſpiritus miniſtraſſe. Certè D. Celeſtinus qui hodie ſedet, ſicut ex ipſius ore frequenter accepi, in officio Leuitæ 65. annos expleuerat, antequam ipſum Dominus in ſummi Pontificatus apicem ſublimaſſe.*

Ipſo die Paſchæ Pontificalem conſecrationem accepit, & poſtridie eius diei Henricum Friderici Imperatoris filium cum vxore Conſtantia Imperiali corona inſigniuit. In hac autem coronatione ceremonia obſeruata eſt digna memoria, quam refert Rogerius Houedenſis his verbis.

„ *In craſtino conſecrationis ſuæ D. Papa tranſtulit ſe à Laterano vſque ad Eccleſiam B.*
„ *Petri & venit ei obuiam Henricus Alemannorum Rex cum Conſtantia vxore & cum copio-*
„ *ſa plebe armata.* Romani vero clauſerunt portas vrbis & cuſtodierunt eas in manu
„ forti & armata non permittentes eos intrare. D. autem Papa ante oſtium Eccleſiæ
„ B. Petri ſupra gradus recepit ſacramentum à prædicto Alemanorum Rege, quod
„ ipſe Eccleſiam Dei & iura Eccleſiaſtica fideliter ſeruaret illibata, & quod rectam
„ Iuſtitiam teneret & quod Patrimonium B. Petri, ſi quid inde ablatum eſſet, in in-
„ tegrum reſtitueret, & quod Tuſculanum ei redderet. Deinde introduxit eos D.
„ Papa in Eccleſiam, & vnxit eum in Imperatorem & vxorem ſuam in Imperatri-
„ cem. Sedebat autem D. Papa in Cathedra Pontificali tenens coronam auream
„ Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam Im-
„ peratoris & deiecit eam in terram, ſignificans quod ipſe poteſtatem eiiciendi eum
„ ab Imperio habet, ſi ille demeruerit. Sed Cardinales ſtatim arripientes impo-
„ ſuerunt eam Capiti Imperatoris.

Huicce Conſecrationi Imperatoriæ adfuit Godefridus Viterbienſis Notarius Imperatoris, qui ab eo rogatus eſt carmine complecti Imperialium ornamentorum & inſignium myſteria. Sic autem ille in præfatione

Cæſar iuſſit heri quæ ſunt inſignia, queri
Quæ caput Imperij dignè perhibentur haberi.
Et cur ſigna gerit, quidrationis erit.
Vt Scriptura tonat, Crux, enſis, ſceptra, corona,
Lance palla, bona nobis inſignia donant.
Reſtat vt exponam quid ſua ſigna ſonent.

Eodem anno cum Ludouicus Philippi Regis filius 10. Kal. Auguſti laborare cæpiſſet morbo grauiſſimo qui à Medicis dyſenteria vocabatur, facta eſt ſolennis
„ ſupplicatio Cleri Pariſienſis, Monachorum & Vniuerſitatis, vt refert adhunc an-
„ num Rigordus his verbis. Vniuerſi Conuentus Religioſorum Pariſienſes & ve-
„ nerabilis Mauricius cum Canonicis ſuis Clericis, *& infinita Scholarum, &* po-
„ puli concurrentis multitudine Corpora ſanctorum & reliquias ſecum portantes
„ nudis plantis flentes & lachrymantes eis obuiam proceſſerunt. Hinc intelligitur Vniuerſitatem Pariſ. in ſolemnibus ſupplicationibus iam tum habuiſſe certum ordinem.

Eodem anno M. Petrus Cantor, vir in Academia Pariſienſi tam multarũ palmarum, electus fuit in Tornacenſem Epiſcopum poſt Euerardum d'Aueſnes cuius mors accidit an. 1190. Nec ſtatim eius electio confirmata eſt à Vvillielmo Remenſi Archiepiſcopo, quod in eius electione aliquid interueniſſet minus ordinatum. Itaque Stephanus Tornacenſis ſcripſit in eam rem ad præfatum Vvillielmum, ſignificans inter cætera M. Petrum à Rege Philippo antequam ad ſacram expeditionem proficiſceretur, fuiſſe Tornacenſibus commendatum. Epiſt. eſt 173. in qua ſic habet.

De M. Petro Cantore in Epiſcopũ Tornacenſem electo.

„ *Domino Remenſi pro Petro Cantore Pariſienſi in Tornacenſem Epiſcopum electo.* Com-
„ mune refugium patens omnibus manſuetudo veſtra ſic extendatur ad ſingulos, vt
„ colligat vniuerſos, veniunt ab oriente & occidente, & recumbunt in ſinum ve-

ſtrum. Nec facile ſemel admiſſus emittitur, niſi contigerit ab eo committi, quod non mereatur remitti. Hæc ſunt quæ mihi pluribuſque aliis fiduciam præſtant vt pro deuoto filio veſtro M. Petro *Cantore Pariſienſi pandatur vobis aditus ſupplicandi, ne vobis procuret indignationem*, qui ſibi non aduocat dignitatem. Ne cui meritum ſufficiat proprium, factum officiat alienum. Vir eſt cuius per omnes Eccleſias famæ ſuauis diffunditur opinio, qui gemina ſcientia efficaciſſimè clarens & Doctrinam monitis ornat, & moribus diſciplinam. Origeni parem in aliquo ſic eum docere credimus vt viuere, ſic viuere vt docere. Tales in Candelabro veſtro Lucernas, tales in diademate Aaron lapides, tales in S. Remenſi Eccleſia ſuffraganeos eſſe decet, vt vicinæ Prouinciæ ſancta æmulatione moueantur ad promotionem conſimilium, & ſolicitudo vobis commiſſa facilius & frequentius iuuetur per religionem & prudentiam ipſorum. Si quid minus ordinatè in electione ipſius à Tornacenſibus Clericis factum eſt, nec abſentis ignorantiam tangere nec innocentiam iuſti lædere debet, cum facillimè ſi vobis placeet, poſſit emendari ſi quid perperam factum eſt, commiſſa vobis à Deo & poteſtate corrigendi errores & ſcientia corrigendi. Vt enim ſalua gratia veſtra ſine præiudicio loquar, concurrunt in electione illa quatuor quæ à Leone I. dicta ſunt *vota Ciuium, Teſtimonia populorum, Honoratorum arbitrium, Electio Clericorum.* His accedit integritas perſonæ, hilaritas famæ, neceſſitas ſimul & vtilitas Eccleſiæ viduatæ. Sed & hoc frequenter & ſolemniter dicitur, quia D. Rex quem Deus ſeruet ac nobis reſtituat, perſonam iſtam nominatim expreſſit, nominatim pro ea rogauit, nominatim Eccleſiæ Tornacenſi præeſſe voluit & intendit. Si aliter actum fuerit, verendum eſt & forte verum, ne indignationem & iram & immiſſiones per Angelos malos concipiat, & aduerſus eos qui promotionem tantæ perſonæ impedierint, Regalem & iuuenilem iracundiam accendat. *In his omnibus, Pater ſancte, prouidete honori veſtro, conſulite ſanæ opinionis veſtræ teſtimonio: deferte Regio mandato, & correcto prius ſicut decuit errore eligentium, confirmata electione, paterno ſinu ſuſcipite electum & dilectum veſtrum.*

Hæc Stephanus. Verum Buſelinus in ſuis Annalibus Gallo-Flandricis ſcribit Petrum Cantorem nulla vnquam adduci ratione potuiſſe, vt Epiſcopatum ſuſciperet: itaque eo reſpuente Stephanus tum Abbas San-Genouefianus incogitanter ad eum electus eſt. Petrus vero ſolitudinis amore ductus ſeceſſit ad Longi-Pontis Cœnobium, vbi feliciter obiit an. 1197. vel 1198. Igitur Stephanus qui ſincero cordis affectu pro Petro ſecundum vota Tornacenſium deprecabatur, à Tornacenſibus ſua ſpe fruſtratis eligitur, eique in Abbatiæ San Genouefianæ regimine Ioannes ſubſtituitur è Cœnobio San-Victorino, Iuuenis quidem ætate, ſed prudentia, moribus & doctrina cæteris anteſtans. De cuius vtraque electione ſic ipſe Stephanus Ep. 182. ad Abbatem Alto-villarem. Vocatus, *inquit*, ad regimen Eccleſiæ Tornacenſis, tandem poſt multos cogitationis æſtus & circunſpectos affectus varios, non ſine voluntate, vt credimus, Diuina ſortem & funiculum electionis noſtræ coniecimus in chariſſimum fratrem noſtrum Ioannem nepotem veſtrum, iuuenem quantum nobis ex diutina conuerſatione eius cognoſcere licet, honeſtum, litteratum & Diſciplinis Regularibus eruditum, & eum communi fratrum omnium aſſenſu nominauimus Abbatem & in commiſſa nobis ſolicitudine ſucceſſorem. Acta ſunt hæc die ſalutationis Angelicæ, Conceptionis Virgineæ, Incarnationis Diuinæ, ſequenti Dominica qua repræſentat Eccleſia Dominicum Hieroſolymis ingreſſum & puerorum Cantantium Ozanna applauſum, me præſente & præſentante à Domino Arſ. (Simone) Meldenſi Epiſcopo munus benedictionis accepit, & ad Eccleſiam ſibi commiſſam mecum reuerſus, gregem ſibi creditum cuſtodire & regere ſecundum gratiam ſibi à Deo collatam humiliter eſt aggreſſus. Ex hac Epiſtola obiter colligitur feſtum Conceptionis B. Mariæ Virginis tum fuiſſe celebratum, contra quod inſtitutum inſurrexerat D. Bernardus, vt alio loco retulimus.

Stephanus Abbas San-Genouefianus fit epiſcopus Tornacenſis.

Et Ep. 220. ad ipſum Ioannem Abbatem ſic habet. *Inter alia Diuinæ gratiæ Beneficia*, nobis à Deo conceſſa, plurimum gloriamur in Domino, quia promotionis tuæ frater chariſſime, cooperatores extitimus & miniſtri, & in receſſu noſtro talem nobis reliquiſſe meruimus ſucceſſorem, quia & perſona tua ſit vtilis Eccleſiæ, & Eccleſia tuæ ſit coaptabilis perſonæ; commendamus honeſtatem tuam,

laudamus ſobrietatem & parſimoniam approbamus, & in exterioribus prudentiam & in interioribus diſciplinam.

De ſua verò electione ad Epiſcopatum Tornacenſem ambitionis & præuentionis reus factus eſt apud Cœleſtinum Papam: quamobrem ille ſuam purgat innocentiam Ep. 202 & factum excuſat hoc modo. *Inter ſpem & timorem medius accedo filius ad Patrem, ſeruus ad Dominum*, ad ſucceſſorem Petri minimus Diſcipulorum Chriſti: fortè mitigabit iram ſuam pater, remittet indignationem Dominus, Petri ſucceſſor humilem reſpiciet ſacerdotem. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat, & relinquat ſuper me benedictionem? Vocatus ad Eccleſiam Tornacenſem loco & animo remotus & ignarus, nihilque minus ſpirans quàm Cathedram, cur exceſſi ſi acceſſi? quid peccaui, ſi non peccaui? an deliqui, quia non dereliqui? diuinare certe non potui, placerétne an diſpliceret ſummo Pontifici, cuius placita ſunt iura, in cuius dextera ignea lex, quæ appendit merita ſingulorum in ſtatera Canonum & apprehendit aſtutias in perpendiculo Legum & Circulo Decretorum. Sed quoniam bonarum mercium eſt ibi culpas cognoſcere vbi culpa non eſt, & periculoſum valde filio ſeparari diutius à conſpectu Patris, exceptiones omitto, veniam peto, gratiam quæro, miſericordiam imploro. Aperiatur obſecro mihi ſinus S. Romanæ Eccleſiæ, qui nemini claudi conſueuit, pandatur aditus ſupplicandi, porrigantur vbera materna; cum matre placabilem ſe ſe Pater exhibeat, vt ei ſimplici conſulat & ſimplicem conſoletur.

Placentinus Doctor Iuris in Gallia.

Ad hunc annum refert Ioannes Gualterius Belga author Chronici Chronicorum circa hæc tempora Placentinum Irnerij ſeu Werneri Diſcipulum ſummam poſt Magiſtrum in profeſſione Iuris Ciuilis celebritatem nominis aſſecutum, eandem primùm in Galliam propagaſſe, & apud Montem Peſſulanum floruiſſe: ſcripſiſſe autem Summam in Codicem & Inſtitutiones Iuris teſte Azone in proœmio ſuæ Summæ, quæ ſic incipit *Cum eſſem Mantuæ*. Iſtamque Summam ait Odofredus omnium quæ eatenus editæ fuerant, excellentiſſimam fuiſſe.

Non eſt autem ita credendum, quod Placentinus primus omnium in Galliam Iuris Ciuilis profeſſionem inuexerit, nam certum eſt ante hæc tempora Pariſiis eam floruiſſe, vt ex dictis conſtat, & ex dicendis adhuc conſtabit; ſed quod primus forſan ex Italis in Gallia ſcientiam illam docuerit: nam omnes fere Itali Bononiam ad diſcendum Ius Ciuile migrabant, & ibi aut in aliis vrbibus quibus licebat, profitebantur, imò illuc Galli & Angli conuolabant, quia Bononiæ inſtaurata primùm reuixit illa Diſciplina. Certe conſtat Placentinum primum in ſchola Montiſpeſſulana Profeſſionem illam exercuiſſe, vbi obiit, anno nempe 1192. vt intelligitur ex eius Epitaphio, quod extat in Eccleſia S. Bartholomæi prope Monpeſſulum.

Petra Placentini corpus tenet hîc tumulatum,
Sed Petra quæ Chriſtu' eſt animum tenet in Paradiſo.
In feſto Eulaliæ vir nobis tollitur iſte,
Anno milleno ducenteno minus octo.

Ibidem poſt Placentinum Azo à ſuis malè habitus & exul docuit, ſed ab iis reuocatus in patriam rediit. Eodem anno grauiter turbata eſt Anglia abſente Richardo Rege, decertantibus inter ſe fratribus Regis & M. Vvillielmo Elienſi Epiſcopo, cui Rex ſupremam totius Regni adminiſtrationem abiens commiſerat, & tanquam alteri ſibi crediderat, iuſtis fratribus nondum ſatis per ætatem regere valentibus, Ioanne Comite Moretonij & Gaufredo Eboracenſi electo manere in Normania donec rediſſet. Cum autem iſti abſente fratre conſilium de inuadendo Regno iniſſent, Willielmum perdere moliti ſunt. Erat ille Cancellarius Regni & Regis, ſupremus Angliæ Iuſticiarius & Vicarius, inſuper Apoſtolicæ ſedis Legatus; ad tantas dignitates euectus, vt vtrumque Ordinem tam Laïcum ſcilicet quàm Clericalem ſibi ſubiectum & parentem haberet. Verum quia, vt ſaluti ſuæ, Regni quoque ſecuritati & incolumitati conſuleret, ſtipatus multis cohortibus incedebat ſeque formidabilem optimatibus ſeu proceribus oſtendebat, in eum coniurationem fecit Nobilitas cum ſupradictis Principibus fratribus: itaque derelictus fugam inire cogitur: vnde retractus, mille opprobriis oneratur & in carcere feculento detinetur. Tractatio hæc impia multos viros bo-

nos offendit. Extãt ad eum Petri Bleſenſis Conſolatoriæ litteræ in quibus multis cum laudibus afficit. Contra Hugo Cõuentrenſis Epiſcopus apud ſummum Pontificem innumeris cum probris & criminibus onerat. *Erat*, inquit, *ille vir magnus inter occidentales omnes*, vtpote qui Regni poteſtatem & ſedis Apoſtolicæ authoritatem quaſi Ambidexter habebat, & Regis ſigillum ſuper omnem terram geſtabat, vt pro ſua voluntate poſſet imperare & de poteſtate valeret omnia effectui mancipare, vt pariter Rex & ſacerdos haberetur & eſſet: nec inueniri poſſet qui ſuæ auderet reſiſtere voluntati. Cum ipſe dixit, & facta ſunt, mandauit & inuenta ſunt vniuerſa. Huius erant Regiæ gazæ, theſaurus totus & fiſcus generaliter omnis, vt iam non Regis, ſed ſua diceretur res quælibet, quæ ſub climate noſtro nataret..... Huic omnes filij Nobilium ſeruiebant vultu demiſſo, nec in cœlum aſpicere audebant, niſi forte vocati ab eo, & ſi aliter attentaſſent, aculeo pungebantur quem Dominus præ manibus habebat, memor piæ recordationis aui ſui, qui ſeruilis conditionis in pago Bellouacenſi & aratrum ducere & boues caſtigare conſueuerat, qui tandem ad remedium libertatis ad fines Normanorum tranſuolauit. Huius nepotes & conſanguineas ſiue quaſcunque propinquas de paupere tugurio procreatas Comites & Barones Regnique Magnates ſibi ſumma auiditate in matrimonium copulare ardebant, glorioſum reputantes quocumque titulo familiaritatis eius gratiam acquiſiſſent. Licet igitur flexo genu tota Anglia ei deſeruiret, ad Francorum tamen libertatem ſemper aſpirans, apud Oxonium milites & ſeruientes omnemque ſuam familiam abſtrahebat; & ſpretâ in omnibus Gente Anglorum, ſtipatus agmine Francorum & Flandrienſium pompaticè incedebat, ſubſannationem in naribus, cachinnum in ore, deriſum in oculis, ſupercilium in fronte geſtans pro lamina ſacerdotis. Hic ad augmentum & famam ſui nominis emendicata carmina & rythmos adulatorios comparabat, & de Regno Francorum Cantores & Ioculatores muneribus allexerat, vt de illo canerent in plateis &c. Addit Mathæus Pariſienſis. *Mille & quingentis per Angliam euectus equitaturis, Clericorum ſtipatus cateruis, militumque vallatus agminibus, omnia ferè quæ Epiſcopali reuerentiæ congruunt, prætermiſit.* Alia plura willielmus Neubrigenſis lib. 4. Hiſtoriæ Anglicanæ, & alij Hiſtorici Angli omnino huic homini, qui Natione Gallus erat & apud nos eruditus, infeſti.

Cauſa autem tam præcipitis eius ruinæ multiplex fuit. Prima hæc & occulta, quod ille veritus ne ſi quid fatale Richardo in Orientalibus plagis accideret, Ioannes Moretonii Comes fraterque Richardi Regnum Anglicanum inuaderet, cum Rege Scotorum egiſſet, vt Arturus pronepos Godefridi Britonum Ducis, Richardi fratris maioris filius ſuccederet. Altera, quod Gualterum de Conſtantijs Rothomagenſem Archiepiſcopum è Sicilia à Rege Richardo in Angliam miſſum, vt coniunctis animis ſecum Regnum adminiſtraret, omni adminiſtrationis parte priuaſſet. 3. Quod Gaufredum Eboracenſem electum, Richardi fratrem alterum è Normania in Angliam transfretaſſe comperiens, contra quàm præceperat Richardus, comprehendi iuſſiſſe & carceri mancipari. Quo facto concurrentibus vndique turbis, quia frater erat Regis, ſibi timens Cancellarius fugit, & ſumptâ veſte muliebri ſalutem quærens, deprehenſus tandem, captus & innumerabilibus opprobriis ac contumeliis affectus eſt. Cauſa eius Romæ diu agitata eſt: ſed tandem omnes eius aduerſarij miſerrimè perierunt.

Anno 1192. aut ſuperiore orta eſt grauis ſeditio inter ſcholares Vniuerſitatis Pariſienſis & Monachos San-Germano-Pratenſes, ſeu potius eorum ſeruos. *Scholares* enim in Prato ſuo, quod vulgo *Clericorum* appellatur, ludentes & more Iuuentutis paulo fortaſſe petulantius laſciuientes, à quibuſdam Monachis & conductis nebulonibus vi de Prato deiecti ſunt, & eorum nonnulli vulneribus affecti, quidam etiam interfecti. Itaque Magiſtri poſtridie habitis Comitiis vnanimiter concludunt Legatos eſſe ad Cœleſtinum ſummum Pontificem mittendos, eoſque deſignant, & iubent ſecluſa omni mora proficiſci, petuntque factam ſibi iniuriam reparari. Fulco qui tunc erat Abbas loci veritus ne cædis & ſeditionis author reputetur, nullum non mouet lapidem, vt ſe culpæ præſtet expertem. Amicorum opem gratiamque implorat apud ſummum Pontificem; Lutetiæ verò innocentiam ſuam purgare nititur apud Vvillielmum Remenſem Archiepiſcopum, qui abſente Rege Philippo ſupremam in Francia habebat adminiſtratio- 1192. *De Prato Clericorum.*

nem: ſed fruſtra: itaque quo ſe vertat, ignarus continet ſe domi, nec audet è Clauſtro pedem efferre, adeo exacerbatos videt Scholarium & Vniuerſitatis animos. Dum igitur vndequaque ſibi timent Monachi, & à ſcholaribus, ne armata manu Domum & Clauſtra perfringant; & à Pontifice, ne ſententiam excommunicationis emittat in cædis authores, ſuaſores, conſcios & patrarores, tandem Stephani Tornacenſis ex Abbate San-Genouefiano nuper Epiſcopi facti, operâ vtuntur, rogantque vt qua gratiâ valet apud Proceres Romanæ Curiæ, plurimum autem valebat, eâ vtatur ad conciliandam ſibi pacem, aut ſaltem Abbati ſuo ſecuritatem. Ille autem non ad Pontificem cui ſe ſuſpectum aliquo modo reputabat, propterea quod Epiſcopatum ambiuiſſe credebatur, ſed ad Octauianum Hoſtienſem Epiſcopum veterem amicum & hoſpitem ſcribit, rogatque enixiſſime, vt apud Pontificem Fulconis Abbatis patrocinium ſuſcipiat. Sic ergo ille Ep. 208.

„ In timore & tremore vos & alios Dominos meos recogito & retracto tranſla-
„ tus à ſubſellio ad Cathedram, à puſilli cuſtodia gregis ad populoſæ regimen Ec-
„ cleſiæ, ab humili ſtatu ad altiora quàm credidi, quàm merui, quàm ſperaui. Et
„ licet pro me rogare non ſufficiam, commendatitias preces vobis porrigo pro F.
„ Abbate S. Germani viro humili & vtili Eccleſiæ ſuæ: cuius opera inter fratres ſuos
„ & præſentibus proficiunt ad vſum, & poſteris ad exemplum. Si quis aduerſus
„ eum in Curia D. Papæ mouerit Quæſtionem maximè ſuper memoria rixæ quæ
„ hoc anno inter homines S. Germani & Scholares mota eſt, in qua & vnus Scho-
„ larium per inſaniam Ruſticorum cecidit excuſabilem habete prædictum virum,
„ qui ſicut immunis eſt à culpa, ita & alienus debet eſſe ab inſaniâ (infamiâ) ſiue
„ pœna, innocentiam ſuam purgauit coram Domino Remenſi (Vvillielmo) *& multitudine Clericorum*, & fugientibus illis qui homicidium perpetrauerant, ac-
„ cenſus in vindictam Domos illorum diruit & vaſtauit. Occurrite & ſuccurrite,
„ ſi opus fuerit, viro innocenti ne veritatem falſitas abſorbeat, mendacium negotie-
„ tur ſibi fidem, amor inuidiæ Religionem corrumpat.

Ex his intelligitur Vniuerſitatem conqueſtam fuiſſe apud Vvillielmum Remenſem Archiepiſcopum Regni Francici Gubernatorem, Fulconemque Abbatem citaſſe, qui demum eo præſente in Comitiis Vniuerſitatis ſuam purgaſſe viſus eſt Innocentiam, atque ipſe de Sicariis pœnas ſumere ſategit. Quid autem Romæ factum ſit, non inuenio, quóque modo cum Monachis pax Lutetiæ conciliata fuerit. Sed eodem anno Fulco Abbas forte ob eam rem tædio affectus obiit, eique ſucceſſit Robertus 4.

Porro quàm hilariter & gratioſè viros Doctos & Magiſtros Pariſienſes exciperet & ad Dignitates Eccleſiaſticas proueheret Vvillielmus, patet tum ex iis quæ alibi de ipſo retulimus, tum ex Ep. 79. eiuſdem Stephani, quâ ei commendat M. Simonem de Tornaco virum eximiè litteratum, & inter Magiſtros eminen-
" tem. *In oculis*, inquit, *veſtris, pater, nec honeſtas mendicat gloriam, nec veri-*
" *tas interuentum*: ibi virtus eſt pretium ſibi: & qui ſibi merito ſuo ſufficit, ſuffra-
" gio non indiget alieno. Inde eſt quod M. Simoni viro inter Scholares Cathedras
" egregio, non neceſſe eſt verboſas emendicare preces aut laudum vænalium co-
" ram præconia corrogare. Gratioſum & commendabilem faciunt eum hinc autho-
" ritas morum, hinc peritia litterarum. Tales conſueuit Illuſtris Clementia veſtra
" vocare, diligere, promouere. Clamat hoc quaſi ab ortu ad occaſum totus Orbis,
" cum Etruſcos & Ligures ſuos Italia, Britannia maior Anglicos, vtraque Gallia
" Belgas & Celticos in Curia veſtra videant aut onerari diuitiis aut dignitatibus ho-
" norari. De hoc Simone Theologiæ profeſſore fuſius dicetur ad an. 1202.

Eodem anno Philippus Rex capta Accone, olim Ioppe Ciuitate Paleſtinæ in Franciam rediens Romam proficiſcitur pro more temporibus illis obſeruari ſolito. Quicunque enim Cruce ſignati à ſacra peregrinatione redibant, à ſummo Pontifice abſolutionem voti impetrabant, ſi eos voti damnatos iudicaret. Papa vero cum teſte Rogerio Houedenſi, & omnes qui cum eo redibant vel poſt eum redierunt, *abſoluit à voto ſuo & ab itinere proficiſcionis Hieroſolymitanæ: & licet votum non ſoluiſſent, tamen palmas eis diſtribuit & cruces collis eorum ſuſpendit, ſtatuens quod eſſent peregrini.* Non caruit tamen reprehenſione, Philippus quod imperfecta expeditione rediiſſet, quanquam Richardi Anglicani odium inſidiaſque ſibi ſtructas prætexeret. Paulo etiam poſt Richardus rediens à Leopoldo Auſtriæ Duce

capitur

capitur & in vinculis detinetur. Ita expeditio illa omnino infructuoſa fuit propter diſcordiam Regum, & Chriſtiani facti ſunt ludibrium Sarracenorum.

Cuius rei cauſas Iacobus de Vitriaco reiicit in corruptionem morum Occidentalis Eccleſiæ. Romanæ ipſius corruptiſſima erat diſciplina, & ex ea tanquam è Capite in cæteras veluti in membra lues ſe transfuderat. *Facta eſt*, inquit cap. 1. *Meretrix ciuitas quondam fidelis : manum ſuam miſit ad hoſtes, ad omnia deſiderabilia eius. Principes eius in medio eius quaſi Leones rugientes. Iudices eius Lupi veſpere non relinquebant, in mane. Omne caput languidum & omne cor mœrens.*

Et c. 2. narrat liberalitatem omnino tum exulaſſe, auaritiam & habendi cupiditatem animos hominum occupaſſe, fœneratores & auaros ſolos regnaſſe. c. 9. ait Principes & Potentes per ſatellites ſuos immiſericorditer rapinis & exactionibus vexaſſe ſubditos. Nec parcit c. 5. Prælatis Eccleſiarum, qui tum erant negligentiſſimi, muti Canes, qui Lupos, ab ouili ſibi commiſſo non arcebant, ne forte in faciem obiiceretur eis, *Medice cura te ipſum*, qui prædicas non furandum, furaris, non mœchandum, mœcharis. *Sed & bella* inquit, *& ſeditiones vniuerſum pæne mundum concutiebant, Gente contra Gentem & Regno aduerſus Regnum conſurgente. S. Romana Eccleſia ſchiſmatibus periculosè turbabatur. Romanum Imperium in ſe diuiſum deſolabatur. Francigenæ contra Anglicos pugnabant. Sarraceni fideles in Hiſpania ſupra modum opprimebant, Regnum Siciliæ diſſenſionibus & præliis vaſtabatur. Occidentis regiones vniuerſæ variis tribulationibus vltionis Diuinæ iudicio affligebantur.*

Poſtremò Author iſte deſcendit ad Statum Pariſienſis Ciuitatis, & poſtquam corruptionem Scholaſticorum oculis ſubiecit, Theologiæ quoque Magiſtros vehementer obiurgat, quod ad Diſcipulorum profectum non attendentes, non ad proximi Charitatem, omnia ſua ſtudia ad quæſtum & ad Dignitates Eccleſiaſticas Beneficiaque occupanda conuerterent. Sic enim c. 7. *Theologiæ Doctores ſupra Cathedram Moyſi ſedentes ſcientia inflabat, quos Charitas non ædificabat. Docentes enim & facientes facti ſunt velut æs ſonans & cymbalum tinniens, & velut Canale lapideum,* quod ſiccum in ſe remanens mittit aquas ad areas aromatum. Non ſolum autem ſibi inuidebant, & ſcholares eorum blandiciis attrahebant, & gloriam propriam quærentes, de fructu autẽ animarũ non curantes, ſed illud Apoſtolicũ auribus non ſurdis attendentes, Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat, Præbendas ſibi multiplicabant & venabantur dignitates, cum tamen ipſi non tam opus quàm præeminentiam affectarent, appetentes primas ſalutationes in foro, primas Cathedras in ſynagogis & primos recubitus in conuiuiis. Cum autem dicat Iacobus Apoſtolus, *Nolite plures Magiſtri fieri*, fratres mei, tot Magiſtri fieri feſtinabant, quod plerique eorũ nonniſi prece vel pretio ſcholares habere valebant. Securius autem eſt audire quàm docere, & melior eſt humilis auditor, quàm inſufficiens & præſumptuoſus Doctor. Paucos tamen inter eos Dominus ſibi reliquerat viros honeſtos & timoratos, qui in via peccatorum non ſteterant & in Cathedra peſtilentiæ cum aliis non ſederant. Inter præcipuos vero commemorat M. Petrum Cantorem, vt alio loco referemus.

Corruptio Theologorũ.

Cum his concordant quæ habet M. Daniel de Merlac Angligena in ſua ad librum de Naturis Inferiorum & Superiorum præfatione. *Cum*, inquit, *dudum ab Anglia* me cauſa ſtudij accepiſſem & *Pariſius* aliquandiu moram feciſſem, videbam quoſdam Beſtiales *in ſcholis graui authoritate ſedes occupare.* Huiuſmodi Magiſtros reprehendebat in ſuis Concionibus Fulco ille Neulliacus, de quo infra, vt docet author ſynchronus Otho de S. Blaſio. *Reliquos*, inquit, *Magiſtros vt compendioſas & dulces & vtiles in timore Domini Diſcipulis facerent Lectiones, adhortabatur. Dialecticos enim inutilia abiicere, vtilia in hac arte monuit reſeruare. Decretiſtas quoque de multis inutilibus & lectionem grauantibus Concordantiis reprehendit. Theologos autem de longis continuationibus & ſophiſticis diſputationibus redarguit, reliquarumque artium Magiſtros ſimili modo increpans, eos de multis inutilibus correxit, atque ad neceſſaria tractanda & docenda informauit.*

Anno 1193. Philippus Rex Iſemburgim ſeu Ingelbergam Danorum Regis Germanam, quam per Stephanum Nouiomenſem Epiſcopum petierat, coniugali fœdere ſibi copulat Ambiani, ab eaque poſt noctem primam nuptiarum, vt aliqui ſcribunt, diuortit: incertum quam ob cauſam: diuortij vero cauſam vt legitimam cupit à Pontifice approbari, prætexens ſe duxiſſe affinem. Ille Philippum Bello- 1193.

uacenſem & Reginaldum Carnotenſem in rem inquirere iubet, qui Philippum abſoluerunt. Ait vero Gaguinus Cœleſtinum duos Cardinales Midam & Cecinum in Franciam miſiſſe poſtea, eos verò ſegnius agentes vel largitione Regia corruptos, vel metu offendendi Regis perterritos negotium non abſoluiſſe.

Eodem anno Richardus Angliæ Rex dum per multa naufragia redit ab expeditione ſacra, ac per Auſtriam latenter in patriam ſuam tranſire properat, à Duce Auſtriæ captus Henrico Imperatori traditur, à quo per annum in cuſtodia detinetur. Quo audito Ioannes frater Angliam occupare nititur, Philippus vero Normaniam. Quam in rem Aleonora Mater Anglorum Regina ad Cœleſtinum Papam ſcripſit non ſine felle & acerbitate animi, quod filium ſuum ab expeditione tam neceſſaria tamque ſancta reuertentem pateretur ita detineri. Extant eius ad ipſum Epiſtolæ tres apud Petrum Bleſenſem: ſic autem in earum vna, quæ eſt ordine 146. *Duo filij mihi ſupererant ad ſolatium, qui hodie mihi miſeræ & damnatæ ſuperſunt ad ſupplicium. Rex Richardus tenetur in vinculis. Ioannes frater ipſius Regnum Captiui depopulatur ferro & vaſtat incendiis. In omnibus verſus eſt mihi Dominus in crudelem & aduerſatur mihi in duritia manus ſuæ.*

Quidquid vero dicant Anglicanæ Hiſtoriæ, Philippus æquitatis, Iuſtitiæ & ſimplicitatis amantiſſimus fuit: & quanquam viros litteratos amaret, bonos tamen & ſimplices prædilexit. Cuius rei extant exempla plurima apud Cæſarium Heiſterbacenſem, quæ non erit extra rem referre.

Primum quidem occurrit lib. 6. c. 12. de Ioanne Abbate S. Victoris, cui cum Magnatibus quibuſdam lis erat apud Regem. Et cum illi diſertos haberent Patronos, qui rem Magnatum magna eloquentiæ vi & rationum momentis tuebantur, Abbas vero obmuteſceret, Rex eius cauſam defendit, vetuitque ne vlla deinceps ei fieret iniuria. Sic igitur Cæſarius. *Retulit mihi Conſtantinus Monachus noſter, quod eo tempore quo Pariſius in ſtudio fuit, Ioannes Abbas S. Victoris,* qui natione Teutonicus eſt, cum quibuſdam nobilibus & magnis viris pro magno allodio coram Rege placitauerit. Qui cum ſecum adduxiſſet quoſdam ex fratribus viros litteratos & iuriſperitos, haberentque aduerſarij aduocatos in cauſis exercitatos, partibus hinc inde reſpondentibus, Abbas ſimpliciter ſedens, nec vnum verbum ad allegata reſpondit, ita vt magis videretur vacare orationi quàm allegationi. Hoc cum Rex conſideraſſet, ait Abbati, Domine Abbas quare vos nihil loquimini? Reſpondente Abbate multum leniter & valde ſimpliciter, *Domine neſcio quid loqui.* Ædificatus Rex & compunctus ſubiecit: *Reuertimini vos in Clauſtrum veſtrum & ego loquar pro vobis.* Poſt quorum diſceſſum Rex iram ſimulans dixit militibus, *Ego præcipio vobis ſub interminatione gratiæ meæ, ne de cætero S. Abbatem inquietetis.* Sicque factum eſt vt bona quæ fratres obtinere non poterant per multas querimonias, ſola apud Regem obtineret Abbatis ſimplicitas.

2. Exemplum eſt de Epiſcopo Laudunenſi Emelrico viro ſimplici ante electionem eiuſdem Eccleſiæ tantummodo Canonico ſine vlla alia dignitate: quam electionem Rex vehementer gratam habuit, vt ait Cæſarius ſe didiciſſe à Lamberto Commonacho ſuo, qui tunc Pariſiis erat. Rem ſic narrat c. 13. *Tempore quodam Clerici Laudunenſes Epiſcopo ſuo defuncto quendam ex ſuis fratribus Canonicum ſimplicem in* Epiſcopum eligentes ſub his verbis prædicto Regi illum præſentauerunt. *Domine nos præſentamus* vobis D. Emelricum Electum noſtrum (hoc ei nomen erat) Rege tacente & formam illius præſentationis conſiderante, tandem reſpondit. *Quem præſentatis mihi?* Dominum, inquiunt, Emelricum. Et Rex. *Vultis aliquid plus dicere*, Illis timentibus ne forte aliquid diſpliceret in perſona vel in verbis præſentationis reſponderunt. *Nihil* Domine. Tunc ait Rex, *Raro audiui talem præſentationem: quando aliquis mihi præſentatur electus, nomen dignitatis eius exprimitur ab electoribus in hunc modum.* DOMINE NOS PRÆSENTAMVS VOBIS DOMINVM ARCHIDIACONVM, PRÆPOSITVM, DECANVM, VEL SCHOLASTICVM NOSTRVM. Fateor vobis, ſatis mihi placet tam ſimplex ſimplicis Canonici præſentatio, & idcirco ſpero quod à Deo facta ſit ipſa electio. Noſtis qualiter in iam dictis Dignitatibus electiones celebrentur. Si Scholaſticus eſt, Cauſas Canonicorum ſuorum fouendo, tum propter litteraturam, tum propter comparatam amicitiam, ab ipſis in Epiſcopum eligitur. Si Decanus eſt, hypocriſi ſua fratrum exceſſus diſſimulando cognatos & amicos introducit, à quibus ſublimatur. Si Archidiaconus vel Præpoſitus

eſt, vt pote vir nobilis parentum potentia magis intruditur quàm eligitur. Ecce hæc eſt cauſa quare capita Eccleſiæ ſint infirma. Deinde conuerſus ad electum ait: *Domine Emelrice*, quia electio veſtra videtur mihi eſſe ſimplex, rationabilis & canonica, non vobis deero, vbicunque mei indigueritis. Lambertus Monachus noſter, qui mihi hæc retulit, eodem tempore dicit ſe fuiſſe Pariſius.

3. Exemplum ſimile eſt: Nam cum Henricus San-Dionyſianus Abbas interiiſſet, agereturque de ſucceſſore deligendo, Præpoſitus illius Abbatiæ obtulit ſe Regi, quingentas libras pollicitus, ſi fauentem haberet, quas Rex Camerario ſuo dari præcepit. Idem fecit deinde Cellerarius: idem Theſaurarius: qui tres parem omnes ſummam promiſerunt & depoſuerunt. At Rex ad conſtitutum diem iuſſis adeſſe omnibus Monachis ſimplicem quendam Monachum in angulo Capituli reſidentem, & nihil minus quam de Abbatia cogitantem, Abbatem fecit, eique quingentas libras numerauit, vt æs alienum diſſolueret, quo Abbatia obſtringebatur.

4. Exemplum ſeueritatis eſt in puniendo Præpoſito Pariſienſi, qui ſe Ciui cuidã dediſſe mentiebatur pecuniã pro pretio vineæ venditæ, & licet duorũ Scabinorum teſtimonio rem ita eſſe probaret, Rex prudẽs auditis ſeorſim teſtibus & compertâ falſitate Præpoſitum iuſſit infodi viuum. Ita Cæſarius refert eodem l. c. 23. *Habebat idem Rex in Ciuitate Pariſienſi Præpoſitum, qui cuiuſdam ſui Concinis vineam concupiſcens*, vt ſibi venderet illam, importunè nimis inſtabat. Reſpondente Ciue ſicut Naboth reſpondiſſe legitur Achab Regi Iſraëli, Viuit Dominus quia non vendam tibi Patrum meorum hæreditatem, eo quod nulla ad hoc me compellat neceſſitas. Præpoſitus minas intulit, ſed non profecit. Contigit vt interim homo moreretur. Quo cognito Præpoſitus effectus hilarior, huiuſmodi dolos ſicut homo aſtutus nimis ad ſuam perniciem excogitauit. Duos ſiquidem ex Scabinis, vt ſibi teſtimonium falſitatis ferrent, pecuniâ corrupit, cum quibus ſicut conditum fuerat, intempeſtâ nocte defuncti ſepulchrum adiit, terraque eiecta in foſſam deſcendit & ſacculum pecuniæ, quam viro pro vinea obtulerat, in manu ponens mortui, ait. *Teſtis eſtis vos Domini*, quod tantam pecuniam homini iſti pro vinea ſua tali dederim, quam ipſe quidem, vt vos videtis, manu ſua recipit, nec aliquid contradicit. Dicentibus illis. Teſtes ſumus, mox recepit pecuniam & reiecit terram. Mane teſtibus eiſdem adhibitis vineam ſibi vendicauit. Quod cum relicta defuncti didiciſſet, ſtupens accurrit & contradixit aſſerens neque maritum neque ſe vineam illam Præpoſito vendidiſſe, neque vnquam pecuniæ aliquid pro ea accepiſſe. Cui ille reſpondit. Ego tanto vineam comparaui, pecuniam ſub teſtimonio horum Scabinorum in manus viri tui poſui, nec contradixit. Quæ ſe nil videns proficere, ad Regem cucurrit, de violentia Præpoſiti illi conquerens. Illo ſub prædictorum teſtimoniis contradicente, Rex quia audientiæ vacare non potuit, quibuſdam cauſam commiſit, qui teſtimonio Scabinorum decepti in partem Præpoſiti declinantes, pro eo contra viduam dedere ſententiam. Tunc illa amplius turbata cum Regi clamoſis fletibus nimis eſſet importuna, Rex teſtes vocari iuſſit, & quia vir prudens fuit, prudenter illos examinauit, accito prius **vno, & ſolus loquens cum illo ait.** *Noſti Dominicam orationem?* Reſpondente illo, *Noui Domine*; ſubiunxit Rex: Dic ergo illam me audiente. Quod cum feciſſet, nihil aliud ei loquens præcepit vt in vicinam cameram ſecederet, & aduocans alterum ſeuerius eum allocutus eſt dicens, *Socius tuus de vinea illa tam meram mihi retulit veritatem, ſicut eſt ſanctum Pater noſter, quo nihil verius.* Quod ſi ab eo diſcordaueris, punieris. Æſtimans ille, quia Regi omnia dixiſſet, timens ac tremens ad pedes eius corruit dicens *Miſeremini noſtri Domine, quia ſic & ſic fecimus, à Præpoſito noſtro inducti.* Iratus Rex valde vineam viduæ reſtituit & Præpoſitum viuum ſepeliri præcepit.

Eodem anno lis exarſit inter Mauricium Epiſcopum Pariſienſem & Ioannem S. Genouefæ Abbatem: cuius initia & progreſſum non erit extra rem Annalibus Academicis inſerere. Ex iis quæ ad an. 1132. retulimus patet Canonicos San-Genouefianos tum adhuc ſeculares apud Innocentium II. conqueſtos fuiſſe, quod Stephanus Pariſ. Epiſcopus Montem ſuum contra Priuilegia quibus ab omni æuo gaudebant, interdicto alligaſſet; Innocentium vero ſolui mandaſſe. Poſtquam autem ſeculares inde migrare coacti ſunt, San-Victorini Regulares in eorum lo-

Lis San-Genouefiana.

cum ſuffecti ſtatim cum Theobaldo litem conteſtati ſunt, negantes Montẽ ſuum aut Parochiam Villæ ſeu Burgi San-Genouefiani ſubditam eſſe Epiſcopo etiam quo ad Diuina: per Decanum enim San-Genouefianum, non per Epiſcopum Pariſienſem inſtitui ſolere Parochos ibi ſeu preſbyteros, ab omni æuo qui Montis Incolis ſacra miniſtraret, atque à Decano non ab Epiſcopo curam animarum ſuſciperet. Lis illa delata eſt ad Eugenium III. & magno vtrinque æſtu agitata; qui qualiter illam compoſuerit, hac Bulla declarat quæ in Chartulario Baſilicæ Pariſienſis legitur ſub hoc titulo. LITTERA ORDINATIONIS FACTÆ AB EVGENIO PAPA SVPER PAROCHIA S. GENOVEFÆ.

„ Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum D. Venerabili fratri Theobaldo Pariſienſi
„ Epiſcopo Sal. & Apoſt. Bened. *Ne obliuionis obſcuritas diſſuetudinem humanis mentibus ingeratur, quod ſuper cauſarum litigiis iudicatum fuerit vel deciſum, ſcriptura debet*
„ *memoriæ commendari, vt per hoc ſecutura poſteritas habeat, quid futuris temporibus euidenter agnoſcatur.* Qualiter igitur controuerſia, quæ inter te & filios noſtros Ca-
„ nonicos S. Genouefæ ſuper Parochia Eccleſiæ S. Ioannis agitabatur, in noſtra fuit
„ præſentia terminata, præſentis ſcripti ſerie præcipimus annotari. Afferebas ſiqui-
„ dem Tu frater Epiſcope, quoniam ius quod habebas in eadem Parochia, prædi-
„ cti fratres tibi nullomodo exſoluebant: & cum conſtaret quod ad te Parochia
„ pertineret, ſacerdotem qui eidem Parochiæ ſpiritualia miniſtraret, curam ani-
„ marum à te debere ſuſcipere affirmabas. Dicebas enim quia ſi qui erant in ea-
„ dem parochia ligandi vel ſoluendi, Preſbyter qui pro tempore eandem Eccle-
„ ſiam gubernabat, ad tuum mandatum ligabat vel ſoluebat, ſponſos quoque be-
„ nedictionem; mulieres de partu ſurgentes purificationem & qui apertis cri-
„ minalibus tenebantur in Eccleſia Matrice pœnitentiam percipere aſſerebas.
„ Canonici autem qui à te afferebantur, non negantes dicebant, quod Seruito-
„ res Canonicorum qui in eadem Parochia conſiſtebant, per Canonicos & non per
„ Pariſ Epiſcopum ſolui conſueuerant vel ligari, & preſbyter qui in eadem
„ Eccleſia miniſtrabat & à 40. annis retro & ante à Decano S. Genouefæ &
„ non ab Epiſcopo curam animarum ſuſcepit. Nos igitur ſuper his tam tuas,
„ quàm prædictorum fratrum rationes plenariè cognoſcentes, fratrum noſtrorum
„ communicato conſilio iudicauimus, quod ſacerdos qui debebit eidem Parochiæ
„ deſeruire ſiue ſit Regularis Canonicus ſiue non, à te frater Epiſcope, curam ani-
„ marum ſuſcipiat & ſupradictos Parochianos ad mandatum tuum liget & ſoluat.
„ Si vero tum in aliquem eiuſdem Parochiæ vel in omnes Excommunicationis vel
„ interdicti ſententiam emergente cauſa promulgaueris, ſacerdos donec ipſa ſen-
„ tentia relaxetur, nec excommunicatis nec interdictis diuina Officia celebrabit, be-
„ nedictionem ſponſorum, purificationem de partu ſurgentium, publicas pœniten-
„ tias idem ſacerdos non vſurpabit. Porro ſi prædictæ Capellæ ſacerdos talis aliquan-
„ do repertus fuerit, qui diuina miniſtrare non debeat, tu illico Abbati & fratribus
„ ſuis nunciare debebis, & illi veritate cognita eo amoto alium tibi præſentent, cui
„ animarum curam committas, qui tamen presbyter tibi nec circatam nec ſynoda-
„ ticum ſoluat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ definitio-
„ nis temerario auſu infringere, ſeu quibuſlibet perturbare moleſtiis. Si quis au-
„ tem id temere attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB.
„ Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani 6. Idus
„ Ian.

Poſt mortem Eugenij idem Theobaldus curauit iura ſua per Adrianum Pontificem confirmari, quæ Regulares imminuere & violare velle videbantur, iamque authoritate Eugenij à quo ſubſtituti fuerant, violare inceperant. Ille autem reſcripſit in hunc modum, vt habetur in eodem Carthulario pag. 179.

„ Adrianus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili fratri Theobaldo Pariſ.
„ Epiſ. Sal. & Apoſt. Bened. Quod Eccleſias S. Genouefæ prædeceſſor noſter feli-
„ cis memoriæ Papa Eugenius per Regulares Canonicos ordinari præcepit, ſicut ex
„ litteris eius agnouimus, non ad hoc fecit neque id intellexit, vt tu vel ſucceſſores
„ tui aliquid de iure tuo quod in eiſdem Eccleſiis primitus habuiſſe dignoſceris, de-
„ beres amittere, aut Iuſtitiam Eccleſiæ tuæ auferri crederet vel minui, ſed vt ipſæ
„ Eccleſiæ potius ab honeſtis & Religioſis virisquam à laſciuis & enormiter conuer-
„ ſantibus ſeruirentur. Nos igitur quod ipſe ſuper hoc ſtatuit, authoritate ſedis Apo-

ſtolicæ confirmantes omnia iura & rationabiles conſuetudines, quas in prædictis prædeceſſores tui hactenus habuiſſe noſcuntur, tibi tuiſque ſucceſſoribus ſine vlla diminutione volumus conſeruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S Petrum 17. Kal. Ian.

Vrbanus III. ſimiliter ea quæ ab Eugenio conſtituta fuerant de controuerſia iuris Parochialis deque Parocho Montis San-Genouefani obſeruari voluit & mandauit hac Bulla.

Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Mauricio Pariſ. Epiſcopo Sal. & Ap. Bened. Ea quæ inter Eccleſiaſticos viros ſuper cauſarum litigiis iudicio ſedis Apoſtolicæ decernuntur, firmitatem debent perpetuam obtinere, & ne proceſſu temporis ſedata litigia ſuſcitentur, ſcriptis Apoſtolicis communiri. Cum igitur inter bonæ memoriæ Theobaldum prædeceſſorem tuum & Eccleſiam S. Genouefæ ſuper Parochia Eccleſiæ S. Ioannis mota fuiſſet Quæſtio & coram felicis memoriæ Eugenio Papa prædeceſſore noſtro diutius agitata, ille auditis rationibus vtriuſque partis & diligenter inſpectis de communi conſilio fratrum huiuſmodi ſententiam promulgauit, quod preſbyteri qui pro tempore Parochiæ memoratæ deſeruiunt, à Pariſienſi Epiſcopo curam animarum ſuſcipiant & Parochianos ſuos de ipſius mandato ligent & ſoluant qui ligandi fuerint vel ſoluendi. Si vero Epiſcopus in aliquem huiuſmodi Parochiæ vel in omnes excommunicationis vel interdicti ſententiam emergente cauſa promulgauerit, ſacerdos donec ipſa ſententia relaxetur, nec excommunicatis nec interdictis Diuina officia celebrabit, benedictionem ſponſorum, purificationem de partu ſurgentium, publicas pœnitentias iidem ſacerdotes nullatenus vſurpabunt. Porro ſi prædictæ Capellæ ſacerdos talis aliquando repertus fuerit, qui diuina officia miniſtrare non debeat, Epiſcopus illud Abbati & fratribus nunciare debebit, & illi veritate cognita eo amoto alium ipſi præſentare cui animarum curam committat, qui tamen preſbyter eidem Epiſcopo nec circatam nec ſynodaticum vlla ratione perſoluet. Ne igitur huius definitionis ſententiam alicuius temeritas poſſit in poſterum perturbare, eam authoritate Apoſtolica ſicut in eiuſdem prædeceſſoris noſtri authentico continetur, ratam eſſe decernimus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere. Si quis autem &c. Datum Veronæ 2. Non. Ian.

Eiuſdem Conſtitutionis confirmationem obtinuit idem Mauricius Epiſcopus Pariſ. à Clemente III. Legiturque eius Bulla in eodem Chartulario ſub hoc titulo; *Littera confirmationis ordinationis factæ ſuper Parochia S. Ioannis in Eccleſia S. Genofæ per Eugenium Papam:* eſtque eiuſmodi.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri Mauricio Pariſ. Epiſ. Sal & Ap. ben. Ea quæ inter Eccleſiaſticos viros ſuper cauſarum litigiis iudicio ſedis Apoſtolicæ decernuntur, firmitatem debent perpetuam obtinere & ne proceſſu temporis ſedata litigia ſuſcitentur ſcriptis Apoſtolicis communiri. Cum igitur inter bonæ memoriæ Th. prædeceſſorem tuum & Eccleſiam S. Genouefæ **ſuper Parochia S. Ioannis mota fuiſſet quæſtio &c.** Vt ſupra in Bulla Vrbani vſque ad illa verba *vlla ratione perſoluet.* Ne igitur huius definitionis ſententiam alicuius temeritas poſſit in poſterum perturbare, eam ad exemplar bonæ memoriæ Vrbani prædeceſſoris noſtri authoritate Apoſtolica ſicut in eiuſdem prædeceſſoris noſtri Eugenij authentico continetur, ratam eſſe decernimus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Datum Piſis idib. Ian. indict. 5.

Ex his duo euidenter colliguntur: nimirum Epiſcopum Pariſienſem jus habuiſſe Parochiale in Parochiam & Parochianos Montis San-Genouefiani in ſpiritualibus, exceptis tamen circata & ſynodatico vt vocabant, atque ipſum Parochum parere detrectantem potuiſſe coercere: Abbatem verò & Conuentum ius habuiſſe nominandi ſeu præſentandi Parochi. Atque id obſeruatum fuiſſe videtur vſque ad tempora Ioannis Abbatis, qui vt Epiſcopi ius imminueret, nullum certum Parochum deſignare cœpit, ſed hunc modò, modò illum. Quod hominis conſilium agnoſcens Mauricius, certum ſibi nominari & præſentari voluit, ſecus ſe interdicturum omni ſacrorum adminiſtratione minatus eſt. Quod cum Abbas præſtare recuſaſſet, Archidiaconus Pariſ. quendam Canonicum è San-

Genouefianis Parochi vice fungentem ab altari propriâ manu amouit, nec paſſus eſt ibi celebrare Diuina; eiuſque loco ſacerdotem ipſe ſecularem ſubſtituit. Canonici ignari quid rerum agerent, conſuluerunt Stephanum paulò ante Abbatem, tunc Epiſcopum Tornacenſem. Ille verò rei difficultate agnitâ reſcripſit ſibi videri remittendum ad ſummum Pontificem litis eiuſmodi iudicium, ne ſi Pariſienſibus Arbitris illud committant, aut authoritate aut potentiâ illorum opprimantur. Talis autem eſt eius ad Abbatem & Conuentum epiſtola.

„ *Anxiatur in me Spiritu meus*, quotiens aut tranquillitas veſtra concutitur, aut „ vnanimitas impeditur. Semper enim conſueui, nec ab hac conſuetudine Deo „ volente deſiſtam, & vobis congaudere gaudentibus & flere cum flentibus. „ Quis enim ſeparabit me à charitate veſtra, quæ eſt in Chriſto Ieſu? tribulatio, an „ anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Nam „ ſi paratus ſum mori pro ſingulis, paratus ſum, ſi neceſſe fuerit, mori & pro vni- „ uerſis. In tribulatione, quæ circundedit vos pro Capella B. Virginis Genouefæ, „ pro qua etiam per chariſſimum fratrem noſtrum ac veſtrum R. conſuluiſtis nos, „ certum dare conſillum vobis non audeo, quoniam voluntates fratrum noſtrorum „ ſemper diuerſas intelligo, & exitum rei qui forte ex inſidiis fortunæ pendet, nec „ vt Propheta præuideo, nec ſomnio vt Poëta. Si flagrante maleficio, quando Iu- „ uenis Archidiaconus Capellam veſtram violenter ingreſſus eſt, & fratrem ve- „ ſtrum Presbyterum audaci manu & proximâ ſacrilegio aggreſſus poſt appellatio- „ nem ad Dominum Papam factam, ornamenta ſacra diripuit & abſtulit, & eun- „ dem fratrem de Cappella violenter expulit, flebilem conqueſtionem iſtam ante „ pedes ſummi Pontificis aliquis depoſuiſſet, rectè id actum fuiſſe credidiſſem. „ Nunc verò quia ſpatio temporis res obtorpuit, & Archidiaconus in quali quali „ poſſeſſione ſe ſe iactitat eſſe, ſi vt audiuimus, in Arbitros compromittere voluerit, „ quos iuris & æqui amatores crediderit is, Compromiſſum ſuſcipite, ita tamen „ quod in Ciuitate Pariſienſi vel in proximo Ciuitati loco negotium non tractetur, „ ne multitudine molis ſuæ tam in aduocatis quàm in prudentibus & potentibus „ viris, quibus non parum Ciuitas abundat, noſtra & veſtra paruitas opprimatur. „ Quod ſi alium locum eligere voluetint, *credo melius eſſe vt totum negotium ad ſummũ „ Pontificem referatur.* Si autem Deo volente contigerit, vt vos Capellam veſtram pa- „ cificè poſſitis habere, melius videtur vobis eſſe, vt per honeſtos fratres de Colle- „ gio veſtro eam gubernetis, quàm aliquam ibi perſonam ſecularem conſtituatis.

„ Recurrunt Canonici protinus ad Cœleſtinũ III. exponunt Eccleſiam ſuam cum Burgo *à primo fundationis ſuæ tempore liberam ſemper extitiſſe, nec alicui vnquam in ſpiritualibus niſi Rom. Pontifici fuiſſe ſubiectam:* confirmant Bullis Clementis, Lucij & Alexandri III. obtinentque à Cœleſtino, ad cautelam ne vllus præter Romanum Pontificem aut eius Legatem à latere in Eccleſiam San-Genouefianam, Canonicos vel Burgum interdicti vel excommunicationis ſententiam emittat. Ita dum hinc & inde Pontificum Bullas proferunt, lis indeciſa remanet vſque ad tempora Innocentij III. qui eam poſt multas concertationes tandem feliciter compoſuit, vt ſuo loco referemus.

1194. Anno 1194. Richardus **Angliæ Rex magnâ vi pecuniæ redemptus in patriam** redit. Summa redemptionis teſte Sigonio fuit centum mille librarum argenti, quæ Henrico Imperatori ſoluta eſt, exacta è rebus etiam ſacris diuenditis in Angliæ. *Inquo*, inquit Sigonius, *grauia ille Pontificis & piorum hominum omnium conuicia ſubiit*, quod Regem optimè de Chriſtiana Repub. meritum & ab expeditione ſacra reuertentem contra Pontificia ſcita non ſolum in vinculis habuerit, ſed etiam nonniſi grauiter multatum ſibi dimittendum putarit.

Eodem anno M. Michael Corbolienſis, vir ingentis famæ, Profeſſor Pariſienſis eximius, Decanus primum Meldenſis, deinde Laudunenſis, poſtremo Pariſienſis ad Patriarchatum Hieroſolymitanum vocatus, ſed accipere detractans, Senonenſis Archiepiſcopus factus eſt, 24. April. ſucceſſitque Guidoni de Nuceriis defuncto 12. Kal. Ian. *Viro quoque optimo & optimis ſtudiis præclarè inſtructo.* De promotione autẽ Michaelis ſic habet Rigordus: *Anno* 1194. *Michael Decanus, Pariſienſis electus eſt in Patriarcham Hieroſolymitanum: ſed Domino aliter ordinante, reuolutis quindecim diebus iterum à Clero Senonenſi electus eſt in Archiepiſcopum aſſenſu Regis Philippi & totius populi eiuſdem Ciuitatis S. Kal. Maij ſequentis in Archiepiſcopum conſecra-*

tur. Qualis & quantus in regendis Scholis Pariſius, & in largiendis eleemoſynis & aliis pluribus bonis ante Archiepiſcopatum fuerit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Eadem verba repetit Vincentius. Robertus verò Antiſſiodorenſis in Chronico ad hunc annum, hæc de eo pauca. *Michael Pariſienſis Decanus vir honeſtate vitæ & prærogatiuâ litteraturæ famoſus à Clero tranſmarinæ Eccleſiæ in Patriarcham eligitur, ſed interim dum hanc electionem detrectat ſuſcipere, Senonenſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum promouetur.*

Paulo quidem ante Decanatum ſuſceperat Eccleſiæ Pariſienſis, dimiſſo Decanatu Laudunenſi: qua de re grauiter conqueſti fuerant Laudunenſes, ita ſe contemptos rati, & amiſſum ſibi tantum virum deflentes. Quos Stephanus Tornacenſis Ep. 175. ad Capitulum Laudunenſe conſolatus eſt his verbis. *Admirabilis & amabilis eſt Eccleſiarum ludus,* quotiens fraternâ charitate ſupplet altera defectum alterius non pecuniarum ratiocinio, ſed commercio perſonarum. Eodem religionis artificio, eodem ſpiritu charitatis, eodem ſtudio prouidentiæ quo Laudunenſis Eccleſia Meldenſem ſibi Decanum aſſumpſerat, Pariſienſis feſtino pariter ac feſtiuo ſaltu ſibi præripuit eum, non rapinam ſe ſe arbitrata facere, ſi eum quem prius ſibi inſtituerat Canonicum, ſibi conſequenter inſtitueret & Decanum. Non moueatur in aliquo ſancta æmulatio veſtra, quaſi Pariſienſis Eccleſia iniuriam vobis fecerit, quæ in hoc ſibi conſuluit, aut perſona tanquam leuitate vel ambitione ducta ſit, quæ in hac electione ſecuta eſt non voluntatem propriam ſed violentiam alienam. Raptus eſt à Concanonicis ſuis maximè ambiendus, quia minime ambitioſus. Congaudete perſonæ, congaudete Eccleſiæ, quia hîc & ibi veſter erit, vobis deſeruiens, vobis obediens, vobis in omnibus ad obſequium veſtrum paratus & parens.

Michaeli ſucceſſit Hugo Clemens in Decanatu Pariſienſi, filius Roberti Domini *Du Mezle Mareſchal* in Vaſtineſio, qui Regem Philippum in primâ ætate nutrierat & inſtruxerat, vt ad an. 1182. retulimus. Ille adhuc iuuenis valde, poſt mortem Barbedauri à Canonicorum parte electus fuerat an. 1180. de qua electione ſcripſerat Stephanus Tornacenſis ad Lucium Papam, his verbis. *Veſtram*, Pater, *precibus attentare Celſitudinem* mouet me pariter & monet tam pietas veſtra quàm charitas aliena. Eccleſiam Pariſienſem nobile membrum Regni Francorum in Decanum nondum conueniſſe non conuenit, cum de eligendo eo ſæpe iam conuenerint in vnum potius locum quàm in votum coram Domino Carnotenſi & Abbate Caſtri Nantonis. De mandato veſtro diſſidentium ſinguli partium deferunt nomina ſua & ſcripſerunt, & aliquando me præſente coram eiſdem iudicibus publicata ſunt & relecta. Iuuenem bonæ opinionis & quantum ad morum honeſtatem & peritiam litterarum ſpectat, hilaris famæ, Hugonem filium Roberti Clementis magna pars Canonicorum & præcipuè reſidentium nec merito, vt creditur, minor quàm altera, nec numero ſibi ſic præeſſe deſiderat, vt conſideret & prodeſſe. Vtilem ipſum Eccleſiæ futurum & Domini Regis familiaritas intima, & fratrum ac propinquorum qui plurimum in palatio poſſunt, quotidiana ſedulitas promittit, & qui inde plura ex eo Pariſienſi Clero ac populo quàm in aliis diebus iſtis profutura meritur commoda, profectò non mentitur, in fine loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis, vt tanti viri nuncium, quem nec propria voluntas ingerere, nec aliena poteſtas intendere contendit, paterno affectu tam ſuſcipiatis benevolè quàm benefiçè remittatis.

Verum præualuit pars Heruæi de Monte Morencio Competitoris, & ille Decanatũ obtinuit geſſitque ad an. 1192. Cui ſubſtitutus Michael Corbolienſis, & iſte anno tandem 1194. ad Senonenſes infulas vocatus Hugoni Decanatum reliquit. Eius fit mentio in quadam membrana Regij Theſauri an. 1196. his verbis. *Ego Hugo Clementis Decanus Pariſienſis totumque Capitulum Pariſienſis Eccleſia notum facimus Regem Philippum Nobis benignè conceſſiſſe libertatem conſtruendi Domum paruo Ponti adhærentem reditibus & Iuſtitiis retentis ſibi in illâ Domo, quas habet in aliis Domibus eidem Ponti adhærentibus. Sig. Hugonis Clementis Decani, Sig. Petri Præcentoris, S. Mauricij. Henrici, Odonis Archidiaconorum, Galonis Succentoris... Data per manum M. Petri Pictauini Pariſienſis Cancellarij.*

Porro vt ad Michaelem de Corbolio redeamus, obiter notandum eodem tempore tres inſignes viros & Profeſſores egregios in Academia Pariſienſi extitiſſe,

ex eodem oppido Corbolienſi: Michaëlem de quo ſupra, Ægidium & Petrum cognominis eiuſdem, quibus addendus Reginaldus frater Michaëlis. Michaël Senonenſem Archiepiſcopatum adeptus eſt. Reginaldus frater eius iunior longo poſt tempore Epiſcopatum Pariſienſem: quo ſedente fundata eſt Sorbona an. 1250. vt ſuo loco dicetur, fueratque Petri Corbolienſis Diſcipulus. Ægidius in artibus liberalibus & Medicinæ profeſſione excelluit. Petrus denique inſignis Theologus Cameracenſem, Deinde Senonenſem ſedem obtinuit.

Priuilegium de foro Vniuerſitatis.

Ad hunc annum referre placet Cœleſtini III. priuilegium Vniuerſitati Pariſienſi conceſſum: quo voluit cauſas etiam pecuniarias Scholarium Pariſienſium decidi iure Canonico, hoc eſt apud Epiſcopum, aut Abbatem S. Genouefę, non vero apud Iudices ſeculares & Laicos. Eius reſcriptum in 2. veterum Collectionum legitur hoc modo: (nam in Gregorianis l. 2. tit. 2. c. *Quod Clerici* minus amplum eſt) Nullus Epiſcoporum vel Clericorum ad iudicia ſecularia eſt trahendus. Ha-
" bent enim illi ſuos Iudices, nec quidquam eſt eis publicis commune cum legibus.
" Bonifacius vero Papa & Gelaſius & alij plures Anteceſſorum noſtrorum antiquio-
" ribus Conciliis conſonantes, ſicut bene patet Iuris vtriuſque peritis, idipſum in
" ſacris conſtitutionibus ediderunt. Hac igitur ratione inducti per Apoſtolicam ſe-
" dem mandamus, quatenus ſi quas cauſas pecuniarias *Clerici Pariſius commoran-*
" *tes habuerint* contra aliquos, vel aliqui contra eos, ipſas iure Canonico decida-
" tis.

" Author Gloſſæ in hoc verbum (*Aliquos*) addit Laïcos, deinde ſubiungit. At
" eſt ſpeciale *Pariſius*, vbi Epiſcopus habet temporalem iuriſdictionem & gerit vicem
" Comitis: vnde & præco bannum ibi nunciat nomine Epiſcopi & Regis. Alias Laï-
" ci debent in cauſis pecuniariis coram ſuo iudice conueniri: nec tractaretur ibi cau-
" ſa iure Canonico non obſtante conſuetudine. Carolus Molineus in Apoſtilla ad
" gloſſam huius vocabuli, *Pariſius*: imo ibi, inquit, *non habet Epiſcopus iuriſdictionem temporalem niſi in certo limitato loco*, quem *forum Epiſcopi* vocant, & vbi duos habet gradus Iuriſdictionis, deinde ad parlamentum Regium appellatur.

Verum nõ conueniunt Doctores inter ſe, quid ſit intelligendũ per illa verba. *Clerici Pariſius commorantes*. Aliqui enim hunc locum de omnibus Clericis generatim interpretantur. Alij vero ſpeciatim de *Scholaribus Pariſienſibus*, quibus Cœleſtinus hoc Priuilegium indulget iuxta antiquos Canones, vt non apud alios iudices conueniri poſſint, quàm apud Epiſcopum Pariſienſem aut Abbatem S. Genouefæ. Vtriuſque ſententiæ fautores ſunt Iuriſconſulti grauiſſimi & doctiſſimi. Priorem tenet Iacobus Cuiacius, nec eorum probat mentem, qui ſic legendum putant, *ſi quas pecuniarias cauſas Scholares Clerici Pariſius commorantes*. Sic igitur ille ſcribit. *Hoc caput eſt de cauſis* pecuniariis, quas Clerici qui Pariſiis commorantur, habent contra Laicos vel Laici contra eos, vt eæ cauſæ decidantur iure Canonico
" ideſt ſecundum ius ſcriptum, non ſecundum conſuetudinem. Opponit enim ius
" Canonicum conſuetudini, vt apparet ex antiqua Decretali, *opponit ius ſcriptum iuri*
" *non ſcripto*. Sed quæſo à quo decidi eas cauſas oportuit? nec enim apparet ex hoc
" cap. quia inſcriptio capitis periit, quæ ſi extaret, nullus eſſet labor in hac re: com-
" munis tamen opinio hæc eſt, vt hę cauſę decidantur *ab Epiſcopo Pariſienſi*. Quem
" & Laurentius (ex quo hęc Gloſſa mutuata eſt in hoc caput, & locus eſt ſingula-
" ris, nondum perquirere licet, an ſit verum vel an fuerit olim verum) notat in-
" quam Epiſcopum Pariſienſem habere iuriſdictionem temporalem, & Comitis vi-
" cem gerere, eſſe & Epiſcopum & Comitem ſiue Vicecomitem ſuæ Ciuitatis; at-
" que ideo Banna ideſt publicas denunciationes fieri Regis & Epiſcopi nomine. Ait,
" ſi quas *cauſas pecuniarias*. In antiqua Decretali eſt, *cauſas ſeculares*; & nihil admo-
" dum refert. Can. *Clericum*. Nullus præſumat 11. q. 1. ſunt qui perperam interiiciant
" vel ſubaudiant. *Scholares*, legentes hoc modo, ſi quas pecuniarias cauſas *Scholares*
" *Clerici Pariſius commorantes &c.* Quod non eſt rectè, quia hæc conſtitutio gene-
" raliter loquitur de Clericis, qui pariſiis, ideſt Lutetiæ *Pariſius* commorabantur.

At Gloſſa, ſeu Ioannes Andreas, ex cuius Nouella depromptæ ſunt diuiſiones Gloſſarum (obiit autem iſte an. 1348.) diſertè ponit hanc Decretalem in gratiam Vniuerſitatis pariſienſis fuiſſe à Cœleſtino editam. Nam ſuper verbum *Manda-*

mus

mus ſic legitur. *Mandat Papa, quod ſi Clerici Pariſius commorantes cauſas pecuniarias habuerint contra alios, vel alij contra eos, iure Canonico decidantur. Nota quod dicitur in iſta Decretali, ſpeciale eſt Pariſius & fauore Vniuerſitatis introductum.* Quæ quidem authoritas magna debet eſſe hoc loco præſertim propter merita ingentemque Doctrinam authoris.

Huic autem ſententiæ adſtipulatur inter cæteros Coſtanus Cuiacij Diſcipulus, ciuſque hac in parte præualet authoritas. Ergo ſic ille in hunc titulum. *Vitium patitur hæc regula*, ACTOREM SCILICET SEQVI FORVM REI, & in ſingulari caſu propoſita in Cap. 9. hoc titulo. Quod non dubito pertinere ad VNIVERSITATEM SCHOLARIVM PARISIENSIVM qui Clericorum nomine cenſentur. Vniuerſitates enim ſtudiorum Generalium, vt loquuntur, hinc fuiſſe ſub diſpoſitione & cura Romani Pontificis & Eccleſiæ notiſſimum eſt. Et ita in Legibus Angliæ & ſtatutis Willielmi ſenioris ſcholares & Clerici iunguntur & copulantur his verbis apud Rogerium Hoüedenſem in Parte Poſter. Annalium in Henrico II. *Omnes Clerici, vt etiam omnes Scholares & omnes res & omnes poſſeſſiones eorum vbicunque fuerint, pacem Dei & Eccleſiæ habeant.* Willielmus ille eſt quem Baſtardum appellant, qui ab anno 1070. vſque ad an. 1100. Imperium Anglicanum tenuit.

Pergit Coſtanus de Rogerio loqui. *Et in eadem parte idem author verba faciens de graui diſſenſione inter Ciues Pariſienſes regnante Philippo Auguſto, his verbis vtitur in hanc rem valde notandis.* Præterea idem Rex Franciæ timens quod Magiſtri Scholarum & Scholares à Ciuitate recederent, ſatisfecit eis ſtatuens quod de cætero nullus Clericus trahatur ad ſeculare examen propter aliquod delictum quod fecerit: ſed ſi Clericus deliquerit, tradatur Epiſcopo, vt ſecundum iudicium Cleri tractetur. Statuit etiam Rex Franciæ IV. (Philippus) Quicunque fuerit Præpoſitus Pariſius, iubet quod fidem ſeruabit Clericis ſalua fidelitate Regis. Similem locum obſeruo in ſimili controuerſia inter ſcholares & Ciues Oxonienſes in Anglia apud Mathæum Pariſienſem in Ioanne I. *Receſſerunt*, inquit, *ab Oxonia ad tria millia Clericorum* tam Magiſtri quam Diſcipuli, ita quod neque vnus in omni Vniuerſitate remanſit. Ex his apparet apud authores illius ſeculi *Scholares* Clericorum nomine cenſeri. Et hoc nomen etiam hodie retinet in vrbe Pariſienſi Pratum ſcholarium quod vulgo *Le Pré aux Clers* dicitur.

Addere potuiſſet Coſtanus authoris de Diſciplina ſcholarium authoritatem, qui c. 4. ſic habet: *Ne paupertatis Faculatati præſentis operis deroget ſimplicitas*, confundat deſperatio, affligat deſolatio, quoddam *Clericorum* naturæ commune dignum duximus examini committendum. Quem locum nemo eſt, qui non intelligat & interpretetur de Scholaribus. Addit enim. *Cum autem ſcholaris egeſtas* &c. Et Thomas commentator in hunc locum. Hæc eſt 2. pars Principalis huius Capituli, in qua poſtquam Boëtius determinauit de ſagaci *Scholarium* prouiſione &c. Petrus Abaëlardus de calamitate ſua loquens. *Maximè vero Clerici & præcipuè ſcholares* noſtri intolerabilibus me lamentis & eiulatibus cruciabãt. Et clarius Fulco Diogillenſis Epiſtolâ conſolatoriâ ad Abaëlardum. *Plangit* liberalium Canonicorum ac nobilium *Clericorum* multitudo. Et poſtquam Petrus idem Monachum induit, *ad me confluentes Clerici.* Godefridus in vita Bernardi de conuerſione ſcholarium per B. Bernardum, *rogatu Clericorum* ingreſſus eſt de more ſcholas eorum. Similiter Philippus ab eleemoſyna, de celebritate & frequentia Scholarium Pariſienſium agens Ep. 5. ad Heroaldum, *hic*, inquit, tantus concurſus, *tanta frequentia Clericorum*, vt contendat ſupergredi numeroſam multitudinem Laicorum.

Sed vt ad prædictæ Decretalis interpretationem redeamus, pergit Coſtanus in hunc modum.

Quod igitur ait Cæleſtinus III. cauſas pecuniarias Clericorum Pariſius commorantium, accipiendum eſt de Clericis ſtudiorum cauſâ Pariſius commorantibus, in inſcriptione Cap. ex litteris ſupra de *Conſtitutionibus, in quo tractatur de ſtatutis Vniuerſitatis Pariſienſis: Magiſtri Pariſius commorantes ſunt Doctores vel profeſſores omnium ſcientiarum & Diſciplinarum Vniuerſitatis Pariſienſis.* Nam vt Rigordus Medicus & Hiſtoriographus Philippi Auguſti ſcribit in eius vita, florebant tunc Pariſius omnium Diſciplinarum ſtudia, nec legimus tantam aliquando fuiſſe fre-

„ quentiam Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum præ-
„ dictum ſtudiorum cauſâ incolebat &c. *Huius celeberrimi Conuentus* maior pars
„ *Clerici* erant, & qui non erant, *Clerici* cenſebantur & dicebantur, vt pote ſub
„ Eccleſiaſtica diſciplina conſtituti. Et ſolebant in Commune de rebus & negotiis
„ Vniuerſitatis ſummum Pontificem conſulere & ex eius nutu pendere: vt do-
„ cet d. Cap. ex Litteris, & Cap. Quia ex Cauſis. ſupra de Procuratoribus.

„ Et proculdubio Priuilegium hoc à Cœleſtino III. impetrarunt Clerici Pariſien-
„ ſes, de quo in hoc Cap. cuius inſcriptionem non extare dolendum eſt. Scriptum
„ tamen fuiſſe ad Epiſcopum Pariſienſem in gratiam Vniuerſitatis Pariſienſis inſi-
„ nuare videtur vetus Gloſſa Laurentij, qui hoc conceſſum fuiſſe Epiſcopo Pari-
„ ſienſi ait ratione temporalis iuriſdictionis, quam habet in vrbe Pariſienſi & gerit
„ vicem Comitis. Vnde inquit Panormitanus, præco Bannum, ideſt proclamatio-
„ nem publicam nunciat nomine Epiſcopi & Regis. Iuriſdictionem quondam tem-
„ poralem in dicta vrbe habuiſſe Epiſcopum ex hiſtoria certum eſt. Philippus enim
„ Archidiaconus Pariſienſis, filius Ludouici Craſſi & frater Ludouici Iunioris, qui
„ Petrum Lombardum hominem Italum, ſed eruditiſſimum, qui vulgo dicitur
„ Magiſter Sententiarum, in electione Epiſcopatus Philippo fratri prætulit etiam
„ ipſo Philippo annuente, *hic*, inquam, *Philippus Archidiaconus* ex paterna ſuc-
„ ceſſione partem Vice-comitatus Pariſienſis accepit, quam deinde donauit Epiſ-
„ copo & Eccleſiæ Pariſienſi. Sed hæc non eſt vera ratio huius priuilegij, vt con-
„ ſtat ex antiqua Decretali. Huius enim iuris ſingularis fucatum colorem ſiue præ-
„ textum repetit Cœleſtinus III. ex lege vltima Cod. Theodoſ. de Epiſ. Iud. cuius
„ etiam truncata verba vſurpauit; & ex vetuſtioribus Conciliis, quæ *Cauſas Cle-*
„ *ricorum* generaliter cenſebant in foro Eccleſiaſtico eſſe tractandas: vt
„ quod olim receptum fuiſſe videtur & variè mutatum fuit, ſaltem obtineat fauo-
„ re *Clericorum* ſtudiorum cauſâ *Pariſius* commorantium.

Quod euidentius expreſſum fuiſſe in integra Decretali quam non habemus, veriſimile eſt; vt in reſcripto Alexandri IV. pro ſcholis Dominicanorum Pariſienſium patet, cuius pars extat in Notis Sirmondi ad Epiſtolas Alexandri III. apud Petrum Cellenſem. *Inſuper ſtatuimus vt ſcholares omnes tam Religioſi de Prælatorum ſuorum licentia Pariſius ſtudij gratiâ quandolibet commorantes, quàm etiam ſeculares, vbicunque voluerint lectionibus vel prædicationibus audiendis ſiue Queſtionibus diſputandis liberè valeant intereſſe.*

Pergit idem Coſtanus & vltimum verbum huiuſce conſtitutionis explanat: quærit enim quare in plurali numero dicat Cœleſtinus *Decidatis*, & reſpondet hanc Bullam ad Epiſcopum Pariſienſem & Abbatem San Genouefianum directam, quos Scholarium iudices eſſe voluit Cœleſtinus: nec absre: tunc enim temporis Scholares vtriuſque iuriſdictionis tam ſcilicet Epiſcopalis quàm Abbatialis loca occupabant: pars enim in Clauſtro & locis vicinis, pars in Monte & & oppido San-Genouefiano litterarum profeſſionem exercebat. Nec minus San-genouefiani in ſuo fundo forum habebant, quàm Epiſcopus in ſuo. Sic ergo ille.

Omnino igitur cauſas Clericorum pecuniarias, ſi quas habeant contra aliquos, vel
„ aliqui contra eos, ſtatuit Cœleſtinus ab Epiſcopo ſecundum Ius Canonicum eſſe
„ decidendas, non ſecundum conſuetudinem Pariſienſem, vt eſt in antiqua De-
„ cretali. Sed quia ait in plurali *Decidatis*, manifeſtum eſt hoc caput non ad ſolum
„ ad Epiſcopum Pariſienſem, ſed ad alium quoque Prælatum ſcriptum fuiſſe.
„ Et veriſimili coniectura ductus cenſeo adiunctum fuiſſe Epiſcopo Abbatem S.
„ Genouefæ, ad quem ſcriptum eſt caput *Licet* 1. de *præbendis*: quo permiſſum
„ fuit ſtudiorum cauſâ Canonicis abſentibus prouentus præbendarum percipere
„ exceptis diſtributionibus quotidianis. Et notiſſimum eſt etiam hodie Abbatem
„ S. Genouefæ in Vniuerſitate Pariſienſi habere proprium Cancellarium, qui vul-
„ go dicitur *Cancellarius Artium*.

„ Ad hos igitur vrbis Pariſienſis Prælatos ſcriptum videtur hoc Caput, quibus
„ Cœleſtinus delegat cognitionem Cauſarum Ciuilium Clericorum ſiue Schola-
„ rium. Et quod dederat Cœleſtinus ſcholaribus in Cauſis pecuniariis, Philippus
„ Auguſtus poſtea in criminalibus conceſſit, vt ſupra ex Rogerio Houedenſi do-
„ cui. Et ante Fridericus I. hoc conceſſerat Scholaribus, vt coram Epiſcopo, vel
„ coram Domino, vt loquitur, id. Doctore vel Magiſtro conueniri tantum poſſent.

Authent. *Habita.* Gap. ne filius pro patre. Huiuſque Priuilegij vſum quendam ſub Alexandro III. in hoc Regno licet obſeruare ex Ep. 51. eiuſdem Alexandri III. ad Petrum Cellenſem, deinde Abbatem S. Remigij & Fulconem Decanum Remenſem de controuerſia orta inter preſbyterum de Burgo S. Remigij & ſcholares Remenſes.

In quo, inquit, *iidem ſcholares* libertatem ſuam plurimum fuiſſe læſam proponunt, cum ſe aſſerant libertatem habere, vt nullas in eos violentas manus iniicere aut Eccleſiaſticam ſententiam audeat promulgare, donec cum Magiſtro ſuo velint iudicio ſtare &c. hancq; libertatem in fine Reſcripti nominatim confirmat his verbis. *Prohibeatis omnibus ne præfatos ſcholares contra libertatem eorum in aliquo moleſtare audeant, vel grauare quandiu coram Magiſtro ſuo parati ſunt Iuſtitiæ ſtare.*

Priuilegium aliud De non trahi extra muros.

Hocce Cœleſtini Priuilegium ex alio pendere videtur. Quod Maiores noſtri vocabant *de non trahi extra muros Pariſienſes*: quo Scholares Pariſienſes immunes erant à foro externo, ſeu non tenebantur ſe ſiſtere apud alios iudices quàm apud eos quos habebant Pariſiis. Et iuxta illud Stephanus dictus poſtea Tornacenſis Epiſcopus commendat Willielmo Senonenſi, deinde Remenſi Archiepiſcopo Clerici cuiuſdam cauſam, qui cum ſtudiorum causâ abeſſet, in Laïco foro litem habere coactus eſt fruſtra excipiens ſe non poſſe litigare in eo, propterea quod Scholarium Priuilegio gaudebat, & gaudere debebat; ac proinde cauſam ſuam remittipoſtulabat ad forum Eccleſiaſticum & ad locum vbi ſtudiorum cauſa degebat. Rogat igitur Stephanus Archiepiſcopum vt authoritatem ſuam huic rei interponat, iuſtamque abſentiæ cauſam eſſe pronunciet, quæ ſtudiorum cauſa contingit, neſi aliter iudicetur, graue detrimentum ſcholares omnes patiantur, cum non ſit deincepsvllus futurus, qui ad ſtudia peregrè proficiſci velit, ſi in patria litigare cogatur, & de bonorum ſuorum amiſſione periclitetur. Sic ergo ille ad Vvillielmum Senonenſem Archiepiſcopum.

Profeſſioni ſimul & conditioni Præſentium latoris compatiens & reuereor Clericum & pauperem deamplector. Ad beſtias depugnat in Laicorum foro, contra Laicum de paterna hereditate litigans, iudices habens eos qui & non nouerunt Litteras & Litteratos oderunt. Veſtrâ, pater, ſententia non minus æqua quam iuſta coram vobis agentem Clericum in illius remiſit Curiam, cuius annua functione ſenſum poſſeſſio profitetur. Eo ſaluo prolata eſt definitio veſtra, vt *cauſa ſtudiorum* qua contigit eum abfuiſſe, non debuerit offuiſſe. In contrarium nititur iudicare turba maledica, ne dicam maledicta, quæ neſcit legere. Quartò conuenerunt litigantes coram iudice, & quartò filij hominum qui iudicant terram, vt vulgariter loquitur, iudicium reſpectarunt. Pro certo didicimus eos non minus impudenter quàm imprudenter primo conſeſſu iudicaturos *Cauſam ſtudiorum non eſſe iuſtam abſentiæ cauſam:* ob quam aut ipſo iure non fuerit læſus, aut reſtitui mereatur, cuius abſentis & ſtudentis hereditas diſtracta eſt. Si ſic eos proferre contigerit, & iuri communi contrarium, & ſententiæ quam dediſtis, vt inimicum refragabitur & iniquum. Sed ad conſequentiam trahi poterit in cauſis conſimilibus, PATER, vt iam non ſit QVI CAVSA SCHOLARVM PATRIOS LARES EXEAT. Ne dum facultates quæſierit temporales, facultates amittat liberales. Forte ſic melius, *ne dum facultates quæſierit liberales* (id. artes & ſcientias) *facultates amittat temporales.* Placeat vobis Pater in hoc articulo conſilium & auxilium dare non huic tantum Clerico, ſed & omnibus aliis, quoniam communis cauſa eſt omnium & propria ſingulorum. Bene valeat ſanctitas veſtra.

Hæc forte lis & aliæ ſimiles quibus Scholares à Laicis iudicibus grauabantur, occaſionem Cœleſtino dederunt Priuilegij prædicti concedendi *Clericis Pariſienſibus* vt in cauſis pecuniariis non alios iudices conuenire tenerentur, quàm Epiſcopum Pariſienſem & Abbatem San-Genouefianum. Nam quod lis illa de qua loquitur Stephanus, Cœleſtini priuilegium præceſſerit, luce meridiana clarius patet: de ea enim ſcribit ad Vvilielmum Senonenſem Archiepiſcopum qui ab anno circiter 1170. vſque ae an. 1175. Archiepiſcopatum tenuit.

Anno 1195. M. Guarinus Abbas San Albanus ſcientiâ & moribus præditus fato functus eſt, cum ſediſſet annis vndecim, menſibus octo totidemque diebus teſte Mathæo Pariſienſi. De eo deque fratre Mathæo & Guarino nepote ſupra ſatis multa. Ei autem ſucceſſit M. Ioannes de Cella vir maximæ Religionis & ſcien- 1195.

tiæ, in conſortium Magiſtrorum Pariſienſium allectus, qui 3. Kal. Auguſti à Richardo Londonienſi Epiſcopo conſecratus eſt in Abbatem. Quis autem ille vir fuerit & quantæ litteraturæ, idem Mathæus deſcribit in lib. de vitis Abbatum San-Albanenſium, quorum ille fuit ordine 21. Sic ergo ille.

" *Ioannes huic* (id. Guarino) *ſucceſſit*, in ſeculo ſecularis, dictus Magiſter Ioannes
" de Cella non procul à Viculo qui Stodham dicitur, ex mediocri proſapia oriun-
" dus. Vir eximiæ pietatis, amator ordinis & vigoris diſciplinæ Clauſtralis. Hic in
" Iuuentute *Scholarum Pariſienſium* frequentator aſſiduus ad *Electorum conſortium Ma-*
" *giſtrorum* meruit attingere, vnde cum virilis eſſet ætatis in Grammatica Priſcianus,
" in Metrico Ouidius, in Phyſica cenſeri potuit Galenus. Hic aſſumpto Religionis
" habitu adeo de die in diem profecit in melius, vt de virtute in virtutem adſcen-
" dens ad Prioratum Walingfordiæ regendum ſit vocatus, & tandem præclaris me-
" ritis ſuis exigentibus in Abbatem Eccleſiæ S. Albani feliciter ſublimatus. Hic
" more Scholarium rei familiaris ignarus ſtudiorum contemplationem & oratio-
" num continuationem amplectens, optimam partem Mariæ prælegit, Marthæ
" ſolicitudinem poſtponendo.

Eodem anno Cœleſtinus per Michaëlem de Corbolio Senonenſem Archiepiſcopum urget Philippum Regem, vt legitimam vxorem, quam dimiſerat, recipiat; ſententiam diuortii quam Vvillielmus Remenſis Archiep. Beluacenſis & & Carnotenſis Epiſcopi inconſultâ & non aditâ prius Romanâ Curiâ tulerant, irritam facit improbans omnino cauſas conſanguinitatis quas Rex prætexebat. Sic ergo ille apud Radulfum de Diceto.

Cœleſtinus Ep. S. S. D. Ven. fratri M. Senonenſi Archiep. Sal & Ap. Ben. Cum in Regno Galliæ Catholici ſemper æquitatis cultores diuinâ fuerint Principes inſtitutione promoti à ſacroſancta Rom. Eccleſia, cuius fidem & vnitatem ſeruarunt quædam ſit prærogatiua priuilegium benedictionis & gratiæ cõſecuti. Quorum quidem exaltationem & gloriam Nos etiam adhuc in minori officio conſtituti & libenter promouimus & libentius conſuluimus promouendam. Nunc autem in Apoſtolatus culmine prouocati chariſſimum in Chriſto filium noſtrum *Philippum Illuſtrem Regem Franciæ* recolendæ memoriæ prædeceſſorum ſuorum tam bonitate quàm prudentia ſucceſſorem paternæ ſumus Charitatis brachiis amplexati, dignis eum titulis honorare & quantum cum Deo poſſumus exaltare propenſius cupientes. Cæterum cum fama hilaris & iocunda de matrimonio inter Chariſſimos filios noſtros in Chriſto prædictum Illuſtrem Franciæ Regem & Reginam illuſtrem ſororem Chariſſimi in Chriſto filij noſtri K. Regis Danorum Illuſtris ſolenniter & rite contracto prius ad notitiam ſedis Apoſtolicæ peruenisſet, & poſtmodum de ipſo matrimonio ad prauam ſuggeſtionem quorundam tale quid ordine turbato non ſine honeſtatis Eccleſiaſticæ læſione fuiſſe præſumptum audiuimus, de quo & propter iniuriam Deo & propter infamiam conſulentibus & conſentientibus irrogatam non modicum contriſtamur. Et quidemſi magnitudo Regia conſideraſſet attentius, attendiſſent & ſecum nihilominus qui huius præſumptionis cooperatores fuerunt, quantum ſit Matrimonij ſacramentum, non fuiſſet vt credimus, hoc modo proceſſum. Conſtat enim cuique Diuinam paginam reuoluenti, quòd ipſe Dominus Matrimonium inſtituit, & in paradiſo ante peccatum ad officium propter ſobolem propagandam dicens *Creſcite & multiplicamini & replete terram*: & extra paradiſum ad remedium poſt peccatum propter fornicationem, vnde ipſe primus homo ſpiritu ſancto afflatus, inquit, *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem & adhærebit vxori & erunt duo in carne vna.* Quãta ſit etiam Matrimonij dignitas & quàm circonſpecta ad tractandum de eo procedere grauitas, Dominus innuit, *Qui cum interrogatus fuiſſet*, ſi licitum eſſet vxorem dimittere, & quæſitum eſſet ab eo ſuper hæreditate duorum fratrum communiter diuidenda, in vno tacens & in altero ſic reſpondens, *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam præter cauſam fornicationis, mœchatur.* Per hoc nimirum oſtendit, quod Eccleſia in cognitione matrimoniorum quaſi cæteris difficiliori, cum maiori quam in aliis procedere debeat grauitate. Et cum ipſe alibi dicat, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, aduerti poteſt quàm grauiter ille delinquat & quantum ſit ei ab ira ventura timendum, per quem tanti ſacramenti Chriſti & Eccleſiæ religio perturbatur. Præterea non eſt à temeritatis vitio alienum, quod in tam ar-

duo & difficili negotio non fuit cenſura ſedis Apoſtolicæ requiſita, per quam vel ipſum Canonicè finiretur, vel committeretur aliquibus, qui idem ſeruato iuris ordine ſecundum ſtatuta Canonica terminarent. Hic reuera contra SS. Patrum veneranda Concilia proceſſum eſt manifeſtè, qui maiores & difficiliores quæſtiones ab Vniuerſis ad ſedem Apoſtolicam cenſuerunt debere perferri, quod vſque in hodiernum diem non ſolum à Gallicana Eccleſia, præter quam in præſenti articulo, verum etiam à longè remotioribus deuotiſſimè obſeruatur. Vt autem inde aliquantulum ordiamur, nonne hoc negotium de præcipuis & magis arduis vnum eſſe dignoſcitur: vt poſt quod tam inter eximas regales perſonas & à progenitorum regali proſapia deſcendentes ſuper cauſa tam difficili vertitur, vt ſecundum ſtatuta Patrum deberet auditorio Rom. Eccleſiæ reſeruari. Si hoc & alia priuilegia huius ſedis B. Petri cui nos licet immeriti præſidemus, quęque remotiſſimi etiam Barbari cuſtodiunt illibata, quanto diligentius ea ſeruare tenentur conſtituti proprius & Latini & qui de beneficiis prædictæ ſedis copioſius & frequentius ſuſtentantur? Non vtique mediocriter errat qui Priuilegio B. Petri obuiare non timet & Canonicis ſanctionibus contraire. Verum Prælati Eccleſię, qui huic rei fauorem aut conſilium præbuerunt, etſi non ob aliud, ſaltem metu pœnæ debuerunt ab huiuſmodi abſtinere & illud ſpecialiter ſollicita mente reuoluere, quod in ſacris Canonibus de Theugaldo Treuerenſi, Gunthario Colonienſi Archiepiſcopis legitur, qui depoſitionis ſententia meruere percelli pro eo quod in matrimoniali cauſa Lotharij Regis & Thebergæ vxoris eius normam æquitatis nequiter temerarunt ſanctiones Canonicas exceſſerunt. Quod vero hic fuerit æquè vel magis exceſſum, ex ipſa rei euidentia demonſtratur. *Nam cum Regina per verba præſentis temporis expreſſo vtrinque conſenſu hinc inde primo præſtitis iuramentis ſacerdotali benedictione ſicut eſt conſuetudinis, accedente, poſtquam fuit in Reginam inuncta & honorificè coronata, præfato Regi matrimonialiter copulata & etiam cognita, ſicut fertur, nihil debuit contra ipſam indefenſam & ignorantem quid penitus ageretur, vt pote linguæ Francorum ignaram, tam inordinabiliter à quoquã attentari.* Nos vero qui ipſum Regẽ Catholicum & Eccl. Rom. valde deuotum ab inclytę memoriæ progenitoribus ſuis ſpecialiter in viſceribus Charitatis habemus, volentes animæ ſuæ ſaluti & integritati famæ magis conſulere quàm ei male ſuadentium ſatis facere voluntati, *per Dilectum filium Cenſium* (Card.) *ſubdiaconum noſtrum Apoſtolicæ ſedis legatum* ad hoc ſpecialiter miſſum & litteras noſtras, rogauimus excellentiã eius, monuimus & attẽtius fuimus exhortati, ac ei in remiſſionem iniunximus peccatorũ, vt illud Euangelij attenta conſideratione reuoluens, quo dicitur *nihil prodeſſe homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, dum tempus haberet, de animæ ſuę ſalute eſſet ſolicitus, & prædictam vxorem ſuam quam à ſe conſilio iniquo amouerat, quamque generoſitatis egregiæ ac multæ decus honeſtatis adornat, maritali affectione tractaret, nec illis aures contra hoc accommodare curaret, qui quæ ſua ſunt non quæ I. C. quærentes, ad imitationem hominis inimici qui in agro bene ſeminato zizania reſperſit, pro lucro reputant, ſi poſſint inter aliquos odium & diſcordiam ſeminare. Sed idem Rex Legatum prædictum & litteras noſtras deuotione quâ decuit, ſicut accepimus, non recepit. Nos autem ſicut nouit Dominus, licet propter hoc ſimus conturbati, pro ſalute tamen animæ eius, de qua nos oportet propenſius cogitare, amplius contriſtamur volentes ipſum ea ſemper efficere quæ & creatori ſuo placere debeant & ſuæ animæ diſpendium non incurrat. Inde eſt quod publicum inſtrumentum ſuper Genealogia ex parte venerabilium fratrum noſtrorum Lundenſis Archiepiſcopi & Suffraganeorum eius nobis tranſmiſſum & famam publicam attendentes, ſententiam illam diuortij contra ordinem iuris prolatam de fratrum noſtrorum conſilio caſſantes & penitus irritantes fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus ſi ſupradictus Rex ſuæ conditionis oblitus eâ viuente aliquam ſuperducere forte voluerit, vos authoritate freti Apoſtolica id eidem inhibere firmiter procuretis. Datum Laterani 3. id. Martij Pontificatus noſtri an. 5.

Cum prædicto Cenſio (Gaguinus Cecinum vocat) Rom. Eccleſ. Cancellario legationem obiit M. Melior Cardinalis in Francia notiſſimus, vbi ſtudiorum curſum confecerat, & Magiſterium conſecutus fuerat. Tale autẽ fuit initium importuni diſſidii inter Pontificem & Regem, quod Regno exitiale prope fuit. Eodem

anno Richardus in Angliam redux, deſolatum factionibus Regnum ſuum reperiens, contra Ducem Auſtriæ mali authorem à quo captus & detentus fuerat, ad Cœleſtinum Papam legatos mittit, qui talem ad eum orationem habuerunt, vt legitur apud Mathæum Pariſienſem. *Pater Sancte*, ſalutat Excellentiam veſtram " Dominus noſter Rex Anglorum Richardus & poſtulat ſibi iuſtitiam exhiberi de " Duce Auſtriæ, qui ipſum de peregrinatione ſua tam laborioſâ reuertentem cepit, " & aliter quàm tantum Principem decuit, afflixit, Imperatori, ac ſi bos eſſet vel " aſinus, vendidit. Qui poſtmodum ambo regnum eius intolerabili redemptionis " debito contriuerunt. Ipſi inſuper à Chriſtianæ fidei legibus non alieni in tali caſu " Regi detento grauiora exercuerunt iudicia, quàm ipſe Saladinus faceret, ſi in ma- " nibus ipſius per ſimile infortunium incidiſſet: contra quem ipſe. Rex à finibus " terræ, relicto regno nuper adepto, relictâ patriâ, parentibus & amicis dimicatu- " rus aſcendit. Sciret forſitan Regis generoſitati ſimul & probitati, ſiue Maieſtati " nimirum deferre; cui illa gens Barbara & ceruicoſa deferre neſciuit? Sed fortaſ- " ſe hoc fecerunt, vt tanti Regis captio pro laudabili victoria imputaretur, cum nun- " quam ipſum bello appetere præſumpſiſſent, ſi bellico ſuo exercitu vallatus fuiſ- " ſet. Nec ſibi Regis deiectionem exiſtiment imputari, ſed Diuinæ potius diſpen- " ſationi, ad cuius nutum rota etiam fortunæ hunc humiliat & hunc exaltat, hunc " deiicit & hunc attollit. Mouet præterea non mediocriter Dominum noſtrum " Regem, quod ſub pace & protectione veſtra omnibus peregrinis vſque ad trien- " nium conceſſa & in pœnam excommunicationis inflicta & firmata, ipſum à pere- " grinatione venientem & iterum redire diſponentem ceperunt, atque ſub cuſto- " dia carcerali detradentes, ad grauiſſimam redemptionis ſummam coëgerunt. Iu- " beat ergo excellentia veſtra, vt obſides Domini noſtri Regis, qui adhuc pro parte " redemptionis, quæ ſoluenda reſtat, detinentur in vinculis, liberos exire Dux ille " permittat & pecuniam illam quam à Domino noſtro excommunicatus recepit, " ex integro reſtituat, nec non ſibi ſuiſque illatam iniuriam digna ſatisfactione " emendet.

His auditis Papa Legatos ad Ducem Auſtriæ mittit, poſtque trinam admonitionem cui Dux parere recuſauit, ipſum nominatim excommunicat, generatim vero illos omnes qui in Regem Regiſque Comites manus iniecerant. At Henricus Imperator ad expiationem criminis Comitiis Generalibus Vormaciæ habitis, expeditionem Hieroſolymitanam propoſuit, ſeque primum inter Cruce-ſignatos conſcribi voluit. Nec defuit tam ſancto propoſito Richardus Rex, qui ſi per bella Francica & Ciuilia licuiſſet, eiuſdem expeditionis ſocium ſe præſtitiſſet. In hanc rem Cœleſtinus ſcripſit ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum Legatum à ſe in Anglia conſtitutum: quem virum quanti fecerit indicat litteris ad Eboracenſem Archiepiſcopum directis *Communi fratrum noſtrorum conſilio decreuimus, vt venerabilis frater noſter Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus, de cuius meritis & virtute, ſapientia pariter & doctrina Eccleſia congaudet Vniuerſalis, miniſterio Legationis accepto vices noſtras ad honorem Eccleſiæ, totius Regni ſalutem & pacem per totum Regnum Angliæ, non obſtante priuilegio vel exceptione, tibi aut Eccleſiæ tuæ frater Archiepiſcope, vel alij facto libere exequatur.*

Ad Hubertum verò eiuſque Suffraganeos idem Cœleſtinus ſcripſit pro negotio Terræ ſanctæ. *Hæc tibi frater Archiepiſcope, oneris huius laborem duximus iniungendum, mandantes vt apud Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Illuſtrem Anglorum Regem, qui Terram ſanctam ſub trium ſtatuit treugis annorum, vt ad defenſionem illius terræ milites bene inſtructos tranſmittat: aſſiduiſque exhortationibus elabores Prouinciam circumiens Anglicanam, opportunis & importunis prædicationibus inſtes, vt pro defenſione Chriſtianitatis aſſumpto Crucis ſignaculo terram viſitent tranſmarinam.* Narrat deinde Mathæus Richardum Regem adeo huic operi inſtitiſſe, vt etiam prædicatoris officium obierit, quo plures ad ſumendam crucem excitaret.

De Remenſi Eccleſia Canonicis.

Hiſce temporibus Canonici Eccleſiæ Remenſis, qui hactenus iuxta inſtitutum Eccleſiæ & priſcorum temporum rationem, communem menſam habuerant, ſeu conueſci conſueuerant, voluerunt more nouo & adinſtar aliarum Eccleſiarum portiones ſuas ſibi habere, priuatamque menſam & ſeorſim ſinguli à fratribus, atque ita Cœnobitica & vere Canonica vita relicta priuatam agere & ſolitariam. Nam olim Canonici omnes Communia Clauſtra, Communia hoſpitia, commu-

nemque menſam habebant etiam ſeculares, & Decanum ſeu Abbatem ſibi præficiebant, vt circa huius ſeculi initia oſtendimus exemplis S. Victoris, S. Germani Antiſſiodorenſis & S. Marcelli: quæ Canonicorum Cœnobia Abbatiarum nomina præferebant, Decanum ſuum ſeu Præpoſitum, Abbatem appellabant. At inualeſcente luxu eorum plurimi à communi menſa receſſerunt ſuamque ſinguli habuerunt. In hunc vſque vero diem Remenſis Eccleſia veterem diſciplinam obſeruauerat, quam ne immutaret diſſuadet hac Epiſtola Stephanus Tornacenſis ad M. Radulfum de Serris Decanum Remenſem virum eximium Cantuarienſis Eccleſiæ olim alumnum, vt legitur apud Geruaſium in Chronico. Sic igitur Stephanus ex Ep. 35.

Suſtinete modicum quid inſipientiæ meæ, Pater, & ſacerdos magnus puſilli hominis commonitorium non contemnat. Exiit ſermo inter plures, quod antiqua patrum veſtigia ſacris inſtituta Conciliis & à glorioſa hactenus Remenſi Eccleſia diutius obſeruata Quidam ex vobis immutare contendunt, laminamque auream religioſæ conſuetudinis, quæ in fronte Eccleſiæ Metropoleos appoſita lucet omnibus qui in Regno ſunt, quadam ſingularitate ſtudeant delere, deiicere, conculcare. Singulari quodam priuilegio ſedes Remenſis inter alias Galliarum Eccleſias eminebat perſeuerans cum Apoſtolis in communione panis & oratione, & in ſociali communione ſacramentalem præferens maioribus erat ſpectaculum, minoribus documentum. Ex Reliquiis Regularium inſtitutionum duo ſibi loca derinuerant Cœnaculum Refectionis & Domum ſomni: in altero caſtigatam ſequentes abſtinentiam; in altero candidatam continentiam obſeruantes. Procedentibus vnanimiter de Miſſa ad Miſſam, de ſpirituali refectione ad corporalem præmiſſa inuocatione Dominica & ſigno benedictionis ſuper cibum extenſo reficiebant Conuiuæ Domini minus ventrem, quàm mentem, ſonante eis per *miniſterium* Lectoris Diuino eloquio. Nunc admonendo præceptis, nunc prohitionibus coërcendo: interdum adigendo minis & terroribus, nonnunquam blandiendo conſolationibus & promiſſis. O felices Epulæ, quæ non crapulam prouocant, ſed ſobrietati deſeruiunt: & poſtquam ſumptæ fuerint, gratiarum actione clauduntur derelinquentes alimoniam corporalem & conuiuis ſuis ſpiritualem fructum ſeruantes. In his & aliis obſeruantiis Regularibus incedebat Remenſis Eccleſia, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, amabilis ſuis, admirabilis alienis: ſi hæc immutari cœperint, quid dicet germana eius loco & ordine Germania, quæ inter alias Inſtitutiones Eccleſiaſticas refectionis adhuc & quietis fraternam communionem ſic obſeruat, vt modernam diſſolutionem non admittat? Clamabit vel compatiens vel inſultans, Quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus? Clamabunt & Gallicanæ Eccleſiæ diſpenſationis leuamen libentius admittentes, quàm auſteritatis rigorem. *Ecce Remenſis Eccleſia facta eſt quaſi vna ex nobis, conſortio ſuo verecundiam noſtram operiens, authoritate ſua negligentiam noſtram defendens.* Vterque Cantus iſte Epitaphium potius quàm Epithalamium eſt dicendum. *Vſurpabant ſibi hactenus nec immeritò Pariſienſis Ciuitas Doctrinam, Remenſis Eccleſia Diſciplinam. Illa vtramque* (forte vtcumque) *retinet quod incepit*; hæc, ſi declinare cœperit, periculo proxima eſt, & non longè à lapſu. Occurrite, *Pater*, expanſis brachiis & apertis viſceribus pernicioſæ nouitati reſiſtite, & virilem animum quem de vobis opinio prædicabat communis, erigite in certamen, ne iuuentuti ſingulariter, vt non dicam ſeculariter viuere volenti Decanus ſeneſcens obediat, ne quod abſit alicuius gloriolæ fauore vel affectu Quiſpiam conculcet in terra famam veſtram & gloriam veſtram in puluerem deducat. *Scio manſuetudinem Domini mei Remenſis Archiepiſcopi tantam eſſe, vt cum charitate quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, voluntati filiorum cito cedat, maximè cum Generalis Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudo ſingulares portiones Canonicis ſuis diſtribuendas concedat & approbet, & ſummi Pontificis authoritas non reclamet.* Sed verum ſcio tantam ipſius honeſtatem & prudentiã eſſe, quod antiquam Remenſis Eccleſię dignitatem conſeruabit in omnibus, & à concepto vt aiunt, inceptoque propoſito deſiſtet, ſi hoc ei cum aliquibus de ſacro Collegio veſtro perſuadere volueritis, & ne deformem hanc nouitatis formam inducat, vel admonere vtiliter, vel humiliter ſupplicare

Paulo ante hęc quoque tempora res accidit in Vniuerſitate Pariſienſi, mirabilis

Miraculum Scholaſtici Pariſ. redi-uiui.

de quodam Scholaſtico rediuiuo; qui deinde ad Ordinem Ciſtercienſem ſe conferens Abbas Morimundi fuit: vt ſe ex Hermanno Abbate Loci S. Mariæ didiciſſe teſtatur Cæſarius Heiſterbacenſis lib. 1. Exemplorum memorabilium cap. 32.

» Ante hos annos 24. (ſcribebat Cæſarius an. 1222.) *Abbas quidam Morimundi* » *fuit, quem alis neceſſitas ad ordinem traxit.* Quæ de illo dicturus ſum, ex relatione D. » Hermanni Abbatis Loci B. Mariæ cognoui, qui eundem Abbatem vidit, loquen- » tem audiuit atq; geſtus illius diligentiùs vt pote qui mortuus fuerat, reuixit, con- » ſiderauit. Cum eſſet Iuuenis, *cum cæteris Scholaribus ſtudebat Pariſius*, qui cum » eſſet duri ingenij labiliſq; memoriæ, ita vt nihil pene poſſet capere vel retinere, ab » omnibus irridebatur, ab omnibus idiota iudicabatur vnde cœpit turbari, multiſq; » doloribus cor eius affligi. Contigit vt die quadam infirmaretur; & ecce Sathan » affuit, qui diceret, *Si vis mihi facere homagium, dabo ſcientiam litterarum.* Audiens » hæc Iuuenis expauit, & Diabolo talia ſuggerenti reſpondit, *Redi poſt me Sathanas* » *quia nunquam eris Dominus meus, neque Ego homo tuus.* Et cum ei non acquieſ- » ceret, manum illius quaſi violenter aperuit, lapidemque imponens dixit, *Quan-* » *diu concluſum tenueris lapidem iſtum in manu tua, ſcies omnia.* Recedente inimico » Iuuenis ſurrexit, ſcholas intrauit, Quæſtiones propoſuit, omneſque diſputando » ſuperauit. Mirati ſunt omnes vnde Idiotæ tanta facundia, nouitas tam inuſitata. » Ille verò negotium celatum habuit, nec alicui hominum cauſam tantæ ſcientiæ » exponere voluit. Non multò poſt infirmari cœpit vſque ad mortem. Vocatus eſt » ſacerdos qui eius audiret confeſſionem: cui etiam inter cætera confeſſus eſt, quo- » modo à diabolo accepiſſet lapidem & cum lapide ſcientiam. Reſpondit Sacerdos, » *Proijce miſer artem Diaboli, ne expers ſias ſcientiæ Dei.* Territus ille lapidem, quem » adhuc manu tenebat, proiicit, & cum lapide fallacem ſcientiam poſuit. Quid » plura? defunctus eſt Clericus, & corpus eius poſitum in Eccleſia, ordinatis circa » ſe etrum Scholaribus qui more Chriſtiano pſalmos decantarent. Dæmones ani- » mam tollentes & ad vallem profundam & terribilẽ, fumumque ſulphureum eua- » porantem, illam portantes ordinabant ſe ex vtraq; parte vallis: Et qui ſtabant ex » vna parte, animam miſeram ad ſimilitudinem Ludi pilæ proiiciebant. Alij ex par- » te altera pe- aërem volantem manibus ſuſcipiebant: quorum vngues ita erant » acutiſſimi, vt acus exacutas omnéque acumen ferri incomparabiliter ſuperarent. » A quibus ita torquebatur ſicuti poſtea dicebat, cum eum iactarent vel exciperent, » vt illi tormento nullum genus tormentorum poſſet æquiparari. Miſertus illius » Dominus miſit neſcio quem, cœleſtemque perſonam, virum magnæ reuerentiæ, » qui Dæmonibus tale nuncium deferebat. *Audite. Præcepit vobis Altiſſimus, vt ani-* » *mam à vobis deceptam mittatis.* Mox omnes inclinantes ſimul animam dimiſerunt, » nec amplius tangere præſumpſerunt. Quæ reuerſa ad corpus, membra exanima- » ta viuificauit, viuificata erexit, *Scholares circumſidentes*, in fugam vertit deſcendenſ- » que de feretro ſe dicebat viuere & quid viderit, quidue audierit, magis opere quàm » ſermone manifeſtauit. Nam ſtatim Conuerſus in Ordine Ciſtercienſi tam rigidus » fuit ſibi, tam durus caſtigator ſui corporis, vt omnibus qui eum videre poterant, » patenter daretur intelligi, quia pœnas ſenſerit Purgatorij vel potiùs Inferni.

» Hiſtoriam hanc nil moror: ſed ex ea tamen intelligimus Scholares ex conſue- tudine & ſtatutis Vniuerſitatis Pariſienſis ad corpus defuncti ſocij conſueuiſſe Pſalmos Defunctorum decantare præſentibus magiſtris. Quod quidem ſtatutum ab Innocentio III. an 1215. confirmatum eſt his verbis. *Si quis obierit ſcholarium in Artibus vel in Theologia, medietas Magiſtrorum eat ad ſepulturam vna vice, & altera medietas aliâ: & non recedat, donec completa fuerit ſepultura, niſi rationabilem habuerit cauſam. Si quis obierit Magiſter in Artibus vel in Theologia, omnes Magiſtri interſint Vigiliis, Quilibet legat vel legi faciat Pſalterium. Quilibet moram faciat in Eccleſia vbi celebratur Vigilia vſque ad mediam noctem vel maiorem partem noctis, niſi rationabilis cauſa obſtiterit.*

Eodem anno, cum bella feruerent inter Francos & Anglos, afflixit Galliam Deus fame intolerabili: notantque Hiſtorici Rigordus & Brito ab anno 1194. ad annum fere 1197. quaſi perpetuam fuiſſe aëris commotionem; hoc verò anno præſertim tantam fuiſſe pluuiarum inundationem, vt ſegetes antequam meti poſſent, in ipſis ſpicis & folliculis germinauerint: inde tantam annonæ ſubſecu-

tam

tam caritatem, vt ſextarius frumenti Pariſius ſex ſolidis vænierit, hordei, decem; mixtura, 13. aut 14. quæ ſumma tunc erat immodica. Regem autem Philippum pietate motum largiores eleemoſynas de ſuo erogari præcepiſſe; atque ad idem faciendum Epiſcopos, Abbates & vniuerſum populum per litteras commonuiſſe.

Hac occaſione Fulco Preſbyter Neulliacus inclareſcere cœpit, dum è ſacris ſuggeſtibus animorum ad Deum conuerſionem ſuadet. Vnde factum vt multi fœneratores, quorum tunc erat ingens numerus, perceptas ex vſuris pecunias pauperibus Chriſtianis reſtituerent. Erat autem ille Curio ſeu Parochus & Paſtor Curiæ Neulliacæ Diœceſis Pariſienſis, illiteratus & ignarus; quod probrum ſibi frequenter ab ouibus ſuis obiectum vt amoueret, ſtatuit eâ ætate quâ erat, frequentare ſcholas Magiſtrorum Theologiæ: & inter alios audiuit M. Petrum Cantorem tunc incredibilis famæ virum: ſub cuius diſciplina adeò profecit, vt poſt paulum egregius Concionator & Diuini Verbi præco euaſerit, animaſque innumeras, velut alter Paulus è barathro peccatorum ad meliorem frugem pietatemque conuerterit. Huic viro tam repente facto in egregium concionatorem ſe ſe adiunxerunt alij plurimi, quidam ocius, nonnulli ſerius: quorum in numero inſigniores iſti habiti ſunt, M. Petrus Cantor Fulconis Magiſter, M. Robertus de Curchon, vel Curthon, nonnulli Corceon, appellant, qui poſtea ad Cardinalatum ab Innocentio III. promotus eſt, & de quo dicetur amplius ſuo loco, M. Gualterus de Londonia, M. Stephanus de Langetona, poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis, M. Ioannes de Niuelle, M. Petrus de Ruſcia vel de Ruſciaco vulgò de Roucy, M. Euſtachius de Flay Abbas, & alij plurimi Magiſtri Pariſienſes, qui anno præſertim 1198. magno hominum concurſu publicè concionari, frequentari & pœnitentiam prædicare cœperunt. *Fulconis Hiſtoria.*

Hanc Hiſtoriam breuiter tangit Mathæus Pariſienſis. *Iſtis diebus*, inquit, *ſurrexit in Francia quidam Prædicator egregius, per quem Dominus virtutes palam operari dignatus eſt, qui vſuram in Francia maximè conatus eſt extirpare, quæ vſura in Francia ab Italia tranſiens nimis pullulauerat & nobile Regnum Francorum iam maculauerat. Nomen Prædicatori Fulco fuit, qui in Angliam quendam Religioſum ad deponenda tempora commercij diebus Dominicis Abbatem de Flay deſtinauit, qui veniens illud Inconueniens multis in locis deleuit.*

Eandem hiſtoriam fuſius refert Rogerius Hoüedenſis ſcriptor Anglus, qui circa an. 1240. obiit: ſic autem ille in Richardo I. ad an. 1198. *Eodem anno erat in Gallia quidam ſacerdos nomine Fulco, quem magnificauit Dominus in conſpectu Regum, deditque ei poteſtatem cæcos illuminare, claudos, mutos & alios diuerſis languoribus oppreſſos curare, Dæmones effugare. Hic autem meretrices relicto impudicitiæ fræno ad Dominum conuertit; vſurarios etiam ad cœleſtem theſaurum inuitans, quem nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures furantur, fecit omnem ſubſtantiam quam vſura & fœnus deuorauerat, in vſus pauperum diſtribuere. Ipſe quidem prædixit Regibus Franciæ & Angliæ, quod vnus illorum malâ morte in proximo interiret, niſi celerius ab hoſtilitate receſſiſſent. Et quia in illo tempore meſſis quidem erat multa & pauci operarij, coniunxit ei Dominus viros ſapientes, verba ſalutis æternæ prædicantes, M. Petrum & D. Robertum & D. Euſtachium Abbatem de Flay & cæteros quoſdam, qui miſſi per orbem terrarum prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Prædictus autem Fulco quadam die acceſſit ad Richardum Regem Angliæ & ait illi. Dico tibi ô Rex ex parte Omnipotentis Dei, vt tres filias tuas, quas habes peſſimas, citius marites, ne aliquid deterius tibi contingat. O digito compeſce labella. Accuſator erit qui verum dixit. Nemo ſine vitiis naſcitur, beatus qui minimis vrgetur. Et alibi. Nemo ſine crimine viuit. Cui fertur Regem reſpondiſſe. Hypocrita mentitus es in caput tuum, quia filiam non habeo vllam. Ad quod Fulco reſpondens ait: Certè non mentior, quia vt dixi, tres habes filias peſſimas, quarum vna eſt Superbia, altera Cupiditas, tertia Luxuria. Conuocatis igitur ad ſe Comitibus & Baronibus multis qui aderant, ait Rex. Audite vniuerſi commonitionem huius hypocritæ qui dicit me habere tres filias peſſimas, videlicet Superbiam, cupiditatem & luxuriam, & præcipit vt eas maritem. Do igitur ſuperbiam meam ſuperbis Templariis: & Cupiditatem meam Monachis de Ordine Ciſtercienſi, & Luxuriam meam Prælatis Eccleſiarum. O nimis indignum miſeris inferre cachinnum!*

Itaque prædictus Fulco relicto Rege abiit prædicans verbum Dei de Ciuitate

„ in Ciuitatem. Cumque prædicando verbum Dei Ciuitatem Lexouienſem eſſet „ ingreſſus, Clerici Ciuitatis illius, quorum vitam immundam vir ille plenus ſpi- „ ritu S. & operibus bonis reprehenderat, iniecerunt manus in illum & vinculis „ conſtrictum in carcerem miſerunt. Sed neque vincula neque carceres eum „ tenere potuerunt: & ſic permiſſus abire venit Cadomum prædicans præce- „ ptum Domini, & in conſpectu plebis multa ſigna faciebat. Cuſtodes autem Ca- „ ſtelli exiſtimantes quod placeret Regi, iniecerunt manus in eum & vinctum mi- „ ſerunt in carcerem. At ruptis carcere & vinculis exiuit illæſus & ibat gaudens, „ quoniam dignus habitus eſt contumeliam pati pro Chriſti nomine, & exiens è „ Caſtello excuſſit puluerem pedum ſuorum in teſtimonium ſuper illos.

Omnium autem fuſiſſimè & clariſſimè eandem hiſtoriam exponit Iacobus de Vitriaco, qui circa initia Regni Philippi Auguſti Lutetiæ litteris operam dabat, quique ex Preſbytero Argentolienſi factus eſt primum Acconenſis, deinde Tuſculanus Epiſcopus, demum Cardinalis an. 1230. ac proinde illos omnes prædicatores nouit aut noſſe potuit. Igitur ille in ſua Hiſtoria Occidentali cap. 6. ſic habet.

In diebus illis ſuſcitauit Deus Cæli ſpiritum cuiuſdam ſacerdotis ruralis, ſimplicis valde & illiterati de Epiſcopatu Pariſienſi, nomine Fulconis..... Erubeſcens autem quod „ Idiota eſſet & illiteratus & diuinas ſcripturas ignoraret, profectus eſt Pariſius, vt „ in ſcholis Theologorum aliquas authoritates & moralia documenta in tabulis „ ſuis, quas ſecum portauerat, ſcribendo colligeret, velut lapides limpidiſſimos ad proſternendum Goliam. Et cap. 8 de M. Petro Cantore verba faciens, qui Fulconis in Theologia Magiſter fuerat, ſic habet. *Quaſi cæleſtis tuba & Domini Cithariſta erat tunc temporis M. Petrus venerabilis Cantor Pariſienſis*, vir potens opere & „ ſermon..... de cuius fonte limpidiſſimo prædictus Fulco ſacerdos potare deſide- „ rans, cum tabulis & ſtylo ſeu graphio ſcholas eius humiliter eſt ingreſſus, quæ- „ dam verba moralia & vulgaria, quæ ſecundum capacitatem ingenij recipere & „ colligere ex ore Magiſtri ſui potuit, frequenter ruminando & firmiter me- „ moriæ commendando. Diebus autem feſtiuis ad Eccleſiam ſuam rediens, „ quod per totam ſeptimanam ſtudiosè collegerat, ouibus ſuis diligenter diſtribue- „ bat. Primò ſiquidem à vicinis ſacerdotibus vocatus & inuitatus cum timore & „ verecundia ſimplicibus laicis ſimpliciter & vulgariter ea quæ audierat, prædica- „ re cœpit tanquam Paſtor vellicans ſycomoros. Venerabilis autem & prudens Ma- „ giſter eius zelum & feruorem Diſcipuli ſui pauperis & illiterati ſacerdotis atten- „ dens, & fidem illius & deuotionem charitatis viſceribus amplectens, ipſum in præ- „ ſentia ſua *coram multis & Litteratis Scholaribus Pariſius in Eccleſia S. Seuerini compulit* „ *prædicare*. Dominus autem Nouo Prædicatori tantam dedit gratiam & veritatem, quod Magiſter eius & alii qui audierant, admirantes Spiritum S. in ipſo & per „ ipſum loqui teſtarentur. Et exinde alij tam Doctores quàm Diſcipuli ad eius ru- „ dem & ſimplicem prædicationem concurrebant. Alter ad alterum inuitabat & „ cortina cortinam trahebat dicentes, *Venite & audite Fulconem Presbyterum tanquam* „ *alterum Paulum.*

Cum igitur quadam die in ampla platea Pariſienſis Ciuitatis quæ vulgariter *Champel* appellatur, congregata coram ipſo tam Cleri quàm populi multitudine „ copioſâ Diuinæ prædicationis ſementem in agro Domini ſpargeret, aperuit os „ ſuum & Dominus adimpleuit illud, ſicut ſcriptum eſt, *Anima quæ impinguat im-* „ *pinguabitur*, & qui inebriat, inebriabitur, aperuit ei Dominus ſenſum, vt intellige- „ ret ſcripturas, & verbis eius tantam addidit gratiam, vt multi puncti & compuncti „ exutis veſtibus & pedibus diſcalceatis virgas ſeu corrigias in manibus portantes, „ ad pedes eius proſternerentur, peccata ſua coram omnibus confitentes, & eius „ voluntati & mandato ſe & ſua penitus exponentes. Ille autem Domino gratias „ agens, qui potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, omnes in oſculo pacis „ recipiens, militibus, vt neminem concuterent, ſed contenti eſſent ſtipendiis ſuis; „ fœneratoribus & raptoribus, vt pro poſſe ſuo omnia reſtituerent, iniungebat. „ Publicæ etiam Meretrices capillos ſcindentes conſuetam turpitudinem abnega- „ bant..... Fulco autem gratiam Dei non accipiens in vacuum, ſed talentum ſibi „ commiſſum diligenter & ſtudiosè multiplicare feſtinans, famem patiebatur vt „ canis & circuibat Ciuitatem. Quinimo per totum Franciæ Regnum & per ma-

gnam Imperij partem in impetu ſpiritus ſui diſcurrens, in ſpiritu vehementi naues Tharſis conterebat..... Confluebant autem & concurrebant à remotis regionibus vt audirent ipſum & cernerent quæ per ipſum Dominus operabatur mirabilia. In grabatis ægrotantium ferebatur multitudo, & ponebantur in viis & plateis per quas erat ipſe tranſiturus.

Deniq; poſtquam enumerauit plurima eius facta & miracula, ſubiungit, *Tantam autem* Dominus verbis eius contulerat authoritatem & gratiam, quod *Magiſtri Pariſienſ. & ſcholares* verſa vice tabulas & ſchedulas ad eius prædicationẽ deferẽtes verba ex eius ore colligentes ſcribebant: quæ tamen ita non ſapiebant in alterius ore, nec tantum fructificabant ab aliis prædicata. In omnẽ autem Chriſtianorum terram exiuit ſonus prædicationis ipſius, & fama ſanctitatis eius diuulgabatur vbique. Sed & Diſcipuli eius quos ad prædicandum mittebat, velut Apoſtoli Chriſti cum ſummo honore & reuerentia recipiebantur ab omnibus. Quidam autem ex eis M. Petrus de Ruſcia dictus maculam poſuit in gloria ſua. Ipſe enim qui perfectionis iter arripuerat & paupertatem prædicabat, occaſione prædicationis ſuffarcinatus eſt diuitiis & reditibus, & factus eſt Eccleſiæ Carnotenſis Canonicus & Cancellarius: & qui ex fumo lucem producere debuerat, ex luce fumum produxit. Et ob hoc non ſolum Doctrinam ſuam contemptibilem reddidit, ſed & aliis prædicti Fulconis Diſcipulis multum derogatum eſt in hoc facto. Vir autem ſanctus cum multas animas diebus ſingulis Domino lucraretur, tandem Crucis ſigno humeris ſuis affixo cœpit exemplo & verbo Principes & Milites cuiuſcunque conditionis homines ad Terræ ſanctæ ſuccurſum inuitare, adhortari & admonere. Sed & ipſe ex fidelium Eleemoſynis maximam cæpit congregare pecuniam, quam Pauperibus Cruce-ſignatis tam militibus quàm alijs propoſuerat erogare. Licet autem causâ cupiditatis vel aliqua ſiniſtra intẽtione Collectas iſtas non faceret, occulto Dei iudicio ex tunc eius authoritas & prædicatio cœpit valde diminui apud homines, & creſcente pecunia timor & reuerentia decreſcebat. Ipſe autem non multo tempore poſt acuta febre correptus in villa quæ dicitur Neully viam vniuerſæ Carnis ingreſſus eſt, & ibidem in Eccleſia Parochiali, cui præfuit, ſepultus eſt.

Verum de Fulcone & aliis Diuini, verbi præconibus infra recurret adhuc multiplex dicendi locus. Vitriacus prædictis quos enumerauimus, adiungit Abbatem de Perſonis (forte de Perſenia) Ciſtercienſis Ordinis, virum litteratiſſimum; M. Albericum de Lauduno Archidiaconum Pariſienſ. qui poſtea factus eſt Archiepiſc. Remenſis, M. Ioannem de Lirot & ſocium eius M. Ioannem de Niuella. Memorabile quoque eſt, quod notat Otho de S. Blaſio in appendice ad Othonem Friſing. c. 47. ſcilicet Fulconem illum ad prædicationis officium aſſumpſiſſe M. Petrum Cantorem virum apprimè eruditum, eique gratiam curationum à Domino impetraſſe, reliquos Magiſtros vt compendioſas & dulces & vtiles in timore Domini Diſcipulis facerent lectiones, adhortando. Et hinc manifeſtum eſt contra quàm multi ſcribunt, Fulconem non an. 1198. ſed hoc anno prædicationibus ſuis innoteſcere cœpiſſe. Siquidem M. Petrus Cantor aliquandiu cum eo concionatus, vt exemplum aliis daret conuerſionis ad Deum & abrenunciationis ſeculo ſincerè factæ, hoc anno aut certè initio ſequentis habitum ſumpſit Monaſticum apud Pontenellam, ſeu vt alij ſcribunt, apud Lôngum-pontem Ordinis Ciſtercienſis, & paulo poſt obiit, vt infra dicetur.

Anno 1196. menſe Februario tanta aquarum exundatio contigit, vt fluuij præter ſolitum alueos ſuos egreſſi plurima detrimenta plurimis intulerint: tanta vero præſertim Lutetiæ, vt Philippus Rex ad San-Genouefianam arcem, Mauricius ad S. Victoris Cœnobium confugere coacti ſint, qua de re ſic breuiter Mathæus. Sequana eodem anno metas ſolitas tranſgreſſa adeo Pariſienſes exterruit, vt Rex palatium relinquens cum filio Ludouico apud S. Genouefam hoſpitaretur, & Epiſcop. Mauricius apud S. Victorem. & poſt eum Thomas Vvalſinghamus. Aquarum inundatio ſubita, vehemens & fluctibus procelloſis inuoluens omnia circa Sequanæ adiacentia tam lignea quam lapidea Philippum Regem Francorum, Mauricium Pariſienſem Epiſcopum commorantes Pariſius non parum exterruit. *Vnde Rex relinquens Palatium cum domeſtica familia pernoctare decreuit apud S. Genouefam. Epiſcopus verò, vt ſibi prouideret & ſuis, apud S. Victorem quieuit.* 1196.

Narrat quoque Robertus Antiſſiodorenſis per idem tempus vehementem famem Gallias attriuiſſe, quæ per quatuor annos continues ita populos multiplici calamitate confecit, vt multi multis qui antea copiis floruerant, publicè mendicarent: nec modò quarumlibet frugum, ſed & vini & olei & ſalis, rerumque omnium quibus humana fragilitas indiget, grandis indigentia perurgebat. Hæc ille. Nec minus tamen Philippus & Richardus Reges odio implacabili & bello exitiali ſe inuicem inſectabantur.

Eodem quoque anno Philippus ſpretis minis Cœleſtini Pontificis & fulminibus vxorem duxit Mariam filiam Ducis Morauiæ & Bohemiæ, Marchioniſque Iſtriæ. Quæ nuptiæ magna Regno Gallicano mala etiam intulerunt.

Mort Mauricii Epiſc. Pariſienſis.

Eodem anno 3. idus Septembris obit ſummo omnium bonorum luctu Mauricius de Soliaco Epiſcopus Pariſienſis, ſepeliturque in medio Chori Abbatiæ San-Victorinæ. De eo dicitur, quod cum lethali morbo ſe correptum vidit, petito Viatico Panem non conſecratum, qui loco Dominici corporis inſcienti & non ſatis rationis tum compoti porrigebatur, optimè agnouerit & reſpuerit, Corpus vero Chriſti ſibi allatum adorauerit. Quæ tamen hiſtoria de alio ab aliis refertur. At de Mauricio Cæſarius Heiſterbacens. l. 9. cap. 43.

" M. Mauricius Pariſienſis Epiſcopus ante mortem ſuam tam grauiter infirmatus
" eſt, vt materia rapta in cerebrum, ſenſum ei ſubſtraxerit: in tali defectu poſitus
" cum Corpus Domini cum inſtantia poſtulaſſet, & hi qui circa eum erant propter ſenſus inopiam illud ei dare non auderent, procurauerunt cum ſacerdote vt
" hoſtiam non benedictam apportaret. Qui cum veniſſet cum multa reuerentia,
" qualiter decebat, Epiſcopum communicare, mox vt limen domus ſacerdos attigit, Epiſcopus clara voce clamauit *Tolle Tolle, non eſt Dominus meus.* Reuelauerat
" Deus auriculam eius, vt intelligeret quid circa ſe ageretur. Stupente ſacerdote
" nec non aliis qui aderant, reuerſus eſt verum Chriſti corpus deferens, *Quod cum*
" *verbis Catholicis valde atque compunctus adorans, deuotè ſuſcepit: cum quo & ſenſum ad*
" *Dei gloriam ſubtractum perfectè recepit, ſicque in bona Confeſſione plenus fide & Charita-*
" *te migrauit ad Dominum.* In eandem rem Poëta quidam contemporaneus hos verſus edidit, quos Nicolaus Camuzatus Trecenſis Canonicus ex M.S. codice luce donauit.

Migrat Pariſij Pater ad Patriam Paradiſi
Mauricius, Mundo Martha, Maria Deo.
Hic obit à quinta ieiunus luce viator,
Eſurit in vera carne videre Deum.
Offertur panis, quem clauſis ſenſibus intra
Spiritus inſpirat Corporis eſſe cibum.
Verbo, mente, manu Calicem Panemque repellit.
Et ſic cæleſti corripit ore dolum.
Illuſere mihi. Velut hoſpes poſtulo paſſum:
Paſſum ſub verâ poſtulo carne Deum.
Rem ſtupet Auditor. Offert venerabilis Abbas
Quod petit, occurrit mente manuque Pater.
Sentit adeſſe Deum, ferueſcit in oſcula, ſanctum
Vas tenet, & verum Corpus adorat ita.
Ecce ſalus mundi, verbum Patris, hoſtia ſacra,
Viua Caro, Deitas integra, verus homo.
Te Deus eſurio, quod non ſinis exteriorem
Te Deus interior ſumere poſſit homo.
Tranſeat ad dextram Patris Chriſti Caro, cum quo
Diſponit Patris Regna Redemptor homo.
Sic ſpes hic meruit rem præſentire, fideſque
Scire, videre Deum glorificandus homo.
Sic amor exarſit, ſic ſpes præſenſit, vt vna
Crederet & ſciret credita certa fides.

Nihil tamen ea de re nec Rigordus nec Robertus Antiſſiodorenſis propinquiores illius temporis. Rigordus hoc tantum de eius obitu ſcribit, quod cum hiſce

temporibus de reſurrectione mortuorum dubitaretur, ſchedulam pectori ſuo imponi voluerit continentem hæc verba, *credo quod Redemptor meus viuit.* Sic ergo habet. *Eodem anno 3. idus Septemb. Mauricius venerandæ memoriæ Pariſiorum Epiſcopus, Pater Pauperum & Orphanorum feliciter migrauit ad Dominum. Hic inter innumera bona quæ fecit, 4. Abbatias fundauit & propriis ſumptibus deuotiſſimè dotauit, videlicet Herivallem, Hermerias, Hederam, Giff & alia plura quæ longum eſſet hîc ponere. In fine tandem quidquid in re mãcipi habuit, pauperibus erogauit. Et quia reſurrectionem corporum de qua multos peritos ſuo tempore hæſitantes audierat, firmiſſimè credebat, cupiens illos ab incredulitate ſua etiam moriens reuocare, rotulum ſcribi mandauit huiuſmodi ſcriptum continentem.* Credo quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum, quem viſurus ſum Ego ipſe & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt; repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. *Hunc rotulum in extremis agens ſuper ſuum pectus extenſum à fidelibus ſuis & familiaribus poni præcepit, vt omnes viri litterati ad eius ſepulturam in die obitus ſui conuenientes & hanc ſanctam ſcripturam legentes, firmiſſimè communem omnium Corporum Reſurrectionem crederent & deinceps nullatenus dubitarent.* Vincentius in ſpeculo eadem verba refert, & Antoninus tit. 17. c. 9.

De Odone Soliacenſi Epiſcopo Pariſ.

Mauricio ſucceſſit Odo de Soliaco vir nobiliſſimus, Theobaldi Magni Campaniæ Comitis nepos, Archembaldi vero 1. Dynaſtæ Soliaci ad Ligerim & Mathildis de Baugency filius, ſtemmate materno ex auguſta Gente Regia Francorum & Comitum Viromanduenſium progenitæ; Henrici de Soliaco Bituricenſis Archiepiſcopi frater, & idem in eadem Eccleſia Cantor. Petri Bleſenſis amiciſſimus fuit: & ab eo diſcimus quis & qualis vir Odo fuerit in dignitatibus, quas geſſit atque etiam in ſcholis in quibus verſatus fuit. Sic enim ille de eo Ep. 126. ad R. Gloceſtriæ Abbatem, à quo rogatus fuerat per ſcribere, qui vir eſſet Odo Socenſis.

Queritis, inquit, *vtrum nouum* hunc Pariſienſem Epiſcopum nouerim, & quid « de vita & moribus eius ſentiam, & quid de ipſius electione audiuerim, vobis ſcri- « pto petitis aperiri. Curioſi hominis eſt ita inquirere. Sed ſcio quod veſtri Domi- « ni Henrici Beatæ memoriæ nuper Vvigornienſis Epiſcopi amor & deuotio inter « vos inquirere compellunt. Scitis enim quàm placidè, quàm deuotè totus ſpiritus « eius requieſcebat ſuper Odonẽ Cantorem Bituricenſis Eccleſiæ, eratque in votis « & deliciis eius ipſum cum fratre ſuo Bituricenſi Archiep. quoties ſe offerebat op- « portunitas, multiplici præconio recenſere. De vita ipſius quod noui: de ipſius « autem electione referam quod audiui. Mauricio piæ recordationis exempto de « corpore mortis huius, Pariſienſe Capitulum de alterius ſubſtitutione tractabat. « Erant quidam filij & hæredes Simonis Magi, qui licet Religionis Profeſſores, « multorumque inueterati dierum, cum pecuniis tamen quas congregauerant, « propter hoc à diebus antiquis ſe ad nundinas illius electionis accinxerant, & per « quoſdam Giezi ſucceſſores titulum de contrahenda emptione frequentius itera- « bant. Porro in tam electa Congregatione prudentum verſutia mercalis eluſa eſt, « & illis qui ſola licitatione obtinere ſperabãt, & tanquam ſtipitibus veternoſis ſte- « rilibuſque reiectis ducti odore Odonis quaſi agri pleni cui benedixit Dominus, « eum ſibi communi aſſenſu Pontificem rapuerunt in exultatione vniuerſæ terræ. « Conglorior eius gloriæ, ſi qua tamen gloria eius intelligi poteſt, quem ad Cathe- « dram traxit inuitum publicus fauor communiſque deuotio. Electus quippe eſt « votis omnium, ſed non ſuis, & commendabili quadam intruſione adeptus eſt « dignitatem, quæ tanto cum ſequebatur inſtantius, quanto eam humilius fugie- « bat. «

Obiter notandum antequam quæ conſequuntur, referamus, Petrum Bleſenſem hanc ſcripſiſſe Epiſtolam paulo poſt Odonis promotionem: quo etiam anno obiit Henricus Wigornienſis Epiſcopus Odonis & Henrici Bituricenſis amiciſſimus: cui ſucceſſit M. Ioannes de Conſtantiis Decanus Rothomagenſis Vualteri Archiepiſcopi nepos. Ioanni vero in Decanatu eiuſdem Eccleſiæ ſucceſſit M. Rogerius cognomento Normanus, qui contra Thomæ Cantuarienſis beatitudinem aliquandiu in ſcholis Pariſienſibus cum M. Petro Cantore decertauit. Sed ad Odonem reuertamur, cuius pueritiam & ſtudia, deſcribit in ſequentibus idem Bleſenſis

« Circa primitias ſtudiorum eius & tirocinia militiæ ſcholaris adhuc infirma & « rudia, noui eum & deuotè dilexi *Pariſius*, vbi magis ſpirituali vnctione quàm «eruditione Magiſtrali puer litteras rapiebat. Nam inter exercitia Liberalium fa- «cultatum Doctrina cœleſtis meliora in Chariſmata inflabat. Propterea ſuper ſenes «intelligens pueritiæ dies antiquabat, moribus præueniebat meritis, & quod deerat «ætati, virtutibus compenſabat. Sæpe retulit mihi ſecretius Petrus Quidam de « Verno pædagogus eius, Diſcipulus autem familiaris meus, quàm ſolicitè quàm «deuotè, occultè tamen & raptim ſe in operibus pietatis adhuc puerulus exer- «cebat. Eleemoſynas verò frequenter condiebat lachrymis & pietatis adipe. Ho- «locauſta miſericordiæ impinquabat, pueritiam ſalutauerat: cumque iam in eius fa- «cie pubeſcentis adoleſcentiæ lanugo vernaret, ſedem Apoſtol. viſitauit, eo ſcilicet « tempore quo Gregorius VIII. ſucceſſit Vrbano. eram tunc in Curia, & vidi nec « inuidi quod honor ei à ſummo Pontifice Patribuſque conſcriptis exhibitus non « multum inferior Epiſcoporum reuerentia videbatur. Sanè Spiritus S. bonarum « mentium inſtitutor virtutum plantaria in eo multiplicabat vſque in virum perfe- « ctum. Videns autem quæ à Deo donata ſunt ei, cœpit ſupererogare collatis. Cum- « que vas ſuum in ſanctificatione & honore ab infantia poſſediſſet, inſolentiam ta- « men carnis & extraordinarios eius motus quadam præeminentiæ authoritate co- « hibens, ipſam vigiliis, ieiuniis, diſciplinis ancillari cogebat. Sciebat enim conti- « nentiam optimam eſſe balſami ſpeciem, quæ carnem à corruptione conſeruaret. « Alii currentes ad deripiendum prædam huius ſeculi quæſtum reputant pietatem: « iſte vero vberem reditum quem in Anglia poſſidebat, prudenti conſideratione « diſperſit, dedit pauperibus, treſque *ſcholares*, indignos quidem, ſed induſtrios « & honeſtos propria exinanitione ditauit. Cæterum fideiuſſor Pauperum Deus « aliud ei beneficium tempeſtiuum non ſine magna fœnoris acceſſione redhibuit: « & quia ſuper pauca fidelis fuerat, eum ſupra multa conſtituit. Qui ergo ſicut li- « gnum quod ad humorem mittit radices in Eccleſia Bituricenſi fructificari cœpe- « rat, nunc Pariſius a Domino tranſplantatur, vt fructum plus afferat, vt lucerna « ſuper candelabrum poſita glorioſius cunctis irradiet, cuius lumen ſub humilitatis « modio ſolicitus à communis famæ palpebris abſcondebat. In Epiſcopum denique « conſecratus nomen ſuum ſicut publicè dicitur, operibus interpretari non ceſſat, « fidelisque ſequeſter inter Deum & homines vota Populi offert, & populo gra- « tiam Dei refert vigilantia iugi reducens in viam Iuſtitiæ, quos inde verſutus Im- « poſtor abduxerat. Bituricenſis Archiepiſcopi frater eſt, atque de Illuſtriſſimis « principibus originem trahens, hinc Regis Angliæ conſanguineus, inde Franco- « rum Regum linea generis propinquiore contingit. Suæ tamen faſtigium parente- læ nobiliore quadam animi generoſitate faſtidit, & ex ipſius contemptu, Iudi- cio eorum qui rectius ſapiunt, ſui generis eminentiæ plurimum ſuperaddit. Vale.

Ex his patet, quàm non ſatis ad rei veritatem ſcribat Rigordus in lib. de geſtis Philippi Odonem longè à Mauricio moribus, & vita diſcrepaſſe. Quibus addere poſſumus ex vetere Chronico M.S. quod tribuitur Roberto Antiſſiodorenſi, Epiſcopum fuiſſe æmulatorem virtutis & vitiorum inſectatorem: quippe inter bona quibus emicuit id præcipuum habuit, vt in beneficiis conferendis non ad genus præceſſve ſed ad mores ſcientiamque reſpiceret. Et in vetere Martyrologio dicitur *benefactor ſingularis Eccleſiæ*. A Stephano Tornacenſi Ep. 225. celebratur à nobilitate generis, honeſtate, authoritate dignitatis & prudentia.

Quanta porro inter ipſum & Petrum Bleſenſem neceſſitudo interceſſerit, ex ipſomet Petro diſcimus, qui ad eum ſcribens Ep. 127. petit amicitiam à puero contractam confirmari, *Vt illa dilectio*, inquit, *quam tenerior ætas primitiauit, à ſuæ originis integritate non claudicet*. Significat vero ſe nihil habere antiquius in votis, quàm eum videre Epiſcopali dignitate decoratum: at hoc impediri per diſtantiam locorum: tunc enim Bleſenſis erat in Anglia quo primum ab Henrico II. munificentiſſimo Principe fuerat euocatus, illique fuit ab Epiſtolis: deinde ab Eleonora Regina & Richardo Rege fuit retentus. Verum Anglicani ſoli diſſidiorumque pertæſus, & amore Patriæ correptus petit ab Odone Ep. 160. reuocari in Galliam, vt ſi non viuere, ſaltem ſepeliri poſſit in natali ſolo. Iam enim in Anglia 26. annis commoratus fuerat, multas paſſus ſimultates & tribulationes, queriturque

quod præſules Galliarum obduruiſſent, nec vllatenus ſui meminiſſent: poſtremo ſic Odonem alloquitur. *Auferat innata vobis liberalitas ignominiam peregrinationis & exilii mei, vt me prorſus vindicetis in veſtrum, totumque veſtro militet honori & obſequio, ſi quid ſum, ſi quid valeo, ſi quid ſcio, ſi quid habeo, ſi quid poſſum. Quidquid mihi feceritis, quoddam breue precarium erit, veſtrumque beneficium cum multa gratiarum actione Dei & hominum tempeſtiuè redibit. Cui non licet in patria viuere, ſaltem liceret ſepeliri; & vt in verſu Lucani claudatur Epiſtola; Liceat tumulo ſcripſiſſe Catonis Martia. Sic liceat mihi ſcribere Petrus Odonis.*

Anno 1197. obiit vir ſingularis doctrinæ & eminentis pietatis M. Petrus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis, Theologiæ Doctor celeberrimus, ante aliquot annos Tornacenſis Epiſcopus electus; ſed quia in eius electione aliquid acciderat minus conforme ſacris Canonibus, vt dicebatur, Epiſcopatum non obtinuit. Huius viri ſingulare elogium ſic breuiter contexit Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico ad an. 1197. *Eodem anno*, inquit, *Petrus* Cantor, Pariſienſis, Doctor eximius, & tam vitâ conſpicuus quàm doctrinâ, vir Iuſtitiæ ac pietatis amator, quique plurimis profuerat tam conditionis verbo, quàm virtutis exemplo, apud Cœnobium quod dicitur *Longus-pons in multa deuotione & ſanctâ confeſſione migrat è corpore.* 1197.

Nempe ille vale dicto Scholis & mundo ſe contulerat paulo ante ad Ciſtercienſes, primoque Nouiciatus anno obiit, vt docet Cæſarius Heiſterbacr. lib. 12. c. 48. ſic aiens. M. *Petrus Cantor Pariſienſis verbo, voto, & exemplo plura ædificauerat.* Hic in Pontenella Domo Ordinis noſtri factus eſt Nouicius, & infra annum probationis defunctus eſt, & in Capitulo ſepultus, cumque poſtea neceſſitate ædificatum corpus eius eſſet transferendum, aperto ſepulchro tam magnus & tam ſuauiſſimus ex illo odor efferbuit, vt nares omnium illius fragrantia reficerentur. *Odor ille ſignum erat eximiæ illius Doctrinæ, cuius mercedem receperat in corde.*

Albericus in Chronico eundem vocat *Doctorem Theologum, religione & honeſtis moribus famoſum & clarum.*

Iacobus vero de Vitriaco in Occidentalis Hiſtoriæ c. 1. poſtquam enumerauit vitia populi, Magnatum, Epiſcoporum, Scholarium & Magiſtrorum Pariſienſium ſic concludit. *Paucos inter eos Dominus ſibi reliquerat viros honeſtos & timoratos, qui in via peccatorũ non ſteterunt, & in cathedra peſtilentiæ cum aliis non ſederunt.* Quorũ vnus velut Lilium inter ſpinas & roſa inter vrticas, quaſi Angelus Pergami vbi eſt ſedes ſathanæ, quaſi thus redolens in diebus æſtus, quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, quaſi oliua pullulans & cypreſſus in altitudinem ſe tollens, quaſi cœleſtis tuba & Domini Cythariſta erat tunc temporis M. Petrus Venerabilis Cantor Pariſienſis, vir potens in opere & ſermone, aurum ſuum & argentum ſimiliter conflans & verbis ſuis ſtateram faciens, morum honeſtate pondus & grauitatem conferens doctrinæ ſuæ. Cupit enim facere & docere, velut lucerna ardens & lucens & Ciuitas ſupra montem poſita & candelabrum aureum in domo Domini: de cuius fonte limpidiſſimo prædictus Fulco (de Nulliaco) potare deſiderans, cum tabulis & ſtylo ſeu graphio ſcholas eius humiliter eſt ingreſſus.

De eodem inſigni viro multa ſcribit præclarè Cæſarius, & inter cætera exemplum refert memorabile conuerſionis cuiuſdam ciuis Pariſienſis opulentiſſimi, & fœneratoris pecunioſiſſimi, quem Petrus ad publicam pœnitentiam adegit. Sic ergo de illo l. 2. c. 34. *Temporibus Philippi Regis Francorũ qui hodie regnat, erat in Ciuitate* Pariſienſi vſurarius quidam ditiſſimus, Theobaldus nomine. Hic cum haberet poſſeſſiones plurimas, infinitas pecunias ex vſuris congregatas, diuinitus compunctus ad M. Mauricium eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum venit eiuſque conſilio ſe commiſit. Ille verò cum in ædificatione Eccleſiæ B. Dei genitricis Mariæ nimis ferueret, conſuluit ei quatenus pecunias ſuas ad ſtructuram inchoati operis contraheret, qui huiuſmodi conſilio aliquantulum ſibi ſuſpecto adiit M. Petrum Cantorem verba Epiſcopi ei inſinuans. Cui ille reſpondit. Non dedit tibi bonum conſilium hac vice: ſed vade & fac clamari per ciuitatem ſub voce præconis, quia paratus es reſtituere omnibus à quibus aliquid ſupra ſortem accepiſti; factumque eſt ita. Deinde rediens ad magiſtrum, ait, Omnibus ad me venientibus teſte conſcientia omnia reſtitui ablata, & adhuc ſuperſunt plurima. *Tunc ille modò*, inquit, *eleemoſynam*

poteris dare ſecurè. Pergit idem author. *Retulit* mihi Daniel Abbas Schonauiæ quod ad conſilium eiuſdem Cantoris per plateas Ciuitatis nudus in ſuis femoralibus inceſſerit ſeruo cum virga ſe impellente ac dicente. *Ecce iſte eſt ille, quem pro ſuis pecuniis Principatus honorabat, qui filios nobilium obſides tenebat.*

Licet autem ſuo tempore cæteris Theologiæ Doctoribus longè præminuerit, in nonnullis tamen dogmatis erraſſe vulgò perhibetur: quale eſt iſtud in myſterio Euchariſtiæ. Exiſtimabat enim corpus Chriſti non eſſe verè & integrè in ſacramento poſt prolata verba conſecratoria panis, antequam vinum fuiſſet conſecratum: nec panem ſine vino, nec vinum ſine pane conſecrari poſſe ad complementum ſacramenti. Hanc quæſtionem tangit Iacobus de Vitriaco in Hiſtor. Occidental. c. 38. *Vtrum*, inquit, *panis primò transſubſtantiari valeat ſine vino, cum dicitur Hoc eſt Corpus meum*; & poſtea cum dicitur, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, & cum vinum tranſſubſtantietur in ſanguinem, non modica eſt dubitatio. Dicunt Quidam ex Magiſtris noſtris, quod nec panis ſine vino, nec vinum ſine pane conſecrari poteſt. Oportet enim quod in talibus inſtitutio Dominio ſeruetur. Non igitur ſecundum hoc fit tranſſubſtãtiatio ſucceſſiuè, ſed tamen totũ eſt dictum, totum eſt factũ. Secundũ ſi moriatur ſacerdos poſtquam hæc verba protulerit *Hoc eſt Corpus meum*, irritum eſt ſacramentum. Vel ſi forte puram aquam tantum ponat in calice, remanebit purus panis in fine menſæ, licet ſupra panem hæc verba dixerit cum intentione conficiendi. *Hoc eſt Corpus meum*. Præterea ſi ante perceptionẽ reperiat in Calice puram aquam, appoſito poſtea vino debet iterum ſuper panem verba conſecrationis iterare & incipere velut ab initio. Hæc autem opinio videtur eſſe contra id quod dicitur in Toletano Concilio, ſcilicet, ſi celebrante ſacerdote cauſa ægritudinis oporteat ipſum deſiſtere, alius pro complemento ſacrificij priori ſuccedat..... Huic opinioni magis inclinatur animus meus.

Eandem quæſtionem agitat Cæſarius Heiſterback. l. 9. c. 27. vbi ſic Apollonius inducitur interrogans. *Quid ſi in Calice poſt benedictionem panis, vinum per negligentiam non eſſet in Calice?* Et Cæſarius reſpondet. *Ex conſuetudine Ordinis noſtri cogimur credere ibi eſſe Corpus Chriſti*, quia benedictionem panis non repetimus, ſed Calicis tantum. Simile ſentio, ſi ſacerdos poſt prolationem verborum illorum, *Hoc eſt enim Corpus meum*, ſubſiſteret, neque Calicis benedictionem perficere poſſet. M. Petrus Cantor & ſequaces eius hoc non concedunt, dicentes non poſſe fieri Tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, donec prolata ſint hæc verba *Hic eſt ſanguis meus*. Quibus multi Doctorum contradicere videntur in ſuis ſcriptis. Similiter & verba Euangelica. Prius Dominus panem benedixit, porrigens illum Diſcipulis ad manducandum, iam non panem, ſed Corpus ſuum. Poſtea quàm cœnatum eſt, aliquo interuallo interiecto benedixit calicem. Quis dicere audeat ibi non fuiſſe Corpus Chriſti, niſi Calice prius conſecrato? nullus omnino. A. Eſtne in tali caſu ſanguis Chriſti? C. Etiam, non in Calice, ſed in Corpore. Non enim Corpus Chriſti eſt ſine ſanguine. Nec tamen ineſt per conuerſionem, quia ante prolationem horum verborum, ſcilicet *Hic eſt ſanguis meus*, vinum non eſt conuerſum in ſanguinem. A. Da mihi exemplum quod ſub ſpecie panis ſit Corpus Chriſti antequam Calix benedicatur. C. Superius c. 2. habes exemplum in viſione Godeſchalci, qui mox prolatis his verbis, *Hoc eſt Corpus meum* vidit Chriſtum in forma humana.

Hoc anno tandem coaluit priſtina amicitia inter Richardum Regem & Walterũ de Conſtantiis Rothomagenſem Archiepiſcopum poſt diſſenſionem vnius anni & amplius tanto fœdiorem, inquit Neubrigenſis, quanto maiori prius videbantur amicitia cohærere. Walterus enim Richardo & ante Regnum & in Regno deuotus ſemper & fidelis extiterat, eiuſque ſibi animum multis & præclaris obſequiis obligarat. Eum ad bellum Hieroſolymitanum proficiſcentem in Siciliam vſque comitatus fuerat: vnde ab eo in Angliam remiſſus ad reprimendos Cancellarij motes: quo expulſo vt ante dictum eſt, ipſe voto & decreto generali ſuſceptam Regni curam laudabili moderamine geſſit. Pro captiuo verò Richardo obſidem ſe vltro præſtitit Henrico Imperatori & de propria etiam pecunia ſatisfecit. At propter bellum Francicum Richardo Andeliacum, quod ad Eccleſiam Rothomagenſem pertinebat, occupare coacto, vt vrbem fortiſſimo propugnaculo contra Francos muniret, ita indoluit Valterus, vt Normaniam interdicto ſubiecerit. Itaque teſte Mathæo,

Mathæo, iacuerunt defunctorum corpora inſepulta per plateas ciuitatum & vicos quæ viuentibus fœtorem non minimum incuſſerunt. Rem quoque ad Romanum Pontificem Cœleſtinum detulit & ad eum profectus eſt. Richardus pro ſe Vvillielmum Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum in gratiam receptum & Epiſcopos Dunelmenſem & Lexouienſem miſit. Partibus autem auditis & re maturè perpenſâ conſuluit Pontifex Archiepiſcopo vt cum Rege paciſceretur, Andeliacumque oppidum cum alio commutaret: quandoquidem ad Regni ſolummodo tuitionem id ſe feciſſe Rex conteſtabatur. Poſt itaque regreſſum in Patriam Rex pro Andeliaco Depam Archiepiſcopo & Eccleſiæ Rothomagenſi contradidit in perpetuum poſſidendam. Quam in rem extat inſtrumentum ad calcem Hiſtoricorum Normaniæ ex veteribus Archiui Capitularis tabulis excerptũ. Deinceps vero Richardus muniendo Andeliaco animum intendit tam ſollicitè, vt nihil vnquam tam ardenter concupierit, quàm operis perfectionem, neque ab eo perficiendo, vllo prodigio dimoueri potuerit, non etiam imbre ſanguine mixto qui de cœlo depluit, ſtupentibus cum ipſo Rege cunctis qui aderant, vt notat Neubrigenſis qui ad hunc annum ſuam terminat de Rebus Anglicis Hiſtoriam. Extant autem plurimæ Walteri de variis rebus ad Radulfum de Diceto Decano Londinenſi Epiſtolæ, quæ leguntur apud ipſum Radulfum in imaginibus Hiſtoriarum.

Eodem anno flagrante adhuc inter Reges bello Philippus Drocenſis cognatus Regis Epiſc. Bellouacenſis dum fortiter pro Patria pugnat, capitur à Richardo vincliſque arctiſſimè ſtringitur. Eodem Henricus Imperator Friderici filius obit, eiuſque morte turbatur Imperium, dum alij alium, hi Philippum Franciæ, illi Richardum Angliæ Reges depoſcunt in Imperatorem. Quidam inclinant in Henricum Saxoniæ Ducem qui tunc in terra Hieroſolymitana verſabatur: nonnulli in Othonem fratrem eius, cuius partes Richardus Rex & Flandriæ Comes amplexi ſunt. Alij denique in Philippum quendam pro tutore ſe gerentem pueruli quem Henricus reliquerat.

Anno 1198. Fulconis Nëulliaci fama, Fulconiſtarumque prædicatio maximè in- 1198.
ualuit, factæque ſunt plurimæ memorabiles ad Deum conuerſiones & pœnitentiæ vbique fer terrarum: nam illi orbem Chriſtianum peragrantes prædicauerunt paſſim cum fructu, Domino cooperante & ſermonem eorum confirmante ſignis & miraculis. Placet Authorum Synchronorum teſtimonia proferre. Imprimis ergo Otho de S. Blaſio in appendice ad Hiſtoriam Othonis Friſinghenſis ſic habet c. 47.

His temporibus, vt veraci relatione comperimus, ſacerdos quidam ſanctæ conuerſationis nomine Volco (Fulco) in Francia, in Pariſienſi diœceſi cuiuſdam Eccleſiæ Parochianus verbo prædicationis per omnes Franciæ partes inſtans gratiâ miraculorum mirificè claruit, ac præcipuè in Pariſienſi Ciuitate vitia Deo odibilia & maximè auaritiam eiuſque accidens, vſuram, ſodomiticumque ſcelus reprehendit, & nunc minis nunc blandiciis nunc increpationibus omnes verbum audientes ad pœnitentiam incitauit: atque ſicut percepimus ab iis qui interfuerunt, laborantibus variis languoribus per impoſitionem manus contulit ſanitatem, **reddens cœcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis loquelam: hæcque** ſic euidenter & confidenter egit, vt in digito Dei hæc eum operari non dubitaretur. Ergo tam præclara tamque multa miracula per eum Deus oſtendit, vt antiquis ſanctis omnimodis poſſet in hoc dono Dei æquiparari. Non ergo temerè opus prædicationis aſſumpſit, ſed authoritate D. Papæ Epiſcoporumque præcepto ad hoc acceſſit aſſerens, quod B. Virgo Maria ſibi apparens, ad hoc eum officium informauerit, & vt pœnitentiam populo prædicaret, admonens datam ſibi à Deo gratiam ſanitatum intimauit. Igitur pauca de pluribus, ſicut Bertholdus de Oſniberg Henrico Cuſtodi Argentinenſis Eccleſiæ de Veringin, poſtea eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopo tranſcripſit qui his interfuit, in medium producentes declarabimus ad oſtendendum cum quali confidentia ea operatuſeſt. Allatis denique ad eum mutis, ſicut idem Bertholdus oculis ſuis vidit, ora eis aperiens inſufflauit, eiſque vt loquerentur, imperauit. Quid ſi aliquandiu morarentur, eos in maxilla cædendo quaſi per vim Spiritus S. verbum ab eis violenter extorſit, ſtatimq; loquentes reddidit. Contigit quoque eum quadam die cauſâ quadam ad Regem Franciæ pergere: cui occurrentes milites quendam adoleſcentem cognatum ſuum debi-

„ lem & contractum obtulerunt, & vt ei manum imponeret, ſuppliciter petierunt
„ Quos ille de pompali admodum ſuperfluitate acriter reprehendens, contracto, vt
„ equo quo ſedebat, deſcenderet, imperauit. Itaque puer omnino debilis cum ſe
„ mouere non poterat, iteratò ſacerdos ei dixit. *In nomine Domini noſtri Ieſu-Chriſti*
„ *præcipio tibi vt deſcendas*. Cum nec adhanc vocem poſſet æger deſcendere, D. Vol-
„ co, nam & ipſe equo ſedebat, equum ad eum vrgens quaſi cum percuſſurus, bacu-
„ lum quem manu geſtabat, eleuauit, ægroque per hoc ſtuporem iniiciens, eumque
„ præ timore de equo corruentem eleuans, ſanum continuò reddidit, eumque per
„ aliquod campi ſpatium coram ſe gaudentem currere fecit. Inter cætera virtutum
„ eius inſignia fœneratorem quendam ditiſſimum videns in ſpiritu ad vitam eſſe
„ prædeſtinatum, occaſione prandendi cum eo ad ſalutem eius ſumptâ, domum eius
„ ingreſſus eſt. Ad quem vir Dei, quid inquit, pranſuri ſumus hodie? Cui diues, non
„ eſt neceſſe, Domine, nos hoc inquirere, quod quidquid Ciuitas optimum habere
„ poterit in cibis, nobis hodie non deerit. Quare vir Dei Clericis qui ſecum ve-
„ nerant, aſſumptis coquinam eius intrauit: & coquo, vt ſingula fercula ſe præſen-
„ te exponeret, iuſſit. Quod dum faceret, mirum dictu, pro variis & pretioſis quæ
„ impoſuerat, aut ranas de ſingulis aut ſerpentes expoſuit. Quo viſo omnes qui ad-
„ erant in ſtuporem conuerſi ſunt & præcipuè diues ille ſe peccatorem agnoſcens,
„ pedibus eius prouoluitur, ſe peccatorem, ſe criminoſum proclamans, & vt ſibi vias
„ vitæ per indictam pœnitentiam oſtendat, ſummopere precatur. Ad quæ ſacerdos.
„ *Immundus es tu, & omnia quæ habes. Et niſi omnia quæ ex vſuris vel quolibet modo iniuſtè*
„ *acquiſiuiſti, reddideris, ac deinde omnibus iuſtè acquiſitis in pauperes erogatis per eleemo-*
„ *ſynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis. Cui diues obediens ac ſepti-*
„ *mana nihil agens hæc deuotus impleuit.* Dehinc ad virum Dei reuerſus nihil re-
„ manſiſſe indicauit.

„ Quidam autem ex amicis eius aſtans ſe adhuc in vaſe 20. Maltra tritici de rebus
„ eius reſeruaſſe indicauit, quæ diues alia expendens oblitus erat. Sacerdos igitur
„ aſſumpto Diuite, turba Clericorum amicorumque eius & multorum aliorum co-
„ mitante ad vas acceſſit, ipſumque aperiens, bufonibus ſerpentibuſque plenum
„ reperit. Sacerdos autem ad Diuitem verſus, ſi vis ait, perfectus eſſe & certus de Di-
„ uina miſericordia & venia, vas iſtud ingredere nudus, ego vitam æternam tibi pro-
„ mitto. Cui ille magna fide obediens coram omnibus in remiſſionem peccatorum ſuo-
„ rum nudus intrauit clauſo vaſe ac ſignato ſuper eum, ſacerdos omnes vſq; in cra-
„ ſtinum abeſſe præcepit. Itaque ſequenti die cum eis qui hoc viderant, & cum
„ multis aliis *ad locum venit, & aperto vaſe nihil niſi humana oſſa ſuper niuem candida in-*
„ *uenit*: quæ in medium proferens, ſancta & veneranda eſſe proteſtatus eſt, & cum
„ gaudio & admiratione omnium in loco honeſto repoſuit.

Eiuſdem Fulconis meminit Willarduinus Campaniæ Mareſchallus, qui de eo ſic ſcribit Gallicè in Hiſtoria de Capta Conſtantinopoli. *Sachiez qu'en mil cent quatre vingt dix-huit ans aprés l'Incarnation de Noſtre Seigneur Ieſus-Chriſt ot vn ſaint home en France, qui ot nom Folques de Nuilly & il ere Preſtre. Sachiez que la renommée de cil ſaint home alla tant qu'elle vint à l'Apoſtoile de Rome Innocent qui manda al Prodome que il en preſchat de Sainte Croix par ſ'authorité, & apres enuoya vn ſuen Chardonnal.*

Notat Genebrardus in Chronico ante Philippi Auguſti ætatem nullum librum lingua Gallica ſcriptum prodiſſe in vulgus. Vidi ego Tractatum de Iure dicundo illi dedicatum. Extatque in Bibliotheca Mentelliana gall. conſcriptus. Maſſonius vero ait Villarduinum gallicè ſcripſiſſe capti Bizantij hiſtoriam, eamque e Bibliotheca Veneta Contarenum Patricium attuliſſe ſuo tempore in Galliam. Addit & ipſum Villarduinum ſub Ludouico Iuniore ſcripſiſſe. Sub quo etiam Rege aiunt aliqui ſcripſiſſe Helinandum Picardo-Flandrum, elegantemque de Morte Tractatum edidiſſe rythmis vernaculis. Hæc obiter de Tractatibus Gallicè ſcriptis & publicis. Nunc ad Fulconis hiſtoriam redeamus.

Cum ergo feruetet religio & pietas præſertim Pariſiis, per Fulconem Preſbyterum & alios viros Apoſtolicos excitata, multæ meretrices quæſtuoſam vitam deſerentes, in Abbatia S. Antonii tum extructa & fundata prope Pariſios incluſæ ſunt ad pœnitentiã, annitentibus eodem Fulcone & M. Petro de Roſciaco Fulconis in prædicationibus Coadiutore. Qua de re ſic Otho de S. Blaſio ſtatim poſt verba

quæ ex illo citauimus. *Meretricum autem* ſectam quæ infami commercio vitam ſuam probrosè proſtituerat, omnimodis in ea regione depoſuit, eaſque verbo prædicationis conuerſas, plures truncatis crinibus habitu religionis induit profeſſione perpetuæ Caſtitatis: alias autem quæ continere non præſumebant caſum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia legitimo connubio reformauit. Ad quod efficiendum Pariſienſes Scholares 250. libras erogauerunt, Burgenſes quoque mille & amplius.

Clarius vero Iacobus de Vitriaco Antonianæ Abbatiæ coërcendis meretricibus deſtinatæ mentionem facit c. 8. *Omnes autem*, inquit, *fere publicæ* meretrices ad quencunque locum athleta Deiveniebat, relictis lupanaribus ad ipſum confluebant: quas ipſe magna parte nuptui tradebat: alias autem in Domibus Religioſis, vt regulariter viuerent, includebat. Et propter hoc extra Pariſienſem Ciuitatem non longè ab ea Monaſterium S. Antonij Ciſtercienſis Ordinis, vt in eo reciperentur huiuſmodi mulieres, ab initio fuit inſtitutum.

De eadem quoque re Vincentius Bellouacus Dominicanus, qui ſub S. Ludouico floruit, hæc habet lib. 29. c. 59. Eodem anno, ſcilicet à prædicatione Fulconis tertio, ſalutis noſtræ 1198. Dominus multa miracula per eum operari cœpit, cœcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis quoque greſſum donat. Tunc Fulco alium ſacerdotem nomine Petrum de Roſciaco ad officium ſibi prædicationis ſociauit, virum litteratum & bonum, qui multos à peccatis luxuriæ & vſuris reuocauit: Meretrices quoque publicas ad coniugalem continentiam prouocauit, quædam verò coniugium reſpuere, & ſoli Deo ſeruire, cupientes ſumpto religionis habitu in noua Abbatia S. Antonii Pariſius collocatæ ſunt, quæ cauſâ illarum illo tempore fundata fuit.

Tunc igitur nouorum iſtorum Prædicatorum in eradicandis vitiis ardor multos ad deuotionem & cordis compunctionem excitabat: de quorum Inſtitutore fuſè diximus ſupra ad an. 1195. & de eo præter ibi citatos authores multa quoque ſcribit digna memoria Robertus Antiſſiodorenſis Chronologus, teſtis oculatus ad hunc annum.

Per idem tempus, inquit, *ſacerdos* de Pariſienſi Epiſcopatu Fulco vir magnæ fidei vitæque honeſtæ celebri opinione clarebat. Is Domino inſpirante de licentia ſui Epiſcopi vicinas peragrans regiones, Franciam, Flandriam, Burgundiam perluſtrabat. Verbum ſanæ Doctrinæ & veritatis inſtanter ſeminans, & duo præcipuè crimina vſurarum atque luxuriæ vehementer inſectans: ſanè verbis eius atteſtabantur miracula, vt per eum cooperante Domino non modo animabus, ſed & corporibus influeret medicinam.

Recaleſcebat proinde fides in populis, & tanquam cœli diſtillaſſent à facie Dei, ad tempus mota eſt terra, ſicque afficiebantur erga iam dictũ virum, vt eum quocunque ſe verteret & nimis gratulanter exciperent, & verba eius nimis ſitienter hauirirent. Currente igitur velociter verbo Dei multas ex his quæ peccabant publicè, multos ex his qui fœnus publicum exercebant, ſolo verbo conuertit ad Dominum, qui præ multitudine ſua cenſurâ Eccleſiaſticâ non poterant coerceri. Sed **& de hæreſi Populicana omnium Hæreſeon fœculentiſſima, quæ virulentas radices ſuas latè quidem, ſed latenter hoc tempore propagarat, multi ad fidem conuerſi ſunt**, eorumque confeſſione plures ex eadem hæreſi ſunt detecti. Inter eos Hæreſiarcha Terricus magnus Diaboli laqueus, qui apud Corbiniacum in ſpecu ſubterraneo diu latuerat, pluresque ſubuerterat, tunc productus è latebris & conuictus incenſus eſt.

Apud vrbẽ quoque Niuernis Abbas S. Martini & Decanus Maioris Eccleſiæ de hoc peſtilentiſſimo errore notati, Epiſcoporum Concilio ſiſtuntur Senonis conuocato, ibiq; Abbas deponitur, Decanus ſuſpenditur: & ſic ad ſedem Apoſtolicam deſtinantur. Apud vicum quoque qui dicitur Charitas, quidam viri prædiuites hæreſis prædictę notabiles cum ſe abſentaſſent die quo citati fuerant, vt ab hac infamia ſe purgarent, ab Eccleſia ſunt præciſi & expoſiti publicę poteſtati. Per hos præterea dies Iudęi graui direptione & afflictione vexati ſunt: nãm cum vir Domini Fulco ad extirpationem vitiorum inſertionem que virtutum totus inſiſteret, & vſurarios penitus abhorreret, Iudæos deteſtabatur omnimodo, quia pleroſque noſtrorum infinitis & grauibus attenuaſſent vſuris. Ipſius proinde inſtantia & fer-

» uenti inſtinctu, Epiſcoporumque anniſu res eo vſque deducta eſt, vt omnium de-
» bitorum quæ Iudæis debebantur, dimitteretur dimidium, & dimidium ſtatutis
» terminis ſolueretur. Sed & aliqui de Baronibus eos de terra ſibi ſubdita expellere
» curauerunt: qui tamen expulſi, à Rege recepti ſunt & retenti: quod quidem fa-
» mæ Regis non modicum derogauit, dum eos quos iampridem expulerat, iterum
» receptauit. Eodem anno prædictus Fulco Crucis ſibi ſignum affigit, & inſtanti
» prędicatione populum ad tranſmarinam profectionem adſciſcit. Nec modo per
» prędictum Fulconem in tanta erat magnificentia verbum Dei: ſed & quidam alij
» dum prędicationis inſtarent officio, deſideratiſſimè concurrebat ad auditum ver-
» bi populi multitudo. Verum non diu perſtitit illa feruens audiendi frequentia: ſed
» proceſſu temporis citò deferbuit, & multi qui à vitiis reſilire iam cœperant, in ea-
» dem ſunt relapſi.

De Innocentio III. Eodem anno Lotharius Cardinalis Diaconus ex Comitibus Signię oriundus à Clemente III. Cardinalis creatus, ob eminentem doctrinam & ſanctimoniam, animi vero fortitudinem ingentem, licet annos 30. tantùm natus, omniumque Cardinalium vltimus poſt Cœleſtini mortem ad ſupremum Pontificatum extollitur, 6. id. Ian. Innocentiique III. nomen accipit. Erat ille Theologiæ Magiſter, Petri Corbolienſis olim Diſcipulus in hac Academia, & ob id eam impensè ſemper amauit, eius ſecuritati prouidit, & ſtatuta reformauit, vt ſuo loco videbimus. Erat quoque Iureconſultus Doctiſſimus, & multa edidit opera, de quibus in Catalogo virorum Illuſtrium. Erat & amantiſſimus virorum Doctorum, præſertim verò Academicorum noſtrorum, quos aut habuerat in ſcholis condiſcipulos, aut doctrinâ eminere compererat, plurimoſque ad dignitates Eccleſiaſticas promouit. Viri quoque omnes litterati ſingulari eum amoris affectu proſequebatur ob eloquentiam & cæteras animi dotes quæ in eo elucebant, certatimque ſua illi opera dedicabant. Eum inter cæteros inſignis Poëta huiuſce temporis qui Romæ tum degebat, ſuis verſibus ingeniosè celebrat. Is eſt M. Gaufridus de Vino-ſaluo vulgò de-Nine-ſaluo cognominatus à libro quem *de vitibus, vino & fructibus conſeruandis*, conſcripſit, quemque extare aiunt Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij. Igitur ille opus aliquod, quodhaud ſcio an typis excuſſum fuerit, cui titulum prefixit de *noua Poëtria*, Innocentio dedicauit: in quo agit de nouo terſiorique Poeticè ſcribendi genere, quàm à pleriſque tunc ſcribi ſoleret, qui rythmicum & barbarum genus introduxerant. Sic autem eum alloquitur.

Papa ſtupor mundi! ſi dixero Papa Nocentî,
Acephalum nomen tribuam tibi, ſi caput addam,
Hoſtis erit nomen metri: tibi vult ſimilari:
Nec nomen Metro, nec vult tua maxima virtus
Claudi menſura: nihil eſt quo metiar illam.
Tranſit menſuras hominum. Sed diuide nomen,
Diuide ſic nomen. In præfer & adde Nocentî,
Efficiturque comes metri: ſic & tua virtus
Pluribus æquatur diuiſa, ſed integra nulli.
Egregius ſanguis te confert Bartholomæo,
Mite Cor Andreæ, pretioſa iuuenta Ioannis,
Firma fides Petro, perfecta ſcientia Paulo.
Iſta ſimul nulli. Supereſt de dotibus vna,
Quam nulli fas eſt pertingere, gratia linguæ.
Auguſtine tace, Leo Papa quieſce, Ioannes
Deſine, Gregori ſubſiſte: quid eloquar omnes?
Eſto quod in verbis aut hic aut ille ſit ore
Aureus & totus reſplendeat: os tamen eius
Impar eſt, oriſque tui præiudicat aurum.
Trans hominem es totus. Vbi corporis iſta iuuentus
Tam grandis ſenij, vel cordis tanta ſenectus
Inſita tam iuueni? Quàm mira rebellio rerum?
Ecce ſenex iuuenis. Fidei ſub tempora prima
Cum Dominus Petro præferret amore Ioannem,
Papatu Petrum voluit præferre Ioanni:

*Cardinales

In te Papa modò noua res his accidit annis.
Papa ſenex Petrus, & Papa Iuuenta Ioannis.
Suntque Tui quales talem decuêre, relucent*
Et circumlucent Papam quaſi ſidera ſolem.
Tu ſolus mundo quaſi ſol, illi quaſi ſtellæ,
Roma quaſi Cælum. Me tranſtulit Anglia Romam,
Tanquam de Terris ad Cælum tranſtulit ad vos,
A tenebris velut ad lucem. Lux publica mundi
Digneris lucere mihi. Dulciſſima rerum
Dulce tuum partire tuo. Dare grandia ſolus
Et potes & debes, & vis & ſcis. Quia prudens,
Scis; quia clemens, vis: quia magnus origine, debes.
Et quia Papa, potes; quia talis es & quia tantus.
Hic mens ſubſidit, cum fecerit vndique gyrum,
Inque ſuis dandis te prætulit omnibus vnum,
Totum poſſe ſuum tibi deſtinat. Accipe Magne
Hoc opus exiguum, breue corpore, viribus amplum.

Ad eundem ſcribit Petrus Bleſenſis, obſecrat obteſtaturq; vt Archidiaconatum Londinenſem ſibi iam valde ſeni oblatum, amplioribus curet ornari reditibus: quia nempe immenſum onus ſenis humeris importabat, nec dabat vnde per menſem viuere & ſuſtentari poſſet. Sic ergo Ep. 151. *Archidiaconatus ille Draco eſt, non habens vnde poſsit viuere, niſi vento. Ille ſiquidem honor eſt in ſolis & nudis & purè intellectibus. Nam cum ſint in illa Ciuitate quadraginta millia hominum atque centum & viginti Eccleſiæ, nec à Laicis Decimas, vel oblationes, vel primitias, quamuis ſacerdotio fungar, accipio: nec ab aliqua Eccleſiarum ſynodalia, vel Cathedraticum ſiue procurationes, vel auxilia ſeu hoſpitia, nec aliquas conſuetudines debitas Archidiaconis poſſum elicere à ſubiectis.*

Apud eundem Pontificem conqueſti ſunt Monachi Cantuarienſes de Huberto Archiepiſcopo ſuo propter Eccleſiam, quam idem Archiepiſcopus apud *Lambetham* de nouo conſtruxerat, ſeu potius à Balduino prædeceſſore ſuo in honorem B. Thomæ martyris fundatam amplificarat: quia timebant, ne illuc ſedem Archiepiſcop. transferret. Inter cætera verò crimina, hoc potiſſimũ ei obiecerunt, quod *Iuſticiariam Angliæ* gereret & exerceret, Iudexque Capitalis eſſe non vereretur, atq; ita non vereretur, vt omiſſis Eccleſiaſt. negotiis, ſecularibus plus æquo intenderet. Deinde quod illius mandato Eccleſia S. Mariæ de Arcis Londini fuiſſet violata: & quod inde willielmus Barbatus ſeu cum Barba extractus, equorum caudis alligatus & per plateas Ciuitatis Londinenſis diſtractus, tandemq; patibulo ſuſpenſus fuiſſet. Quibus auditis Innocentius Richardo Regi mandauit ſub pœna Interdicti, quatenus præfatum Archiepiſcopum *ab officio Iuſticiarij* remoueret. Cui mandato paruit Rex, & eius loco Gaufridum filium Petri ſubrogauit, teſte Mathæo.

Ordines Prædicatorũ inſtituti.

Ad hunc quoque annum referre poſſumus Ordinis Monachici Fratrum Prædicatorum primum propoſitum & conſilium: nam cum ab Innocentio ſtatim poſt ſuam ad Papatum promotionem, in Oxitanam prouinciam, vbi in dies magis inualeſcebat Albigenſium Hæreſis, miſſi fuiſſent duo pietate & doctrinâ inſignes viri, Guido & Ramirius, poſtmodum verò Iacobus Oſmenſis in Hiſpania & Dominicus ad eradicandam extinguendamque peſtem illam & fidem reducendam, Dominicus exemplo Fulconis & Fulconiſtarum animatus Ordinem Prædicatorum meditari cœpit. Quippe cum videret ſe & alios plurimos, qui hactenus illuc miſſi fuerant ad prædicandum fidem, non omnino feliciter & ſatis ad votum laboraſſe in conuerſionem Hæreticorum, ſperauit tamen ſe pertinaci ſtudio & labore frequentibuſque ſacræ fidei prædicationibus illorum animos pertinaciamque emolliturum. Itaque aſſumptis quibuſdam tam ſancti operis laboriſque ſociis plures annos in ea re conſumpſit, donec tandem *Prædicatorum* ſodalitium certis regulis & Inſtitutis authoritate Pontificiâ inſtituit & alligauit. Nec multo poſt Franciſcus Aſſiſias noui quoque Ordinis Prædicatores, quos Minores appellari voluit, inſtituit. Quos duos nouos in Eccleſia Ordines Honorius III. confirmauit, vt ſuo loco dicemus.

Interim tamen non erit extra rem referre, quod in hanc rem notat Abbas

Vſpergenſis ad an. 1212. quo primùm Ordines illi ſe maximè prodere cœperunt: ſcilicet ita permittente Diuina bonitate ſimul eodemque tempore exortos fuiſſe, vt duplicis generis Hæreticos confunderent & expellerent: quorum alii *Prædicatores* etiam dicebantur, officiumque prædicatorum abſque authoritate Apoſtolica & Pontificali aſſumpſerant. Alij *pauperes*, quia ſpretis opibus & honoribus ſeculi vitam prædicando emendicabant. Sic igitur ille.

» Eo tempore mundo iam ſeneſcente exortæ ſunt duæ Religiones in Eccleſia:
» cuius vt aquilæ renouatur iuuentus, quæ etiam à ſede Apoſtolica ſunt confirmatæ, videlicet *Minorum fratrum & Prædicatorum*, quæ forte hac occaſione ſunt
» approbatæ: quia o im duæ in Italia exortæ adhuc perdurant: quorum alij *humiliatos*, alij *Pauperes de Lugduno* ſe nominabant. Quos Lucius Papa, (qui ſedit ab an. 1181. vſque ad an. 1185.) quondam inter Hæreticos ſcribebat, eo quod
» ſuperſtitioſa dogmata & obſeruationes in eis reperirentur. In occultis quoque
» prædicationibus quas faciebant plerunque in latibulis, Eccleſiæ Dei & ſacerdotio derogabatur.

» Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum qui dicebantur *Pauperes*
» *de Lugduno* apud ſedem Apoſtolicam cum Magiſtro ſuo quodam, vt puto, Bernhardo, & hi petebant ſectam ſuam à ſede Apoſtolica confirmari & priuilegiari.
» Sanè ipſi dicentes ſe gerere vitam Apoſtolicam, nihil volentes poſſidere aut certum locum habere, circuibant per vicos & caſtella. Aſt D. Papa quædam ſuperſtitioſa in conuerſatione ipſorum eiſdem obiecit: videlicet quod calceos deſuper
» pedem præcidebant & quaſi nudis pedibus ambulabant. Præterea cum portarent quaſdam Cappas quaſi Religionis, capillos capitis non attondebant, niſi ſicut
» Laici. Hoc quoque probroſum in e s videbatur, quod viri & mulieres ſimul ambulabant in via & plerunque ſimul manebant in vna domo & de eis diceretur,
» quod quandoque ſimul in lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipſi aſſerebant
» ab Apoſtolis deſcendiſſe.

» Cæterum D. Papa in loco eorum exurgentes quoſdam alios qui ſe appellabant *Pauperes Minores* confirmauit, qui prædicta ſuperſtitioſa & probroſa
» reſpuebant, ſed præcisè nudis pedibus tam æſtate quàm hyeme ambulabant,
» & neque pecuniam, neque quicqnam aliud præter victum accipiebant. Et
» ſi quando veſtem neceſſariam quiſquam ipſis ſponte conferebat, non enim
» quidquam petebant ab aliquo. Hi tamen poſtea attendentes, quod nonnunquam nimiæ humilitatis nomen gloriationem importet, & de nomine
» paupertatis, cum multi eam fruſtra ſuſtineant, apud Deum vanius inde gloriantur, maluerant appellari *Minores fratres*, quam *Minores pauperes* Apoſtolicæſedi
» in omnibus obedientes.

» Alij videlicet *Prædicatores* in locum *Humiliatorum* ſucceſſiſſe creduntur. Humiliati quippe nulla habita authoritate aut Licentia Prælatorum mittentes falcem
» in meſſem alienam populis prædicabant, & vitam eorum plerunq; ſatagebant &
» cõfeſſiones audire & miniſteriis ſacerdotum derogare. Quæ volens corrigere Papa, Ordinem Prædicatorum inſtituit & confirmauit. Illi quippe rudes & illiterati cum eſſent, operibus manuum inſtabant & prædicabant accipietes neceſſaria
» à ſuis Credentibus. Ipſi verò ſtudio & lectioni ſacræ ſcripturæ iugiter inſiſtentes
» tantum in ſcribendo libros opus faciebant, & eos diligentiſſimè à ſuis Magiſtris
» audiebant, vt cum ſagittis & arca & omni armatura fortium poſſent ingredi & ſtare pro defenſione S. Matris Eccleſiæ, & ex aduerſo aſcendere, ponere ſe murum
» pro Domo Iſrael, dum fidem roborant, virtutes inſtruunt, ſtatuta Eccleſiæ docent, & non collaudant vitia hominum & prauitates redarguunt & caſtigant. Nihilominus ſedi Apoſtolicæ in omnibus obediunt, à qua authoritatem præcipuam
» trahunt.

Quod hîc dicit author iſte de *Humiliatis*, non videtur concordare cum verbis Iacobi de Vitriaco qui c. 28. Hiſtoriæ Occident. mirificè prædicat ſectam illam *Humiliatorum*, aitque eam in Italiæ & Lombardiæ partibus plurimum floruiſſe. Aiunt & alij nonnulli eam anno 1017. inchoatam, & ab Innocentio III. tandem an. 1200. confirmatam. Sed vt vt ſit, de ea ſic ſcribit Vitriacus. *Fratres autem eorum tam Clerici quàm Laici Litterati à ſummo Pontifice qui regulam eo-*

rum & Canonica inſtituta confirmauit, authoritatem habent prædicandi non ſolum in ſua congregatione, ſed in plateis & ciuitatibus, in Eccleſiis ſecularibus, requiſito tamen conſenſu eorum qui præſunt locis illis Prælatorum. Adeo autem formidabiles Hæreticis quos *Patrinos* appellant, effecti ſunt: & ita potenter & apertè fraudes eorum detegendo impios & incredulos ex Diuinis ſcripturis prudenter conuincunt & publicè confundunt, quod iam coram ipſis non audent comparere, multique ex ipſis errorem ſuum cognoſcentes ad Chriſti fidem reuerſi ipſis fratribus coniuncti ſunt, & ita facti ſunt Diſcipuli veritatis qui fuerant Magiſtri erroris.

Miratur Andreas Hoius in Notis ad hunc locum, Vitriacũ nullam facere mentionem Ordinis Fratrũ Prædicatorum ſeu Dominicanorum, qui eo tempore inſtitutus eſt; & certè eſt cur miretur, cum Ordinis Minorum mentionem faciat, qui ſub eodem Innocentio Pontifice ſumpſit exordium: niſi dicamus illum per *Humiliatos illos litteratos* intelligere *fratres Prædicatores*, qui teſte Vſpergenſi ſuprà laudato *Humiliatis* ſucceſſerunt.

Circa hæc tempora orti quoque Pſeudo-Prophetæ quidam, ſeu falſi Prædicatores, qui dum Fulconiſtæ vitia eradicare pro viribus conabantur, ipſi ſeu inuidiâ ducti, ſeu ſpe melioris fortunæ & pinguioris ſortis excitati ea ſeminare & latè ſpargere laborabant; aut ſaltem diſſimulare & extenuare, dicentes bonũ malum & malum bonum: fœneratores extremi iudicii metu territos ad Conciones Fulconiſtarum, iſti abſoluebant, & dummodo ſibi eleemoſynas largirentur, puros eos ab omni ſcelere ſpondebant eſſe; atque ita ingentes pecuniarum ſummas corrogantes plurimum veris prædicatoribus, eorumque ſanctitatis opinioni & profectui nocuerunt. Neque his contenti, cœperunt & multa de ſacramentis confingere & mentiri, ſicque occultas hæreſes paulatim animis inſtillare: neque adeo contemptibiles aut damnabiles eſſe dicebant Albigenſes: in multis eos vera dicere aſſerebant & ſentire: eaque quæ populi ſenſum & animum magis afficiebant, proferebant, puta contra decimas, contra hypocriſim ſacerdotum, aliaque id genus. Horum omnium Dux & Princeps Almaricus Carnotenſis Theologiæ profeſſor, idemque prædicator, qui admiſſis in conſortium & ſocietatem ſuam Albigenſibus nonnullis omnia fidei fundamenta labefactare & euertere docendo compertus eſt. De eo ad ſequens ſeculum fusè dicemus. De Pſeudo-Prædicatoribus verò illis ſic habet Iacobus de Vitriaco Cap. 10. Hiſtor. Occidental. Poſtquam enim egit de Fulcone & Fulconiſtis, ſubiungit.

Cum igitur antiquus aduerſarius noſter, qui atria ſua tanquam fortis armatus in pace diu cuſtodierat, vaſa ſua ſibi potenter auferri videret, torquebatur inuidia, tantũ ſuauitatis odorem & prædicationis ſanctæ lucem non valens ſuſtinere, miſit & ipſe in mundum Diſcipulos ſuos Pſeudo-Prædicatores, homines peſtilentes & ſceleratos, Sathanæ Caupones, aquam miſcentes vino, & verbum Dei adulterantes, homines ſubdolos, operarios iniquitatis, nubes ſine aqua quæ à ventis circunferuntur, arbores infructuoſas, mortuas & eradicatas, fluctus feri maris deſpumantes confuſiones ſuas, ſidera errantia quibus reſeruata eſt procella tenebrarum in æternum. Hi ſiquidem Miniſtri Sathanæ transfigurantes ſe in Angelos lucis poſuerunt in cœlum os ſuum, lingua autem eorum tranſiit in terra. Non enim ex prædicatione ſua fructum animarum vel gloriam Dei, ſed gloriam propriam quærebant quidam ex eis. *Alij per prædicationem ſuam nonniſi dignitates venabantur & præbendas. Alij autem miſerabiles homines reliquias & philacteria ſua ſecum circunferentes verbum Dei pretioſum venale Laicis exponebant.*

De his quoque fusè Cæſarius lib. 5. c. 2. eorumque nomina declarat, qui omnes viri erant litteratiſſimi, profeſſores magni nominis & clari Theologi, ſed, vt ipſe ait *Litterati cum errare incipiunt, etiam illiteratis inſtinctu Diabolico plus & grauius decipiunt.* Hæc autem eorum fatuitas & doctrinæ peruerſitas ex eo orta erat; quod Ariſtotelicis argumentationibus & Dialectices atque Philoſophiæ dogmatis in materia fidei nimis adhæreſcerent & inſiſterent. Itaque poſtquam tandem interrogati & conuicti ſunt, libri quoque Ariſtotelis & quidam alij M. Dauid damnati ſunt: vt fusè ad ſequens ſeculum referemus.

Inſtitutio Ordinis Mathurinenſium.

Eodem anno Inſtitutum ſcribunt celeberrimũ Mathurinorum ſeu S. Trinitatis Ordinem de Redemptione Captiuorum: reperiturque prima Innocentij III. de

Ordinis huius Regula conſtitutio data Romæ apud Lateranũ 16. Kal. Ian. an. 1198. qui eundem Ordinem altera Bulla data Viterbij 14. Kal. Iul. Indict. 12. Incarnat. Dominicæ an. 1209. confirmauit. De cuius Ordinis inſtitutione agens Robertus Gaguinus qui longè poſt fuit eius Miniſter Generalis, ait authores eius fuiſſe M. Ioannem de Matha Salium ſeu Prouincialem, Theologum Pariſienſem, & Felicem Anachoretam Valeſienſem, poſtquam apud Ceruum-frigidum vulgò *Cerfroy* in Meldenſi agro ſolitariam diu vitam egiſſent: admonitoſque conuenire ſummum Pontificem ad impetrandam ab eo Inſtituti ſui approbationem, eum conueniſſe & agnouiſſe ſimili reuelatione inſtinctum, atque idcirco veſtem propriam & peculiarem ab eo accepiſſe. Quæ autem fuerit illa reuelatio, & quomodo illi duo viri ad inſtituendum Ordinem impulſi fuerint, accipimus ex ipſomet Gaguino in vita Philippi Auguſti.

Sub hoc Innocentio Romano Pontifice Ordo Fratrum ſanctæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum authoribus Ioanne de Matha & Felice Anachoreta initium cepit. Qui poſtquam apud Ceruum frigidum Meldenſis Territorij ſolitariam diu vitam egiſſent, per quietem admoniti Romanum Pontificem conuenire, à quo vitæ modum acciperent, cum Innocentiũ adiiſſent cognouerunt Pontificem ſimili reuelatione fuiſſe diuinitus inſtinctum. Quamobrem à Pontifice benigniſſimè excepti ſunt. Et 5. kal. Martias cum dies feſtus Agnetis 2 agitur, Innocentius rem Diuinam faciens, dum Diuinam Euchariſtiam circunſtantibus ſe oſtendit, Angelum Dei videt candore multo fulgentem cancellatis manibus duos captiuos tenentem, Chriſtianum vnum, alterum Maurum, tanquam eos commutaret. Cui Angelo crux rubri & azuri coloris ad pectus eminebat. Quo viſo & re Diuina confecta Anachoritas ad ſe vocans, Iam inquit, Filioli animaduerto Dei ſpiritu vos duci. Conficiam vobis indumenta exemplo viſionis, quæ mihi Diuina celebranti innotuit. Igitur conſutis tunicis Ioannem Felicemque candidis veſtibus decorauit, ſuperaddita Cruce qualem Angelus oſtendiſſet. Additque nouo Ordini titulum de Trinitate & Redemptione Captiuorum: cui negotium imponit Captiuos à malè credentibus Chriſtianos liberandi. Eius rei ſimulachrum Romæ in Celio Monte apud S. Thomam de Formis viſitur; vbi Eccleſiam Diuinæ Trinitati Innocentius extruxit.

In vetuſto Manuſcripto ita legitur. *Anno 1. Innocentij ſurrexit nouus Ordo Fratrum ſanctæ Trinitatis per quendam Magiſtrum Ioannem de Francia, cooperante ſibi Papa: & iſte Magiſter apud Cherfroy iuxta Wandeluz in poſſeſſione cuiuſdam militis Rogeri de Halopia miraculosè liberati primam Domum ſuam inſtituit.*

In Chronico S. Medardi Sueſſionenſis legitur, Hunc ſanctæ Trinitatis Ordinem vocatum fuiſſe olim *Ordinem Aſinorum, eo quod aſinos equitabant non equos. Dictus etiam ordo Mathurinorum* non ab authore ſed à S. Mathurino proprio & peculiari Eccleſiæ ſuæ Pariſienſis Patrono, quam obtinuit Ioannes de Matha ante an. 1209.

Ioannes autem de Matha Inſtitutor obiit Romæ an. 1213. 21 Decemb. Sepultuſque eſt in Eccleſia S. Thomæ de Formis, vbi cernitur Epitaphium marmori inſculptum hoc modo. *Anno Dominicæ Incarnationis 1197. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ II. anno 1. 15. Cal. Ian. inſtitutus eſt nutu Dei Ordo ſanctiſſimæ Trinitatis à fratre Ioanne ſub propria Regula ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſa. Sepultus eſt idem frater in hoc loco anno Domini* 1213. *Decemb.* 21. Ei ſucceſſit Ioannes Anglicus, qui Romæ quoque humatus eſt 13. Kal. Iul. an. 1217. Ioanni ſucceſſit Guillielmus Scotus, tertius inhabitator Eccleſiæ Mathurinenſium, quæ olim Eleemoſyna S. Benedicti Gal. *L'Aumoſnerie de Saint Benoiſt*, dicebatur.

Quod autem prædictus Ioannes inſtitutor Domum Mathurinenſium obtinuerit, eamque primùm inhabitarit, aut ſaltem Felici ſodali & fratribus quos Pariſiis reliquit, inhabitandam reliquerit, patet ex hoc inſtrumento, cuius authenticum habent in Archiuis ſuis Mathurinenſes: extatque in Chartulario his verbis.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentis paginæ formam & ſeriem inſpecturis, Prior S. Germani in Laya, totius eius Parochiæ Iudex ordinarius ſalutem in Domino ſempiternam. Nouerint Vniuerſi, quod in noſtra præſentia perſonaliter conſtitutus Guernerius dictus Coquus Iuſtitiabilis noſter, attendens omnia beneficia quæ fiunt, & de cætero fient in Eccleſia S. Mathurini Pariſius Ordinis Trinitatis &

Captiuorum

ſibi in alio ſeculo profutura, aſſeruit coram nobis ſpontaneus non coactus, quod ipſe in puram & perpetuam Eleemoſynam Miniſtro & Fratribus dicti Locidederat, ceſſerat ac in perpetuum quittauerat poſt deceſſum ſuum habendam medietatem cuiuſdam Domus ſitæ apud S. Germanum in Laya in vico, per quem itur de Domo Ioannis *Victoris ad Capellam S. Eligij*. Et in fine. *Quod vt ratum, firmum & ſtabile permaneat in futurum his præſentibus litteris ad requeſtam dicti Datoris ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datum anno Domini 1209. die Iouis ante Natiuitatem Domini noſtri.*

Hunc ſibi locum delegit olim Vniuerſitas ad ſua comitia celebranda; eratque ibidem etiam Curia Conſeruatoris, in qua cauſæ Scholaſticæ & Academicæ diſceptabantur. Sed ea de re alibi agemus, ſi Deus vita frui diuturniore conceſſerit.

Eodem anno inſtitutum aiunt aliqui Ordinem Auguſtinienſium Eremitarum ſeu Mendicantium à Guillielmo Pariſienſi. Dubium tamen an ille inſtituerit, ſeu potius reformarit: vt legitur in Chronico Belgico Magno.

Eodem anno Cyrillus natione Græcus Carmelitarum tertius Generalis poſt decem annos in fidei Religioniſque Chriſtianæ Prædicatione conſumptos apud Armenios, ad Carmelum ſuum reuerſus dum ſacra religiosè celebraret, excepit oraculum ſeu Apocalypſim quandam nouam per Angelum. Dei digito & argenteis tabulis Græcè ſcriptam ſuper futuro Eccleſiæ ſtatu. Præterea admonitum fuiſſe dicunt per eundem Angelum, vt Euangelium illud nouum mitteret ad ſummum Pontificem Romanorum, curaretque Latinè verti. Itaque ille ab extaſi rauerſus nihilque de certitudine dubitans reuelationis, continuò Apocalypſim illam ſuam ad Ioachimum Abbatem Siculum tranſmiſit: qua de re ſic Mantuanus l. 5. Faſtorum.

Cyrillus Diuinus homo, cum ſacra litaret
Mane ſub auroram ſacrâ veſtitus abollâ,
Res mirandа! Puer fulgenti ſplendidus ore
Adſtitit ante virum liquidis ſuſpenſus in auris,
Argentumque docens annorum fata ſequentum
Protulit, & manibus pronis demiſit in aram.
Adiiciens, Deus iſta tibi ſecreta reuelat,
Sancte Pater, tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica verbis
Nomina, ad Abbatem Siculum tranſmiſit, & ille
Confeſtim in Latium, ſcholiis ad ſingula iunctis
Quæ ſuperant, & habentur adhuc paſſimque leguntur.

Statim igitur Ioachimus vaticinium Cyrilli exponit & ſcholiis illuſtrat. Poſt eum alij Commentaria ſua eidem appoſuerunt, inter cæteros *Gilbertus Ciſtercienſis* & *Ioannes de Parma*, vel vt alij ſcribunt, *Ioannes de Rupe-ſciſſa* Monachi; vocaruntque *Euangelium Æternum* multis prædictionibus refertum: illudque eſt quod M. Guillelmus de S. Amore & alij Academici comburi curarunt: vt ſuo loco docebimus. **Verùtamen videtur ea Ioachimi explanatio ad ſuperiores annos reuocanda: quippe** ait Robertus Antiſſiodorenſis ad an. 1186. eum è Calabriæ partibus ad Vrbanum Papam tunc Veronæ ſedentem veniſſe, & multa Myſteria nondum reuelata ſpiritu prophetico ſe enarraturum promiſiſſe: qua de re nos ad illum annum.

Eodem anno teſte Rigordo contra omnium opinionem Philipus Rex Iudæos Pariſius reduxit: pererebuit verò rumor popularis Antichriſtum in Babylonia natum eſſe & mundi finem imminere. Philippus Dux Sueuiæ Henrici Imper. frater magnam Imperij partem obtinet. Othoni fauet Anglia: quem vt Richardus ab Innocentio Pontifice coronari curaret, miſſum ab eo Petrum de Capua Cardinalem vt de pace inter Reges concilianda ageret, libentius audiuit, licet inflatus victoriâ, quam nuper de Philippo Rege reportarat prope Giſortium. In quo conflictu ipſe Richardus tres nobiliſſimos Franciæ Proceres, Mathæum de Monte-Morenciaco, Alanum de Ruſcy & Gilbertum de Ginerualis cepit, cum aliis multis, quos enumerat Mathæus Pariſienſis ad hunc annum. Inducíæ ergo inter Reges pactæ ſunt ad quinque annos, commercium-que reductum inter mercatores & vtriuſque Regni Incolas.

Eodem anno, vt ſcribunt nonnulli. M. Ægidius Pariſienſis Artium Magiſter & Poeta pro temporibus illis non contemnendus Apologiam Pariſienſium Magiſtrorum edidit, ſeu, vt clarius loquar, breuem Magiſtrorum è Ciuitate Pariſienſi oriundorum Panegyricum verſibus complexus eſt, & Inſtructionem puerilem in quinque libros digeſtam Ludouico Auguſti filio adhuc puero dedicauit, quâ eum ad amorem virtutis exemplo Caroli Magni adhortatur. Vnde opus illud Carolinum inſcripſit. In fine autem libri quinti Catalogum perſcribit Profeſſorum ex vrbe Pariſiaca originem ducentium aduerſus quoſdam obtrectatores, qui vulgò obiiciebant & in vulgus iactitabant inſtar probri, quod nulli eſſent viri litteratiex ea vrbe oriundi, quoque celeberrimi quique aut alienigenæ eſſent, aut è Prouinciis ad ſcholas Pariſienſes profecti. Enumerat ergo plurimos, qui ſuis temporibus in ſingulis facultatibus claruerant. Quales iſti ſunt. Thiboldus inſignis Grammaticus, Philippus Iureconſultus, Leo ſacer Hiſtoricus, Petrus Cantor nuper defunctus. Ægidius Corbolienſis Medicinæ Doctor Pariſiis natus: Stephanus Archidiaconus Æduenſis Eccleſiæ, Iuris legumque peritus. Anſellus è Legiſta Pariſienſi ad Meldenſem Epiſcopatum promotus & à Michaele de Corbolio Archiepiſcopo Senonenſi conſecratus. Item & alius eiuſdem nominis ſed ſenior Aulæ Regiæ Domeſticus. Anſelmus, forte ille celeberrimus Laudunenſis Decanus, Philippus Sarracenus Decretiſta & Theologus doctiſſimus. Petrus Comeſtor, Decanus Eccleſiæ Trecenſis. Stephanus Præſul Nouiomenſis Gualteri Franciæ Camerarij filius, fraterque Stephani poſt patrem Camerarij, Petri poſtea Pariſienſis & Willielmi Meldenſis Epiſcoporum: Adam de magno Ponte & Ioannes de paruo Ponte. Sic ergo ille.

Pariſienſes Magiſtri.

Paucis Te, Ludouice, volo. tua Numina rebus
Ambio ſecretis. Modicum, puer inclyte, vatem,
Sed tibi deuotum, ſi me dignaris honori
Deſeruire tuo. Fateor ſcripſiſſe libellum
Francorum laudes & Gallica geſta canentem,
Ægidiana nouos pro te prorupit in auſus
Primitiaſque ſui mittit tibi Muſa laboris:
Sed ſecura minus, cum dira infamia noſtros
Iamdudum laceret Ciues, oriſque maligni
Audeat immeritos communi inceſſere probro,
Quod nullos habeat vrbs Pariſiana ſcientes.
I. *Cum tamen excoctum multo ſudore Thibouldum*
Artibus ediderit. Generis conſortis & oris
II. *Altiſoni iactet dictantem Iura Philippum.*
III. *Nec minus in ſacris melico ſermone Leonem*
Ludentem Hiſtoriis. Et quem intepuiſſe dolemus
IV. *Petrum in Diuinis verbo tenus alta ſequentem.*
Cum ſit & hic alius noſtræ non indecor vrbi
Oris adornati, ſolo mihi iunctus in vſu
Nominis, in reliquis maior meliorque gerendus,
V. *Nominis ille mei celeberrimus arte medendi.*
Cum ſit & hic ortus (cuius facundia grata eſt,
Et nunquam laudanda ſatis, nec in agmine vatum
Nominis extremos ſortiri debet honores)
VI. *Ille Eduæ Stephanus maior Leuita, lucroſis*
Aſſiduus ſtudiis: à quo deciſio legum
Quæritur, & noſtri monſtratur regula Iuris.
Cum ſuper excellens legum Iuriſque peritus
Ille inter Proceres intraque Palatia, magni
VII. *Nominis Anſellus, quem cum maioribus Orbis*
Meldis Epiſcopio promouit gratia ſenſus,
Hîc tulerit cunas. Alius quoque nominis huius
VIII. *Olim floruerit hac noſtra oriundus in vrbe,*
Aſſecla Regalis magnuſque Domeſticus Aulæ.

Hic vetus Anſelmus. Hîc & præſtantior illo
Poſteriore ſubit, qui Sarracena Philippus
X. *Cognomenta tulit: præter quas nouerat Artes,*
Quæque inerant illi diuinitus, omnia quondam
Decreta, & ſacras claudens in pectore leges.
XI. *Illum etiam raptum è medio proponere poſſem*
Cuius nunc titulos ſucceſſor honore ſecundo
Pictauienſis habet. Illum ſublimia ſacri
XII. *Eloquij quondam ructantem pectore pleno.*
Illum in Concinio Tacitum pro voce legendi
Præfectum Gradibus noſtriſque in finibus ortum.
Nec nulla eſt Cleri, quantum permititur annis
Gloria. Dulciſona gratus modulamine vocis
Gratus & in metricis, ille à Paſtore Priori
XIII. *Pariſij Stephanus nutricius alter, & alter*
XIV. *Nouiomi Præſul: quem nos debere fatemur*
Dotibus egregiis, cum ſit iuuenilior æuo,
Quod fuit in tenero paſtor prouectus Ephæbo.
Tu quoque qui non es noſter, non eſſe fatendus,
Vir meritis accepte tuis, ſi dicere fas eſt,
Auaro ſenſu Romáque frequente recurſu
XV. *Regalis Willielme Domûs, famoſe ſodalis*
Mecum olim in ſtudiis; nunc maior Doctor adauges
Hos vatum titulos; & dum in ſublimia tendis,
Pariſios magno Ciues extollis alumno.
XVI. *Iunior & Logices dudum perplexa reſoluens*
Per hoc ad Cathedram maioris Pontis alumnus
Huius adhuc numeri tirunculus imminet Adam.
His Ego ſi nequeo mendax auertere dictum,
Dimitto, quorum tam ſacra ſcientia floret,
Vt nemo externus titulis præcellat eorum.
Nec memoro cunctos: multos quoque tranſeo, ſicut
Sæpe retentatis authorum excurſibus illum
XVII. *Vaſis inexhauſti paruo de Ponte Ioannem.*

Eodem anno M. Petrus Corbolienſis Innocentij III. in Theologia Magiſter ab Archiepiſcopo Eboracenſi Gaufrido, cognomine de Plantageuet Præbendâ & & Archidiaconatu donatus eſt: ſed cum interceſſiſſet Eccleſiæ Capitulum, Petrus vero Innocentij Diſcipuli ſui authoritatem imploraſſet, iſte ad Decanum & Capitulum ſcripſit: item ad Richardum Angliæ Regem, vti Præbenda ſua gaudere ſinerent. Prior Epiſtola eſt eiuſmodi, ex qua intelligimus quanti Magiſtrum illum ſuum faceret.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis N. Decano & Capitulo Eboracenſi Sal. & Apoſt. ben. Si eorum petitionibus Apoſtolicum gratanter impertimus aſſenſum, quos gratioſior inter alios Clericos orbis & litterarum ſcientia, & morum reddit honeſtas, Officij noſtri, ſicut credimus, proſequimur actionem, & Deo in hoc & hominibus complacemus. *Sanè licet dilectum Filium M. Petrum de Corbolio, de cuius litteratura & ſcientia in longinquis & remotis partibus prædicatur, ſuæ tantum probitatis & honeſtatis intuitu habere debemus in viſceribus charitatis, cum tamen ad memoriam reducimus noſtram Nos aliquando ſub ipſius Magiſterio extitiſſe, & ab eo Diuinarum audiſſe paginam Scripturarum, Quod vtique non pudet Nos dicere, imò reputare volumus glorioſum, ad dilectionem ipſius efficimur promptiores,* & eius libentius augmento intendimus & honori. Cum igitur venerabilis Frater noſter Gaufridus Eboracenſis Archiepiſcopus præbendam Eboracenſis Archidiaconatus eidem Magiſtro contulerit, ſicut Nobis per ſuas litteras, vt proponitur, intimauit, nec vos vnquam deceat talem ac tantum Clericum à ſocietate veſtra repellere, ſed vocare, cum de litteratis & diſcretis perſonis, Eccleſijs multa prouenire conſueuerint incrementa, deuotionem veſtram rogamus,

„ monemus ac per Apoſtolica Scripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus
„ præfatum Magiſtrum ad præbendam & Archidiaconatum ſibi conceſſum tam
„ libenter, quàm liberaliter admittentes faciatis eundem vel procuratorem ſuum,
„ præbendam & Archidiaconatum pacificè, poſſidere, vt & idem Magiſter in vobis
„ ſe gaudeat fraternæ dilectionis ſolatium inueniſſe, & Nos qui pro ipſo puro cor-
„ de & voluntate ſincerâ ſcripta noſtra dirigimus, Dilectionem veſtram valeamus
„ in Domino commendare. Alioquin Nos venerabili fratri noſtro N. Elienſi Epiſ-
„ copo noueritis iniunxiſſe, vt præfato Magiſtro præbendam & Archidiaconatum
„ non obſtante contradictione vel appellatione cuiuſlibet, ſi ei de Canonica con-
„ ceſſione conſtiterit, noſtra fretus authoritate non differat aſſignare, & faciat pa-
„ cificè poſſidere, illos Cenſura Eccleſiaſtica percellens qui ſe duxerint mandato
„ noſtro temerè opponendos. Datum Laterani 16. Kal. Ian.

Ad Richardum Regem Anglia Scripſit quoque idem Pontifex ad Richardum Regem pro eodem Magiſtro ſuo his verbis.

„ Innocentius.... Dilecto filio Richardo Anglorum Regi Sal. & Apoſtol. Bened.
„ Cum Regnorum ſtatus per prudentum virorum conſilia de bono ſemper conſue-
„ uerit in melius proſperari, qui ad ipſorum regimen Domino diſponente vocan-
„ tur, viris prudentibus & diſcretis fauorem debent & gratiam libenti animo im-
„ pertiri, & ipſorum prout conuenit intendere incrementis. Cum enim ſicut cre-
„ dimus, Magnificentia Regia non ignoret, *qualiter dilectus filius Magiſter Petrus de*
„ *Corbolio inter alios Clericos orbis ſcientia litterali præfulgeat, & ſua probitate & diſcre-*
„ *tione ſit admodum commendandus*, ad dilectionem ipſius prompta debes voluntate
„ concurrere & eum tam libenter quàm efficaciter exaudire. Cum igitur Venera-
„ bilis frater noſter Eboracenſis Archiepiſcopus ei præbendam Eboracenſis Eccle-
„ ſiæ cum Archidiaconatu contulerit, ſuper cuius poſſeſſione per dilectos filios De-
„ canum & Capitulum Eboracenſe, prout dicitur, impeditur, *pro ipſe ſub cuius*
„ *Magiſterio nos aliquando extitiſſe recolimus & ab eo auauiſſe ſacrarum paginam ſcriptu-*
„ *rarum, puro corde, conſcientia bona & voluntate non ficta ſerenitatem Regiam* duximus
„ litteris Apoſtolicis exhortandam, rogantes attentius & monentes quatenus præ-
„ dictum Magiſtrum noſtrarum precum intuitu & ſuæ probitatis obtentu diligas
„ propenſius & honores, & ad habendam poſſeſſionem pacificam Archidiaconatus
„ & Præbendæ auxilium Regiæ ſerenitatis exhibeas. Ita quod ipſe Magiſter ad ſer-
„ uitium magnitudinis Regiæ fortius accendatur, & nos cum preces noſtras, præ-
„ ſertim quas de tam puro corde proferimus, cognouerimus exauditas, ad audien-
„ dum petitiones tuas poſſimus magis fauorabiles inueniri. Datum.

Nullus vnquam Diſcipulus tam gratũ animum Magiſtro vlli exhibuit, quàm iſte Pontifex ſuo: quandiu enim in Cathedra Petri ſedit & ille vixit, nulli occaſioni defuit, vnde eius merita digna mercede & honoribus Eccleſiaſticis cumulare poſſet. Cuius perſonam ait alibi, *Speciali meritorum prærogatiuâ & ſacrarũ ſcripturarũ intelligentia à Diuina bonitate illuſtratam fuiſſe*. Eidem adhuc Canonico Pariſienſi & Odoni Epiſcopo commiſit cauſam Lingonenſis Capituli contra Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ, vt legitur l. 1. Ep. *Cum olim*. Eundem cum ipſo Odone Pariſienſi Epiſcopo & Cantore eiuſdem Eccleſiæ iudicem conſtituit cuiuſdam controuerſiæ, quæ intercedebat inter M. Bernardum de Inſula & Stephanum Epiſcopum Tornacenſem de quadam præbenda Eccleſiæ Tornacenſis ipſi Bernardo à Cœleſtino Papa conceſſa. Nimirum cum poſt mortem M. Henrici de Sognies Canonici Tornacenſis præbenda vacauiſſet, M. Bernardus de Inſula eam à Cœleſtino petierat & impetrarat. Datiſque ad Hugonem Clementis Decanum Pariſienſem litteris iniunxerat Cœleſtinus, vti Bernardum non obſtante qualibet oppoſitione aut appellatione in præbendæ poſſeſſionem induceret: at renitente Stephano Epiſcopo res tandem arbitrio Odonis Pariſienſis Epiſcopi & Ioannis Abbatis San-Genouefiani *aduocatis Magiſtris Vniuerſitatis* commiſſa eſt & deciſa in gratiam Bernardi. Cui deciſioni cum nullatenus acquieſcere voluiſſet Stephanus Tornacenſis, ad authoritatem ſummi Pontificis confugit Bernardus, qui demum data ad Odonem, Cantorem & Petrum Corbolienſem bulla imperauit, vt Stephanum excommunicationis ſententia feriret, ſi prædicto Bernardo renueret præbendam de qua agebatur, concedere. Bulla eſt eiuſmodi.

Ad Petrum à Corbolio Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis... Epiſcopo, Cantori &

M. Petro de Corbolio Pariſienſi Canonico ſalutem & Apoſt. bened. Confirmationis noſtræ manſi in his quæ per prædeceſſores noſtros nō ſine maturitate cōſilii nouimus inſtituta, nec non & ex eorum authoritate pariter & mandato ſortita ſunt effectus debiti complementum, non tantùm libenter apponimus, verum etiam in eos qui ad Inſtitutiones eiuſmodi eludendas in contradictionis & rebellionis aculeum eriguntur, grauiter ſicut tenemur, inſurgimus ad vindictam, vt ſic rebellium & ſuperborum contumacitas elidatur, & Eccleſiæ Romanæ Inſtitutio ſubmoto cuiuſlibet temeritatis obſtaculo ſua gaudeat libertate. Tenor ſiquidem litterarum dilecti filii Hugonis Decani Pariſienſis, quas felicis recordationis Cæleſtino Papæ prædeceſſori noſtro tanquam Nobis dicatas accepimus, nos inſtruxit, quod mortuo in vrbe bonæ memoriæ M. Henrico de Sognies Canonico Tornacenſis Eccleſiæ præbendam eius Dilectofilio Bernardo Clerico de Inſula de ſedis Apoſtolicæ benignitate conceſſit, eumque de ipſa per annulum propriâ manu inueſtiens præbendam ipſi confirmauit eandem. Super quo tam venerabili fratri noſtro Stephano Tornacenſi Epiſcopo, quàm dilectis filiis N. Decano & Capitulo Tornacenſi diſtrictè præcipiendo mandauit, vt factum ſuum in hac parte irrefragabiliter obſeruantes, præfatum Bernardum in ſuum Canonicum admitterent & in fratrem: inhibens etiam illis ne ad præbendam illam aliquem alium fratrem aſſumerent, ſcripſit tam præfato Decano, quàm bonæ memorię Petro Cantori Pariſienſi cum diſtrictione præcepti, vt eis in huius mandati executione ceſſantibus, ipſi authoritate Apoſtolica inſtructi non obſtante contradictione vel appellatione cuiuſlibet, quæ præmiſſa ſunt, exequi non tardarent, atque ipſum in poſſeſſione præbendæ illius corporaliter inducentes facerent eum nihilominus poſſeſſione quieta & integra fructuum perceptione gaudere. Eos inſuper qui inſtitutioni eius ac inueſtiturę tam ſolenniter factæ ſe ducerent opponendos, per diſtrictionem Eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo compeſcentes, ſiquid forte interim in ipſius Clerici præiudicium de illa fuiſſet præbenda ſtatutum, penitus irritarent. Verum memoratus Decanus ſicut & de ipſius Reſcripti authoritate licebat, ſolus executioni horum diligenter inſiſtens, non ſemel ſed ſæpius ſuis litteris deſtinatis eo ordine quo decebat, Epiſcopum & Capitulum attentè commonuit, vt præceptum Apoſtolicum quantocius adimplentes, dictum Bernardum qui de præbenda Tornacenſis Eccleſiæ vacante per manum Apoſtolicam, vt dictum eſt, inueſtituram accipiebat, in choro & in Capitulo tam liberaliter quàm libenter admitterent, & præbendo fructus ex integro abſque omni difficultate conferrent. Epiſcopus verò licet ſæpe tam litteris quàm viuâ voce commonitus ab eo vt decuit, ſemper exhibuit ſe rebellem nullatenus volens inſtitutioni Apoſtolicæ conſentire. *Sed tamen Pariſius veniens, cum prædictus Bernardus vehementer inſtaret* præſente te, Frater Epiſcope, nec non & dilecto Filio Ioanne Abbate S. Genouefæ procuratore ipſius Epiſcopi Tornacenſis, cum multis aliis Religioſis & honeſtis perſonis, poſt multas altercationes & rationes hinc inde propoſitas, *de Communi Conſilio Magiſtrorum Prudentium & Iuriſperitorum, qui vocati ad litem conuenerant decidendam, cum allegationes prædicti Epiſcopi nullam vim aut* vigorem haberent, ſæpe dictum Bernardum authoritate Apoſtolica ſententialiter in corporalem præbendæ illius poſſeſſionem iudicij, eo modo laborans, quod Decanus ipſe totumque Capitulum Tornacenſe eundem Clericum in fratrem & Canonicum ſuum communiter receperunt, & adhibitis ſolennitatibus quæ debent in admittendis Canonicis adhiberi, ſellam in Choro & locum in Capitulo ei libenter aſſignarunt: ita quod ſtatim & deinceps ſicut & reliqui iuxta conſuetudinem Eccleſiæ plena & integra perceptione fructuum eſt gauiſus: & vt mandatum Apoſtolicum ex ordine compleretur, eiuſdem Executor, quidquid circa Huluium ipſius Bernardi aduerſarium vel alium ab Epiſcopo vel alio quolibet forte fuiſſet in eius præiudicium attentatum, cum ipſo Capitulo Tornacenſi penitus irritauit ſolo Epiſcopo in ſua rebellione contumaciter perdurante. Nos igitur quod ab eodem Decano authoritate Apoſtolica prouidè ſuper his omnibus eſt ſtatutum, debitum volentes effectum ſortiri, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus, quatenus ſi idem Epiſcopus vel Huluain, ſiue alius prænominatum Bernardum Canonicum Tornacenſem ſuper illa Præbenda, quam ipſe tam ſolenniter eſt adeptus, poſt monitio-

contra Stephanum Tornacenſem.

Præbendarum reſeruatis.

Nota de Magiſtris Pariſienſibus.

» nem veſtram duxerint impetendum, aut poſſeſſionem præbendæ qualibet occa-
» ſione turbandum, eos per ſeueritatem diſtrictionis Eccleſiaſticæ omni contra-
» dictione & appellatione ceſſante compeſcere nullatenus omittatis, nihilomi-
» nus facientes vt prænominatus Epiſcopus ſuum in hoc velit adhibere conſenſum.
» Nolumus enim, ſicut nec fieri conuenit, vt Apoſtolicæ ſedis Inſtitutio tam ſolen-
» niter celebrata & tot tantorumque virorum approbationibus & ſententiâ vnani-
» mi roborata, temeritate ſeu contradictione quorumlibet infirmetur, aut fac-
» tum quod de tanti Conſilij maturitate ac prouidâ conſideratione proceſſit, in
» recidiuæ quæſtionis ſcrupulum relabatur, nullis litteris obſtantibus harum
» mentione non habita.... Quod ſi omnes... At tu frater Epiſcope cum eorum
» altero... Datum Romæ apud S. Petrum. 3. Kal Maij, Pontific. noſtri an. 1.

Ad eiuſdem Magiſtri Petri Corbolienſis commendationem petiit ab Hugone, Manaſſis de Garlanda nepote Epiſcopo Aurelianenſi, Fulcone Decano & Capitulo Aurelianenſi dari præbendam quæ prima vacaret D. de Corbolio pauperi ſubdiacono: vt patet ex hac eiuſdem Pontificis Bulla ad M. Aurelianenſem Epiſcopum.

De Prebendarum Cathedralium reſeruatione.

Pro Dilecto filio D. de Corbolio paupere ſubdiacono, nullum adhuc Eccleſiaſticum Beneficium aſſecuto ad preces dilecti filij *M. Petri de Corbolio, quem ſincera diligimus in Domino Charitate,* Fraternitati tuæ ſcripſiſſe recolimus, vt præbendam Eccleſiæ tuæ pro reuerentia B. Petri & noſtrâ ſibi liberaliter aſſignares.
» Tu verò, vnde valdemiramur, non curaſti precum noſtrarũ primitias & Mandatũ
» Apoſtolicum adimplere: quin potius antequam idem ſubdiaconus à te poſſet
» obtinere reſponſum, in multis fuit expenſis & laboribus fatigatus. Poſt hęc ve-
» rò Nuncij tui ad ſedem Apoſtolicam accedentes, vt te ab impetitione prędicti
» Clerici abſoluere curaremus, inſtantius poſtularunt, quod non potuerunt aliqua-
» tenus obtinere. Nolentes autem quod pro Deo de prouiſione præfati ſubdiaconi
» laudabiliter incepimus, relinquere imperfectum, fraternitati tuę per iterata ſcri-
» pta mandamus atque præcipimus, quatenus ſi qua præbenda nunc vacat in Ec-
» cleſia tua, eam ſibi non differas aſſignare, ſtallum eidem in Choro & locum in ca-
» pitulo conferendo. Alioquin quam primò vacare contigerit, noſtra donatione
» præcipimus reſeruari Perſonæ idoneæ conferendam: de qua ſi quid à te fuerit or-
» dinatum, decernimus non tenere.
» Dilectis quoque filiis Decano & Capitulo Aurelianenſi dedimus in mandatis,
» ne aliquem ad Inſtitutionem tuam recipiant in Canonicum & in fratrem ad
» præbendam primitus vacaturam. Datum 4. kal. Maii.

Ex hiſce duabus Bullis obiter intelligimus Pontifices Romanos circa hæc tempora ſupremum quoddam in Capitula, Canonicatus & Præbendas Eccleſiarum Cathedralium ius & dominium vindicare ſibi cœpiſſe. Nam antiquitus rogabant tantummodo Epiſcopos, vt iis quos commendabant, præbendas aliaque beneficia dari curarent, electiones factas confirmabant, aut ſi appellati fuiſſent, de lite intentata iudicium ferebant: hiſce verò temporibus inceperunt Beneficia eiuſmodi reſeruare & pleno iure concedere. Vnde promanarunt Pontificiæ reſeruationes, exſpectationes, annatę, aliaque eiuſmodi prętenſa Iura: de quibus in ſequentibus ſeculis amplius dicetur. Et hæc forte cauſa eſt, cur Stephanus Tornacenſis & Hugo Aurelianenſis præbendas dare noluerint iis, quibus Pontifices dari iubebant, ne iugum iſtud inuſitatum ſi ferrent, Eccleſiæ aliquando foret intolerabile.

Cæterum Hugo iſte præter nobilitatem generis, quam ex Gente Garlanda ducebat, ſcientia boniſque moribus eminebat: quamobrem ex Decano Aurelianenſi poſt mortem Henrici Drocenſis hoc anno fuit electus Epiſcopus, & à Michaële de Corbolio Archiepiſcopo Senonenſi inunctus & conſecratus fuit: ad quem de promotione ſua congratulatoriam ſcripſit Stephanus Tornacenſis Epiſtolam, quæ eſt ordine 234.

Decanus electus eſt in Epiſcopum, inquit, *gaudeat Aurelianenſis Eccleſia*, quam perſonarũ penuria non coëgit vt ab aliis emendicatum mutuaretur Antiſtitem. *Quem*
» *nutriuerat à puero, quem produxerat in viam perfectam, quem Diſciplinis erudierat Eccle-*
» *ſiaſticis, aſſumpſit ſibi ſufficiens de gremio proprio & capiti ſuo ſuperponens de filio fecit*
» *patrem non ignotum moribus*, non alienum prouinciâ, non degenerem natalibus &

iuſtas expertum ſollicitudines & iniuſtæ diſſolutionis expertem. Reuera non militauit alienis ſtipendiis, dignus vt in Eccleſia illa præeſſe debeat, in qua conſueuerat & prodeſſe. Gaudeat electus ipſe cui congaudeamus & nos, & gaudium noſtrum nemo tollat à nobis, vel inuidia murmurans, vel malitia perſequens, vel detractio mordens: intelligat Dominus & amicus noſter quod dicimus: dabit ei Dominus in omnibus intellectum. Commendabilem proteſtamur Epiſcopum temporibus noſtris, qui abillicito contactu ſe ſe ſeruauerit alienum. Augeat vobis Deus gratiam ſuam & attollat virtutibus quem extulit dignitate. Interim Pater optime, beatum deceſſorem veſtrum S. Euurcium & ipſius Eccleſiam felix ſucceſſor honorate, diligite & colite. Frequenter cogitantes quia vnde aſſumpti eſtis ad cathedram, illuc aſſumendus eritis in ſepulchro.

Idem Pontifex Innocentius in controuerſia quæ inter C Profeſſorem olim Artium in Academia Pariſienſi & P. Preſbyterum de quadam præbenda Eccleſiæ Inſulanenſis contendentes intercedebat, Magiſtro C. quia ſcholas Pariſius in artibus habuerat, & litteratus erat, vult præbendam adiudicari: & in eam rem ſcribit ad Goſcelinum Archidiaconum, Cantorem & Magiſtrum Scholarum Tornacenſium.

De Prebendis reſeruandis.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis.... *Cum veniſſent ad Apoſtolicam ſedem Dilecti Magiſter C. Subdiaconus & P. Presbyter pro controuerſia quam habebant ad inuicem ſuper præbenda Eccleſiæ Inſulanenſis, nos eis Dilectum filium noſtrum G.* S. Gregorij Diaconum Cardinalem conceſſimus auditorem: coram quo dictus Magiſter C. proponere procurauit, quod cũ olim à bonæ memoriæ Cœleſtino Papa prædeceſſore noſtro ad Præpoſitum Eccleſiæ Inſulanenſis pro obtinenda in eadem Eccleſia præbenda litteras impetraſſet, Præpoſitus indulgentiam obtinuit ab eodem, ne infra biennium aliquem in Eccleſiis ſuis recipere cogeretur. Iterum vero idem Magiſter ad eundem Præpoſitum ipſius prædeceſſoris noſtri litteras reportauit, vt elapſo biennio Præbendam ei conferret in Eccleſia Inſulanenſi: Interim tamen ei ſtallum in Choro & locum in Capitulo aſſignaret, & de quotidianis ſtipendiis idem Magiſter cum Canonicis perciperet portionem, venerabili fratri noſtro Atrebatenſi Epiſcopo & dilectis filiis Vriſicampi & Longi-Pontis Abbatibus ſuper hoc executoribus delegatis: qui cũ vellent in negotio ipſo procedere, Præpoſitus coram eis poſt ſecundam citationẽ apparens mandatũ cũ mandatore aſſeruit exſpiraſſe, & ad ſedẽ Apoſtolicam acceſſit. *Nos ad Litteraturã ipſius qui Scholas dicebatur in Artibus habuiſſe, piũ habentes reſpectum, eidem Præpoſito dedimus in mandatis, quod cum idem Magiſter ſicut proponebatur, oriundus de villa Inſulana aliquandiu in ſcholarum regimine deſeruiſſet,* & ad præſentationem ipſius Eccleſiæ fuiſſet in ſubdiaconũ ordinatus in beneficio competenti, quod ad eius donationem ſpectaret, in eadem ipſa prouideret. Dilectis etiam filiis Decano & Cantori, Magiſtro F. Canonico Remenſi dedimus in mandatis vt ſuper hoc mandatum Apoſtolicum exequi procurarent. Deinde vero iidem executores ſicut ex litteris eorum accepimus, cum in Eccleſia Inſulana præbenda dimidia vacauiſſet, Magiſtrum, ipſum inueſtiendum ad Præpoſitum deſtinarũt, qui ei Beneficium quoddam non Eccleſiaſticum ſed quod poſſet etiam Laico aſſignari, temporale videlicet & incertum, ***Litteraturæ & honeſtati eiuſdem Magiſtri non competens, quod*** *etiam tunc temporis non vacabat, eidem curauit offerri: ipſi verò eundem Magiſtrum vacuum à Præpoſito redeuntem & iuxta onus eidem Prebendæ annexum in ordinem ſacerdotij promoueri paratum de prædicta dimidia curarunt Authoritate Apoſtolica inueſtiri.* Poſt inueſtituram verò Præpoſitus ipſe dicto Magiſtro per nuncium ſuum quindecim librarum reditus fecit offerri: quos quia recipere noluit, Nuncius Præpoſiti ad ſedem Apoſtolicam appellauit. Executores inſuper eundem Magiſtrum ad Inſulanum Capitulum deſtinantes, ei ſtallum in Choro & locum in Capitulo aſſignari fecerunt, & Canonicum cum ſolemnitate receptum ad poſſeſſionem admiſerunt eiuſdem Beneficij corporalem.

Magiſtri Pariſienſes præferuntur.

Verum dictus Preſbyter propoſuit exaduerſo, quod olim præbenda quædam inſtituta fuerat in Eccleſia Inſulana, non niſi preſbytero conferenda, qui ad honorem B. Virginis Diuina ſingulis diebus celebraret. Verum prædeceſſor memoratus vni Preſbytero eſſe nimis oneroſum attendens Diuina ſingulis diebus ce-

» lebrare, præbendam ipſam diuiſit in duas quas duobus Diaconis aſſignauit, iura-
» mento firmantibus quod in proximis quatuor Temporibus ad Preſbyterij ordinem
» conuolarent. Sed ne ad conſequentiam traheretur, ſtatutum eſt à Præpoſito &
» Canonicis & ſub pœna excommunicationis inhibitum, ne Beneficia ipſa conferen-
» rentur aliis niſi preſbyteris iam promotis. Vnde cum dicta dimidia vacauiſſet,
» ſæpe dictus Præpoſitus eam ad preces Capituli ſui dicto presbytero qui ad præ-
» ſentationē eorum fuerat in presbyterum ordinatus, conceſſit, *& eidem Magiſtro pa-*
» *ratus fuit in competenti Beneficio videlicet quindecim librarum reditibus prouidere.* Super
» quo idem Præpoſitus ad prædictos Executores Remenſes per nuncium ſuum di-
» citur litteras impetraſſe. Præterea cum biennium à tempore obtentæ indulgentiæ
» tunc temporis non fuiſſet elapſum, Præpoſitus ad eum recipiendum in Eccle-
» ſiam Inſulanam propoſuit non teneri, cum ſuper hoc fuiſſet indulgentia impe-
» trata.

» Cæterum Magiſter C. Indulgentiam ipſam ſibi non obeſſe reſpondit, cum de
» ipſa etiam in litteris noſtris mentio facta fuiſſet. Præterea ex quibuſdam ab aduer-
» ſa parte inductis nixus eſt comprobare, quod prædicta præbenda aliquando fuerat
» aliis etiam quàm preſbyteris aſſignata. Cum enim diceretur in litteris ipſis, quod
» ſecundum antiquam & magis vſitatam conſuetudinem Eccleſiæ Inſulanæ præ-
» benda ipſa eſſet preſbytero conferenda, vſitatum etiam ipſe dicebat vt aliis con-
» ferretur: cum etiam dicere quod aliquid inuſitato magis vſitatum fuerit, ſit abſur-
» dum.

» Cum autem Cardinalis prædictus quæ coram propoſita fuerant, in noſtra &
» fratrum noſtrorum audientia fideliter retuliſſet, Nos cauſam ipſam veſtro exami-
» ni duximus committendam, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè
» præcipiendo mandantes, quatenus niſi vobis conſtiterit ſufficienter per Præpo-
» ſitum & Capitulum Inſulanum fuiſſe concorditer inſtitutum & ſub pœna excom-
» municationis inhibitum & hactenus obſeruatum, vt prædictæ præbendæ aliis
» quàm preſbyteris conferrentur ſuper prædicta dimidia, dicto presbytero ſilentium
» imponatis, & faciatis per Cenſuram Eccleſiaſticam eundem Magiſtrum plena &
» pacificâ ipſius poſſeſſione gaudere. Quia verò presbyter ipſe ad præſentationem
» Præpoſiti & Capituli Inſulani fuit in Presbyterum ordinatus, volumus nihilomi-
» nus & mandamus, quatenus prædictos quindecim librarum reditus ei aſſignari
» manderis, & donec ei per Præpoſitum ipſius Eccleſiæ fuerit in Beneficio compe-
» tenti prouiſum. Alioquin ſi de prædictis conſtiterit ſuper ipſo prædicto Magiſtro,
» cum non fuerit Beneficium ei competens, ſilentium imponentes, eam ipſi pres-
» bytero per ſententiam Apoſtolicam appellatione poſtpoſita adiudicare curetis &
» faciatis per cenſuram Eccleſiaſticam eius pacificâ poſſeſſione gaudere. *Verum ne*
» *dictus Magiſter laboris, quem veniendo ad ſedem Apoſtolicam ſuſtinuit, mercede fruſtre-*
» *tur, ei faciatis prædictos* 15. *librarum reditus à Præpoſito monitione præmiſſâ ſublato ap-*
» *pellationis & dilationis obſtaculo per Cenſuram Eccleſiaſticam aſſignari Præbendam, quæ*
» *primò vacabit in Eccleſia Inſulana, donationi noſtræ reſeruari, mandantes perſonæ idoneæ*
» *conferendam. De qua ſi quid aliud fuerit ordinatum, Nos illud irritum decernimus.....*
Datum Laterani 3. id. Aug.

Eodem anno idem Pontifex Innocentius Gallicano Regno & Regi impensè addictus modis omnibus conatus eſt primùm Regem inducere ad recipiendam vxorem ſuam legitimam, à qua diuerterat, & dimittendam eam, quam ſuperduxerat. Itaque ſcripſit ad Odonem Pariſienſem Epiſcopum, quem ſciebat plurimum apud Regem poſſe, vt ſapientibus ſuis monitis Regem à prauo incepto dimoueret.

Innocentius ad Odonem Ep. Pacis de Diuortio Regis.

Innocentius Epiſcopus..... Venerabili fratri Odoni Epiſcopo Pariſienſi Sal. & Apoſt. Bened. Cum omnia orta occidant & orta ſeneſcant, ne operum Domini primitię penitus deperirent, poſuit Deus ſementem iuxta ſpecies ſuas in aliquibus Creatorum, vt quę ſecundum curſum temporis deficerent in ſeipſis, in ſuam
» ſementem proficerent. & in reparatione ſui generis vberius profilirent: ſic etiam
» cum homo ad imaginem Dei factus, & tam volucribus cœli, quàm piſcibus ma-
» ris & vniuerſis animantibus quę mouentur ſuper terram, munere Diuino prælatus
» in ſterilem cinerem ſterilis ipſe rediret, formata muliere in auxlium eius de latere
» dormientis audiuit, *Creſcite & multiplicamini & replete terram.* Cum ergo ex tunc

Adæ

Adæ poſteritas ſibi inuicem iungi conſueuerit fœdere nuptiali, vſque adeo ipſi in hoc cooperata eſt, & poſt lapſum parentis dextra Conditoris, vt iuxta illud Euangelicum *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet*, non humanæ adinuentioni ſed Diuinæ authoritati potius adſcribatur Matrimonij ſacramentum, per quod licet inter homines contrahatur, ſignificatur tamen in Chriſto coniunctio Eccleſiæ ac animæ fidelis ad ipſum iuxta illud Apoſtoli. *Hoc autem dico magnum ſacramentum in Chriſto & in Eccleſia.* Vnde quantum in nobis eſt, Eccleſiæ filiis debemus ſummo ſtudio præcauere, ne ſi quis impiè agens in ſeipſum partem ſui corporis, quia ſcindere omnino non poteſt, à ſe forſan auellere attentet, animam ſuam à Diuinæ bonitatis amplexibus efficiat alienam, & propter hoc totam Eccleſiam tanto amplius ſibi reddat offenſam, quanto minus prouidè figuram deſponſationis eius ad Chriſtum, quantum in ipſo fuerat maculauit. Hæc autem non ad inſtructionem tuam, quem Diuinæ legis notitiam plenius obtinere, ſed vt intentionis noſtræ vehementiam exprimamus, præſentibus litteris duximus explicanda. Qui quanto Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Francorum Regem Illuſtrem, purius diligimus, & ſpeciali quodam priuilegio intendimus amplius honorare, tanto intra nos ipſos fortius contriſtamur, quod Chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Francorum Reginam Illuſtrem, quantum in eo fuit à ſe minus licitè nixus eſt amouere. Ad cumulum præterea noſtri doloris accedit, quod cum vniuerſi progenitores eius veri fuerint Religionis Chriſtianæ cultores, inter quos illuſtris memoriæ Ludouicus quondam Rex Francorum Pater eius præ cæteris ſui temporis Diuinæ fuit Legis amator, Regis ſerenitas, quam ipſi vellemus non minus in obſeruantia mandatorum Domini, quàm Regni hereditate ſuccedere, contra ſalutem & famam ſuam dictam Reginam à conſortio thori remotam in remotis partibus Regni Francorum licet inter Religioſas, priuatas tamen perſonas vitæ ſuæ curſum implere compellit. Licet autem felicis recordationis Cœleſtinus Papa prædeceſſor noſter apud eum non potuerit obtinere, vt Reginam ipſam in gratiam & beneuolentiam ſuam receptam ad Regni conſortium reuocaret, nos tamen non de meritis noſtris ſed de Diuina potius miſeratione ſperantes & de puritatis tuæ ſolicitudine confidentes, què litteraturæ, honeſtatis & conſanguinitatis intuitu eſſe credimus in eiuſdem Regis oculis gratioſum, precum noſtrarum primitias per te ipſi ex parte noſtra porrectas ab ipſo confidimus tanto libentius admittendas, quanto amplius de ipſius ſumus ſalute ſoliciti, & per huius Apoſtolicæ petitionis effectum non tam noſtris commodis, quàm integritati ſui nominis conſuletur. Rogamus igitur fraternitatem tuam, monemus & exhortamur in Domino, ac per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus eundem Regem ex parte noſtra diligentius moneas & inducas, & in remiſſionem ei peccatorum iniungas, vt prædictam Reginam in plenitudinem gratiæ Regalis admiſſam maritali ſtudeat affectione tractare, vt ad mentem reuerſus in laudem Domini cum Petro decantet, *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum & tulit me de manu Herodis, illius* ſcilicet, qui ſicut olim animã pueri eius hactenus ſanguinem ſitiebat. Verendũ ſiquidẽ ei credimus ne propter offenſam Diuinam & humanam infamiam, irreparabilem etiam iacturam incurrat. Cum enim ex ea quam contra interdictum Eccleſiæ ſuperduxit, legitimam nequeat ſobolem procreare, ſi forte quod abſit, vnicus eius filius rebus eximeretur humanis, Regnum eius ad extraneos deueniret, qui quoniam eidem Reginæ ſui negauit corporis poteſtatem, ipſius promerentibus culpis, multis anguſtiis irruentibus nunquam optatâ potuit felicitate gaudere: ſed præter alias affectiones tota Gallicana prouincia famis fuit ſterilitate percuſſa, & niſi quantocius reſipiſcat, flagellum Dei contra ſe poteſt grauius formidare. Quod ſi forſan, quod abſit, ſalubribus monitis tuis, quæ ſæpius iterari volumus, apud ipſum acquieſcere non curarit, quantumcunque nobis moleſtum exiſtat eam in aliquo moleſtare, id non poterimus, ſicut nec debemus ſub diſſimulatione tranſire. Huic autem ſtudio tantò diligentius debes inſiſtere & intentione omnimoda incumbere, quanto Creatori amplius tua in hac parte ſolicitudo placebit, & glorioſius etiam tibi erit, ſi per tuam inſtantiam fuerit Domino faciente completum, quod non potuit per aliquorum prudentiam ſeu diligentiam hactenus adimpleri. Datum Laterani.

Scripſit quoque ad Philippum ſuauiter admonens & rogans, vt repudiatâ pelli-

ce legitimam vxorem recipiat, atque vt efficacius perſuadeat, ſuum erga eum amorem grati que animi teſtificationem ſignificat, propterea quod ab eo dum Lutetiæ ſtuderet, multis beneficiis affectus fuerit.

Ad Philippum Regem.

„ Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Philippo Illuſtri
„ Francorum Regi Sal. & Apoſtol. bened. Licet dextera Domini ſuam fecerit in
„ noſtra promotione virtutem de terra ſuſcitans inopem, & de ſtercore erigens pau-
„ perem, & illud nos voluerit dignitatis ſolium obtinere, vt non ſolum cum Prin-
„ cipibus ſed de Principibus etiam iudicemus, cum tamen conditionem humilita-
„ tis noſtræ conſpicimus, & de quo & ad quid ſimus vocati, penſamus, præter ge-
„ nerale debitum paſtoralis officij quod ſingulis nos conſtituit debitores, tibi & re-
„ gno tuo ſpecialiter nos fatemur teneri, *in quo Nos recolimus in ſtudiis litterarum ata-*
„ *tem tranſegiſſe minorem, ac Diuino munere quantacunque ſcientiæ donum adeptos Benefi-*
„ *ciorum impenſam multiplicem ſuſcepiſſe.*

Innocentius Pariſiis ſtuduit.

„ Ad cumulum autem huius præcipuæ dilectionis accedit progenitorum tuo-
„ rum grata memoria, quos ſicut Chriſtianiſſimos Principes nec ventus turbinis,
„ nec impetus tempeſtatis ab Eccleſia Rom. potuit aliquando ſeparare: quin potius
„ tanto amplius in ipſius deuotione ſeruirent, quanto fortius in nauiculam noſtri
„ Piſcatoris fluctus inſurgerent & mare tumultuoſius ventorũ incurſibus fluctuaret.
„ Vnde cum in minori quondam officio conſtituti ſerenitatem Regiam & Regnum
„ Franciæ ſpeciali amplexati fuerimus dilectionis affectu, nunc ad apicem ſummi
„ Pontificatus licet inſufficientes aſſumpti, priuatis affectibus, cauſis communibus
„ ſuperuenientibus tam ardentius in Regiæ ſerenitatis dilectione flagramus, vt oc-
„ caſionem precemur à Domino nobis indulgeri, per quam affectus interior prodeat
„ in effectum, & prærogatiua ſinceritatis quam ad te gerimus, in opere pateat Vni-
„ uerſis. Verum quanto amplius Celſitudinem tuam honorare cupimus & ad pro-
„ fectum tuum ardentius adſpiramus, tanto magis de tua ſumus ſalute ſoliciti, &
„ grauius ferimus ſi noſtræ charitatis affectus circa ſerenitatem tuam, te præſertim
„ dante materiam, videretur, quod abſit, refrigeſcere vel torpere. Sanè quantum
„ ſcandalum ſit exortum ex ſuperinductione illius quam poſt multiplices inhibitio-
„ nes Eccleſiæ, quarum vnam factam per bonæ memoriæ M. Meliorem Sanctorum
„ Ioannis & Pauli Presbyterum Cardinalem tunc Apoſtolicæ ſedis legatum, & dile-
„ ctum filium Cenſium ſubdiaconum & Notarium noſtrum, cum felicis recordatio-
„ nis Cœleſtini Papæ Prædeceſſoris noſtri litteras in tua fecere præſentiâ recitari,
„ quæ inhibitionem apertius continebant, ad te nouimus peruenisſe, & poſt datas
„ & receptas Epiſtolas venerabilibus fratribus noſtris Niuelone Sueſſionenſi & Ste-
„ phano Nouiomenſi Nunciis tuis propter hoc apud ſedem Apoſtolicam conſtitutis
„ ſuperinducere voluiſti, tibi credimus ex parte liquere. In quo ad diſcretionem
„ veritatis non debet vincere ſenſualitas rationem. Noſti etenim quod morbus iſte
„ iam vicina corrumpit, & *ad excuſandas excuſationes in peccatis* factus es cæteris excu-
„ ſatio, & in nos & Romanam Eccleſiam detractionem non modicam ſuſcitaſti.
„ Quantum autem ex hoc te ipſum læſeris, ex eo manifeſtè perpenditur, quod om-
„ nia tibi contraria ſucceſſerunt, quæ prius proſpera ſuccedebant: nec datum
„ eſt tibi frui etiam pace Diuina, quin etſi non corpus, mentem ſaltem ſollicitudo
„ grauis vrgeret, quod tibi eſſe debet euidens argumentum, quod propter hoc Diui-
„ nam indignationẽ incurreris, cũ præſertim ſuperinductæ conſanguinitas opponatur: Chariſſimæ autem in Chriſto filiæ noſtræ N. Reginæ Franciæ nonniſi impe-
„ dimentum fuiſſet affinitatis obiectum. Vt igitur ſaluti tuæ conſulas & honori, vt
„ Nos & Romanam Eccleſiam à labiis iniquis & lingua liberes detractrice, vt Do-
„ minum tibi reddas propicium, quem iratum tibi hactenus reddidiſti, rogamus ſe-
„ renitatem Regiam, monemus & exhortamur in Domino & in remiſſionem iniun-
„ gimus peccatorum per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus in te ipſum
„ aciem tuæ conſiderationis reflectas, ſic tuos actus diiudices vt ab aliis non de-
„ beas iudicari, memor eſto conditionis tuæ, & nouiſſima iuxta verbum ſapientis
„ attendens, quod ſcandalum in Eccleſia parit, quod nobis detractionem generat,
„ quod in perniciem tuæ ſalutis vertitur & in diſpendium totius Regni redundat,
„ alios ſimili corrumpens exemplo corrigas per te ipſum, ſuperinductam de fini-
„ bus Regni Francorum remoueas, & eam reducas in Regnum & Reginam appel-
„ les ac facias appellari, mandans ei ab omnibus tanquam Reginæ deferri, quam

à te minus rationabiliter abieciſti. Quod ſi poſtmodum vſque adeo ſerenitatem tuam Oriens ex alto reſpexerit & cor tuum lux illa dignata fuerit illuſtrare, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt prædictam Reginam quam ex teſtimonio plurium, quibus eſt religionis & dignitatis ratione credendum, miræ ſanctitatis & honeſtatis audiuimus eſſe, retineas in gratia coniugali, præſertim cum vix nobiliorem ducere poſſis, & id tibi plurimum expedire noſcatur. In his facilius & ad votum tuum celerius exequendis, quæ ſerenitati tuæ diebus iſtis incumbunt, gaudebimus plurimum, & in agendis gratiarum actionibus aſſurgemus.

Quod ſi forſan, quod abſit, deſuper datum non fuerit, ſicut de iure tenemur, iuris tibi licentiam non negamus, quo minus facta prius reſtitutione audiamus & exaudiamus, quod rationabiliter duxeris proponendum. Si autem, quod non credimus, nec famæ tuæ, nec honori conſuleres, nec mandatis noſtris nec monitis obedires, quantumcumque nobis moleſtum exiſteret te in aliquo moleſtare, contra te tanto amplius moueremur, & manum curaremus Apoſtolicam aggrauare, quanto ſerenitatem tuam ſincerius diligimus, & quos amamus ſeuerius arguere intendimus, & durius caſtigare, cum inſpirante Domino immutabilem animum & inflexibile propoſitum habeamus, nec prece, nec pretio, nec amore nec odio declinandi à ſemita rectitudinis, ſed via Regia incedentes nec ad dexteram declinabimus, nec deuiabimus ad ſiniſtram ſine perſonarum acceptione facientes iudicium, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Non ergo poſſes, quantumcunque confidas de tua potentia, ſubſiſtere ante faciem, non dicimus noſtram, ſed Dei, cuius licet immeriti vices exercemus in terris, cum authore iuſtitiæ qui eſt veritas, pro iuſtitia & veritate pugnante inimici tui in te ac Regnum Franciæ prævalerent, nec valeret temporalis tuus & exiguus potentatus Diuinæ ac æternæ repugnare omnipotentiæ Maieſtati. Ne facias ergo, fili Chariſſime, de neceſſitate virtutem, & nobis in hoc imò Creatori tuo, per quem vius & regnas, humiliter ſatisfacias, quatenus ipſum tibi reddas propitium & nos tibi conſtituas amplius debitores, ſciturus pro certo, quod niſi mandatum noſtrum hac vice iuraueris adimplere, non differemus vlterius quin officij noſtri debitum exequamur. Datum Laterani. 16. Kal. Iunij.

Eodem anno idem Pontifex confirmat Monachorum San-Germano-Pratenſium, priuilegia datis ad Willielmum Archiepiſcopum Remenſem S. Sabinæ Cardinalem & ad Robertum tunc S. Germani Abbatem, Fulconis de quo ſupra diximus, ſucceſſorem, Litteris. Confirmat quoque pacem inter Archiepiſcopum Senonenſem & Monachos initam poſt longæ litis de Procurationibus contentationem; vt intelligimus ex Ep. 190. Stephani Tornacenſis ad iudices à Cœleſtino III. datos: quibus Monachorum cauſam commendat his verbis. *Audiui D. Papam prudentiæ veſtræ commiſiſſe cognitionem cauſæ, quæ vertitur inter D. Senonenſem & Eccleſiam S. Germani de Pratis, quam non parum difficultatis nec minus diſcriminis* importare video & authoritati Iudicum & Partium voluntati. De Procurationibus agitur corporum, non de ſalute animarum, de numero quadrupedum & hominum, non de merito virtutum aut victoria vitiorum. In hoc tamen conflictu ſummi Pontifices Alexander, Lucius, Vrbanus, Clemens & qui hodie ſedet Cœleſtinus manus iniecerunt, & diuinis priuilegiis taxantes euectionis numerum, iurgio ſuper Procuratione moto impoſuiſſe creduntur. Vid. & legi priuilegia iſta, nec facili veritate nec falſa ſuggeſtione impetrata, ſed omni ſolennitate ſubnixa & Cardinalium ſubſcriptionibus roborata. Quid tantum aut tutum eſſe poterit, ſi ſuper talibus dubitare, diſceptare aut diſputare aliqui voluerint, cum munimenta Apoſtolica vobis & nobis immo omnibus Eccleſiis & poſſeſſiones earum ſeruent & iura tueantur & defendant. Parcite, Patres, authoritati veſtræ, parcite dignitati & prudentiæ, & *examen iſtud reſeruate ſummo Pontifici, qui ſolus poteſtatem habet & condendi nouos Canones & exponendi veteres & interpretandi priuilegia ſua & corrigendi aliena.*

Igitur Innocentius iurgiis iſtis & contentionibus modum imponere cupiens, nouâ Bullâ prædicti Monaſterij priuilegia amplificauit & confirmauit. Non omittendum tamen quod M. Ioannes Launoyus Doctor Theologus Pariſienſis multis rationibus comprobare nititur bullas eiuſmodi eſſe ſubreptitias, obtentas ſcilicet per veri ſuſpenſionem ſeu ſuppreſſionem & falſi ſuggeſtionem: ſed ea de re

diſputent : nos Bullam ad Robertum datam, quia ad negotium noſtrum pertinere videtur, hiſce commentariis adtexere non putamus fore inutile. Sic igitur habet.

Priuilegiũ S. Germano Prat. conceſſum.

» *Innocentius* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis filiis Roberto Abbati S. » Germani Pariſienſis eiuſque fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem » vitam profeſſis in perpetuum. *In eminenti Apoſtolicæ ſedis ſpecula ad hoc ſumus li-* » *cet immeriti diſponente Domino conſtituti*, vt iuſtas petitiones debeamus libenter ad- » mittere, & eis ſtudeamus effectum vtilem indulgere. Eapropter Dilecti in Do- » mino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus annuentes Monaſterium B. Germani de » Pratis in quo Diuino mancipati eſtis obſequio, quod propriè Beati Petri Iuris » exiſtit, ad exemplar felicis memoriæ Paſchalis, Innocentij, Lucij, Euge- » nij, Anaſtaſij, Alexandri, Lucij, Vrbani, Clementis, & Cœleſtini Prædeceſſo- » rum noſtrorum Romanorum Pontificum ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſci- » pimus & præſentis ſcripti pagina communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, vt » Ordo Monaſticus qui ſecundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem Mona- » ſterio inſtitutus eſt, obſeruetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones.... illibata per- » maneant. Per præſentis itaque Priuilegii paginam vobis veſtriſque ſucceſſoribus » in perpetuum confirmamus, vt quæcunque libertas, quæcunque dignitas Priui- » legio B. Germani, Scriptis Childeberti, Clotarii atque aliorum Regum Franco- » rum veſtro Monaſterio collata eſt, eidem permaneant illibata. Adhæc volentes » te, Dilecti fili Roberte Abbas, & Monaſterium tuum honoris & gratiæ priuile- » gio decorare adinſtar dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Alexandri & Cœ- » leſtini vſum mitræ & annuli atque ſandaliorum tibi & per te ſucceſſoribus tuis » de conſuetâ ſedis Apoſtolicæ benignitate duximus indulgendum. Præcepimus » autem, vt Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, Ordinationes & » quæcunque vobis ex Pontificali ſunt miniſterio neceſſaria, à nullo Catholico » Epiſcopo vobis veſtriſque ſucceſſoribus denegentur. *Sanè Miſſas, Ordinationes,* » *Stationes ab omni Epiſcopo vel Clerico Pariſienſis Eccleſiæ in eodem Monaſterio præter vo-* » *luntatem Abbatis, vel Congregationis fieri prohibemus, nec habeant poteſtatem aliquid* » *ibi imperandi, ſed nec diuina Officia ipſis interdicere, nec excommunicare, nec ad ſyno-* » *dum vocare, aut Abbatem aut Monachos aut Presbyteros aut Clericos Eccleſiarum ipſius* » *loci tribuimus facultatem.* Adiicimus etiam vt in Parochialibus Eccleſiis, quas ex- » tra Burgum B. Germani tenetis, Presbyteri per vos eligantur, & Epiſcopo præ- » ſententur, quibus ſi idonei fuerint, Epiſcopus animarum curam committat, vt » ei de plebis cura, de rebus verò temporalibus ad Monaſterium pertinentibus res- » pondeant. Quod ſi forte facere noluerint, ſubſtrahendi eis temporalia quæ à » vobis tenent, liberam habeatis authoritate Apoſtolica facultatem. Authoritate » etiam Apoſtolica ſtatuimus, & vobis de conſueta clementia & benignitate ſedis » Apoſtolicæ indulgemus, vt nullius Legationi, niſi à latere Romani Pontificis » ſpecialiter fuerit delegatus, ſubiacere aut ſubeſſe vllo modo debeatis, nec alicui » liceat obtentu legationis ab Apoſtolica ſibi ſede indultæ vos vel ſucceſſores ve- » ſtros, ſeu Monaſterium veſtrum vel Eccleſias quæ infra Burgum B. Germani » ſunt, vlla inter dicti vel excommunicationis ſententiâ prægrauare, vel ſuper vos, » aut ſuper dictas Eccleſias Iuriſdictionem aliquam exercere, niſi ſpecialiter hoc fue- » rit à Romano Pontifice illi mandatum. *Præterea compoſitionem quæ inter Monaſterium* » *veſtrum & bonæ memoriæ Guidonem quondam Senonenſem Archiepiſcopum ſuper Procura-* » *tionibus, quas à vobis in quibuſdam villis petebat, rationabiliter interceſſit, ſicut proui-* » *dè ac ſine prauitate facta eſt & recepta & hactenus obſeruata, atque in inſtrumento exinde* » *confecto plenariè continetur, ratam habentes, authoritate Apoſtolica duximus confirman-* » *dam.* Ad maiorem autem euidentiam compoſitionis ipſius Reſcriptum illud de » verbo ad verbum huic priuilegio duximus inſerendum, cuius tenor talis eſt.

» *In nomine* ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Guido Dei Gratia Senonenſis Archie- » piſcopus omnibus ad quos præſentes litteræ peruenerint, in Domino ſalutem. » Notum fieri volumus vniuerſis præſentibus & futuris, quod diſcordia quæ erat » inter nos & Fulconem Abbatem S. Germani de Pratis & ipſam Eccleſiam de Pro- » curationibus, quas ab eis petebamus in Emant & Balneolo & S. Germano iuxta » Munſteriolum in præſentia D. Philippi Francorum Regis ita terminata eſt. In » hoc ſiquidem quittauimus F. Abbati & Eccleſiæ S. Germani in perpetuum Pro-

curationes,quas in prædictis locis petebamus ab eis tali modo: Quod Abbas & ſucceſſores ſui nobis & ſucceſſoribus noſtris, vel noſtris certis nunciis pro procurationibus illis reddent ſingulis annis octo libras Pariſienſes apud Emant in octauis Paſchæ: Et ſi nos, vel ſucceſſores noſtri venerimus ſemel in anno ad Emant vel Balneolũ, vel ad villã, quæ dicitur S. Germanus, Abbas aut ſucceſſores ſui aut ille qui domum tenebit, recipiet nos & ſucceſſores noſtros, & viuemus ibi nos & ſucceſſores noſtri nocte vna ſumptibus noſtris propriis: infra quod ille qui domum tenebit, non tenebitur aliquid dare Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris præter hoſpitium, niſi hoc de gratia facere voluerit. Et ſi nos vel ſucceſſores noſtri ſemel recepti fuerimus in vno prædictorum locorum, non tenebuntur Monachi recipere nos ſiue ſucceſſores noſtros in aliquo illorum trium eodem anno. Nos autem fecimus quittari iam dictæ Eccleſiæ & Abbati medietatem decimæ lanæ à presbyteris, qui ſunt in Eccleſiis S. Germani per Archiepiſcopatum Senonenſẽ conſtitutis, ſcilicet in Emant, Balneolo, villa, quæ dicitur S. Germanus iuxta Munſteriolum, Matriolis, & preſbyteri dictarum Eccleſiarum aliam medietatem eiuſdem decimæ habebunt. Nuncij autem Abbatis S. Germani facient fidelitatem Preſbyteris qui in dictis Eccleſiis erunt, & preſbyteri per Nuncios ſuos nunciis Abbatis de dicta decima communiter & fideliter quærenda & inter ſe diuidenda: quod ne valeat alicuius obliuione deleri, vel maliciosè peruerti, ſigillo noſtro fecimus id confirmari, adſtantibus Eccleſiæ noſtræ perſonis Salone & Manaſſe Archidiacono, Willielmo Theſaurario, Gaufrido Præcentore. Teſtes huius rei ſunt Stephanus Abbas S. Genouefæ & Canonici illius, Hugo Almaricus Miles, N. Abbas S. Remigij Senonenſis, M. Anſellus de Cancellaria, Ogerius de Auonſ. actum apud Fontem Blaudi anno ab Incarnatione Domini 1191.

Deinde prohibemus vt Monaſterij veſtri Monachos vbicunque de Mandato Abbatis habitauerint, nullus præter Rom. Pontificem vel Legatum ab eius latere miſſum abſque ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ vel præter Abbatem ad quem cura & cuſtodia eorum pertinet, excommunicet aut interdicat. Ob cunte vero... Eligendum. Electus autem vel à Romano Pontifice, vel à quo maluerit, Catholico Epiſcopo munus benedictionis accipiat.....

Apoſtolica in ſuper authoritate vobis duximus indulgendum, vt infra parochias Eccleſiarum ad iam dictum Monaſterium pertinentium Nullus Oratorium, Capellam, vel Eccleſiam ædificare aut cœmiterium facere ſinè Diœceſani Epiſcopi & veſtro conſenſu audeat, niſi forte Templarij vel Hoſpitalarij fuerint, quibus hoc Apoſtolicæ ſedis Priuilegijs indultum fuiſſe noſcatur. *Paci quoque & tranquillitati veſtræ Pontificali volentes prouiſione proſpicere, præſente Priuilegio duximus ſtatuendum, vt ſi quis terras ad vos de iure ſpectantes, in quibus portionem habetis*, vel Campos *donatione aut venditione, ſeu quolibet alio alienationis titulo in aliam Eccleſiam vel Religioſa loca tranſtulerint, Eccleſiis illis vel locis Religioſis vltra annum & diem vel ſine aſſenſu veſtro non liceat retinere*: ſed iuxta conſuetudinem Gallicanarum Eccleſiarum talibus pretio ſeu dono concedant, quæ vobis & Monaſterio veſtro iura veſtra cum integritate perſoluant. Decernimus ergo &c. Data Romæ apud S. Petrum per manum Rainaldi D. Papæ Notarij Cancellarij vicem agentis 2. Id. Maij Indict. 1. Incarnat. Dom. 1198. Pontificatus vero D. Innocentij Papæ III. an. 1.

Hac, vt credibile eſt, Bulla fulti Monachi San-Germano Pratenſes litem mouerunt Vniuerſitati ob *Campos* S. Germani, ſeu *Pratum Clericorum*, quod dicebant ab aliquo ex Abbatibus ſecularibus olim alienatum, vt alibi diximus, ac proinde ſe illius repetendi ius habere contendebant, maximè vero quia non poterant aliter tranquilli eſſe & paccati, propterea quod Scholaſtici ſæpe petulantes frequentia iurgia cum ſeruis & hominibus ſuis exercebant, vt acciderat tempore Fulconis Abbatis. Verum quocunque tandem modo lis illa fuerit intentata & agitata, anno 1215. à M. Roberto de Curzon ſeu Corceon Cardinale terminata eſt in fauorem & gratiam Vniuerſitatis his verbis, PRATVM SANCTI GERMANI IN EO STATV IN QVO EIS FVIT ADIVDICATVM, EIS PLANE CONFIRMAMVS.

Cum autem annis ſuperioribus recruduiſſet antiqualis inter Epiſcopum Pariſienſem & Abbatem San-Genouefianum, magniſque laboribus, ſumptibus & im-

De Lite San Genouefiana.

penſis agitata fuiſſet Romæ, anno tandem 1199. Innocentius tres Iudices dedit Vizeliacenſem & Antiſſiodorenſem Abbates ac Fulconem Decanum Eccleſiæ Aurelianenſis, qui de ea cognoſcerent & ſecundum poſſeſſionem iudicarent. Erat autem hæc materia litis. Odo recens factus Epiſcopus voluerat edi ſibi Parochorum ſeu Curionum nomina, qui Eccleſiis B. Genouefæ ſubiectis ſacra miniſtrabant. Tergiuerſatus vero Abbas Ioannes edere Montani nomen de quo potiſſimum erat quæſtio, eo rem adduxerat, vt Epiſcopus omni ſacrorum miniſtratione interdiceret in Monte & oppido San-Genouefiano.

Abbas Papam appellarat, atque interim vt ſcrupulum omnem demeret animis Parochianorum, per Stephanum Epiſcopum Tornacenſem qui prius S. Genouefæ Abbas fuerat, publicè ad populum dici curarat futilia & vana eſſe eiuſmodi interdicta, vt pote priuilegiis Apoſtolicis aduerſantia, quibus Mons prædictus & omnes Montis incolæ ab omni iuriſdictione Epiſcopali quo ad cenſuras exempti, immunes & liberi ſtatuebantur. Cum itaque nihil Epiſcopus proficere potuiſſet, coactus fuerat Abbatem prouocantem & appellantem ſequi; atque idcirco ad Romanam Curiam M. Petrum de Corbolio miſerat, vt ius ſuum apud Pontificem cuius olim Magiſter fuerat, tutaretur. Abbas quoque Ioannes eiuſdem Pontificis in Scholis Pariſienſibus condiſcipulus illuc profectus has porrexit à Stephano Tornacenſi litteras.

„ *Eccleſia B. Genouefæ Pariſienſis ſpecialis filia veſtra beatorum Dionyſii & Germani ſo-*
„ *ror Germana contriti cordis & humiliati ſpiritus ſacrificium vobis offert, & lachrymæ eius*
„ *in maxillis eius.* Contra libertatem & dignitatem ipſius, quam à ſancta Ro.
„ Eccleſia Matre ſua priſcis temporibus obtinuit, nouus Pariſienſis Epiſcopus no-
„ ua prætentat argument conflare, grauationes ſcrupuloſas intexere, in capite &
„ in membris ſub ſpecie prælationis iuriſdictionem, quam nec oportet nec licet vſur-
„ pare. Propter hæc & alia grauamina multa, quæ ſuſtinere nec poteſt nec debet, de-
„ uotus filius veſter eiuſdem Eccleſiæ Abbas accedit & procidit ad pedes veſtros,
„ vt priuilegia S. ſedis Apoſtolicæ B. Virgini à Deceſſoribus veſtris indulta & con-
„ ceſſa, à tantis authoribus vallata & munita firmiter obſeruari faciatis, ne præua-
„ leat homo aduerſus Diuinam & Apoſtolicam ſedem, nec per inſolentiam aduer-
„ ſus filios veſtros gaudeat inimicus. *Tres ſpirituales filias veſtras circa & prope Pari-*
„ *ſius vrbem ſacro Trinitatis numero connexas, ſcilicet Eccleſiam S. Dionyſii, S. Germani, S.*
„ *Genouefæ, ſuper quas* inuocatur ſpiritualiter nomen veſtrum, dolentes vident &
„ inuident aduerſarij noſtri, & triplicem funiculum fraternæ Charitatis noſtræ non
„ facile rumpi poſſe ſcientes, conantur imminuere, lædere, conculcare, incruſtare.
„ Suſcipite, Pater, filium veſtrum & exaudite preces eius: ſuſcipite & fouete viſce-
„ ra noſtra in eo *qui de vobis ex priſtina ſocietate ſcholari & notitia ſpiritualiter con-*
„ *fidit*: ne ſi forte quod abſit, aliquam à vobis paſſus fuerit repulſam, dicatur ab in-
„ uidis cum cachinno & riſu, *Ecce quomodo amabat eum.* Iuſtum eſt quod poſtulat,
tanquam qui pro patria pugnat, pro libertate decertat.

Innocentius autem variis diſtractus negotiis liti cognoſcendæ deputauit duos Cardinales, ex quorum relatione didicit non poſſe rem definiri Romæ, quod vtraque pars poſſeſſionem ſibi vindicaret, vtraque priuilegia Apoſtolica obtenderet. **Igitur in Galliam remiſit datis ad tres iudices prædictos hiſce litteris.**

„ *Innocentius* Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Vizeliacenſi & S. Pe-
„ tri Antiſſiodorenſis Abbatibus, F. Decano Aurelianenſi ſal. & Apoſt. benedict.
„ *Accedentibus ad Apoſtolicam ſedem Dilectis filiis Abbate S. Genouefæ & M. Petro de Cor-*
„ *bolio* Venerabilem fratrem noſtrum I. Albanenſem Epiſcopum & Dilectum fi-
„ lium S. Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem deputauimus auditores,
„ in quorum præſentia præfatus Magiſter pro venerabili fratre noſtro Pariſienſi
„ Epiſcopo, cuius Procurator fuerat inſtitutus propoſuit quod idem Abbas ſu-
„ per poſſeſſione iuris Parochialis in Parochia de Monte grauem Epiſcopo mo-
„ leſtiam ingerebat, cum eam poteſtatem vſque ad tempora ſua Pariſien-
„ ſis Epiſcopus habuerit in Parochianos de Monte ac Presbyterum, qui eis Diuina
„ pro tempore miniſtrabat, quodſi eſſet etiam Canonicus Regularis & curam Pa-
„ rochiæ committebat, etiam ſacerdos poſt curam ſuſceptam de manu Epiſcopi Pa-
„ rochianos ad nutum eius ligabat pariter & abſoluebat, & ſi quis excommunica-
„ tus eſſet ab Epiſcopo veletiam interdictus, Presbyter cum non admittebat aliqua-

tenus ad Diuina, qui etiam benedictiones ſponſorum, purificationes de partu ſurgentium, publicas pœnitentias non aſſumebat ſibi niſi de mandato Epiſcopi ſpeciali. Etſi forte ſacerdos talis eſſet, qui diuina non poſſet populo miniſtrare, ipſius exceſſum Abbati S. Genouefæ & fratribus Epiſcopus nunciabat, qui cognita veritate amoto indigno ad animarum curam recipiendam alium Epiſcopo præſentabant. Cum ergo nouiſſimè præfatus Epiſcopus præmonuiſſet Abbatem, vt Capellanos ſuos qui debebãt Parochiis deſeruire ad ſuſcipiendam curam animarum Epiſc. præſentaret, hoc ſe facturum reſpondit, & aliquos præſentauit: ſed requiſitus, quod præſentaret illum qui debebat in præfata de Monte Parochia deſeruire, dixit nunc eum non poſſe propter abſentiam præſentari. Cumque hoc ſæpius monitus facere non curaret, Epiſcopus parochianis de Monte ſub pœna excommunicationis inhibuit, ne in Eccleſia S. Genouefæ vel audirent Diuina, vel aliqua reciperent ſacramenta, niſi ab illo Presbytero qui animarum curam ab Epiſcopo ſuſcepiſſet: quæ ſententia in eadem Eccleſia fuit præſente Parochia publicè recitata, eamque Parochiani de Monte ſicut ſolebant, iamdiu ſeruauerunt, donec facientibus Canonicis S. Genouefæ populo conuocato in verbo ſacerdotis & periculo animæ per venerabilem fratrem noſtrum S. Epiſcopum Tornacenſem ipſius Eccleſiæ quondam Abbatem fuit publicè prædicatum, quod ſecurè poterant audire Diuina, cum in eos non Archiepiſcopus, non Epiſcopus vel Archidiaconus poſſet excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgare, ſicque ab eis inducti ſpiritualia receperunt. Epiſcopo ergo quemadmodum præmiſſum eſt, ſpoliato obedientiâ parochiæ memoratæ petebat dictus Magiſter ipſi Epiſcopo ante omnia quaſi poſſeſſionem iuris Parochialis reſtitui, aduerſariis ſuis ſuper his quæ aduerſus eum proponenda ducerent plenariè reſponſuro, cum nec ante teſtimonium reſpondere deberet aduerſariis ſpoliatus, & quod Epiſcopus Tornacenſis & Canonici ſæpe dicti de præmiſſis exceſſibus punirentur. Cauſa poſtmodum coram delegatis iudicibus ordine debito pertractanda. In quorum præſentia de iure Pariſienſis Eccleſiæ plenius probaretur, quod impræſentiarum propter probationum inopiam fieri non valebat.

Cæterum præfatus Abbas verſâ vice nouam iniuriam inferri ſibi per nouum Epiſcopum proponebat aſſerens *Eccleſiam ſuam cum Burgo à primo fundationis tempore liberam extitiſſe, nec alicui vnquam in ſpiritualibus niſi Rom. Pontifici fuiſſe ſubiectam.* Quod per reſcriptum bonæ memoriæ Cœleſtini Papæ prædeceſſoris noſtri ad cautelam oſtendere nitebatur. Qui piæ recordationis Alexandri, Lucii & Clementis Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum exempla ſecutus præfatam Eccleſiam eâ inter alia libertate donauit, vt nullus ipſam, Canonicos, vel Burgum interdicto vel excommunicationi poſſet ſupponere, niſi ſummus Pontifex vel Legatus ab eius latere deſtinatus. Contra quam libertatem præfatus Epiſcopus venire præſumens in alienam meſſem falcem mittere, quod nullus vnquam prædeceſſorum ſuorum fecerat, non expauit Canonicum ipſius Eccleſiæ, qui hominibus Burgi ſpiritualia miniſtrabat, vt ab eo curam animarum reciperet, ſibi poſtulans præſentari. Quod cum obtinere non poſſet poſt appellationem ſolemniter interpoſitam & iter arreptum ad ſedem Apoſtolicam veniendi omnes qui in Eccleſia S. Genouefæ Miſſam Parochialem audirent & communicantes eis excommunicationi ſubiecit. Cuius timore motus populus tanquam rudis ex ignorantia vel humilitate abſtinuit aliquandiu à Diuinis, ſed per iam dictum Tornacenſem Epiſcopum olim Abbatem eiuſdem Eccleſiæ illuc poſtmodum accedentem cognitâ veritate, qui ſicut Iuris peritus eis aſſeruit incunctanter quod ſententia Pariſienſis Epiſcopi de qua præmiſimus, tanquam à non ſuo Iudice lata nullius obtinebat roboris firmitatem, ad proprium redijt populus ſacerdotem, quem ſi etiam ex certa ſcientia euitaſſet, vt ſic iure ſuo Eccleſia priuaretur, ei non ſic poſſet, ſicut nec per Colonum Domino inſcio vel inuito præiudicium generari. Quoniam etſi Epiſcopus aliquid iuris haberet in eos, quod penitus negabatur, cum eo quod appellationi non detulit, in leges commiſerit, per eas non debebat reſtitutionis Beneficium obtinere, *quia is fruſtra leges inuocat qui committit in eas,* præſertim cum nunquam fuerit deſtitutus. Vnde reſtitutionem petere non valebat. Quod autem eadem Eccleſia eſſet in poſſeſſione inſtituendi Canonicum qui ſpiritualia populo miniſtrabat, & quod ſuper hominibus Burgi vtramque iuriſ-

„ dictionem haberet & prædeceſſorum ipſius Epiſcopi temporibus habuiſſet, pa-
„ ratum ſe Abbas ex abundanti dicebat in continenti probare. Poſtulabat proinde
„ quidquid à ſæpe dicto Epiſcopo de facto fuerat poſt appellationem interpoſitam
„ attentatum, irritum iudicari, eumque ne de cætero ſimilia præſumeret, coër-
„ ceri.

„ Præmiſſis igitur & aliis rationibus per dictos Auditores qui & petitiones & alle-
„ gationes partium in ſcriptis redactas nobis & fratribus noſtris prudenter & fide-
„ liter retulerunt, plenius intellectis, nos attendentes quoniam ex eo ſolo quod po-
„ pulus dictæ Parochiæ timore huius ſententiæ per aliquot dies abſtinuit audire
„ Diuina, nullam in eos iuris Parochialis poſſeſſionem dictus Epiſcopus acquiſiuit
„ nec fuit aliquo modo probatum, quod eo tempore quo idem Epiſcopus tulit ſen-
„ tentiam in ipſos, poſſeſſionem iuris Parochialis haberet, vel eam prius habuiſſet,
„ iuriſdictionem ei adiudicare de iure nequiuimus cum non conſtiterit eum fuiſſe
„ aliquatenus ſpoliatum. Verum quia ſuper aliis quæ proponebantur ex parte ſæpe
„ dicti Pariſienſis Epiſcopi nobis non potuit fieri plena fides, cauſam ipſam vobis
„ duximus committendam, per Apoſtolica ſcripta mandantes quatinus partibus
„ ad veſtram præſentiam conuocatis, ſi vobis conſtiterit Pariſienſem Epiſcopum
„ poſſeſſionem Parochialis iuris in prædicta Parochia habuiſſe, ab ea fuiſſe in-
„ iuſtè deiectum, eo ſicut iuris ordo poſtulat, primitus reſtituto audiatis quæcun-
„ que duxerint proponenda & quod iuſtum fuerit, ſine appellationis obſtaculo
„ ſtatuatis, facientes quod ſtatueritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſerua-
„ ri. Teſtes autem qui nominati fuerint, ſi ſe gratia odio vel timore ſubſtraxerint,
„ quominus teſtimonium perhibeant veritati, vos ad id per diſtrictionem Eccleſia-
„ ſticam appellatione remotâ cogatis, nullis litteris obſtantibus ſi quæ apparuerint
„ præter aſſenſum partium à ſede Apoſtolica impetratæ. Quod ſi omnes his exe-
„ quendis nequiueritis intereſſe, tu fili Abbas Vizeliacenſis cum illorum altero ea
„ nihilominus exequaris. Datum Laterani 2. Kal. Iunij. Pontif. noſtri an. 2.

Lis iſta non tam cito deciſa fuit, deque ea recurret aliàs dicendi locus. Interim vero notare conuenit quæ cauſa fuerit duplicis inſtituendi in Vniuerſitate Cancellarij, quorum neuter ab altero in exercendo munere pendeat. Nam cum certum ſit ipſam ſcholas Epiſcopales ſeu Epiſcopalis iuriſdictionis & Montanas occupaſſe, certum quoque ſit Eccleſiam San-Genouefianam vt pote Regiæ fundationis ſemper fuiſſe creditam liberam more Cappellarum Regiarum, conſtat Cancellarium San-Genouefianum citra ſubiectionem ſub Decano aut Abbate tã libere licentias impertiſſe docendi in Monte & Oppido, quàm Pariſienſem ſub Epiſcopo in ſcholis Epiſcopalibus aliiſque Epiſcopali iuriſdictioni obnoxiis. Et inde pariter elicitur tam libere videri potuiſſe licentias impertiri in Theologia quàm in artibus, cum certum ſit profeſſiones iſtas in Monte & valle ſubiectâ longe ante hæc tempora fuiſſe exercitas.

Ad eundem annum notat Radulfus de Diceto deſtructam fuiſſe tandem iuſſu
• Innocentij Baſilicam S. Thomæ apud Lambeiam à Balduino & Huberto Cantuarienſibus Archiepiſcopis ædificatã. Et quod indignius fuit, ipſe Hubertus propriis ſumptibus eam deſtruere coactus eſt ad confuſionem multorum, vt ſcribit **Radulfus cum indignatione & reprehenſione Pontificis, qui Monachis nimio plus** fauebat, ſic ergo ille. *Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus proto-Martyr in Anglia temporibus Normannorum ob triumphalem ſui ſanguinis effuſionem apud Lambeiam in nomine ſuo fundatam, omnium hominum veneratione condignam magnificauit Eccleſiã, quam Baldewinus inchoauit Archiepiſcopus, quam & Hubertus Baldewini ſucceſſor Innocentio Papa III. Monachis Cantuarienſibus (ſi fas eſt dicere) nimium & ſubitum impendente fauorem ſumptibus propriis proh dolor! demolitus eſt ad confuſionem multorum. Data fuit Petro poteſtas ædificandi, poteſtas multiplicandi, poteſtas transferendi ſedes, ſed qua lege, quo canone ſit indulta licentia diruendi locum ſanctum, iudicet ipſe qui poteſtatem dedit ædificandi.*

Idem ſcribit paulo poſt deciſam fuiſſe litem prædictam hoc modo per Lincolnienſem & Elienſem Epiſcopos & Abbatem S. Edmundi à Pontifice delegatos, vt Canonicis ſecularibus ablatâ omni ſpe reuertendi Archiepiſcopus ſubſtitueret ſi vellet, 13. aut ad ſummum 20. Regulares Præmonſtratenſis Ordinis in Capella Lambeiana diuinis officiis vacaturos.

Eodem

Eodem anno Odo Epiſcopus Pariſienſis, vt omnem occaſionem ludorum, diſſolutionum, facetiarum & enormitatum, quæ diebus Circumciſionis Dominicæ & S. Stephani ſolebant Pariſiis exerceri, amoueret, inſtituit vt feſta illa ſolemniter celebrarentur: atque vt Canonici & Clerici Officio adeſſent libentius, certum attribuit ſtipendium. Quam in rem extat inſtrumentum hoc publicum in magno Paſtorali.

Odo Dei gratia Pariſienſis Epiſcopus in Domino ſalutem. Ad hoc nos licet immeritos in huius prælationis officio Diſpenſatio voluit Diuina conſtitui, vt ad Diuini cultus ampliationem ſtudioſius debeamus intendere, & quæ contra honeſtatem Eccleſiaſticam in Domo Domini minus regulariter ageretur, & ſub prætextu malæ conſuetudinis ad tantæ diſſolutionis eſſet redacta perniciem, quod plerunque ipſâ die enormitates abominabiles & opera contingeret flagitioſa committi, tandem Domino Petro S. Mariæ in via lata Diacono Cardinali tunc in partibus noſtris Legationis Officium exequente, cum ei de prædictis exceſſibus & enormitatibus conſtitiſſet, ſolennitatem ipſam per Nos & quoſdam de maioribus Eccleſiæ noſtræ voluit ordinari. Nos igitur cum prædictis mandato præfati Cardinalis deuotius aſſurgentes, & à ſanctuario Domini diſſolutionis cupientes eliminare materiam prædictam, Circunciſionis feſtiuitatem, in qua & actusnoſtri debent & labia circuncidi, ordinare curauimus, & quæ reſecanda vidimus, reſecare: ſicut in ſcripto authentico ſuper hoc compoſito, & tam noſtro quàm prædictorum ſigillis munito plenius continetur. Ad hæc cum feſtiuitas B. Proto-Martyris Stephani eiuſdem ferè ſubiacebat diſſolutionis & temeritatis incommodo, nec ita ſolenniter ſicut decebat & Martyris merita requirebant, in Eccleſia Pariſienſi conſueuerat celebrari, Nosqui eidem Martyri ſumus ſpecialius debitores, quem cum in Eccleſia Bituricenſi Patronum habuimus, in eius gremio ab ineunte fuimus ætate nutriti, de voluntate & aſſenſu Dilectorum noſtrorum Hugonis Decani & Capituli Pariſienſis feſtiuitatem ipſam ad ſtatum reducere regularem eamque magnis ſolemnitatibus annumerare decreuimus, ſtatuentes vt in ipſo feſto tantum celebritatis agatur, quantum in cæteris feſtis annualibus fieri conſueuit. Volentes igitur vt ex prædictis Inſtitutionibus eiuſdem Eccleſiæ ſeruitoribus non ſolum ſpirituale commodum, ſed etiam temporale proueniat, in ſignum deuotionis & ob ipſius proto-Martyris reuerentiam ſingulis Canonicis Pariſienſibus vel Clericis maiori altari ſeruientibus, qui in Natali S. Stephani Matutinis interfuerint, ſex denarios Pariſienſes, ſingulis vero Clericis, Chori non Canonicis 4. denarios, ſingulis autem pueris Chori duos denarios, ſingulis tamen Clericis qui in Miſſa Reſponſum vel Alleluya in Organo triplo ſeu quadruplo decantabunt, ſex denarios benignè conferimus, in Præpoſitura noſtra Pariſienſi in perpetuum percipiendos. In feſtiuitate vero Circumciſionis ſingulis Clericis Chori non Canonicis, qui Matutinis interfuerint, 3. denarios Pariſienſes, ſingulis verò pueris Chori duos denarios annuatim in reditibus Capicerij Pariſienſis percipiendos donamus, & in perpetuum habendos concedimus; & ſucceſſores noſtros ad ſoluendos reditus ſupradictos in perpetuum obligamus, vt in poſterum ſi prædictas ſolemnitates ad antiquam enormitatem vel inordinationem, quod Deus auertat, reduci forte contingeret, tam nos quàm ſucceſſores noſtri ab eorum ſolutione redituum penitus eſſemus immunes. Vt igitur, quod pro diuini cultus augmento ſtatuitur, perpetuo robore conualeſcat, præſens Scriptum ad firmitatem maiorem fieri & ſigilli noſtri præcepimus impreſſione muniri. Actum anno Incarnati Verbi 1199. Pontificatus noſtri an. 3.

Eodem anno Henricus de Soliaco Bituricenſis Archiepiſcopus Odonis Pariſienſis frater fato functus eſt, ſepulturamque accepit in Abbatia Loci-Regij, vbi hoc habet Epitaphium.

Hic bonus Henricus vir nobilis & Patriarcha
Quondam Bituricus, tumuli iacet huius in arca.

Ei ſucceſſit Guillelmus Abbas Caroli-loci, vir ſanctus, genere nobilis, à pueritia quidem in Pariſienſi & Sueſſionenſi Eccleſia Canonicus: at grandior factus, moleſtias ſeculi ferre non valens, ruptis earum compedibus ad Grandimonten-

ſem Eremum conuolauit, vnde ex Abbate S. Ioannis ad Carolilocenſe Cœnobium tranſlatus eſt. Hunc virum magno in numero habuit Innocentius, quem in ſcholis Pariſienſibus agnouerat: itaque nonis februarij an. 1200. primatum ei Aquitaniæ confirmauit: iterumque datis ad eundem 5. Kal. April. an. 1204. litteris, rogauit vt M. *Petrum Paruum* reciperet in Canonicum, quia ſcholas Theologiæ apud Biturigas rexerat, & ipſum Archiepiſcopum nec non & Canonicos plurimos ſæpe habuerat auditores. Hunc quoque virum olim Academiæ Pariſienſis alumnum poſt mortem inter ſanctos ab Honorio III. relatum accepit Natio Gallicana in Patronum & hodie etiamnum habet.

Eodem anno menſe Nouembri obiit quoque M. Michael de Corbolio Archiepiſcopus Senonenſis, vir *Theologus & Deo placens*, inquit Rigordus, quem idem Innocentius III. Ep. 52. lib. 2. vocat virum *prouidum & diſcretum*, veri paſtoris adimplentem officium, & ſuper gregem ſibi commiſſo purè & plenè ſolicitudinem paſtoralem exercentem, dum Chriſti legem zelatur & hæreticorum impugnat errorem. Poſt eius mortem Hugo Antiſſiodorenſis Epiſcopus, cognomento de Nuceriis Gall. *des Noyers*, antea Senonenſis Theſaurarius & genere & litteris & facundiâ clarus, vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi, electus eſt à Clero: ſed miſſis ad Innocentium pro eo nunciis, confirmatio obtineri non potuit: itaque poſtquam aliquandiu vacauit illa Cathedra, ad eam tandem M. Petrus de Corbolio Innocentij quondam Didaſcalus prouectus eſt.

Hiſtoria Contritionis admirabilis.

Ad eundem annum narrat Cæſarius Heiſterbacenſis lib. 2. c. 10. rem planè ſtupendam hiſtoriamque prorſus admirabilem cuiuſdam Pariſienſis Scholaris apud Priorem S. Victoris, qui tunc erat Anſelmus ſub Abſalone Abbate, peccata ſua confeſſi: cuius ſcilicet tanta fuit in animo contritio, vt peccata quæ ſcripſerat in ſchedula legere volens, ea deleta repererit. Tunc autem quod notatu dignum eſt, & memoriæ poſteritatis commendandum, habebant Canonici San-Victorini poteſtatem & licentiam abſoluendi à peccatis vt vocant reſeruatis, erantque Epiſcopi Pariſienſis Pœnitentiarij. Extat MS. in Biblioth. Vict. quod dicitur *liber pœnitentialis M. Roberti*. Cuius auctor forte eſt M. Robertus Melidunenſis, qui ante an. 1150. ſcholas regebat Pariſiis & Meliduni. Sic ergo Cæſarius Hiſtoriam illam deſcribit.

„ *Annus modo vigeſimus eſt ſecundus plus minus eo tempore quo ad Ordinem veni, qui fuit*
„ *ab Incarnatione Domini 1200. vno minus*: in quo tale quid à viris Religioſis & litterа-
„ tis, vt ſunt *Abbates* & ſcholaſtici, contigiſſe *Pariſius* veraciter intellexi. Erat ibi iu-
„ uenis quidam in *ſtudio*, quiſuggerente humani generis inimico talia quædam pe-
„ cata commiſerat, quæ obſtante erubeſcentia nulli hominum confiteri potuit. Co-
„ gitans tamen quæ malis præparata ſunt tormenta gehennæ & quæ bonis abſcon-
„ dita ſunt gaudia perennis vitæ, timens etiam quotidie Iudicium Dei ſuper ſe, in-
„ tus torquebatur menſu conſcientiæ, & foris tabeſcebat in corpore. Quid plura?
„ tandem miſerante Deo timor ille ſeruilis verecundiam vicit, qui ſicut ſeta filum,
„ charitatem inducere conſueuit. Veniens ad S. Victorem, Priorem vocauit, &
„ quia confitendi gratiâ veniſſet, indicauit. Ille paratus ad tale Officium, ſicut om-
„ nes ſunt fratres eiuſdem Monaſterij, ſtatim venit, in loco ad hoc deputato ſe-
„ dit, præmiſſaque exhortatione iuuenem confiteri volentem exſpectauit. Mira res!
„ tantam hora eadem pius Dominus, cuius Natura bonitas eſt, cuius voluntas po-
„ teſtas eſt, cuius opus miſericordia eſt, cordi eius contulit contritionem, vt quo-
„ tiens Confeſſionem inciperet, totiens ſingultibus intercepta vox deficeret: in ocu-
„ lis lachrymæ, ſuſpiria in pectore, ſingultus erant in gutture. Hæc vt vidit Prior,
„ dicebat *Scholari*. Vade, ſcribe peccata tua in ſchedula & defer ad me. Placuit con-
„ ſilium Iuueni: abiit, ſcripſit, die altera redit: & ſi confiteri poſſet, iterum ten-
„ tans, vt prius defecit: & cum nihil proficeret, Priori porrexit. Legit Prior & ob-
„ ſtupuit, dixitque Iuueni: Non ſufficio ſolus tibi dare conſilium. Vis vt oſtendam
„ Abbati? Et licentiauit ei. Venit Prior ad Abbatem, & porrexit ſchedulam legen-
„ dam, rem ei per ordinem exponens.
„ Quid deinde geſtum ſit audiant Peccatores, & conſolentur deſperati & re-
„ creentur. Mox enim vt Abbas Chartulas ad legendum aperuit, totam eius conti-
„ nentiam deletam inuenit. Impletumque eſt in eo quod Dominus per Iſaiam di-
„ cit, *Deleui vt nubem, iniquitates tuas & quaſi nebulam peccata tua*. Et ait Abbas

Priori. Quid legam in ſchedula iſta? nihil in ea ſcriptum eſt. Hæc vt Prior audit, ſchedulam ſimul cum Abbate reſpexit, dixitque ad illum: Sciat pro certo paternitas veſtra ſupradictum iuuenem in hac ſchedula ſcripſiſſe peccata ſua, & cum à me fuiſſent lecta, vobis etiam donaui legenda: ſed vt video, miſericors Deus qui maximam iuuenis contritionem attendit, culpam illam ſufficienter punitam iuſtè deleuit. Deletio ſiquidem totius ſcripti abſolutionem ſignificat totius delicti, & aduocantes *Scholarem* oſtenderunt ſcedulam dicentes eius peccata diuinitus eſſe deleta. Quam cum perſpexiſſet, & ex ſignis bene cognouiſſet, in tantum cor eius ex magnitudine gaudii eſt dilatatum, in quantum prius ex magnitudine triſtitiæ fuerat anguſtiatum. Et nullam ei iniungentes ſatisfactionem monuerunt, quatenus Deo de perceptis beneficiis gratias ageret atque de cætero cautius viueret. A. Miror quare non fuerint peccata eius deleta antequam Priori eſſent oſtenſa. C. Ne ſuperflua videretur Confeſſio, ſine cuius deſiderio nulla fit remiſſio. Ipſa etiam Confeſſio propter erubeſcentiam maxima pars eſt ſatisfactionis. Nam in primo Contritionis puncto dimiſſa fuerat ei culpa: deinde contritione inardeſcente & confeſſione accedente deleta eſt pœna.

De Academia Bononienſi.

Ad hunc annum & ſuperiorem nonnulla refert Carolus Sigonius de Academia Bononienſi, quæ mihi videntur notatu digniſſima, cum de ea Academia loquatur in qua diu humaniores litteras profeſſus eſt, & in qua profitebatur adhuc an. 1574. quo abſoluit lib. 25. de Regno Italiæ. Is igitur in Hiſtor. Bonon. refert ſacramenti ſeu Iuramenti formulam à Iureconſultis recitari ſolitam & præſtari cum ad interpretandum, ſeu ad docendum admittebantur, occaſione ſcilicet M. Ioannini Iuriſperiti qui ad leges interpretandas Bononiæ admiſſus tale iuramentum de more præſtitit.

EGO IOANNINVS PRÆCEPTOR IVRO ME IN POSTERVM NVSQVAM EXPOSITVRVM DOCTRINAM LEGVM SCHOLARIBVS NISI BONONIÆ; NEC DATVRVM OPERAM VT SCHOLARES ALIO MIGRENT, AVT SCHOLA LEGVM BONONIÆ MINVATVR, ET CONSILIVM PRÆTORI AC IVDICIBVS COMMVNIS, SIVE RECTORIBVS QVI PRO TEMPORE ERVNT, DATVRVM BONA FIDE CVM A ME PETIERINT.

Hæc Sigonius refert ad an. 1198. pridie Kal. Nouemb. & conſequenter ſubiungit aliud exemplum Bandini. *3. Kal. Ianuar. Bandinus familiatus Piſanus Iuriſconſultus, Senenſem alij nominant, præſente Lothario Iureconſulto eodem ſe profeſſionis ſacramento obliganit, quo ſe Lotharius ipſe obſtrinxerat: præterquam quod in conſpectu Conſilij non iurauit.* Hunc Lotharium Rectorem fuiſſe Bononienſis Academiæ alibi retulimus.

Ad annum autem 1199. idem Sigonius ſic habet. *Neque vero interea à Bononienſibus Gymnaſii cura neglecta. Iuriſconſulti duo qui poſtea clari euaſerunt, 5. id octob. acciti, Guillielmus, itemque Rufinus de Porta vterque Placentinus. Ac neſcio an alter horum Placentinus ille fuerit, qui Summam in Codicem & Inſtitutiones Iuſtiniani ante Azonem ſcripſit, vt Azo ipſe in ſua Sũma teſtatur. Hic certè in proœmio ſuæ Summæ ſe è patria Bononiam acceſſitum a Caſtellis Patriciis Bononienſibus ſcribit, atque in Caſtello per biennium iura tradidiſſe ac Publicorum Profeſſorum ſcholas auditoribus auocandis exinaniſſe. Deinde in Patriam eum reuertiſſe à Ciuitate Bononienſi reuocatũ & per quadriennium frequentes ſcholas habuiſſe: poſtremo ad Montem Peſſulanum profectum. Cauſa vero profectionis, vt ſcribit Rofredus, fuit, quod ab Henrico Baillia Ciue nobili ac potente armis eſſet appetitus, nimirum offenſo quod opinionem ſuam, nam & ipſe regebat, ex ſuperiore loco damnaſſet.* Acceſſit ad odium iſtud Henrici cæterorum inuidia Magiſtrorum, qui ſcholas ſuas Placentini famâ exhauriri videbant.

Cæterum hoc Sigonij dubium de Placentino ſoluimus ad an. 1191. quo retulimus ex authore Chronici Chronicorum, Placentinum illum celebrem, qui Summam edidit ad Inſtitutiones Iuſtinianeas, & cuius mentio frequens apud veteres Iuriſperitos, relictâ Bononienſi Academia Montempeſſulanum acceſſiſſe, apertiſque ibi de iuriſprudentia ſcholis an. 1192. obiiſſe.

De Oxonienſi Academia.

Iuuat quoque hîc referre quomodo, ſe haberet hiſce temporibus Academia Oxonienſis huius noſtræ filia primogenita, & breuiter percurrere, qui viri poſt eius fundationem adhæc circiter vſque tempora floruerint, magiſque celebres extiterint. Aiunt igitur Oxonienſes teſte Briano Thwyno lib. 2. Apologiæ ſuæ pro Vniuerſitate Oxonienſi, Aluredum ſeu Alfredum magnos reditus aſſignaſſe ſcholaribus: idque certum eſſe conuincitur ex ipſius teſtamento, quod ad primum ſeculum retulimus, quantum ſanè ad eam partem, quæ pertinebat ad Scholares Oxonienſes.

De Reditibus.

Eduardus primus ſeu Bonus ita quoque in gratiam Scholarium edixiſſe fertur authore Lamberto in Archaionomia. *Omnis Clericus & etiam ſcholares, & omnes eorum res & poſſeſſiones vbicunque fuerint pacem Dei & S. Eccleſiæ habeant.* Hæc lex vetuſtiſſima in gratiam ſcholarium & Magiſtrorum edita conuincit ante Eduardum, Academiam illã fuiſſe reditibus dotatam, quam voluit eſſe ab omni tributo ſeu, vt vocabant, pedagio immunem: neque Fridericum Barbaroſſam primum edixiſſe Authenticâ illâ ſuâ *habita*, vt Scholaſtici & Magiſtri eorumque Nuncii liberè & pacificè res ſuas haberent.

Aiunt verò Angli eodem Thwino referente Willielmum Conquæſtorem linguæ Anglicanæ idioma deſtruere & abolere cupientem, poſſeſſiones iſtas Oxonienſi Academiæ ſuſtuliſſe: tumque ſcholares diu ex ſola deuotione virorum Linguam Anglicanam diligentium ſuſtentatos.

Magiſtri Oxonienſes Celebres.

Quod verò ad egregios viros attinet, qui in illa Academia floruerunt, præter primos eius Inſtitutores, Grimbaldum, Ioannem Erigenam, Aſſerũ & alios, commemorant 1. Ingulfum ſubprima Eduardi Confeſſoris tẽpora Oxoniæ ſtudentẽ, adeo verò charum Vvillielmo Neuſtriorum Duci, vt anno Regni 8. Domini verò 1072. Scriba eius factus ſit, tum virilem agens ætatem. 2. Iiſdem temporibus *Ioannem Mandith* celeberrimum aſtronomum, qui tabulas Aſtronomicas cõfecit. 3. *Guilbertum Herbertum* plurimarum virum litterarum, Oxoniæ natum & à Vvillielmo Rufo Norvvicenſem Epiſcopum factum an. 1085. 4. *Henricum Bello-Clericum.* 5. *Guymundum Henrici I.* Capellanum circa an. 1122. 6. *Theobaldum Stampenſem* Oxoniæ quoque Magiſtrum, qui cum Turſtano Eboracenſi poſtea Archiepiſcopo magnam in ſcholis familiaritatem contraxit, circa an. 1112. Tunc autem incepit grauiſſima quæſtio agitari inter Seculares & Religioſos de profeſſionis ſuæ præſtantia & Oxoniæ & Pariſiis teſte Balæo Centur. 2. c. 72. in Appendice. 7. *Gualterum Calenium Archidiaconum Tornacenſem*, etiam ſub Henrico 1. circa an. 1120. 8. *Robertum Pullenum ſiue Pullum.* an. 1134. de quo dicemus in Catalogo.

His adiungunt *Celſum Armachanum*, qui authore Balæo Oxoniæ floruit an. 1128. virũ vndequaque doctiſſimũ, *Ioannem Sarisberienſem*, quem Academia Pariſienſis ſibi potiori iure vindicat. *Robertum de Bertune*, qui ad Herefordenſem præſulatum euectus eſt an. 1153. *Vvillielmum Malmesburienſem* qui an. Dom. 1142. obiit. *Thomam Becket* Cantuarienſem, Archiepiſcopum an. 1165. *Robertum Folioth* Archidiaconum Oxonienſem, deinde Herefordenſem Epiſcopum an. 1174. *Vvalterum de Conſtantiis* quem an. 1181. Oxoniæ Archidiaconum extitiſſe & poſtea Lincolnienſis Eccleſiæ Præſulem fuiſſe teſtatur Florilegus. *Robertum Canutum* an. 1170 S. Frideſvidæ apud Oxoniam Priorem. *Rogerium Houedenſem* qui an. 1204. authore Balæo claruit.

Adminiſtratio Academia.

Iam quæri poteſt, quæ fuerit hiſce temporibus Oxenienſis Academiæ adminiſtratio? quanquam ea de re ſatis clarè ad primum ſeculum diximus, breuiter hîc repetendum videtur, quod ex omnium pœne Anglicanorum Hiſtoricorum conſenſione pro certo habetur, Alfredum fundatorem Academiæ ei præfeciſſe *Grimbaldum Noſtratem* Profeſſorem, eumque, quem nos Rectorem appellare ſolemus, *Cancellarium* appellaſſe: vt ſuè diximus ad an. 890. vbi & oſtendimus Grimbaldum illum in Academia Pariſienſi olim Magiſtrum cum Ioanne Erigena fuiſſe ab Alfredo euocatum ad Scholarum Oxonienſium inſtitutionem.

Certum quoque videtur eſſe, huicce Cancellario ſeu Rectori duos adiunctos *Procuratores Nationum*, Borealem & Auſtralem nuncupatos: atque iis tribus Magiſtratibus ſubiectos fuiſſe tam Magiſtros cæteros quàm ſcholares. Quorum vt maior grauiorque dignitas innoteſceret, idem Rex *Bedellos ſeu Pedellos* inſtituit, qui Magiſtratibus illis apparerent, faſceſque argenteos præferrent, vt lictores olim

Conſulibus & Prætoribus Romanis præferre ſolebant.

Ab hiſce Magiſtratibus Cœtus Academicus conuocabatur & Comitia indicebantur : à *Rectore* quidem Generalia, à *Procuratoribus* verò Nationalia, ſuæ ſcilicet Magiſtrorum Nationis. Et vt ſæpe Reges noſtri Magiſtros Academiæ Pariſienſis ad Synodos & Concilia euocari voluerunt, ita & Anglicani ſæpe Oxonienſis ſcholæ deliberationibus & reſponſis vſi ſunt variis in rebus & occaſionibus. Cuius rei varia leguntur in hiſtoria Anglicana exempla.

Extat eiuſdem Academię Decretum ſub initia regni Ioannis Regis conditum, ſcilicet an. 1201. quo Monachos ſanctæ Frideſvvidæ ſæpe per ſcholares Oxonienſes vexari & moleſtari ſolitos, aut per ipſammet etiam Academiam variis citationibus & prehenſionibus, ſi parere nollent, ad Tribunal Academicum vocatos & tractos immunes omnino pronunciat : & ſi quando moleſtari quacunque ratione contigerit, ducentas libras ſpondet & pollicetur. Sicque Monachi illi iugum Vniuerſitatis excuſſerunt. Tale autem eſt Decretum ſigillo communi munitum.

Sciant Vniuerſi præſentes Nos Cancellarium Vniuerſitatis Oxonienſis cum toto Cœtu Magiſtrorum eiuſdem teneri & per præſens ſcriptum firmiter obligari Priori & Conuentui S. Frideſvvidę Oxonienſis & eorũ ſucceſſoribus in ducentis libris monetę Anglicanæ ſoluendis eiſdem aut eorum certo Attornato hoc præſens ſcriptum obligatorium oſtendenti cum conditionibus ſubſcriptis. Videlicet quod ſi contingat *Nos præfatum Cancellarium ac Cœtum Magiſtrorum Vniuerſitatis prædictæ*, ſeu aliquem vel aliquos Miniſtrorum noſtrorum per ſe vel alios præfatos Priorem & Conuentum, ſeu aliquos vel aliquas infra ſepta Monaſterij S. Frideſvvidæ prædictæ inhabitantes vel habitantes inquietare, moleſtare in aliquo ſeu grauare per aliquam citationem, monitionem, aut arreſtationem factam ſeu in futurum vel perpetuam faciendam, tunc bene licebit dictis Priori & Conuentui & eorum ſucceſſoribus vel eorum certo Attornato præfatam ſummam ducentarum librarum de nobis & ſucceſſoribus noſtris recuperare, & in ſuos vſus proprios recipere toties quotiesdeliquerint, vt prædictum eſt ſine dilatione aliquali. Et ad iſtam obligationem cum conditionibus ſupradictis bene & fideliter faciendis obligamus Nos & ſucceſſores Noſtros & vnumquemque Noſtrum per ſe ſolum & in ſolidum in omnibus bonis noſtris mobilibus & immobilibus vbicunque fuerint inuenta. *In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum Commune præſentibus eſt appoſitum.* Datum Oxoniæ in Domo noſtræ Congregationis in feſto S. Iacobi Apoſtoli anno Dom. 1201.

Quod autem Oxoniæ Cancellarius Rectoris munus obiret & obeat, euidentiſſimè patet: neque enim ille, ut apud nos licentias docendi Apoſtolicâ authoritate impertitur, neque ſacerdos aut Clericus eſſe debet : ſed ipſi etiam Laici Magnates, Principes aliique Militiæ ſecularis Proceres Cancellarij eſſe poſſunt : quippe tale eſt apud eos munus Cancellarij quale eſt Munus *Rectoris* apud Nos. At Pariſiis Cancellarius vir Eccleſiaſtici ordinis eſt & licentias impertitur, quo munere fungebatur olim apud Oxoniam Epiſcopus Lincolnienſis, vt alibi docebimus.

Quod verò cum Cancellario Procuratores duo Academiam illam adminiſtrarent, patet ex hocce altero Vniuerſitatis eiuſdem Decreto, quod Thvvynus anni vult eſſe 1219. tale autem eſt.

Omnibus Chriſti fidelibus ad quos præſens Scriptum peruenerit, M. Ludouicus de Chapyrnay Doctor S. Theologiæ *Cancellarius Vniuerſitatis Oxonienſis, Doctores S. Theologiæ & Procuratores eiuſdem per Vniuerſitatem deputati ſalutem in Domino ſempiternam.* Cum ad laudem Dei & augmentum Cleri M. Guillielmus Byrkley, Ademarus de Chevvingham, Radulfus Senovve executores bonæ memoriæ M. Willielmi de Dunelme Archidiaconi ad acquirendum & emendum certos reditus, terras & tenementa diſponenda pro exhibitione ſex Magiſtrorum in Facultate Artium magis propinquorum partibus Dunelm in perpetuum, prout in teſtamento dicti M. Willielmi plenius continetur. Sciatis igitur Nos M. Ludouicum de Chapyrnay Doctorem Theologiæ *& Cancellarium Vniuerſitatis* Oxon. Doctores S. Theologiæ & Procuratores eiuſdem habentes authoritatem totius Vniuerſitatis nobis deputatam, ad honorem Dei ſtabilimentumque noſtræ Vniuerſitatis dediſſe, conceſſiſſe & hac præſenti noſtra charta confirmaſſe M. Rogero Ca-

„ dwel Cuſtodi ac ſocio ſeniori magnæ Aulæ Vniuerſitatis Oxon. & ſcholaribus
„ eiuſdem *octo meſſuagia cum gardinis*... & in fine. *Et Nos* M. Ludouicus de Chapyr-
„ nay Cancellarius de Oxon. Doctores S. Theologiæ & *Procuratores* eiuſdem haben-
„ tes authoritatem à tota Vniuerſitate nobis deputatam & conceſſam, ad dan-
„ dum tenementa, terras, prædictis Cuſtodi ſeu Seniori ſocio aulæ prædictæ & ſo-
„ ciis eiuſdem & eorum ſucceſſoribus contra omnes gentes warantizabimus, ac-
„ quietabimus & defendemus in perpetuum: pro qua quidem warantizatione, ac-
„ quietantia & defenſione dedimus, ſoluimus & deliberauimus 300. marcas bo-
„ næ monetæ Angliæ præ manibus pro dictis octo meſſuagiis, libero reditu & qua-
„ tuor cottagiis de pecuniis antedictis. In cuius rei teſtimonium *Sigillum noſtræ Vni-*
„ *uerſitatis appoſuimus*. Datum Oxoniæ 10. die menſis Iulii anno Regni Regis *Henri-*
„ *ci III. poſt Conqueſtum Angliæ quarto*. hoc eſt ſecundum Florilegum an. 1219.

Hoc inſtrumentum ait Brianus Thwynus ſeruari in Archiuis Alurediani Collegii, publico Vniuerſitatis Oxonienſis ſigillo roboratum. Vnde conuincit Mathæum Pariſienſem erroris, qui ſcribit Guillelmum illum Dunelmenſem non obiiſſe ante an. 1249. qui Henrici erat triceſimus. Verum fortè cum ſuo Florilego errat Thwynus: nam veriſimile eſt teſtamentum illud à Guillelmo conditum paulo ante mortem, quæ teſte Mathæo Pariſienſi accidit an. 1249. ſic enim ſcribit. *Obiit etiam eodem anno M. Vvillielmus de Dunelmo apud Rhotomagum, rediens à Romana Curia, litteratus eminentiſſimè & abundans multis reditibus, ſed amplioribus inhiabat. Hic cum Rector fuiſſet nobilis Eccleſiæ de Veremue non procul à mari ſitæ, ſtatim eo mortuo* Rex efficaciter procurauit, vt eadem Eccleſia fratri ſuo Ethelmaro *ſine aliqua daretur cunctatione*. Iſte eſt autem Mag. Guillelmus, qui cum Lutetiæ profiteretur an. 1229 ortâ ſeditione inter Ciues Pariſienſes & Scholares, cum aliis multis Angligenis ex Academia noſtrâ receſſerat. Igitur fatendum eſt aut labi Thwynum cum Florilego: aut duos fuiſſe Guillelmos Dunelmenſes, vnum qui Eccleſiæ Dunelm. Archidiaconus fuiſſe perhibetur: de quo loquitur prædictum Inſtrumentum: alterum, qui à Mathæo Rector Eccleſiæ de Weremwe fuiſſe dicitur.

Nationes. Cæterum vt ad Procuratores redeamus, duo tantum initio fuiſſe videntur à Boreali ſeu Septentionali Angliæ parte & Auſtrali eiuſdem denominati, *Borealis*, & *Auſtralis*. De quibus ſic habet idem Thwynus l. 3. Apolog. n. 119. *Procuratorum alter ſemper fuit Auſtralis; Borealis Alter*. Et abſentibus ipſis qui ex vtraque *parte ſeniores erant* (vt Decani) *Procuratores nati dicebantur. Auſtrali ſemper ſenioritatis prærogatiua delata eſt. Borealis verò loco amplitudineque Officij minor & inferior: quod etiamnum hodie vtriuſque libris Procuratoriis conſtat. Quem enim Auſtralis ante hæc, cum hodierno die ſenior; quem Borealis, eum Iunior ad hunc vſque diem obtinet Procurator: quod ex inſcriptione innoteſcit.*

Itaque Procurator vterque ſuum librum habet vetuſtiſſimũ, in quo & fundatio Oxonienſis ſcholæ & leges Academiæ atque ſtatuta continentur ab ipſis, vt creditur Aluredianis temporibus: atque ex iis deſumpta eſt Hiſtoriola Oxonienſis: vnde patet eos eſſe longè antiquiores. *Ridiculum eſt enim*, inquit idẽ Thwynus l. 2. n. 20. *exiſtimare Hiſtoriolam Oxonienſem è libris Procuratoriis deſumptam antiquiorem ipſis libris non eſſe qui* iam ſuperſunt, & quibus hodie DD. Procuratores vtuntur: quo-
„ niam is qui iam eſt Iunioris, ad Procuratorem Borealem pertinebat, quem Ri-
„ chardus Flemminge anno Dom. 1407. Procurator Borealis, poſtea verò Epiſcopus
„ Lincolnienſis & Collegii Lincolnienſis fundator tranſcribendum eâ quâ iam eſt
„ formâ & ſucceſſoribus ſuis relinquendum curauit. Alter verò qui Senioris eſt, ad
„ Auſtralem Procuratorem pertinuit. Eſt enim in Archiuis Oxonienſibus alter Li-
„ ber Procuratorius vetuſtus admodum, quo etiam *Henrici III. temporibus, prout ex*
„ *ipſis rebus liquet, Maiores vſi ſunt* (*ex dono M. Thomæ Allani*) *in quo hæc eadem de tranſ-*
„ *latione Vniuerſitatis de loco in locum hiſtoriola verbatim continentur*. De qua tranſla-
„ tione Gualterus Burlæus Eduardi III. Præceptor circa an. 1330. Ioannes Roſſus &
Hydenſe Chronicon multò iſtis Authoribus antiquius, loquuntur. Innuit ergo Thwynus fuiſſe libros quoſdam Procuratorios vetuſtiſſimos: ſed alios deinde confectos, & ex iſtis antiquis omnia ſtatuta exſcripta: quibus hodiè vtuntur Procuratores.

Ipſe quoque M. Vvillielmus Dunelmenſis cum Procurator eſſet in Oxon. Aca-

demia ſtatuta quædam ſuo tempore facta in vetuſto libro ſcripſit, vt teſtatur idem Thwynus, cum his verbis præliminaribus.

Hæc eſt copia ordinationum Congregationis Regentium & non Regentium ex Procuratione venerabilis M. Vvilhelmi Dunelmenſis ad honeſtatem ſuorum Scholarium: quæ fuerunt intentatæ *inter Vniuerſitatem & dictos ſcholares, & ex vtraque parte alteri eodem tempore ſigillatæ*. Ille fundaſſe dicitur Collegium Dunelmenſe in gratiam ſex Magiſtrorum Facultatis Artium: quod Richardus de Bury poſtea inſtauravit. At in Catalogo Religioſarum ædium in Anglia fundatarum legitur poſt Alfredum, *Vniuerſitatis Collegium*, quod *Aulam* vocabant *Vniuerſitatis*, fundaſſe.

Operæ quoque pretium videtur nonnihil commemorare de ſigillo Cancellarij Vniuerſitatis. Cuius deſcriptionem ex veteri ſcripto deſumit Brianus Thwynus lib. 3. n. 49. quod quidam M. Ioannes in Cauſa Academiæ Oxonienſis aduerſus Monachos coram ſummo Pontifice produxit in Curia Romana ſub Eduardo II. *In cera ſcilicet viridi* formæ oblongæ pendente in chartula. In quo quidem Sigillo, in medio quaſi ipſius, erat imago cuiuſdam hominis ſedentis in Sede ſiue Cathedra ſubtus quoddam tabernaculum, & in manu ſiniſtra videbatur geſtare librum. A dextris verò & ſiniſtris, & ſubtus pedes ipſius imaginis erant imagines plurium Perſonarum, quæ ad ipſum videbantur attendere. In circumferentia verò dicti Sigilli erant litteræ ſic dicentes. SIGILLVM CANCELLARII VNIVERSITATIS OXONIENSIS. Præter quod Sigillum aliud erat Commune, vt ex inſtrumento publico patet, quod ſupra retulimus. *Sigillum Vniuerſitatis.*

Illud autem ſigillum Commune, teſte eodem Thwyno, Petrus Anglicus aliàs *Peyne* furto ſurripuit, vt ait Thomas Gaſcoigne in Dictionario Theologico, verbo *Epiſcopus*, & ſub eo Pragenſibus Hæreticis ſcripſit Oxonienſem Academiam & Vniuerſam Angliam cum ipſis conſentire. Et ſub Eduardo III. cum in electione Cancellarij Ioannis Williot factionibus & partium ſtudio à Magiſtris in Congregatione tumultuatum fuiſſet, *Sigillum* idem effractis vi ciſtis & Archiuis direptum fuerat & Ioanni Vvilliot traditum: qui accepto *Sigillo* Procuratores ſibi aduerſarios Thomam de Stratford & Robertum Ingram *mox bannierat*: & ſigillum quoque periiſſet, niſi ſtatim *Procuratoribus* à Rege reſtitutis coactus fuiſſet Cancellarius Sigillum illis tradere, interdicto quoque, ne is vllas congregationes celebraret. Ad hunc annum referunt aliqui Priuilegium ab Innocentio III. in gratiam Vniuerſitatis Pariſienſis conceſſum eiuſdem Officiariis communibus, quos vocabant *Seruientes communes*, eſtque huiuſmodi.

Innocentius Epiſ. Seruus Seruorum Dei. *Vniuerſitati Magiſtrorum & Scholarium Pariſ. Sal. & Apoſt. lened. Veſtris ſupplicationibus inclinati præſentium authoritate concedimus*, vt Seruientes veſtri communes qui pro vtilitate totius ſtudii à ſingulis Nationibus concorditer eliguntur, *illis immunitatibus gaudeant quas vobis Apoſtolica ſedes noſcitur conceſſiſſe. Nulli ergo hominum, &c.* Datum Lugd. 3. id. Maii. Pontif. noſtri an. 2.

Verùm probabilius eſt iſtud Priuilegium eſſe Innocentii IV. aut certè ab eo confirmatum, qui diu Lugduni moratus eſt & Concilium habuit, vt ſuo loco dicetur.

Eodem anno Richardus Anglorum Rex, cum in agro Lemouicino Caſtellum quoddam nomine *Chaluz* obſideret 7. Kal. April. à quodam P. Baſilii, ſeu vt alii ſcribunt, Berſtamo Gordon, telo, vt creditum eſt, venenato percuſſus eſt. Quod vulnus, cum neglexiſſet, ita intumuit, vt poſt 12. dies Regem tumulo dederit. Cum autem ſenſit ſibi periculum mortis imminere, exitum ſuum, inquit Mathæus, cordis contritione, oris purâ confeſſione, corporis & ſanguinis Domini communione muniuit. Mortis ſuæ Petrum illum authorem è vinculis liberari voluit, & immunitate donari. Corpus apud Fontem-Ebraudi ſecus pedes patris ſui, cuius proditorem ſe confitebatur, ſepeliri iuſſit. Eccleſiæ Rhotomagenſi, quam ſemper ſibi fidelem agnouerat, cor inexpugnabile legauit. Viſcera & Inteſtina Pictauienſi in Eccleſia recondi voluit: nempe, inquit Mathæus, *Pictauienſibus propter notam proditionis ſtercora ſua reliquit, quos non alia ſui corporis portione dignos iudicauit.* De eius morte & ſepultura quidam Poëta huius temporis Epitaphium hoc edidit, vt legitur apud Mathæum. *Richardi Regis Obitus.*

Pictauus exta Ducis ſepelit, telluſque Chalutis.
Corpus dat claudi ſub marmore Fontis-Ebraudi.
Neuſtria tuque tegis cor inexpugnabile Regis.
Sic loca per trina ſpargit ſe tanta ruina.
Nec fuit hoc funus, cui ſufficeret locus vnus.

Item alius verſificator de hoc funere ſic cecinit, apud eundem authorem.

Ad Chalus cecidit Rex, Regni Cardo Richardus.
His ferus, his humilis, his Agnus, his Leopardus.
Caſus erit Lucis, Chalus per ſecula nomen
Non intellectum fuerat. Sed nominis omen
Non potuit. Res clauſa fuit: ſed luce cadente
Prodiit in lucem, pro caſu lucis adeptæ.

Referunt nonnulli eum à Proditore quodam, qui patrem ſuum à Richardo fuiſſe interfectum dolebat, occiſum. Leguntur in eiuſdem mortem carmina quædam alia apud Ioannem Brompton ad an. 1199.

Viſcera Dareolum, Corpus Fons ſeruat Ebraldi,
Et Cor Rotomagus, magne Richarde, tuum.
In tria diuiditur vnus, qui plus fuit vno,
Nec ſupereſt vno gratia tanta viro.
Chriſte tui calicis prædo fit præda Chaluſis
Ære breui deicis, qui tulit æra Crucis.

Eiuſdem Regis qui cognomento *Cor-Leonis* dicebatur, his verſibus mortem deplorat M. Galfridus de *Nine-Saluo* in libro quem de Eloquentiâ compoſuit: leguntur que apud eundem Brompton ad hunc annum.

Neuſtria ſub Clypeo Regis defenſa Richardi
Indefeſſa nouo geſtu teſtare dolorem.
Exudent oculi lachrymas, exterminet ora
Pallor, connodet digitos tortura, cruentet
Interiora dolor & verberet æthera clamor.
Tota peris ex morte ſua. Mors non fuit eius,
Sed tua. Non vna ſed publica mortis origo.
O Veneris lachrymoſa dies! ô ſidus amarum!
Illa dies tua nox fuit, & Venus illa venenum.
Illa dedit vulnus. Sed peſſimus ille dierum
Primus ab vndecimo, qui vitæ victricus ipſam
Clauſit vterque dies homicida tyrannide mirâ.
Traiecit clauſus excluſus, tectus apertum,
Prouidus incautum, miles munitus inermem,
Et proprium Regem. Quid miles perfide! miles
Perfidiæ, miles pudor orbis & vnica ſordes
Militiæ, miles manuum factura ſuarum,
Auſus es hoc in eum ſcelus! hoc ſcelus iſtud es auſus!
O dolor! ô pluſquam dolor! ô mors! ô truculenta
Mors! Eſſes vtinam mors mortua: quid meruiſti
Auſa nefas tantum! placuit tibi tollere ſolem
Et tenebris damnare ſolem! ſcis quem rapuiſti?
Ipſe fuit iubar in oculis & dulcor in aure
Et ſtupor in mente. Scis impia, quem rapuiſti?
Ipſe fuit Dominus armorum, gloria Regum,
Delicium mundi, nihil addere noueris vltra.
Ipſe fuit quidquid potuit natura. Sed iſtud

Cauſa fuit, quare rapuiſti. Res pretioſas
Eligis, & viles quaſi dedignata refutas.
Et de te, Natura, querar. Quia nonne fuiſti
Dum nudus puer eſſet adhuc, dum nata iaceres
In cunis in eo ſtudioſa? Nunc ante ſenectam
Deſinit hoc ſtudium. Cur ſudor tantus in orbem
Attulit hoc mirum, ſi tam breuis abſtulit hora?
Sudorem tantum placuit tibi tollere mundo
Et reuocare manum? dare ſic & tollere donum?
Cur irritaſti Mundum? vel redde ſepultum,
Vel formâ ſimilem. Sed non tibi ſuppetit vnus.
Quidquid erat tecum vel mirum, vel pretioſum,
Huic erat impenſum. Theſauri deliciarum
Hîc ſunt exhauſti: ditiſſima facta fuiſti,
Ex hac iacturâ fieri pauperrima ſentis,
Ex hac iacturâ, ſi felix ante fuiſti,
Tantò plus miſera es quanto felicior ante.
Si fas eſt, accuſo Deum. Deus optime rerum,
Cur ſic degeneras? cur obruis Orbis amicum?
Si recolis, pro Rege facit Ioppe tua, quam tot
Millibus oppoſitis ſolus defendit, & Accon.
Quam virtute ſuâ tibi reddidit, & Crucis hoſtes,
Quos viuus omnes ſic terruit, vt timeatur
Mortuus, ipſe fuit ſub quo tua tuta fuerunt.
Si Deus es, ſicut eſſe decet, fidelis & expers
Nequitiæ, iuſtus & rectus, cur minuiſti
Ergo dies eius? potuiſti parcere Mundo.
Mundus egebat eo, ſed eum magis eligis eſſe
Tecum quàm ſecum: mauis ſuccurrere Cœlo
Quàm mundo. Domine dicam, ſi dicere fas eſt,
Pace tua poteras feciſſe decentius iſtud,
Sed properaſſe minus ſaltem: dum frena dediſſet
Hoſtibus, & facti mora tanquam nulla fuiſſet.
Res erat in foribus. Tunc poſſet honeſtius ire
Et remeare tibi: ſed in hac re ſcire dediſti,
Quàm breuis eſt vita, quàm longa eſt lachryma Mundi.

His apud Bromptonem ſubiungitur hoc epitaphium.

Rex Richarde iaces: ſed ſi mors cederet armis,
Victa timore tui cederet ipſa tuis.
Laus tibi prima fuit Siculi, Cyprus altera, Ioppe
Tertia, quarta Dromo, quinta Tauerna fuit.
Suppreſſi Siculi, Cyprus peſſundata, Ioppe
Tenta, Dromo merſa, capta Tauerna fuit.

Richardo ſucceſſit Ioannes Frater, Comes Moretonij, inuito Philippo Francorum Rege, qui Arturum Britanniæ Comitem Gaufridi Maioris fratris filium ſuccedere debere contendebat. Statim ergo compertâ morte Ioannes Hubertum Cantuarienſem, Vvillielmum Mareſchallum & Gaufridum filium Petri Angliæ Iuſticiarium Londinum tranſmittit, & per eos à ſubditis fidem exigit. Idemque in octauis Paſchæ Rhotomagi à Vvaltero Archiepiſcopo Enſem & Pileum Ducalem Normaniæ accipit. Arturum verò Pariſios Philippus Rex adducit poſt præſtitum ab eo ſibi de Andegauenſi & Cœnomanenſi ditionibus Clientelæ obſequium.

Interdictum contra Regem & Regnũ ob Dissentium.

Eodem anno turbata eſt ſimul cum toto Regno Vniuerſitas Pariſienſis propter interdictum, quod iuſſu Papæ latum eſt in Regem & Regnum. Cum enim Philippus ſedente adhuc Cœleſtino III. legitimam vxorem Ingeburgim ſeu

Herbergam repudiaſſet, & Mariam Morauici Ducis Filiam ſuperduxiſſet, Romanorum verò Pontificum monitis & precibus parere recuſaret, tandem Innocentius conſumptis admonitionibus ſalutaribus grauius agere cœpit & durius, datiſque ad cunctos Galliæ Archiepiſcopos cæteroſque Prælatos litteris, Diuioni per Petrum de Capua Diaconum Cardinalem Concilium celebrari iuſſit. In quo Petrus ſic ſentientibus prælatis Interdicti ſententiam pronunciauit die S. Nicolao ſacrâ in Regnum Regemque, niſi intra 20. dies Pontifici & Concilio pareret, hoc eſt niſi dimiſsâ pellice legitimam vxorem reuocaret.

Hinc igitur in toto Regno & in Vniuerſitate Pariſienſi variæ concertationes Doctorum, aliis pro Pontifice; aliis pro Rege ſententiam dicentibus. Verum pars maior, & vt putabatur, ſanior, Regem arguebat & condemnabat. Itaque licet nuncii Regis qui prædicto Concilio adfuerant, Romanam Sedem appellaſſent, tranſactis 20. diebus tota Francia interdicto ſubiacuit. *Quo audito*, inquit Rigordus, *Rex vehementer iratus quia Epiſcopi ſui interdicto faciendo conſenſerant, ipſos Epiſcopos à propriis ſedibus perturbauit & Canonicos ipſorum ſeu Clericos omnibus rebus ſuis exſpoliatos de terra ſua ejici præcepit & bona eorum confiſcauit. Presbyteros etiam qui in Parochijs manebant omnes eiecit & bona eorum diripuit. Ad cumulum verò totius mali*, Ingeburgem vxorem ſuam legitimam, Reginam ſanctam, omnibus bonis moribus & virtutibus ornatam omniumque ſuorum ſolatio deſtitutam apud Stampas in caſtro ſuo recluſit.

Porro huic interdicto quidam Epiſcopi ſtatim paruerunt. Alii Regi fauentes aliquandiu expectandum arbitrati ſunt, donec ad Pontificem reſcripſiſſent. Verum vbi precibus & excuſationibus immotum Pontificem experti ſunt, parere non detrectarunt. Paruerunt *Canonici Senonenſes, Pariſienſis Epiſcopus, Siluanectenſis & Sueſſionenſis, Ambianenſis, Atrebatenſis & Quidam alii ſententiam interdicti firmiter obſeruantes.* Alii verò diſtulerunt obſeruare ſententiam: Remenſis Archiepiſcopus, Laudunenſis, Nouiomenſis, Beluacenſis, Morinenſis, Meldenſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, Antiſſiodorenſis Epiſc. & alii perpauci, qui Nuncios ſuos ad Sedem Apoſtolicam deſtinauerant, excuſationibus vtentes nonnullis, ſpondentes tamen ſe, ſi illis expoſitis placeret ſummo Pontifici, ſententiam obſeruaturos. At ille excuſationibus improbatis, præcepit, vt & ipſi pariter interdictum obſeruarent. Quo audito humiliter paruerunt. Sicque tota terra Regis Francorum arctiſſimo eſt interdicto concluſa: *Ita vt clauſis Eccleſiis nuſquam in Cœmiteriis ſepelirentur corpora mortuorum. Quin etiam ſuper terram ſeruabantur vbilibet inſepulta. Sed cum plebs vniuerſa clamaret, Rex non valens tantum Eccleſiæ ſoueritatis ſuſtinere vigorem, Nuncios ſuos, quoſdam videlicet Clericos & quoſdam Milites ad ſummum Pontificem deſtinauit, conquerens multipliciter de dicto Legato, ſed tamen offerens per eoſdem Iuratoriam cautionem, quod coram legatis vel delegatis Iudicibus ſtaret iuri.* Et reuera habito in eam rem Sueſſioni Concilio vbi per Iuriſperitos de confirmando vel diſſoluendo Ingeburgis Reginæ matrimonio per 15. dies diſputatum eſt, dimiſſâ ſuperinductâ legitimam vxorem recepit, vt ad an. 1201. dicetur.



SYNOPSIS QVARTI SECVLI

DE FORTVNA ET STATV VNIVERSITATIS PARISIENSIS

ET I. DE FORTVNA.

VT Academia noſtra deuotiſſima ſemper Eccleſiæ Regnoque fuit & opem ſubſidiumque doctrinæ vtrique præſtitit, ita ei præſtitum eſt & ab Eccleſia & à Regno patrocinium, præmiumque labori & obſequio retributum. Quin magnum illa hoc ſeculo præſtiterit Eccleſiæ ſubſidium vbique in Conciliis, tam ad hæreſeon confutationem, quàm ad ſchiſmatum, extirpationem, dubitari non poteſt. Nec facile eſt commemorare quàm multos Athletas fortiſſimos fideique defenſores acerrimos produxerit, quàm multas nationes doctrinæ Catholicæ ſinceritate imbuerit, quam denique multos ex omni Gente & populo confluentes ad ſe alumnos exceperit, fouerit & educarit, qui ſuis deinde Gentibus & populis vtiles eſſe poſſent: vt nihil dicam de infinita propemodum eorum multitudine, qui ſacris Cœnobitarum conuentibus ſe ſe addixerunt: quorum nomina omnium Gentium, omniumque Religioſorum Ordinum hiſtoriæ paſſim ſuppeditant.

Imprimis igitur plurimum illa contulit ad extinctionem duplicis ſchiſmatis in Eccleſia Catholica orti, Leonini ſcilicet ſeu Petri-Leonis & Octauiani: adeoq; ſuo labore & operâ profecit, vt Innocentius II. & Alexander III. qui ab Antipapis ex Italia electi fuerant, non modo in Frãcia recepti ſint, ſecurum que aſylum habuerint, ſed vt ab omnibus etiam fere Regibus & populis Chriſtianis pro veris **Pontificibus agniti, tandemque throno, vnde per vim fuerant deturbati, fuerint reſtituti.** Quain re præter Bernardum Clare Vallenſem, Arnulphum Lexouienſem, Philippum Bonæ-ſpei, immortalem laudem gloriamque conſecuti ſunt Gaufridus Carnotenſis Innocentij II. Legatus Aquitanici ſchiſmatis extinctor, & Mauricius Pariſienſis, qui aſſiduus Alexandri III. comes, fautor, Conſiliarius & deductor fuit.

Quantum ad hæreſes attinet, duplicis hoc ſeculo generis fuerunt. Aliæ externæ, aliæ in agro Academiæ natæ: quarum aliæ ſubitò cum ſuis authoribus interierunt, aliæ diuturniores fuerunt funeſtiſſimoſque progreſſus & exitus habuerunt: quarum quoque alias aut ipſa Academia ſalubribus inſtitutis ſemper inſiſtens in ſuis conuentibus præfocauit: aut ad eas extinguendas in Conciliis generalibus & Prouincialibus opem contulit animoſque conuertit. *Hæreſes Seculi.*

Petrus Abaelardus lib. 2. Introductionis ad Theologiam quaſdam enumerat, quarum duæ nactæ ſunt authores priuatos homines, *Tanquelmum* in Flandria, eundemque Laïcum; *Petrum Bruſium* in Prouincia & hunc presbyterum. *Tanquelmus* adeò demens & fatuus erat, vt ſe *Dei filium vocitari atq; decantari nec non à ſeducto*

populo templum ædificari faceret. Quem quidem in pari dementia & fatuitate ſecutus Eon inferioris Britanniæ Armoricanæ Ruſticus Hæreſiarcha in Concilio Remenſi an. 1146. damnatus eſt. Bruſius verò eodem Abaëlardo teſte ita *omnem fere Diuinorum ſacrorum & Eccleſiaſticæ Doctrinæ inſtitutionem euerſurat, vt multos rebaptizari cogeret & venerabile Dominicæ ſignum Crucis remouendum penitus cenſeret, atque altaris ſacramentum nullatenus celebrandum amplius eſſe aſtrueret.*

Bruſii errorem amplexus eſt deinde Henricus quidam Lauſanenſis Pſeudo-Monachus & Apoſtata: proindeque ex tota Francia expulſus Toloſæ tandem ſedem fixit, nimiſque diu peſte ſua populum infecit, fauente aut conniuente Hildefonſo S. Ægidij Comite, nec audentibus Epiſcopis cum homine congredi, qui cum eſſet litteratus & ſpecie pietatis populum alliceret, Euangelium quod Chriſti non erat, impune annunciabat. Ad ea loca deſtinatus eſt Albericus Oſtienſis Apoſtolicæ ſedis legatus, qui aſſumpto Bernardo Clare-Vallenſi & Gaufrido Carnotenſi hæreticum fugere & deliteſcere compulit, donec captus tandem & catenatus Epiſcopo Toloſano eſt traditus. Cuius etiam Hæreſis in Concilio Remenſi ab Eugenio Pontifice damnata eſt.

Verum ex horum ce peruerſorum Authorum cineribus enata eſt paulo poſt, nempe circa an. 1160. tæterrima & funeſtiſſima Vvaldenſium & Albigenſium Hæreſis, ad quam conterendam multiplicibus Concilijs, Prouincialibus & Oecumenicis opus fuit: tam longè enim latéque propagata eſt, vt Hydra illa fabuloſa non plura videatur habuiſſe capita. Primum igitur in Concilio Turonenſi an. 1163. repreſſa quidem eſt aliquantulum, ſed non diu poſt reſumpſit vires longè robuſtiores. Deinde in Concilio Lateranenſi ab eodem Pontifice habito an. 1179. (cui è Noſtris inter alios interfuerunt Alanus de Inſulis & Vvillielmus Remenſis) ſolenniter damnata eſt. Poſtea in Lateranenſi IV. an. 1215. ab Innocentio III. nec adhuc extingui potuit. Opus fuit Bello, imò viribus Regiis; vixque extirpata eſt: vt ſuo tempore docebimus.

Quatuor aliæ hæreſes quarum meminit Abaelardus, à Magiſtris Theologiæ in ſuis ſcholis docebantur: quorum vnus in Francia dicebat *multos qui ante incarnationem Verbi diuini extiterunt, ſine illius fide ſaluandos eſſe. Chriſtum cæterorum hominum more fuiſſe natum*, hoc ſolum dempto, quod ſine virili ſemine ſit conceptus. Deum genuiſſe ſeipſum, quandoquidem Deus pater filium Deum generauit. Alter in Burgundia *Tres in Deo proprietates, tres Eſſentias ab ipſis perſonis & ab ipſa Diuinitatis natura diuerſas aſſerebat.* Tertius in Pago Andegauenſi *Attributa Diuina quot eſſent, tot eſſe res ab ipſo Deo diſtinctas.* Quartus denique in Bituricenſi, Deum poſſe falli concedebat. Iſti autem Magiſtri ſub initia huius ſeculi ſcholas habebant: quos tamen aut non ita crudè hæretica dogmata ſparſiſſe crediderim, aut ſi ſparſerunt, admonitos correxiſſe & dedocuiſſe. Siquidem de illis nihil aliud, quàm quod refert Abaelardus in Hiſtoria iſtius temporis legitur: nec legimus Bernardum qui tunc Malleus erat hæreticorum, aliquando fuiſſe eos inſectatum.

Secuta eſt hæreſis ſeu temeritas Abaelardi, hominis quidem ingenioſi & docti, ſed inquieti, inconſtantis & ſuperbi, nec contenti ſapere ad ſobrietatem: quem proinde ſcholas Pariſiis **habere iniquo ſemper animo tulerunt cæteri Magiſtri: ſed** quia Magnatum, præſertim vero Stephani de Garlanda primas in adminiſtratione Regni partes tenentis benevolentiam ſibi conciliarat, eum vtcumque ferre coacti ſunt. At ille relictis Scholis Pariſienſibus ob cauſas quas in Hiſtoria retulimus, & apud San-Dionyſium Monachus factus Theologiamque profiteri aggreſſus nonnullas propoſitiones aut Hæreticas aut ad Hæreſim accedentes Diſcipulis tradidiſſe accuſatus eſt in Tractatu, quem de Theologia dictauit, inter quas hanc ipſe ait fuiſſe *ſolum Deum patrem eſſe omnipotentem.* Et hanc quoque, quam refert Otho Frinſinghenſis. *Sicut eadem oratio eſt propoſitio, aſſumptio, concluſio: ita eſſentia Diuina eſt pater & filius & Spiritus S.* ob idque à cæteris Magiſtris tum Pariſienſibus tum Remenſibus & Iaudunenſibus, imo & à Commonachis San-Dionyſianis exagitatus ad ſynodum Sueſſionenſem an. 1121. citatus damnatuſque librum ſeu Tractatum quem dictauerat, propriis manibus in ignem coniecit & combuſſit.

Iterum anno 1140. in Synodo Senonenſi cui Rex ipſe Ludouicus interfuit, inſtantibus Scholarum Magiſtris damnatus eſt; ſeu potius Capitula quædam &

propoſitiones quæ dicebantur ex eius varijs Tractatibus excerptæ & in Indiculo à Bernardo Clare-vallenſi porrecto contentæ anathemate percuſſæ ſunt. Parcitum tamen perſonæ & honori authoris. At idem Indiculus ad Innocentium Pontificem ab eodem Bernardo miſſus tanquam Petri Abaëlardi propoſitiones & dogmata continens non modo non damnatus eſt, ſed & author nominatim hæreſeos labe & infamia notatus, iniunctumque & mandatum Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis, vt eum velut hæreticum publicè declararent. Negauit tamen ille ſe vnquam errores qui in indiculo notabantur, ſcripſiſſe, dictaſſe aut docuiſſe: imo Capitula Indiculi Capitulis oppoſita & contraria edidit: atque in ea re Petrum Venerabilem Cluniaci Abbatem fortiſſimum habuit protectorem & defenſorem, tandemque apud Cluniacum retentus eſt ab eo ad docendum, & cum Bernardo reconciliatus verè Chriſtianus & Catholicus obiit an 1142.

Non deſierunt tamen poſt mortem eius Scripta proſcindi & lacerari: eumque M. Gualterus qui de S. Victore dictus eſt, authorem facit *Nichilianiſtarum*, principemque ſectæ cuius poſt eum Choryphæos vult fuiſſe Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum & Petrum Pictauinum Lombardi Diſcipulum, quos proinde vocat quatuor Franciæ Labyrinthos & antiquis Hæreticis accenſet in Catalogo, quem de iis compoſuit ſub hoc lemmate & titulo. ISTI SVNT PROPHETÆ & APOSTOLI ANTICHRISTI, hoc modo NICHILIANISTÆ *dicti ab eo quod Chriſtum dicunt non eſſe aliquid. Ergo illi primi* (nempe Hæretici, quos enumerat Auguſtinus lib. de omnibus hæreſibus) *nec hominem nec Deum: iſti vltimi concludunt nec aliquid eſſe. Quid plus dicturus eſt ipſe Antichriſtus?*

Prologum verò operis quod 4. libris complexus eſt, ſic incipit. *Quisquis hæc legerit, non dubitabit 4. Labyrinthos Franciæ id. Abaëlardum & alium Lombardum, Petrum Pictauinum & Gilbertum Porretam vno Ariſtotelico ſpiritu afflatos, dum ineffabilia S. Trinitatis & Incarnationis ſcholaſticâ leuitate tractarent, multas hæreſes olim vomuiſſe & hinc adhuc errores pullulare. Quos quidem ſub aliorum vel verbis vel nominibus vterque id. Lombardus & Pictauinus ſuauiſſimis licet falſis argumentis ita limant, acuunt roborant, vt meritò propria non aliena videantur offerre. Deinde ſanctos Patres etiam in manifeſtis hæreſibus iudicandis Lombardus cogit ſecum omnes deſipere, omnia ſic confundens, quantum in ipſo eſt, vt quæ ſit Catholica fides ne à Catholicis quidem agnoſcatur. Hoc modo. Ponit enim enim 3. ſententias. 1 Eſt eorum, qui nec hæretici nec Catholici dici poſſunt. 2. Eſt eorum qui manifeſti Catholici ſunt. 3. Eorum qui abſque dubitatione hæretici atque blaſphemi ſunt. Cum ergo tanta & tam manifeſta ſit diuerſitas ſententiarum, iſte tamen* Magiſter Vniuerſalis *æqualiter conatur eas aſtruere Catholicorum Patrum authoritatibus, & quæ ſit Catholica fides, ſe profiteatur neſcire talibus verbis.* Satis, inquit, diligenter iuxta diuerſorum ſententias ſupra poſitam abſque aſſertione & præiudicio tractaui Quæſtionem: veruntamen nolo in re tanta tamque ad dinoſcendum difficili putare Lectorem iſtam ſibi noſtram debere ſufficere diſputationem; ſed legat & alia, & alia quæ hic moueri poſſunt, intelligentiore ſi poteſt mente diſcutiat. *Noua prorſus doctrina quâ nullus remanet Catholicus: vti quædam hæreſis quæ ſuſcipit omnes hæreſes.*

Hæc ille de Petro Lombardo Sententiarum Magiſtro, qui quod diligentius & ſubtilius ſolito Quæſtiones Theologicas tractaſſet, poſt mortem hæreſeos quoque fama diu laborauit, donec tandem an. 1215. in Concilio Lateranenſi eius Doctrina ab illa ſuſpicione liberata eſt, contraria vero Ioachimi Abbbatis damnata. Non eſt tamen diffitendum, quin multi eius & prædictorum Magiſtrorum ſcripta malè interpretantes, aut eorum occaſione de ſuo addentes, in errores lapſi ſint plurimos: vnde merito ab aliis pro Hæreticis, aut pro ſuſpectis habiti ſunt, quos tandem Academia cum Almarico Hæreſiarcha veluti fœtus abortiuos damnauit & extinxit vt in Hiſtoria diximus & ad an. 1209. amplius referemus.

Iam verò quanto fauore ſtudioque ob id proſecuti ſint Academicos noſtros ſummi Pontifices; ex eo patet, quod plurimos eorum ad ſupremas Eccleſiæ dignitates prouexerunt aut prouehi curarunt, quos omnes enumerare laboris eſſet immenſi. Hoc ſaltem præteriri non poteſt, quinque aut ſex ſummos Pontifices hoc ſeculo è noſtris quondam fuiſſe. Nam vt nihil dicam de Petro-Leonis (qui ſub initia ſeculi in ſcholis Pariſienſibus verſabatur, vnde Cluniacum profectus, & è Cluniacenſi Cœnobio ad Cardinalatum euocatus, poſtremò ad pſeudo Pa-

Fauor Pontificum.

patum ſub Anacleti nomine, malis auibus peruenit, Innocentius II. ſuis propriis meritis & virtutibus non minus quàm ſcientiarum fulgore clarus ad ſupremam illam ſedem prouectus eſt. Guido de Caſtello Abaëlardi quondam Diſcipulus, Cœleſtinus II. poſtea dictus; Nicolaus de Brekſpere Angligena, è noſtris etiam olim, poſtea S. Rufi Canonicus, tum Cardinalis, denique Adrianus IV. appellatus. Rolandus Eccleſiæ Rom. poſt Aimericum Cancellarius, poſtea Alexander III. dictus non tantum vir doctus fuit & in omni litterarum genere conſpicuus, ſed & videtur ipſemet publicè docuiſſe. Sic enim eum compellat Ep. 334. Bernardus Clareuallenſis, exhortans vt Eugenio Pontifici ſana & ſalubria conſilia dare velit. *Age dilectiſſime pro loco quem tenes, pro ea quam adeptus es dignitate, viriliter & prudenter exerce, qui in te eſt, zelum Dei ad gloriam eius, ad ſalutem tuam & Eccleſiæ ſanctæ plurimam vtilitatem; vt dicere poſſis & tu quia gratia Dei in me vacua non fuit. Hactenus quippe eruditioni multorum fideliter & viriliter inſtabas cœlo & terra teſtibus, ſed iam tempus faciendi Domino, ne patiaris quod in te eſt, diſſipari ab impiis legem eius.*

Cæterum quanto amore complexus ſit Alexander viros litteratos & Academicos Pariſienſes, ſatis intelligitur ex eius Epiſtola ad Petrum S. Chryſogoni, quam in hiſtoria retulimus, quâ nempe præcipit ſibi eorum nomina perſcribi, qui inter alios excellebant. Hinc factum vt multi multos Scholares & Magiſtros ei commendarent; cuius rei fidem facit hiſtoria huius ſeculi. Hinc Stephanus dictus Tornacenſis Ioannem Clericum Eccleſiæ Aurelianenſis alumnum ei commendat Ep. 22. ad Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, quem deinde Pontifex ipſe accepit in ſcriptorem, eundemque Decano & Capitulo S. Crucis Aurelianenſis commendauit commendatumque voluit per Guill. Senonenſem & Stephanum Tornacenſem.

De Vrbano III. & Innocentio III. fusè diximus in hiſtoria, quos conſtat eiuſdem Academiæ Pariſienſis alumnos fuiſſe, & complures viros litteratos ad ſuprema Eccleſiæ Munera prouexiſſe.

Quàm bene autem fuerit Regum noſtrorum Ludouici Craſſi, Ludouici VII. & Philippi, in viros Academicos inclinata voluntas, patet ex iis quæ in hiſtoria paſſim retulimus & quæ infra referemus. Eos in hac parte imitati ſunt Theobaldus Campaniæ Comes, & Henricus filius; item & Guillelmus Remenſis Archiepiſcopus Litteratorum Mecenas & Priuilegiorum Vniuerſitatis Conſeruator. Eorundem ſtudium æmulati ſunt Henricus II. Angliæ Rex, & plurimi Magnates Anglici & Normani. Quæ res ita ſtudioſorum animos ad colendas Muſas inflammauit, vt eorum nunquam frequentia maior, nunquam tanta inter eos æmulatio extiterit.

Priuilegia. Quæ verò Priuilegia Academiæ Pariſienſi ab vtroque Principe Romano & Franco indulta ſint, breuiter inquirendum. Difficile quidem dictu eſt, quæ fuerint à Regibus conceſſa: ſed ex iis quæ ſcribit Rigordus, ſatis intelligitur fuiſſe plurima & memorabilia; ille enim ad an. 1209. commemorans quanta tum eſſet Academiæ Pariſienſis fama, quàm multiplices illius Scholæ in omni litteraturæ genere fructus, tantæ celebritatis tantæque Magiſtrorum & Scholarium frequentiæ cauſas duas affert, amœnitatem vrbis Pariſienſis & Priuilegia quæ Philippus & ante ipſum Pater eius Scholaribus indulſerant. *In diebus illis*, inquit, *Studium litterarum florebat Pariſius*, nec legimus tantam aliquando fuiſſe Scholarium frequentiam *Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum ſtudendi gratia incolebat. Quod non ſolum fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam, ſed etiam propter* LIBERTATEM ET SPECIALEM PRÆROGATIVAM DEFENSIONIS *quam Philippus Rex & Pater eius ante ipſum ipſis Scholaribus impendebant.*

Sub hiſce principibus videtur aut conſtitutum aut ſtabilitum priuilegium abſentiæ ſtudiorum cauſâ, quo non licebat Iudici Laïco Scholarium ſtudii cauſâ abſentium extra locum ſtudii cauſas diſceptare liteſque iudicare. Et ita definitum legimus à Guillelmo Senonenſi Archiepiſcopo circa an. 1170. in gratiam pauperis cuiuſdam Scholaris, cuius cauſam illi commendarat Stephanus Tornacenſis, vt ſcribit Epiſt. 23. *Profeßioni ſimul*, inquiens, *& conditioni præſentium latoris compatiens & reuereor Clericum & Pauperem deamplector. Ad*

beſtias depugnat in Laïcorum foro contra Laïcum de paterna hereditate litigans, Iudices habens eos qui & non nouerunt litteras & litteratos oderunt. Veſtra, Pater, ſententia non minus æqua quàm iuſta coram vobis agentem Clericum in illius remiſit curiam, cuius annua functione ſenſum poſſeſſio profitetur. Eo ſaluo prolata eſt definitio veſtra VT CAVSA STVDIORVM QVA CONTIGIT EVM ABFVISSE, NON DEBVERIT OBFVISSE. In contrarium nititur iudicare turba maledica, ne dicam maledicta, quæ neſcit legere.

Quartò conuenerunt Litigantes coram Iudice, & quartò filii hominum qui iudicant terram, vt vulgo loquitur, iudicium reſpectarunt. Pro certo didicimus eos non minus imprudenter quàm impudenter primò confeſſu iudicaturos. CAVSAM STVDIORVM NON ESSE IVSTAM ABSENTIÆ CAVSAM, ob quam aut ipſo iure non fuerit læſus aut reſtitui mereatur: cuius abſentis & ſtudentis cauſa diſtracta eſt. Si ſic eos proferre contigerit & iuri communi contrarium & ſententiæ quam dediſtis, vt inimicum refragabitur & iniquum. *Sed ad conſequentium trahi poterit in cauſis conſimilibus, Pater, vt iam non ſit qui cauſa ſtudiorum Patrios lares exeat, ne dum facultates quæſierit liberales, facultates amittat temporales.* Placeat vobis, Pater, in hoc articulo conſilium & auxilium dare non huic tantum Clerico, ſed omnibus alijs; quoniam communis cauſa eſt omnium & propria ſingulorum.

Quod attinet ad Pontificum Rom. Priuilegia, vix dubitari poteſt quin Paſchalis, Calixtus, Honorius, Innocentius II. Eugenius III. Adrianus IV. Alexander III. Clemens, Vrbanus Cœleſtinus & Innocentius II. qui Academicorum noſtrorum opera, ſtudio ſcriptiſque vſi ſunt ad ſuæ cauſæ defenſionem, ſingularibus priuilegiis hanc ſuam fere omnium Matrem Academiam donarint & amplificarint. Innocentius quidem II. cum cauſa verteretur inter Sthephanum Pariſienſem Epiſcopum & Galonem Magiſtrum ſcholæ, interdictum, quo Montem San Genouefianum in quo tum frequentes erant ſcholæ, Eccleſiaſque Montis ligarat Stephanus, ſolui iuſſit, cauſæque iudicium ſibi reſeruauit. *Priuilegia.*

Alexander III. animaduertens frequentium diſſidiorum quæ inter Academicos & Cancellarium Pariſ. intercedebant, cauſam eſſe pecuniarum exactionem, ex licentiæ docendi conceſſione, vetuit ne Cancellarius à viris peritis & docere volentibus huiuſmodi licentiarum nomine quidquam exigeret. Legitur autem ipſius conſtitutio lib. 5. Decretal. Tit. de Magiſtris, his verbis. *Pro licentia docendi nullus pretium exigat, vel ſub obtentu conſuetudinis ab eis quidocent aliquid quærat, nec docere quenquam qui ſit idoneus petita licentia interdicat.* Et infra ſpeciatim reprehendit conſuetudinem in Gallia paſſim obſeruari ſolitam, qua MAGISTRI SCHOLARVM ſine certo pretio alicui docendi licentiam non concedebant: quam conſuetudinem extirpare cupiens, quæ de radice cupiditatis procedebat, prohibuit ſub anathematis interminatione, ne quis ab idoneis & peritis viris docere volentibus pro licentiæ docendi conceſſione pecuniam exigeret. *Dignos eſſe animaduerſione cenſemus, qui nomen* Magistri Scholarvm *& dignitatem aſſumunt & ſine certo pretio Eccleſiaſticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc praua conſuetudo à cupiditatis radice proceſſerit & decorem admodum Eccleſiaſticæ honeſtatis confundat, mandamus quatenus conſuetudine ipſa de veſtris Eccleſiis extirpata ſub anathematis interminatione hoc inhibere curetis, diſtrictè præcipientes, vt quicunque viri idonei & litterati voluerint regere ſtudia litterarum, ſine moleſtia & exactione qualibet ſcholas regere permittantur.*

Huius conſtitutionis authoritate freti & tuti Scholares Pariſienſes libertatem ſuam pro poſſe ſemper tueri & conſeruare curarunt contra Cancellariorum exactiones. Et hæc fuit occaſio litium perpetuarum ab an. circiter 1100. ad annum 1400. vt ex hiſtoria patebit. Contendebant enim Cancellarij, quod examini Candidatorum præeſſe, quod licentias docendi concedere deberent, ad laboris leuamen ſibi mercedem ſeu honoratium aliquod deberi. Contra ſcholares, Cancellariis ob id Beneficium Eccleſiaſticum aſſignatum, competens & idoneum, vt licentiam docendi viris idoneis & docere volentibus gratis concederent, imo & vt ipſi gratis docerent. Eodem titul. *Quoniam Eccleſiam Dei ſicut pia Mater prouidere tenetur, ne pauperibus qui parentum opibus iuuari non poſſunt, legendi & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per vnamquamque Cathedralem Eccleſiam Magi-*

ſtro qui Clericos eiuſdem & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur.

Eidem Pontifici fuit in animo ſtatuere circa regimen Academiæ Pariſienſis, ſed quid ſtatuerit præter id quod ſupra de licentiis & de Cancellario dictum eſt, credo non extat.

Clemens III. in gratiam ſcholarium Bononienſium ſtatuit, ne quis eorum hoſpitia ante tempus conductionis finitum conducere auderet. Nec dubium eſt, quin idem ſtatuerit in gratiam Pariſienſium: ſiquidem ſtatutum illud ſæpe à conſecutis Pontificibus confirmatum legimus.

Cæleſtinus III. ſecuritati ſcholarium Pariſienſium conſulere cupiens, ſimulque tranquillitati ſtudiorum, ne ſi forte cauſas haberent apud iudices diſceptandas, à ſtudio diſtraherentur, voluit quaſcunque pecuniarias cum Laicis haberent, eas ab Epiſcopo Pariſienſi & Abbate San-Genouefiano iudicari. Cuius Conſtitutionem in Hiſtoria retulimus ad an. 1194.

Denique Innocentius Academiæ Pariſienſi, cuius alumnus fuerat, addictiſſimus multa quoque in eius gratiam ſtatuit. Imprimis verò Magiſtros qui in Artibus aut in Theologia rexiſſent, in præbendarum Eccleſiaſticarum diſtributione & collatione cæteris aliarum vrbium & ſcholarum Magiſtris præferri voluit, multoſque iis donari curauit & præcepit. Eidem tribuitur Priuilegium Excommunicationis quo ſcilicet prohibuit ne vllus in Rectorem, Procuratores aut Magiſtros cenſuram eiuſmodi ferre præſumeret, quod ab Innocentio IV. confirmatum eſt. Idem confirmauit inſtitutionem Procuratoris generalis ſeu Syndici quæ ab ipſa Vniuerſitate facta fuerat: & alia multa, quæ ad ſeculum quintum referemus.

II.

DE STATV VNIVERSITATIS Pariſienſis.

Diſſertatio I. De Facultate Artium, & Methodo docendi.

ANTE hoc ſeculum non aliud fuiſſe videtur in Scholis Pariſienſibus exercitium, ſeu Profeſſio publica litterarum, quàm Artium Liberalium & Theologiæ, vt ante diximus: hoc verò ſeculo, ſaltem circa medium & finem acceſſerunt Iuris vtriuſque & Medicinæ profeſſiones. De quibus ante quàm dicimus, generatim id affirmare liceat, ab inſtitutâ fundataque hac Vniuerſitate ad Franciſci I. ætatem, nullum fuiſſe **ſeculum aut feracius bonarum Artium, aut fertilius in**
Grammatica. **geniis** præcellentibus, aut numero Magiſtrorum & Diſcipulorum abundantius, aut terſâ latinitate florentius.

Imprimis igitur quandonam Grammatica terſior fuit & politior? quando Rhetorica robuſtior & potentior? quanquam enim Cornificiani Eloquentiæ præceptis minus ſtudendum eſſe contendebant, totamque operam in tricis Dialecticis, imò & vitam totam conſumebant, Imperitorum certè id iudicium fuit, ea mens corruptorum hominum, omnia ad futiles & inanes Dialecticæ Quæſtiones nugaſque tanquam ad ſummum & maximum ſtudiorum bonum referentium; non ſanorum & peritorum ſententia. AC proinde Corruptores illos germanæ Latinitatis & eloquentiæ hoſtes ac deriſores tam prudenter quàm fortiter refellit Ioannes Sarisberienſis multis in locis ſui Metalogici: & Artium illarum neceſſitatem & vtilitatem demonſtrat eſſe tantam, vt abſque iis nullus in litteris profectus ſperari poſſit aut debeat. Vnde & eorum Diſcipulos dediſcere oportuiſſe ait quæ didicerant, cum adultiores facti Diſciplinas altiores amplecti cupiebant. Vel ſi dedoceri erubeſcebant, aut Clientulos ſe profiteri Medicorum apud Salernum aut Montem-

Montem-peſſulanum coactos, aut ad Clauſtra Monachorum conuolare, quaſi mundo inutiles ſe tandem agnoſcentes, & ad profeſſionem litterarum prorſus inhabiles; aut denique ad locupletum Domos ſe conferre, vt ſplendeſcerent, aut fœneratoriam exercere vt lucrum facerent. *Nam*, inquit, *ſub prætextu religionis mergebantur in clauſtris, aut ſub imagine philoſophandi & vtilitatis publicæ confugiebant ad Phyſicam, aut ſub honeſtatis velamine quo ſplenderent & ſublimarentur, ſe præclaris Domibus ingerebant; aut ſub obtentu neceſſitatis exercendique Officij, dum lucrum ſitiebant, multiplicis auaritiæ voragine abſorbebantur: adeo quidem, vt ſic profitientium Philoſophorum, aut vt verius dixerim, deficientium collatione, quiuis in turba profanæ multitudinis rudis ad flagitia videretur.*

Inter cæteros verò, qui huic ſeculo ſplendorem litterarum humaniorum non modò aſſeruerunt & conſeruarunt aut amplificarunt, ſed ad conſequentia quoque ſecula tranſmiſerunt, maximè commendat idem author M. Bernardum Carnotenſem & quoſdam alios, qui veterum authorum explanationi inſiſtentes rarò admittebant Recentiores, niſi quorum terſa eſſet & caſtigata Latinitas, inter quos cæteris purius ſcripſiſſe credebatur Hildebertus Cœnomanenſis: ideoque Petrus Bleſenſis ſe eum in ſcholis cum veteribus authoribus legiſſe gloriatur Ep. 101. *Profuit mihi quod Epiſtolas Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi ſtyli elegantiâ & ſuaui vrbanitate præcipuas firmare & corde tenus reddere compellebar. Præter cæteros etiam libros qui celebres ſunt in Scholis, profuit mihi frequenter inſpicere Trogum Pompejum, Ioſephum, Suetonium, Egeſippum, Q. Curſium, Cornelium Tacitum, T. Liuium, qui omnes in Hiſtoriis quas referunt, multa ad morum ædificationem & ad profectum ſcientiæ litteralis interſerunt. Legi & alios qui de hiſtorijs nihil agunt, quorum non eſt numerus, in quibus omnibus quaſi in hortis aromatum flores decerpere & vrbana ſuauitate loquendi mellificare ſibi poteſt diligentia modernorum.*

Quod ſi quis quantopere cultæ fuerint & excultæ prædictæ artes, noſſe cupierit, Scriptorum opera demonſtrabunt. Initio ſeculi florebat Abaëlardus, cuius paſſim ex variis Epiſtolis & tractatibus loca retulimus: & in iiſdem artibus Heloiſſa, Magiſtrum Diſcipula ſuperauit. Profero vel vnicum locum ex Ep. 4. ad Abaëlardum: ſcripſerat ad eam ille his verbis *Heloiſſæ Dilectiſſimæ ſorori ſuæ in Chriſto Abaelardus frater eius in ipſo.* En quomodo ipſa talem ordinem redarguit. *Miror vnice meus, quod præter conſuetudinem Epiſtolarum, imo contra ipſum ordinem naturalem rerum in ipſa fronte ſalutationis Epiſtolaris me tibi præponere præſumpſiſti, faminam videlicet viro, vxorem Marito, Ancillam Domino, Monialem Monacho & ſacerdoti, Diaconiſſam Abbati.* Rectus quippe ordo eſt & honeſtus, vt qui ad ſuperiores vel ad pares ſcribunt, *eorum quibus ſcribunt nomina ſuis anteponant: ſin autem ad inferiores, præcedunt ſcriptionis ordine qui præcedunt rerum dignitate.*

Pergit. *Illud etiam* non parua admiratione ſuſcepimus, quod quibus conſolationis remedium afferre debuiſti, deſolationem auxiſti, & quas mitigare debueras, excitaſti lachrymas. Quæ enim noſtrum ſiccis oculis audire poſſit, quod circa finem Epiſtolæ poſuiſti dicens, quod ſi me Dominus in manus inimicorum tradiderit, vt me ſcilicet prævalentes interficiant &c. O chariſſime, quo id animo cogitaſti? quo id ore dicere ſuſtinuiſti? Nunquam ancillulas ſuas adeò Deus obliuiſcatur, vt eas tibi ſuperſtites reſeruet. Nunquam Nobis vitam illam concedat, quæ omnis mortis genere ſit grauior. Te noſtras exequias celebrare, te noſtras Deo animas conuenit commendare & quas Deo aggregaſti, ad illum præmittere, vt nulla amplius de ipſis perturberis ſolicitudine, & tanto lætior Nos ſubſequaris, quantò ſecurior de noſtra ſalute iam fueris. Parce obſecro Domine, parce huiuſmodi dictis, quibus miſeras miſerrimas facias, & vt ipſum quodcunque viuimus, ne Nobis auferas ante mortem. Sufficit diei malitia ſua, & dies illa omnibus quos inueniet, ſatis ſecum ſolicitudinis afferet omni amaritudine inuoluta. Quid enim neceſſe eſt, inquit Seneca, mala arceſſere & ante mortem vitam perdere? Rogas, vnice, vt quocunque caſu nobis abſens hanc vitam finieris, ad Cimiterium noſtrum corpus tuum afferri faciamus, vt orationum ſcilicet noſtrarum ex aſſidua tui memoria ampliorem aſſequaris fructum. At vero quomodo memoriam tui à nobis labi poſſe ſuſpicaris? aut quod oratio in tempus tunc erit commodum, quando ſumma perturbatio nihil promittit quietum? cum nec anima rationis ſenſum, nec lingua ſermonis retinebit vſum? Cum mens inſana in ipſum, vt

" ita dicam, Deum magis irata quàm paccata non tam orationibus ipſum placabit,
" quàm querimoniis irritabit? flere tunc miſeris tantum vacabit, non orare licebit, &
" te magis ſubſequi quàm ſepelire maturandum erit, vt potius & Nos conſepelien-
" dæ ſimus, nequaquam ſepeliri poſſimus. Quæ cum in te noſtram amiſerimus vi-
" tam, viuere te recedente neque poterimus. *Mortis tuæ mentio mors quædam nobis eſt.*
" Ipſa ante & mortis huius veritas, quid ſi nos inuenerit, futura eſt: nunquam Deus
" annuat vt hoc tibi debitum ſuperſtites perſoluamus, vt hoc tibi patrocinio ſubue-
" niamus, quod à te penitus expectamus. *In hoc vtinam te præceſſura, non ſecutura.* Hæc
ipſa & cætera eodem ſpiritu.

Pergamus ad conſecuta tempora. Arnulphus Sagienſis Archidiaconus dictus poſtea Lexouienſis Epiſcopus qui ſub Innocentio II. & cæteris Pontificibus conſecutis floruit ab an. 1130, ad an. 1182. in præfatione Tractatus quem de ſchiſmate Petri Leonis contra Girardum Engoliſmenſem edidit circa an. 1133. ſic Gaufridum Carnotenſem Innocentij II. legatum compellat & laudat. *Cum ad reſiſtendum*
" *Petro Leonis in Italia Præſul Romanus indefeſſus aſſiſtat*, ad reſiſtendum Gerardo vos
" reliquit in Gallia, vt ſic capiti caput oppoſitum & dextera dexteræ conferatur.
" Sicut enim Petrus ſchiſmatis huius princeps & auctor eſt, ſic Girardus eius inter
" omnia principalius eſt inſtrumentum. In quo quid de fide & prudentia veſtra ſen-
" tiendum ſit, manifeſtè probatum eſt, cum nullum vobis prætuleritis, qui nec
" probaret ignotum neque notum ſupra merita propriæ virtutis efferret. Arbitra-
" tus eſt virum quem charitas animaret, quem ſuſcitaret obedientia, quem ſcientia
" cogeret, cui pararet fortitudo victoriam. Probauit in vobis in fide conſtantiam,
" humilitatem in obſequendo, in exequendo prudentiam, in difficultate perſeue-
" rantiam. Quis vos hac eius exiſtimatione neget eſſe felicem? quis beatum tanta
" eius dignatione non dicat? ſed profecto dignus mittente nuncius, dignum ſuſci-
" piente mandatum, ſpes vtriuſque pulcherrima, quæ tam celebrem victoriam cer-
" to ſpectat euentu. *Vincet enim in vobis ipſe, ſed & vos vincetis in ipſo, dum ipſe vobis*
" *authoritatem, vos authoritati præſtatis obſequium.*

Hæc ad Gaufridum. Contra Girardum verò c. 1. ſic habet. *Qualis igitur à pri-*
mo Pontificatus tui tempore fueris, quid in principio orientis in Eccleſia tempe-
" ſtatis egeris, quibus eam poſtea operibus infeſtare non ceſſas, ordine tranſigetur.
" Prætereundus eſt ortus degener paternæque domus familiaris inopia, quæ te
" totius natalis Normaniæ finibus abegerunt, vt ad ignotæ gentis limina peregrinus
" & mendicus aſtares. Taceo ignobiles pueritiæ quæſtus, ignominioſam adoleſcen-
" tiæ famam, iuuentutis auara commercia, ne aures eorum ad quos hæc ſcripta ven-
" tura ſunt, tuæ ſordibus incontinentiæ ſimul & auaritiæ polluantur.

Et Cap. 7. de legatione Girardi ſic ſcribit. *Suſcepta igitur Petri Leonis Epiſtola*
cepiſti per fines Aquitaniæ diſcurrendo priſtinæ prædicationi tuæ prædicare contraria, Pe-
" trum ſcilicet Leonis Anacleti nomine, ſed verius Antichriſti Papam eſſe, cuius
" quidem Apoſtolatum ſedes principalis exciperet, & totius Ciuitatis obedientia
" confirmaret. Alterum Ciuitate pulſum cum paucis fautoribus ſine certa lege va-
" gantem, auertentem populos, & ab Eccleſia ſeparantem, quem nec Cathedra
" **Lateranenſis agnoſceret, nec ei obſequium Romana Ciuitas exhiberet. Quem Pa-**
" pam credere ſimilis amentia videbatur, vt ſi quis carentem Regno Regem dicere,
" deſtitutum principatu Principem appellare voluerit Quaſi modo, Girarde, iuſtitię
" loca præiudicent, & ius dignitatis perimat illius Ciuitatis egreſſus & velut ſolius
" populi Rom. fauor omnibus fere populis debeant anteferri. Nunquid enim ipſe
" Laterani reſidens in illa B. Ioannis Eccleſia principali Chriſtianiſſimum Principem
" Lotharium conſecrauit in Regem? Nunquid ipſum & Imperij nomine & Impe-
" riali diademate renitentem ſolemnitate debita decorauit? nunquid ipſum pars
" magna nobilium & totius populi conſcientia comitatur? *Nunquid eidem vrbis*
" *habitatio & ingreſſus pro arbitrio patens eſt egreſſus? quibus profectò ſi careret omnino,*
" *nullo tamen eorum poſſet iuſtitiæ derogari.*

Extant quoque plurima Ioannis Saresberienſis opera; libri de Nugis Curialium, libri Metalogicon, Epiſtolarum liber & quædam poëmata, in quibus omnibus tantus nitor, tanta venuſtas, tanta copia & vbertas, tanta denique eloquentiæ vis elucet, vt haud ſciam an vllus ſubſecutis ſeculis par ei emerſerit. Ille ab an. circiter 1150. ad an. 1180. floruit, duodecennium in ſcholis Pariſienſibus conſumpſit &

magnam vitæ partem in Francia tranſegit, cumque Academicis noſtris verſatus eſt, contulit, diſputauit.

In libris autem præſertim Metalogici Grammaticam & Eloquentiam extollit, quas artes Cornificiani deprimere conabantur, vt pote Triuij & Quadriuij contemptores, omniaque præter vnam Logicam dedignantes. Cap. vero 9. lib. 2. oſtendit, quam inefficax ſit Dialectica, ſi aliarum Diſciplinarum auxilio deſtituatur.

Eloquentiam ſine ſapientia non prodeſſe celebre eſt, inquit, *& verum. Vnde ipſam vt proſit, à ſapientia contrahere manifeſtum eſt. Ergo & pro modulo ſapientiæ quam vſque adeptus eſt, eloquentia prodeſt: nocet enim hæc, ſi diſſocietur ab illa. Ex quo liquet Dialecticam, quæ inter Miniſtras eloquentiæ expeditiſſima eſt, & promptiſſima vnicuique prodeſſe ad menſuram ſcientiæ ſuæ. Ei enim prodeſt plurimum qui habet notitiam plurimarum. Et ei qui pauca nouit, minimum prodeſt.*

Plura abſtineo hîc ex hoc authore referre, ex cuius operibus paſſim in Hiſtoria multa loca retulimus.

Petri quoque Bleſenſis qui Saresberienſi paulò iunior ad an. 1200. vitam protendit, varios ex Epiſtolis & aliis operibus floſculos retulimus, vnde quantus vir fuerit, quàm facundus & eloquens extiterit, intelligitur. Prætereo multos alios, vt ad finem tandem ſeculi deueniamus, & ad Stephanum Tornacenſem qui è ſcholis noſtris eductus Abbas S. Euurtij Aurelianenſis, deinde S. Genouefæ Pariſienſis, poſtremo Tornacenſis Epiſcopus factus eſt. Ille autem cum S. Euurtij Abbas adhuc eſſet, Eccleſiæ Aurelianenſis planctus de interfectione Ioannis ſui Decani ad Concilium Senonenſe detulit, hiſque verbis egit (quæ leguntur Ep. 2.) quàm fortiter, quàm eleganter!

Soror veſtra ſancta filia ſedis huius Aurelianenſis Eccleſia ſic rorantes ſanguine lachrymas & aſperſas amaritudine preces miniſterio noſtræ vocis effundit, planctum vnigeniti mouet, filium vteri ſui quem genuerat, maternis eiulatibus requirit & ipſe non comparet, & ipſa quo ibit? poſita eſt quaſi ſignum ad ſagittam, facta eſt opprobrium vicinis ſuis, & qui eam vident, mouent capita ſua ſuper eam. Ipſa autem gemens & conuerſa retrorſum clamat in aures Domini Sabaoth. *Vindica Domine ſanguinem Leuitæ tui qui effuſus eſt.* Et quis eam niſi ſi ſit demens in funere nati flere vetet? quis videat lachrymas eius in maxillis eius & contemnat? quis attendat cruentas eius exequias & lamentabile feretrum ſiccis oculis proſequatur? Patres mei, factum eſt verbum in diebus noſtris, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.

Dixerunt in dolo viri ſanguinum & doloſi, & de fruticum latebris fruticoſæ mentis homines impetum fecerunt vnanimiter in Miniſtrum altaris, ſeruum ſimul & filium Crucis. In manibus eorum vaſa mortis, cum nihil minus quam mortem exſpectabat ab eis. Ipſum ducem ſceleſtæ factionis illius qui altero ſeſe polluerat homicidio, de mortis faucibus & exilij proſcriptione ſuo redemerat interuentu. Non timuit generatio praua atque peruerſa ſemen Chanaam & non Iuda, progenies viperarum non timuit ſignum Dominicæ paſſionis, quod raſo deſuper vertice ſinguli noſtrum gerunt, in ſacro Dei Leuita profundis arare vulneribus & faciem ad cœleſtis pulchritudinis ſimilitudinem figuratam notis turpibus deformare. Virum egregium de grege hominum exemerunt Carnifices & Sicarij, virum qui in Eccleſia ſua diſperſa colligens, lapſa erigens, fatigata reparans poſſeſſiones Eccleſiæ ſic reuocaret perditas, vt non perderet reuocatas. Ioannem noſtrum Martyrem ſimul cauſa fecit & pœna. Cauſa rigor Eccleſiaſticæ Iuſtitiæ, pœna dolor paſſionis illatæ, quia dixerat Ioannes, immò D. Papa per Ioannem *Non licet tibi habere portionem fratris tui Clerici.* Infremuit Herodes & factus ipſe ſpiculator, in capite Ioannis crudele ſpectaculum mundo exhibuit. At ſi quæ in eo terreni contagii maculæ inhæſerunt, totum deleuiſſe credimus, & abſterſiſſe dolores mortis qui eum circundederunt, Dominici Corporis & Sanguinis ſacramentum, quod ea qua potuit reuerentia ſuſcepit inter profundos gemitus inter alta ſuſpiria contriti cordis & humiliati ſpiritus, poſt ſuſceptam Euchariſtiam præſentibus nobis fati munus explauit, & qui vidit teſtimonio perhibuit, & teſtimonium eius verũ eſt. Veſtra intereſt ſpeculatores Domus Iſrael, cuſtodes murorum Hieruſalem, Paſtores ouium Chriſti, veſtra intereſt & remedium adhibere

» præteritis & prouidentiam futuris. Et licet ſero vobis offeratur, illud melius eſt in
» tempore occurrere quàm poſt exitum vindicari, tamen Deus vltionum Domi-
» nus, Deus vltionum gemitibus inenarrabilibus interpelletur à vobis. Clamabit.
» vobiſcum vox ſanguinis veſtri Abel de terra, clamabit & commouebit non ſolum
» terram, ſed etiam cœlum. Profectò enim quis locus tutus, aut quæ cauſa poterit
» eſſe excuſata, ſi venerandi miniſtri altaris æſtimentur ſicut oues occiſionis? Quem
» murum integritati aut vallum fidei prouidebimus, ſi ferri rabies execranda pene-
» tralia veneranda cruentat? quid denique cautum aut ſecurum eſſe poterit, ſi co-
» lumnas Eccleſiæ ſacrilega manus impune confringit? habemus & Cæſarem qui
» condolere poſſit & velit infirmitatibus noſtris, cuius manus longas non effugient
» qui non ſolum offenderunt Corneliam de Sicariis, ſed Iuliam Maieſtatis. Eduxit
» gladium ſibi diuinitus commiſſum, perſequetur & comprehendet & non erit qui
» eruat eos. Facillimè enim in hoc diuini numinis ſperatur venia, per quod ſalus &
» incolumitas multorum procuratur. Inſurgant ſimul leges Eccleſiaſticæ, armen-
» tur iura Cœleſtia, vt concurrentibus duobus gladiis, quos in defenſione Chriſti
» paſſuri ſuffeciſſe legimus duplici confuſione conterantur. Moueant vos lachry-
» moſa viduatæ Crucis ſuſpiria, commune diſcrimen omnium, cauſa propria ſingu-
» lorum, & ſic remedium conferte noſtro dolori, vt honeſtati veſtræ ſimul prouidea-
» tis & ſaluti.

Poëtica. Hæc de Grammatica & Rethorica, qui de Poëſi? In ea quoque arte complures floruerunt: & inter alios idem Arnulphus Lexouienſis qui ſupra, Io. Saresberienſis, Gualterus de Inſulis author Alexandreidos, Petrus de Riga author Auroræ, Alanus de Inſulis multorum Poëmatum in omni verſuum genere, Ioannes Hautiuillenſis author Architrenij, Guillielmus Brito author Philippidos, Ægidius Corbolienſis &c. placet nonnulla ex eorum operibus exſcerpta loca in exemplum proferre. Arnulphus hoc Epigrammate ludit in Poetam mendicum, quàm lapidè:

Verſus mendicos & Muſæ pauperis auſum,
Compoſitaſque odi Cæciliane preces.
Importuna graues exactio ſuſcitat iras
Et geminæ ſtimulos improbitatis habet.
Qui petit, hoc ipſo ſtatim incipit eſſe moleſtus:
Si petat adiuncta qualibet arte, magis.
Artis enim ſtudiis formata precatio quandam
Contrahit ex fraudis ſuſpicione notam.
Et permixta dolis exactio lædit vtroque
Fallit & emungit inſidioſa rapax.
Inuiſos igitur geminata moleſtia verſus
Reddit, nilque ſui metra fauoris habent.
Si vis ergo ſuum muſæ ſeruare fauorem,
Gratuitis auris mulceat alloquiis.
Importunus enim eſt quiſquis ſibi poſtulat aurem
Laudibus impleri, muneribuſque manum.

Alanus de Inſulis Arnulphi coætaneus in Anticlaudiano, in quo depingit hominem omnibus virtutibus adornatum, artes quoque liberales ad eius ornamentum accedere probat, earumque dignitatem pulcherrimè amplificat l. 6. c. 5. & 6. Sic autem ille de Grammatica.

Grammatica. *Grammaticæ doctrina prior præcepta ſophiæ*
Complet, & in iuuenem deſcendit tota, nec in ſe
Fit minor, immo magis creſcens grandeſcit in illo,
Omne quod ipſius decernit regula, Canon
Præcipit, & dictat artis cenſura Magiſtræ,
In dotem Iuuenis confert, ne verba moueret
Citra Grammaticam, ne verbo barbarus erret:
Barbaries quam nulla notat. Sic ergo loquendi
Rectè, ſcribendique viam ſectatur & artem

Aſſequitur, damnat vitium toleratque figuram ;
Perfundenſque virum Pegaſæi nectare fontis
Turba Poëtarum, docet illum verba ligare
Metris & dulci carmen depingere rythmo.

Idem de Rhetorica ſic ſcribit.

Adſunt Rhetoricæ cultus floreſque colorum Rhetorica.
Verba quibus ſtellata nitent, & ſermo decorem
Induit, & multâ candeſcit clauſula luce.
Has ſermonis opes vultus & ſidera verbi
Copia Rhetoricæ iactat, iuueniſque loquelam
Pingit, & in vario præſignit verba colore.
Succinctè docet illa loqui ſenſuſque profundos
Sub ſermone breui concludere, claudere multa
Sub paucis, nec diffuſo ſermone vagari.
Vt breue ſit verbum, diues ſententia, ſermo
Facundus, multo fœcundus pondere ſenſus.
Vel ſi forte fluat ſermo, ſub flumine verbi
Fluminet vberior ſententia, copia fructus
Excuſet, foliÿ ſiluam paleaſque vagantes
Vbertas granis redimat ſenſuſque loquelam.

Ioannes Saresberienſis ad librum de Nugis Curialium.

Nuſquam diuertas, ne quis te lædat euntem,
Nugarumque luat garrula lingua notas.
Omnia ſi neſcis, loca ſunt pleniſſima nugis,
Quorum tota cohors eſt inimica tibi.
Eccleſiâ nugæ regnant & Principis aulâ,
In Clauſtro regnant Pontificíſque domo.
In nugis Clerus, in nugis militis vſus,
In nugis Iuuenes totaque turba ſenum.
Ruſticus in nugis, in nugis ſexus vterque
Seruus & ingenuus, diues, egenus in his.

Ex his ergo liquet fuiſſe multos hoc ſeculo, qui terſè & nitidè loquerentur & ſcriberent: nec prævaluiſſe prauam Quorũdam docendi methodum, qui aut contemptis Grammaticæ regulis de polita latinitate deque eloquentia parum ſolliciti ad Logicam conuolabant, in cuius ſophiſmatis & argutiis totam litteraturæ gloriam poſitam eſſe putabant : aut in explanandis Authoribus ſenſus quoſdam myſticos & allegoricos imaginabantur, diſcipuliſque tradebant ediſcendos, quaſi in ea re poſito Rethorices triumpho. Puta vbi legitur in Poëtis Hylam fuiſſe ab Hercule adamatum, ita illi interpretabantur, *validum argumentum à forti & robuſto argumentatore prolatum.* Item quinque vocalium poteſtatem ſignificare aiebant *Quinque Iura Regnorum. Et in hunc modum*, inquit Saresberienſis, *docere omnia ſtudium illius ætatis erat.* Tales Doctores idem vocat Cornificianos ; vt fusè docuimus in ſynopſi 3. ſeculi.

In his ergo & ſimilibus conſiſtebant eorum diſputationes, collationes & vociferationes : & ad eos aut ſimiles ſic Bleſenſis Ep. 6. *Vos tumultuoſo ſtrepitu & clamore nautico de nugis aſſiduè diſputantes inutiliter aëra verberatis. Vos circa litteram & ſyllabam, & circa huiuſmodi elementares doctrinæ primitias veſtrum adhuc ingenium exercetis.....verecundum ſiquidem & oneroſum ſatis eſt mihi, quod omnes Coætanei veſtri in montem eminentioris ſcientiæ aſcenderunt ; & vos in cœno craſſioris intelligentiæ cum aſino remanſiſtis. Priſcianus & Tullius, Lucanus & Perſius, iſti ſunt Dÿ veſtri.*

His poſtremis verbis loca duo exercitationis & profeſſionis litterariæ ſubindicare videtur, *Montem San-Genouefianum* & *Vallem ſubiectam* : nempe vicum ſtramineum, & loca circumuicina, cœnoſa & lutoſa, in quibus Priſcianus & humaniores litteræ docebantur.

DE PHILOSOPHIA.

Philoſophia Platonica ſimplex.

TRIPLEX mihi videtur hoc ſeculo fuiſſe Philoſophiæ genus; ſeu potius triplex Philoſophiæ tradendæ methodus. Vna antiqua & ſimplex; altera Peripatetica ſeu Ariſtotelica: tertia fantaſtica & garrula. Prima, bona: ſecunda, tolerabilis: tertia, vitioſa. Prima, inquam illa eſt, quâ tradebantur regulæ Dialectices nudè & ſimpliciter citra Quæſtionum multiplicium ambages: & talis methodus viguit ab incunabulis Vniuerſitatis ad hoc vſque fere ſeculum, legique ſolebat Auguſtini Dialectica; quam & doctiſſimus Remigius Antiſſiodorenſis ſuis Diſcipulis prælegebat Pariſiis circa an. 900. & poſt eum Odo Aquitanus, & poſt Odonem alij magno ſtudio ſummoque conſenſu, vt ſcribit Launoyius in lib. de varia Ariſtotelis fortuna c. 5. hæc autem docendi methodus ad Platonicam accedebat, quæ ſimplicior erat Ariſtotelicâ.

Verum ceſſit Auguſtinus Ariſtoteli, & Chriſtianus Gentili; cuius videlicet Dialectica tradi cœpit temporibus Berengarianis: indeque Nominales & Reales altercandi, imò digladiandi occaſionem acceperunt: vt ad ſuperius ſeculum docuimus. Et quod peius eſt, ſimplex quoque Theologiæ docendæ methodus exulare cœpit, locumque dare Scholaſticæ, vt infra patebit. Hinc ergo in ſcholis primum exorta bella: dum alij morem antiquum retinere, alii nouum introducere moliebantur. Et fortè peccabatur vtrinque, iuſtoſq; terminos & fines prætergrediebantur: illi, omnes Ariſtotelis libros è ſcholis ablegando: iſti, illius regulis nimium inſiſtendo.

Nimis certè mihi videtur eſſe rigidus Gualterus de S. Victoro, contra Philoſophos congerens quidquid poteſt acerbi, l. 4. *Igitur*, inquit, *iſti Theatrales, vt ſint Eccleſiaſtici Doctores, neceſſe eſt Diuinas Artes ſequantur, non liberales; Apoſtolos imitentur, non Philoſophos. De quibus Seneca ait. De Liberalibus ſtudiis loquor.* Philoſophi quantum habent ſuperuacui, quantum ab vſu recedentis! ipſi quoque ad ſyllabarum diſtinctiones & coniunctionum ac præpoſitionum proprietates deſcenderunt, & inuidêre Grammaticis, inuidêre Geometris, quidquid in illorum artibus ſuperuacuum erat, tranſtulere in ſuam, ſic effectum eſt vt diligentius loqui ſcirent quàm viuere. Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas & quàm infeſta veritati ſit. Pythagoras ait de omni re in vtramque partem diſputari poſſe ex æquo, & de hac ipſa, an omnis res in vtramque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe quàm non eſſe. Parmenides ait ex his quæ videtur, nihil eſſe vniuerſo. Zeno Eleates qui omnia negotia de negotio deiecit, ait nihil eſſe. Circa eadem fere Pyrrhonei verſantur & Megarici & Cretici & Academici, qui nouam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire. Hæc omnia in illum ſuperuacuum Studiorum gregem coniice. Illi mihi non profuturam ſcientiam tradunt, ſi ſpem omnis ſcientiæ eripiunt. Satius eſt ſuperuacua ſcire quàm nihil. Illi enim præferunt lumen per quod acies dirigatur ad verum, hi oculos mihi effodiunt. Si Pythagoræ credo, nihil in rerum natura eſt, niſi dubium. Si Nauſiphani, hoc vnum certum eſt, nihil eſſe certi. Si Parmenidi, nihil eſſe præter vnum. Si Zenoni, nec vnum quidem. Quid ergo nos ſumus? quid iſta quæ nos circunſtant, alunt, ſuſtinent? tota rerum natura vmbra eſt, aut inanis aut fallax. Non facilè dixerim vtrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt, an illis qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.

Sed & ipſe Seneca peior exteris conuincitur. Animam quippe ſiue rationem hominis nunc Deum nunc partem Dei, nunc æqualem Deo, nunc etiam ſuperiorem, an ſit poſt mortem, an in alia corpora etiam beſtiarum recidat, Iouem Deum, huius mundi animal æternum Deum eſſe, ſequens Platonem, Virgilium, Epicurum variè dogmatizat. Homines in anguſtia poſitos totis ingeniis & exemplis compellit, vt ſemetipſos interficiant, eoſque Diis ſimiles in cœleſtibus collocat, his verbis. *Deus non vincit ſapientem felicitate*, etſi vincit ætate. Sapiens tam æquo animo omnia apud alios videt contemnitque quàm Iupiter, & hoc ſe magis ſuſpicit,

quod Iupiter illis vti non poteſt. Sapiens non vult. Vno voto omnia comprehenſa ſunt, tanquam opto mihi vitam honeſtam. Vita autem honeſta actionibus variis conſtat. In hac eſt Reguli archa, Catonis ſciſſum manu ſua vulnus, Calix venenatus qui Socratem tranſtulit è carcere in cœlum. Cape quantam debes virtutis pulcherrimæ ac magnificentiſſimæ ſpeciem. Aſpice M. Catonem ſacro illi pectori puriſſimas manus admouentem & vulnera parum demiſſa laxantem. Vtrum tandem illi dicturus es, vellem quæ velles, & fieri feliciter quod agis. Si me quidē velis audire, hoc meditare vt mortem excipias, & ſi ita res ſuadebit, accerſe. Nihil intereſt illa ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitiſſimi cuiuſcunq; verbum falſum eſſe perſuade. Bella res eſt mori ſua morte. Effrenatiſſimam vocem illius Rhodij exiſtima, qui cum in Caueam coniectus tanquam ferum animal aleretur, ſuadenti cuidam vt abſtineret cibo, *Omnia*, inquit, *homini dum viuit, ſuperanda ſunt.* Ego exſpectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum poſſim per media exire tormenta? non eſt opus vaſto vulnere diuidi præcordia, ſcalpello aperitur ad libertatem via.

Nuper vnus è captiuis lignum totum in gulam farcit, quod ad emundanda obſcœna poſitum erat & in præcluſis faucibus ſpiritum eliſit. O virum fortem cui difficilis occaſio eſt! iis proximam quādoque pro optima accipiat, ſit licet inaudita, ſit noua, non deerit ad mortem ingeniū cui non defuit animus. Ille vir magnus eſt qui mortem non tantum ſibi imperauit, ſed inuenit. Inuenies etiam Profeſſos ſapientiam, qui vim inferendam vitæ ſuæ negent, & nefas iudicent, ipſum intentatorem ſuſfieri. Hoc qui dicit, libertatis viam cludit. Placet viuere, viue. Non placet, licet eo reuerti vnde veniſti. Magiſtra rerum omnium ratio monet, vt ſi licet, moriaris quemadmodum potes, & quidquid obuenerit ad vim inferendam, tibi inuadas. Iniurioſum eſt rapto viuere: at contra, pulcherrimum mori rapto.

Huc vſque pauca de innumeris. Ecce qualibus Doctrinis dulciſonis Luſcinia hæc eo fortius quò ſuauius allicit auditores, quo fiant creduliores & ſceleratiores. Auguſt. ait. *Homicidæ flammis ſe donant, aquis præfocent, laqueo ſuſpendant, præcipitio collidant & pereant; quod Chriſtus non docuit*, imò diabolo præcipitium ſuadenti, *redi* inquit *retro Sathana.*

En qualem Diuinis libris adæquant vel etiam præferunt mulierculæ, quæ circunferantur omni vento Doctrinæ nequam. Vis audire quàm effœminatè ſe occiderit? accipe per contrarium. Olympias illa Mater Alexandri cum peteretur ad mortem, regiis veſtibus & diademate refulgens ſponte obtulit ſe percuſſori: non ſupplicauit, non expalluit: imo in ipſa morte etiam capillos compſit, ne quid indecēs in mortua videretur. O mulierem virtutis! E contra iſte vir omnifœmina mollior cum peteretur ad mortem, confugit ad balneas, ibique tanquam puerulus aquis delibutis & tepefactis velut in molliſſimis plumis ſe ſepeliuit vſque ad collum: denique vtriuſque brachii venis molliter in ſumma luxuria effœminatum animum, ac ſi dormiendo euomuit: miro ſcilicet ingenio ipſam mortem mortiſque dolorem vertit ſibi in magnam voluptatem. Iſte igitur non quidem fratricida, ſed peior ſuicîda, Stoïcus profeſſione, Epicurus morte, putaſne cum Nerone & Socrate & Catone ſuicîdis receptus ſit cœlo? Crede mihi, melius illi erat ſi natus non fuiſſet homo, malletque ſemper luxuriari in balneo. Nec deterreat quod Ieronymus illum quaſi continentiſſimum in catalogo Sanctorum poſuit. Sic enim Euſebium Epiſcopum, fontem vt ipſe ſcribit Arrij & alios multos quos ipſe damnat hæreticos. Ex quibus Origenem præ cæteris & vituperans & laudans continentiſſimum vſque adeo vt ſe caſtraret: quod nequaquam fecit Seneca, qui vel vno vt ſcribit, abutebatur. Illum ſcribit Ieronymus pœnitentiam egiſſe, qui virtutem totius mali remedium, homicîda ſui in perpetuum abiurat. *Laudaui*, inquit *& laudo ingenium viri, non fidem. Antiquorum ammiror ſenſum, facundiā, ſtudia ſector, ſed multorum dogmata reſpuo.* Proinde huius Senecę & ſimilium libros & doctrinas ſoli legant quorum eſt ſeparare pretioſum à vili, omnia probare & quod bonū eſt tenere, non qui blandis ſermonibus illaqueantur ad mortem. Potuit autem iſte fortis vt falsò putatur, contemptor mundi fieri facillimè non tantum Chriſtianus, ſed etiam Martyr: toto biennio quo Paulus Romæ *manſit, ſi non magis elegiſſet ſuum balneum, quàm Chriſti baptiſmum & Pauli magiſterium.*

Sanè huius & cæterorum Magiſter Socrates cum haberet concubinas, & de illo

» ſæpius litigarent, vna indignata ex ſuperiori loco collectam vrinam fudit ſuper fa-
» ciem eius. Qui nihil motus, vt pote ſummus Philoſophus, exterſâ barbâ, *præſciebã*,
» inquit, *quod hoc tonitruum ſine pluuia non tranſiret.* Dignum planè tanti viri prouer-
» bium. Meritò Seneca hunc prophetam tali vndâ candidatum & proprio veneno
» extinctum è carcere leuat in cœlum. Ecce habent *Scholaſtici* quò clariùs audiant
» præceptorem ſuum. Nec iam liceat Chriſtianos rapi ad tertium cœlum, eo quod
» Ariſtoteles quintum Elementum incompellabile, ſcilicet cœlũ, ex authoritate Se-
» necæ obtineant peſſimi homicidæ. O doctrina verè luſoria! An deſunt furioſi, qui
» ſeipſos occidant, niſi ab iſto perditionis filio compellantur ad mortem etiam ſani?
» Meritò de tali Veritas dicit omni Chriſtiano. *Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus,*
» vt pote Eccleſiaſticæ doctrinæ aduerſarius. Vnde & Ieronym. *Quæ pars fideli*
» *cum infideli? quæ communicatio luci ad tenebras? qui conſenſus Chriſti ad Belial? quid*
» *faciet cum pſalterio Horatius, cum Euangeliis Maro, cum Apoſtolis Cicero? Non ſcandali-*
» *zatur frater ſi te viderit in Idolio recumbentem? & licet omnia ſint munda mundis & ni-*
» *hil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, tamen ſimul bibere non debemus*
» *Calicem Chriſti & Calicem dæmoniorum. Auguſtinus quia Platonem vel Platonicos ſeu*
» *Academicos Philoſophos tantum extulit, quantum impios homines non oportuit, non im-*
» *meritò mihi diſplicet, præſertim contra quorum errores magnos defendenda eſt Chriſtiana*
» *Doctrina.* Item *qui legit, putare me poſſit credidiſſe nullos errores in Pythagorica eſſe do-*
» *ctrina cum ſint plures iidemque capitales.* Idem lib. de Ciuit. *De ſummo bono, vtrum in*
» *poteſtate corporis vt Epicurei, an in virtute animi vt Stoici, an etiam in vtroque ponerent,*
» *280. fecerunt ſectas.*

Sic ergo Gualterus omnes Philoſophos Gentiles è Scholis Chriſtianis ablegat: at non ita alij. Neque Saresberienſis, neque Petrus Bleſenſis Philoſophiam Peripateticam exterminari volunt: nec conſecuti Doctores eam improbarunt: imò Albertus M. & Thomas Aquinas eâdem vſi ſunt aut ad probanda & explicanda noſtra myſteria, aut ad Hæreticorum verſutias detegendas, refellendas vel præcauendas Alanus de Inſulis Dialecticæ vim præclarè deſcribit his verſibus lib. 6. Anticlaud.

c. 6. Logica.

Succedit Logicæ virtus arguta, nec alget
Munere Pigmæo, verum contendit in illo
Spargere diuitias, & dandi laxat habenam.
Hæc docet argutum Martem rationis inire
Aduerſæ parti, concludere, frangere vires
Oppoſitas, partemque ſuam ratione tueri.
Veſtigare fugam veri, falſumque fugare,
Schiſmaticos Logicæ falſoſque retundere fratres
Et Pſeudo-Logicos & denudare Sophiſtas.

Idem cæteras Philoſophiæ partes depingit ſequentibus verſibus. Et primum Arithmeticam.

Arithmetica.

Donat opes Ars illa ſuas, quæ ſemina rerum,
Fœdera, complexus, cauſas & vincula certis
Legibus inquirit, numeros veſtigat & omnes.
Diſcutit effectus, quibus omnia fixa tenentur
Sub vicibus conſtricta ſuis, numeriſque ligantur
Cuncta ſimul, pacemque tenent ceſſante tumultu.
Ergo viro ſacra denudat fata Minervæ,
Hæredem facit eſſe ſuum, inuenique reuelat
Scibile quidquid habet, quidquid ſua copia fundit,
Quæ ratio numeris, quæ virtus, quæve poteſtas
Inſit, & in numeris quæ tanta potentia regnet,
Vt numeri nodo ſtabilis liget omnia nexus.

Muſica.

Muſica diuitias aperit, ſua munera multo
Plena fauore, viro concedit adoptat eundem,

Omne

Omne ſuum velut hæredi delegat eidem,
Quæ vox diſpliceat voci, quæ conſonet illi,
Monſtrat amicitias vocum, rixaſque ſonorum
Edocet, & quæ vox turbet, quæ debriet aurem.

Explicitas in dona manus Ars illa relaxat, Geometria.
Quæ terræ ſpatium, tractus maris, aëris altos
Diſcurſus, Cæli fines metitur, & omne
Corpus ſub certo deſcribit fine, nec altum
Impedit, immenſum tardat retrahitque profundum.
Illa virum docet in ſpatio concludere terram,
Aëra metiri, mare ſiſtere, claudere Cælum
Finibus, & teretem mundi deſcribere formam.

Aſtrorum Doctrina ſuum componit in illo Aſtrologia.
Hoſpitium, quo nulla magis ſibi complacet aula.
Illa docet quis motus agit Cæleſtia, ſtellas
Excitat, aut Cæli quis ſpiritus incitet orbem.

Ioannes Sareſberienſis l. 7. de Nugis Curial. c. 6. Ariſtotelem ſecundum Platonem laudat, ciuſque Doctrinam probat, ſi ei vt decet inſiſtatur, nec in vanarum ſubtilitatum ambages abeatur. *Sol è cælo viſus eſt cecidiſſe* inquit, *qua die Philoſophorum* Princeps Plato rebus exceſſit humanis & quaſi lucernam mundi extinctam defleuerunt, qui ad chronum ſapientiæ, cui ille diu præſederat, ſua arbitrabantur ſtudia referenda.

Sed cum ei Ariſtoteles Diſcipulus vir excellentis ingenij & Platoni impar eloquio, ſed multos facilè ſuperans, in docendi officium ſucceſſiſſet, quaſi matutinum ſidus effulſit hominibus, & quibuſdam multiplicis Philoſopiæ præceptis velut variis ſapientiæ radiis illuſtrauit orbem, & tanquam oculorum detersâ caligine ad contuendam veritatis ſpeciem mentes hominum reparauit. Sectam hic *Peripateticam* condidit, ſic vtique dictam, quod deambulans diſputare conſueuerat, plurimoſque diſcipulos præclara fama excellens & arte ſuadendi viuo adhuc præceptore in ſuam hæreſim congregauit. Tractauit quidem omnes Philoſophiæ partes & præcepta dedit in ſingulas, ſed præ cæteris ſic *Rationalem* (ita vocat Logicam) redegit in ius ſuum, vt à poſſeſſione illius videatur omnes alios excluſiſſe. Ita tamen in aliis viguit, vt commune nomen omnium Philoſophorum antonomaſticè id. excellenter ſibi proprium eſſe meruerit. Sicut enim vrbs Romam, Maronem poëta exprimit: ſic & Philoſophi nomen circa Ariſtotelem vtentium placito contractum eſt. Fuit autem facundus eloquio, ſed vberior ſenſibus & doctus omnium ſententiis obuiare. Hic eſt qui primus ſtudiorum genera in *Acroaticum & Exotericum* dicitur diſtinxiſſe. Nam & familiares & quaſi domeſtici admittebantur in Acroatica. Exoterica verò non modo extraneis, ſed hoſpitibus patebãt & peregrinis. Licet autem nominum & verborum turbator habeatur, non modò ſubtilitate qua cũctis celebris eſt, ſed & mira ſuauitate dicendi eualuit: adeo quidem vt Platoni meritò proximus fuiſſe videatur. Hic eſt cuius diſputationibus effectum eſt, vt Academia moueatur magis rationum quàm colliſione ventorum. Licet enim Peripateticus non Academicus cenſeatur, eo tamen ſolicitante de ſingulis maximè cœperunt Platonici qui relicti erant, fere de omnibus dubitare. Ab his fluxerũt & alii multi qui dubitabilia diſcutere ſic vt nulli præiudicaretur, maluerunt, quàm auſu temerario definire, maximè cum occultam crederent veritatem eorum de quibus in vtramque partem probabiliter diſputatur. Vnde & Academicorum antiquiſſima regula eſt, vt quiſque quod ſibi occurrit probabile, ſuo iure defendat.

In ſequentibus capitibus non improbat quoque Academicorum opinionem in pluribus, quanquam nihil omnino aſſerere velle putet eſſe inſanum: alia quippe ſenſus, alia rationis, alia religionis authoritate perſuaderi. Quærere enim, inquit, an ſol ſplendeat, albeat nix, ignis caleat, hominis eſt ſenſu indigentis. At verò an ternarius binario maior ſit, ipſumque totum & medietatem eius contineat, quæ-

„ rere, & an quaternarius ſit duplus binario, indiſcreti eſt, cui ratio otioſa, aut deeſt
„ omnino: qui verò an Deus ſit, deducit in quæſtionem: & an idem potens, ſapiens
„ ſit, an bonus, non modò irreligioſus, ſed perfidus eſt & pœna docente dignus eſt in-
„ ſtrui. Sint enim in omnibus Philoſophicis diſciplinis *quædam prima*, & vt ita di-
„ catur Cratini verbo, *Primitiua Principia*, de quibus eodem authore dubitare non
„ licet, niſi his quorum labor in eo verſatur, ne quid ſciant. Nam ſicut quædã ſe cor-
„ poreis ſenſibus ingerunt, vt apud ſenſatos latere non poſſint: quædam ſubtilio-
„ ra ſunt, vt niſi familiarius adhibita & proſpecta diligentius & pertractata ſint, non
„ ſentiantur: Sic ſunt aliqua tanta ſui in luce perſpicua, vt latere non poſſint ratio-
„ nis aſpectum, ſed communiter videantur ab omnibus; magis tamen & minus pro
„ capacitate & viribus ſingulorum.

Denique in Philoſophicis Quæſtionibus hanc probat legem Academicorum à Cicerone præſcriptam, vt cui Philoſophandi propoſitum eſt, dum res obſcura eſt, quærat; dum probabiliter eluceſcit veritas, acquieſcat. Ait enim. *Nos qui ſequimur quod probabile occurrit, progredi poſſumus & refellere ſine iracundia, & refelli ſine pertinacia parati ſumus.* Hæc enim duo inuentioni veritatis plurimum aduerſantur, ſi aut vera dicenti quis ſuccenſeat, aut pertinaciter in falſitatis defenſione laboret. Hæc ille.

Prauus docendi Methodus.

Tertium denique Philoſophiæ genus & illud quoque *Peripateticum*, ſed vitioſũ, eſt, quod in Quæſtiones abiit friuolas, inutiles & inextricabiles, tantæ curioſitatis & ſubtilitatis, vt nulla ingenij acies eas diſſoluere poſſet & explicare. Talis erat *Cornificianorum* Philoſophia apud Saresberienſem in Metalogico: in quo præter cæteros excelluiſſe perhibentur hoc ſeculo Petrus Abaelardus, Willielmus de Conchis, Gilbertus Porretanus, Petrus Lombardus & Petrus Pictauinus. Et ea tantopere Scholaribus placuit, vt cæteri Magiſtri, qui eadem methodo non vterentur, pro Aſinis haberentur & ab omnibus pœne deſererentur. Licet plerique certò ſcirent ſe nihil agere nihilque proficere & ea docere diſcipulos ſuos, quæ nulli vſui futura eſſent; immò quæ dedocendi forent poſtea, ſi melioris ſucci doctrinam ſuſcipere cuperent. Itaque illi ſæpe deriſores erant etiam ſuimetipſorum, quod nempe meliora videntes, deteriora ſequi cogerentur. *Dicebat enim*, inquit Saresberienſis lib. 3. Metal. cap 3. *Peripateticus ille Adam ſe aut nullum aut auditores pauciſſimos habiturum, ſi ea ſimplicitate ſermonum & facilitate ſententiarum Dialecticam traderet, qua ipſam doceri expediret.*

Atque hanc Philoſophiæ tradendæ methodum meritò improbat idem Saresberienſis l. 2. Metal. c. 8. Si moderatio deſit. Tunc enim ſubtrahitur ſubtilitati vtilitas. Nam vt ait Seneca in 1. Declam. *Nihil eſt odibilius ſubtilitate, vbi nihil aliud eſt quam ſubtilitas.* & ad Lucilĩ. *Nihil eſt acutius ariſta, ſed hæc ad quid vtilis? tale vtile eſt illud ingenium quod ſolâ ſubtilitate laſciuiens, nulla reſidet grauitate. Vnde vt idem ſcribit c. 7. fiunt in puerilibus Academici ſenes: omnem dictorum* aut ſcriptorum excutiunt ſyllabam, immo & litteram, dubitantes ad omnia, quærentes ſemper & nunquam ad
„ ſcientiam peruenientes, tandemque conuertuntur ad vaniloquium: ac neſcien-
„ tes quid loquantur, aut de quibus aſſerant, errores condunt nouos & antiquorum
„ aut neſciunt aut dedignantur ſententias imitari. Compilant omnium opiniones,
„ & ea quæ etiam à viliſſimis dicta vel ſcripta ſunt, ab inopia iudicij ſcribunt & refe-
„ runt. Proponunt enim omnia, quia neſciunt proferre meliora.

Hanc autem ille inter cæteras quæſtiones proponit, *an porcus qui ad venalitium agitur, ab homine an à funiculo teneatur:* quam ait *l. 1. Metal. c. 3. fuiſſe tunc temporis in illa Philoſophantium ſchola inſolubilem.*

Idem l. 7. de nugis Curial. c. 9. inuehitur in imperitiam & arrogantiam nonnullorum, qui Magiſtrorũ ſuorum ſcriptis dictiſq; ita adhærebant, vt non vltra ſcrutati veritatem crederent ſe ſupremum ſcientiarum faſtigium aſſecutos. Et in eos quoque, qui totam ætatem in Quæſtionibus inutilibus conſumebant. Pauci
„ ſunt, inquit, *qui Academicarum imitatores eſſe dignentur*, cum vnuſquiſque pro libi-
„ tu potius quàm ratione eligat quod ſequatur. Alij namque propriis: alij Docto-
„ rum opinionibus, alij multitudinis conſortio diſtrahuntur. Quid enim dubitat qui
„ iuratus in verba Magiſtri non quid, ſed à quo quid dicatur attendit? quiduis enim
„ clatrat acriter, & quo imbuta eſt puerilis ætas, de intimis Philoſophiæ abditis eru-
„ tum putat. Paratus & de lana caprina contendere, credens inopinabile ſi quid

ignotum auribus eius inſonuit, nec rationibus acquieſcit quem Doctoris captiuauit opinio. Quidquid ille protulit, authenticum & ſacroſanctum eſt.....

Suſpice ad moderatores Philoſophorum temporis noſtri, illos qui altius præconantur, quos Auditorum multitudo circumſtrepit, diligenter attende, eos in regula vna, aut duobus aut pauculis verbis inuenies occupatos, aut vt multùm, pauculas quæſtiones aptas iurgiis elegerunt, in quibus ingenium ſuum exerceant & conſumant ætatem. Eas tamen non ſufficiunt enodare, ſed nodum & totam ambiguitatem cum intricatione ſua per Auditores ſuos tranſmittunt poſteris diſſoluendam. Eò loci vt congrediaris, inuitant, inſtant poſtulantque conflictum. Si differs manum conſerere, ſi paululum moraris, inſiliunt. Si accedis, ſi tandem inuitus congrederis, ſi premis, latebras quærunt, variant faciem, verba diſtorquent, præſtigiis conformant, lubricum & volubilem Protea miraberis rediiſſe, niſi quod teneri facilius poteſt, ſi in eo perſtiterit, vt quocumque verba defluant & voluantur, quid velint, intelligas, & quid ſentiant in tanta varietate verborum: & tandem vincientur ſenſu ſuo & capientur in verbo oris ſui, ſi ſubſtantiam eorum quæ dicunt, attigeris, firmiterque tenueris. Ea tamen de quibus maximè diſceptatur, inutiliora & aliis & aliis viliora ſunt cum patuerint. Si progrederis, ſi pudet, & piget in nugis diutius occupari, ad diuerticula propoſitæ Quæſtionis relabitur, & quaſi ad ſinum matris recürrens more Antei, ab eo in quo genitus & nutritus eſt vires reparare contendit. Sic circumit, tot facit anfractus, vt ad viſitata recurrat, ac ſi labyrinthum oporteat circumiri. *Si ergo eos à verbis ſuis ſuſpenderis, fere in omni facultate, inopiæ eorum poteris miſereri.*

Idem c. 12. vehementer inſectatur ineptias eiuſmodi Nugatorum, qui ſapientiam in verbis conſiſtere putabant. Quod caput licet paulo longius, non pigebit hîc referre; quia conſuetudinem huius ſeculi in docendo demonſtrat. Sic ergo habet.

Errant vtique & impudenter errant, qui Philoſophiam in ſolis verbis conſiſtere opinantur. Errant qui virtutem verba putant, vt lucum ligna. Nam virtutis commendatio conſiſtit ab opere, & ſapientiam virtus inſeparabiliter comitatur. Vnde conſtat quia illi qui verbis inhærent, malunt videri quàm eſſe ſapientes. Plateas circumeunt, terunt limina doctiorum, quæſtiunculas mouent, intricant verba vt ſuum & alienum obducant ſenſum, paratiores ventilare quàm examinare ſiquid difficultatis emerſit. Verentur prodere imperitiam ſuam iactatores ſapiẽtiæ, non amatores, & id quod neſciunt prauo pudore neſcire, quàm quærere & diſcere malunt, præſertim ſi adſunt alij, quibus notum [arbitrentur quod ipſi neſciunt: faſtum tamen] eorum ferre non poteris, de omni materia loquuntur ſubitò, diiudicant omnes, culpant alios, ſeipſos prædicant, iactant ſe inueniſſe de nouo, quod tritum eſt ab antiquis, & teſtimonio librorum per ætates multas ad tempora noſtra perductum. Verba multiplicant, vt ſæpè minus intellecti ſint onere, & multitudine verborum, quàm rerum difficultate. Cum enim ne intelligeretur effecit, arbitratur ſe meruiſſe, vt præ cæteris Philoſophus videatur. Et ſæpe qui pauciſſima nouit, proponit plurima, quæ nec ipſe Pythagoras ſufficeret explanare. Interdum eadem replicat & reuoluit. Et quia non habet, quo diuertat, laborat miſerè, idemque terit & eaſdem circinat auras: dum enim procul audias, tertium Catonem è cœlo miraberis cecidiſſe: Quemlibet enim hominem adtuliſſe videbitur. Si profeſſionem quæras, & artem, eſt

Grammaticus, Rhetor, Geometer, pictor, aliptes,
Augur, ſchœnobates, medicus, magus: omnia nouit.

& eſuriente Græculo longe præſtantior. Nam & ſi iuſſeris ibit in cælum, & Dædalo doctior, teipſum quò volueris, incolumem per inane traijciet. Accede vt docearis, quid in ſcriptis ſuis authores ſenſerunt diligenter inquire, excute litteram; ſtatim increpabit duritiam tuam, & aſino Arcadiæ te dicet tardiorem. Pulmbo hebetior es, dum quid in littera latet, interrogas. Littera inutilis eſt, nec curandum eſt, quid loquatur. Si inſtas, moneberis fugere, quoniam pernicioſa eſt, & occidit. Caue ne ſerpens ſis, qui terram comedit omnibus diebus vitæ ſuæ. Aut ludendum, aut fabulandum; aut deceptandum eſt tibi. Nam qui verboſior eſt,

» videtur doctior. Nec curandum dum loquatur. Nec refert qua quiſque ratione
» nitatur, dum non inſtantiam, ſed vmbram eius quiſque dare ſufficiat. Quid
» verum aut falſum, quid probabile aut quid non probabile ſit, fruſtrà quæritur,
» dum omnibus imago probabilium proferatur. Statue quod volueris, ſtatim il-
» lud aliqua ſimilitudo euacuat. Nam quod obtinet in vno ſimili, velis nolis in
» alio obtinebit. Conſtat tamen quod vero ſimile eſt, non ſtatim eſſe verum, &
» quod falſum videtur, non falſum eſſe ſemper. Si propoſitorum ſimilium diſſimi-
» litudinem niteris aperire, rem inanem aggrederis. Aut enim te vel clamor præ-
» pediet, aut ſuperfluam operam deridebit; cum omnium ſimilium aliquam diſſi-
» militudinem eſſe oporteat. Alioquin non tam ſimilia, quàm eadem merito eſſe di-
» centur. Docere cur ita non ſit, non modò friuolum, ſed irriſione digniſſimum
» iudicatur. Statim quæritur an velis concionari. Dicunt ſe vt Peripateticum, non
» Hermogaram audiant, conueniſſe, cum tamen deambulatione & circumitione
» viarum potius quàm diligenti inueſtigatione rerum, Peripateticos imitentur. Si
» tamen hæc ad copiam eloquentiæ comparandam exerceatur diſceptatio, & ſi-
» milia & diſſimilia conquirantur, exercitium quidem laudabile eſt, & quo aliud
» eſſe conducibilius inueniri, non facile dixerim, dummodo fallaciarum nube
» multiplici, ſibi nequaquam perſtringi oculos patiantur. Nihil enim vtilius, nihil
» ad gloriam aut res acquirendas commodius iuuentuti, quàm eloquentia, quæ
» ex eo plurimum comparatur, ſi rerum in mente, & in ore copia ſit verborum.
» Verba namque proferre rebus incognitis, deſipientis potius quàm docentis eſt,
» aut diſcentis. Multos videbis huiuſmodi qui totum longo detinent ſermone diē,
» & nihil omnino dicunt, aut minimum. Tu defeſſus es audiendo, & is niſi ver-
» boſior eſſet, loquendo perfatigari potuerat: quo tamen tendat, aut quid velit, non
» intelligis. Tu finem exſpectas, ille nondum initium fecit. Perfer tamen, vt vi-
» deas qua exiturus ſit: recollige tandem, quæ contexuit, & occurrent tibi velut
» ægri ſomnia, vanas fingentis ſpecies, vt nec pes, nec caput, vni reddatur formæ.
» Turbati cerebri hominem credas, & qui ex defectu rationis linguam continere
» non poſſit. Putes eum noctes continuare inſomnes, & ſopita ratione, melancho-
» liam ſolam in eo excitatam. Si fortè miſeratione ductus, ei modeſtiam perſuaſe-
» ris; ſuccendetur, & quælibet in quemuis finget opprobria, compatientibus &
» deridentibus æquè conuiciabitur; nec amicus nec hoſtis ab eo conſputus abſce-
» det. Si cæpiſti, perferas neceſſe eſt, aut procacis linguæ ſuſtinebis iniurias. Deſi-
» ſte ergo, niſi ſordida lingua malueris inquinari. Nam & immunda quo magis mo-
» uentur, eo amplius fœtent. Viri prudentis dictum agnoſces, quia

»
» *Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntque Poëtam,*
» *Qui ſapiunt, agitant pueri, incautique ſequuntur.*
»

» Licet autem apud priuatos, aut ſeriò viuentes, homo huiuſmodi rectiſſimè vi-
» deatur inutilis, commodus tamen eſt in cœtu multudinis, quæ hilaritatis & io-
» cularis lætitiæ materia gaudet. Optimum enim inſtrumentum eſt ad riſus conci-
» liandos, & efficacior quouis mimo. Vt venenum eius effugias, patientiam indi-
» cas auribus, morem geras inſano qui nulli parcit; & ſi eum forté vis reprimere,
» benigniſſimè obſecra, vt in docendo aut diſputando ſententiæ plus apponat, &
» eam verborum deductione compenſet. Nam qui verba rebus, & res temporis
» oportunitati comtemperat, modeſtiſſimam totius eloquentiæ regulam tenet.
» Illa verò copia laudem parit cui veritas virtuti, & omnibus officiis amica con-
» ſentit. Multa ſiquidem & fallaciter loqui, nugigeruli eſt, & famam omnino ne-
» gligentis, & in ſe virorum grauium prouocantis odium & contemptum. Nam
» & Spiritus Sapientiæ author eſt, quia qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. Non
» mediocris tamen vtilitas eſt, in deprehendendis importunitatibus ſophiſticis,
» ſine quarum notitia quiſquis ad examinationem veri & rerum ventilationem
» progreditur, quaſi miles inutilis eſt, qui aduerſus exercitatum, & inſtructum
» hoſtem procedit exarmatus. Licet ergo ad exercitium colloquentem viciſſim
» fallere, & quaſi in Campido ctorum ſchola, inter ciues iocularem militiam exer-
» cere: ſed vbi ſe colloquentium intentio, ad philoſophiæ ſobrietatem exigit, im-
» portunitates ſophiſticæ deliteſcunt. Et ſi fortè ab alterutra parte emerſerint, ſic

à ſapientibus corripiuntur, ſicut in republica inter contrahentes, dolus malignantium coercetur. Cæterum verba rebus, res temporibus contemperare, & interuenientes fallacias prudenter arguere, non paucorum dicrum eſt, aut leuis opera. Vnde plurimi accedentes, retrorſum abeunt, & aliquam veſtium Philoſophiæ portiunculam præferentes gloriantur apud indoctos, ac ſi in iuriſdictionem eorum tota conceſſerit. Vt enim ait quidam, (verbis namque manentibus nomen excidit)

Gartio quiſque duas poſtquam ſcit iungere partes,
Sic ſtat, ſic loquitur velut omnes nouerit artes.

De generibus & ſpeciebus nouam adfert ſententiam, quæ Boëtium latuit, quam doctus Plato neſciuit: & quam iſte felici ſorte in ſecretis Ariſtotelis nuper inuenit. Veterem paratus eſt ſoluere quæſtionem, in qua laborans mundus iam ſenuit, in qua plus temporis conſumptum eſt, quàm in acquirendo & regendo orbis imperio conſumpſerit Cæſarea domus; plus effuſum pecuniæ, quàm in omnibus diuitiis ſuis poſſederit Crœſus. Hæc enim tamdiu multos tenuit, vt cum hoc vnum tota vita quærerent, tandem nec iſtud nec aliud inuenirent. Et forte ideò, quia curioſitati non ſufficiebat in eis, quod ſolum potuit inueniri. Nam ſicut in vmbra cuiuſlibet corporis, fruſtrà ſoliditatis ſubſtantia quæritur; ſic in his quæ intelligibilia ſunt duntaxat, & vniuerſaliter concipi, nec tamen vniuerſaliter eſſe queunt, ſolidioris exiſtentiæ ſubſtantia nequaquam inuenitur. In his ætatem terere nihil agentis & fruſtrà laborantis eſt. Nebulæ ſiquidem ſunt rerum fugacium, & cum quæruntur auidius, citius euaneſcunt. Expediunt hanc autores multis modis, variiſque ſermonibus; & dum indifferenter verbis vſi ſunt, varias opiniones inuenire viſi ſunt & litigioſis hominibus multam cõtendendi materiam reliquerunt. Inde eſt quod ſenſibilibus, aliiſque ſingularibus apprehenſis, quoniam hæcſola veraciter eſſe dicuntur, ea in diuerſos ſtatus ſubuehit, pro quorum ratione in ipſis ſingularibus ſpecialiſſima generaliſſimáque conſtituit. *Sunt qui more mathematicorum formas abſtrahunt*, & ad illas quicquid de *vniuerſalibus* dicitur, referunt. Alij diſcutiunt intellectus, & eos vniuerſalium nominibus cenſeri confirmant. Fuerunt & qui voces ipſas genera dicerent & ſpecies. Sed eorum iam exploſa ſententia eſt & facilè cum autore ſuo euanuit. Sunt tamen adhuc qui deprehenduntur in veſtigiis eorum, licet erubeſcant authorem vel ſententiam profiteri, ſolis nominibus inhærentes, quod rebus & intellectibus ſubtrahunt, ſermonibus adſcribunt.

Magno ſe iudice quiſque tuetur.

& ex verbis authorum, qui indifferenter nomina pro rebus, vel res pro nominibus poſuerunt, ſuam adſtruit ſententiam vel errorem. Oriuntur hinc magna ſeminaria iurgiorum, & colligit quiſque quo ſuam poſſit hæreſin confirmare. A generibus & ſpeciebus nequaquam receditur, ſed eo applicabit, vndecunque inſtitutus ſit ſermo. Poëticum illum te ſubitò miraberis inueniſſe pictorem, qui ad omnia, quæ neceſſitas exigit, ſcit fortaſſe ſimulare cupreſſum. Deſipit ita Rufus in Næuia, â qua eum, teſte coquo, nullus caſus auertit. Nam

Quicquid agit Rufus, nihil eſt niſi Næuia Rufo;
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poſcit, negat, innuit, vna eſt
Nauia: ſi non ſit Nauia, mutus erit.

Res illa ad philoſophandum videtur aptior, in qua liberior eſt licentia fingendi quod volueris, & minor ex rei difficultate, aut diſceptantium imperitia certitudo. Sæpe ſicut ad hoſtem impediendum, facilius ſalebras & anguſtias tranſeundi miles cautus obſeruat, ſic difficiles quis aut à ſcripturis aut à rationibus excitat quæſtiones, aut ſi aliud propoſitum eſt, ex induſtria in eas, quaſi ex incidenti prolabitur. Et ſi ſatisfacere non ſufficis, quia nemo eſt, qui omnia, quæ etiam ab imperitis quæruntur, ſufficiat explanare, ſtatim annuit oculis, diſtorquet

" vultum, brachium iactat, clamat, ſalit, & transfiguratur geſtibus, qui in quouis " hiſtrione vel mimo videatur inepti. Non vtique ſatisfacies, niſi ei reſpondeas ver- " bis ſuis, & id tantum dicas, quod conſueuit audire. Ipſe tamen licet ſcrupulo- " ſior ſit, totius eſt ſolutionis ignarus. In vno tamen fortaſſe ſibi proſpexit cau- " tius, quod in marſupio omnia quibus inflatur, ingeſſit. Facile tamen & quaſi " acu veſicam hanc perforando, quicquid loquacitatis in follibus imperiti gut- " turis reſonabat, interdum vno ſapientis verbulo acquieſcit. Nec illos ad philo- " ſophandum crediderim aptiores; qui omni verbulo longam orationem ſubii- " ciunt, ac ſi ad omnia quæ quæruntur, ſermo ſit ad populum faciendus. Regu- " lariter ſiquidem proditum eſt, quod qui plus vel minus reſpondet quàm quæ- " ratur ab eo, lineam rectè diſputandi ignorat. Cæterum cùm quis docendus eſt, " illa ſunt diſcenda duntaxat, quæ ſolutionis propoſitorum adminiculum præſtant. " Vnde illos qui in ſingulis legunt omnia, & dum vnum quæritur, nituntur om- " nia expedire, planum eſt rectè docentium formulam non tenere. Aut enim " neſciunt quis ſit rectè docendi modus, aut diſſimulatione officij venditant for- " te ingenia ſua. Et vt ait Cicero, non quid propoſita diſciplina, ſed quid ipſi poſ- " ſunt, oſtentant. Qui ergo Porphyriolum omnibus philoſophiæ partibus replent, " introducendorum obtundunt ingenia, memoriam turbant. Et qui inſtituen- " dus erat, tanta grauitate concutiunt, vt onus reputet importabile, quod ſuſ- " cepit. Diuinæ paginæ libros, quorum ſinguli apices diuinis pleni ſunt ſacra- " mentis, tanta grauitate legendos forte conceſſerim, eo quod theſaurus ſpiri- " tus ſancti, cuius digito ſcripti ſunt, omnino nequeat exhauriri. Licet enim ad " vnum tantummodo ſenſum accommodata ſit ſuperficies litteræ, multiplicitas " myſteriorum intrinſecus latet. Et ab eadem re ſæpè allegoria fidem, tropolo- " gia mores variis modis ædificat. Anagoge quoque multipliciter ſurſum ducit, vt " litteram non modo verbis, ſed rebus ipſis inſtituat. At in liberalibus diſciplinis, " vbi non res ſed duntaxat verba ſignificant, quiſquis proprio ſenſu litteræ con- " tentus non eſt, aberrare videtur mihi, aut ab intelligentia veritatis, quo diutius " teneatur, ſe velle ſuos abducere auditores. Planè, Porphyriolum ineptum cre- " do ſi ita ſcripſit, vt ſenſus intelligi nequeat, niſi Ariſtotele, Platone, & Plotino " perlectis. Valeat quicunque mè in aliquam diſciplinam diſponit introducere " compendio tali. Ergo ſiquidem illum ſequar, qui litteram aperit, & quaſi ſuper- " ficie patefacta, ſenſum, vt ita dicam, hiſtoricum docet.

Petrus Bleſenſis Epiſt. 6. reſpondet cuidam Ludi-Magiſtro, qui vitam Clericorum in Aulis Epiſcoporum degentium acerbè inſectatus fuerat, eumque contra redarguit, quod omnem ætatem in profanis litteris & in nugis tractandis conſumeret. *In Domo Domini mei Cantuarienſis Archiepiſcopi* (Richardi, qui Thomæ ſucceſſerat) *viri litteratiſſimi ſunt:* apud quos inuenitur omnis rectitudo Iuſtitiæ, „ omnis cautela prouidentiæ, omnis forma doctrinæ. Iſti poſt orationem & ante „ comeſtionem in lectione, in diſputatione in cauſarum deciſione iugiter ſe exer- „ cent. Omnes Quæſtiones Regni nodoſæ referuntur ad Nos..... Vos autem tumul- „ tuoſo ſtrepitu & clamore nautico de nugis aſſiduè diſputantes inutiliter aëra ver- „ beratis. Vos circa litteram & ſyllabam & circa huiuſmodi elementares Doctrinæ „ primitias veſtrum adhuc ingenium exercetis; & ſi dicere fas eſt, vos puer centum „ annorum & elementarius ſenex docetis ſapientiam.

Et Ep. 19. ad Amicum quendam Iuris Canonici ſtudioſum, à quo rogatus fuerat duas Quæſtiones propoſitas diſſoluere. *Nuper*, inquit, *in conflictu Scholaſtico quædam Quæſtiones ſicut aſſeris, deductæ in medium, tuum animum in medio ſuſpenderunt.* " Eas mihi proponis, earumque ſolutionem cum inſtantia petis. Verumtamen cum " ſis in Scholis, ego autem in caſtris; & cum iam biennium in legibus & Decretis „ expenderis, vereor ne tentatiuè hoc facias, vt ſic me in ſimplicitate mea callidè „ comprehendas. Poteram tibi dicere, quod prudens illa mulier Ioab quærenti ca- „ put Sibæ legitur reſpondiſſe. Prouerbium eſt, inquit, vt qui interrogant, interro- „ gent in Abela. *Qui interrogant, interrogent Pariſius, vbi difficilium Quæſtionum nodi „ intricatiſſimi reſoluuntur.*

Clarius verò & excellentius Ep. 101. ad Robertum Archidiaconum Nannetenſem de duobus eius nepotibus ſcribens, demonſtrat quæ tum eſſet docendi ratio, quámque peruersè & prauo vſu negligeretur Grammatica, & ad ſuperiores Diſ-

ciplinas ſine illius fundamentis tranſuolaretur. *Guillelmum*, inquit, *prædicas ſubtilioris venæ & acutioris ingenij, eo quod Grammaticæ & authorum ſcientiâ intermiſſâ volauit ad verſutias Logicorum, vbi non in libris ſicut fieri ſolet, Dialecticam didicit, ſed in ſchedulis & Quaternis.* Ex his verbis intelligitur antiquitus in Academia Authores ipſos legi & explanari ſolitos, non ſcripta Philoſophica ſchedulis & quaternionibus excipi conſueuiſſe, niſi poſtquam argutiæ illæ inuentæ ſunt, ab Authorum ſenſu longè remotæ. Quàm verò futilis eſſet illa ſubtilium Quæſtionum agitandi ratio, docet ſic ſubiungens.

Non eſt in talibus fundamentum ſcientiæ litteralis, multiſque pernicioſa eſt iſta ſubtilitas quam extollis. Ait enim Seneca, *Odibilius nihil eſt ſubtilitate, vbi eſt ſola ſubtilitas.* Quid enim prodeſt illis expendere dies ſuos in his quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in Clauſtro, nec in Curia, nec in Eccleſia, nec alicui proſint alicubi niſi duntaxat in ſcholis? Seneca ſcribens ad Lucilium, *quid eſt*, inquit, *acutius ariſta?* at in quo eſt vtilis? tale eſt, inquit, ingenium quod ſolâ ſubtilitate laſciuiens nullâ reſidet grauitate. Icarus dum clarus iuuenili leuitate fertur in cœlum, fluctibus maximis immergitur. Tales etiam dum ſe in artibus temerè eleuant, alliduntur. Quidam antequam diſciplinis elementaribus imbuantur, docentur inquirere de puncto, de linea, de ſuperficie, de quantitate animæ, de fato, de probitate naturæ, de caſu & libero arbitrio, de materia & motu, de principiis corporum, de progreſſu multitudinis & magnitudinis lectione, quid ſit tempus, quid locus, quid motus, de eodem & diuerſo: de Diuiduo, de Indiuiduo: de ſubſtantia & forma vocis, de eſſentia Vniuerſalium, de ortu vſuque & fine virtutum, de cauſis rerum, de reflexione Oceani, de ortu Nili, de variis latentis naturæ ſecretis, de variis figurarum, cauſarum quæ in contractibus vel quaſi contractibus & maleficiis oriuntur, de primis rerum initiis & aliis quàm pluribus, quæ plenioris ſcientiæ fundamentum & eminentiores exigunt intellectus. Primitianda erat tenera ætas in regulis artis Grãmaticæ, in analogiis, in barbariſmis, ſõlæciſmis, intropis & ſchematibus: in quorum omniũ doctrinâ Donatus, Seruius, Priſcianus, Iſidorus, Beda, Caſſiodorus plurimam diligentiam impenderunt. Quod quidem non feciſſent, ſi ſine his haberi poſſet ſcientiæ fundamentum. Et quæ vtilitas eſt ſcedulas euoluere, firmare verbo tenus ſummas, & ſophiſmatum verſutias inuerſare, damnare ſcripta veterum & reprobare omnia quæ non in ſuorum ſunt ſchedulis Magiſtrorum? Scriptum eſt quia in antiquis eſt ſcientia. Nec Hieremias de lacu educitur, donec in finibus ei ſubmittantur veteres & attritæ. Nam de tenebris ignorantiæ ad lumen ſcientiæ non aſcenditur, niſi antiquorum ſcripta propenſiore ſtudio relegantur. Hæc ille.

Petrus Cantor celeberrimus Theologiæ Magiſter videtur Quæſtiones huiuſmodi velut inutiles omnino reiicere. Sic enim habet in lib. de verbo abbreuiato c. 3. *Nihil adeo obeſt vtilitati quàm nimia ſubtilitas. Fulueremne moueas & diſpergas, ne eo modo inuoluatur & obſcuretur, imò excæcetur oculus mentis tuæ.*

Petrus Cellenſis l. 4. Ep. 10. ad quendam Clericum ſuum ſcribens, quem audierat magis propendere ad vitam contemplatiuam quàm ad ſcholaſticas exercitationes, poſtquam de cœleſti vita diſſeruit, illam ſic depingit per negationem, alludens ad ſcholarum exercitia. *Ibi non emitur liber, non redimitur Magiſter Scriptorum, nulla circunuentio diſputationum, nulla ſophiſmatum intricatio, plana omnium Quæſtionum determinatio, plana vniuerſarum rationum & argumentationum apprehenſio.*

DISSERTATIO II.

DE FACVLTATE MEDICINÆ.

MEdicinæ profeſſio publica in Gallia vetuſtiſſima eſt proculdubio & à primis temporibus repetenda. Conſtat enim in Academia Maſſilienſi viguiſſe, & ex ea præſtantiſſimos in ea arte viros prodiſſe, qui deinde Romæ etiam magna nominis celebritate facultatem illam exercuerunt.

Floruit eadem quoque profeſſio in Academia Burdegalenſi & Toloſana, in qua multos percelebres viros commemorat Sidonius Apollinaris.

Quandonam verò primum facultas illa cœperit exerceri publicè ſeu publicis in ſcholis in hac Vniuerſitate Pariſienſi, non conſtat. Communis opinio eſt id ſerò factum & longè poſt inſtitutam Academiam. Ego ſic exiſtimo eundem habuiſſe cum Artibus & Theologia ortum, atque à Carolo M. fuiſſe quoque profeſſionem eius inſtitutam. In Capitulario enim hæc verba leguntur. *Infantes mittantur diſcere Medicinam.* quo verò? certè ad ipſummet Palatium Principis, vbi hæc Diſciplina cum cæteris publicè docebatur. Vt patet ex Alcuini Carm. 221. vbi de Diſciplinis Palatinis earumque variis profeſſoribus agens, de Medicina hæc ſcribit.

Accurrunt Medici mox Hippocratica tecta.
Hic venas fundit, herbas hic miſcet in olla.
Ille coquit pulles, alter ſed pocula præfert.

Quem locũ nemo eſt qui non videat ad Medicinæ profeſſionem pertinere. Verum ſeu defuerint Magiſtri, qui artem illam longam & experimento difficilem docerent, ſeu non fuerit tanta eius poſtea credita neceſſitas quanta cæterarum, ſeu aliam denique ob cauſam exerceri deſierit, rara eius mentio fit conſecutis temporibus à Carolo M. vſque ad 12 Chriſti ſeculum.

Non eſt tamen exiſtimandum illam omnino deſiſſe docere: quanquam credibile eſt deſiſſe profeſſores habere ſeorſum à Philoſophia, quemadmodum habuiſſe certum eſt Ludouici VII. & Philippi Auguſti temporibus. Igitur ita mihi videtur ſentiendum, Philoſophiæ profeſſores inter Phyſicos tractatus, nonnullos etiam tradere ſolitos qui ad Medicinam pertinebant. Vnde Medicina inter partes Philoſophiæ Phyſicæ meritò connumeratur. Et hinc exiſtimant aliqui ad L. unicam de ſtudiis Liberalibus vrbis Romæ lib. 11. Cod. t. 18. his verbis *Qui Philoſophiam*, Medicos etiam contineri. Fauet etiam Diuiſio Philoſophiæ quam affert Alcuinus ſecundum editionem Duacenam, in *Phyſicam, Ethicam & Logicam*: *Phyſicæ* vero in Arithmeticam, Aſtronomiam, Aſtrologiam, Mechanicam, *Medicinam* Geometriam & Muſicam. Porro Medicinam ait eſſe *ſcientiam curationum ad temperamentum & ſalutem corporis inuentam.* Hinc Tertulianus in principio lib. de anima Medicinam vocat *Sororem Philoſophiæ*, quia vt animis Philoſophia, ſic medetur Medicina corporibus. Et quia ex Phyſica trahit fundamenta & theoremata generalia, hinc factum vt ipſa quoque *Phyſica* vocata ſit, eiuſque profeſſores *Phyſici.*

Naturalis igitur Philoſophiæ Principiis & axiomatis, ſeu notionibus generalibus imbuti Philoſophorum diſcipuli, aut ipſimet proprio ingenio in ea arte ſe exercebant, aut ad ſcholam Salernitanam quæ plurimum famæ ſemper habuit, vt doctiores & peritiores euaderent, ſe conferebant. Vnde reuerſi, quod didicerant exercebant medendo corporibus ægris, aut ſanitatem cõſeruando. Hinc fit vt paucorum Medicorum ſecutis temporibus mentio fiat, quibus nempe peregre proficiſcendum erat, vt artem illam perfectè callerent, & magnis impenſis. Carolus M. duos habuit inſignes Archiatros ex gente Iudaïca, Farraguthum & Buhahyliham Bingeſlam: quibus præcepit Tacuinorum librum ſeu Sanitatis tabulas com-

componere, quarum etiam hodie vſus eſt in Medicina. Carolus Caluus teſte Reginone, Medicum habuit nomine Sedechiam, à quo ſuſpicio fuit venenum ipſi fuiſſe propinatum. Teſtatur quoque Flodoardus in Chronico ad an. 929. Deroldum Medicum fuiſſe ad Epiſcopatum Ambianenſem promotum.

Carnuti Fulbertus etiam factus Epiſcopus eam artem exercere non deſtitit. Extat Hildegarij eius Diſcipuli Epiſtola ad E. de potione quam præſcripſerat ipſe Præſul. *Potionem hiera, quam D. Præſul tibi mittit, ſumes cum aqua calida ante crepuſculum diei: Nocte qua debes eam accipere, non cænabis.* Et ipſa nocte poſitam potionem in quo diſtemperanda eſt, aſperges ſalis gemma, vel ſi hæc non adeſt, delicato ſale ad penſum vnius ſcrupuli. Accepta potione ſedeas ante focũ abſque vllo tumultu cauens tibi penitus à frigore, & ſi paululum cubueris, non nocebit. Nolo tamen vt dormias, cum primum ſenties moueri tibi ventrem, deambula pedetentim & ſic ad receſſum vade. Si propter ſolutionem tandem cœperit te ſitis, nequaquam bibas niſi paululum aceti cum aqua calida mixti propter ſtomachum diluendum ſeu releuandum. Quod etiam non vrgente ſiti facere poteris, ſolutione propemodum vacante prandere differas quo vſque ſenties catarticum nihil amplius operari velle. *Cum ſederis ad menſam, vide ne quid nimis. Neque manduces aliquid ſtipticum, vel plus æquo ſalſum.*

Ipſemet Fulbertus de vncia & eius partibus ſic ſcribit.

Vncia viginti ſcrupulos & quatuor ambit.
Dimidium ſtater, ac ſemiuncia dicitur eius.
Terna duæ ſeclæ pars eademque duella.
Quarta Siclus vel ſicilicus, vel denique ſicel.
Sextula ſexta modò ſolet, & modò ſecla vocari.
Octauam appellant dragmam.

Item de ſcrupulo & partibus eius.

Vnus item ſcrupulus Calcis componitur octo
Dimidium ſcrupuli eſt Obul, Pars quarta lecates.
Hinc ſextam fingi placuit, ſiliquamque vocari.
Vltimus eſt calcus: ciceris duo granula penſans.

Abhoc forte Magiſtro, aut ab Hildegario inſtitutus Ioannes Carnotenſis cognomento Surdus Henrici primi Archiatrus. Obizo Canonicus ſan-Victorinus, cuius in ea æde legitur Epitaphium, Ludouici Craſſi Medicus fuiſſe commemoratur. In Normania quoque nonnulli nomen habuerunt non incelebre ſub Willielmo Conquæſtore eiuſque filio Normanorum ducibus, quorum aliquos in hiſtoria commemorauimus. At nemo negauerit quin iſtorum plurimi Artem illam in Patria vtcunque didiciſſent, & frequenti experimento nonnunquam peritiſſimi euaſerint.

Duæ autem ſcholæ in ea profeſſione cæteris erant celebriores, Salernitana & **Mompeſſulana. Ordericus Vitalis ad an. 1059. laudat Rodulfum cognomento** *Clericum* & *malam coronam*, quod in Salernitana neminem ſibi parem inueniſſet, quæ tamen maximæ celebritatis erat. *Phyſicæ quoque ſcientiam*, inquit, *tam copioſè habuit, vt in vrbe Salernitana, vbi maximæ Medicorum ſcholæ ab antiquo tempore habentur, neminem in medicinali arte præter quandam ſapientem matronam ſibi parem inuenerit.*

Mompeſſulana hoc 4. ſeculo nonnihil videtur amiſiſſe ſplendoris: ſiquidem illuc e Pariſienſi Academia proficiſcebantur, qui alias artes diſcere non potuerant: & inde repente redibant quaſi ſcientiarum theſauris pleni ſuum oſtentantes Galenum & verba inaudita proferentes: vt narrat Saresberienſis l. 1. c. 4. de Medicis. *Alii autem*, inquit, *ſuum in Philoſophia intuentes defectum, Salernum vel ad Montempeſſulanum profecti, facti ſunt Clientuli Medicorum & repente quales fuerant Philoſophi, tales in momento Medici eruperunt. Fallacibus enim referti experimentis in breui redeunt ſedulò exercente, quod didicerunt. Hippocratem oſtentant aut Galenum, verba proferunt inaudita: ad omnia ſuos loquuntur Aphoriſmos, & mentes humanas velut afflatas tronitruis percellunt nominibus inauditis. Creduntur omnia poſſe quia omnia iactitant, omnia pollicentur. Duo tamen deprehendi eos fideliori tenuiſſe memoria, & frequen-*

tius in eorum operatione verſari. Alterum Hippocratis quidem eſt, ſed vergit ad alium intellectum, *vbi* inquit, *Indigentia non oportet laborare.* Et reuera inopportunum & inofficioſum opinantes dare operam indigentibus, & eis qui nolunt aut nequeunt vel ſolis verbis eorum plenæ gratiam referre mercedis. Alterum profectò eſt non, quod meminerim Hippocratis, ſed diligentium adiectio Medicorum. *Dum dolet, accipe.* Occaſio ſiquidem exigendi maximè opportuna eſt, cum dolor cruciat ægrotantem, ſibique cooperantur languentis exulceratio & auaritia medentis. Si conualeſcit, operam danti medico adſcribatur. Si deficit, eius inualeſcat authoritas, qui hoc antea familiaribus ſuis reſerauit.

Ex hoc loco intelligitur fuiſſe tum Pariſiis frequentes Medicos, quia lucroſa ars iſta erat: qui vt plus famæ ſibi compararent, alij ab aliis diſſidere gloriæ ducebant in magnum ægrotorum periculum. Petrus Bleſenſis Ep. 43. ad Petrum Medicum. *Commune quidem*, inquit, *Medicorum vitium eſt ſemper circa ægritudines variare: vnde ſi tres aut quatuor ad infirmum veniunt, nunquam in aſſignatione vel exhibitione curæ conueniunt.* Et Stephanus Tornacenſis ep. 47. *Hippocratis & Galeni Diſcipulos, vt mihi conſulant, conſulo, incerta ſemper ab eis oracula reportans, qui in vaſe vitreo coloris & ſubſtantiæ peccata diſcernunt; dum eorum opem & operam expetens expecto; dum artem artis attendo; dum ago vt ægritudinis meæ nodos incidant, ipſi nodoſas incidunt Quæſtiones, dum mihi quaſi ſub periculo ſalutis inhibent ſtudium & laborem.* Cum Gaufridus minoris Britanniæ Comes Pariſiis in morbum incidiſſet, Philippus Rex conſuluit omnes medicos: teſtis Rigordus. *Quod audiens Rex Philippus* qui nimis tenerè eum diligebat, conuocauit omnes medicos qui eo tempore Pariſius morabantur, præcipiens illis, quod curam & diligentiam quantamcumque poſſent, circa ipſum Comitem adhiberent. Sed poſtea paucis euolutis diebus, Medicis incaſſum laborantibus 14 Kal. Septemb. viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Ciues autem Pariſienſes & Milites cuſtodierunt corpus eius cum honore & reuerentia in Eccleſia B. Mariæ vſque ad aduentum Regis. Interim Canonicis & Clericis ipſius Eccleſiæ deuotiſſimè exequias debiti funeris celebrantibus. Sequenti die Rex cum Comite Theobaldo Franciæ Seneſchallo Pariſius veniens, corpus eius conditum aromatibus, & in ſarcophago plumbeo repoſitum in eadem Eccleſia inter maius altare fecit ſepeliri à Reuerendiſſimo Mauricio Pariſienſi Epiſcopo conuocatis Abbatibus & viris Religioſis & Clericis totius Ciuitatis.

En ergo frequentiam Medicorum, en exercitium artis apud ægrotos. At an Schola publica & Profeſſio Medicinæ? Certum id quidē: & teſtis huius rei locupletiſſimus Ioannes Saresberienſis l. 2. Metalog. c. 6. ſic inducens loquentem Magiſtrum aliquem qui artes vtiles didicerat. *Regularum trado compendium, indicens eis vt earum ſibi comparent vſum. Et quia tres artes accepi eaſque vtiles, tres itidem doceo ſed vtiliores. Sit ergo prima Militaris; ſecunda Medicinalis, tertia Iuris Ciuilis & Decretorum... In Phyſica ante omnia cauſam ægritudinis præuide, eamque cura & amoue; & exinde tandiu reparatiuis & conſeruatiuis ægrum erige & foue, donec pleniſſimè conualeſcat.* Teſtis quoque Rigordus de celebritate Academiæ Pariſienſis verba faciens ad an. 1209. *Cum itaque*, inquit, *tunc in eadem nobiliſſima Ciuitate non modò de Trinio & Quadriuio* (id. de 7. Artib. liberalibus.) *verum & de Quæſtionibus Iuris Canonici & Ciuilis, & de ea facultate quæ ſanandis corporibus & ſanitatibus conſeruandis ſcripta eſt, plena & perfecta inueniretur doctrina, feruentiori tamen deſiderio ſacram paginam & quæſtiones Theologicas docebantur.* De eadem ſchola Ægidius Corbolienſis in Poëmate de COMPOSITORVM MEDICAMENTORVM VIRTVTIBVS, quod manuſcriptum habet M. Iacobus Mentelius Facultatis Pariſienſis Doctor Medicus,

Ipſe nouo faueat operi, nec Pariſianas
Æſtimet indignum Phyſicam reſonare Camœnas.
Nam Logices vbi fons ſcaturit, vbi plenius artis
Excolitur ratio, ſibi Phyſica figere ſedem
Gaudet & ancillis non dedignatur adeſſe.

Iiſdem temporibus M. Ioannes Ægidius vel de S. Ægidio ſummus Philoſophus ac celeberrimus Medicinæ Profeſſor fuit Pariſiis teſte Balæo, qui ſic de eo loquitur. *Ioannes Ægidius vel de S. Ægidio ad ſanum Albani natus, Philoſophus ſummus, ac Philippi Francorum Regis olim Medicus Lutetiæ primum, Montis-Peſſulani*

poſtea in magnis Diſcipulorum frequentiis eaſdem docuit artes. Qui Lutetiam denuo reuerſus, ſeque transferens ad Theologiæ ſcholaſticæ ſtudia, Magiſter etiam in ea facultate ac lector publicus ordinatus fuit.

Verum quod omni teſtimonio maius eſt, conſtat ex Canone Concilij Turonenſis habiti ab Alexandro III. an. 1163. Monachos etiam ipſos è Clauſtris & Monaſteriis ſuis exire ſolitos, tum vt Phyſices ſeu Medicinæ, tum vt Legum ſeu Iuris Ciuilis lectiones exciperent, aut vt ipſimet profiterentur: *Statuimus vt nulli omnino poſt votum Religionis & poſt factam in aliquo loco profeſſionem ad Phyſicam legeſve mundanas legendas permittatur exire: ſi vero exierint & ad Clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicut excommunicati ab omnibus euitentur.*

Honorius III. qui Innocentio ſucceſſit an. 1216. eiuſdem Decreti meminit C. ſuper ſpecula Rom. his verbis. *Contra Religioſas perſonas de Clauſtris exeuntes ad audiendum leges vel Phyſicam Alexander prædeceſſor noſter olim ſtatuit in Concilio Turon. vt niſi infra duorum menſium ſpatium ad Clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus euitentur.*

Certum itaque indubitatumque maneat hoc ſeculo fuiſſe Pariſiis publicos in ſcholis Medicinæ profeſſores. Neque omittendum quod monet Ioannes Sareſberienſis l. 2. de nugis Curial. c. 29. fuiſſe Medicos triplicis generis, *Phyſicos, Theoricos & Practicos. Phyſicos* vocat, qui ex naturalibus ſignis, quid in corpore animalium eueniat, Phyſicâ docente cognoſcunt. *Theoricos*, qui ſingularum rerum cauſas & naturam indagant, ſanitatis, ægritudinis & neutralitatis cenſores ſunt. Quique dant ſanitatem verbo tenus & conſeruant. *Practicos* deniq; qui reuera de ægrotis iudicium ferunt, & varia remedia applicant. Horum ce autem trium generum primũ videtur totum fuiſſe Anatomicum, inuentum Alcmæonis Crotoniatæ Phyſici Pythagoræ auditoris, qui ſingulis humani corporis membris articuliſque diſſectis, intimis omnium vitalium Partium inſpectis primus Anatomiam ſeu viſcerum lacerationem & diſſectionem excogitauit. Et iſti proculdubio ſunt, quos olim in Phyſica Philoſophi inſtruebant. Alterum quod Theoricum eſt, eorum erat qui docebant in ſcholis, ſolaque ſpeculatione contenti Diſcipulos ſuos edocebant. Quod genus 4. Seculo exortum eſt. Tertium denique eorum qui ægros inuiſebant.

Audiamus Sareſberienſem. *Phyſici*, inquit, *dum naturæ nimium authoritatis attribuunt, in authorem naturæ aduerſando fidei plerunque impingunt. Non enim omnes erroris arguo, licet plurimos audierim de anima: de virtutibus & operibus eius, de augmento corporis & diminutione, de reſurrectione eiuſdem, de creatione rerum aliter quàm fides habeat diſputantes.... Cum vero de inferioribus quæritur, puta de complexione animalis, de cauſa & cura ægritudinis, eis omnino nihil deeſt præter effectum operis, ſi is deſideratur.* En igitur *Phyſici* veteres.

Et quidem *Theorici* quidquid ſuum eſt faciunt, & forte pro amore tuo amplius « erogabunt, & ab eis ſingularum rerum cauſas & naturas accipies, ſanitatis, ægri- « tudinis & neutralitaris cenſores ſunt. Dant ſanitatem verbo tenus, & conſeruant. « Neutralitatẽ iubent iſtuc diuertere. Ægritudines præuident & docent cauſas; in- « dicunt ei initium, augmentum, ſtatum & declinationem. Quid multa? cum eos « audio, videntur mihi poſſe mortuos ſuſcitare, nec Æſculapio Mercuriove cre- « duntur inferiores. Veruntamen in eo magna mentis admiratione diſtrahor & per- « turbor, quod à ſeipſis tanto verborum conflictu & colliſione rationum diſſiliunt « & diſcordant. *Vnum profecto ſcio, contraria ſimul vera eſſe non poſſe.* En *Doctores* ſeu « *Profeſſores* Medicinæ, quales fuerunt ſeculo 4. «

Quid de Medicis practicis dicam? abſit vt de his quicquam peruerſum loquar. In « manus enim eorum exigentibus peccatis meis nimis frequenter incido. Non ſunt « exaſperandi verbis, ſed potius demulcendi obſequio. Nolo me tractent durius, « nec etiam ſentire audeo, quod omnes clamant. Dicam ergo cum ſancto Salomone, Quia Medicina à Domino Deo eſt, & vir ſapiens non contemnet eam. Nemo « ſi quidem magis neceſſarius eſt aut vtilior Medico, dummodo ſit fidelis & pru- « dens. «

Quis enim præconia illius declamare ſufficiat, qui ſalutis artifex, procreator vitæ in eo « Dominum imitatur & vices eius agit, qui ſalutem quam ille operatur, & quaſi Dominus & « Princeps donat, iſte Oeconomus & miniſter procurat & diſpenſat? En denique qualiter «

loquitur de iis qui actu artem ſuam circa morbos exercebant.

Neque ab exercitio huius artis prohibebantur tunc temporis ſacerdotes & Canonici Pariſienſes, immò nec Monachi: ſiquidē legimus Deroldum, Fulbertum Carnotenſem, Obizonem, Petrum Lombardum, Ægidium Corbolienſem, Rigordum Monachum San-Dionyſianum profeſſione Medicos fuiſſe. Quorum virorum operâ factum eſt hoc ſeculo, vt ſchola Montiſpeſſulana & Salernitana viluerit, Pariſienſis verò huius artis nobiliſſimæ acceſſione nomen ingens famamque comparârit. Salernitanæ quidem hiſtoriam, durationis tempus & viros illuſtres qui ex ea prodierunt, primus omnium expreſſit doctiſſimus R. Moreau Saluberrimæ Facultatis Doctor in commentariorum ſuorum ad eius regimen prolegomenis c 2. & 3. Hiſce verò temporibus maximè contabuerat, ex remiſſione diſciplinæ: ſiquidem dignos indignoſque paſſim recipiebat. Quamobrem in eam grauiter inuehitur Ægidius Corbolienſis his verſibus l. 3. in Electuar. de ſucco Roſarum.

Nondum maturas Medicorum ſurgere plantas,
Impuberes pueros, Hipocratica tradere iura,
Atque Machaonias ſancire & fundere leges:
Doctrinâ quibus eſſet opus ferulæque flagello,
Et pendere magis vetuli Doctoris ab ore,
Quàm ſibi non dignas Cathedræ præſumere laudes.

De imperitis eiuſmodi Doctoribus ſic quoque Ioan. Sareſberienſis l. 1. Metal. c. 25. *Heſterni pueri, Magiſtri hodierni: heri vapulantes in ferula, hodie ſtolati docentes in Cathedra.* Stolatos vocat, nempe Magiſtrali veſte à vulgaribus diſcrepante indutos.

DISSERTATIO III.

DE FACVLTATE DECRETORVM ET IVRIS Ciuilis.

SVam habuerunt ab omni æuo Iuriſprudentiam Galli: & Druidæ teſte Cæſare lib. 6. Comment. de omnibus fere controuerſiis publicis priuatiſque conſtituebant: & ſi quod erat admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia erat, iidem decernebant, præmia pœnaſque conſtituebant: ſi quis autem aut priuatus aut publicus eorum Decreto non ſtabat, ſacrificiis interdicebant. Suos quoque habuit olim Maſſilia legum Doctores Iuriſque peritos, vt in Maſſilienſi Academia docuimus.

Poſtquam verò Romani Galliâ potiti ſunt, in ſcholis quas inſtituerunt, Iuriſprudentiam ſuam publicè doceri voluerunt. Hinc multi nobiles Iuriconſulti in Academia Burdigalenſi, Toloſana, Narbonenſi & alibi paſſim floruerunt. Non omnino tamen Gallicanis Ciuitatibus ſuas leges ademerunt, ſicut nec Municipiis ſuas auferebant: vnde etiamnum hodie ſuas fere ſingulæ conſuetudines habent Municipales. Itaque Ius antiquum in Gallia iis imperantibus partim Romanum fuit, partim Gallicanum. Romanum quidem duplex, vetus, & Theodoſianum, quale ſcilicet in Codice Theodoſiano collectum legitur circa an. 438. Quod quidem tam altas radices egit in Gallia, vt expulſis etiam Romanis, & ſuccedentibus Gothis & Francis exerceri non deſierit. Imo Theodoricus Gothorum Rex legum Romanarum peritiſſimus fuit, & Anianus eas interpretatus eſt: & licet nonnullas quoque tuliſſet Euarix Theodorici ſucceſſor & ipſe *Theodoricus* appellatus, vnde à nonnullis *Theodoriciana* dictæ ſunt, ipſe tamen Anianus *Theodoſianas* vocat, eiuſq; Interpretationes *Theodoſianæ* non *Theodoricanæ* dictæ ſunt Concilii Nannetenſis can. 8. *ait lex Theodoſiana, nulla ratione fœminæ amplius quàm ſuas cauſas agendi habeant facultatem.* Gregor. Turon. de S. Bonito Aruernenſi Epiſcopo ſic ait, *imbutus Grammaticorum initiis & Theodoſii Decretis.*

Ad commodiorem quidem facilioremque Iuris Ciuilis profeſſionem Iuſtinianus illud alio ordine digeſſit annis Chriſti 533. & 34. Verum ab eius ævo ad Lotharii II. Saxonum Regis tẽpora, hoc eſt per 600. fere annos, Iuris Romani profeſſio conticuit omnino propter inundationes Barbarorum in Italiam frequentes, priſcarumque legum contemptum & exoticarum introductionem. Primus igitur Irnerius ſeu Wemherus vel Guarnerus Iuriſconſultus veteres libros Iuriſprudentiæ in Regno Neapolitano repertos, libros tineis & blattis ereptos, iubente Lothario, in apertam lucem reuocauit, gloſſis illuſtrauit, & legum Romanarum ſeu Iuris Ciuilis antiqui, quod Conſtantinopoli didicerat, Bononiæ primus profeſſionem inſtaurauit circa an. 1130. vt communiter ſcribunt Hiſtorici. Ex eius ſchola poſtea prodierunt viri peritiſſimi, quorum alij eandem profeſſionem in Italiâ conſeruarunt: alij in Galliam & in Angliam, hoc eſt Pariſios & Oxoniam, vbi florebant Academiæ ſtudiorum, tranſplantarunt, circa an. 1150. vt ſcribit Valentinus Forſterus lib. 3. Hiſtoriæ Iuris Ciuilis Ro. & alij communiter.

Verum quemadmodum quicumque Artes liberales & Theologiam perfectè callere cupiebant, ad Pariſienſem confluebant Academiam; ita quibus Iuris vtriuſque notitiam & ſcientiam in animo erat in ipſo fonte haurire, Bononiam petebant teſte Alexandro Nekamo l. 2. de Naturis rerum. *Iuris Ciuilis peritiam* inquit, *ſibi vendicat Italia: ſed cœleſtis Scriptura & Liberales Artes Ciuitatem Pariſienſem cæteris præferendam eſſe conuincunt.*

Extant apud Stephanum Tornacenſem duæ Epiſtolæ quibus commendat Alberico Bononienſi Iuriſperito & Willielmo item Bononienſi Hugonem Aurelianenſem Clericum, qui Bononiam ad ſcholas Iuris tendebat. Prior eſt huiuſmodi. *Abſentiam veſtram ſupplet mihi frequens nominis veſtri memoria, & ſuauis morum veſtrorum recordatio iucundum animæ meæ plauſum excitat, iocundam celebrat Theatralium actionem.* Inde eſt quod amicis & domeſticis meis nomen veſtrum frequenter inſinuo, magnifico & extollo. Hac de cauſa miſi ſecuriùs ad vos chariſſimum amicum meum harum præſentium latorem, vt eum causâ mei beneuolè ſimul & beneficè vobiſcum habeatis: dignum enim credimus cui & honorem exhibeatis & fauorem.

Poſterior verò talis eſt ad D. Willielmum Bononienſem pro eodem Clerico. *Hilaris opinio tua* relatu commeantium ſeipſam in dies excedens gratum mihi præbet ſpectaculum, gratam refectionem miniſtrat. Creſcat obſecro, & ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, longè latéque diffuſa in Auditorium tuum remotas excitet nationes. Hoc eſt continuum de te votum meum, hæc deprecatio iugis, hæc indefeſſa voluntas. Interim dilectioni tuæ commendo hunc amicum meum chariſſimum Hugonem, vt eum causâ mei benignè ſuſcipias, & ei conſilium & auxilium tuum libenter impendas. Idem Epiſt. 88. ad Eraclium Cæſarienſem Archiepiſcopum ſcribens, comparat auditoria Bononienſia cum Fabrilibus Officinis. *Iocoſas olim confabulationes noſtras fructuoſis oro ſæpius orationibus expiari. Togatorum aduocationes, mercimonia, litigantium conflictus, cæcorum pugnam, Bononienſium Auditoria fabriles diximus Officinas. Inter hæc diuerſa ſequuti ſtudia ſumus, Ego quod irriſeram, Carpentariam vulgaui, vos Caluariam Crucifixi.*

Similiter Petrus Bleſenſis, confecto Pariſiis Studiorum liberalium curriculo Bononiam contendit, vt Ius Ciuile ediſceret: cuius laudes prædicat Ep. 8. ad Priorem quendam à quo redargutus fuerat, quod inter exhortationes ſacras Ius Ciuile miſcuiſſet. *Increpas me*, inquit, *quia in Exhortationibus meis*, quas rogatu Conſcholarium noſtrorum quandoque Bononiæ feci, verba poſui quæ Ius Ciuile redolebant. Porro Ius Ciuile ſanctum eſt & honeſtum, atque ſacris Orthodoxorum Patrum Conſtitutionibus approbatum. Loquebar equidem Legiſperitis in illis prædictis exhortationibus de terribili ſententia diſtricti & extremi Iudicii, & dicebam quod nec appellationis remedio, nec ſupplicationis ſuffragio, nec actione in factum ſubſidiaria, nec aliquo reſtitutionis beneficio poterat attentari.

Ad nouitatem igitur huius Diſciplinæ ſtatim à pluribus concurſum eſt, & niſi recens etiam exorta Theologia Scholaſtica nonnullos retinuiſſet, multò plures ad Iuriſprudentiam ſe contuliſſent. Qua de re queritur Martinus Clericus apud Giraldum Cambrenſem, qui ſub Henrico II. Angliæ Rege floruit, *quòd le-*

ges Imperiales reliquas ſcientias omnes ſuffocauerant. Ipſimet Monachi clauſtris relictis Legiſtarum ſcholas ſpecioſo prætextu frequentabant. Quod ne deinceps facerent, vetuit Alexander III. in Concilio Turonenſi an. 1163.

Statuimus vt nulli omnino poſt votum religionis & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem ad Phyſicam Legeſue mundanas legendas *permittantur exire.* Scilicet veritus eſt ne ſi id viris etiam Religioſis liceret, humaniorum litterarum & Theologicarum diſciplinarum ſcholæ quibus magis indiget Eccleſia, deſererentur: cum in profeſſione Legum plus lucri comparari ſoleat, quàm in cæteris.

Agnitum eſt igitur iuris ſcientiam plus nocere viris Eccleſiaſticis quàm prodeſſe, eamq; à ſacerdotibus omnino remoueri ſuadet Bleſenſis Ep. 26. ad ſociũ quendam ſuum, ſeque proinde de ſerto Iure ad Theologiam contuliſſe ſcribit, propterea quod illud animum ſuperbia & vanitate efferat, iſta Chriſtianam humilitatem edoceat. *Veſter*, inquit, *vobiſque deuotiſſimus operam Theologiæ Pariſius indulgeo.* Bononienſis caſtra militiæ crebrò ſuſpirans, quæ vehementer amata citius & præmaturè deſerui. Legimus tamen de vſu & vſufructu legato, quod fructuario liceat maturitatem fructuũ præuenire, ſoletque ex oliuis citra maturitatis tempora vberior olei copia emanare. Current ergo ad oleum, quod Aaron cum Laganis iubetur offerre. Leges ſeculi ſaluto ad tẽpus, ne peccatoris oleum me impinguet. Lex enim Domini lex immaculata conuertens animas, neque prævaricatorem Legis Diuinæ conſtituerem, niſi cum aliquali Theologiæ notitia, niſi cum pugillo ſimilæ thus offerem. Lex equidem ſecularis glarioſâ ſupellectili verborum, lepidaque orationis vrbanitate laſciuiens me vehementer allexerat & inebriauerat mentem meam. Sed abhorret Propheta aureum calicem Babylonis, vbi deſignatus eſt lepor Eloquentiæ ædificans ad gehennam. Adhuc tamen quia nondum dilataui greſſus meos in lege Domini, lectioni Codicis & Digeſtorum plerunque ad ſolatium non ad vſum tempus vacationis impendo. Res plena diſcriminis eſt in Clericis vſus Legum.

Totum enim hominem adeo ſibi vendicat, vt eum rei familiaris prouidentia fraudet, ſuſpendat à ſpiritualibus, à diuinis auellat.....Non inficior, bonum eſt ſcire Leges, ſed non ad quæſtum, non ad iniquum iuris compendium, ſed ad inquiſitionem veritatis & iudicij æquitatem: ſi forte me aut alium aliquando oporteat eſſe Iudicem aut Iudicis aſſeſſorem. Hodie ſoli auaritiæ militant Patroni cauſarum, illudque quondam venerabile nomen & glorioſa profeſſio Aduocati notabili venalitate vileſcit, dum miſer & perditus linguam vendit, lites emit, matrimonia legitima diſſoluit, amicitias rumpit, ſopitarum litium cineres reſuſcitat, pactiones violat, detrectat tranſactiones, priuilegia frangit, & in capturam pecuniæ pedicas & retiacula tendens iura omnia interuertit... Debuerat Aduocatus quod gratis acceperat, gratis dare, aduocare pro pupillo & vidua, pro vtilitate Reipub. pro Eccleſiæ libertate, nihil exigens, ſponte oblata ſuſcipiens, eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Fructuoſius eſſet ei ſalarium modicum & honeſtum, quàm ſinum inexplebilis auaritiæ per fas & nefas extendere in immenſum.

Idem Ep. 140. dehortatur Petrum Diaconum Clericum Regis Angliæ ab amplectenda Iuriſprudentia, **ad Theologiæ verò ſtudium impellit, quod facile** parari poteſt, & ad quod acquirendum ſufficiat Academiam Pariſienſem frequentare, non verò neceſſe ſit, quemadmodum ad comparandum Iuriſprudentiam tranſalpinare. *Diuiſus es*, inquit, *& cor tuum in diuerſa diſtrahitur:* variâ enim deliberationum fluctuatione raptus hæſitas, vtrum ad ſcientiam Legum vel ad exercitium ſacræ paginæ te conuertas... Scitis quia lex Domini, lex immaculata cõuertens animas. Iuſtiniana verò peruertit multos & gehẽnæ filios facit.. Duo ſanè ſunt, quæ hominem ad legum ſcientiam vehementer impellunt, ambitio dignitatis & inanis gloriæ appetitus. Hi ſunt Rechab & Buana quæ Isboſeth dormientem percutientes in inguine occiderunt. Lege ergo quod Ordini, quod Profeſſioni tuæ conueniat, quod ab ambitionis æſtibus animum tuum reuocet, quod vanitates & inſanias falſas procul à cordis tui affectione releget, vt in timore Domini, qui eſt initium ſapientiæ ad ſpiritualem intelligentiã, in qua eſt animæ ſalus, diligens & deuotus aſſurgas. Verbum autem abbreuiatum fecit Dominus

ſuper terram, vt propter ſcientiã ſalutis & vitæ iam te tranſalpinare non oporteat, « aut maria tranſmeare. Hæc eſt ſapientia, quæ teſte B. Iacobo deſurſum eſt. Et pri- « mum quidem pudica eſt, deinde verò pacifica, quam pudica profeſſio deſpondet « vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto. Pacifica eſt, quæ rogat quæ ad pacem « ſunt, & cum his qui oderunt pacem, iubet eſſe pacificum. Legum verò ſcientia « impudica eſt, quia meretricio more quæſtuaria eſt & mercalis: & quidquid ſtu- « dendo congregauit, ad mundicias vanitatis vili contractu venaliter & impudenter « exponit. Hæc vix vnquã pacifica eſt, quia ſemper litigat de Contractibus vel qua- « ſi, de maleficiis vel quaſi, de variis figuris Cauſarum, de actionibus & obligationi- « bus, de iudiciis, de ſententiis & appellationibus, & aliis quæ cum ſopire lites de- « beant, ſemper cineres litium excitant iam ſopitos... Sapientia quidem mundi ſtul- « titia eſt apud Deum, & ſapientia Carnis mors eſt. Apoſtolus enim damnat ea, quæ « ſunt formam quidem ſcientiæ habentia ſecundum Doctrinam hominum, ſi non « ædificant ad ſalutem. Humana itaque lex inflat, Diuina ædificat. Profeſſores il- « lius ſapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſciunt. Diſcipuli huius « mites ſunt & humiles corde.

Porro ne Profeſſio iuris inualeſceret, & à Theologiæ cæterarumque Diſciplinarum Scholis ſtudioſos auocaret, triplici modo Romani Pontifices occurerunt 1. In ſingulis Eccleſiis Cathedralibus deſtinando præbendas & Beneficia competentia Magiſtris qui pauperes Clericos docerent. Et ita ſancitum ab Alexandro in Concilio Romano an. 1179. Can. 22. his verbis, *Ne pauperibus qui parentum opibus iuuari non poſſunt, legendi & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per vnam quamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro qui Clericos eiuſdem Eccleſiæ & Scholares pauperes doceat, competens beneficium aliquod tribuatur.* Deinde ab Innocentio III. an. 1219. in Concilio Later. confirmatum, referturque lib. 5. Decret. tit. de Magiſtris, Cap. *Quia Nonnullis.* Item ab Honorio III. eod. tit. c. Super ſpecula.

2. Promouendo viros Theologos ad Dignitates Eccleſiaſticas & Beneficia etiam plura in pluribus Eccleſiis: idque ſtudioſè factum legimus ab Innocentio III. vt pluribus exemplis confirmare facile eſt.

3. Interdicendo ſub interminatione excommunicationis, ne Monachi, immo ne ſeculares Clerici, Preſbyteri, & in dignitatibus Eccleſiaſticis conſtituti ad audiendum leges & Medicinam admitterentur. id ſancitum ab Honorio III. an. 1217. referturque l. 3. Decret. tit. vlt. c. Super ſpecula. ibique leguntur hæc verba. *Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, vt dilatato ſui tentorij loco funiculos ſuos faciat longiores, vt ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex aduerſo ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores & alios Clericos perſonatus habentes, nec non Presbyteros hoc extendi volumus & mandamus.* Hoc igitur pacto Iuriſprudentiæ ſchola minus frequentari cepit; Iuris verò Canonici & Theologiæ magis celebrari. Iam enim non modo in Gallia, ſed & in Anglia quoque comparati & collecti in Bibliothecis libri Cæſarei Iuris, & momento prodierunt Examina Leguleiorum, poſtquam M. Rogerius Vacarius è Bononienſi Gymnaſio circa an. 1150. Oxoniam Leges detulit eaſque publicè docuit. Tum inquam cœperunt comparari Codices eiuſmodi: vt ex Hiſtoria MS. Monaſterij Petroburgenſis Henrici III. tempore conſcripta intelligitur: eius enim Author qui creditur eſſe Robertus de Swapham, deſcribens quæ bona Benedictus Petroburgenſis Abbas ab anno 1177. ad an. 1194. quo mortuus eſt, contulerat, inter cætera ait eum feciſſe deſcribi libros plurimos Theologicos & Iuridicos: & hos quidem Iuridicos, in Iure Canonico *Decreta Gratiani: Item Decreta Gratiani. Summam Ruffini de Decretis: Summam Ioannis Faguntini de Decretis. Decretales Epiſtolas. Item Decretales Ep. Item Decretales Ep. cum Summa incipiente Olim.* In Iure verò Ciuili. *Inſtitutiones Iuſtiniani cum Authenticis & Infortiato. Digeſtum vetus, 3. partes cum Digeſto nouo. Summam Placentini, Totum Corpus Iuris in duobus voluminibus.* Hæc ita refert Rogerius Twyſdenus in Prologo de Scriptoribus nunc primum editis.

Non abſque tamen difficultate (vt obiter hoc moneam) Legum profeſſio in Anglia locum habuit: quippe cum Theobaldus qui Henrico Vvintonienſi Stephani Regis fratri aduerſabatur, eam primùm intuliſſet, circa an. 1150. vt aduerſario noceret, Rex *Vacario* earum primo Profeſſori ſilentium indixit. Qui poſt illius

mortem ſub Henrico II. liberè tandem profeſſus eſt. Teſtis Ioannes Saresberienſis l. 8. de nugis Curial. c. 22. *Tempore Regis Stephani à Regno iuſſæ ſunt leges Romanæ exulare, quas in Britanniam domus venerabilis Patris Theobaldi Britanniarum Primatis adſciuerat. Ne quis etiam Libros retineret, Edicto Regio prohibitum eſt, & Vacario noſtro indictum ſilentium: ſed Deo faciente eo magis virtus legis inualuit, quò eam amplius nitebatur impietas infirmare.*

Ius Canonicum. Iuris autem ſacri ſeu Canonici ortus ab Apoſtolis proculdubio repetendus eſt, qui primi Canones condiderunt quos Clemens Papa in vnum Corpus digeſſit. Incrementum accepit ex SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ ſententiis Conciliorumque ſanctionibus: acceſſerunt Decretales Epiſtolæ & Conſtitutiones ſummorum Pontificum.

Ex quibus omnibus Carolus M. Capitularia ſua compoſuit, eaque Paſtoribus Eccleſiarum direxit, ad quos maximè ſpectat Iuris illius cura & obſeruatio. *Placuit nos*, inquit, *veſtram rogare ſolertiam, ô Paſtores Eccleſiarum Chriſti & Ductores Gregis eius & clariſſima mundi Luminaria,* vt vigili cura & ſedula admonitione populum Dei per paſcua vitæ æternæ ducere ſtudeatis, & errantes oues bonorum exemplo operum ſeu adhortatione humeris infra Eccleſiaſticæ firmitatis muros reportare ſatagatis, ne Lupus inſidians aliquem Canonicas ſanctiones tranſgredientem, vel paternas traditiones Vniuerſalium Conciliorum extendentem, quod abſit, inueniens deuoret. Ideo magno deuotionis ſtudio admonendi & adhortandi ſunt, imò compellendi, vt firma fide & infatigabili perſeuerantia intra paternas ſanctiones ſe contineant, in quo operis ſtudio ſciat certiſſimè ſanctitas veſtra noſtram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & noſtros ad vos direximus Miſſos, qui ex noſtri nominis authoritate vnà vobiſcum corrigerent quæ corrigenda eſſent. *Sed & aliqua Capitula ex Canonicis Inſtitutionibus quæ vobis magis neceſſaria videbantur, ſubiunximus.*

Ex his patet Carolum M. ſingulari ſtudio in Ius Canonicum incubuiſſe, Canones Conciliorum & Decreta Pontificum collegiſſe, & Eccleſiarum Prælatis in regulam propoſuiſſe: conſequenter verò dubitari nequit, quin in ſcholis Palatinis doceri præceperit ſimul cum Theologia, cum iſtæ duæ profeſſiones ita affines ſint, vt neutra ſine altera commodè tractari poſſit. De Theologia loquor, quam vulgò Poſitiuam vocant, & quam nemo neſcit Iuris Canonici authoritates & tractatus complectiadeo vt nulla ratione dici poſſit fuiſſe diſtinctas facultates illas, primis ſaltem naſcentis Academiæ temporibus.

At ſeculo eius quarto, quod Chriſti duodecimum, cum altercatrix docendi & diſcendi methodus in ſcholas Theologiæ introducta eſt, maximè verò poſt reſtitutam ab Irnerio Iuris Ciuilis profeſſionem, cum Gratianus Bononienſis Monachus eius exemplo Corpus Decretorum Pontificiorum & Canonum Eccleſiaſticorum conflauit, quod Eugenius III. in Vniuerſitatibus ſeu ſtudiis Generalibus, maximè verò Bononiæ prælegi iuſſit, publicéque illorum profeſſionem exerceri, Facultates illæ diſtingui cœperunt, ſeorſimque in Scholis edoceri. Itaque veteres Theologi tum fere Decretiſtæ facti ſunt: illi verò quibus placuit Theologia Scholaſtica & diſputatrix, ſpeciale ſtudium in ea collocarunt, ſeueriſque Tractatibus Theologicis innumeras Quæſtiones antea inauditas, & quæ pleriſque videbantur inutiles, interſeruerunt.

Eodem igitur tempore Iuris vtriuſque diſciplina in ſcholis Pariſienſibus exerceri cœpit regnante Ludouico VII. circa an. 1150. Et de vtraque ſic breuiter Saresberienſis l. 2. Metal. c. 6. *Et quia tres artes accepi, eaſque vtiles, tres itidem doceo, ſed vtiliores. Sit ergo prima militaris: ſecunda Medicinalis: tertia Iuris Ciuilis & Decretorum, & totius Ethicæ perfectionem abſoluat.* Et Petrus Bleſenſis Ep. 19. ad amicum quendam Iuris Canonici ſtudioſum, à quo rogatus fuerat nonnullas Quæſtiones enodare. *Nuper*, inquit, *in ſcholaſtico quædam Quæſtiones ſicut aſſeris deductæ in medium tuum animum in medio ſuſpenderunt. Eas mihi proponis, earumque ſolutionem cum inſtantia petis. Veruntamen cum ſis in ſcholis, ego autem in Caſtris: & cum iam biennium in Legibus & Decretis expenderis, vereor ne tentatiuè hoc facias, vt ſic me ſimplicitate mea callide comprehendas. Poteram tibi dicere quod prudens illa mulier Ioab quærenti caput ſibi legitur reſpondiſſe*, Prouerbium eſt, inquit, vt qui interrogant, interrogent in Abela. *Qui interrogant, interrogent* Pariſius. *vbi difficilium Quæſtionum nodi intricatiſſimi*

catiſſimi reſoluantur. Quæſtionum quas proponis ſolutionem, apud eos facilius inuenire poteris, qui in talibus ſe exercent.

His accedit Rigordus in vita Philippi Auguſti, vbi de celebritate ſcholæ Pariſienſis loquitur, cuius locum ſupra retulimus, in ea nempe Ciuitate non modò de Triuio & Quadriuio, *ſed de Quæſtionibus Iuris Canonici & Ciuilis plenam & perfectam* tum fuiſſe Doctrinam. In qua Ægidius Pariſienſis docet excelluiſſe inter Pariſinos, Philippum Stephanum Archidiaconum Æduenſis Eccleſiæ, & Philippum Sarracenum, qui

Præter quas nouerat artes
Quæque inerant illi diuinitus, omnia quondam
Decreta & ſacras claudebat pectore leges.

Atque ex iis quæ hactenus dicta ſunt, ſatis intelligitur quid ſit quamobrem Maiores noſtri ſemper exiſtimauerũt Facultatem Decretorum poſtremum fuiſſe membrum Vniuerſitati additum, & non niſi poſt quadringentos quingentoſue ab inſtituta Academia annos. Cum enim poſt conteſtationem annorum 50. de Nominationibus ad Beneficia Senatus Pariſ. voluiſſet tandem iſti liti finem imponere, Tres Facultates Theol. Medicinæ & Artium conteſtatæ ſunt non ſemel Facultatem Decretorum eſſe debere Nominandorum numero inferiorem, quod poſt omnes fuiſſet Vniuerſitati addita. Idque Comitiis Centuriatis apud Mathurinenſes ann. 1537. menſe Decemb. habitis publicè dictum: ſic enim in Actis diei, *Decanus ipſe Facultatis Theol. retulit Facultatem Decretorum quæ vltima in præſentis Vniuerſitatis gremium collocata extitit, ſemper ſuas fimbrias plus æquo extendere.* Et Artium Facultas, cui nulla vnquam cæterarum primæuam originem derogauit, his verbis vſa eſt. *Quæ ſi Facultatis Decretorum quæ poſt 500. annos in præſentis Gymnaſii gremium admiſſa extitit, ſuaſu inſtanteque ipſa Artium & Liberalium Diſciplinarum Facultas exterminetur, aboleaturne, vniuſcuiuſque periti ſit iudicium.*

Item in Comitiis die vltima Decemb. eodem anno habitis exaggerat recentiorem iſtam additionem, aiens *ipſam Vniuerſitatis nouum membrum eſſe, & recenter in eiuſdem gremium admiſſam.* Similiter cum 12. Feb. an. 1556. ageretur de reformatione Vniuerſitatis, peterentque qui ei rei authoritate Regia præfecti fuerant, ſingularum Facultatum inſtitutionem, M. Petrus Rebuffi tunc Decanus Facultatis Decretorum retulit parendum eſſe mandato Regis &, *quantum ad inſtitutiones Facultatum, diuerſis temporibus factas fuiſſe.*

At quo ordine factæ fuerunt? hoc certè. Facultas nimirum Artium ab omnibus ſemper credita fuit eſſe primæuæ & Carolinæ inſtitutionis. Idque Robertus Gaguinus Decanus Facultatis Decretorum publicè confeſſus eſt in Comitiis 28. Sept. 1487. *quemque ſcilicet Doctorum intelligere eam Facultatem Artium eſſe, quæ prima fuiſſet in ſtudio Pariſienſi.* Vnde etiam in Commentariis Nationis Germanicæ ad 3. Non. Maias an. 1489, vocatur *Principalior, cæteraque aduentitia ſolum*, Ei verò deinde adiuncta eſt Theologia; vnde in celebri Senatus-Conſulto die 17. Iunij 1538. dicitur eſſe *Primariæ additionis.*

Acceſſit Medicina, cuius Profeſſio licet Acceſſoria, antiquiſſima tamen eſt: quanquam enim diſtinctam ſcholam à Phyſica non habebat, tradebantur tamen eius elementa, ſeu notiones generales in Phyſicis: vnde & ipſa *Phyſica* diu vocata eſt, & eius Profeſſores *Phyſici*; reponiturque inter Partes Philoſophiæ. Qua de re ante dictum eſt. Poſtremò tandem acceſſit hoc ſeculo Facultas Decretorum ſeu Iuris Canonici, quæ antiquitus neque ſcholam vllam habebat, neque Tractatum ſpecialem in Theologicis; ſed ſi quid à Canonibus Conciliorum & Decretis proferebatur in ſcriptis, id ſolummodo ad confirmationem inducebatur, vt videre eſt in Tractatibus Theologorum, qui ſuperioribus ſeculis ſcripſerunt.

Hinc igitur Quadruplex inſtitui cœpit Ordo Magiſtrorum Pariſienſium, nempe Artiſtarum, Phyſicorum ſeu Medicorum, Decretiſtarum & Theologorum, eoſq; Pontifices in Bullis ſuis, Priuilegiis & aliis litteris commemorare cœperunt: vt Innocentius III. circa an. 1210. *Vniuerſis ſacræ Paginæ Decretorum & Liberalium Artium Magiſtris.* Gregorius IX. in reformatione an. 1231. *Magiſtri Theologiæ ac Decretorum*

quando incipient legere, præſtabunt publicè iuramentum. Item. *De Phyſicis & Artiſtis Cancellarius bonafide promittet examinare Magiſtros.* Reſtat ergo vt de Theologia agamus.

DISSERTATIO IV.

DE FACVLTATE THEOLOGIÆ.

IDEA THEOLOGIÆ POSITIVÆ.

QVemadmodum Philoſophiæ ſpecies triplex in ſcholis hoc ſeculo exercita eſt, vetus ſeu Platonica, Ariſtotelica, & Phantaſtica ſeu garrula: ita & Theologia triplex extitit, vetus ſeu ſimplex & poſitiua, Scholaſtica & Pſeudo-Scholaſtica ſeu Nugatrix. Poſitiua nudè & ſimpliciter ſacræ Scripturæ ſanctorumque Patrum authoritatibus loca difficilia & diuina myſteria explanabat. Et talis ab ætate Caroli M. ad Berengariana tempora in ſcholis regnauit. Tales ſunt Alcuini, Paſchaſij, Ratberti, Hincmari, Prudentij Tricaſſini, Remigij, aliorumque deinceps qui ſequente ſeculo ſcripſerunt, Theologorum de Incarnatione, de Trinitate, de Euchariſtia, Prædeſtinatione aliiſque ſimilibus myſteriis Tractatus. Tales quoque Fulberti Carnotenſis de ſacramento Altaris, Lanfranci, Guitmundi, Durandi Troarnenſis de eadem materia diſputationes. Et hoc quoque ſeculo quarto multi eidem viæ inſtiterunt ante & poſt Petrum Lombardum, qui Theologiæ Scholaſticæ author & Princeps vulgò habetur. De hoc Theologiæ genere loquitur his verſibus Alanus de Inſulis.

Hoc doni titulo mundi ſapientia ditat
Præſignitque virum: ſed eum diuinius afflans
Ars Diuina poli, Veri ſchola, neſcia falſi,
Ars quæ ſola fide gaudet ſubnixa, nec arte
Nititur, humanæ fugiens rationis aſylum.
Gratius arriſit, animum cum Cælicus ignis
In ſuperis retineret adhuc, ſplendorque ſerenus
Adſpiraret ei, nec noſtris ætheris imi
Preſſuras pateretur adhuc, nec tædia mundi.
Illa docet cæleſte ſequi, vitare caducum,
Viuere lege poli, ſurſum ſuſpendere mentem,
Faſtidire ſolum, cælum conſcendere mente,
Corporis inſultus frenare, refellere luxus
Carnis, & illicitos rationi ſubdere motus.

Huiuſce Theologiæ ideam dedimus alibi paſſim, & ſi quis vlterius quærat, en ex Algero qui florebat initio huius ſeculi, in Tractatu de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini. Qua de re ſic ſcribit in Prologo. *Videtur ſtultum ſed ſtultiũ, Chriſtum in ſpecie panis & vini*, brutæ ſcilicet rei præſentem nobis corporaliter fieri, » tantillâ formulâ panis tantam Maieſtatem contineri. Sed quis in Deo repre» hendere debeat quod in ipſo pium, nobis autem eſt neceſſarium? Congruere » quidem non videtur eius dignitati, vt corruptibilis ſubſtantia panis incorruptibi» le eius corpus fiat; ſed congruit noſtræ ſaluti, vt tali ſacramento, pane Angelo» rum nos reficiat. Sapientiſſimè quidem, vt occulto myſterio fides exerceatur ad » meritum: fortiſſimè autem, vt mens tali cibo roborata hoſte deuicto fortius nita» tur ad regnum. Sapientiſſimè inquam & fortiſſimè, vt tanti ſui operis de re mi» nima & maxima nec comprehendi poſſit potentia nec artificium. *Super omnia au» tem eſt mirabile exiſtentem ſuſtantiam panis in coexiſtentem ſubſtantiã carnis ſuæ conuer» tere.* Quod eſt, non videri, quod videtur, non eſſe: ipſamque carnem cum ſit lo-

calis præſentem in cœlo & in terra verè & tranſubſtantialiter eſſe; & cum verè caro comeſta & ſanguis eius bibitus fuerit à populo, ipſum tamen Chriſtum viuum & integrum ſuo permanere in Regno. *Sed hæc rationi cæca, fidei ſunt manifeſta.*

Et lib. 1. c. 9. Quæritur autem, cum Dominus ante paſſionem diſcipulis ſacramentum corporis ſui dederit, quando erat naturæ paſſionibus obnoxium, ſi ita incorruptibile & immortale dederit illud in ſacramento, ſicut datur nobis modò: maximè, cùm dixerit: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt Sanguis, qui pro vobis effundetur.* Sed non eſt mirum, ſi ille, qui ante paſſionem transfigurauit ſe in tale corpus, quale poſt reſurrectionem habiturus erat, & poſt reſurrectionem oſtendit corpus ſuum vulneratum & palpabile, quale ante paſſionem habuerat; ita immortale dederit corpus ſuum in ſacramento, quod erat moriturum, ſicut poſt reſurrectionem idem corpus ſuum, quod erat inuulnerabile, oſtendit vulneratum: ſicut hoc, ſic & illud diuinæ potentiæ aſcribatur. Diuina enim operatio, vt ait Beatus Gregorius, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Cùm ergo conſtet, quia ſeipſum moriturus immortalem, viſibilis inuiſibilem in ſacramento dederit; conſtat, quia illud corpus ſuum, quale nos modò ſumimus, tale fuit vnum idémque omnino in ſubſtantia, & tunc & nunc: ſed tunc tamen differens mortalitate & immortalitate. Vnde ait Auguſtinus in ſermone ad Neophytos. Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere. Erit enim ei mors non vita, qui mendacem exiſtimauerit vitam.

Idem eod. lib. 1. c. 14. Quamuis omne corpus omníſque creatura localis ſit, de hoc tamen ſuperſubſtantiali corpore credendum eſt, quod eodem tempore, & verè eſt in ſacramento ſuo in terris, & verè in cœlo ſedet ad dexteram Patris. Fruſtra enim immolationis ſuæ tempore diceremus: *Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis*, ſi quem adoramus in ſacramento, mentiremur eſſe in cœlo. In quo notandum eſt, quia forma illa humana, in qua Chriſtus cœnans cum diſcipulis, tradidit illis ſemetipſum in ſacramento, quaſi alium, & tamen eundem, vno loco eſt in cœlis, ad dexteram Patris integra, ſicut integra fuit in cœna, quando in ſacramento comedebatur à diſcipulis: & tamen & in humana, & in ſacramentali forma idem verus vtrobique Chriſtus, & in cœlo & in terris. Vnde Leo Papa in Epiſtola, Anatolio Epiſcopo miſſâ: Qvi licet in Patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne, quam ſumpſit ex Virgine, ſacramentum propitiationis exequitur. Item Chryſoſtomus in Dialogo ſuo: *Qui ſurſum ſedet ad dexteram Patris, ſacrificij tamen tempore hominum manibus continetur.* Vnde etiam ſacerdos vice Chriſti corpus dominicum in terreno altari conficiens, nec tamen aliquid ſuis meritis, ſed totum diuinæ potentiæ & gratiæ attribuens, orat in Canone Deum Patrem, dicens: *Iube hæc oblata tibi per manus & virtutem* Filij tui, Angeli tui, qui eſt Angelus magni conſilij, non in hoc humile & viſibile altare, vbi modò eſt, ſed in ſublime altare tuum, id eſt Filium tuum, quem vſad dexteram tuam, in conſpectu majeſtatis tuæ ſublimaſti, deferri, vt fiat nobis corpus & ſanguis dilecti Filij tui: oſtendens ipſum Filium, **iuſſione Patris, in cœlis** eſſe offerentem, & hoſtiam, & id ſuper quod offertur, quia omnino fidei & gratiæ eius innitimur, quòd TERRENA CORPORA IN CHRISTVM CONVERTI, ipſumque in cœleſtibus ad dexteram Patris ſedentem, pro nobis interpellare, & in ſacramento altaris conſecrari & eſſe credimus.

THEOLOGIA SCHOLASTICA.

ILla diſputationum Berengarii cum Lanfranco occaſione vires, ſi non originem, accepit. Cum enim Berengarius eiuſque ſectatores ægrè ferrent haberi ſe pro Hæreticis, ſubtilibus quibuſdam diſtinctionibus vim omnem argumentorum quæ contra ſe torquebantur, eludere & declinare conati ſunt.

Hinc igitur Ariſtotelicorum librorum, qui talium ſubtilitatum armamentarium

ſuppeditabant,lectioni neceſſe fuit vtrique parti incumbere. Berengarianis quidem,vt ſimplicitatem S. Scripturæ,Patrumque teſtimonia duplici,vel etiam multiplici ſenſu inueſtirent, ſuoſque errores qualicunque probabilium argumentorum ſpecie tuerentur, & ſe ab Hæreſeos laqueis expedirent,quibus tenebantur: Lanfrancianis verò,ne pro hebetibus & obtuſis haberentur, vtque aduerſarios propriis etiam armis gladiiſque iugularent. Ita tandem agnitum eſt Theologiam veterem ſeu Poſitiuam Philoſophiæ Peripateticæ theorematis,Principiis & definitionibus adiutam validiorem eſſe ad confundendos Hæreticos, eorumque ſophiſmata detegenda & confutanda.

Huiuſce tamen Theologiæ ſeu potius Methodi incunabula videntur altius eſſe repetenda. Auguſtinus enim qui cum Hæreticis ſæpe colluctandum habuit, eam aliquatenus introduxit. Ioannes Damaſcenus qui ab an. circiter 730. ad an. 750. floruit,adinuentis certis vocibus,ſeu vt vulgo loquuntur, terminis, eam auxit. Ioannes Scotus temporibus Caroli Calui in eo quoque genere excellere exiſtimatus eſt. Ventum tandem ad Berengariana tempora & ad hoc ſeculum, quo palam & publicè in ſcholis tradi cœpit, triumphare & numeris omnibus abſolui,reluctantibus licet bene multis,veteris methodi tenacibus.

Scholaſtici nomen. Hoc quoque præſertim ſeculo *Scholaſticæ* nomen inualuit, eiuſque profeſſores *Scholaſtici* appellati. Seu quia ex Philoſophorum inſtituto eam Diſcipulis in ſchola tradebant: ſeu quia Scholaſticorum more diſputabant, altercabantur, Quæſtioneſque mouebant nullius aut exigui vſus extra ſcholam. Huius methodi quatuor Anteſignanos conſtituit Gualterus de S. Victore, Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum & Petrum Pictauinum: contra quos agit libris 4. eoſque ſæpe Scholaſticos appellat. Lib. 3. de Lombardo. *Nec tamen in his cauendus iſte* Scholaſticus, *ſed in his quæ iubet firmè credere.* & alibi. *Auguſtinus determinat illam omnino & omni tempore debere excipere, contraria iſtis* Scholaſticis *euidentiſſimè definiens.* 2. Item *Petrus Lombardus & neſcio quis Ioannes Damaſcenus* Scholaſtici. Et alio loco. *Non ergo Angeli, Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Catholici Doctores garrulitatibus* Scholaſticorum *Incarnationem & Conceptionem Diuinam expreſſerunt, ſed Diuinis, reuerendis propriiſque elogiis ſingulariter vt dignum eſt, extulerunt.* Item. Gregorius ille Magnus Papa in Moralibus. Erubeſco valde, inquit, verba ſacri eloquii ponere ſub regulis Donati. Et tu Scholaſticus *audes ipſum Verbum Diuinum Carnem factum ponere ſub tuis ineptis argumentis, reguliſque Ariſtotelis poſſe definiri ſacramentum, quod volucres etiam Cæli latet.* Et c. 15. *Ceſſent proinde noui Doctores imò noui ex veteribus Hæretici non Dialectici* has profanas vocum nouitates emittere, quas hactenus nec Diuina ſcriptura docuit, nec Catholica credidit.

Auguſtinus ille verè Catholicus aliqua temerè ſe ſcripſiſſe retractans,his verbis alloquitur Hieronymum Doctorum præcipuum. Prorſus inquam,mi frater, non te arbitror ſic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum & Apoſtolorum, de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerint, ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat,perſuadere potuerint. Ita & meos libros legi volo. *Si igitur tanti viri, quos poſt ſcripturas Diuinas in fide Catholica præcipuè ſequitur Eccleſia, tam humiliter ſentiunt de ſenſibus & ſententiis ſuis, quantò magis* iſti Scholaſtici *corrigere debent ſuos errores, quos Catholica damnat?* Et lib. 4. initio illos vocat *Theatrales Doctores.* Et alibi *fantaſticos.*

Ob nouitatem huiuſce methodi non caruerunt hæreſeos ſuſpicione eius profeſſores: atque inter eos & veteres ſeu veteris inſtituti fautores exortum eſt immortale bellum: quippe illi, vt omnis nouitas placet, ad ſe Dicipulos omnes trahebant,ingeniique præcellentioris & acutioris famam obtinebant: iſti qui aliter edocti fuerant,non facile dedoceri ſe patiebãtur, aut ignorantiæ accuſari: hinc in ſcholis concertationes,extra ſcholas,famæ detractiones: dum iſti ſtupidi & aſini, illi Hæretici audiebant. Hinc in ſynodis Gallicanis, Sueſſionenſi & Senonenſi damnatus Abaelardus, & ab Innocentio II. tanquam Hæreticus reputatus: item ab Alexandro in Conciliis Generalibus Turonenſi an. 1163. & Lateranenſi an. 1179. Petri Lombardi doctrina reiecta,prohibitumque Magiſtris quaſdam Quæſtiones agitare, quæ tunc temporis agitabantur.

Toto tamen hoc ſeculo variè certatum eſt pro Doctrina Ariſtotelis, donec tandem eius fautores iuſtæ mediocritatis terminos prætergreſſi tertiamquandammethodum inuexerunt, vitioſam omnino & Theologiæ profeſſoribus planè indignã; graues ſcilicet ſerioſque & ſuâ maieſtate ſacros tractatus futilibus Quæſtionibus, vanis inuentionibus ridiculiſque diſtinctionibus & ſolutionibus dehoneſtantes: qua in re, vt facile eſt inuentis addere, Petrus Pictauinus Lombardi Diſcipulus cæteris palmam præripuit. Et ex ea ſchola prodierunt Pſeudo-Theologi & Prædicatores illi, qui cum Almarico Carnotenſi damnati ſunt. Hincque factum vt Doctrina Peripatetica, quæ multis non contemnenda tolerabiliſque videbatur, immo commoda ad refellendos hæreticos, pro ſeminario atque armamentario hæreſeos à nonnullis habita ſit.

Placet vtriuſque Theologiæ Ideam proponere ex Tractatibus MS. nondum in lucem editis, vt agnoſcat Lector quid eſſet inter vtramque diſcriminis.

IDEA THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ EX TRACtatu de Trinitate M. Roberti Melidunenſis:

DIximus de hoc Magiſtro in Hiſtoria paſſim, & maximè ad an. 1152. nunc iuuat ex eius Tractatibus Theologicis, quorum exemplar pro ſua ſingulari humanitate mecum communicauit V. C. M. Iacobus Boüetus, Canonicus San-victorinus, quæ ſequuntur proponere, vt Theologiæ verè Scholaſticæ & laudabilis quæſtionumque Theologicarum quæ in Scholis agitari hoc ſeculo conſueuerant, ideam ad poſteros tranſmittamus. Igitur ille Tractatui de Trinitate ad explicationem ſequentium Quæſtionum præfigit hunc titulum. *De nominibus iſtis*. Trinitas, Perſona. Vtrum eſſentiæ nomina ſint, vel perſonæ.

Hoc nomen Trinitas nec eſſentiæ videtur nec perſonæ. Si enim eſſentiæ eſſet, ſingulis conueniret perſonis: quemadmodum ipſa omnibus perſonis. Nam rei communio nominis facit communionem. Perſonale verò quomodo erit, cum nulla hoc ſuſcipiat perſonarum? Eſt vtique nomen eſſentiæ Diuinæ, quia & Deus Trinitas eſt, & Trinitas Deus; & quia collectiuum nomen eſt perſonarum. Illas enim tres ſignificat: ita quod nullam illarum. Eſt autem hoc nomen *Perſona* aliquando nomen omnium eſſentiarum numero inter ſe differentium: vnde dicunt *perſonam* quaſi per ſe vnam. Habet & aliam ſignificationem in arte Grammatica, nam ibi *perſona dicitur res quæ loquitur vel ad quam quis loquitur vel de qua aliquis loquitur*. Iuxta hanc ſignificationẽ in ſubſtantia humana tres perſonas iuuenis, quod ad cognitionem Trinitatis eſſentiæ Diuinæ ſcire non obeſt. In arte Rethorica perſona appellatur *rationabilis ſubſtantia, quæ propter certum dictum vel factum reatui ſtatuitur*. In nulla verò harum ſignificationum hoc nomen *perſona* tribus poteſt conuenire in Trinitate perſonis. Propter quod dicunt quidã quia hæc eſt huius nominis **perſona, ſignificatio, Deus Pater vel Deus Filius vel Deus Spiritus S.** Hæc autem licet ex ſeipſa ſatis videatur reprehenſibilis aſſignatio, ſenſum tamen hunc geminatio ſingularis quam exigit plurale, non patitur. Nam ſecundum hanc expoſitionem idem erit ſenſus harum locutionum, *Deus eſt Perſona, Deus eſt Perſonæ*. Vtraque enim hoc dicitur quod Deus eſt Deus Pater, vel Deus Filius, vel Deus Spiritus Sanctus. Sed eadem ratione dici poteſt, quia Pater eſt perſonæ, cum ſit Deus Pater, vel Deus filius, vel Deus Spiritus S.

Alij *perſonam* definientes dicunt *perſonam eſſe diſcretum diſcernens*. *Diſcretum* ad ſingularitatem eſſentiæ referentes, *diſcernens* ad iudicium rationis. Sed nec ſic in Trinitate tres perſonæ poterunt eſſe, cùm non ſint in ea tres eſſentiæ diſcernentes, ſed vna. Boëtius in lib. quam de S. Trinit. compoſuit, *Perſonam* ſic deſcribit, *Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*. Quæ quidem definitio de ſingulis ſingulariter dicitur, ſed non in ſumma pluraliter, quia non eſt ibi niſi vna rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.

Item ſi conuertibilis eſt hæc definitio ſiue deſcriptio, quomodo tres perſonæ non erunt vna perſona cum ſint *vna rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*? Non

erit verum forſitan omnes voces eiuſdem ſignificationis eiuſdem eſſe copulationis, vt non cum quacunque vna verè copulari poſſit & altera. Quia verò Boëtius contra Neſtorium & Eutychen loquens, qui duas in Chriſto perſonas eſſe aſſerebant, prædictam de perſona dedit definitionem. De ipſa diligentius tractabitur vbi de Chriſto ſecundum duas naturas, Diuinam ſcilicet & humanam diſputabitur.

QVÆ SIT DESCRIPTIO PERSONÆ.

QVoniam verò veræ vnitatis eſſentiam quæ Deus eſt, 3. perſonas eſſe dubium non eſt, in Trinitate perſonarum pluralitas eſſe non poteſt niſi ex perſonarum diuerſitate iuxta illud, *vt in eſſentia vnitas & in perſonis proprietas*, &c. vbi & perſonarum communis eſſe ſubſtantia euidenter exprimitur, & differentes proprietates, id eſt non communes.

Nam ſiue idem ſit proprietas quod propriũ, ſiue aliud, ſiue vtrumlibet dicatur, ab altero id proprium vel proprietatem alicuius eſſe conſtat, quod cum altero commune non habet. Vnde mihi non occurrit quid perſona in Trinitate ſonare poſſit, *niſi differens proprietate perſonæ diſcretiua*. Sunt enim *quædam non ſolum proprietate differentia, ſed & eſſentia, vt Petrus & Paulus. Sunt alia proprietate ſola, ſed non diſcretiua perſonæ*, vt anima, ratio & mens. Eſt itaque vt videtur deſcriptio hæc perſonæ conuertibilis cum hoc nomine *Perſona*, vt quemadmodum Pater eſt perſona, ita filius & ſpiritus S. ſimiliter & Pater & filius & Spiritus S. ſunt perſonæ; ita & Pater eſt differens proprietate perſonæ diſcretiua, & filius ſimiliter & Spiritus S. Et Pater & filius & Spiritus S. ſunt *differentes* proprietatibus perſonarum diſcretiuis. Hoc enim nomen *differentes* in plurali non eſſentiæ pluralitatem inducit in Trinitatem, ſed perſonarum. Reprehendẽda fortaſſe videbitur alicui hæc deſcriptio perſonæ quæ per ſe nec terminus ſubiectus nec prædicatũ poteſt eſſe in enũciatione. Verũ ſciat in artibus cõſimilia frequenter inueniri. Nomina ſiquidẽ eõparatiuorum omnia & nonnulla relatiuorum talia ſunt, vt ſimile & diſſimile, æquale & inæquale, quæ nec termini ſubiecti nec prædicati fiunt in locutione, niſi eis aliquid apponatur ad conſtructionem faciendam. Solẽt tamen huiuſmodi voces ex præcedentibus & ſubſequentibus vel ex neceſſitate doctrinæ nonnunquam abſoluté, poni nec ſua poſitione locutionem facere reprehenſibilem. Hoc autẽ maximè in doctrina ſacræ ſcripturæ tradenda fieri oportet, in qua teſte Auguſt. parum refert quali locutione veritas dicatur, dum tamen ita dicatur vt intelligatur. Inverbis ſiquidem verum amare debemus, non verba. Quid enim prodeſt aurea clauis ſi aperire non poteſt, quod volumus? aut quidobeſt lignea, ſi aperire poteſt quod clauſum eſt? Calumnianti etiam & obiicienti, quia nomen deſcripti in ipſa contineatur deſcriptione, vnde non poteſt ipſa deſcriptio notior eſſe quàm deſcriptum: quandiu enim neſcitur quid ſit perſona, nec ſciri poteſt quidſit differens proprietate perſonæ diſcretiua, Reſpondeat Magiſter artis ſuæ Ariſtoteles, in prædicamentis. Ait namque affirmationem & negationem definiens, *affirmatio eſt oratio affirmatiua, negatio oratio negatiua*. Qualitatem quoque definiens ſic ait. *Qualitatem dico ſecundum quam quales dicimur*. Has & eiuſmodi plures quas ponit Ariſtoteles, nemo reprehendere audet deſcriptiones, quamuis nomina deſcriptorum contineantur in ipſis.

De hoc quod quidam dicunt hoc nomine, Deus, formam ſignificari.

QVorumdam praua habet opinio aliud ſignificari hoc nomine Deus, quàm aliquo nominum perſonalium: mentiuntur enim in illo ſignificari formam quam Diuinitatem dicunt, qua 3. Perſonæ informantur. Vnde ex vnius diuinitatis participatione tres perſonas vnum Deum eſſe aſſerunt. Et hæc eſt illa vnitas ſubſtantiæ quæ in 3. eſt perſonis & in Creaturis eſſe non poteſt. His quoque nominibus, *Dominus, omnipotens, iuſtus, miſericors* & ſimilibus formas prædicari de Deo garriunt, quas eſſentias ſiue exiſtentias nominant. Si autem nominum iſtorum ſignificata formæ ſunt, ea diuerſas res eſſe oportet. Quæ diuerſitas vnde conſiſtat non facile aſſignatur. Non enim ita diuerſæ ſunt ſicut tres perſonæ inter ſe diuerſæ ſunt, quoniam vnaquæque illarum tribus perſonis eſt communis, diuerſas fateri eſſentias deteſtabile eſt. Diuerſæ quoque formæ eſſe non poſſunt, niſi aliud eſſet Deum iuſtum eſſe & pium eſſe & omnipotentem eſſe, quod falſum eſt. Secundum iſtos Deus & Deitas ſunt ſicut formatum & forma: nam Diuinitatem dicunt eſſe formam authoritate Apoſtoli dicentis de filio *Qui cum in forma Dei eſſet, ſe exinaniuit* &c. formam Dei Diuinitatem appellant. At omnis formati forma eſt, ſcilicet Dei Trinitatis. Quod quia falſum eſt, qualiter Apoſtoli verba debeant accipi, videndum eſt. Ait itaque *qui cum in forma Dei eſſet*, ſic eſt intelligendum, ideſt quod filius in perfecta ſubſtantia diuinæ naturę eſt cum Patre. Forma enim rei perfectionem habet, nam à materia eſſe rei inchoatur & in forma completur. Vt ergo Paulus Dei filium perfectum Deum oſtenderet, cum in forma Dei fuiſſe docuit.

Ex Tractatu eiuſdem M. Roberti, de Dei ſapientia.

POſtquam idem M. Robertus de Deo vno & trino egit, deque attributis quibuſdam, aggreditur Tractatum de Dei ſapientia; & in 1. capite diuerſa nomina explicat & definit quæ ad Dei ſcientiam pertinent. Nam ſapientiam ipſius ait vocari diuerſimodè, *Scientiam, Præſcientiam, Prouidentiam, Diſpoſitionem & Prædeſtinationem*: & illa nomina ſic definit, vt *ſcientia ſit præſentium, præſcientia futurorum, prouidentia ſubiectorum, diſpoſitio faciendorum, prædeſtinatio ſaluandorum*, deque ſingulis multas quæſtiones proponit in ſcholis Theologicis agitari ſolitas. Et primùm de ſcientia quærit, quare potius dicatur *præſentium*, quàm futurorum **& præteritorum, cum Deus æqualiter omnia ſciat, tam futura & præterita quàm** præſentia. Huius autem rei cauſam hanc aſſignat, *quod ſcientia Dei non eſt dicta præſentium propter Deum, cui omnia quæ in tempore præterita ſunt vel præſentia ac futura indifferenti modo ſunt præſentia; ſed propter nos quibus ſcriptura condeſcendit, ipſam ſapientiam Dei ſcientiam vocans ſecundum hoc quod res in præſenti exiſtentes ab ea cognoſcuntur.*

2. Quærit an Deus poſſit eſſe ſciens, etſi nunquam diſpoſuiſſet ſe aliquid facturum. Reſpondetque affirmatiuè; Idem enim eſſe Deo Deum eſſe, & Deum ſcientem eſſe: proindéque Deum ſcientem eſſe poſſe, licet nulla ſe facturum vnquam diſpoſuiſſet, nec aliqua in tempore feciſſet; aut fatendum non eſſe idem Deum eſſe Deum & Deum eſſe ſcientem, quod fides Catholica non recipit.

3. Quærit in 4. cap. an contingat Deum ſcire quod non ſcit, & non ſcire quod ſcit. Quod videtur, inquit, poſſe oſtendi. Scit enim nunc Paulum prædicare, quod ante non ſciuiſſe videtur: quod enim nondum eſt, nec à Deo nec ab alio ſciri videtur. Similiter quando uerum erit Paulum non prædicare, aliquid non erit ſub eius ſcientia quod eius ſcientiæ modo ſubiectum eſt: *& ita contingit Deum*

multa ſcire quæ non ſemper ſciuit & multa non ſcire quæ aliquando ſcit, quod fidei Catholicæ contrarium eſt. In ſequenti cap. eandem obiectionem validius vrget, & tandem ſic ſoluit. *Tota vis huius obiectionis*, inquit, *facilè eliditur, ſi poſitio locutionis intellecta fuerit quam facit vis huius dictionis*, ſcit. *Quando enim dicitur, Deus ſciuit Paulum Corinthiis prædicare antequam Paulus eſſet, proponitur Paulum prædicare Corinthiis priuſquam fuerit, & hoc Deum ſciuiſſe.* Item quando proponitur, Deus non ſciuit Paulum prædicare Corinthiis antequam Paulus eis prædicauit, hoc vox iſta ſonat, ſcilicet in notitia Dei non fuiſſe quod Paulus prædicaret Corinthiis antequam Paulus eis prædicauit, quod falſum eſt. Omnia enim antequam fiant, in notitia Dei ſunt, nec poſtquam facta ſunt, ab eo recedunt. Siue ergo contingat Paulum prædicare, quod ſemper verum non fuit, nihil in notitia Dei incepit eſſe quod ſemper non fuerit; ſiue deſinat prædicare, nihil ab ea recedit quod in ea aliquando fuit.

4. Quærit in 6. cap. an Deus plura poſſit ſcire quàm ſciat. Et primum proponit aduerſariorum argumentum eiuſmodi, quia multa poſſunt eſſe quæ non ſunt quæ omnia Deus poteſt ſcire eſſe, eo quod nulla poſſint eſſe & à Deo neſciri. Vnde conficitur hoc enthymema. Deus poteſt plura ſcire quàm ſciat, & quædam neſcire quæ ſcit, ergo eius ſcientia augeri poteſt, & maior & minor eſſe quàm eſt. Hoc argumentum multis rationibus tum eod. cap. tum aliis ſequentibus refellit. Imprimis verò refutat quorundam reſponſionem qui ſic opponebant: *aliquis poteſt plura videre quàm videat & pauciora, nec idcirco augebitur viſio vel minuetur, ita non eſſe neceſſe Dei ſcientiam augeri vel minui.* Eo quod nulla ſit ſimilitudo inter Deum ſcire & hominem videre, & inter Dei ſcientiam & hominis viſionem. Eſt enim idem Deum ſcire & Deum eſſe, & ipſa ſcientia Dei idem quod ipſe Deus: ſed longè aliud eſt hominem eſſe & hominem videre; & hominis viſio ab homine eſt diuerſa. Poſtquam verò multas rationes prædicto enthymemati oppoſuit, ſic tandem cap. 9. concludit. *Inanis ergo & falſa eorum ratio qui dicunt Deum plura poſſe ſcire quàm ſciat: quia multa quæ non ſunt, ab eo ſciri poſſunt, quæ nondum ab ipſo ſciuntur: nihil enim de his exiſtentibus omnino ſciret, quod de eis non ſciat, licet nunquam exiſtant: in ſeipſo enim ſcit non ſolum quæ fuerunt & quæ ſunt & quæ futura ſunt, ſed quæcumque eſſe poſſent, & videt quæ eſſent & qualia, & quomodo eſſent ſi eſſent: quæ ſi contingeret exiſtere, nulla omnino ſciret quæ ab æterno non ſcierit.*

5. Quærit in 10. cap. *an Deus falſa & impoſſibilia ſciat.* Et reſpondet concedendum eſſe Deum ſcire falſum, licet quibuſdam videatur abſurdum. B. enim Auguſtinum dicere in quodam loco *Deum falſum ſcire ſed ſub hoc ſenſu, quia ſcit falſum eſſe falſum*; & ideo ſecundum eum falſum ſciri nihil aliud eſſe quàm ſciri ipſum eſſe falſum. Et in eo ſenſu quoque verum eſſe *Deum impoſſibilia ſcire*, & ita falſa & impoſſibilia cadere ſub diuinam ſcientiam: quorum quædam quia eſſe contingit, ea à Deo ſciri neceſſe eſſe quando contingunt. *Vnde*, inquit, *niſi prius à Deo ſciantur, quàm ea eſſe contingat, continget Deum quædam aliquando ſcire quæ ſemper non ſciuit. Quod quia falſum eſt, & impoſſibile, verum eſſe oportet falſa & impoſſibilia eſſe ſub diuina ſcientia.*

6. Quærit in cap. 21. an. omnia quæ ab homine ſciuntur, à Deo ſciantur: & Reſpondet affirmatiuè, quia aliter non poſſet Deus hominem iudicare de omni ſua ſcientia, de qua omnis homo rationem redditurus eſt, ac proinde illorum ſcientiam quæ Artium præceptis traduntur, à Deo haberi, cum nihil ignoret quod homo ſciat.

DE PRÆSCIENTIA DEI.

CIrca Præſcientiam Dei, quæ poſt ſcientiam ſecundum tenet locum, multa quoque proponit. Et 1. an. ipſa habeat eſſe ex rebus futuris, an futuræ ex ea. *Quod autem præſcientia*, inquit, *ex rebus futuris ſit præſcientia, ex eo aliquis conatur oſtendere, quia præſcientia ſic futurorum eſt præſcientia, quod ſi futura futura non eſſent, nec præſcientia eſſet præſcientia: nam non prius futura poſſunt præſciri eſſe futura, quàm ipſa futura ſunt futura: & ideo niſi ipſa futura eſſent futura, nulla omnino eſſet præſcientia, nulla etiam neceſſitas conſecutionis eſt.* Quod ſi aliqua futura ſunt, quod præſciantur, ſed modis omnibus neceſſarium eſt, quod ſi aliqua præſciuntur, quod ipſa ſint futura. In quibus autem rebus hæc ratio inuenitur, id à quo non conuertitur conſecutio, cauſa eius ſolet dici, ad cuius poſitionem ipſum ſequitur. Ex hac ratione res futuræ cauſa ſunt præſcientiæ Dei.

Prædicta ratio conſecutionis non videtur vera, inquit, nec quod ſemper id à quo non conuertitur conſequentia, ſit cauſa ad quod ipſum ſequitur. At ſiue ita ſit, ſiue non, in illis rebus in quibus Philoſophica doctrina hanc ſolet aſſignare rationem, non ideo tamen hoc cogimur in Deo recipere, qui rerum mutabilium rationem non poteſt participare. Vnde non immeritò à multis hîc mutua conſecutio conceditur eſſe, *Si Deus præſcit aliqua futura eſſe, & ipſa futura ſunt: & ſi aliqua ſunt futura, Deus præſcit ea eſſe futura.* Iſtas quoque recipiunt. *Si Deus ſcit aliqua eſſe, ipſa ſunt: & ſi aliqua ſunt, Deus ſcit ea eſſe.* Quas nullus iudicaret concedendas, ſi eis de creaturis ageretur, quæ tamen ex ratione conſecutionum non recipiuntur cum de Creatore agitur, ſed quia aliter eſſe eſt impoſſibile. Non enim poteſt contingere quod aliqua ſint futura & Deus illa non præſciat: & conuertitur: quare veræ ſunt & recipiendæ. Sed nec iſta conuerſio conditionis exigit, quod futura ſint cauſa præſcientiæ, vel quod præſcientia cauſa ſit euentus rerum futurarum. Inter multa enim huiuſmodi conſecutionis conuerſio aſſignari poteſt, quorum nullum alterius cauſa eſt. Habent enim quælibet relatiua mutuam inuicem conſecutionem: de quo conſecutionis genere illam eſſe credo quæ hac enunciatione monſtratur. *Si Deus præſcit aliqua futura, illa ſunt futuras præſcientias reſpectu futurorum dicitur. Vnde ad ſe relationis reſpectu referuntur, quæ ad ſcientiam eſſe habent, ſed non ex ſe: quare neutrum eſt cauſa alterius.*

In 2. cap. proponit difficilem illam quæſtionem de Præſcientia diuina circa neceſſitatem rerum futurarum. *Qua ratione*, inquit, *verum eſt præſcientiam Dei nullam inferre rebus futuris neceſſitatem, ſi verum eſt ipſam falli non poſſe? Si enim falli non poteſt, res aliter euenire non poſſunt quàm ab ipſa futuræ præſciuntur.* Nam ſi aliter euenire poſſent quàm Diuina præſcientia futura eſſe præſciuntur, Diuina præſcientia poſſe falli non abſque cauſa putabitur. Et ideo qui æſtimant res aliter euenire poſſe quàm à Diuina præſcientia futuræ præſciuntur, non facile poterunt tueri quod proponunt. **Nam ſi aliter poſſunt euenire quàm præſcitæ ſint, eas aliter** euenire non eſt impoſſibile quàm euenturæ à Deo ſunt præſcitæ. Quod ergo aliter eueniant, quæ præſcitæ ſunt, poſſibile eſt. Ergo hoc exiſtente, propter hoc nihil impoſſibile poteſt contingere. Nec ergo Deum falli ipſo exiſtente, verum erit: nam hoc impoſsibile eſt: quod tamen videtur oportere contingere hoc poſito quod res aliter eueniant, quàm ſint à Deo præſcitæ. Hoc enimverò exiſtente, ſcilicet res aliter euenire quàm ſint à Deo præſcitæ, hoc non erit verum, ſcilicet *Res ita eueniunt vt ſunt à Deo præſcitæ.* At hoc falſo exiſtente *verum erit alium eſſe rerum euentum quàm Deus præſciuit eſſe futurum.* Quo contingente caſſata erit Dei præſcientia, quod eſt eam falli. Non eſt ergo illud poſſibile, ad cuius poſitionem ſequitur tam deteſtabile.

Poſtquam autem in ſequentibus capitibus varias variorum reſponſiones attulit & refutauit, ait c. 6. hoc Eccleſiam credere & prædicare, ſcilicet res non poſſe aliter euenire quàm Deus eas futuras præuidit. Et ad id quod aliqui ſubiiciunt, inde ergo ſequi res neceſſariò euenire eo modo quo eueniunt, reſpondet falſum eſſe. *Nam ſicut non ſequitur ſi Deus præſcit res aliquo modo futuras, & eas præſcit hoc mo-*

do eſſe futuras : ita non ſequitur res hoc modo neceſſariò euenire quo euenunt, licet neceſſe ſit eas euenire eo modo quo Deus futuras eas eſſe præſciuit. Hoc enim verum eſſe poſſet iſto exiſtente falſo. Nam licet alio quàm iſto euenirent modo quo nunc euenunt, hoc tamen eſſet verum res euenire eo modo quo Deus euenturas præſcit, cum quo verum ſemper eſſe oportet res neceſſariò euenire eo modo quo Deus eas venturas prænouit, & ideo hoc abſque tertio verum eſſe poteſt.

Et cap. 8. ſubdit. *At ait aliquis, non ideo oportet* neceſſariam conſecutionis exigentiam hîc *non* eſſe, eo quod conſequens falſum eſſe poſſit. Dictum enim conſequentis locutionis non videtur poſſe eſſe falſum, hoc ſcilicet, *res euenire eo modo quo euenunt*, niſi hoc falſum aliquando verum eſſe poſſet, *res non euenire eo modo quo euenunt*. Cuius impoſſibilitas niſi poſitione facta oſtendi non poteſt, quia nec contingere poteſt, niſi & ipſum cõtingere ponatur, per quod impoſſibile eſſe probatur. Quâ ergo ratione hoc neceſſarium eſſe dicitur *res euenire eo modo* quo Deus præuidit, quia contingere non poteſt quod verum ſit res euenire eo modo quo Deus præuidit, & non euenire eas venturas eſſe, ita & hoc neceſſarium eſſe verum eſt res euenire eo modo quo euenunt; quia hîc non poteſt cõtingere res euenire & non euenire eo modo quo euenunt: quare & huius enunciationis, ſi neceſſe eſt res euenire ſicut Deus præuidit, neceſſe eſt res euenire eo modo quo euenunt, tam antecedens quàm conſequens verum eſſe videtur. Si enim hæc determinatio neceſſe dictis harum locutionum res euenunt eo modo quo Deus eas venturas præſcit, res euenunt eo modo quo euenunt, ineſſe oſtenditur, id eſt antecedenti & conſequenti huius enunciationis, ſi neceſſe eſt res euenire eo modo quo Deus eas euenturas præuidit, neceſſe eſt eas euenire eo modo quo euenunt; ea falſa non eſt, eo quod eius conſequens neceſſarium non ſit.

Pergit c. 9. *Non autem dicto antecedentis vel conſequentis illius enunciationis iſte modus neceſſe ineſſe oſtenditur*, ſed tantum rerum de quibus in eis agitur per hunc modum neceſſe natura determinatur, ſcilicet diuinæ prouidentiæ & rerum ei ſubiectarum. Nam vna illarum locutionum quæ prædictam conditionalem enunciationem conſtituunt, immutabilitas diuinæ prouidentiæ demonſtratur. Altera rerum ineuitabilis euentus; & ideo ipſa eſt falſa nec ad aliam ſequitur. Vnde & hanc coniunctam falſam eſſe dico. Neceſſe eſt res euenire eo modo quo Deus eas euenturas præuidet & neceſſe eſt eas euenire eo modo quo euenunt. Nam eius antecedens eſt veriſſimum, conſequens verò pro falſo impoſſibilitatis eſt negandum: at vtriuſque harum tam antecedens, quàm conſequens neceſſarium eſt, & ratio conditionis in neceſſitate exiſtente conſiſtit. Si impoſſibile eſt Deum falli, impoſſibile eſt res aliter euenire quàm Deus præuidit, ſi impoſſibile eſt res aliter euenire quàm Deus vidit, neceſſe eſt res euenire eo modo quo Deus eas euenturas præuidit. Quidam tamen hanc, ſi impoſſibile eſt Deum falli &c. falſam dicunt eſſe. Ideo quia eius antecedens ſit verum, conſequens verò falſum. Hoc autem omni caret ratione, cum tam conſequens quàm antecedens ſit neceſſarium, vt oſtendi.

Pergit c. 10. *Ex prædictis conſtat Dei præſcientiam euentui rerum nullam neceſſitatis inferre violentiam.* Quod & quidam Philoſophus conuenienti exemplo oſtendit dicens. Quod ſi quis in loco eminenti atque excelſo ſedens aurigas curſus curruum moderantes videret, & in diuerſa ducentes, nullam eis eius viſio neceſſitatem inferret, vt potius huc quàm illuc curſus curruum dirigerent, quanquam quocumque ſe flecterent, nunquàm cernentis intuitum ſubterfugere poſſent. Ita diuina præſcientia cuncta futura ab æterno proſpectans, licet eam latere non poſſint, nulla tamen neceſſitatis iniuria ea Deus ad ineuitabilem euentum cogit. Quod idem Auguſtinus certiori exemplo oſtendit dicens. *Quemadmodum memoria ad res præteritas ſe habet, ita præſcientia Dei ad futura.* Sicut ergo memoria nullam præteritis, vt eſſent, intulit neceſſitatem, licet ipſam memoriam non lateat, ita nec præſcientia euentum futurorum aliqua premit vi neceſſitatis, licet eorum euentus ipſam latere non poſſit. Si autem ipſa præſcientia ad rerum futurarum euentum non plus operatur, quàm memoria ad hoc quod res ſunt præteritæ, nullum omnino effectum in rerum euentu futurarum operari non abſque cauſa credi poteſt. Quem autem effectum habeat Diuina præſcientia in rerum euentu, facile poteſt cognoſci, ſi diligenter attendimus quem effectum noſtra præſcientia

habeat in noſtris operibus. Noſtra enim præſcientia nullis quæ à nobis præſciri poſſunt, antequam fiant, vel contingat ordinationi ac diſpoſitioni eorundem quæ à nobis fiunt vel contingunt, magnam præſtat cauſam. Cuius effectus in rebus ordinatis atque diſpoſitis apparet, cum ex ipſa diſpoſitione, quarum ipſa præſcientia tœpiſſimè cauſa eſt, multa commoda conſequimur, & multa incommoda fugimus, & ea quæ fugere non valemus, tolerabilius ſuſtinemus. Ita quoque Diuina præſcientia in rebus præſcitis ordinandis & diſponendis maiorem habet effectum, quàm noſtra in his quæ à nobis ordinantur & diſponuntur. Quod euidentius per illa poteſt videri quæ à Deo præſciuntur: nec tamen ipſe illa ex diſpoſitione operatur, vt ſunt mala ex quibus bonum elicit effectum, quem diſpoſitioni eius ſubeſſe eſt neceſſe, eo quod opus Dei eſt, ſed vtrumque id eſt malum, & qui inde elicitur effectus, præſcientia Diuina complectitur.

Niſi ergo per præſcientiam eſſet cognitum, nullus ex eo per diſpoſitionem poſſet elici effectus. Ipſa itaque præſcientia quaſi materiam diſpoſitioni monſtrare videtur de qua agat, & modum agendi quodammodo præoſtendere, qualiter ea quæ diſponit, ad bonum finem poſſit perducere.

De Prædeſtinatione.

IDem author fusè quoque agit de diſpoſitione diuina, tandemque deſcendit ad Prædeſtinationem ſaluandorum, & de ea quatuor quærit: quid ipſa ſit: an ſanctorum ſit: an ipſa poſſit caſſari: an meritum tollat: an ponat. *Eſt autem*, inquit, *prædeſtinatio, vt* Auguſtinus diſcribit, *gratiæ præparatio quæ in beneplacito ſit æterni conſilij Dei.* Præparatio quidem, quia ea quæ ſunt in Dei diſpoſitione longè antequam fiant, conſilii Diuini prudentia ordinatiſſimè ſunt diſpoſita: & bene *gratiæ* dicitur *iſta præparatio*, id eſt illa donorum diſpoſitio per quæ illos quos elegit, ſaluare præordinauit. Secundam Quæſtionem proponit 3. cap. *an prædeſtinatio ſolummodo ſaluandorum ſit.* Appellatur autem, inquit, *Prædeſtinatio liber vitæ*: ſicut enim quæ in libro ſcribuntur, diſtinguuntur & firmiter retinentur, ita in prædeſtinatione Diuina merita ſanctorum & præmia immutabiliter ſunt diſpoſita. In hoc autem libro vitæ diuerſi diuerſo modo dicuntur ſcripti. Quidamenim in eo dicuntur ſcripti & ſecundum præſcientiam & ſecundum meritum: illi ſcilicet qui ſunt in meritis vitâ æternâ dignis, & ad ipſam ſunt præſciti, & iſti inde non poſſunt deleri. Alij vero in eo ſunt tantum ſecundum præſcientiam ſcripti, ſcilicet illi qui cum vita æterna ſuis meritis modo non ſunt digni, ad eam tamen ſunt præſcripti, nec iſti inde poſſunt deleri. Alii vero in eo ſecundum ſola merita ſcribuntur, qui inde ſe per culpam vitiorum delent. Secundum merita autem illi dicuntur eſſe ſcripti, qui ſunt in talibus meritis, quod ſi in ipſis à vita præſenti decederent, vitam haberent æternam, quæ tamen ab æterno, eis per præſcientiam non fuit præparata, vt in tempore adiuti adiuncti gratiâ ad eam peruenirent.

C. 6. *Sed quærit aliquis vtrum in libro vitæ ſint ſcripti ſecundum præſcientiam.* Quod **videtur. Nam priuſquam haberent merita** pro quibus eſſent digni vita æterna, hoc præſertim erat, ſcilicet quod pro ſuis bonis meritis aliquando fierent vita æterna digni. Sicut ergo in libro vitæ dicuntur ſcripti ſecundum merita qui charitatem habent in ea non permanſuri, ita poſſunt dici in ea eſſe ſcripti ſecundum præſcientiam. Quod nullus recipiet, cogitato quid ſit aliquos eſſe ſcriptos ſecundum præſcientiam in libro vitę. *Eſt enim prædeſtinatio illius gratiæ præparatio per quam ſaluandi à morte defenduntur æterna, & ad vitam perducuntur æternam* At ex hac præparatione gratiæ nulli damnandi ſunt ſecundum merita in libro vitæ ſcripti. Et ideo ſi ex gratiæ præparatione contingat aliquos damnandos eſſe ſcriptos in libro vitæ ſecundum merita, non ex ea hoc contingit quod prædeſtinatio dici poſſit: & ideo nec ſimpliciter ſed aliquo reſpectu in libro vitæ tales ſcripti dicendi ſunt. Similiter non debet dici quod iſti ſecundùm præſcientiam ſint ſcripti in libro vitæ, licet ſub præſcientia eſſet quod iſti per gratiam aliquando eſſent tales qui eſſent digni vita æterna. Nam aliquos eſſe ſcriptos in libro vitæ ſecundum præſcientiã, eſt eos indelebiliter in eo eſſe ſcriptos ſicut prædictum eſt quod ſignificatur per hoc quod dicuntur ibi eſſe ſcripti ſecundum præſcientiam.

C. 7. *Quæritur*, inquit, *an poſſibile ſit prædeſtinatum damnari*. Quæ quæſtio ab hac locutione videtur deſcendere, ſcilicet *Prædeſtinatus poteſt damnari*. Cuius locutionis plures dicunt multiplicem eſſe ſignificationem, vnam veri, alteram falſi: quare & hanc quæ ab illa deſcendit, Scilicet *Poſſibile eſt prædeſtinatum damnari*, Ad vtriuſque ſignificationem ſcilicet veri & falſi poſſumus aſſumere. Eadem ratione iſta *prædeſtinatum damnari eſt impoſſibile*, poteſt ad vtrumque ſenſum accõmodari, ſcilicet verum & falſum: quam tamen quaſi veram omnes ſub hoc ſenſu concedunt, ſcilicet quod non poteſt eſſe quod hoc totũ ſit, id eſt aliquẽ eſſe prædeſtinatum & ipſum damnari. Sed quare dicunt hoc totum, cum nonniſi de vno agant, nec de illo propter aliquas ſuas partes hæc dicere poſſint, cum nullas habeat. Quod ſi ideo totum dicunt, quia hæc duo ſimul eſſe non poſſunt, Aliquem prædeſtinatum eſſe & eundem damnari, ad hanc ſignificationem prædicta locutio nec ex ſe tota vel aliqua ſui parte vel aliquibus poteſt accõmodari. Et ideo qui eam ſic exponunt, non quid ipſa ſignificet, oſtendunt, ſed quod eam ſignificare putant. At ſi de dicto huius impoſſibile prædicari dicunt, *Prædeſtinatus damnatur*, prædeſtinationis parua vel nulla virtus demonſtratur, quæ non circa dicta locutionum operatur, ſed circa ipſos prædeſtinatos, qui ſicut poſſunt non prædeſtinati eſſe, & poſſunt damnari.

C. 8. Vnde & nonnulli hanc locutionem concedere ſolent. *Qui prædiſtinatus eſt, poteſt damnari: & iſtam, Illum qui prædeſtinatus eſt, poſſibile eſt damnari*. Videtur ergo quod nec in illa prima nec in aliqua iſtarum de dicto locutionis alicuius agant. Nam ſicut dictum huius locutionis eſt impoſſibile, *Prædeſtinatus damnatur*, ita & huius eſt impoſſibile *qui prædeſtinatus eſt, damnatur*. Si enim dictum huius verum eſſe poſſet *qui prædeſtinatus eſt, damnatur*, & huius verum eſſe poſſet *prædeſtinatus damnatur*. Hæc enim ad illam ſequitur. Etideo ſi hæc eſt impoſſibilis, & illa. Nulla vero ratio eſt, quare de dicto huius locutionis *prædeſtinatus damnatur*, in hac locutione agatur *prædeſtinatum damnari eſt poſſibile*, & non iſta, *illum qui prædeſtinatus eſt damnari eſt poſsibile*. De dicto huius, *ille qui prædeſtinatus eſt, damnatur*: nec aliqua cauſa eſſe videtur, quare in iſta *illum qui prædeſtinatus eſt, damnari eſt impoſsibile*, de ipſo prædeſtinato agatur, & non iſta, *Prædeſtinatum damnari eſt impoſsibile*. Ideo in vtraque aut de Prædeſtinato, aut de dicto tantum agi videtur. Vnde & eas ſimul eſſe veras & falſas oportet: quod illi non videntur intelligere, qui hac conceſſa, *Prædeſtinatum damnari eſt impoſsibile*, iſtam negant, *Illum qui prædeſtinatus eſt, impoſsibile eſt damnari*.

C. 9. *Et omnibus his dimiſsis harum locutionum iudicium ad prædeſtinationis vim dicimus eſſe referendum quæ ſuo effectu carere non poteſt* ſecundum quod harum vtraque verè poteſt concedi, *prædeſtinatum damnari eſt impoſsibile. Illum qui prædeſtinatus eſt, damnari eſt impoſsibile*. Nam non in huiuſmodi locutionibus prædeſtinatorum vis poſſibilitatis vel impoſſibilitatis oſtenditur, ſed diuinæ prædeſtinationis potentia explicatur: cui nihil poteſt reſiſtere, quin prædeſtinatos ad brauium ſupernæ vocationis perducat. Vnde & prædictarum locutionum hic ſenſus videtur eſſe, ſcilicet Impoſſibile eſt circa illum prædeſtinatum vel qui prædeſtinatus eſt, damnatione æterna effectum prædeſtinationis Diuinæ impediri. Id. Impoſſibile eſt quod gratia quâ aliquis ad vitam prædeſtinatus eſt, ipſum prædeſtinatum permittat ad damnationem venire æternam. Hanc diſtinctionem ſi quis diligenter voluerit attendere, ideſt quando Locutionum veritas vel falſitas eſt diſcernenda ſecundum quod de rebus iſtis agitur, facile à multis ſe expedire poterit. Sicut enim non parum refert de rerum euentibus diſcernere, qui ſecundum rerum naturam contingunt, & qui ſecundum Dei potentiam quæ ſupra rerum naturam eſt, ita magna diſcretione opus eſt in locutionum iudicio faciendo: ſed quod nunc aſſumuntur ad oſtendendum quanta ipſa rerum poſſibilitas valeat, & ſecundum quod aſſumuntur ad docendum quæ vis diuinæ potentiæ ſit circa res ei ſubiectas. In quo exiſtimo differentiam conſiſtere doctrinæ Diuinæ ſcripturę, & illius quæ ſecundum rerum naturam dicitur eſſe compoſita. Quia hæc facit iudicium locutionum ſecundum quod eis rerum natura exprimitur, id. Philoſophia humana. Illa verò id. Doctrina Diuina quæ Theologia dicitur, iudicium facit locutionum ſecundum quod eis circa res virtus diuinę potentiæ explicatur quæ ſupra rerum naturam operatur. Nemo ergo iudicium locutio-

num diſcernens, harum aliquam falſam eſt putabit, *prædeſtinatum damnari eſt impoſſibile, illum qui prædeſtinatus eſt, damnari eſt impoſſibile.*

C. 10. Hîc item quærit aliquis. Nonne qui prædeſtinatus eſt, poteſt non eſſe prædeſtinatus? & nonne prædeſtinatus poteſt damnari? Et nonne prædeſtinatus ſæpe eſt in peccato quod eſt dignum morte in quo eum mori poſſibile eſt? ſed ſi ipſum mori in peccato quod eſt morte æterna dignum eſt poſſibile, quomodo erit impoſſibile eum damnari? Interrogationes iſtas Quidam ratione compoſitionis putant eſſe ſoluendas: ſed aptius prædicto modo eis reſpondetur. Non enim huiuſmodi interrogationibus aliunde datur occaſio, niſi quia illa diſcretio iudicij locutionum non attenditur quam ſupra notauimus. Quod enim dicitur. *Qui prædeſtinatus eſt poteſt non eſſe prædeſtinatus; & ſic* poteſt eſſe non ſaluandus, quid prædeſtinati natura poſſit, oſtenditur, & non quæ virtus ſit prædeſtinationis Diuinæ, de qua agitur cum dicitur *Prædeſtinatum damnari eſt impoſſibile.* Quæ ergo ratio conſecutionis poteſt oſtendi, quare prædeſtinatio effectu ſuo poſſit carere circa prædeſtinatum, quia eius natura patitur ipſum nec eſſe prædeſtinatum nec eſſe ſaluandum. Quod concludunt qui ex eo quod prædeſtinati natura talis eſt, inferunt prædeſtinatum damnari eſſe poſſibile. Similiter poteſt ſolui quod ſequitur; Iſte prædeſtinatus eſt in peccato in quo eum mori poſſibile eſt & ita damnari. Nam ad aliquem in peccato mori morte æterna digno ſequitur ipſum poſſe damnari, quod non abnuendum puto, eo quod rationis connexio eſt ſatis firma; ſed non ideo virtus Prædeſtinationis à ſuo effectu fruſtrari poteſt, quia prædeſtinati natura eum in peccato, quod eſt morte dignum, mori ſinit, quæ nec damnationi quantum in ipſa eſt, repugnat. Virtus autem prædeſtinationis ipſum damnari non permittit. Vnde in huiuſmodi obiectione ſecundum formam vocis non ad intellectum facta commutatio fit prædicationum ſecundum quid & quale: quod illi facile diſtinguunt qui talium habent diſcretionem.

C. 11. Item quando dicitur *hunc hominem damnari eſt poſſibile,* de aliquo hoc dicitur: quare de prædeſtinato hoc dicitur. Quod ſi verum eſt, alicui forſan videbitur, quod prædeſtinatus poſſit damnari. Quod iſti dicunt nulla eget reſponſione, quoniam nullam habet dubitationis cauſam. Quid enim falſius eſt, quàm ideo dici hoc dictum, *prædeſtinatum poſſe damnari,* quia hoc dicitur, *hunc hominem poſſe damnari?* Cum nec etiam hoc dici oporteret *hunc hominem prædeſtinatum poſſe damnari.* Si hoc diceretur, ſcilicet *hunc hominem poſſe damnari,* eo quod hæc vox, hic homo, *Quid* ſolum deſignat; Iſta verò, hic homo prædeſtinatus, *Quale;* & ideo huius vocis *hic homo* ſignificatio prædicationem alicuius rei poteſt ſuſcipere, cuius non poteſt hic homo prædeſtinatus; cuius rei cauſa eſt *Quid* & *Quale.* Poteſt enim hic homo hic homo manere & damnationis capax eſſe. Vnde & ſimul iſta vera eſſe poſſunt *hunc hominem eſſe hunc hominem,* & hunc hominem damnari: ſed hæc ſimul vera eſſe non poſſunt, hunc prædeſtinatum eſſe hunc prædeſtinatum, & hunc prædeſtinatum damnari. Hoc idem de his quæ ſunt ſubiecta iſtis locutionibus, hic homo qui prædeſtinatus eſt, poteſt damnari, & hic homo poteſt damnari, dici poteſt. Nam non quia verum eſt hunc hominem damnari eſt poſſibile, verum eſſe oportet hunc hominem qui eſt prædeſtinatus, damnari eſt poſſibile; cuius rei cauſa eſt ipſa prædeſtinatio quæ in iudicio talium locutionum maximè eſt attendenda.

C. 13. *Quærendum eſt an ipſa prædeſtinatio meritum hominis euacuet ſiue tollat.* Quod quibuſdam viſum eſt eo quod hominis meritum non eſt niſi malum. Hoc enim homo tantum poteſt ex ſe, ſcilicet mereri malum. Nam omne bonum quod homo facit, tantum eſt ex gratia: ſicut enim ipſa prędeſtinatio quæ ab æterno facta eſt, gratis facta eſt à Deo, ita ipſa gratia in tempore gratis datur & in æterna beatitudine non minori gratia conſummatur. Vt ergo ipſa gratia ab æterno abſque omni merito homini præparatur, ita in tempore homini nihil merenti datur, etſi non eius merito ipſum hominem ad vitam perducit æternam. Hoc itaque modo Quidam per prædeſtinationem meritum hominis tollere conantur. Item addunt prædeſtinationem talem cauſam eſſe ſalutis hominis, quam ſicut homo mereri non poteſt, ita non poteſt ei reſiſtere quin ad effectum perducatur. Sed quod homo facere non poteſt, vt non ſit, homini nihil deberi videtur ex eo quod eſt. Quare cũ homo non poſſit facere quod prædeſtinatio non adimpleatur, cuius adimpletio ſalus eſt hominis, nõ videtur poſſe facere ne ſaluetur, Voluntati enim

Dei nullus poteſt reſiſtere. Quid enim ad hominem pertinet vt fiant vel non fiant quæ tantum in Diuina poteſtate eſt fieri vel non fieri? Et ideo ſicut homo non poteſt facere, quod ſit vel non ſit prædeſtinatio, ita nec facere poteſt quod prædeſtinatio non adimpleatur. Ergo ex eius adimpletione nec velle nec poſſe hominis meritum videtur habere.

C. 14. *Non enim de prædeſtinatione id reſponderi poteſt quod de præſcientia reſponderi ſolet, quæ quamuis falli non poſsit, nullam tamen neceſsitatem euentui rerum præſtat, quia nec etiam aliqua cauſa eſt præſcitorum.* Ipſa autem predeſtinati cauſa eſt & cauſa eſſe iuſtificationis conceditur quæ homini in tempore datur & coronæ quæ in futuro dabitur. Cum autem prædeſtinatio talis cauſa ſit, quam neceſſe eſt ad effectum perduci ſine hominis poteſtate, homo nec remunerandus videbitur, ſi ad effectum ducatur, nec puniendus ſi non adimpleatur, eo quod nec eius merito prædeſtinatio adimpleatur nec eius culpa non adimpletur, ſi eam non adimpleri contingeret, vnde non ſolum meritum eam homini tollere Quidam dicunt, ſed etiam culpam. Sicut enim homo ſine ſuo merito per prædeſtinationem mortem vitat æternam, ita nulla culpa hominis videtur eſſe, quare ei gratia ex prædeſtinatione non ſit collata quæ eam ad ſalutem perducat æternam. Eam enim nullus mereri poteſt: qui ſi aliquis eam ex merito teneretur habere, debitum meriti eſſet gratiæ contrarium & ad implendum impoſſibile; nullus enim poſſet mereri gratiam. Quod etiam ſi fieret, gratia deſineret eſſe gratia. Quæ erit culpa hominis ſi gratiam non habet, quam nec mereri poteſt nec mereri tenetur, cum nec etiam ſine culpa eſſe poſſit niſi per ipſam gratiam? Qua ergo ratione hominis culpa eſſe dicitur quod gratiam non habet, quæ ſua nec etiam ipſius culpa eſſe alicui videtur quod in culpa eſt cum ſine gratia eam vitare non poſſit, quam nec poteſt mereri nec tenetur habere. Et hæc ſunt quibus meritum per gratiam Quidam homini tollere conantur, alij verò vtrumque.

C. 15. *His omnibus facile reſpondetur cognito quid ſit hominem mereri, cuius ignorantia falſas de merito hominis generauit opiniones.* Dicitur enim quandoque meritum hominis nihil eſſe ad oſtendendum quid homo ex ſe poſſit, ſcilicet nihil niſi malum, & ita ſuperbiendi cauſa ei omnino tollatur & gratiæ Dei penitus ſubdatur. Vnde ſcriptura ſæpe docet bona quæ facimus, gratiæ Dei attribuere, mala verò nobis. Qui ergo homini meritum volunt tollere, ideo quia ex ſe nullum bonum poteſt facere, ſimili de cauſa ei fidem & charitatem & omnia bona gratiæ & naturæ hominis eſſe poſſunt denegare; quæ licet à ſe non habeat, ſicut à ſe non eſt, eius tamen ea eſſe neganda non ſunt. Quod autem dicunt ex prædeſtinatione tantum eſſe totum meritum hominis, concedamus verum eſſe, nec ex merito hominis eſt quod meretur, ſed ex gratia quæ ſine omni merito & ab æterno fuit præparata & in tempore homini data, vt homo per eam mereatur, cui oblatæ poteſt homo conſentire, ſed vt ei detur per meritum, non poteſt obtinere. Datur ergo homini gratia per quam meretur; illa tamen liberæ voluntatis conſenſum non aufert, ſed potius vires confert, ſine quibus bonum perficere non poſſumus. Sunt enim duo ad meritum vniuſcuiuſque rationalis creaturæ neceſſaria, ſcilicet ratio & gratia. **Nam ſine ratione nulla creatura poteſt ex fide diligere**, nec ſine operatione gratiæ poteſt fidem per dilectionem operantem habere, nec in habita ſine gratiâ perſeuerare, ſicut ſcriptum eſt, *quia gratia præuenit nolentem vt velit, ſubſequitur volentem ne fruſtra velit.* Ideo verè dicitur quod totum meritum eſt ex gratia, & non quia homo in merendo nihil agat. Non enim homo mortuum eſt inſtrumentum, quod agenti cooperari non poſſit.

C. 16. Meritum ergo hominis ex gratia eſt abſque omni merito, ſed non eſt ſic abſque præmio. Quia homo ex gratia ſibi data per fidem Deum diligit & proximum, quod eſt eum mereri; & tamen totum eius meritum ex gratia eſt. Sicut enim totum ex Solis claritate eſt quod homo videt, quanquam ipſa habilitas videndi in oculis ſit, qui tactu claritatis Solis illuminantur; quæ duo viſionem operantur, ita interior oculus hominis tactu claritatis Solis ſuperni illuminatur fidei cognitione & accenditur claritatis feruore. Ita ergo manifeſtum eſt, quod gratia non tollit meritum hominis, ſed ipſum facit mereri & operari.

C. 17. *Licet etiam prædeſtinatio ſit talis cauſa ſalutis hominis, cui homo non poſsit reſiſtere, non tamen homo abſque libera voluntate ſaluatur.* Quod ſi fieret, liberum arbi-

trium ei gratia tolleret. Non autem præuenit gratia nolentem vt ex neceſſitate velit, ſed vt liberè & voluntariè. Non ergo gratia prædeſtinationis tollit homini meritum per violentiam neceſſitatis, licet nec eam mereri nec ei reſiſtere poſſit, quod eſſet, ſi homo poſſet facere ne Deus eam adimpleret. At inquis. Nonne poteſt homo facere vt ipſe non ſaluetur? poteſt ergo facere quod Dei prædeſtinatio non adimpleatur. Sicut enim poteſtas hominis impedire non poteſt quin ſol oriatur & quin ſub ſe orto exiſtentes ſua luce perfundat, facere tamen poteſt quod ſub ſole non exiſtat & eius claritatem non videat: hoc enim ſuæ eſt poteſtatis, ſolem tamen ſuo ortu & ſuo effectu priuare non poteſt. Ita non poteſt facere quod prædeſtinatio circa ipſum hominem ſuum effectum non habeat, qui ſalus hominis eſt, poteſt tamen homo facere ne ipſe ſaluetur; quia ſe poteſt ſubſtrahere gratiæ & ideo ſe ſalute priuare, quæ eſt prædeſtinationis effectus & impletio, quam quod Deus non adimpleat, homo facere non poteſt, nec quod Deus eam adimpleat, homo facere poteſt. Nec hoc ab homine eſt exigendum. Non enim homo debet facere quod Deus ſuam adimpleat prædeſtinationem, ſed Deo adimplenti obedire. Aliud enim Dei in completione prædeſtinationis, aliud hominis. Dei enim eſt ipſam gratiam dare, hominis verò eſt ipſam gratiam ſuſcipere per quam ſaluetur. Poteſt ergo homo facere quod ipſam quam Deus dat gratiam homo non ſuſcipiat, nec ea ſaluetur. Sed quomodo poteſt facere quod Deus ipſam gratiam homini non det, & ea ipſum non ſaluet, contra eam quod mentis oculos poteſt claudere, mentemque quæ gratiæ capax eſt, in tenebris peccatorum recondere, eam tamen ſuo effectu non poteſt priuare, ſicut non poteſt facere quod ſol ſuper eum ſub ſole exiſtentem non luceat, licet poſſit facere quod ſolis claritatem non videat. Vnde ſicut nulla neceſſitate cogitur vt ſolis claritatem videat, ita nulla vi neceſſitatis compellitur gratiam Dei ſuſcipere quam ſolus Deus ei poteſt conferre, cuius homo per liberum arbitrium capax eſt. Ad quam tamen ſuſcipiendam ipſum ſine gratia non ſufficit, & ideo totum meritum hominis ex gratia eſt & ex gratia eſſe prædicatur. Per eam tamen nec liberum arbitrium tollitur nec meritum euacuatur.

C. 18. *Similiter illud falſum eſſe conſtat quod dicunt hominem abſque cauſa damnari, eo quod eius culpa eſſe non videtur quod prædeſtinatus non ſit, cum prædeſtinationem mereri non poſsit, ſine qua eum ſaluari eſt impoſsibile.* Cui Quæſtioni à quibuſdam ſic ſolet reſponderi. Quia licet homo non poſſit promereri quod prædeſtinetur, promereri tamen poteſt quod non prædeſtinetur, quod tali ſimilitudine oſtendunt. Dicunt enim quod multa ſunt quæ aliquis ſibi dari non poteſt promereri, quæ tamen ſibi non dari poteſt promereri. Sicut multi honores quos aliqui non poſſunt promereri, qui ad eos promerendos ſe facere poſſunt indignos. Sed ab iſtis quæritur quando homo promereatur non prædeſtinari. Nam antequam ſit hoc, non promeretur, cum nihil boni vel mali facere poſſit antequam exiſtat. Sed nec quando eſt aliquis, cum hoc promereri conceſſurus eſt. Nihil enim abſurdius poſſet concedi quàm vnumquemque damnandum tunc promereri vt non prædeſtinetur, quando crimen mortis committit. Pro futuris quoque **malis meritis non videtur promereri vt non prædeſtinetur, cum ipſe cauſa non** ſit quare merita ſua mala ſint futura; ab æterno enim hoc erat, quod ipſius erant futura mala merita, & ita non videtur ex merito hominis eſſe quod prædeſtinatus non ſit.

C. 19. *Quid ergo homo facere poterit vt non promereatur non prædeſtinari?* Nam ex ſe nihil poteſt per quod hoc opus ſit promereri. Gratia ergo ſibi neceſſaria eſt vt hoc non promereatur, ſcilicet non prædeſtinari. Quam quia promereri non poteſt, nec eam habere tenetur. Si ergo hæc vera ſunt, quæ aſſignabitur ratio quâ poſſit oſtendi ex hominis merito eſſe, quare ab æterno non ſit prædeſtinatus, & quod meritum hominis erit cauſa vt hic non ſit prædeſtinatus, cum ille ſit prædeſtinatus, Sed forſitan dicent non prædeſtinatum eſſe nihil aliud eſſe quàm eſſe reprobatum, quæ reprobatio ab æterno facta videtur, vnde *Eſau reprobaui, Iacob dilexi.* Verbum mutatur. Sed prædictarum inquiſitionum ſolutio nulla datur quæ non minus fieri poſſunt, licet quis non ex merito dicatur non prædeſtinari, ſed reprobari eo quod neutrum abſque altero ex hominis merito poteſt eſſe. Sed quia ſta cum merito hominis in cognitione coniuncta ſunt. De iſtis apertius diſſeri poterit, cum de merito hominis Tractatus rationem inueſtigationis depoſcet.

EX TRACTATV EIVSDEM M. ROBERTI Melidunenſis De Incarnatione.

AN ſimul carnem & animam Verbum ſuſceperit.

Quæri ſolet an ſimul carnem & animam Verbum ſuſceperit, an prius carnem, quàm animam. Quod fit in aliorum conceptione & formatione. Prius enim ſemen in vtero mulieris concipitur atque formatur in hominis figuram, demum poſt 40. dies & ſex corpori formato anima per ſolius Dei operationem infunditur : quod & Phyſica ratio habet & authoritate diuina confirmatur. Ait enim B. Auguſtinus ſuper Ioan. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, &c. hoc numero dierum corpus hominis formari eique formato animam ſociari. Quod etiam videtur velle in homine Chriſto factum eſſe, ideſt quod hoc numero dierum Corpus eius in vtero Virginis ſit formatum & anima poſtmodum ſociata. Niſi enim ita eſſet vt quibuſdam placet, veritas humanæ naturæ in conceptione hominis illius minimè ſeruaretur, quam obſeruare debuit, qui totam hominum naturam in veritate aſſumpſit. *Et bene*, inquiunt, *Verbum ſine anima in illa Carnis ſubſtantia eſſe potuit, quia in ea in triduo mortis eius ſine anima fuit.*

Sic ergo verbum Dei prius carnem aſſumpſiſſe quàm animam dicunt. Quod nec authoritas habet, nec ratio, nec Eccleſiæ communis aſſertio. Quod enim Auguſtinus dicit illum quadragenarium numerum Dominici corporis perfectioni conuenire, de corporis Chriſti formatione intelligit & non de tempore animationis eius. Lineamentaris enim compoſitio atque effigies humanæ naturæ non adeo extabat & viſibiliter apparebat, vt diſcerni poſſet & diſtingui. Quod verò de veritate humanæ naturæ in conceptione obſeruanda prætendunt, nihil eſt. Non enim quia anima prædicto dierum numero corpori coniungitur vel non coniungitur, ad integritatem pertinet humanæ naturæ. Nam ſiue citius ſiue tardius coniungatur, non minus fiet homo habens integritatem humanæ naturæ. Item nonne magis ſpectat ad integritatem humanæ naturæ ex matris & fœminæ commixtione naſci, quàm quod anima tali dierum numero corpori ſocietur? Licet enim tali ſpatio temporis aptum fiat humanum corpus ad animam ſuſcipiendam & retinendam, nullo tamen modo numerus ille adeo neceſſarius eſt ſicut ipſa generatio. Ipſa enim Generatio materiam dat in qua hominis formatur ſubſtantia, & eſt cauſa materialis, ſpatium vero 40. dierum ſi aliqua cauſa eſt, quare corpus aptum reddatur ad animam ſuſcipiendam, extrinſeca tantum cauſa eſt, cauſa non de qua fit, ſed ſine qua forſitan non fit. Si ergo Chriſtus totum habuit quod humanæ naturæ fuit, licet eius humanæ generationis copulatio maris & fœminæ nulla extiterit cauſa, multo minus licet corpus ipſius non ſit eo tenore & lege, atque numero dierum animatum quo cæterorum hominum corpora animantur, impedire potuit ipſum integritatem humanitatis habuiſſe, & totum quod homini eſt naturale. Quod autem dicunt bene Verbum in Carne Chriſti fuiſſe ſine anima, quia ſic in triduo illo fuit quo in ſepulchro iacuit, nihil eſt. Dicit enim B. Auguſt. quod anima vinculum fuit inter Verbũ & carnẽ, quia ea mediante Verbũ eſt vnitum Carni. Si autem quæris quomodo anima ſeparata manſit cum carne verbum, dicimus quia multa ſunt huiuſmodi quæ nullo modo niſi aliquo mediante coniungi poſſunt: quo poſtmodũ ſeparato illa remanent cõiuncta. Quod in artificialibus ſæpe fit, & in ſpiritualibus præcipuè fieri poteſt: ſæpiſſimè enim tertio mediãte aliqui duo veniunt in amorem & efficiuntur vnanimes, quo tamen ab vtrorumque amore ſeparato nihilominus illi remanent fœderati. Quod autẽ ſcriptum eſt, *Verbum caro factum eſt*, nomine Carnis totum deſignat hominem. Sicut ibi: Videbit omnis caro ſalutare Dei: ſic enim B. Aug. exponit. *Quare voluiſſe videtur quod totum hominem ſimul aſſumpſit: quippe ſtatim ex quo Verbum incarnatum eſt & homo fuit, quod in omnium conceſſione eſt: quod minimè verum eſſet, ſi tantum cum carne Verbum communionem haberet.* Nem in triduo quo caro in ſepulchro iacuit, Verbum cum vtraq; vnitum

cum fuit, hoc eſt cum anima & carne. Et ideo tunc verbum homo fuit. Pro carne enim ſola vel anima ſola homo dici verbum non potuit, quia in vtraque ſola hominis natura conſiſtit. Si ergo verbum homo erat, ſtatim poſtquam incarnatum fuit, conſtat quia non prius carnem quàm animam, ſed ſimul animam & carnem aſſumpſit. Non enim pro ſola carne ad Mariam dictum eſt. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*. Obumbratio enim virtutis Altiſſimi ſine amore in Carne Chriſti eſſe non potuit. Quoniam per obumbrationem virtutis Altiſſimi plenitudo donorum Spiritus Sancti deſignatur, quæ in homine aſſumpto fuit, per hoc quod ſibi verbum unitum habuit. Ipſa vero plenitudo donorum in carne eſſe non potuit, ſi ſine anima caro fuit, nec ſecundũ verbum, licet per verbum in homine aſſumpto fuerit. Verbum namque à Spiritu S. dona ſuſcipere non potuit, quia hoc eſt in Trinitate vnam perſonam aliquid ab alia accipere quod ab ea eſſe, & ideo verbum à Spiritu S. nihil habere poteſt à quo eſſe non habet. Secundum ergo animam donorum plenitudo in homine aſſumpto fuit, aut nullo modo in eo fuit. Quare ſi in ipſa incarnatione verbi promiſſio Angeli eſt adimpleta, Id eſt quod *virtus altiſſimi ei obumbrauit*, verbum ſimul animam & carnem aſſumpſit. Item vniuerſa canit Eccleſia Creatorem generis humani Corpus animatum ſumpſiſſe de Virgine, quod nullâ ratione verum eſt, ſi quando illud aſſumpſit, inanimatum fuit, & etiam aſſumptum 40. diebus inanimatum permanſit. Tale enim tunc aſſumpſit, quale dum aſſumeretur, fuit. Si enim ideo dicatur animatum corpus aſſumpſiſſe, quia poſt aſſumptionem tot euolutis diebus animatum factum eſt, dicatur quia & hominem decem annorum aſſumpſit, qui decem annorum poſtea fuit. *Verbum*, inquit Hieronymus, *hominem quem ſemel aſſumpſit, nunquam depoſuit.* Sed quando cum ſemel aſſumpſit? non quando carnem, quia nec perfectus nec verus homo tunc verè dici potuit: nec quando animam, quia tunc partem tantum hominis, non hominem perfectum vel verum aſſumpſit, & prius incarnatum fuit, quàm hominem aſſumpſerit. Fatendum eſt profectò Chriſtum carnem ſimul & animam aſſumpſiſſe & verum hominem atque perfectum fuiſſe ex anima rationali & humana carne ſtatim poſt aſſumptionem conſtitiſſe.

De Excellentia Animæ Chriſti.

DE anima Chriſti vnde facta ſit, ſine cauſa quæritur, cum indubitanter verum ſit eam de non extanti creatam eſſe. Vnde Aug. Chriſtum dicit non de Adam animã habuiſſe; Sed vnde Adam, id eſt à Deo, non de præiacẽti materia creatam. Hoc enim modo animam factam eſſe conſtat, id eſt de non extanti conditam. Quæ vtique prima animarum fuit, & ideo ex nullo prius exiſtente materialiter condita fuit, ideſt neque ex corpore neque ex ſpiritu. Ex corpore creari non potuit, cũ ſit incorporeæ naturæ: neque ex alio ſpiritu, cùm ſpiritus eã nullus præcederet, niſi Angelus de quo creari non potuit, ſi quidem ſpiritus omnes immateriales & ſimplices ſunt, ideſt ſine partium compoſitione. Vnde nec magnitudini **nec multudini ſunt ſubiecti. Ideoque ſpiritus vnus de alterius ſpiritu ſubſtantia** eſſe non poteſt. Anima vero Chriſti quantum alios ſpiritus omnes in donis Spiritus S. exceſſit, tantum in ſubtilitate & puritate naturę ſuper omnes ſpiritus enituit. Omnes enim ad menſuram, *Anima verò Chriſti ſine menſura dona Spiritus S. ſuſcepit, vt pote in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & in qua reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Ipſa enim vrna aurea eſt, in qua Manna repoſitum fuit, panis ſcilicet Angelorum qui factus eſt cibus hominum, horum & illorum omnimoda refectio. In ea, vt dixi, reconditi ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientię Dei. Vnde manifeſtum eſt quod plus ſcire non potuit quàm ſciuerit, & hanc ſcientiæ plenitudinem habuit ex quo fuit. Quod enim Lucas dixit, *Ieſus proficiebat ſapientia & ætate*, non ad ſapientię eius incrementum referendum eſt, ſed ad profectum auditorum. Secundum enim quod ętati congruebat, ſapientiam ſuam magis magiſque foris oſtendebat, quouſque ad virilem ętatem peruenit, in qua omnibus & manifeſtè prędicauit. *Proficiebat ergo Ieſus ſapientia & ætate*; ætate in ſe ſecundum formam ętatis capacem, ſapientiâ in aliis, quibus eius ſapientia profuit. Ipſe enim à conceptione plenam & perfectam ſapien-

tiam habuit. Magis ad ſe venientibus loqui noluit, non quia neſcierit vel non potuerit, ſed vt ætatis illius ius & naturam obſeruaret, & ne eo per ſapientiam ſuam quis eſſet cunctis apparēte ante tēpus mortis eius graſſatorHerodes actor exiſteret. Quando à parentibus in templo inuentus eſt in medio Doctorū ſedens & interrogans, ad Diuinitatis ſuæ potentiam demonſtrandam hoc fecit & ad noſtram prę-ſumptionē reprimendam, ne ante ætatem aptā doctrinæ licet ſcientiā habeamus, Cathedram Doctoris aſcendamus. Quia ergo in puerilitate inter Doctores interrogans & reſpondens inuentus eſt, manifeſtum eſt quia Diuina ſapientia atque ſcientiâ illuſtratus fuit ſupra modū & menſuram omnium hominum imò omnium creaturarum, quia de eo ſolo ſcriptum eſt *Plenus gratia & veritate.* Ipſe eſt enim Domus quam ſibi ſapientia ædificauit ex columnis 7. ideſt ex 7. donis Spiritus S. hominem quem aſſumpſit repleuit. Ipſe eſt etiam vir ille vnus à 7. Mulieribus apprehenſus, quia Chriſtus plenitudinem donorum Spiritus S. ſecundum hominem ſuſcepit & immutabiliter in ſe habuit & habet, ſicut ad Ioannem Baptiſtam dictum eſt. *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem, hic eſt qui baptizat.* In ipſo plenitudinem donorum fuiſſe Iſaias expreſſiſſimè declarat dicens. *Replcuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, &c.* Si autem plenitudo donorum in eo fuit, & plenitudo ſcientiæ, cum ipſa vnum ſit de donis ſuper qua quoniam deinceps diuerſi diuerſa proponunt, ſingulorum rationes ſummatim proponemus.

De duabus ſcientiis in Chriſto.

SVnt qui Chriſtum aliam ſcientiam habuiſſe quàm vnigenitam Dei ſapientiam quæ ſibi perſonaliter hominem vniuit, negant. Ad quid enim inquiunt, creatam ſcientiam haberet, cum increata omnia ſciret? Diuina enim ſapientia illum illuminauit, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & tanto excellentius, quanto expreſſius & perfectius in eo habitauit, adeo ſcilicet vt cum ipſa vna fi ret perſona. Si ergo per ſapientiam Dei omnia & perfectiſſimè nouit, indecens fuit vt aliam haberet ſcientiam, qua nec omnia nec adeo perfectè noſſet. Sed hæc opinio ab eis videtur profluxiſſe qui verbum Dei in Chriſto vicem animæ dicebant obtinere, ſecundum quos Chriſtus homo fuit qui animam rationalem non habuit. Sed omnium in Chriſto credentium habet aſſertio duas in Chriſto naturas fuiſſe, vnam qua omnia potuit, ideſt Diuinam, alteram quâ minus potuit, hoc eſt humanam, quâ nec adeo perfectè nec adeo potenter aliqua potuit. Nemo enim vt æſtimo, præſumit aſſerere quod tot & tanta potuerit Chriſtus ſecundum humanam naturam, quot & quanta ſecundum Diuinam. Sic enim æqualiter potens eſſet ſecundum hanc & ſecundum illam. Quare & Patri eſſet æqualis Chriſtus ſecundum humanam naturā, quod diligentius oſtendemus, cum de ipſa Chriſti potentia quam ſecundùm humanitatem habuit, diſſeremus. De ea tamen ideo fecimus mentionem, vt per eam conſtet Chriſtum non inutiliter humanam ſcientiam habuiſſe, licet Diuinam habuit, per quam omnia ſciuit; ſicut potentia humana inutilis in eo non fuit, quanquam Diuina omnia potuerit. **Longè enim aliter Diuina ſcientia ſcit, & longè aliter humana quę illa ſciuit.** Sicut longè aliter potuit omnia Diuina potentia quàm humana, illa quæ potuit humana: multa quippe ad operationem humanæ potentiæ pertinebant, quæ per humanam potentiam fieri non potuerunt. Sola voluntate humanitatis aut ſolo verbo ipſum hominem facere aliquid oportuit; vt eadem effectui manciparet, cuiuſmodi ſunt ea quæ proprii corporis operatione fecit. Sola autem Diuina natura eſt, cui eſt idem velle & facere.

Vnde & omnia quæ per Miniſtros fecit homines vel Angelos, ſola voluntate ſine eorum miniſterio facere poſſet. Eodem igitur modo de ſcientia, quam ſecundum hominē habuit & ſapientia diuina habenda eſt conſideratio. Non enim inutilis vel ſuperflua fuit in eodem, vel eſt ſcientia humana: quamuis Diuina ſapientia omnia cognouerit, ſiquidem ſcientia humana in adminiſtratione eorum quæ corporaliter exhibuit, nonnihil fecit, quanquam à ſapientia Dei in eiſdem agendis gubernaretur. Per ipſam namque humanam ſcientiam actiuæ vitæ expleuit miniſterium & humanæ conuerſationis fuit forma & exemplar. Ipſa autem conuerſatio humanitatis eius humanæ ſcientiæ operatio fuit. Sicut enim ſecundum

humanam naturam hominibus ſimilis factus eſt, ita ſecundum humanam ſcientiã cum hominibus conuerſando ſe hominem eſſe probauit, quæ talis & tanta fuit, quod omnes actus Chriſti hominis ineffabili moderamine rexit, & hominibus prout eorum ſaluti congruebat, contemperauit. Habuit itaque Chriſtus duas ſcientias ſicut duas naturas, & duas voluntates & duas potentias. Veritas quippe & diuerſitas duarum naturarum veritatem requirebat & diuerſitatem duarum ſcientiarum, vt per ipſas duarum naturarum veritas manifeſtari poſſet. Nam ſicut per diuinam ſcientiam ea faciebat per quæ ſe verum Deum eſſe probauit, ita & per humanam ea operatus eſt, per quæ ſe verum hominem eſſe demonſtrauit.

Vtrum Chriſtus tantum & totum ſciuerit humana ſcientia quod Diuina.

SOlet præterea quæri an Chriſtus humana ſcientia tantum & totum ſciuerit quod diuina: quod multorum habet æſtimatio, aliter enim, inquiunt, non diceret Apoſtolus in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei eſſe reconditos. Sed cum dicit ſapientiæ & ſcientiæ, diſtinctionem innuit operationis. Nam humana ſcientia Chriſti vtramque complectitur, prout nos de ea hîc loquimur, ideſt & ſapientiam & ſcientiam. Quia ſapientia vitæ contemplatiuæ, ſcientia vitæ actiuæ vocabulũ ſuſcipit operationis. Pro hac ergo ſcientia Chriſti qua ſecundum humanitatem operabatur, dicit Apoſtolus in ipſo abſconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Vnde & videtur nihil omnino ſciri poſſe quod Chriſtus hac ſcientia non ſciuerit, quippe qui ſine menſura dona ſuſcepit. Quod autem ſine menſura eſt, immensũ eſt & quod immenſum, ſine termino, & quod ſine termino, & ſine parte. Scientia ergo Chriſti quia de his eſt quæ ſine menſura ei data ſunt, ipſa in parte ſcibilium non terminatur, ſed omnia quæ ſciri poſſunt, comprehendit. Item plenitudo gratiarum in Chriſto fuit, quare & ſcientiæ. Scientia ergo plena & perfecta in eo fuit talis & tanta, quod omnia ſecundum ipſam ſciuit quæ & ſecundum diuinam ſapientiam. Non enim ſine cauſa dixit Iſaias *Spiritus ſcientiæ & pietatis ſuper eum requieturus erat.* Requieturum ſuper eum ideo dicitur, quia in quo eius ſcientia creſceret & augeretur, non fuit. Quando enim ad ſummam venitur conſummationem & ad gradum ſupremum, requies præcedentis laboris occurrit & labori finem imponit. Quippe quandiu ſcientia vel aliquid aliud creſcere poteſt, & augeri & augmentum ſuſcipere poteſt. Quod quia in nullo dono quod Chriſtus habuit eſſe potuit, tam ſcientia quàm quodlibet eius donum in ſumma perfectione fuit, ſuper quam nihil ſcire potuit. Item ſi ſecundum hominem ſcientiam omnium non habuit, cum aliquid latuit quod ſcire potuit vel non potuit. Si illud ſcire non potuit, quomodo verus Deus fuit? ſi enim verus Deus, & omnia ſciens & operans fuit.

Item homo aſſumptus ſapientiam Dei genitam vnitam ſibi perſonaliter habuit non ſolum ſecundum plenitudinem Diuinitatis, ſed ſecundum proprietatem perſonæ. Quia ergo homo aſſumptus perſona fuit eadem cum filio Dei, minus ſcire nec debuit nec potuit, quàm filius Dei. Aliter enim vna & eadem perſona tempore eodem **plus & minus ſeipſa ſciret. Illud enim Mathæi quod eis opponitur.** *Diem illum nemo nouit niſi Pater & cui Pater voluerit reuelare. Neque Filius hominis;* ſic exponitur. Sicut dicitur Abrahæ, *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, ideſt alios cognoſcere feci, ſicut & filium hominis neſcire dicit quod alios ſcire non facit, qui dici illius indubitatam cognitionem in ſeipſo habuit. Item obiicitur illud Pſalmiſtæ. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam.* Ecce ipſe homo aſſumptus teſtatur ſe ad ſcientiã Dei non poſſe pertingere. Quid enim eſt *non potero ad eam, niſi in cognitione rerum ipſa ſim inferior & minus cognoſcens?* Sed aliter ſanè poteſt exponi vt ex cauſa dicendi dicendorum ſumatur intelligentia. Quod enim dicit, *non potero ad eam*, hoc eſt æquari ei. Quanquam enim omnia ſciuerit quæ & ſapientia Dei, ei tamen æquari non poteſt. In modo ſiquidem intelligendi longè eſt inferior.

Quippe ſapientia genita à Patre naturaliter & ęternaliter omnium habet cognitionem. Homo vero aſſumptus ex dono gratiæ & temporaliter. Sic ſanè dici poteſt quod homo aſſumptus licet omnia ſciat & poſſit quæ Deus Pater, non tamen Deo Patri æquari poteſt in ſcientia vel potentia, quia ille à ſe, iſte ab alio;

ille naturaliter vt dictum eſt & æternaliter, iſte dono gratiæ & temporaliter. Modus ergo differens æqualitatem omnimodam etiam in re eadem non patitur. Hæc autem differentia in omnibus intelligenda eſt quæ ei collata ſunt per gratiam, qui vt Ambroſius dicit, omnia habuit per gratiam quæ filius Dei per naturam. Carbones qui ab igne ſuccenſi ſunt, in colore non dicuntur ab igne differre. Vnde & ita accenſi ipſius ignis ſuſcipiunt vocabulum, ſed tamen in modo habendi calorem igne ſunt inferiores, quia eum accidentaliter habent & ignis naturaliter. Ex hoc quocunque modo poteſt oſtendi hominem aſſumptum non eſſe æqualem verbo aſſumenti in ſcientia, licet omnia ſciat quæ ipſum verbum. Quomodo etiam omnium non haberet ſcientiam qui *nouit cogitationes hominum, quod ſilius Dei eſt? Videns*, inquit Euangeliſta, *Ieſus cogitationes hominum &c.* Item ſi non omnium ſcientiam habet, quomodo omnia iudicabit? omnes quippe ante tribunal Chriſti adſtabimus & ipſe Iudex omnium erit, vnde & omnium ſcientiam eum habere oportebit: ſed eius ſcientia vt ſupra oſtenſum eſt, incrementum ſuſcipere non poteſt, nec potuit nec poterit. Vnde & æquè ſciens fuit mortalis & immortalis. Item numerum Atomorum ipſe nouit, qui mundum & omnia quæ in mundo ſunt in numero & pondere & menſura fecit. Non enim aliqua creata, nec omnia ſimul ſunt infinita aut immenſa in ſua exiſtentia, & quando talia dicuntur, id eſt quod aliqua creata infinita ſunt vel immenſa reſpectu noſtræ cognitionis & comprehenſionis, hoc dicitur, qui illa ſub certo numero vel menſura comprehendere non valemus.

Reſponſiones & rationes eorum qui negant hominem aſſumptum tantam habere ſcientiam, quantam & Verbum aſſumens.

PRædictis authoritatibus & rationibus quibus aſtrui poſſe videtur hominem aſſumptum etiam ſecundum humanam ſcientiam omnia ſcire quæ verbum aſſumens. Quidam reſpondent habentes & ipſi ſuas rationes in contrarium, quas in medium proponere non abs re forſan videbitur. Primò igitur ei quod dicit Apoſtolus in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditos eſſe, ſic reſpondent, hoc dictum eſſe ſecundum Chriſti diuinam naturam, ſecundũ quam æqualis eſt Patri & omnia ſcit quæ Pater & poteſt. Concedunt etiam, quia ſecundum humanam naturam hoc verè dictum eſſe poſſit. Hoc namque vniuerſitatis ſignum *Omnis & omne, omnes & omnia* non ſemper vniuerſitatem ſingulorum comprehendit, ſed quandoque genera ſingulorum comprehendit, quandoque maiorem partem vel digniorem, nonnunquam verò rei de qua agitur, ſufficientiam demonſtrat atque perfectionem. Ad vniuerſitatem generum ſingulorum colligendam ponitur vbi dicit Evangeliſta, *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ad vniuerſitatem generum ſingulorum, vt ibi *narrabo omnia mirabilia tua.* Omnia dicit, non quia vniuerſa ſingulorum mirabilium Dei narrare velit vel poſſit, ſed quia nullum genus eſt mirabilium eius, cuius aliquod ipſe non narret, ideſt nec ſpirituale nec corporale. Qui enim Lazarum ſuſcitauit in corpore, ille idem Paulum ſuſcitauit in mente. Ad maiorem partem deſignandam *Omnia* poni teſtatur Hieronymus, vbi Pater ad filium ſeniorem loquitur dicens. *Fili tu ſemper mecum es & omnia mea tua ſunt.* Omnia dicit pro parte maiori, quia nulla beneficia ſpiritualia aut temporalia eran, tquæ homini poterant conferri quæ ludaïco populo non dederit qui per ſeniorem filium eſt deſignatus. Pro ſufficienti perfectione ponitur, vt ibi *Diuites eguerunt & eſurierunt.* Inquirentes autem Dominum non minuentur *omni* bono, ideſt bono ſufficienti & perfecto, bono ſcilicet æterno. Quo etiam modo in Mathæo accipitur, vbi Dominus ad Diſcipulos loquitur de poteſtate creandi cœlum & terram & gubernandi ſed & poteſtate reconciliandi terrena cum cœleſtibus & dominandi vtriſque, ideſt Cœleſtibus & terrenis & etiam Inferis. Et hoc eſt quod Apoſtolus ſignificare voluit dicens. *Chriſto omne genu flectatur Cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Sicut autem Chriſto homini data dicitur eſſe omnis poteſtas, quia perfectam & ſufficientem poteſtatem habuit mundum redimendi & reconciliandi atque iudicandi: Sic & in Chriſto homine dicuntur eſſe omnes reconditi theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quia perfectam & ſufficientem ſapientiam & ſciẽtiam habuit ad prædictæ poteſtatis adminiſtrationem, qua vti conuenienter non

potuit, niſi ſapientiam & ſcientiam haberet, per quas diſcretionem & moderamen in adminiſtratione poteſtatis obſeruaret. Illorum enim cum ſapientiam & ſcientiam habere neceſſarium fuit, ad quæ agenda homo aſſumptus fuit. Non autem propter hoc hominem aſſumpſit vt cœlum & terram per ipſam crearet aut regeret, ſed vt diabolum ſuperaret & hominem ab eius poteſtate liberaret. Ad quod perficiendum quia homo aſſumptus perfectam ſapientiam & ſcientiam habuit, dicit Apoſtolus in Chriſto homine reconditos eſſe omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauros, & non quia tantam ſapientiam habuit homo aſſumptus, quantam & verbum quod ipſam aſſumpſit.

Amplius ad idem.

AD illud ſimiliter reſpondent quod dicitur Chriſtus ſine menſura dona accepiſſe Non enim ſecundum illam immenſitatem quæ in Deo eſt, hoc dicitur, ſed ſecundum illam menſuram donorum quæ in nobis eſt. In Chriſto enim tanquam in capite noſtro omnia ſunt dona, ſicut in capite humano omnis ſenſus corporis. In nobis vero donorum aliquod eſt ſicut in membris, quemadmodum in reliquo corpore non omnis ſenſus ſed ſolus tactus. Si quis ergo comparationem vellet facere capitis ad cætera membra, poſſet non inconuenienter nec falsò dicere, caput ſine menſura ſenſus habet corporis humani, reliqua vero membra ſecundum menſuram. Ideo caput ſine menſura quia omnes habet ſenſus, reliqua verò membra cum menſura, quia non omnes. Sicut caput in corpore humano omnes ſenſus habet, quibus cætерum corpus regit & conſeruat. Ita Chriſtus ſecundum quod eſt homo, omnia habet dona Spiritus S. quibus Eccleſiam regit & conſeruat, quæ eſt corpus eius, & ab ipſo dona ipſa deſcendunt in Eccleſiam: ex quorum ordinata diſtributione ipſa Corpus Chriſti efficitur, quod ex diuerſitate membrorum conficitur, cum alius donum prophetiæ habeat, alius gratiam curationum & alia dona. Ipſa itaque membra ſingula dona habent, ſed Chriſtus omnia, quod Propheta profectò ſignificare voluit dicens, *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Cum enim participes eiuſdem vnctionis nominat ſine dubio reſpectu eorum vnctum eum abundantius ſignificat. Sine menſura ergo in Chriſto dona fuerunt, quia ſecundum conſummationem in eo fuerunt, quia nec plura numero nec maiora merito eſſe potuerunt.

Quod autem dicit Ambroſius, *Quidquid habet filius Dei per naturam, habet filius hominis per gratiam*, illi ſic exponunt, *Quidquid habet filius Dei per naturam, hoc habet factus filius hominis per gratiam.* Quod ideo Ambroſium dixiſſe volunt, ne crederetur filius Dei aliquid quod apud Patrem habet amiſiſſe, *quia ſe exinaniuit formam ſerui accipiens.* Secundum quam minor eſt ſeipſo à Patre genito, & paulo minus ab Angelis minoratus. Hoc modo ſanè expoſita authoritas amborum neminem cogere poteſt, vt tantam eſſe ſcientiam hominis aſſumpti fateatur, quantam & verbi aſſumentis. Sed nec illud quod obiiciunt, quod homo aſſumptus Deus non fuit, ſi omnium notitiam non habuit quæ Deus nouit. Nihil quippe Deus eſſe poteſt, quod Deo Trinitati in ſcientia ſit inferius. Qui enim ita differunt, non videntur intelligere quid dicatur quando homo Deus eſſe enunciatur. Si enim quando Deus eſſe homo enunciatur, homo diuina ſubſtantia homo eſſe enunciaretur, neceſſariò ſequeretur quod homo aſſumptus tantam ſcientiam haberet, quantam verbum aſſumens. Nunc autem quia nonniſi per gratiam aſſumptus eſt in vnitatem perſonæ ſicut non poteſt oſtendi quod Diuina eſſentia ſit, ita monſtrari non poteſt, quod tantæ ſcientiæ ſit, quantæ Deus Trinitas, quia vnitas perſonæ quæ per gratiam facta eſt & non per naturam nulla neceſſitate omnia confert ipſi vnito quæ habet ipſa perſona vniens. Quod neminem latet qui ſcit Corpus humanum animæ humanæ in identitate perſonæ eſſe coniunctum. *Vnde ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Per *vnus* homo vnam ſubſtantiam ſignificare voluit, quia anima & caro vna ſubſtantia eſſe non poſſunt, ſed vna perſona quę anima eſt propriè & naturaliter, quæ & ipſum Corpus ſibi in ſuam perſonam aſſumpſit per vnionem & non per ſubſtantiam. Sicut ergo corpus non participat virtutibus animæ atque ſcientiæ, licet vna perſona ſit cum anima: ſic nulla ratio neceſſaria requirit

quod homo aſſumptus tantæ ſit ſcientiæ, quantæ eſt verbum Dei. Sed nec ideo concedere oportet quod eadem perſona plus & minus ſeipſa ſciat. Sicut nec quod eadem perſona ſit inferioris naturæ vel ſuperioris ſeipſa. Secundum enim quod homo, inferioris eſt naturæ verbo ſecundum quod Deus, ſuperioris homine.

Amplius ad idem.

QVod abſentia & abſcondita cordium dicitur cognouiſſe, ſecundum diuinitatem intelligendum eſt, ſicut quod abſens mortem Lazari cognouit & diſcipulis nunciauit: ſi enim hæc & ſimilia per humanitatis ſcientiam poſſet intelligere, non facile poſſet probari ipſum eſſe Deum. Authoritas etiam illa *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, ſi ſecundum proprium ſenſum intelligitur, certiſſimè videtur velle, quod non ſit tanta ſcientia hominis aſſumpti quanta & verbi. Homo enim ibi loquitur vel ad Deum Patrem, vel ad Deum Trinitatem ad cuius ſcientiam dicit ſe non poſſe. Quod nullus inficiatur, qui pſalmorum habet intelligentiam. *Scientia enim Dei Deus eſt*, & idcirco nihil creatum & temporale ei poteſt æquari. Scientia ergo hominis aſſumpti non poteſt ſcientiæ Dei æquari, quia neque omnino vlla Creatura ſi ad naturam Diuinitatis fiat collatio, ſcientia verò quando ſcienter confertur, ſecundum rerum comprehenſionem & capacitatem collatio fieri ſolet: in quo ſi pares inueniuntur & æquales, & nulla maior dicitur eſſe altera. Si ergo verbum nihil comprehendere valet, ad quod comprehendendum & intelligendum homo aſſumptus per ſcientiam humanam non ſufficiat, verum erit hominem aſſumptum in cognitione & rerum intelligentia Deo æqualem eſſe. Tantus itaque erit homo aſſumptus in ſcientia quantum & verbum; quare & æqualis erit Deo Trinitati in ſcientia, quod nulla habet authoritas, nulla Eccleſiæ aſſertio. Si enim tantus eſt in ſcientia quantum & verbum, tantus eſt & in beatitudine; in nullo enim maior eſt eius beatitudo quàm eius ſcientia, & è conuerſo: quod ipſius veritatis teſtimonio verum eſſe conſtat dicentis, *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quod dicens manifeſtè expreſſit in cognitione Trinitatis noſtram conſiſtere beatitudinem. Vnde manifeſtum eſt, quod tanta erit noſtra beatitudo, quanta & noſtra cognitio. Nec ergo dubium, quin in homine aſſumpto ita ſit. Ad quod conſequens erit tantam eius eſſe beatitudinem quanta & verbi eſt. Hoc autem ſi verum eſt, in immortalitate & impaſſibilitate non diſtat homo aſſumptus à verbo, in quo diuinæ eſſentiæ beatitudo conſiſtere docetur. Vnde & ſolus Deus verè dicitur immortalis & impaſſibilis. Nulla ſanè natura eſt præter Diuinam, quæ non poſſit non eſſe & diſſolui, quod quoddam genus mortis eſt & ideo immortalitatis quam habet Diuina natura, & impaſſibilitatis nulla creata natura particeps eſſe poteſt: ſingularem quippe immortalitatem & impaſſibilitatem habet Diuina natura, in quibus nec cum Angelica nec cum humana communicare poteſt. Quantum verò in immortalitate & impaſſibilitate omnem excellit creaturam, tantum in beatitudine. Ergo & tantum in ſcientia. Nec mirum, cum ipſa ſcientia Diuinæ naturæ ipſa ſit beatitudo. Item ſcientia hominis aſſumpti vnum eſt de donis Spiritus S. vt reuera eſt, multo inferior eſt ſpiritu S. quare & totâ Trinitate, ergo & ſcientia totius Trinitatis. Ipſa enim eſt tota Trinitas. Vnde valde mirandum quomodo audeat aliquis ſcientiam hominis aſſumpti comparare ſcientiæ Diuinitatis, multa ſiquidem ſunt quæ per ſcientiam Diuinam fiant & facta ſunt, quæ per ſcientiam hominis aſſumpti nec fiunt nec fieri poſſunt. Licet enim homo aſſumptus per ſcientiã quã habet, ſciat qualiter Deus cũcta diſpoſuerit & quomodo diſpoſitionem opere adimpleuerit, & cuncta quæ facta ſunt & fiunt ordine regat, & ad ſuæ voluntatis rationem dirigat, non tamen ſcientiam hæc agendi, & quæ ab æterno diſpoſita ſunt, diſponendi habere credendus eſt. Talem quippe ſcientiam habere non poſſet, niſi rationes rerum æternæ in eo eſſent, vt ei etiam adaptari poſſet quod ſcriptura dicit, *Quod factum eſt ipſo, vita erat.* Quod pro certo nulli conuenire poteſt, niſi quod eſſentialiter Deus eſt. Multo ergo maior eſt ſcientia quæ vtrumque ſcit, ideſt qualiter cuncta ſint diſpoſita & quomodo opere conſummata & cuncta diſponere & opere conſummare, quam quæ alterum tantum, hoc eſt qualiter diſpoſita ſunt & opere conſummata. Maior

ergo ſcientia verbi quàm ſcientia hominis aſſumpti, in quo hominis aſſumpti dignitati nullo modo derogatur, ſed ſuæ naturæ ex hoc ipſo proprietas obſeruatur. Non enim ſolum propter corporis naturam dictum eſt quòd minor ſit Deo Trinitate ſecundum humanitatem, ſed etiam propter animam, nec ſolum ad ea quæ naturaliter habet homo aſſumptus id eſt referendum, verum etiam ad dona gratiæ id. tam ad ſcientiam quàm ad cætera quæ ei collata ſunt per gratiam.

De hoc quod quidam dicunt quod omnia ſcit homo aſſumptus quæ & verbum, ſed non tam clarè atque perſpicuè.

SVnt qui hominem aſſumptum omnia concedunt ſcire quæ & verbum, ſed non ita clarè neque perſpicuè ſicut & verbum. Sed ſi diligentius attendamus quod dicunt, hominem aſſumptum in ſcientia inferiorem verbo & æqualem faciunt. Quod enim quis alio clarius & perſpicacius, profectò & perfectius & expreſſius; quare & ſcientia eius de re illa maior eſt quàm illius qui rem eandem non tam clarè & perſpicaciter nouit. Quando dicitur, iſte clarius nouit rem iſtam quàm ille atque perſpicacius, ideo id dicitur quia rei natura vel qualitas ei magis nota eſt quàm illi. Si enim in nullo magis nota eſſet quàm alteri, non poſſet verè dici quod eam perſpicacius noſſet quàm alter. In vnius ſiquidem rei cognitione multum aliqui differre poſſunt, quia vnus multo profectiorem atque maiorem cognitionem poteſt habere & frequenter habet. Vnde nulla ratione dici poteſt, quod tanta ſit ſcientia rem minus clarè & perſpicuè cognoſcentis, quanta eſt illius qui eam clarius & perſpicacius cognoſcit. Si ergo hominis aſſumpti ſcientia hanc habet differentiam ad ſcientiam verbi aſſumentis, verum non eſt quod tanta ſit ſcientia hominis aſſumpti quanta & verbi. Si enim non ita clarè atque perſpicuè omnia ſcit vt verbum, aliquid eſt quod ei obſtat ad illam claram & perſpicuam habendam cognitionem de rerum natura quam habet verbum: quod quid ſit vel eſſe poſſit non facile demonſtrabitur, ſi homo aſſumptus totum & tantum de rerum natura cognoſcit quantum & verbum.

Vtrum Caro Chriſti in Adam ſubiecta fuerit originali peccato.

CArnem quam verbum aſſumpſit aſſerunt Quidam puram & ab omni labe corruptionis immunem fuiſſe tam in Adam quàm in aliis ex quibus Chriſtus deſcendit ſecundum carnem, quod authoritatibus & rationibus confirmant. Dicit enim Auguſtinus *quod Chriſtus carnem aſſumpſit de altitudine naturæ humanæ qualis fuit antequam peccaſſet*: & Apoſtolus, quod Leui decimatus eſt in lumbis Abrahę & non Chriſtus. Quod inquiunt, non dixiſſet Apoſtolus, ſi Caro Chriſti in Abraham contaminata fuiſſet. Nam ſi in eo contaminata fuiſſet, decimatione eguiſſet, ſicut & caro Leui. Item nonniſi mundam Carnem Chriſtus debuit aſſumere. Sicut enim anima eius omnes ſuperabat animas in puritatis naturæ excellentia, ſic decuit vt Caro quam aſſumpſit omnem humanæ carnis ſuperaret munditiam. Item ſi modo & more aliorum carnis hominum eius deſcenſus factus eſt ab Adam, fomitis Originalis labem in ſe habuit, & animabus vt aiunt, etiam perituris animata fuit, & ita multotiens digna extitit damnatione. Nefas eſt de Chriſto dicere quod Apoſtolus pro ſe & pro omnibus aliis dicit, omnes peccauimus in Adam. Quod qua ratione negabimus, non ſatis apparet ſi carnem Chriſti in Adam propter peccatum Adæ contaminatam fuiſſe concedimus.

Verum hæ authoritates & rationes non dico ad cogendum, ſed nec ad perſuadendum quod dicunt, aliquid habent. Quod enim dicit Auguſtinus de altitudine humanæ naturæ quam habuit Adam *ante peccatum* Carnem *Chriſti deſcendiſſe*, hoc propterea dicit quia ſine peccato eam aſsumpſit ſine quo fuit Adam ante tranſgreſſionem mandati: in qua altitudine fuit Adam quando nullum peccatum habuit. Quod autem dicit Apoſtolus *Leui in Lumbis Abrahæ* vt ita dicam *Abrahæ decimatus fuit & non Chriſtus*, non propterea hoc dicit quod Caro quæ poſtea Chriſti fuit, in Abraham ſine fomite culpæ originalis fuerit, ſed quia non ſecundum concupiſcentiam in Virgine concepta eſt, & ideo ſine peccato aſsumi potuit & aſſumpta eſt: ſed non ita Caro Leui quia in concupiſcentia genitus eſt & in pecca-

tis conceptus. Quod vero aiunt non decuiſſe verbum aſſumere niſi mundam & immaculatam, nobiſcum ſentiunt, quia hoc prædicamus & affirmamus, non quod ante aſſumptionem ſine macula fuerit, ſed quod aſſumendo eam mundauit & mundando aſſumpſit, atque ab omni cauſa peccati immunem fecit, adeo quod peccatum nullo modo in ea eſſe potuit. Cauſam autem peccati hîc appellamus corruptionem ex quo peccatum originale atque actuale in anima naſci ſolet, àqua immunis fuit Caro Chriſti, ſimilitudinem tamen habens carnis peccatricis, ideſt mortalitatem, paſſibilitatem cum ſuis affectibus, ideſt eſurie, ſiti, dormitione & cæteris quæ peccatum induxit & corruptione ſui naturæ humanæ inflixit. Talem quippe carnem eum aſſumere decuit & neceſſarium fuit, quam pro natura humana redimenda dare pretium potuiſſet: hoc autem fieri non poſſet ſi aut peccatum habuiſſet, aut ſi Caro ipſa aſſumpta immortalis & impaſſibilis extitiſſet. Si enim peccatum haberet homo aſſumptus, alios redimere non poſſet, ſed ipſe redemptione eguiſſet. Si vero immortalem & impaſſibilem aſſumpſiſſet, pro aliis ſatisfacere, id eſt pœnam nobis debitam ſuſcipere non poſſet, nec exſoluere quod non rapuit, id eſt pœnam & mortem ſubire quam non meruit.

De obumbratione virtutis Altiſſimi in Virgine.

VIrtus, inquit Angelus, *Altiſſimi obumbrabit tibi*, ideſt filius Dei, quem concipies & in vtero habebis. Eſt autem vmbra medium & remedium inter nimiam frigoris aſperitatem & caloris immoderatum feruorem, vt qui in vmbra ſit, neutrius patiatur iniuriam, id eſt nec nimij frigoris, nec immoderati caloris. Vmbra ſiquidem eſt nimij frigoris & immoderati caloris gratum temperamentum vtriuſque propellens intemperiem, quod totum factum eſt in Virgine. In ipſa enim vmbra fecit virtus Altiſſimi, quæ eam totam temperauit & obumbrauit, vt nullius etiam propaſſionis motum ſentire poſſet, quod effecit vmbra ex lumine Diuinitatis & carne quam aſſumpſit, orta: vmbra ſiquidem fit ex corpore obiecto lumini. Ex eo enim quod carnem aſſumpſit de Virgine verbum Dei, Virgo carnis omnem illicitum motum extinctum habuit. Verum ante obumbrationem virtutis Altiſſimi non tantum immunitatem peccati habuit, quia in eius carne culpæ originalis macula quantulacunque fuit, à qua carnem quam verbum aſſumpſit, mundari neceſſarium fuit. Nec hoc dico quod à corruptione ex qua peccatum oriri ſolet, totam Virginis carnem adeo mundauerit, quemadmodum illam quam aſſumpſit. Nulla enim caro naturæ humanæ carni aſſumptæ à verbo in immunitate peccati æquari poteſt, per quam omnis alia humana caro à vinculo peccati erat liberanda.

Quare filius virtus Altiſſimi ſpecialiter vocatur.

VIrtus Altiſſimi autem filius eſt; per ipſum enim Pater operatur, quia *Altiſſimus* ſæpe quaſi proprio nomine nominatur, quemadmodum dicit alibi Pſalmiſta. *A ſummo cœlo egreſſio eius vſque ad ſummum eius.* **Summum Cœli vocat** Patrem, non quia in aliquo, filio altior ſit vel ſuperior, ſed quia ipſe ſolus eſt qui ab alio non eſt & à quo omnia alia ſunt. Qua etiam de cauſa eum Angelus Altiſſimum dicit, cuius virtus filius dicitur & eſt, non quod Pater ab eo fortitudinem habeat, ſed quia per eum omnia operatur. Quod ſi Spiritui S. quis hoc idem velit conuenire, vt hac de cauſa poſſit & ipſe dici Patris virtus, quia per ipſum Pater omnia ſimiliter operatur, dicimus non eſſe neceſſarium. Non enim ſemper identitatem cauſæ ſequitur effectus identitas. Sicut enim Philoſopus dicit, *in vico dicuntur plures homines eſſe, in Ciuitate tamen pauci, licet omnes qui in vico ſunt, ſint in Ciuitate*, Mille enim homines cauſa ſunt, quare in vico dicuntur eſſe multi, non tamen in Ciuitate. Talia ſiquidem prædicta ſunt, qualia eſſe ſubiecta permiſerim. Quandoque verò eadem cauſa eundem in diuerſis habet effectum, tamen nuncupatio eadem non vtrobique ſequitur eo quod nec authoritas nec vſus eandem conſueuit accipere. Sic enim *Manna* Chriſtum ſignificabat, vt Petra de qua producta eſt aqua; non tamen dicimus, *Manna erat Chriſtus*, licet dicamus *quia Petra*

erat

erat Chriſtus. Licet ergo ſit vtrobique cauſæ identitas, tamen quia authoritatem quam ſequamur, non habemus, nec vſum, non vtrumque recipimus ſicut alterum. Hæc eadem cauſa ſufficere videtur quare non debeamus dicere *quod Spiritus S. virtus ſit Patris*, quia nec ſcriptura hoc dicere conſueuit, nec vſus Eccleſiaſticus; quem non ſolum non tranſgredi, ſed ſumma cum veneratione ſequi debemus. Poteſt & alia cauſa conueniens & ſatis idonea aſſignari, quare Filius virtus Patris dicatur potius quàm Spiritus S. In omnibus enim operibus, quæ etiam homines agere ſolent, ſapientia tenet principatum. Fortitudo nempe in nullis operibus ſine ſapientia aliquid magnum & ordinatè explere valet, ſapientia autem abſque fortitudine corporali multa & magna, & pro difficultate admiratione digna ſœpiſſimè operatur. Vnde & hominum ſapientia non immerito eorum virtus appellatur. Similiter quia in Dei operibus tam conditionis quàm reparationis ſapientia genita maximè innoteſcit, meritò nomine virtutis Dei eſt ſignificata: qua de cauſa Spiritus ſanctus virtus Dei non potuit appellari, cuius bonitas etſi in omnibus pariter operetur, non tamen ex ipſis æquè apparet, vt ſapientia Dei.

Quare Conceptio Filij ſoli Spiritui ſancto adſcribatur.

SVper conceptione Carnis Chriſti multi faciunt Quæſtionem, quare Spiritui S. potius quam Patri vel Filio adſcribatur, cum ipſa commune ſit & indifferens opus Trinitatis: quod ideo fit, vt quibuſdam viſum eſt, vt per hoc Conceptio ipſa ex ſola & ſingulari bonitate gratiæ Dei facta eſſe memoretur. Quæ tantum donum gratiæ fuit quod nullum meritum, nulla hominis cogitatio attingere potuit. Nominationis verò hæc poteſt eſſe cauſa & non rei, dicti non facti, quare ſcilicet de Spiritu S. dicatur eſſe conceptus, & non quare ſit. Quod Quidam intelligentes cauſam rei & facti, ſubtiles ſatis & vt videtur, probabiliter his verbis aſſignant, *in commixtione maris & fœminæ ſola quædam & naturalis dilectio conceptionem prolis operatur.* Amor ſiquidem viri in muliere & mulieris in viro agere ſolet vt quia in altero ſolum ſufficiens natura non eſt, alterutrum ſibi per dilectionem ſubueniat, vt quod in neutro per ſe potuit, in vtroque cum altero per ſe poſſit. Semen ergo partus humani mulier ſola concipit, licet à viro ſimul & à muliere ſimul ſeminetur, quod ipſa natura per mutuum amorem vtriuſque operatur, & tamen de ſolo viro dicitur concipere, quanquam tam de ſe quàm de viro accipiat vnde fœcundatur. Non enim ſolum hoc de viro concipit quod de viro accipit, ſed hoc etiam de viro concipit, quod ex ſe per amorem viri accipit. Beata verò Maria de Spiritu S. concepit, non quod de ſubſtantia Spiritus S. ſemen acceperit, ſed quia per amorem & operationem Spiritus S. natura ſubſtantiam partui ex carne Virginis miniſtrauit. Amor enim Spiritus S. in corde Virginis ſingulariter & ineffabiliter ardens quiddam ſingulare & ſine exemplo in ea operabatur, carnem à carne ſeparans & ſine virili ſemine viri conceptionem operans. Qui verò talem aſſignant cauſam, ſignificare videntur in ipſa conceptione Virginis Spiritum S. quiddam propriè & ſingulare operatum eſſe, quod nec verum eſt, nec pro vero habendum. Nihil enim Spiritus S. in conceptione Virginis operatus eſt, aut aliter quàm Pater & Filius. Illa autem ſententia quæ ideo non vult dictum eſſe de Spiritu S. Virginem concepiſſe quod de ſolo eo concepit, ſed quia eo nominato Pater & Filius in eadem operatione pariter intelligendi ſunt, velle videtur de tota Trinitate Virginem concepiſſe. Quod ſi quis recipiendum putat, recipiat oportet, quod de Patre & Filio Virgo conceperit, quod in auribus piis nequaquam ſuauiter ſonat. Hoc enim verbum, Virgo de Patre concepit, ſignificat Deum Patrem in Virgine Filium genuiſſe, quod deteſtabilem habet falſitatem, ſed nec à filio concipere potuit, quia nec à ſeipſo idem concipi poteſt, nec alius ab eo eius operatione in Virgine conceptus eſt. Propter eiuſmodi fortaſſis inconuenientia vitanda dictum eſt, quod Virgo de Spiritu S. concepit & non de Patre vel filio. Eſt & forſitan in huiuſmodi operationibus, quas Spiritui S. Scriptura Sacra attribuit proprietatis Spiritus S. ſingularitas & non patris ac filij, quod in quibuſdam aliis operibus, quæ toti Trinitati communia ſunt, manifeſtum eſt. Carnis enim aſſumptio tantum filij eſt, quam tamen Doctores fidei Catholicæ teſtantur, tota Trini-

tas operata eſt, quia licet ſolus filius in carne aſsumpta proprietate fuerit, pater tamen & Spiritus S. non defuerunt maieſtate. Solus quoque Spiritus ſanctus ſuper Dominum in Columbæ ſpecie & ſuper Diſcipulos in igneis linguis ſcribitur deſcendiſſe. Totum tamen quod hîc & ibi factum eſt, totius commune & indifferens opus fuit Trinitatis. Vtraque deſcenſio totius Trinitatis opus fuit, quare tamen neutra Patris eſse dicatur aut filij, ſed ſolius Spiritus S. cauſa eſt, quæ præter ipſius perſonalem proprietatem non facile poteſt aſſignari. Si quæris quomodo Spiritus S. proprietas perſonalis cauſa ſit, quare ſolus deſcendiſſe dicatur, dico quia inexplicabilis eſt, quemadmodum & Proceſſio eius à Patre & filio per quam alia perſona eſt quàm Pater & filius. Amoris autem à Patre & filio procedentis expreſſiſſima ſigna ſunt operationes illæ, in quibus Spiritus ſancti perſona deſignatur. Ipſe namque Spiritus ſanctus amor eſt ab vtroque procedens, id eſt à Patre & filio: & hæc eſt cauſa, quare Spiritus ſanctus dicatur & ſit deſcenſio ſolius Spiritus ſancti propria, quia cum nullo eam habet communem, id eſt nec cum Patre nec cum filio. Horum itaque conſideratione diligenter inſpecta manifeſtum fieri poteſt, quare Virgo de ſolo Spiritu ſancto dicatur concepiſſe, licet conceptio non ſolius Spiritus ſit operatio.

Quod filius Virginis filius Spiritus S. dici non debet, quamquam de Spiritu S. conceptus ſit & natus.

QVærit aliquis *quare Virginis filius, Spiritus S. Filius non dicatur, cum de Spiritu S. conceptus ſit & natus.* Ob hoc enim homo hominis filius dicitur, quod de ipſo concipitur & naſcitur. Adhanc interrogationem ſanctorum Doctorum ſufficiens eſt facta reſponſio. Inquit enim B. Auguſtinus *multa in multis naſci tam in inſenſibilibus quàm in ſenſibilibus, quæ tamen eorum filij vel filiæ nec ſunt nec dicuntur, cuiuſmodi ſunt capilli capitis, vngues digitorum, pediculique qui naſcuntur ex nobis.* In hac autem locutione, Chriſtus de Spiritu S. conceptus eſt vel natus, *de* ſiue *ex* non eſt materialis cauſæ deſignatiuum, ſed cuiuſdam excellentiſſimi doni Spiritus S. expreſſiuum. Non enim de ſubſtantia Spiritus S. conceptus eſt & natus, ſicut de ſubſtantia Virginis matris eius, de qua licet ſolam carnem aſſumpſerit, ipſa tamen non ſolam carnem concepit ſed hominem & Deum. Quando enim Virgo concepit, caro ſine anima non fuit, nec homo in Virgine ſine Deo, & ideo hominem ſimul & Deum concepit, ſicut hominem ſimul & Deum peperit. Vnde & Mater hominis & Dei ipſa dicitur & eſt: filium quippe Dei concepit, quia filius Dei de ea carnem ſuſcepit, & ex carnis ſuſceptione Dei filius factus eſt Virginis filius duas habens natiuitates, vnam æternam à Patre, alteram temporalem à Matre. Primâ de Patre abſque omni cooperatione Spiritus S. eſt natus, ſecundâ ſine Patre de ſolo Spiritu ſancto in Virgine eſt conceptus. Sicut ad Ioſeph de ipſa dictum eſt per Angelum, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.*

Contra eos qui Virginem peperiſſe naturam pati non poſſe dicunt.

NAtura quid ſit & vnde quidve poſſit, non ſcit nec ſcire poteſt mundi Philoſophus, niſi per conſuetos effectus rerum & quandam euentuum experientiam. Cum ergo partum Virginis negat, non ob aliud negat, niſi quia ex conſueto curſu partum naturæ talem contingere non nouit. Quod nihil habet probabilitatis & neceſſitatis minus: ſiquidem potentiæ Dei rerum natura obuiare non poteſt, quæ & ipſam naturam fecit & gubernat, & quantum illa ſinit, progreditur atque regreditur, & ſupra & contra ipſam quando Deus vult, operatur. In operibus enim conditionis talia facta ſunt, quando facta ſunt & formata, quæ nulla rerum natura fieri poſſunt. Ibi enim homo ſine conceptione & muliebri partu creatus eſt & ſine virili commixtione de terra plaſmatus. Ibi & fœmina de viro ſine fœmina eſt formata. Hanc operationem qua vir ſine viro & fœmina factus eſt, & fœmina de viro ſine fœmina eſt formata, nulli naturæ rerum Philoſophus adſcribere poteſt. Eam tamen fuiſſe negare non poteſt. Quare ergo virum de fœmina ſine viro genitum eſſe negabit, qui fœminam de viro ſine fœmina factam eſſe non negat? non enim ſecundum naturam impoſſibilius eſt illo.

Hoc autem ideo Deus facere voluit inter opera conditionis, ne dubitaretur ſimilia poſſe inter opera reparationis. Intueamur & radium ſolis, nonne per feneſtram vitream intrat & exit omni integritate feneſtræ remanente? ſic & filius Dei Virginis vterum introiuit & egreſſus eſt. Animata quoque & ſenſibilia ſine coitu creari & gigni videmus veluti vermes. Vnde & Chriſtus ſe vermem vocat in pſalmo dicens, *Ego ſum vermis & non homo*, hac videlicet ſimilitudine, quia ſicut vermis de terra ſine ſemine aliunde ſuſcepto gignitur, ſic Chriſtus de Virgine Matre ſine virili ſemine eſt procreatus. Per ea ergo quæ quotidie fiunt & ab initio facta ſunt doceri poteſt philoſophus, quod non fuit impoſſibile virginem concipere & parere. Sed & Iudæus, qua fronte illud euenire potuiſſe negabit qui legit in Moyſe Rubum ardere & non comburi, & virgam Aaron à radice exciſam in noctis vnius ſpatio fronduiſſe & floruiſſe & amigdala peperiſſe? Quid itemfuit Deo impoſſibilius virginem parere, an aſinum verba humana proferre? Chriſti deſcenſum in Virginem Dauid his verbis prædixit futurum dicens, *deſcendet ſicut pluuia in vellus & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Vellus pluuia non rumpit, ſed cum ſumma leuitate in ipſum cadens etiam ſi quam in eo reperit maculam tollit; ſic Dei filius in vterum deſcendit Virginis ſine Virginalis pudoris læſione ipſamque ab omni culpæ labe purgauit. Stillæ verò ſic ſuper terram cadunt, quod eam ex ſui fœcunditate ſine cooperatione hominis germinare faciunt, quod bene deſcenſioni filij Dei in Virginem conuenit, quia ei fœcunditatem concipiendi abſque hominis operatione & habilitatem germen producendi contulit. Ex his igitur quæ inter opera conditionis facta ſunt & quæ in figura in populo Iudaico fiebant, tam Philoſophoquàm Iudæo poteſt monſtrari, quod nec conceptus Virginis, nec partus Deo eſt impoſſibilis.

Quare ſolus Filius dicatur Carnem aſſumpſiſſe.

MOuent ſuper incarnatione filii Quæſtionem quæ & ſuper Conceptione eius ſuperius mota eſt. Quæritur enim quare ſolus filius dicatur Carnem aſſumpſiſſe, cum ipſa carnis aſſumptio totius opus ſit indifferens Trinitatis. Quod enim tota Trinitas, communiter & ſimiliter operatur, quare ſingulariter vni perſonæ adſcribitur? Citharam inquit B. Auguſtin. *reſpice, in qua tria pariter ad ſoni redditionem cooperantur, ars, manus & chorda, Ars enim docet chordam tangere: manus tangit, chorda tangitur, cuius ſolius dicitur ſoni redditio licet non ſola ſonum operetur.* Item idem anima & ratio vna ſubſtantia ſunt, & tamen aliud agit ratio & anima. Nam ratio ſapit, anima viuit. Ad rationem enim pertinet ſapientia, ad animam vita: ſed & in vulgari exemplo aliquantulum expreſſam habemus ſimilitudinem. Poſſunt aliqui duo tertium ſe armis inuentem induere; Vnde & induitio armorum licet trium pariter opus ſit, vnus tamen ſolus arma induit & dicitur induere. Sicut ergo verum non eſt quod iſti arma induant, licet induitionem illam operentur, ſic verum non eſt quod pater & ſpiritus S. carnem aſſumpſerint, quamuis in aſſumptione communiter operati ſint. Hoc enim eſſet, quod vterque eorum in propria perſona carnem aſſumpſiſſet. Exempla vero illa quæ de cithara & anima præmiſſa ſunt, vt ad propoſitum aliquam habeant ſimilitudinem, circunſpectâ intelligentiâ accipienda ſunt. Non enim indiuidualiter & ſingulariter idem operantur Ars, manus, chorda: manus ſiquidem chordam tangit, quod nec ars facit nec chorda. Chorda vero ad tactum manus ſonum reddit, quod nec ars facit nec manus. Et ita ſecundum quiddam aliud eſt opus Artis, aliud Chordæ. Idem tamen operari dicuntur, quia operatio eorum in eodem effectu id eſt in ſoni redditione terminatur. Hoc autem de operibus Trinitatis dici non poteſt, quia in omni opere cauſaliter & formaliter idem numero operantur Pater & filius & ſpiritus S.

Quod autem eadem ſit Eſſentia rationis & animæ, in admodum paucorum æſtimatione eſt, quod tamen etſi recipiatur, non poteſt veraciter dici quod aliud agit anima & aliud Spiritus S. ſed omnino idem & ſimiliter, quia prorſus idem ſunt in eſſentia. Hæc vero operationis identitas in nullis Creaturis inueniri poteſt quæ eſt in operibus Trinitatis. Vnde per nullum ſimile quod in rebus haberi poſſit, oſtendi valet totum quod in operibus eſt Trinitatis, ſufficit tamen ad doctrinam faciendam aliqua eatenus ſimilia eſſe, quatenus ſunt comparanda. Non

enim B. Auguſtinus exemplum illud de cithara ideo proponit, quod omnimodam habeat ſimilitudinem, ſed qualem res facta ad opus factoris poteſt habere: tria ſiquidem illa eſsentiam ſoni operantur quamuis diſſimiliter, ſolius tamen chordæ ſonus eſt & non alterius, ſic & aſſumptio Carnis licet totius ſit indifferens operatio Trinitatis, ſolius tamen Filij eſt: quia ſolus ſecundum proprietatem perſonæ incarnatus eſt.

Vtrum concedendum ſit Diuinam ſubſtantiam incarnatam eſſe.

SVnt qui Diuinam ſubſtantiam incarnatam eſſe non concedunt, authoritati cuidã innitentes & rationibus non nullis vt videtur. Scriptum eſt enim quod commune eſt Trinitati Incarnatum non eſt, Diuina vero ſubſtantia eſt & ſola quæ toti Trinitati communis eſt, quare eadem incarnata non eſt. Item quomodo poſſet eſſe incarnata, niſi caro facta eſſet? Item eodem modo & non alio Diuina ſubſtantia Carnem aſſumpſit quo filius Dei. Alio enim dici non poteſt. Ergo ratione eadem dici debet homo qua & filius Dei. Qua enim de cauſa eam hominem eſſe negabimus & non filium Dei? Ex homine namque ſibi vnito dicimus filium Dei hominem eſſe, quem eodem modo vt credimus, Diuina ſubſtantia ſibi vniuit: quare ipſa homo facta eſt & homo dici debet. Ad quod conſequens erit quod Diuina ſubſtantia viſibilis fuit, paſſibilis & mortalis: hæc enim omnia de filio Dei concedimus.

Primò igitur Authoritati quam inducunt reſpondentes dicimus, quia ea cum iis non facit. Sic enim intelligendum eſt quod dicitur, *Quod commune eſt Trinitati, incarnatum non eſt*: hoc eſt Caro 3. perſonis communis non eſt, vel Diuina ſubſtantia ſecundum quod communis eſt tribus perſonis, incarnata non eſt, ſed ſecundum ſolius filii proprietatem. Ipſa enim in ſola perſona filii incarnata non eſt, nec tamen caro facta, nec homo facta: hoc enim eſſet quod in humanam ſubſtantiam conuerſa eſſet, quod falſum eſt & impoſſibile. Illud verò nihil neceſſitatis habet nihilque veritatis quod dicunt, quia ſi eodem modo Diuina ſubſtantia incarnata eſt, quo & filius, eadem de cauſa debet dici homo, debet dici facta caro qua & filius. Non enim ſemper cauſam eandem idem ſequitur effectus, vt ſuperius oſtenſum eſt, nec ſemper verbis eiſdem poteſt aſſignari. Filius enim Dei dicitur Patre minor ſecundum humanitatem, quia eam ſibi perſonaliter vniuit, quod de Diuina ſubſtantia dici non conuenit, licet cauſa eadem ei conueniat. Idem eſt res inſenſata, talis & Petra, non tamen quanquam verum ſit, Petra erat Chriſtus & verum eſſe debet res inſenſata talis erat Chriſtus. Cauſa tamen eadem eſt, ſcilicet ſignificatio. Res enim talis videlicet Petra Chriſtum ſignificabat, non nomen Petra. Et propter ſolam ſignificationem dictum eſt. *Petra erat Chriſtus.* Nec tamen dicendum eſt, res talis erat Chriſtus & quia vſus hoc habet, nec authoritas ſcripturæ quam ſequamur. Quod vero Diuina natura ſiue ſubſtantia incarnata ſit, rationibus multiſque authoritatibus oſtendi poteſt. Ait enim de Chriſto Apoſtolus *in quo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter*, ſingularem & ſpecialem **inhabitandi modum deſignat Apoſtolus**, non illum quo Diuinitas in omnibus eſt per eſſentiam, nec illum quo in electis per gratiam: quis ſit vero modus iſte non facile quiſpiam aſſignabit, ſi Diuinitatem hoc eſt diuinam ſubſtantiam incarnatam eſſe negabit. Ioannes autem Damaſcenus ait omnem & perfectam naturam Diuinitatis in vna eius hypoſtaſeon incarnatam eſſe. Illud idem Auguſtinus. *Cum legitur Verbum Caro factum eſt* in verbo intelligo verum Dei filium in carne. Agnoſco verum hominis filium, & vtrumque ſimul Deum & hominem inæſtimabilis gratiæ largitate coniunctum. Idem alibi. *ſacramentum Eccleſiæ duobus conſtat, ſacramento & re ſacramenti, ſicut Perſona Chriſti conſtat ex Deo & homine.* Item in 1. lib. de Trinit. *Seipſo Chriſtus minor factus eſt* formam ſerui accipiens: neque enim ſic accepit formam ſerui, vt amitteret formam Dei in qua erat *æqualis Patri, vt in forma Dei & in forma ſerui idem ipſe ſit vnigenitus Patris, quia forma Dei accepit formam ſerui.*

Quid verò formæ nomine intelligi debeat, declarat ipſe in lib. de fide ad Petrum. *Cum*, inquit, *de Chriſto audis, quia in forma Dei erat, oportet te agnoſcere firmiſſimèque tenere in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi.* Hilarius

quoque. *Eſſe in forma Dei non alia intelligentia eſt quàm in Dei eſſe natura.* Si ergo per formam natura ſignificatur, & forma formam ſuſcepit, neceſſariò ſequitur quod natura naturam aſſumpſit. Quod & Hieronymus in explanatione fidei euidenter explanat dicens, *Paſſus eſt filius Dei non putatiuè ſed verè. Paſſus eſt ſecundum illud quod pati poterat, id eſt non ſecundum illam ſubſtantiam quæ aſſumpſit, ſed ſecundum illã quæ aſſumpta eſt.* Et Gregorius *Venit ad nos calciata Diuinitas, hoc eſt incarnata.* Diuinam vero ſubſtantiam ſiue naturam incarnatam eſſe & humanam naturam aſſumpſiſſe ſiue perſonaliter ſibi vniſſe, eiuſdem intelligentiæ eſt. Quod enim à filio aſſumptum eſt & à filio ſibi vnitum in identitate perſonæ, illud idem à Diuina natura ſiue ſubſtantia aſſumptum eſt, & Diuinæ naturæ vnitum in identitate perſonæ.

Quid à quo ſit aſſumptum.

PRæterea quæri ſolet quid à quo ſit aſſumptum: ideſt an Perſona à perſona, vel à ſubſtantia: an ſubſtantia à perſona vel à ſubſtantia. firmiſſimè tenendum eſt, nec eſt inter Catholicos habendus quiſquis aliud ſapuerit, quod perſona naturã & natura naturam ſiue ſubſtantiã aſſumpſerit. Nefas eſt enim dicere quod Perſona à perſona ſiue à ſubſtantia ſit aſſumpta. Nempe ſi perſona aſſumpta eſſet, aut ipſa Deus non eſſet, aut 4. Perſonæ in Trinitate eſſent, & iam non poſſet dici in diuinitate Trinitas, ſed quaternitas. Neque enim perſonæ duæ perſona vna eſſe poſſunt, ſicut nec vna duæ, quia nec perſona æterna temporalis. Natura itaque humana aſſumpta eſt non perſona, quod omnium habet aſſertio. Quid tamen per humanam naturam intelligi debeat, non eſt prætereundum ſilentio.

Quid per Naturam humanam intelligendum ſit ſecundùm quoſdam quando dicitur verbum eam aſſumpſiſſe.

QVærunt qui humanam naturam à verbo Dei aſſumptam hominem ex anima rationali & carne humana conſtantem appellabant, in hoc quidem ſan.è ſentientes: ſed perſonam quandam ex homine & verbo conſtare dicebant, quæ tamen nec homo erat nec verbum, in hoc à fide Catholica deuiantes perſonam illam Deum eſſe & hominem fatebantur, non tamen & Deum & hominem: & illa propriè Chriſtus dicebatur. Opinio hæc, imò error & hæreſis quia exſpirante authore ſuo expirauit, eam proſequi neceſſarium non eſt nec perſequi. Sunt & alii qui per naturam humanam nec hominem nec animam & corpus intelligi volunt, ſed ſolam proprietatem, ex cuius participatione aliquid eſt homo, quam humanitatem vocant, quæ ex diuerſis proprietatibus corporis ſcilicet & animæ conſiſtit. Et participatione huiuſmodi proprietatis verbum Dei humanæ naturæ dicunt eſſe, & inde hominem & quendam hominem. Sed cum hæc humanitas ex cuius participatione verbum Dei homo eſt vt dicunt, forma ſit, & forma eſt alicuius ſubſtantiæ, perſona enim forma & non ſubſtantiæ **eſſe non poteſt. Quare aut in Diuina ſubſtantia erit aut in humana: ſiquidem ver**bum nulla ſubſtantia eſt niſi diuina vel humana. In Diuina vero ſubſtantia humanitas eſſe non poteſt, quia ipſam hominẽ eſſe impoſſibile eſt. Eſt ergo in humana: ergo humana tantum ſubſtantia ea homo eſt, & non ea verbum homo eſt. Quando ergo verbum Caro factum eſt, humana natura factum eſt, ſed non participatione humanitatis quæ forma eſt, ſed vnione cum humana ſubſtantia facta, non humanitatis informatione. Si enim humanitatis informatione verbum homo fuit, & eſſentialiter homo fuit & non ſolum perſonaliter; ſed vt ita dicam, ſubſtantialiter. Forma etenim quæ humanitas eſt, in nullo poteſt eſſe in quo non poſſit eſſe corporeitas: hæc autem in nullo poſſunt eſſe, quod non ſit ſuſceptibile contrariorum. Quare neutrum iſtorum in verbo poteſt eſſe tanquam in ſuppoſito. Hoc enim eſſe non poſſet, niſi in indiuidua ſubſtantia eſſet.

Item quæri poteſt an ipſa Creatura & Verbum Dei vnum & idem ſubſiſtens ſint eius formæ, quam Chriſti humanitatẽ appellant. Si enim huius humanitatis vnum & idem ſubſiſtens ſunt creatura illa & verbum, non poſſet creatura illa eius ſubſiſtens eſſe, quin eiuſdem ſubſiſtens eſſet & verbum. Siquidem forma eadem vna

numero ſicut nec in diuerſis tempore eodem ſubiectis eſſe poteſt, ſic nec vnum relinquere & tranſire ad aliud. Quod ſi forma hæc in Creatura illa eſse non poſset, niſi eſset in verbo, nec creatura illa homo eſse poſset niſi verbum homo, quod indubitanter falſum eſt. Item ſi in verbo eſt forma illa aut ſecundum ſe totum ei ineſt, aut ſecundum aliquid quod eius eſt: ſi ſecundum ſe totum ei in eſt, procul dubio & in diuina ſubſtantia eſt: ſecundum aliquid vero quod eius ſit, ei ineſse non poteſt: niſi ſecundum hominem quem aſsumpſit: quare & ipſi homini primùm & principaliter ineſt. Ergo non participatione huius formæ verbum homo eſt, ſed vnione facta cum homine qui ea participat.

Aliorum de eodem Aſſertio.

SVnt & alij qui per Naturam humanam nihil aliud intelligere volunt, niſi animam humanam & corpus humanum. Ex ipſa tamen anima Chriſti & corpore nullum vnum factum eſſe, nec verbum aliquid factum eſſe, quia homo factus eſt, nec aliquid verbũ eſſe, quia homo verbum eſt. DICŨT enim quia nihil aliud eſt verbum hominem eſſe, quam verbum animam & carnem ſibi vnitas habere. Ob hoc etiam vt aiunt homo dicitur aſſumptus à verbo in identitate perſonæ, quia perſonarum numerus auctus non eſt & propter hominis aſſumptionem. Ideo autem ex anima Chriſti & carne eius nihil eſſe factum volunt, quia nec ſubſtantia ex eis fieri potuit nec non ſubſtantia. Ex ſubſtantijs enim quod ſubſtantia non ſit, fieri non poteſt: quod ſi ex eis ſubſtantia facta eſt, & humana; alia enim non poteſt: quare & ſubſtantia quæ homo eſt, ex anima illa & carne facta eſt. Ergo & perſona aliqua, ſed non alia quàm humana, quia nec Diuina nec Angelica. Si verò perſona humana, ex conjunctione illa animæ & carnis facta eſt, cum Chriſtus illa perſona ſit, quia Deus & homo eſt Chriſtus, duæ perſonæ erit, Diuina ſcilicet & humana. Item ſi ſubſtantia aliqua ex coniunctione illa animæ & Carnis facta eſt, & illa Deus eſt, ſubſtantia aliqua Deus erit, quæ ab æterno non fuit: quare aliquid Deus eſt quod non ſemper Deus fuit. Ad quod conſequens videtur aliquid recens Deum eſſe, & quod Deus ſit aliquid recens; quod eſt contra illud *Non erit in te Deus recens.*

Inferunt etiam quia ſi humana ſubſtantia tertia eſt in Trinitate perſona, ergo eſt Diuina ſubſtantia. Addunt præterea quod nec audiendum eſt, quia ſi filius Dei humana ſubſtantia facta eſt, potuit filius Dei filia hominis fieri, quia ſicut hominem in virili ſexu aſſumpſit, ſic & in muliebri potuit aſſumpſiſſe. Poteſt adhuc & à parte iſtorum addi, quod prædictis omnibus videtur eſſe validius, Chriſtus in triduo mortis ſuæ homo fuit, quia ſicut ſcriptum eſt *hominem quem aſſumpſit nunquam depoſuit.* Eadem verò ratione in triduo illo homo fuit & homo dici potuit, quâ & ante mortem, Verùm tunc non ideo homo dici potuit, quod ipſe tunc aliqua ſubſtantia eſſet conſtans ex anima & carne, ſeparata enim erant ab inuicem anima & caro: nec aliquid conſtabat ex eis. Si autem ex eis aliquid prius conſtabat, illud procul dubio eiſdem ſeparatis diſſolutum fuit & eſſe deſijt, quare nec tunc Chriſtus homo ille fuit, nec homo ille Chriſtus. Ad quod cõſequẽs erit **Chriſtũ hominem quem aſſumpſit, in morte depoſuiſſe. Solẽt etiam ad** id confirmãdum quod dicunt, authoritates ſed paucas inducere: quarũ vna eſt illa Auguſtini, qui diſtinguens *modos habendi* ſuper Apoſtolum, vbi dicit, *Et habitu inuentus vt homo*, ait inter cætera *Quartum genus eſt, cum ea quæ accidunt, mutantur non à ſua natura, ſed aliam ſpeciẽ* & formã accipiunt: vt eſt veſtis, quæ deiecta atque depoſita non habet eam formam quam ſumit induta. Quod *genus congruit huic noſtræ comparationi. Dei enim filius ſemetipſum exinaniuit formam ſuam non mutans, ſed formam ſerui accipiens, neque conuerſus aut tranſmutatus in hominem, ſed habitu inuentus eſt vt homo, id eſt habendo hominem inuentus eſt vt homo*, non ſibi ſed eis quibus in homine apparuit. Nomine ergo *habitus* ſatis ſignificauit Apoſtolus *qualiter dixit in ſimilitudine hominum factus*, quia non in transfiguratione in hominem, ſed habitu factus eſt, cum indutus eſt hominem quem ſibi vniens quodãmodo atque conformans immortalitati æternitatique ſociarat. Hilarius quoque idem atteſtatur dicẽs *Non fuit habitus ille hominis tantum, ſed vt hominis; neque Caro illa peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati.* His authoritatibus cum rationibus prædictis conſtare volunt ex anima Chriſti & carne nihil fuiſſe conſtitutum, quod homo Chriſtus

Ieſus extiterit. Vnde quia in parte hac pia fides non conſentit, quomodo ſit eis reſpondendum, pro modulo noſtro videamus.

Ad prædicta reſponſio. Et quod ex anima & carne non ſubſtantia conſtet ſed perſona.

EX anima Chriſti & carne ſubſtantiam aliquam compoſitam eſſe probant, ſi quidex eis dicatur eſſe compoſitum, quia ex ſubſtantiis non niſi ſubſtantia poteſt habere compoſitionem. Ergo cum omnem hominem ex anima rationali & humana carne conſtitutum eſſe concedunt, & eos ex quacunque coniunctione animæ rationalis & carnis humanæ ſubſtantiam aliquam conſtare fateri oportet. Aliter enim nulla eſt eorum probatio. Subſtantia ergo Pauli quæ & Paulus eſt & Perſona Pauli, ex anima & carne compoſita eſt. Verum an hæc corporea ſit, an incorporea, non ſine cauſa quæritur. Si enim corporea eſt, pars eius anima eſſentialiter eſſe non poteſt, neque formaliter vel materialiter. Spiritus enim eſt anima & ideo corporis pars eſſe non poteſt, nec cum aliqua corporis parte coniungi ad corpus cuius pars eſt, conſtituendum. Si enim ideo pars Corporis dici debet quia ipſum vegetat & anima erit & ipſa pars cuiuſlibet corporis partis quam eadem vegetat & animat. Ad quod conſequens erit ex anima rationali & corpore aliquid conſtitui quod homo non erit, quia ex anima & pede, vel ex anima & manu, ſicque de ſingulis corporis partibus quod apertè falſum eſt. Item cuius corporis anima pars eſt, illius quod in vtero Matris concipitur, formatur, ſenſificatur, an alterius? Sed illud integralem habet compoſitionem nihilque ei deeſt antequam anima ei infundatur, totumque & integrum id remanet quando anima ab eo ſeparatur: illius ergo anima pars nec eſt, nec eſſe poteſt. Aliud vero corpus non credo poſſe reperiri, cuius pars anima poſſit dici. Non ergo ex coniunctione animæ & corporis ſubſtantia aliqua compoſita eſt, cuius anima pars ſit vel eſſe poſſit. Quod enim quidam prætendunt ad ſententiæ huius confirmationem omne ſcilicet incorporeum in incorporea reſolui poſſe, ſicque omne corporeum conſtare ex incorporeis, nihil eſt: ſi enim corpus aliquod conſtaret ex incorporeis, ſequeretur vel illa incorporea colorata eſſe viſibilia & palpabilia: vel aliquod corpus coloratum eſſe viſibile & palpabile, & nullam eius partem.

Illa ſiquidem ſola partes ſunt corporis in quæ reſolui poteſt. Item illæ primæ corporis partes quas ipſi incorporeas dicunt res, cuius erunt prædicamenti? Qualitates eſſe non poſſunt nec quantitatis: ſiquidem ex eis ſolis corpus nullum conſtare poteſt. Aut ergo ſubſtantiæ ſunt, aut res omnino nulla videntur eſſe. Subſtantiæ verò eſſe non poſſunt, quia nec corporeæ, nec incorporeæ, nec mixtæ, ideſt ex anima & corpore compoſitæ. Quod nec corporeæ nec mixtæ ſint conſtat: ſed quia nec incorporeæ, non minus conſtare debet. Incorpoream etenim aliquã nemo nouit, ſcriptura nulla docuit præter Angelicum ſpiritum & animam humanam, & ſpiritus brutorũ animalium, de quibus tamen vtrum ſubſtantiæ ſint inter nonnullos quæſtio eſt. Ex his itaque colligi poteſt primas illas cuiuſlibet corporis partes quas ipſi incorporeas appellãt, nulla omnino exiſtentia eſſe, ſed figmenta mentium deceptarum & phantaſiæ. Quando ergo ex corpore & anima homo conſtare dicitur, per hominem non ſubſtantia ſed perſona ſignificatur. Vnde & dicitur. *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, id eſt* vna perſona hominis: vtrumque enim perſona eſt quæ homo eſt, ſed anima quaſi ſubſtantialiter & materialiter illa perſona eſt, caro vero per vnionem & quandam aſſumptionem perſona illa fit. Anima ergo & Caro humana vna & eadem ſunt perſona, nec tamen vna ſubſtantia, quia aliud eſt anima & aliud caro, ſed non alius & alius: ſed anima & caro vnus & idem homo. Non eſt ergo verum, quod dicunt ex anima Chriſti & carne aut ſubſtantiam conſtitutam eſſe aut nihil. Medium enim ibi eſt, vt in hominis conſtitutione oſtendimus: perſonę ſiquidem eſt illa conſtitutio, non ſubſtantiæ. Quid ergo? *Perſona quæ Chriſtus eſt, conſtat ne ex homine & verbo?* Hæc eſt Sanctorum aſſertio, hoc credimus & profitemur, ſcilicet perſonam quæ Chriſtus eſt, ex homine conſtare & verbo. At inferes. *Ergo perſona quæ Chriſtus eſt, non ſemper fuit.* Nullum enim compoſitum prius eſt ſuis componentibus nec tempore nec natura. Nec ergo perſona illa prius fuit homine, ex quo conſtat & verbo. Ve-

rum non eſt ita. Nam non ſic dicitur ex homine & verbo perſona illa conſtare, quod ex eis habeat eſſe ; ſed quemadmodum album ex albedine & corpore : non enim dicitur album conſtare ex albedine & corpore, quod ex eis habeat eſſe, quia poteſt eſſe & album non eſſe : & fuit forſitan quando album non fuit ; ſed album album eſſe non potuit niſi ex coniunctione corporis & albedinis. Et ſicut perſona quæ homo eſt, dicitur ex anima & carne conſtare, & tamen eadem poteſt eſſe, licet caro non ſit, ſed homo non erit : ſic perſona quæ Chriſtus eſt, ex homine & verbo conſtare dicitur, tamen eadem perſona fuit, quia verbum fuit antequam ex homine conſtaret & verbo. Sedipſa verbum & homo non fuit, quod eſſe non potuit niſi ex hominis & verbi vnione. Non enim Chriſtus dicitur homo ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum ſolam gratiam quæ verbum in identitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit, quod non eſt verbum ſubſtantiam eſſe quæ ipſum ſemper non fuit. Cum enim dicitur *verbum ſubſtantiam eſſe quæ non ſemper fuit*, hoc ſignificatur quod verbum naturaliter atque ſubſtantialiter ſubſtantia illa ſit quæ non ſemper fuit : ſub quo ſenſu etiam illud accipitur. *Verbum eſt aliquid vel aliqua ſubſtantia, quod vel quæ Pater non eſt.* Et vt breuiter ad omnia huiuſmodi reſpondeatur, quando filium aliquam ſubſtantiam vel aliquid eſſe quod Pater non eſt, infertur vel quod ipſe filius non ſemper fuit ex eo quod homo eſt, recipiendum non eſt. Hoc enim eſſet filium aliquid eſſe ſecundum ſubſtantiam & naturam quam cum Patre communem habet, quod ipſe non ſemper fuerit quod falſum eſt. Quemadmodum enim verum non eſt æs aliquid eſſe quod non fuit quia ſtatua eſt, nec aliquid eſſe æs quod ſemper æs non fuit, quia ſtatua æs eſt : ſola enim illa quæ eſſe naturale vel ſubſtantiale circa rẽ conſtituunt, aliquid faciunt rem eſſe quæ non fuit. Sed quia aſſumptio nec naturale eſſe nec ſubſtantiale verbo contulit, licet per hoc homo eſſe inceperit, nulla ratione verum eſſe oportet quod verbum aliquid ſit, quod ipſum ſemper non fuerit. Inde quia homo eſt, nec quod homo diuina ſubſtantia ſit, quia Deus eſt. Deus enim ibi nomen eſt perſonæ non ſubſtantiæ. Perſona tamen illa Diuina ſubſtantia eſt. Homo autem illa perſona eſt, non per naturam vt ſupradictum eſt, ſed per gratiam : ſicut corpus humanum perſona eſt quæ anima eſt. Non tamen eadem ſubſtantia eſt cum anima.

Inferre etiam ſolent. *Homo aſſumptus Deus eſt, ergo eſt Deus qui eſt Pater, vel Deus qui non eſt pater.* Quod ſi Deus eſt qui Pater non eſt, non tantum Deus eſt qui Pater eſt. Verum ſi Deus eſt qui Pater eſt, & aliquid eſt quod Pater eſt, Pater verò nihil eſt quod Diuina eſſentia non ſit. Sicque homo aſſumptus Diuina eſſentia erit. Hoc autem falſum eſt ſicut & primum. Nam Deus pro certo natus eſt de Virgine, non tamen inde ſequitur quod qui Pater eſt, vel Deus qui Pater non eſt de Virgine natus eſt. Et Apoſtolus, *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo* : non tamen ſequitur, vnus Spiritus Creator, vel vnus Spiritus qui non eſt Creator. Similiter Deus à Deo Patre genitus eſt, non tamen idem Deus cum Deo Patre, nec Deus qui non eſt Deus Pater. Nempe ſi idem cum Deo Patre à Deo Patre genitus eſſet, & Deus qui eſt Pater, à Patre genitus eſſet, nec Deus qui non eſt Deus Pater à Patre genitus eſt.

Argumenta etiam illa facile refelli poſſunt, quibus oſtendere conantur quod nos in aliquid vel aliquem credimus, in quod vel in quem Abraham non credidit. Hominem enim aſſumptum Deum eſſe credimus, quem Abraham Deum eſſe non credidit, quia tempore eius homo aſſumptus non fuit. Ergo nec tunc Deus fuit : quare Abraham in illum non credidit. Imo reuera Abraham in illum credidit, in illum ſperauit, illum ad ſalutem mundi venturum exſpectauit. In eum enim venturum credidit quem nos veniſſe credimus : ſiquidem membrum erat eiuſdem venturi capitis, cuius & nos membra ſumus in cœlo collocati. Verum quomodo eius membrum fuit, ſi ei per fidem & dilectionem non adhæſit? Eadem nempe fides fuit antiquorum Patrum & noſtra : tempora ſiquidem variata ſunt, at non fides.

Item quod dicunt nos quandam Creaturam adorare tanquam Creatorem, ſiue quandam ſubſtantiam quæ Diuina ſubſtantia non eſt, non concedimus : licet hanc creaturam ſcilicet hominem aſſumptum ſiue hanc ſubſtantiam. Hominem enim aſſumptum ſiue humanam ſubſtantiam in Chriſto quod idem eſt, adoramus

ea adoratione quâ & ipſum verbum non propter hominem, ſed propter verbi perſonam quæ eſt ipſe homo. Ipſimet concedunt quod hæc ſubſtantia panis quæ non eſt nata de Virgine, erit Corpus Chriſti, non tamen ſequitur. Ergo aliqua ſubſtantia quæ non eſt nata de Virgine, erit Corpus Chriſti. Et filius mortalis fuit, non tamen alicuius modi, cuius non fuerit Pater.

De hoc quod dicunt Chriſtum eadem ratione fuiſſe hominem in triduo mortis ſuæ, & ante mortem.

CHriſtus vt dicunt & vt ſupra oſtenſum eſt *eadem ratione in triduo mortis fuit, & ante mortem homo fuit, & homo dici debuit, non quia eſſet aliquid conſtans ex anima rationali & humana carne, ſed quia animam & carnem ſibi vnitas habuit.* Non enim in morte ab eis ſeparatus eſt, quamuis illi à ſe Chriſtum aut mortuum fuiſſe non negant, & tempore mortis ſuæ hominem extitiſſe. Ergo vel homo mortuus fuit vel homo viuus. Licet has dictiones *homo* & *viuus* causâ expreſſioris ſignificationis ſimul coniungere: frequenter enim hoc fit, quamuis vna intelligatur in altera Quod vero tunc viueret, dici non poteſt, id. quando in ſepulchro dormiuit, quia anima tunc à carne ſeparata fuit, nec ſimul mors & vita ſecundum humanam naturam in eodem eſſe potuerunt. Nam ſecundum vitam Diuinitatis nunquam mori potuit, quia ſecundum eam immortalis fuit, & ſecundum eam viuebat quando mortuus fuit. Si ergo homo fuit quando mortuus fuit, & homo, mortuus, homo fuit quando mortuus fuit. Ad quod pro certo ſequitur contradictio. Siquidem enim eſt homo mortuus, ipſum non eſt homo, & ſi quid eſt homo, ipſum non eſt homo mortuus. At ſi quid homo viuus eſt, ipſum homo eſt, & è conuerſo. Quis autem adeo hebes eſt & rationis expers, vt dicat ad Chriſtum hominem mortuum eſſe, conſequi Chriſtum hominem eſſe, vel neget ad Chriſtum hominem viuum eſſe conſequi Chriſtum hominem eſſe. Cur ergo ſequebatur ad Chriſtum hominem viuum eſſe, Chriſtum hominem eſſe, & ad Chriſtum hominem mortuum eſſe non ſequebatur ipſum hominem eſſe, ſi ſecundum aliquem modum homo Chriſtus non fuit quando vixit, ſecundum quem homo non fuit quando mortuus fuit? Item ex qua coniunctione habuit Chriſtus quod actus iſtos ſuſcipere potuit. *Quod vixit, quod habitu inuentus eſt vt homo, quod dormiuit, quod pati voluit & potuit mori*, omneſq; reliquos actus qui noſtræ naturæ ſunt, an ex illa quam cum anima habuit, vel cum corpore vel cum vtroque? Cum vtroque vnionem habuit, quando nullum eorum quæ prædicta ſunt, agere potuit. Dicant ergo qui negant ex anima & carne Chriſti aliquid conſtitutum eſſe, ex cuius vnione huiuſmodi actus ſuſcipere potuit? fateri eos neceſſe eſt quod vel ex illa vnione quam habuit cum coniuncto ex anima & carne, vel ex nulla. Si ex nulla; qua ratione poterunt defendere Chriſtum ante incarnationem prædictos actus potuiſſe ſuſcipere? Quod ſi potuit, & in Diuina ſubſtantia iidem actus eſſe potuerunt & Diuina ſubſtantia mutabilitati eſſe ſubiecta. Relinquitur ergo quod Chriſtus actus humanæ naturæ ſuſcipere potuit, quia cum homine vnionem habuit, id. cum conſtante ex anima rationali & humana carne.

Quod Chriſtus nihil fuit ante mortem quod ipſe non fuerit in triduo mortis ſuæ.

INferri poſſe putant ex præmiſſis Chriſtum aliquid fuiſſe ante mortem ſuam quod non fuit in morte, quia ante fuit homo conſtans ex anima & carne: at non in morte ſimiliter; & quod aliquid fuit Chriſtus quod in morte Chriſti nec Chriſtus fuit nec homo, cum tamen per mortem Chriſtus nihil eſſe deſierit, quod ipſe per naturam vel per gratiam fuerit. Hoc autem minimè mirarentur, ſi attenderent quàm variè Petri Apoſtoli nomen accipitur, cum per ipſum de ipſo Petro tam viuo quàm defuncto agitur. Quando enim dicimus *Petrus piſcator fuit*, pro conſtante ex anima rationali & humana carne hoc dicimus. Quando verò dicimus *Petrus Romæ iacet ſepultus*, pro corpore Petri hoc dicimus, non tamen de corpore Petri. Nam de eadem perſona omnibus his agitur locutionibus, *Petrus piſcator fuit. Petrus Romæ iacet ſepultus. Petrus eſt in cælis.* Animam ſiquidem Petri illam eſſe Perſonam quam Nero occidit, non negamus, quæ tunc ex anima &

carne conſtabat, quando Nero eam interficiebat, quæ poſt ipſam interfectionem ad cœlos migrauit. Nemo enim fidem Chriſti tenens negaturus eſt vt credo illum eundem hominem à Chriſto iam remuneratum eſſe in cœlo, qui Romæ occiſus eſt à Nerone. Nam qui pro Chriſto à Nerone occidebatur, iuſtum fuit in cœlo remunerari à Chriſto. Neque vnum referri debet ad corpus, id eſt quod à Nerone ſit occiſum, & alterum ad animam, id eſt quod à Chriſto remunerata ſit in cœlo. Vnus nempe & idem homo fuit qui vtrumque ſuſcepit, mortem ſcilicet pro Chriſto & vitam cum Chriſto. Et tamen compoſitus erat ex anima & carne, quando mortem ſuſcepit pro Chriſto: nunc verò nullam habet ex anima & carne compoſitionem cum regnat cum Chriſto. Patet ergo quod de perſona quæ Petrus fuit, vtrumque dicitur, id. quod à Nerone occidebatur, & quod cum Chriſto coronatur: ſiquidem ſecundum corpus quod ipſa erat, occiſa fuit; & ſecundum animam quæ ipſa nunc eſt & fuit ex quo fuit cum Chriſto regnat, & tamen vnum & idem occidebatur à Nerone & coronatur à Chriſto. Perſona enim Petri ſine dubio vnum tantum eſt eſſentialiter & ſubſtantialiter, id. anima: corpus enim ſubſtantialiter non eſt, ſed ſolum perſonaliter. Vnde licet corpus fiat, nihil fit quod non erat: & licet corpus eſſe deſinit, nihil eſſe deſinit quod erat: ſed perſonaliter incipit eſſe quod non erat quando fit Corpus, & perſonaliter deſinit eſſe quod erat, quando deſinit eſſe Corpus: ſic & Chriſtus nihil incipit eſſe quod non erat, quando incepit eſſe compoſitum ex anima & corpore, quod ante non erat, nec aliquid deſijt eſſe quando illud deſijt eſſe, ſed ſolum perſonaliter illud incepit eſſe & deſijt eſſe, & non ſubſtantialiter ſiue eſſentialiter. Sicut ergo perſona Petri nulla res eſſentialiter fuit, quando à Nerone occidebatur, quæ ipſa modò non ſit, cum à Chriſto coronatur, & Petrus tunc nihil fuit, quod modò non ſit; ſic non oportet verum eſſe Chriſtum aliquid fuiſſe ante mortem, quia homo conſtans erat ex anima & carne, quod non fuit in triduo, quo in ſepulchro iacuit.

Ratio præmiſſorum probat animam ſeparatam à Corpore perſonam eſſe.

SIquis Petrum nunc perſonam eſſe neget, ſiue animam Petri, proferat definitionem perſonæ. Et autem hæc. *Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia:* quod totum animæ Petri conuenit; quare & ipſa perſona eſt. Cur enim Angelus perſona erit & non anima Petri? nemo ſanè ſapiens dicturus eſt quod ex coniunctione quam cum corpore habuit, perſona eſſe habuerit; conſtat enim eam nihil ex ſocietate corporis accepiſſe, niſi *onus graue & oppreſſionem quandam importabilem.* Sicut ſcriptum eſt *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Et Apoſtolus. *Infelix ergo homo, quis me* &c. Si quis ergo veræ rationis examine attendere voluerit, inveniet proculdubio animam ex coniunctione quam cum corpore habuit poſt peccatum nihil accepiſſe, niſi infirmitatem & infirmitatis cauſam, quod eam perſonam eſſe facere non debuit, ſed magis à ratione perſonæ ſeiungere. Non enim ideo anima perſona eſt, quia illa agere vel pati poteſt, quarum coniunctio quam cum corpore habet, cauſa eſt. Et vt hoc melius intelligatur, ponamus animam Petri antequam incorporaretur, creatam fuiſſe, & cum ſpiritibus cœleſtibus ſimul eſſe cœpiſſe quod etiam quorundam habuit æſtimatio. Nulla itaque de cauſa ſpiritus cœleſtes perſonæ eſſe potuerunt, quin eadem animæ humanæ perſonæ nomen ſuſcipere potuerint: ſubſtantiæ enim rationales & naturæ indiuiduæ, vnde & perſonæ tunc fuerunt, quod eſſe non deſierunt quando corporibus coniungi cœperunt, nec à corporibus ſeparatæ perſonæ rationem amiſerunt. Anima ergo Petri & dum in corpore fuit, perſona fuit, & à corpore recedēs perſona remanſit eadem quę ipſa in corpore fuit. Verum dum in corpore fuit perſona Petri, ex anima & corpore conſtare dicebatur & quoddam compoſitum eſſe ex anima & carne, quod eſſe deſiit quando à corpore migrauit, nec tamen aliquid quod fuit eſſe deſiit, quia compoſitio illa non fuit partium, ſed vnio quædam naturarum diuerſarum, qua factum fuit quod anima Petri & corpus vna perſona fuerunt, non tamen vna ſubſtantia. Et ideo quia perſona Petri nulla ſubſtantia fuit ex anima & carne Petri compoſita, nihil perſona quæ Petrus fuit eſſe deſiit, quando compoſitum ex anima & carne Petri eſſe deſiit. Sicut enim in Deo plures perſonæ vna ſubſtantia ſunt, ſic & in homine plu-

res ſubſtantiæ vna perſona eſſe poſſunt & ſunt. Per quod etiam docetur quod Deus & homo una perſona eſſe potuerunt.

Ad quid valeant authoritates quas inducunt.

AVthoritates quas inducunt ad id confirmandum quod dicunt, non eos iuuare manifeſtum eſt. Auguſtinus enim vbi genera habituum diſtinguit, ad exponendum illud Apoſtoli. *Habitu inuentus eſt vt homo*; quo genere habitus homo ſuſceptus ſit à verbo docet, quarto ſcilicet genere habitus: in quo genere ſunt illa quæ accidunt & mutantur non à ſua natura, ſed aliam ſpeciem & formam accipiunt. Vt veſtis induta membris aliam accipit formam, quam non habebat exuta: quo genere habitus docuit quomodo intelligendum ſit quod dicit Apoſtolus de Chriſto *habitu inuentus vt homo*. Chriſtus enim ſuam quam habuit formam amiſit ſe exinaniendo, ſed formam ſerui quam non habuit ſuſcepit non conuerſus aut tranſmutatus in hominem, quem ſibi vniens atque conformans immortalitati æternitatique ſociauit. Solum hoc his verbis docere voluit Auguſtinus non diuinam naturam mutatam eſſe in humanam, ſed humanam Diuinæ perſonaliter vnitam, quod quaſi digito demonſtrauit dicens. *Neque conuerſus aut mutatus in hominem*. Quod dicendo Diuinam naturam in humanam mutatam negauit, ſed per hoc quod adiecit *ſibi hominem vniens*, &c. vnitatem perſonæ hominis cum Deo apertiſſimè oſtendit. Quod Hilarius in 10. lib. de Trinitate ſenſit dicens. *Non fuit habitus ille tantum hominis, ſed vt hominis; neque caro illa caro peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati*. Hæc cum dixit Hilarius, non hominem aſſumptum compoſitum ex anima & carne negauit, neque perſonam filij Dei eſſe contradixit, ſed præ cæteris hominibus quoddam egregium atque excellens habuiſſe monſtrauit, ſcilicet immunitatem peccati. Vnde non dixit Apoſtolus *habitu inuentus eſt homo*, ſed *vt homo*: quia non identitatem per omnia habuit cum cæteris hominibus, ſed ſimilitudinem. Nam non fuit caro eius caro peccati, ſed ſimilis carni peccati.

Quod ex coniunctione animæ & corporis Chriſti homo factus eſt, licet non perſona; & de animatione Corporis eius.

QVia ergo nec rationibus nec authoritatibus oſtendi poteſt quod homo aſſumptus ex anima & carne compoſitus non fuerit, & quod perſona Diuina non extiterit, deinceps oſtendendum eſt eum ſecundum naturam ex anima & carne conſtitutionem habuiſſe ſicut & cæteri homines, & per gratiam eandem perſonam eſſe cum Verbo Dei. Quid enim obſtitit vel obſtare potuit quare ex coniunctione animæ Chriſti & corporis eius homo non fieret, & copulatione corporis & animæ Petri homo ſit factus? Omnem enim vim illam & proprietatum naturam anima Chriſti & corpus retinuerunt, quæ ad hoc exigitur vt ex eorum coniunctione homo fieret. Quod ſi verũ eſt, vt quidem eſt, quare ex anima & corpore Chriſti quidam homo non cõſtat, ſicut ex anima & corpore Petri. Ideo inquiunt quia ex coniunctione corporis & animæ Petri perſona quædam fit, ex coniunctione vero corporis & animæ Chriſti, nulla. Verùm per falſum quod verum eſt, falſum eſſe oſtendere volunt. Nam quod ex anima & corpore Petri aliqua conſtet perſona eſſe nequit, quod in præcedentibus rationibus firmiſſimis oſtenſum eſt. Quia ergo ex coniunctione corporis & animæ Petri nulla fit perſona, licet quidã homo, non poteſt oſtendi quod ex coniunctione corporis & animæ Chriſti non fiat quidam homo, licet nulla perſona. Quod enim Chriſtus homo factus ſit, Prophetа prædixit eſſe futurum, Euangeliſta teſtatur impletum. *Homo*, inquit, *natus eſt in ea & Verbum Caro factum eſt*, id. homo. Nomine ſiquidem Carnis totus homo intelligi debet, & tamen verbum nulla perſona factum eſt. Item quid ex coniunctione corporis & animæ Chriſti factum eſt, ſi homo ex illa factus non eſt, aut corpus eius, vnde animatum factum eſt niſi ex coniunctione animæ & corporis. Scriptum quippe eſt quod animatum corpus de Virgine ſumpſit, ſed cuiuſmodi eiuſmodi animatum, & quo animatum, an animâ, an ſola animatione? Abſque anima quomodo arbores & herbæ creduntur animatæ, id eſt ſola animatione abſque

anima ſunt enim talia animata quæ ſunt inſenſibilia, ſed eiuſmodi animatũ à verbo Dei aſſumi non debuit. Quonã enim modo tale animatũ morte ſua mundũ redimeret, cũ nec paſſionẽ ſuſcipere nec moleſtiam vel amaritudinẽ aliquam ſentire poſſet? fuit igitur Corpus Chriſti animatũ animâ, & longè alio modo quàm partes corporis animẽtur. Quod ideo noto, quia Corpus quod Chriſtus de Virgine sũpſit, nolunt aliter fuiſſe animatum & ſenſibile, quã manũ & pedem cuiuſlibet hominis neque aliter potuiſſe mori quàm manus & pedes hominis moriuntur. Ad cuius erroris falſitatem detegendam quærendum arbitror ab eis ſub quo ſenſu membra corporis humani dicant ſenſibilia & mortalia. Non enim ſub eo quo animalia ſenſibilia & mortalia dicuntur: ſiquidem ſenſibile & mortale prout de animali dicuntur, cum animali conuertuntur. Proinde membra corporis humani eo modo ſenſibilia & mortalia dici non poſſunt, quo animalia talia dicuntur, alioquin eadẽ eſſe animalia neceſſariò ſequeretur. Quod ſi ſenſibilia & mortalia dicũtur, quia in eis homo dolorem ſenſit & cauſam mortis ſuſcepit, recipimus: quia hoc modo dicuntur oculi videre & aures audire, quia per oculos videt homo & audit per aures. Mortalia etiam membra corporis humani ideo dici poſſunt, quia diſſolubilia ſunt, quomodo & omnia temporalia mortalia dici poſſunt. Vnde ait Poëta. *Debemus morti nos noſtraque.* Sed ſi tale animatum taleque ſenſibile & mortale fuit Corpus Chriſti, quomodo & per eius paſſionem & mortem nos redimere potuit? Recipiendum itaque hominem aſſumptum à verbo Dei eodem modo mortalem fuiſſe quo cæteri homines pro quibus moriturus erat. Sicut enim naturæ noſtræ ſitim & eſurie mcæteroſque noſtræ infirmitatis effectus abſque peccato in ſe ſuſcepit, ſic hãc naturæ noſtræ paſſibilitatem & mortalitatem communem nobiſcum pro quibus paſſurus & moriturus erat, in veritate habuit. Sed ſecundum quid & in quo hæc habuerit, prætereundum non eſt.

Secundum quid & in quo paſſibilitas, mortalitas, ſitis & eſuries in Chriſto fuerunt.

IN homine aſſumpto duo fuerunt & ſunt, anima rationalis & corpus. Anima vero immortalis fuit, & ideo nec mortis nec mortalitatis capax extitit. Solum ergo corpus in homine aſſumpto mortale fuit, id. noſtræ naturæ mortalitatem habens. Fuit itaque mortale & rationale, aut mortale & irrationale, vel ſaltem non rationale. Quod ſi irrationale fuit, vel non rationale & brutis animantibus connumerandum erat, quod pro ſalute generis humani moriturum erat, quod nefas eſt etiam mente concipere. Quod ſi mortale & rationale fuit, qua fronte negabit quis ipſum hominem fuiſſe? Erat ergo corpus hominis aſſumpti, & eſt homo ex anima & carne conſtãs. Item ſi per hominẽ aſſumptũ nihil aliud intelligendũ eſt quã anima & caro, cũ nihil ſit anima & caro homo aſsũptus, nihil fuit quod mori potuerit & voluntatẽ moriendi habere. Quid fuerit illud, aſſignent ſi poſſunt, qui per hominẽ aſſumptũ nihil niſi animam & carnem intelligunt & nullũ compoſitũ ex eis. Item Iudæi Chriſtum eſſe hominem iudicantes, errauerunt dicentes, *Tu homo cum ſcis, facis teipſum Deũ.* Eo modo ſine dubio hominem eum eſſe intelligentes quo & cæteros homines, ſed quia Deum eundem eſſe negabant. Diabolus etiam eum hominem eſſe ſciebat, ſed an Deus eſſet dubitans, tribus eum tentationibus aggreſſus eſt. Vtrumq; enim voluit, ideſt cognoſcere vtrum Deus eſſet per explorationem, & hominem deiicere per tentationem. Eum quippe hominem eſſe cognouit per hoc quod eſuriuit, nec in hoc errauit: quia ſicut verus erat homo, ita & vera eſuries in eo fuit, in quo nullatenus eſſe poſſet niſi res animata ſenſibilis eſſet. Non dico eo modo animata & ſenſibilis, quo herbæ & partes hominis arbores animatæ ſunt & ſenſibiles. Nam huiuſmodi nec eſurire poſſunt nec ſitire. Sola enim animatione paſſiones iſtas ſuſcipere poſſunt, quas hominem aſſumptum ſuſcepiſſe & in ſe habuiſſe, Euangeliſta teſtatur dicens, *Cum ieiunaſſet Ieſus 40. diebus &c.* Et ipſe Chriſtus in perſona propria dixit *Sitio.* Eſuries ergo & ſitis in eo fuerunt & ſecundum humanã naturã. Nam nec Diuinam ſubſtantiã paſſiones iſtæ poſſunt attingere, nec in perſona illa & non in aliqua eius ſubſtantia vllatenus eſſe. Nullæ enim proprietates, ideſt nec æternæ nec temporales in perſona quæ Chriſtus eſt, vel fuerunt vel eſſe potuerunt, quæ non in altera ipſius natura, Diuina ſcilicet vel humana extiterint, quia nec ipſa eius perſonalis proprietas in ea

fuit, & non in neutra naturarum ipſius, imò in vtraque eſt: quia Diuina natura Chriſti perſona Chriſti eſt ab æterno, & humana natura eius perſona eius ex tempore facta eſt. Eſuries ergo & ſitis in humana ſubſtantia fuerunt, cum nonniſi ea mediante in perſona quæ Chriſtus eſt, extiterint. Si enim in ea fuerunt & non in humana natura, ſimiliter fatendum eſt alias proprietates quas ſecundum naturam ſuſcepit, in ea fuiſſe & humanam naturam non eis participaſſe, cum nulla ſit omnino cauſa quare de iſtis eſurie ſcilicet & ſiti hoc concedendum ſit potius quàm de aliis. Quod ſi de omnibus hoc conceditur perſonam Chriſti paſſam fuiſſe & non humanam naturam; quod manifeſtè contra fidem conſequeretur. Eſuries ergo & ſitis in humana natura Chriſti fuerunt, hoc eſt in homine aſſumpto non ſecundum animam, quæ nec eſurire potuit nec ſentire, nec cibo refici vel potu. Hæc enim ſolius ſunt propria corporis, quod ad ſui ſuſtentationem huiuſmodi eget adminiculis.

Quod ſubſtantia humana filius eſt Dei Patris & Virginis Matris.

CHriſti duas generationes Eccleſia credit & prædicat, vnam æternam à Patre, alteram temporalem à Matre. Sicut autem ex illa generatione quæ ex Patre eſt, vna eſt ſubſtantia cum Patre, itaex illa quæ ex Matre eſt ſubſtantia debet eſſe eiuſdē naturæ cū Matre, aut aliter nulla cauſa eſt, quare Matrem dicatur habere. Nam ſi ſubſtantia non eſt eiuſdem naturæ cum Matre, quid erit? aliquid, an nihil quod cū Matre habeat cōmune? Si autem Chriſtus nihil eſt quod filius Virginis ſit, nulla ratione Virgo Mater eius dici debet. Et tamē dicitur, *Quod ex te natū eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Id verò quod in ipſa natum eſt, poſtea de ipſa natū eſt, & filius Altiſſimi vocatum dicente Angelo, *Concipies & paries filium & vocabitur altiſſimi filius.* Quod verò de Virgine in Virgine natum eſt, ſine dubio Virginis filius eſt. Sed nihil in ea & de ea naſci potuit, niſi eiuſdem ſubſtantia naturæ cum ipſa. Nihil itaque Virginis filius fuit, quod ſubſtantia eiuſdem naturæ cum Virgine non fuerit. Aut ergo Chriſtus ſubſtantia eſt eiuſdem naturæ cum Virgine, aut eius filius non eſt. Item ſi Chriſtus nihil eſt niſi quod cum Patre habet commune, nihil niſi Diuina ſubſtantia eſt. Quare ſi hac de cauſa Pater tantum Deus eſt, quia Diuina tantum ſubſtantia eſt, & Chriſtus tantum Deus erit, quia ſecundum eos tantum Diuina ſubſtantia eſt Mentitur ergo Lucas Euangeliſta, mentitur & Dauid Propheta. Quod enim de Virgine natum eſt, ille in perſona Angeli *ſanctum* eſſe dixit vocandum. Et iſte illud idem *ſcabellum pedum adorandum* dicens, Exaltate Dominum Deum noſtrum, *adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Hoc eſt quod de Virgine natum eſt & in tempore generatum. Vnde illa generatio temporalis filij Dei eſſe non potuit, niſi mediante aliquo temporali. Quod ſi filius Dei non fuit, nec eius generatio filio Dei aſſignari debuit. Nam nemo dicturus eſt, quod illa generatio Dei ſit, & nullius quod temporale ſit. Huiuſmodi enim temporales proprietates in Chriſto eſſe non poſſunt, niſi in humana natura ſint, ſicut ſuperius oſtenſum eſt. Ergo Chriſti generatio temporalis in humana ſubſtantia fuit quæ **tēporalis generata eſt de virgine humana: igitur ſubſtantiâ filius eſt Virginis,** ſicut & Diuinâ, Dei Patris. Sicut enim quod Deus Pater de ſubſtantia ſua genuit, filius eſt Dei Patris, ſic & quod Virgo Mater de ſubſtantia ſua genuit, filius eſt Virginis Matris. Quia ergo de ſubſtantia Matris generari non potuit niſi ſubſtātia humana, ſubſtantia humana filius eſt Matris, quæ & ipſa per aſſumptionem & perſonalem vnionē filius eſt Dei Patris. Item ſi filius Dei non eſt quod de Virgine aſſumptum fuit, cuius fuerit filius oſtendi non poteſt, quia Chriſtus licet duorum fuerit filius, non tamen duo filii, ſed vnus filius. Quod ergo de Virgine natum eſt, alius filius quàm Dei filius non eſt, aut nullius filius eſt. Filius verò Dei non eſt quod de Virgine natum eſt, quia vt aiunt, nec eſſentialiter nec perſonaliter filius Dei eſt. Nullius ergo filius eſt quod de Virgine natum eſt, quare nec Virginis filius. Quod contra veritatem illam eſt, quæ *ſe filium hominis* vocat, vt ait. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Et alibi *Nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis qui de cœlo deſcendit.* Filium hominis non ſe vocat ſecundum diuinam generationem, quod omnibus notum eſt, ſed ſecundum humanam, ſecundum quam homo temporaliter factus eſt.

De hac interrogatione quid Chriſtus fuerit ſecundum humanam naturam? & quod Chriſtus & Petrus duo homines fuerint, & quare.

QVæri non debet ſecundum eos quid Chriſtus fuerit ſecundum humanam generationem, quia nihil. Ad quod ſequitur quia nec homo ſecundum eam fuerit. Si verò negant hanc interrogationem fieri poſſe, quid Chriſtus fuerit ſecundum humanam generationem, contra omnẽ vſum Eccleſiæ ſunt atque doctrinam. Nam ſicut quæri & doceri ſolet, quid Chriſtus ſit ex Patre ab æterno, ſic & quæri & doceri ſolet quid Chriſtus ſit ex Matre in tempore. Quod ſi nihil ex ea eſſet, nec quæri nec doceri rationabiliter poſſet, quod homo ex ea eſſet, quod docetur & monſtratur per ſimile, cum dicitur. Sicut ex Deo Deus eſt, ita ex Virgine Matre homo eſt. Quærentibus autem ſecundum quid Chriſtus ſit filius Virginis, reſpondere ſolent quod ſecundum humanam naturam. Sed quomodo filius eſt Virginis ſecundum humanam naturam, cum ipſa humana natura filius Virginis non ſit ſecundum eos? Nam nec anima nec corpus, nec anima & corpus, nec aliquid concretum ex eis filius eſt Virginis. Item ſi ſecundum humanam naturam filius Virginis eſset, in ipſa humana natura cauſa eſset, quare filius Virginis eſset: ſic enim in omnibus eſt quæ de Chriſto ſecundum humanam naturam prædicantur, quia quod mortalis, paſſibilis, ſitiens atque eſuriens, fatigatus & lachrymans, de Chriſto prædicabantur mediante humana natura quæ ſola ea ſuſcipere potuit quæ de eo dicebantur. Eſt ergo in humana natura cauſa quare Chriſtus filius ſit Virginis, Relatio ſcilicet illa, vnde filius Virginis dicitur & eſt. Sicut in Virgine relatio eſt ex qua Chriſti Mater Virgo dicitur & eſt. Huiuſmodi enim relationes quibus Mater ad filium & filius ad Matrem refertur, in rebus diuerſæ naturæ eſſe non poſſunt. Fuit itaque aliquid in humana natura Chriſti, quod cauſam prædictam ſuſcepit, ex qua & filius Virginis fuit. Quod quid ſit vel fuerit, non poteſt oſtendi, niſi id quod Verbum Dei de ſubſtantia Virginis aſſumpſit animatum, ſcilicet corpus & humanum, quod homo fuit, id ſcilicet quod parentes eius circumciderunt, quodque tenentes in manibus Ieſum vocauerunt. Sicut autem tunc quidam puer fuit, ſic quando prædicauit & docuit, quidam homo adultus fuit & alius homo ab omni homine alio. Vnde ipſe & Petrus, id eſt Magiſter & Diſcipulus duo homines fuerunt, non vt dicunt, ideo duo homines quia duæ perſonæ, alioquin Chriſtus quidam homo fuit antequam hominem aſſumpſit. Sed ideo quia alius homo fuit Ieſus & alius Petrus, vterque conſtans ex anima & carne, nec quia aliam animam habuit ſibi vnitam & aliud corpus quàm Petrus, alius homo fuit quàm Petrus, quia in triduo mortis ſuæ ea ſibi vnita habuit, nec tamen alius tunc homo fuit quàm Petrus. Nemo enim ſanè ſapiens concedit Chriſtum & Petrum in triduo illo duos homines fuiſſe, vt quadam communi de cauſa vterque Chriſtus ſcilicet & Petrus homo diceretur. Sed Petrus quidam homo tunc fuit, quia quædam ſubſtantia animata, ſenſibilis, mortalis & rationalis erat, qualis quia tunc Chriſtus non erat, nec ipſe tunc Quidam homo fuit. Sed quando vixit, talis ſubſtantia fuit, & ideo meritò ipſe tunc & Petrus duo homines dici potuerunt, non quia diuerſas animas & corpora habuerunt, ſed quia duæ ſubſtantiæ tales extiterunt.

De eo quod dicunt Chriſtum eadem ratione hominem fuiſſe in triduo mortis ſuæ & ante mortem.

NAturam humanam Chriſti, animam & corpus, & nullum illorum nec aliquod compoſitum ex eis vt ſæpe diximus, appellant. Vnde quia duo illa in triduo mortis ſuæ ſibi vnita habuit ſicut & ante mortem, hac de cauſa tunc homo fuit & dici debuit, & hac ſola ſicut & ante mortem. Quo conceſſo concedendum erit neceſſariò quod quacunque de Deo dici poterunt ante paſſionem quia homo fuit, & eadem dici poterunt quando in ſepulchro iacuit. Ergo quando in ſepulchro iacuit, mundum redimere potuit & ſaluare ſecundum quod homo fuit, quod patet falſum eſſe. Mortuus enim nec pati potuit, nec mori, nec aliquid aliud agere, per quod mundum reconciliet Deo. Niſi quis dicat quod tunc reſurgere

potuit quando mortuus fuit: quod præcipuum opus fuit' ad mundi reconciliationem pertinens. Qui verò ita reſpondet, non videtur intelligere quod dicit Apoſtolus, quia Chriſtus mortuus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Non enim ſecundum aliquid quod tunc facere potuit, Saluator mundi dici debuit, ſed ſecundum quod & hodie mundi Saluator appellatur. Quia ergo Chriſtus ante mortem ſecundum hominem naturamque humanam facere potuit & fecit, quod in morte nec fecit nec facere potuit, nulla ratione eadem de cauſa homo fuit in morte & ante mortem. In morte enim cuiuſmodi homo fuerit, oſtendi non poteſt, niſi dicatur quod homo mortuus fuerit. Sed qua ratione homo mortuus verus homo tunc fuit, id eſt humana natura, niſi ipſam humanam naturam velint fateri mortuam eſſe? Quod nequaquam eſſe poteſt, ſi per humanam naturam animam & corpus intelligunt, ſiue coniuncta ſiue diſiuncta ſint. Secundum enim ſolam carnem mortuus fuit. Sed vtrum ſecundum animam tunc vixerit, quæſtio eſt. Omni namque eodem modo anima tunc ei vnita fuit, quo & quando corpori coniuncta fuit. Vnde ſecundum ipſam etiam in morte viuere debuit, ſi ex eo quod ſibi iuncta fuit, ante mortem vixit. Ita quoque in cæteris hominibus, id eſt quod quandiu animas habent, & viuunt & viuere dicuntur. Fateantur ergo neceſſe eſt quod nunquam ex vnione illa quam Chriſtus cum anima habuit, vixit, aut quod in morte ſecundum illam vitam habuit. Quod vt æſtimo fateri non audent, id eſt quod in morte Chriſtus ſecundum animam vixerit. Nam ſecundum illam viuere non potuit, quin & in eodem tempore ſecundum humanam naturam vixerit & mortuus fuerit, quod vt arbitror, nulli profeſſores Chriſtianæ fidei audent recipere.

De eo quod non concedunt Chriſtum aliquid fuiſſe ſecundum humanam naturam quod ab æterno non fuerit, ſed alicuius modi, vel habitum quendam habere quem ab æterno non habuit.

FVit, vt aiunt, Chriſtus alicuius modi ſecundum humanam naturam, ſed non aliquid, licet homo ſecundum eam fuerit. Peto cuiuſmodi ſit vel fuerit ſecundum humanam naturam? Poſſunt dicere quod ante mortem paſſibilis fuerit & mortalis, qualis pro certo ab æterno non fuit: quare & Deum fateantur neceſſe eſt aliquando talem fuiſſe qualis non ſemper extitit. Quod ſi verum eſt & Deus variabilis & mutabilis eſt. Omne enim quod ſecundum aliquid alterius modi poteſt eſſe quàm fuit, variabile & mutabile eſt. Proinde Quidam eorum nolunt concedere Chriſtum ſecundum humanam naturam aliquid vel alicuius modi fuiſſe, quod vel cuiuſmodi ipſe ab æterno non fuerit, ſed habitum quendam habere quem non ſemper habuit. Verum quid habitus ille ſit, id eſt aliquid an nihil, diligentius inquirendum eſt. Quod vt habitus ille nihil ſit, eſſe non poteſt, cum in Chriſto ſit & Chriſti ſit. Quia ergo eſt & Chriſti, eſt habitus ille, & aliquid eſt. Vnde & in Chriſto aliquid eſt quod in Chriſto ab æterno non fuit. Quod concedere non minus inconueniens eſt quàm concedere Chriſtum aliquid vel alicuiuſmodi eſſe, **quod vel cuiuſmodi ab æterno non fuit.** Nam nec in Patre, nec in Filio nec in Spiritu S. aliquid eſt vel eſſe poteſt, quod nec Pater nec Filius nec Spiritus ſanctus ſit. Vnde Iſidorus quidquid in Deo eſt, Deus eſt. Quare ſi habitus ille de quo loquuntur, & quem in Chriſto aſſerunt eſſe, aliquid eſt quod in Chriſto eſt, & habitus ille Chriſtus eſt. Quod autem Chriſti ſit habitus ille & non in Chriſto, dicere non poſſunt. Omnis namque habitus tale quid eſt quod niſi in alio eſſe non poteſt. In aliquo verò eſſe non poteſt habitus ille, niſi aut in verbo aſſumente aut in homine aſſumpto. Sed in homine aſsumpto quomodo eſſe potuit, cum homo aſſumptus vt ita dicam non habebat ſed habebatur. Et ideo habitus de quo loquuntur ſi in homine aſſumpto fuit, habitæ rei fuit & non habentis, id. hominis aſſumpti & non verbi aſſumentis: ſed quia de habitu qui habentis eſt, ſe loqui concedunt, de habitu qui verbi eſt in verbo ſe loqui negare non poſſunt. Habitus ergo ille de quo agunt, aliquid eſt quod in verbo eſt, imo quod verbum eſt. Quo ergo modo his reſiſtunt quibus videtur poſſe oſtendi, quod verbum aliquid eſt, vel in verbo aliquid eſt quod ab æterno verbum non fuit vel in verbo, quia habitus ille verbi eſt vel in verbo: reſiſtant his quibus quidam nituntur oſten-

dere, quod verbum aliquid eſt quod ab æterno non fuit, quia ſecundum humanam naturam aliquid eſt quod ab æterno non fuit.

Quod nulla eſt abſurditas Chriſtum aliquid eſſe ſecundum humanam naturam quod ab æterno non fuit.

QVæ vero abſurditas eſt, ſi concedatur quod Chriſtus ſecundum humanam naturam ſit aliquid vel fuerit quod non ſemper fuit cùm ſecundum eandem concedatur quod Chriſtus pati potuit & multa alia facere & in ſe ſuſcipere quæ ab æterno non potuit, nec in ſe ſuſcipere, nec actu ipſo agere. Poterat reuera in potentia Deitatis hæc omnia facere quæ ſecundum hominem fecit, ſed non ipſas operationes in ſe actuſque ſuſcipere. Sicut ergo nulla abſurditas eſt nec in fide abſonum concedere quod Chriſtus illa potuit & fecit ſecundum hominem, quæ nec fecit nec potuit ab æterno: ſic fidei Chriſtianæ contrarium non eſt profiteri quod Chriſtus aliquid ſit ſecundum hominem quod ab æterno non fuit, ex eo quod humanæ naturæ particeps factus eſt, ſubſtantia eſt communis naturæ cum cæteris hominibus. Siquidem humanæ naturæ participatio non ſimpliciter quale facit, ſed circa ſubſtantiam qualitatem determinat, id eſt quandam qualem ſubſtantiam efficit. Et ideo Chriſtus eo quod humanæ naturæ eſt, quędam qualis ſubſtantia eſt, quod modis omnibus facit ipſum ſecundum humanam naturam aliquid eſſe quod ab æterno non fuit, nam homo aſſumptus aliquid eſt, quod ab æterno non fuit, quod & Chriſtus eſt.

Quod Chriſtus ante mortem & poſt reſurrectionem homo Quiddam fuit conſtans ex anima & carne.

TAntæ imperitiæ nulli ſunt, vt æſtimo, qui negent hominem aſſumptum hominem eſſe vel fuiſſe. Qua enim fronte aſſerere poſſunt Chriſtum hominem eſſe vel fuiſſe, & negare hominem aſſumptum hominem eſſe vel fuiſſe? Quiſquis contradixerit hominem aſſumptum hæc verba dixiſſe, *venit enim princeps mundi huius & in me non habet quidquam*. Et item Petro: *ni lauero te, non habebis partem mecum*, cum homine aſſumpto partem non habebit. Eundem ſcriptura virum vocat dicens *quia Ieſus fuit vir potens in opere & ſermone*, quod profecto non faceret niſi idem aliquis homo eſſet, qui & poteſtatem habuerit in terra dimittendi peccata. Prædicauit, fecit miracula, hoſpitio ſuſceptus & ad conuiuium vocatus, qui in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt. Ex coniunctione animæ & corporis homo aſſumptus hæc quæ prædicta ſunt, & conſimilia facere potuit, quæ nec fecit nec facere potuit quando mortuus fuit, quando corpus & anima ab inuicem ſeparata fuerunt. Vnde manifeſtum eſt hominem aſſumptum ex anima rationali & carne humana conſtitutum fuiſſe, nam niſi conſtitiſſet, ex eis homo non eſſet. Quod vt manifeſtius appareat, ponatur Chriſtus ante mortem, iſta ſcilicet animam & carnem ſibi vnita habuiſſe & ita à ſe inuicem diſiuncta. Erit ne Chriſtus homo iſtis à ſe inuicē diſiunctis, & Chriſto coniunctis? Nam nec homo viuus nec homo mortuus erit. Viuus non erit, quia corpus animatum non habebit, nec mortuus quia nunquā vixit. Ea enim mortua dicit ſolent quæ aliquando vixerunt. Homo ergo Chriſtus non erit, licet animam & carnē ſibi vnitas habeat, niſi inter ſe fuerint vnitæ. Ex his itaque certiſſimè patet, quod homo aſſumptus homo fuit ex vnione animæ & carnis, & quādo ſeparatæ fuerunt atque diſiunctæ, homo non fuit, nec propriè nec humanè homo dici potuit. Ex vnione enim animæ cum carne ante paſſionem vitam habuit mortalem, & poſt reſurrectionem ex earundem coniunctione immortalem. Non illam dico vitam immortalem quam habuit verbum ab æterno, ſed eam quam habituri ſunt Electi poſt reſurrectionem. Corpus enim reſurrexit & anima illud aſſumpſit: pro qua aſſumptione dicit Athanaſius, *qui non crediderit denuo hominem aſſumptum, anathema ſit*. Quod non dicitur eo quod verbum hominem denuo aſſumpſerit; quia vt Hieronymus ait, verbum ex quo hominem aſſumpſit, nunquam depoſuit: ſed quia anima corpus quod in morte depoſuerat, denuo reſumpſit, vnde & illud aſſumendo vitam ei præſtitit vtique immortalem, quod ipſe Chriſtus teſtatur dicens. *Hæc ſunt verba quæ locutus*

ſum

ſunt vobis, dum adhuc eſſem vobiſcum, id eſt mortalis ſicut & vos eſtis. Nam ſi exiteratâ corporis aſſumptione corpus non viueret, qua de cauſa ab anima aſſumptũ eſſet, vel quem effectum ineo haberet, non poſſet oſtendi. Nec eſt hæc immortalitas illa & incorruptibilitas, quæ ſtolæ corporis dicuntur: ſed hæc vita immortalis de qua loquor, in vegetatione & ſenſificatione conſiſtit, quia anima nunquam poteſt deſinere vegetare & ſenſificare corpus, neque nexus illi quibus anima & corpus coniuncta ſunt, vlla ratione diſſolui. De quali vita immortali loquitur Apoſtolus dicens *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim viuit, Deo viuit.* Sed cum ex illa vnione Chriſtus vt aiunt nec homo eſt nec vitam aliquam habet, Hæc vita immortalis cuius erit? nec Dei eſt, nec ſpiritus Angelici, nec animæ humanæ. Neque enim Deus nec ſpiritus Angelicus nec anima humana ex coniunctione animæ & carnis vitam habet immortalem. Relinquitur ergo quod hominis ſit & cuiuſdam hominis conſtantis ex anima & corpore Chriſti, qui etiam ex eorundem coniunctione conſtabat quando mortalis fuit.

Vtrum homo Aſſumptus perſona ſit, & quare in perſonam filij dicatur aſſumptus.

His breuiter decurſis quibus poſſe monſtrari videtur quod Chriſtus quidam homo fuit, & ſic ex anima & carne conſtans, ad ſequentia tranſeundum eſt, & vtrum homo aſſumptus aliqua fuerit vel ſit perſona pro modo abbreuiationis inquirendum. Quod enim dicitur *aſſumptus eſt homo* in perſonam filij, hoc profectò verum eſt vt quibuſdam placet, quia ſic aſſumptus eſt, quod non eſt alia perſona quàm filius, & hominem aſſumptum eſſe in identitatem perſonæ filij, id eſt quia ſic aſſumptus eſt quod ex ipſa aſſumptione non ſunt in Chriſto plures perſonæ, ſicut ſunt ex aſſumptione humanæ naturæ, plures in Chriſto naturæ, cur non dicunt ſic hominem aſſumptum eſſe à Chriſto in vnam perſonam quod homo aſſumptus nulla eſt perſona. Nam idem ſenſus indubitanter ex eorum expoſitione poteſt haberi. Vnde quàm abſurda ſit & à veritate aliena expoſitio talis, manifeſtum eſt, ex qua talis & tam abſurda ſequitur locutio, ſcilicet quod ſic homo aſſumptus eſt, quod nulla perſona eſt, cur etiam dicitur in perſonam aſſumptus potius quàm in ſubſtantiam; ſicut enim ſubſtantia diuina factus non eſt ex aſſumptione, ſic nec perſona ſicut dicunt; forſitan hoc verentes, ne ſi perſonam diuinam concederent eſſe hominem aſſumptum, negare non poſſent ipſum diuinam ſubſtantiam eſſe. Quia nihil aliqua perſonarum in Trinitate eſt, quod Diuina ſubſtantia non ſit. Quare ſi homo aſſumptus aliqua trium perſonarum eſſet, & diuina ſubſtantia eſſet. Sed quæ ratio aut quæ cauſa eſt cur ab vniuerſali Eccleſia homo dicitur aſſumptus in vnam perſonam à filio Dei, & non in vnam ſubſtantiam, niſi quia vna perſona potuit eſſe eum filio Dei & non vna ſubſtantia? Non eſt ita vt putant, quod perſona & ſubſtantia in illa identitate ſint quæ nihil ſinat ſecundum perſonarum proprietatem Deum habere poſſe, quod ſecundum ſubſtantiam habere non poſſit. Habet vtique pluralitatem perſonarum & non ſubſtantiarum: ab omni enim pluralitate ſubſtantiæ immunis eſt, ſed non perſonæ. Nam perſonæ tres ſunt, ſed non ſubſtantiæ: quod quare ſit & prædicetur, nulla poteſt rationabilis reddi cauſa, ſi ita eſt intelligendum quod B. Auguſtinus dicit, ſcilicet quòd perſona ſecundum ſubſtantiam de Deo dicitur, vt ipſi exponunt, id eſt quod hæc vocabula *Perſona* & *Deus* circumquaque eiuſdem ſint ſignificationis. Quod ſi verum eſſet, nulla extaret cauſa, quare dici poſſet tres ſunt perſonæ & non tres dij, & vnus tantum Deus & non tantùm vna perſona. At talem expoſitionem minimè facerent, ſi quod Auguſtinus alibi dicit, aduerterent. Ait enim quod qui hoc nomen *Perſona* Deo dedit, pluralitatem ſignificare non voluit, ſingularitatem verò noluit. Quibus in verbis euidentiſſimè docuit quod non propter omnimodam identitatem hoc nomen *Perſona* & hoc nomen *Deus* inſtituta ſunt, vt per ea de Deo agatur. Per hoc nomen enim *Deus* pluralitas nulla in Deo poteſt oſtendi nec ſubſtantiæ nec perſonæ; nec per hoc nomen *Perſona*, omnimoda ſingularitas, ſed ſum ſingularitate ſubſtantiæ perſonarum pluralitas: & hoc eſt quod B. Augu-

ſtinus dicere intendit, qui hoc nomen *Perſona Deo dedit, pluralitatem ſignificare non voluit, ſingularitatem noluit:* nam pluralitas perſonarum abſolutè pluralitas non eſt, nec hoc nomen *Perſona* ſolam ſingularitatem ſubſtantiæ deſignat, ſed circa ſingularitatem ſubſtantiæ pluralitatem deſignat *perſonalem.*

Vnde ſupra.

VNa nobiſcum talem faciunt eſſendi Deo in aliquo diſtinctionem. Eſt Deus tribus modis in Creaturis, eſſentialiter in omnibus, in Electis per gratiam; in homine aſſumpto perſonaliter. Vt quid dicunt Deum in homine aſſumpto eſſe perſonaliter, vel hominem aſſumptum ei vnitum perſonaliter, cum ipſe homo aſſumptus perſona non ſit? potius deberet additum eſse non *perſonaliter*, quia tunc nulla quæſtio eſset an homo aſsumptus perſona eſset quæ filius eſt, vel non eſset, quia certum eſſet quod perſona filij non eſſet. Nunc autem quia *perſonaliter* appoſitum eſt, & talia verba vtique inueniuntur vbi de illa vnione agitur, veriſimile eſt, Sanctos quorum illa ſunt verba, voluiſſe hominem aſſumptum perſonam filij factum eſſe: ſi enim proprietatem perſonalem filius Dei cum homine non communicat, nulla cauſa poterit aſſignari, quare homo aſsumptus dicatur filio Dei vnitus: ſola quippe perſonalis proprietas eſt quam filius propriam habet, cætera verò cum Patre & Spiritu S. habet communia. Niſi ergo proprietas perſonalis filij cauſa ſit quare homo aſsumptus filio Dei ſit perſonaliter vnitus, nulla omnino cauſa eſt quare homo aſsumptus ei dicatur vnitus eſse potius quàm Patri vel Spiritui S. Nam cætera quæ homo aſsumptus habet ex aſsumptione, habet à Patre & à Spiritu S. ſicut & à filio, & communia cum Patre & Spiritu S. ſicut & cum filio: & ideo ſi perſonalem proprietatem filius non communicat cum homine aſsumpto, fateri oportet quod homo aſsumptus filio Dei non eſt vnitus, aut patri & Spiritui ſancto eſt vnitus. Quod quia falſum eſſe conſtat, non minus verum eſse conſtare debet quod filius Dei ſuam proprietatem homini aſsumpto contulit quando eum aſsumpſit, ſic tamen quod eam habere non deſijt, ſed vna & eadem perſona cum *homine aſſumpto extitit.*

Idem author proponit haſce quæſtiones conſequentes & reſoluit. *Quomodo intelligendum ſit, quod ſcriptum eſt: Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.*

Authoritas Athanaſij quotidiano vſu in Eccleſia Dei celeberrima hanc communicationem perſonalis proprietatis conuenienti & expreſſiſſima ſimilitudine manifeſtat, vbi ait. *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Quid verò per vnum hominem intelligere voluit quando dixit, *Anima & Caro eſt homo*, rem vnam animam & carnem eſſe non dixit, quia res vna eſse non poſſunt; ſed nec quod vnam aliquam rem conſtituant, quia nec vnam ſubſtantiam, nec aliam vnam rem. Aliam vero vnam rem non conſtituunt nec conſtituere poſſunt quàm ſubſtantiam, quod nullam habet dubitationis ſuſpicionem. At quod nec ſubſtantiam conſtituere poſſunt, in ſuperioribus oſtenſum eſt. Quando ergo dixit Athanaſius, anima & caro vnus ſunt homo, noluit ſignificare aliquam ſubſtantiam ex anima rationali & humana carne conſtare, nec ipſa aliquam ſubſtantiam eſſe, ſed ea perſonaliter ſibi vnita eſſe. Nam niſi hunc intellectum habuerit in eo quod dixit, *ſicut anima & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus*, nihil inuenietur ad propoſitum pertinere. Cuiuſmodi enim vnio inter Deum & hominem ſit, docere voluit, quod minimè docuit, ſi animam & carnem aliquam ſubſtantiam eſſe voluit, vel ex eis aliquam ſubſtantiam eſſe conſtitutam. Deus enim & homo in Chriſto non ſunt aliqua ſubſtantia, nec aliquam ſubſtantiam conſtituunt. Ad hoc docendum quod nec fuit nec eſt, nec eſſe potuit, præmitti non debuit, quod anima & caro vnus ſunt homo. Sed nec ad hoc verè præmitti potuit, demonſtrandum, quòd Deus & homo vnam perſonam conſtituant, quia & hoc falſum eſt & impoſſibile. Deum quippe & hominem impoſſibile eſt vnius perſonæ conſtitutione vniri, niſi & perſona pars perſonæ eſſet, quod ſingula rerum genera quæ perſonæ ſunt, attendenti falſum eſſe liquet & impoſſibile. Nullus enim ſpiritus alterius ſpiritus, nullus homo alterius hominis pars vllate-

nus eſſe poteſt. Quid ergo dicere intendat Athanaſius,& ad quid valeat inducta ſimilitudo, non facile prout mihi videtur, oſtendi valet, niſi quis dicere velit, quod ſicut anima & caro vna perſona ſunt,ex vnione quæ inter ipſa eſt, ſic Deus & homo vna ſunt perſona ex vnione quæ inter ipſos eſt. Nam ſicut anima carnem habet aſſumptam in ſuæ identitatem perſonæ, ſic Deus hominem in identitatem perſonæ ſuæ aſſumpſit, id eſt filius Dei. Et hoc eſt quod idem Athanaſius ait. *Vnus autem non conuerſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.* Per humanitatem hominem ſignificare voluit, quem filius Dei in Deum, hoc eſt in identitatem perſonæ ſuæ aſſumpſit. Quæ enim ſic dicuntur, tranſitionis habent proprietatem: quod eſt quando res de qua agitur, tranſit de vno ſtatu in alium, vel priorem omnino deſerendo vel cum priore alium aſſumendo. Quod falſum eſſe credendum eſt, quando homo in Deum aſſumptus eſt. Homo quippe hominis naturam retinuit & identitatem perſonæ filij Dei ſuſcepit: quem ſenſum verſus ſequens declarat, *Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ.*

Quid de quo dicatur in hac locutione, homo eſt Chriſtus.

DVbitari præterea à nonnullis ſolet, quid de quo dicatur quando dicitur *homo eſt Chriſtus.* An ſubſtantia de ſubſtantia, an perſona de ſubſtantia, vel quid aliud de quo alio? Quod enim idem de ſe enuncietur in hac locutione *homo eſt Chriſtus*, verum eſſe non poteſt. Nam non eſt idem ſenſus harum locutionum *homo eſt Chriſtus* & *Chriſtus eſt Chriſtus.* Sunt tamen qui volunt Chriſtum ſubiici in hac locutione *homo eſt Chriſtus*, & hoc nomen *homo* in ſubiecto poſitum, perſonam quæ Chriſtus eſt, ſignificare. Sicut ibi vt aiunt *homo ſedet ad dexteram Dei Patris*, id eſt perſona habens, ſibi vnitam humanam naturam. Sic & quando dicitur. *Nemo aſcendit in cælum niſi filius hominis qui eſt in cælo.* Vox iſta *filius hominis* perſonam quæ Chriſtus eſt, deſignat. Nam de homine aſſumpto hoc dictum eſſe non poteſt. Sic & in Pſalmo *homo natus eſt in ea*, hîc abſque dubio, vt aiunt, *homo* nomen eſt perſonæ in duabus naturis ſubſiſtentis, quæ & in ciuitate de qua Pſalmus, nata eſt ſecundum humanam naturam, & eam fundauit ſecundum Diuinam. Similiter quando dicitur *Puer creauit ſtellas*, vox iſta *Puer* perſonam quæ Chriſtus eſt ſignificauit, quæ reuera & ſtellas & ſtellam illam quæ Magos ad cunabula eius adduxit, creauit, non ex humana natura ſed Diuina. Nec ergo inconueniens eſt ſi in hac locutione *homo eſt Chriſtus*, hoc nomen *homo* perſonam quæ Chriſtus eſt, deſignet, vt ſit ſenſus, *homo eſt Chriſtus*, id. Chriſtus eſt Chriſtus. At ſi ſecundum hunc ſenſum vera eſt iſta, *homo eſt Chriſtus*, homo nunquam incepit eſſe Chriſtus, ſed fuit ab æterno Chriſtus. Ergo & homo Chriſtus filius Patris fuit antequam virginis Matris. Quando enim dicitur, homo eſt Chriſtus, de quodam homine hoc dicitur qui ſemper fuit Chriſtus, vel non ſemper fuit Chriſtus. Quod ſi quidam homo ſemper fuit Chriſtus, Chriſtus nunquam quidam homo non fuit, nec ipſum ad genus humanum redimendum hominem fieri neceſſarium fuit. In quo opinionis errore ſi qui ſunt, longè ab vtero aberrauerunt. Hæc quidam vitare volentes dicunt quod huius locutionis *homo eſt Chriſtus*, hic eſt ſenſus. *Humana natura eſt vnita Chriſto in vnam perſonam.* Verum quid de quo dicatur in illa re, dicere non poſſunt. Nam & ſi vnitum Chriſto in vnam perſonam ibi ſupponi dicant, nihil tamen quod alicui perſonæ ſupponi poſſit, ibi ſubiici dicunt, eo quod nulla de rebus exiſtentibus eſt eſſe vnitum Chriſto in vnam perſonam. Et ideo nec perſonæ quæ eſt Chriſtus, nec alij rei exiſtenti ſupponi poteſt. Si quid ergo alicui in prædicta locutione ſupponitur, aut perſona perſonæ, aut natura naturæ, aut natura perſonæ, aut perſona naturæ in ea ſupponitur. Sed quod perſona perſonæ, vel natura naturæ, vel perſona naturæ in ea ſupponatur, nullius, quam ego audierim, habuit aſſertio. Quare natura perſonæ in ea ſupponitur. Sed per naturam humanam aliud intelligi non poteſt quàm homo quidam conſtans ex anima rationali & carne humana, ſicut in præcedentibus ſæpenumerò monſtratum eſt, quia aliud perſona quæ Chriſtus eſt ex aſſumpta humanitate eſſe non poſſet. Prædicatio ergo quæ fit in prædicta locutione, planè oſtendit hominem aſſumptum perſonam eſſe quæ Chriſtus eſt.

Quid de quo dicatur in his locutionibus, Chriſtus eſt homo, homo eſt Deus.

QVid vero dicatur in his & aliis locutionibus Chriſtus eſt homo, homo eſt Deus, ex eo quod dictũ eſt, intelligi poteſt, ſcilicet rem humanæ naturæ quæ Chriſtus eſt, in prima prædicari id. ſubſtantia humana, quæ etiam Deus eſſe dicitur, quando homo Deus eſſe aſſeritur. Sed quid per Deum eſt intelligendum, quando cum hominem eſse prædicamus ſubſtantiam Diuinam? abſit, quia ipſa humana ſubſtantia nec eſt nec eſse poteſt, ſed perſonam diuinæ naturæ hominem eſſe adnuntiamus quando ſic dicimus, *homo eſt Deus*. Huius enim locutionis *Deus eſt homo* hic eſt ſenſus, perſona Diuinæ naturæ eſt humana ſubſtantia: ſed per humanam ſubſtantiam aliud intelligendum non eſt quàm vnitum & conſtitutum ex anima rationali & carne humana. Et ideo non vnam ſubſtantiam hîc intelligamus: ſecundum quod diſtributio fit in ſubſtantiam corpoream & incorpoream. Nulla quippe talis ſubſtantia ex anima conſtat & corpore, ſed ſubſtantiam vnam dicimus vnum ſubſiſtens. Quod niſi verbi perſonali proprietate communicaret, ipſum proculdubio humana perſona eſset, & non diuina. Vnde Auguſtinus in quodamloco ait, quod Chriſtus eſt homo aſsumptione perſonæ inferioris. Quod non propterea dixit quod voluerit Chriſtum perſonam aliquam aſsumpſiſse, ſed voluit diſtinguere rem cuius proprietates Chriſtus aſsumpſit, quæ videlicet ſi non aſsumpta eſset humana, pro certo perſona eſset quæ diuina longè eſt inferior. Et ideo ſi ſic quis hanc locutionem vellet exponere, *Deus eſt homo*, id eſt perſona Diuinæ naturæ eſt res humanæ naturæ, & homo eſt Deus, ideſt res humanæ naturæ eſt perſona Diuinæ naturæ, omnem vt videtur, calumniam poſset deuitare.

In quo rei alicuius Perſonalis diſcretio conſiſtat.

RES verò quę ſecundum hoc quod hîc de perſona agimus, perſonæ dicuntur & ſunt, non niſi homo & ſpiritus incorporei & ipſe Deus ſunt. Quia igitur in ſingularibus proprietatibus diſcretio perſonalis conſiſtit, in eis ad ſingularem proprietatem oſtendendam inquiſitio facienda eſt. Quod vt commodius fiat, de Paulo Apoſtolo, exempli cauſa velut exiſtente agamus. Paulus itaque ſine dubio perſona eſt, per quod vnde ſit diligenter inueſtigandum eſt. Non enim quia homo eſt Paulus, perſonalem habet diſcrerionem, quia hoc cum pluribus habet commune, ſed ſuam perſonalem diſcretionem cum nullo cuius origo & principium in anima eſt, quæ res eſt diſcreta atque diſcernens, quæ & propriè & principaliter vt ſuperius oſtenſum eſt, habet perſonalitatem hominis. Nam ipſa propriè diſcernit & intelligit, quia ad imaginem Dei condita eſt, ſecundum quod & ipſa perſona poteſt eſse & eſt. Qua ratione corpus perſona nec eſt nec eſse poteſt. Nam ipſum ad imaginem Dei factum non eſt. Quod totum in anima & corpore Pauli poteſt aſſignari. Anima quippe Pauli eo quod res diſcreta eſt & diſcernens, perſona eſt. Et ex eo quod hæc res eſt & diſcernens hæc perſona eſt, & inde quia ſic habet à Deo eſſe, quod cum nulla re rationali hoc eſſe vnde ipſa eſt, commune habet. Secundum hoc etiam in ipſa Trinitate perſonæ diſcernuntur, quia Pater alia perſona eſt quàm filius & Spiritus S. inde quia à ſe ſolo eſt. Nam quod à ſe ſolo eſt, nec cum filio nec cum Spiritu ſancto habet commune. Ita & filius quia à ſolo Patre eſt, alia perſona eſt quàm Pater & filius. Ita & anima Pauli ſecundum ſuum modum exiſtendi quem à Deo habet, alia perſona eſt quàm anima Petri, quia aliud diſcretum eſt & diſcernens quàm anima Petri.

De his qui dubitant vtrum iſtorum verum ſit, ſcilicet hominem aſſumptum perſonam eſſe vel non eſſe.

MIrandum viros in Pagina Diuina exercitatos has & huiuſmodi authoritates verbis quibus ſcriptæ ſunt nolle recipere, ſed ſua eis præponere verba & sẽſum ſuum, ſenſum authorum & non authorum ſuum ordine præpoſtero & præſumptuoſe facere. Nonne ipſimet qui ſcripſerunt ea reciperent? recipe & tu, vt ſaltem in verbis ab eis non diſſentias: hoc ſciens quia verba ſola facere poſſunt hę-

reti cum. Nemo dicat, magni viri ſunt hinc & inde, & ideo quid magis verum, quid magis tenendum ſit, ſe neſcire. Certè non ſunt magni in talibus nec imitandi, qui à tam magnis quos prædiximus diſſentiunt circa articulos fidei. Nec eſt prudentis viri id negare vel affirmare, qui neſciat quod horum verum ſit vel falſum. Pium autem eſt ſentire quod vniuerſa credit Eccleſia: ſcilicet *quod homo aſſumptus veruseſt homo ex anima rationali & carne humana conſtans*, & eadem perſona cum verbo à quo aſsumptus eſt.

Vtrum anima hominis aſſumpti perſona ſit, & cuiuſmodi perſona.

IN quæſtionem à quibuſdam inductum eſt, an ipſa hominis aſſumpti anima perſona ſit, quemadmodum & cæterorum hominum animæ, & ſi perſona eſt, vtrum Diuina an humana. Eadem vero ratione qua & aliæ animæ perſonæ humanæ ſunt, videtur & ipſa perſona eſſe humana: ſiquidem rationalis ſubſtantia eſt indiuiduæ naturæ vna & diſcreta perſonaliter ab omni alia anima humana. Sed hoc eſſe non poteſt, quod ipſa perſona ſit humana, cum ipſe homo aſſumptus perſona ſit Diuina. Nunquam enim auditum eſt vel ab aliquo inuentum, quod homo aliquis alia eſſet perſona & alia eius anima. Imò ſicut ſuperius oſtenſum eſt, omnis homo eadem eſt perſona quæ & ipſius anima. Nulla itaque ratione doceri poterit quod homo aſſumptus perſona ſit Diuina, quin eadē valeat oſtendi quod anima hominis aſſumpti perſona diuina ſit, imò ipſa primo loco ſuſcipit perſonalitatem verbi, ipſa propriè perſonam gerit ſapientiæ Dei, ſiquidem in ea reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Vnde & quorundam æſtimatio habet eius non eſſe aliam ſapientiam quàm ipſam ſapientiam Dei Patris. Si ergo vnio quæ eſt inter hominem & verbum Dei, cauſa eſt quod homo aſſumptus perſona eſt, quæ eſt verbum Dei, multo magis vnio quæ eſt inter animam & verbum Dei cauſa debet eſſe, quare anima eadem perſona ſit cum verbo Dei. Quod quamuis vſus non habeat, quia tamen tam certa tamque neceſſaria ratione poteſt demonſtrari, nec vlla reſiſtit authoritas, non videtur debere negari. Attendendum tamen diligenter, cum quo vel coram quibus de hac re & conſimilibus quæſtionibus agatur, ne tale quid prædicemus vel concedamus quod puſillos ſcandalizet & pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & quorum cauſa dicit Apoſtolus ſe non comeſturum carnes in æternum, nec vinum bibiturum, ne fratrem videlicet ſuum ſcandalizet. At inferes, ſi anima hominis aſſumpti eſt perſona quæ eſt verbum Dei, quomodo non erit ipſa verbum Dei? quod ſi verbum Dei eſt, & ipſa Chriſtus eſt. Sicque anima hominis aſſumpti ille eſt, cuius ipſa anima eſt. Quod falſum eſt & impoſſibile. Huic obiectioni ſupra ſatis reſpondimus, vbi diuerſas ſubſtantias vnam poſſe eſſe perſonam oſtendimus. Sicut anima & corpus hominis vna ſunt perſona, licet diuerſæ ſubſtantiæ, nec ſequitur quod corpus anima ſit, licet perſona ſit quæ eſt anima.

Cuiuſmodi vnionem habuit Corpus cum Verbo tam in morte quam in vita.

DE vnione autem illa quæ eſt Corporis ad Verbum, quæſtio eſt vtrum ſit perſonalis, hoc eſt an ipſum corpus ipſi verbo perſonaliter vnitum ſit. Quod vero alia vnio ſit inter verbum & corpus quàm perſonalis, nec ſcripturæ alicuius teſtimonio poteſt aſtrui, nec ratione conſimili. Quæ eſt alia? nulla vt videtur. Quod quidam intelligentes dicunt Corpus cum verbo nullam habuiſſe in morte vnionem, non intelligentes illud Auguſtini ſuper Ioan. *Anima in morte Chriſti à corpore ſeparata eſt, ſed verbum à neutro.* Qua de re firmiter tenendum eſt, quod corpus & in vita & in morte eandem habuit cum verbo Dei vnionem perſonalem, ſcilicet quæ & in morte ſicut & ante mortem ipſum corpus eadem perſona fuit quæ & verbum Dei. Hoc enim quare magis abhorreatur aut reſpuatur, quàm quod homo mortuus Chriſtus fuit, & quod Chriſtus clauſus in ſepulchro tenebatur. Nemo tamen inde vult oſtendere quod mortuus homo tunc viueret & ita vita eſſet. Nonne & Chriſtus maledictum factus eſt pro nobis & peccatum, ſicut Apoſtolus dicit. Quomodo ergo abſurdius ſonat quod Chriſtus de Virgine ſumpſit & viuum & mortuum ex vnione quam cum verbo habuit, perſona Diuinæ naturæ non

fuit, cum & ipſum corpus concedant & viuum & mortuum verbo perſonaliter vnione effectum ſit, ſi corpus inde perſona Diuinæ naturæ factum non eſt. Maior enim & multo ſubtilior vnio illa fuiſſe credenda eſt quæ fuit inter verbum & corpus tam viuum quàm mortuum, quàm ſit illa quæ eſt inter animam & corpus. Quare ſi illa quæ eſt inter corpus & animam tantæ efficaciæ & virtutis eſt, quod corpus cum ſola anima vnam efficit perſonam; multo magis illa quæ eſt inter verbum & corpus debet corpus cum verbo vnam efficere perſonam, vt pote quæ multò efficacior eſt atque præſtantior ad identitatem perſonæ efficiendam. Non igitur in hoc differre ſed conuenire credendus eſt homo aſſumptus cum cæteris hominibus, vt quemadmodum cæterorum hominum anima & corpus vna & eadem ſunt perſona, ita hominis aſſumpti anima & corpus vna ſunt perſona ſed Diuina. Nec tamen anima illa corpus eſt, ſed nec corpus anima, nec ex vnione quam corpus habet cum anima corpus perſona eſt, ſed ex illa quam cum verbo habet, licet eam mediante anima habeat.

Vtrum eadem vnio ſit animæ & corporis cum verbo, an diuerſa.

POteſt etiam quæri an ex eadē vnione corpus & anima ſint vnita verbo? quod non æſtimo verum eſſe, licet verbum cum eis vnam & eandem habeat vnionem. Nam poteſt aliquis vna dilectione cum duobus iungi, qui tamen ad eundem non vnam dilectionem habent, ſed vterque propriam, maiorē alter, alter minorē. Quod & in his quæ ſubiecta ſunt oculis fere videmus. Vnā enim iuncturā tectū cum parietibus habet, parietes tamen cum tecto non ſemper vno modo coniunguntur. In locutionibus enunciatiuis duæ dictiones per tertiam connectuntur, diuerſo quidem modo quantum ad connexorum ſpectat officium & poteſtatem. Vnde altera earum ſuppoſitus terminus eſt, & altera prædicatus: ſed illa cum vtriſque quantum ad ipſius pertinet proprietatem vno & eodem modo. Quia ergo inter res corporeas & ſenſibus humanis ſubiectas iuncturam & vnionem de qua locuti ſumus, factam eſſe videmus, inter Creatorem & Creaturas hoc eſt inter verbum & animam & corpus eam fieri poſſe nequaquam dubitare debemus id eſt non eadem vnione animam & corpus cum verbo Dei eſſe vnita. Quod tamen diuerſis vnionibus vnita ei ſint, dicendum eſſe non credo: quoniam illa vnio quam anima cum corpore habet, illius eſt cauſa quam corpus cum Verbo habet, & quaſi eam continens: ſed inter continens & contentum pluralitas non ſolet aſſignari, minus verò diuerſitas.

Quomodo intelligendum ſit quod dicit Ambroſius; Clamat homo ſeparatione Diuinitatis moriturus.

SVnt nonnulli ſicut prædiximus qui inter verbum & corpus in triduo mortis Chriſti nullam putant fuiſſe vnionem, quod non ſolum rationibus ſuis verum & ſanctorum authoritatibus perſuadere conantur. Ait enim Ambroſius ſuper pſal. illum. *Deus Deus meus reſpice in me. Clamat homo ſeparatione Diuinitatis moriturus.* Diuinitas enim vita eſt, & vbi vita eſt, mors ſimul eſſe non poteſt. Hac authoritate Diuinitatem à corpore fuiſſe ſeparatam in morte contendunt, etſi non ab anima. Sed vt quibuſdam viſum eſt, non alia de cauſa dixit Diuinitatem ab eo fuiſſe ſeparatam in morte, niſi quia virtute potentiæ ſuæ nullum ei tunc præbuit defenſionis auxilium contra mortem, quomodo vnus homo dicitur alium deſerere licet corporaliter ſit iuxta illum: quia ei contra vim quæ illi infertur, nullam cum poſſit, parat defenſionem. Verum expoſitioni huic non videtur congruere quod ſequitur. *Diuinitas enim vita eſt, & vbi vita eſt, mors ſimul eſſe non poteſt.* Multorum vero vita Diuinitas eo modo poteſt dici. Nam multos à morte defendit & multi mortui ſunt, multique morituri hoc modo ſeparatione diuinitatis. Potuit etiam vnuſquiſque noſtrum dicere imminente ſibi paſſione *Deus Deus meus quare me dereliquiſti?* & ſe Diuinitatis ſeparatione clamare moriturum. Quærenda eſt alia intelligentia in verbis iſtis, vt ſoli Chriſto conueniat quod dictum eſt. *Clamat homo*, &c. Forſitan eo modo dixit Ambroſius hominem ſeparatione diuinitatis moriturum, quo Beda ſupra Marcum, dixit Chriſtum tæduiſſe & doluiſſe & anxie-

tates ſuſtinuiſſe ſemota iucunditate æternæ Diuinitatis. Quod cum dixit, paſſionis hominis inexpertem & immunem Diuinitatem eſſe oſtendit, ad quam paſſio nullo modo pertingere potuit. Hoc modo forſitan dixit Ambroſius hominem ſeparatione Diuinitatis morituru, quia Diuinitas ab his quæ in morte homo paſſurus erat incommutabilis & ſeparata permanſit. Iſt enim, inquit, Diuinitas vita, vita non qualiſcunque ſed æterna, qua nihil doloris & paſſionis, nihil quod mortem ſecum afferre ſolet, ſuſcipere poſſit. Poteſt & aliter intelligi. *Clamat hic ſeparatione Diuinitatis &c.* Vox ſine dubio veteris hominis eſt, à qua Diuinitas eſt ſeparata cum peccauit. Vnde & poſt peccatum deum latuiſſe ſcribitur ad auram poſt meridiem, ſeque à facie Dei abſcondiſſe eo quod nudus erat, ante peccatum enim præſentia Diuinitatis cum ipſo erat, quæ eum à morte & ab omni cauſa mortis immunem & ſecurum faciebat. Sed poſtquam peccauit, cum huiuſmodi præſentia Diuinitatis deſeruit, vnde non ſolum morituus erat, ſed etiam neceſſitati mortis addictus. Propter quod Chriſtus ſeruans perſonam veteris hominis clamat ſeparatione Diuinitatis morituru, quia hoc eum cum noſtris habuit commune, quod cum præſentia Diuinitatis nec à morte nec à mortis cauſa immunem faceret. Non dico à cauſa mortis quæ in ipſo fuiſſet: nam in eo nulla erat: ſed de cauſa loquor quæ extrinſecus inferri poterat, à qua non fuit immunis, quod probauit effectus: nam verbera & vulnera quæ mortem in humano corpore operantur, & ſuſcipere potuit & ſuſcepit.

Quod non ſit neceſſe Diuinitatem ſeparatam fuiſſe à corpore Chriſti, in morte quamuis anima vinculum fuerit inter Diuinitatem & corpus.

HAnc verò non ſuſcipũt expoſitionẽ, qui ſuperficiei verborũ Ambroſij adhærentes ſicut littera ſonare videtur, perſonalẽ vnionem Diuinitatis à corpore fuiſſe in morte diſiunctã dogmatizan, tinnitentes authoritati B. Auguſtini, vbi ait animã vinculũ fuiſſe inter Diuinitatẽ & Corpus. Quare neceſſe fuit eam à corpore ſeparari, animâ ſeparatâ ab eodem. Non enim poſſunt extrema connecti medio diſiuncto ab vtroque eorundem vel ab altero. Addunt etiam illud Athanaſij. *Qui non crediderit hominem denuo aſſumptũ, anathema ſit.* Quod pro corpore ſolo dictũ eſſe putant quod in morte depoſitum eſt à verbo ſecundum eos, & in reſurrectione reſumptum. Quod nequaquam ita credendum eſt. Nos enim de cuiuſmodi reſumptione dixerit Athanaſius, ſupra docuimus. Quod autem dicunt animam vinculum fuiſſe inter Diuinitatem & carnem, recipimus: ſed quod aiunt medio ab vtroque vel ab altero extremorum ſublato, hoc eſt anima à carne extrema connecti, ideſt Diuinitatem & Corpus vnita ſimul eſſe non poſſe, non recipimus. Contingit enim ſæpenumero in incaſtraturis aliiſque ligaturis materialibus quod niſi eo ſemoto quo prius iungebantur, cõiuncta non poſſunt permanere extrema. Veruntamen quid de huiuſmodi connexionibus ad vnionem Diuinitatis cum corpore Chriſti? nam ſupra omnem rerum materiam eſt, & abſque ſimili & exemplo quod Diuinitas hominis naturæ perſonaliter eſt vnita. Vnde ſicut ipſa vnio Diuinitatis cum corpore Chriſti incõprehenſibiliter atq; ineffabiliter anima mediante facta eſt, ſic & incomprehenſibile atque ineffabile eſt, quod anima ſeclusa poſt mortẽ à corpore Chriſti Diuinitas ab eodem ſeparata non eſt. Spiritualis namque vnio & ſeparatio magis fide comprehenditur quàm rationis diſcuſſione. Spiritus ſiquidem per amorem & cognitionem abſentibus præſens eſſe poteſt. Vnde Apoſtolus Corinthiis *Vobis congregatis in vnum cum meo Spiritu.* Spiritum ſuum dicit eis poſſe præſentem eſſe, licet ipſe corpore fuerit abſens, quod & de B. Martino & B. Benedicto legimus. Quod quidem quomodo factum ſit, alius homo non percipit, qui non capit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Apoſtolus etiam Corinthiis eiſdem ſcribens dicit ſe raptum fuiſſe vſque ad tertium cœlum, ſeque neſcire *Vtrum in corpore an extra corpus.* Quod nullo modo dixiſſet, niſi extra corpus hoc factum eſſe potuiſſet. Nec tamen ſi extra corpus hoc factum eſt, ideſt quod anima eius extra corpus rapta fuerit, ideo corpus eius exanime vel mortuum interim fuiſſe credendum eſt. Vita ſiquidem illa remanſit quæ cum corpore moritur, licet non illa quæ ex corpore migrat. Quæ tamen vita, id eſt quæ à corpore migrat, vinculum quoddam eſt inter vitam illam quæ cum corpore moritur & corpus. Ex quo manifeſtè

oſtenditur,quod non ſemper ea quæ aliquo medio coniuncta ſunt,eo ab altero eorum remoto vel ab vtroque neceſſe ſit diſiungi:duo frequenter tertio mediante in amorem fœderantur,quo tamen vtrique eorum offenſo,illinihilominus remanent fœderati. Fides ſine dubio vinculum eſt quo fideles Deo connectuntur, cui tamen firmius adhærebunt, vbi illa non erit. Hæc illis reſpondemus qui conantur oſtendere Diuinitatem ſeparatam fuiſſe à Corpore Chriſti in morte eius authoritate Auguſtini, qua dicit animam vinculum fuiſſe inter Diuinitatem & Corpus Chriſti.

Quem effectum habuit in Corpore mortuo vnio Diuinitatis in Triduo mortis Chriſti.

QVærunt à nobis quem effectum habuit Diuinitas in corpore mortuo ſub triduo mortis Chriſti : ſiquidem tunc verè mortuum fuit, quemadmodum & aliorum hominum corpora poſt animarum ſeparationem. Nam quod dicitur à corruptionis diſſolutione ipſum corpus in ſua integritate diuinitas cõſeruaſſe, nihil quod proprium ſit corporis illius oſtenditur illi præſtitiſſe. Nam multis ſanctorum corporibus hoc ipſum Diuinæ virtutis beneficio credimus collatum eſſe, ideſt ea diſſolutione corruptionis conſeruata non per triduum ſed vſque ad diem reſurrectionis à die depoſitionis eorum. Qui ita differit, non intelligit quod communio vniuerſalis non ſemper paritatem facit in ſingularibus. Nam ſanctorum corpora poſt reſurrectionem immortalitatem & impaſſibilitatem communem cum Corpore Chriſti habebunt, & tamen ipſum Corpus Chriſti immortalitate & impaſſiblitate differt à corporibus Sanctorũ, quæ in claritate & glorificatione incõparabiliter ſuperabit. Ipſa enim Sanctorũ corpora magnam inter ſe in claritate habebunt differentiam,ſicut dicit Apoſtolus. *Stella enim à ſtella differt in claritate &c.* Vnde pro certo tenendum eſt & ſine hæſitatione prædicandum, quod Corpus Chriſti longè ineffabilius atque mirabilius tẽpore triduanæ mortis integritatẽ incorruptionis habuit quàm illorum corpora quæ gratia Dei vel balſami perfuſione poſt mortem incorrupta ſeruantur. Talem nimirum habuit incorruptionis integritatem ac tantam,qualem ac quantam nullatenus habere poſſet niſi Diuinitas ei perſonaliter coniuncta fuiſſet. Huic parti ratio conſentit, fides piè credentium non diſſentit. Secunda poſt Apoſtolos Eccleſiæ lumina Hieronymus & Auguſtinus ſcriptis ſuis confirmant. *Verbum*, inquit Hieronymus, *ex quo hominem ſuſcepit, nunquam depoſuit.* Scio contentionem tuam & ceruicem duriſſimam,nomine inquies hominis animam hominis intellexit,à qua verbum ſeparatum non eſt ex quo ei ſemel vnitum eſt. Sicut Athanaſius per hominem corpus hominis deſignauit, vbi ſcriptum eſt. *Qui non crediderit hominem denuo aſſumptum &c.* Cum enim hoc pro anima verum eſſe non poſſit,oportet quod pro corpore dictum ſit quod Verbũ depoſuit in morte & tertia die reſumpſit. Ergo vtramque iſtarum concedis. *Verbũ depoſuit hominem, verbum nunquam depoſuit hominem*; quæ quidem formam habent contradictionis, etſi non veritatem ſecundum intellectum tuum, immo & formam & veritatem contradictionis habent ſecundum intellectum ſanum. Quem enim hominẽ Verbũ depoſuit niſi quem aſſumpſit ? non eſt autẽ ab eo aſſumptus niſi vnus quem nunquam depoſuit teſte Hieronymo:quare eundem depoſuit quem nunquam depoſuit. Quam vero determinationem proferre poteris competentem & congruam ei quod dicit Auguſtinus ſuper Ioannem,vbi animam à carne ſeparatam aſſerit,ſed Verbũ à neutro ? Item ſi in triduo illo Diuinitas aliter non fuit in corpore Chriſti quàm ſit in aliis Creaturis,hoc eſt eſſentialiter, quâ figurâ loquendi verum erit Deum mortuum fuiſſe, Deum in ſepulchro iacuiſſe ? Ergo erat Diuinitas in corpore, illo mortuo aliter quàm ſit in cæteris Creaturis, hoc eſt perſonali vnione, propter quam dicit B. Aug. Homil. 47. ſuper Ioan. *non ſolum animam ſed & carnem ſine anima Chriſtum fuiſſe.*

IDEA THEOLOGIÆ PSEVDO-SCHOLASTICÆ.

Ex lib. 1. Gualteri de S. Victore.

FXtat, vt alio loco diximus, in Bibliotheca San-Victorina codex Manuſcriptus M. Gualteri de S. Victore 4. libris diſtinctus contra 4. celeberrimos ſui ſeculi Magiſtros, Petrum Abaëlardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum & Petrum Pictauinum, quos vocat 4. Franciæ labyrinthos & nouos Hæreticos. Scribebat autem circa an. 1180. quo tempore vnus è quatuor ſupererat in viuis Pictauinus, Lombardi diſcipulus, idemque Præpoſitus Scholarum celeberrimi illius Petri Comeſtoris: quem, quia Theologiam Scholaſticam ſubtilius & curioſius quàm cæteri tractabat, Gualterus ſibi potiſſimum aſſumit libro 4. debellandum, vt Abaëlardum & Lombardum ſectæ illius Principes & coryphæos acerbè in aliis libris inſectatur. Ergo ex illo opere, quoniam nondum in lucem prodiit, iuuat quæ ſequuntur veluti Ideam Theologiæ Pſeudo-Scholaſticæ proponere, vt agnoſcant poſteri, quid deinde mutationis acceperit docendi methodus conſecutis temporibus. Sunt autem Libri 1. ſumma hæc capita 18.

1. De nouis Hæreticis & fantaſtico Chriſto ipſorum. Vnde oriantur.
2. Quod Chriſtus ſit Deus & homo: aliud ſine initio: aliud à certo initio.
3. De nouis hæreticis qui *dicunt Chriſtum non eſſe aliquid* in eo quod eſt homo.
4. Quanta temeritas negare Chriſtum aliquem hominem vel aliquid compoſitum.
5. De illo qui negauit Chriſtum eſſe aliquid quod ſit homo.
6. De illo qui dicit quod Chriſtus non eſt aliquid quod fuit ab æterno.
7. De his qui habent pro inconuenienti quod Deus ſit aliquid quod non ſemper fuit.
8. Quod melius creditur Chriſto quàm Hæretico.
9. De illo qui dicit quod Chriſtus non eſt aliquid ex Virgine, ſed eius veſtis tantum ineſt, & quare dicatur homo in perſona non in natura aſſumptus.
10. De illo qui negat in Chriſto aliquod compoſitum ex anima & carne.
11. De illis qui concedunt nobiſcum quod Chriſtus eſt homo, ſed hæretico ſenſu.
12. De illo qui dicit, Hæc ſpecies *homo* non conuenit Chriſto.
13. De illo qui dicit in Chriſto Incarnationem veluti veſtem eius, non proprietatem fuiſſe.
14. De his qui dicunt, *Humanitas nihil eſt.*
15. Quod conſtat, quia perſona non eſt vnita perſonæ, nec habens hominem eſt ſibi vnitum.
16. De illo qui dicit quod Chriſtus non eſt niſi quod fuit ab æterno.
17. Quod homo aſſumptus eſt & veriſſimè dicitur, *Perſona*, ſed non alia quàm verbi.
18. Quod homine aſſumpto non *Quaternitas facta eſt.*

Præmittit verò hunc Titulum. Incipit LIBER M. WALTERI PRIORIS S. VICTORIS PARISIVS *contra manifeſtas & damnatas etiam in Conciliis hæreſes, quas prædicti Sophiſtæ libris Sententiarum ſuarum reponunt, acuunt, limant, roborant, ſub hoc eodem Capitulo ſubiecto.* De intelligentia harum locutionum *Deus factus eſt homo. Deus eſt homo.* An his locutionibus dicatur *factus eſſe aliquid, vel eſſe aliquid, vel eſt.* Subiungit verò quæ ſequuntur.

Oritur hic quæſtio valde difficilis. Quæritur enim vtrum in his locutionibus. *Deus factus eſt homo. Filius Dei factus eſt filius hominis. Deus eſt homo & homo eſt Deus, dicatur Deus factus eſſe aliquid, vel eſſe aliquid, vel aliquid dicatur eſſe Deus.* Vel quæ ſit intelligentia earum. In ſolutione huius Quæſtionis magna inter Doctores contrarietas inuenitur. Dicunt tamen quidam quod homo aſſumptus non eſt Deus. Non eſt perſona. Non eſt filius Dei. Non eſt Rex ſeculorum. Non eſt Dominus gloriæ; Nec etiam ſecundum eoſdem, Homo aſſumptus eſt homo, vel aliquis ho-

mo, nec filius hominis, nec filius Virginis, nec aliquid quod ſit homo vel Deus. Et quod filius Dei non eſt niſi id quod fuit ab æterno, ſed Deus tantum. Et quando Deus factus eſt homo, non eſt factus aliquid: per hominem enim aſſumptum non intelligunt niſi carnem & animam. Dicunt etiam prædicti, quod ex anima & carne Chriſti nihil eſt compoſitum, nec id quod eſt homo, nec aliud, ſed verbum duobus ſcilicet anima & corpore quaſi indumento veſtitum & ideo verus homo factus dicitur; quia veritatem carnis & animæ accepit qui & ſecundum habitum tantum Deum hominem factum dicũt: & ſic ſecundum iſtos dicitur homo, quia hominem accepit, & eſſe homo quia habet hominem, vel quia eſt habens hominem: & homo eſt factus Deus, quia aſſumptus eſt à Deo & homo eſſe Deus, quia habens hominem eſt Deus.

In 2. C. authoritates profert S. Auguſtini aliorumque SS. Patrum & quorundam Catholicorum Doctorum contra ſupradictam opinionem. *Auguſtinus ait in lib. de Trinit. Cum legitur verbum caro factum eſt, in verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnoſco verum hominis filium, & vtrumque ſimul vnam perſonam Deum & hominem ineffabilis gratiæ largitate coniunctum.* Idem in Enchiridio. *Chriſtus Ieſus Deus de Deo eſt, homo autem natus eſt de Spiritu S. ex Maria Virgine. Vtrinque ſubſtantia Diuina ſcilicet & humana, filius eſt vnicus Dei Patris omnipotentis de quo procedit Spiritus Sanctus, vtrinque vnus, ſed aliud propter verbum, aliud propter hominem, non duo filij Deus & homo, ſed vnus Dei filius, Deus ſine initio, homo à certo initio.* Itẽ in eodem. *Quid natura humana in Chriſto homine meruit, vt in vnitatem perſonæ vnici filij Dei ſingularitas aſſumpta eſſet? quæ bona voluntas? quæ bona opera præceſſerunt quibus mereretur iſte homo vna fieri perſona cum Deo? nunquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter promereretur Deum? ex quo nempe homo cœpit eſſe, non aliud cœpit eſſe homo quàm Dei filius & hic vnicus: & propterea Dei* verbum quod ab illo ſuſcepta caro facta eſt. &c.

In 3. Cap. ſic ſcribit. *Quæro ab his qui dicunt Chriſtum non eſſe aliquid in eo quod eſt homo* quid per *me* ſignificetur cum dicitur *Pater maior me eſt*, vel quod eſt Chriſtus vel quod non eſt Chriſtus. Si dicatur aliquid quod non eſt Chriſtus, per *me* ſignificari in tali loco, conſequens eſt vt Chriſtus dicat ſe eſſe aliquid quod ipſe non eſt; quod non conuenit veritati. Item ſi aliquid per *me*, ibi ſignificatur quod non eſt Chriſtus, illud eſt vel ſubſtantia increata vel creata. Sed nulla ſubſtantia increata maior eſt Patre. Si autem ſubſtantia creata eſt, vel eſt rationalis vel irrationalis: ſubſtantia irrationalis eſſe non poteſt. Ergo eſt ſubſtantia rationalis: & ſic Angelica vel humana. Sed Angelica non eſt, ergo humana. Oportet itaque ibi ſignificari ſubſtantiam creatam & rationalem & humanam, id eſt hominem conſtantem ex anima & carne. Vnde Auguſtinus dicit *quod Pars cum dicitur*, Verbum Caro factum eſt, *ponitur pro toto, ſcilicet homine.* Neceſſariò ergo homo eſt aliquod totum, cuius pars ſit caro, & illud totum ſit Chriſtus. Vnde idem dicit. *Deus in æternam perſonam Diuinitatis temporalem accepit ſubſtantiam carnis* Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, ad Deum meum & Deum veſtrum. Si Chriſtus non eſt aliqua ſubſtantia creata, non habet **Deum, quia tantum Creaturæ Deus eſt. Sed ipſe dicit ſe habere Deum: neceſſario** ergo eſt aliquid quod habet Deum vel Creatorem. Dicitur alibi quod tota eſt unio hominis & Dei: quod totum Deus, totum homo. Si enim ſic intelligatur. *Deus eſt homo id. hominem habet*; ſic poteſt dici *Anima eſt caro*, id. *habet carnem.* Auguſtinus dicit ſuper Ioan. *quod aliud eſt verbum Dei, & aliud homo.* Quid hic per hominem ſignificatur? ſi enim vt quidam opinantur hîc per hominem anima & caro intelligitur, & non aliquid compoſitum ex duobus, dicere debet, aliud eſt verbum Dei, aliud eſt homo, cum per hominem pluta & non vnum ſignificetur.

Sequentibus capitibus huiuſce libri alia multa profert ſanctorum Doctorum teſtimonia, quibus ſubiungit authoritates Anſelmi Cantuarienſis, Hugonis de S. Victore & Bernardi Clarevallenſis. Poſtea tranſit ad librũ 2. in quo prædictas hæreſes & plenius exponit, & antiquitus damnatas fuiſſe in Conciliis manifeſtius probat.

Ex lib. 2. eiuſdem Gualteri.

HVius ſce libri octo proponit ſumma Capita. 1. De quodam libro vnde prædicti errores pullulare videntur.

2. De Erroribus nouorum Hæreticorum ab Epiſcopis maximè Cardinalibus corrigendis.

3. Quod non re....Catholica fides, & quot hæreſes pullulare cœperint ex doctrina Abaëlardi.

4. Cur tertia in Trinitate perſona dicitur filius ab Hæreticis.

5. Quod omnis homo ſemel homo iam aliud eſſe non poteſt, & mortuus homo eſt.

6. De Naturalibus argumentis veri hominis I. C. ex Euangeliis.

7. De naturalibus documentis veri Dei I. C. ex Euangeliis.

8. Quod tam prodit Chriſtum qui verum hominem negat, quàm qui verum Deum non credit.

Aggreditur ergo agere contra hæreticum quendam librum, talem præ ſe ferentem titulum ſupreſſo nomine Authoris. INCIPIVNT SENTENTIÆ DIVINITATIS, ſicque incipientem. OMNES SITIENTES VENITE AD AQVAS ET BIBITE AMICI ET INEBRIAMINI CHARISSIMI. Quem librum profanis vocum nouitatibus & oppoſitionibus falſi nominis ſcientiæ refertum ait vulgò adſcriptum fuiſſe Petro Abaëlardo, aut ſaltem ex eius libris excerptum, eumque ait fuiſſe damnatum ab Innocentio II. data ad Archiepiſcopos Remenſem & Senonenſem eorumque ſuffraganeos hac Bulla.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorm Dei Archiepiſcopis Remenſi & Senonenſi S. & H. eorumque Suffraganeis Sal. & Apoſt. bened. Per præſentia ſcripta mandamus fraternitati veſtræ, vt libros erroris Petri Abaëlardi vbicunque reperti fuerint, igni faciatis comburi &c. Atque ex eo libro capita quædam excerpit Hæretica, quibus opponit Catholicam veritatem hoc modo.

Hæreſis. *Quædam ſunt perſonæ tantum & non perſonales*: perſonæ & non perſonales, ſicuti humanitas & albedo quæ non faciunt aliquam differentiam à cæteris: quia quidquid eſt homo albus humanitate & albedine eſt homo albus. *Perſonæ & perſonales*: ſicut Socratitas vel Platonitas, ſcilicet collectio omnium proprietatum compacta ex omnibus accidentibus partium tam ſubſtantialium quàm accidentalium, forma videlicet diſſimilitudinis, quæ facit eum diuerſum ab omnibus aliis. Nunquam enim talis collectio ita integra & plena in vllo alio reperitur. Hoc dicitur *Perſona*, dicitur & *Perſona per ſe ſola*. Nunc verò à Naturalibus ad Theologiam tranſeamus, ſimiliter aſſignando quod quædam proprietates ſunt. Eſt perſona & non perſonalis, & quædam perſona perſonalis. *Perſona & non perſonalis*, ſicut eſt Diuinitas quæ omnium perſonarum communis eſt. Sicut enim Diuinitate Pater eſt Deus, ita ſingulæ Perſonæ perſonalis proprietas eſt, paternitas, filiatio, connexio vtriuſque. Item verè igitur & Catholicè dicamus Deum & hominem non eſſe partes Chriſti, quoniam nihil Chriſti eſt Deus, nihil Chriſti eſt homo. Iam enim pars aliqua totum ſuum eſſet. Si opponatur, Diuinitas Chriſti eſt aliquid Chriſti, & ipſa eſt Deus; ergo aliquid Chriſti eſt Deus. Reſpondeo. Imo tanquam de alio & alio atque diuerſo loquimur de Deo & Diuinitate. Secundum Auguſt. *Chriſtus conſtat ex Deo & homine*, ſic intelligitur, non ex eo quod Deus, non ex eo quod homo, ſed ex diuinitate & humanitate. Ex his vtique conſtat. Item non eſt naturæ aliquid agere, ſed perſonæ; ſicut naturæ, non eſt gignere ſed perſonæ. Item ſi dixerimus naturam quæ communis eſt trium perſonarum, genitam eſſe, proculdubio natura genita Pater non eſt, imò à natura Patris quæ non eſt genita, alia eſt.

CATHOLICA. Hilarius. Ecce non deſeruit natus Deus naturæ ſuæ proprietatem, & naturali in Patre virtute eſt, cuius in ſe tenet naturali natiuitate naturam. Aug. contra Felician. *Fatendum tibi eſt ex ſubſtantia Patris extitiſſe filium, ſi & natus & Deus eſt, aut filium pariter & Deum negare.* Nam filius in eo quod eſt indifferentis naturæ, veraciter prolatus eſt: quia ex eo qui eſt id, ex gignente non diſſimilis natus eſt. Qui naſcendo incorruptibilem ex incorruptibili patre videtur habere ſubſtantiam. Vna eſt Patris ſubſtantia, vna perſona. Hæc cum genuit, ex hæc ſine du-

bio non diuerſa noſcitur extitiſſe, ſed altera: quæ nonaliud docetur eſſe quàm prima, dum & communis docetur & propria. Communis inquam vnitate ſubſtantiæ, propria diſcretione perſonæ.

Cum ergo in ſe extet illa quæ nata eſt, non quidquid acciderit huic ad gignentem neceſſariò tranſit, ſicut ad naſcentem quidquid proprium ac ſubſtantiale gignentis conſtat eſſe, prouenit. Non enim ſicut filio ipſa generatione collata eſt diuinitas Patris, ſic ad Patrem refertur humilitas prolis. Quod ideo non ſit, quia quamuis de vna id. Patris ſubſtantia fuerit ſimilis genita, tamen quia iam in ſeipſa extat, quæcunque huic extrinſecus ingeruntur, non communia dicuntur eſſe, ſed propria. Auguſt. de Trinit. *Si gignens ad id quod gignit principium eſt, Pater ad filium principium eſt, quia genuit eum.* Si ergo & qui datur, principium habet eum à quo datur, fatendum eſt Patrem & filium principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia. Idem ſuper Euang. Ioan. *Non loquitur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. Audire vel ſcire illi eſſe eſt.* Item quæcunque viderit Patrem facientem filius, audit filius & videt filius, & ipſa viſio & auditio filius, & hoc eſt illi audire quod eſſe: & hoc eſt illi videre quod eſſe. Ab illo audiet à quo procedit. Audire illi ſcire eſt. Scire verò eſſe eſt eſſe. A quo illi eſſentia, ab illo ſcientia. Ab illo ergo audientia, quod nihil eſt aliud quàm eſſentia. Bernardus ad Eugenium. *Vnus eſt Deus, ſi dici poſſit, vniſſimus eſt. Idem eſt ſemper & vno modo. Non modo vnus ſibi, & in ſe vnus eſt. Nihil in ſe niſi ſe habet: non ex tempore alterationem habet non in ſubſtantia alteritatem. Trinitas eſt tamen* DEUS. *Quid ergo?* deſtruimus quod dictum eſt de Trinitate? non, ſed ſtatuimus. Si ita, quomodo non numerus? Si vnum, vbi numerus? Sed habeo inquis, quod numerem & quod non numerem. Subſtantia vna eſt, perſonæ tres ſunt. Quid obſcurum in hoc? nihil, ſi perſonæ ſeorſum à ſubſtantia cogitentur. Nunc verò cum 3. illæ perſonæ, illa ſubſtantia ſint, & illa vna ſubſtantia tres illæ illæ perſonæ, quis numerum neget? nam verè tres ſunt. Quis numeret tamen? nam verè vnum ſunt. Quid numeraſti? naturas, vel ſubſtantias aut Diuinitates? vna eſt. Multa dicuntur eſſe in Deo, ſed multa vnum, &c.

Idem Bernardus ſuper Cant. Cant. 69. *Recedant à nobis, Kariſſimi, nouelli illi non Dialectici ſed hæretici, qui impiſſimè diſputant.* Diuinitate, inquiunt, Deus eſt, ſed Diuinitas Deus non eſt. Vnde nuper in Concilio quod D. Eugenius Papa Remis celebrauit, peruerſa viſa eſt illa expoſitio in lib. Gilberti Pictauienſis Epiſcopi. Nam dicente Boëtio: Cum dicitur DEUS, DEUS pertinet ad ſubſtantiam, noſter Commentator intulit, *non quæ Deus eſt, ſed qua eſt*: quod abſit, vt aſſentiat fides Catholica: eſſe videlicet ſubſtantiam, vel aliquam omnino rem qua Deus ſit & quæ Deus non ſit. Sed hoc & cætera reprehenſione digna proprio ore in eodem Conuentu damnauit. Sed hæc loquimur propter eos qui adhuc librum illum contra Apoſtolicum vtique promulgatum ibidem interdictum tranſcribere & lectitare feruntur.

CATHOLICA. Iſti enim de humanitate multa delirant. *Homo*, inquiunt, *humanitate homo eſt & humanitati debet, quod homo eſt.* Falſum eſt. Immo nec ſic propriè **humanitati, ſed Deo debet, qui & materiam & quod inde eſt, totum fecit. nulla** materia vel ſe vel de ſe operatur aut facit. *Humanitas*, inquiunt, *nihil eſt.* Falſum eſt. Totus mundus canit: æqualis Chriſtus Patri ſecundum Diuinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem. Quod ſi nihil eſt Chriſtus, non iam minor, ſed nihil ſecundum humanitatem. Veritas dicit *Pater maior me eſt.* Vtique ſecundum humanitatem: quod nemo niſi hæreticus dubitat. Quod ſi nihil eſt, ipſe qui loquitur, nihil eſt ſecundum humanitatem. V. G. propriè tranſire eius eſt ab humanitate in Diuinitatem nos inducere: quia poſt iudicium in diuinitate eius videbimus, quem ante iudicium cernimus in humanitate. Quid multis? omnes Catholici innumeris teſtimoniis aſtruunt in Chriſto humanæ naturæ ſeu humanitatis aſſumptionem vel ſuſceptionem. Apoſtolica etiam authoritas: *Apparuit*, inquit, benignitas id. Diuinitas & humanitas Saluatoris. Quæ ſi nihil eſt, nulla humanæ naturæ vel humanitatis facta eſt in Chriſto ſuſceptio. Sed ſi nulla ſuſceptio, nulla incarnatio. Si nulla incarnatio, nulla fidei Chriſtianæ religio. Si nulla religio, nullus Chriſtianus. Quis non horreat? eſt igitur humanitas quæ accidentaliter & non ſubſtantialiter dicatur. Eſt & quæ ſubſtantialiter id. naturaliter ſit. Quod ſi nihil eſt, nullus

homo humanitate homo eſt. O inſania! Dialecticus proponit. *Omnis homo humanitate homo eſt.* Aſſumit hæreticus: *At humanitas* nihil eſt. Diabolus concludit. *Nihil eſt ergo omnis homo.* Si autem humanitate homo eſt omnis homo & humanitas nihil eſt; ergo omnis homo, homo non eſt. O Monſtrum! Ecce quomodo inuicem deſtruunt, inuicem concedunt & nihili fiunt. *Humanitati*, inquiunt, *debet homo quod homo eſt, & humanitas nihil eſt.* Ergo nihili debet quod eſt. Ille qui in veritate non ſtetit, quia mendax eſt & Pater eius. *Meum eſt*, inquit, *mendacium.* Nec humanitas eſt, inquiunt, homo eſt, nec quod homo, eſt humanitas. Veritas rerum reprobat falſas regulas Philoſophorum. Auguſtin. lib. de Trinit. *Statua*, inquit, *ex auro & aurea & aurum eſt, nec ſtatim conſequens eſt, vt vel omne aurum ſtatua, vel omnis ſtatua aurum ſit. Tamen ſtatua ex auro & aurea & aurum eſt. Sicut vas ex humo vel ex terra, humoſum terrenumque æquè humus & terra: ſed ſtatua propter aliud, & aurea propter aliud, & aurum propter aliud. Tamen aurum non tollit ſtatuæ ne aurum ſit, & è conuerſo. Aurea verò ad vtrumque relatum, vtrumque confirmat. Sic omnis homo & homo & humanum & humanitas eſt.* Omne enim relatum quod dicitur velut accidens, nec ad ſe nec ſubſtantialiter dicitur, præter id quod relatum eſt, neceſſe eſt intelligatur habere quo ſubſtantialiter ſit. *Homo eſt*, inquit lib. de Trinit. *ſubſtantia rationalis ex anima & corpore conſtans, & anima ſola dicitur homo & corpus ſolum.* Terra es, inquit, & in terram ibis. Multa inſunt homini. Qui ſi non eſt, ex quibus eſt, nec homo homo eſt. Sed hic aliter id. ſimplicæter de Deo, aliter de homine differuntur. Auguſt. l. 7. de Trin. *Omnis eſſentia quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relatiuo: ſicut homo, Dominus.* Si non eſſet homo ideſt aliqua ſubſtantia, non eſſet qui relatiuè Dominus diceretur. Sicut autem abſurdum eſt dicere. Candidum non eſſe candorem, ſic abſurdum eſt dicere ſapientem non eſſe ſapientiam. Et ſicut candor ad ſeipſum candidus dicitur, ita & ſapientia ad ſeipſam dicitur ſapiens. Et cum dicuntur tres homines vna natura, vel tres homines eiuſdem naturæ, poſſunt etiam dici tres homines ex eadem natura quoniam ex eadem natura & alii tales homines poſſunt exiſtere. Plus auri eſt tres ſtatuæ quàm ſingulæ, & minus auri eſt vna quàm duæ. Idem l. 5. *Non eſt in rebus conſiderandum quid vel ſinat vel non ſinat dici. Vſus ſermonis noſtri ſi quis rerum ipſarum intellectus eluceat.*

Hæreſis. De ſacramento Incarnationis præcipuè inquirendum, quid ſit aſſumens, quæ aſſumpta. Cui vnita ſint aſſumpta, quid aſſumens per aſſumptionem factum ſit. Et de aſſumente tenet Eccleſiæ fides, quod tertia perſona in Trinitate verbum ſcilicet Patris, filius Dei carnem aſſumpſit. Vt qui erat prius omouſion, id eſt vnius & eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, per aſſumptionem fieret gigas geminæ ſubſtantiæ. *De Myſterio Incarnationis.*

Catholica c. 3. Sufficere debuerat quod tenet Eccleſia vel propter illa quæ Innocentius Papa Epiſcopis Galliæ & filio ſuo Bernardo Clarcual. Abbati inter alia ſcripſit. Marcianus licet Laicus, Chriſtianiſſimus Imperator. *Nemo*, inquit, *Clericus vel militaris vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Chriſtiana tractare conetur in poſterum, & ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuoluere & iterum diſputare contendat. Vbi ſi Clericus erit, conſortio Clericorum remouebitur.* **Dolemus quod in Petri Abaelardi** pernicioſa doctrina Arrij, Manichæi, Neſtorij, Euthyciani & Dioſcori hæreſes pullulare cœperunt. Vnde vniuerſa ipſius Petri pernicioſa dogmata cum ſuo authore damnamus & tanquam hæretico perpetuum ſilentium imponimus. Hactenus Innocent. M. Petrus Lombardus in lib. Sententiarum ſuarum poſito tali Capitulo. De intelligentia harum locutionum *factus eſt homo, Deus eſt homo.* An his locutionibus dicatur Deus *factus eſſe aliquid vel eſſe aliquid* vel non. *Satis* inquit, *diligenter iuxta diuerſorum ſententias ſupra poſitam abſque aſſertione & præiudicio tractaui quæſtionem. Veruntamen nolo in re tanta tanquam ad dinoſcendũ difficili putare Lectorẽ iſtam ſibi noſtram ſufficere debere diſputationem. Sed legat & alia & alia quæ hîc moueri poſſunt, intelligentiore ſi poteſt mente diſcutiat &c.* Rogo vbi tu, & omnes vt tibi videtur, doctores non ſufficitis, quid facturi ſunt diſcipuli. An vis vt Catholica verba, *Deus homo factus eſt id quod fuit permanſit, & quod, non erat aſſumpſit* & alia multa his ſimilia hactenus certa & exultanti fide vbique decantata, nunc de nouis tuis friuolis diſputationibus aut non credantur aut retractentur? Sed à quibus? Catholici Patres inter ſe diſſentiunt. Etiam hæreticis vt ſentis, patrocinantur. Sed quis Ca-

tholicus ſuper his tibi credet? Audiamus tamen rem, vt dicis, difficilem, nunquam retractandam, ſed ipſo ſtatim auditu reſpuendam. Quia & in Concilio quod nuper Turonis celebrauit Alexander Papa iam damnauit hæreſim videlicet qua *Chriſtum nihil eſſe ſecundum hominem, imò nec Deum nec hominem, impiiſſimè argumentantur.*

Hæreſis. Ideo ſolus filius carnem ſuſcepit, quia homo peccando ſpecialius filium offendit, qui ſolus & propriè in Trinitate *Imago* dicitur. Cathol. Hoc quàm ſit falſum & ineptum & Auguſtinus l. de Trin. 12. & ipſa ſcriptura probat, quæ ait. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Ad imaginem Dei creauit illum. Primò dixit, *noſtram.* 2. *ſuam* 3. ad *imaginem Dei*: quod tantundem valet, vt ait Aug. ac ſi dixiſſet *ſuam.* Cur ergo Trinitas dicit *noſtram*, ſi filius ſolus & propriè imago? ſed ſicut falſam cauſam, ita falſam carnem & falſam Diuinitatem Chriſto imponit. Ita etiam ſcripturas & Catholicorum authoritates non credendo ac per hoc non intelligendo, falsò vſurpant.

Hæreſis. Dicit Aug. *qui ſuſcepit & qui ſuſcipitur, vna eſt in Trinitate perſona.* Hæc authoritas innuere videtur quod natura humana cum verbo ſit vna in Trinitate perſona Quod ſi eſt, ergo humana natura cum verbo eſt Deus, quæ nunquam ſcilicet fuit Deus: ergo non tantum Diuina natura eſt Deus, ſed & alia. Sed non cohærent iſta. Nulla ratione dici debet quod filius Dei aliquem hominem ſuſceperit. Et poſt pauca. *Sed videtur probari quod non ſola perſona aſſumpſit, imò & natura.* dicit enim Auguſt. *forma Dei accepit formam hominis & Diuinitas eſt incarnata.* Sed contra probatur, quod natura naturam non aſſumpſit, ſicut nec perſona perſonam.

Catholica. Ex Concil. Epheſ. *Si quis non confitetur carni ſecundum ſubſtantiam vnitum Dei Patris verbum, vnumque eſſe Chriſtum cum propria carne, eundemque ſcilicet verum Deum & hominē anathema ſit.* Hieron. in Cogitis me. *vnionē Diuinitatis & humanitatis inconfuſam indiuiſamque fides Catholica ſeruat, vt vnus idemque Chriſtus Dei filius atque hominis filius ſit:* quia ſcriptura ſic connectit & concorporat Deum & hominem in vna eademque perſona, vt non hominem ſeorſum, quod nefas eſt, ſed eundem ipſumque Dei filium & colimus & adoramus in vtraque natura Deum. Leo Papa. *Licet Ieſus Chriſtus in gloria ſit Patris, indeſinenter tamen ipſum partum ſalutiferum virginis adoramus*, & illius verbi & carnis inſolubilem copulam non minus ſuſcipimus in præſepi iacentem, quàm in throno paternæ altitudinis ſedentem. Aug. *forma Dei accepit formam ſerui*, vtrumque Deus propter accipientem Deum, vtrumque homo propter acceptum hominem.

Hæreſis. Si enim aliquem hominem ſuſcepit, vel illum qui natus eſt de Virgine, vel alium aliquem. At vero illum qui natus eſt de Virgine, iuxta illud, *homo natus eſt in ea & ipſe fundauit eam altiſſimus.* Sic igitur authoritates dicunt, filius Dei aſſumpſit hominem, vt faciant hominem in qualitate & non in ſubſtantia. Sic enim nomina diſtinguenda ſunt præſertim in Theologicis. Item videtur quod aſſumpſit hominem, id. rem quæ eſt homo. Aſſumpſit enim animam & corpus non diſiuncta, ſed coniuncta. Sed iſta coniuncta ſunt homo. Sed dico quod iſta nec coniuncta nec diſiuncta, ſunt homo. Si iungatur paries, tectum, fundamentum, ſunt Domus: & anima & corpus homo intelligatur, ſunt. Pro conſtituunt vel reddunt. Item aſſumpſit animatum corpus, ergo animal; id. rem quæ eſt homo, videtur aſſumpſiſſe. Ad hoc reſpondeo & dico prædicari diuerſa. In prima namque prædicatur ſubſtantialis habitus quidam medianus, qui dicitur etiam animatio. In 2. non natura ſed res prædicatur ſcilicet adiunctio animæ. Iam enim ſecundum hoc ingreſſus in ſubſtantiam eſſet corruptio ſubſtantiæ & egreſſus à ſubſtantia: quod eſt contra regulam Ariſtotelis.

Catholica. Ecce falſus homo in qualitate non in ſubſtantia. Illa enim quæ in ſubſiſtente atque in ſubiecto ſunt corpore, ſicuti color, forma, quantitas, qualitas non ſubſtantiæ ſunt ſed in ſubſtantia. v.g. nulla ſubſtantia vel nullum ſubiectum, ibi nulla qualitas nulla accidentia. Aug. *Dicit tibi homo eſt animal rationale immortale* vel ita *homo eſt ſubſtantia rationalis conſtans ex anima & corpore.* Idem de Ciuit. *Anima & corpus cum eſt vtrumque coniunctum ſimul hominis nomen habet*; quod tamen & ſingula non amittunt etiam cum de ſingulis loquimur. Scriptura interdum

atteſtatur, vt etiam cum duo iſta coniuncta ſunt & viuit homo, tamen etiam ſingula hominis vocabulo appellet. Animam ſcilicet interiorem hominem, corpus verò exteriorem animam vocans tanquam duo ſint homines, cum ſimul vtrumque ſit vnus homo. Hieronym. in ſerm. Cogitis me. *Idem verus Deus atque homo verus in vna ſubſiſtentia vel perſona ſine diuiſione aut commixtione creditur.* Veruntamen Deus verbum eſt & non caro, quanquam carnem rationabiliter animatam aſſumpſerit, hancq; ſibi vnione naturali & ſecundum ſubſiſtentiam couniuit. Hierony. ſuper Ep. ad Galat. Hebionis & Fotini hinc hæreſes retundendas quod D.N. I. C. Deus ſit, dum Apoſtolus qui à Chriſto ad prædicationem miſſus eſt, negat ſe miſſum ab homine eſſe. Subrepunt hoc loco & cæteræ hæreſes quæputatiuam Chriſti carnem vindicantes Deum aiunt Chriſtum eſſe non hominem; nec non noua hæreſis quæ dimidiatam Chriſti aſſerit diſpenſationem: atque ita Eccleſiæ fides inter tanta falſorum dogmatum naufragia conſtituta ſi Chriſtum fateatur hominem, Hebion *Fotinuſque ſubrepunt; ſi Deum eſſe contendit, Manichæus & Marcion & nouelli dogmatis authores ebulliunt. In commune itaque audiant Chriſtum & Deum eſſe & hominem, non quod alius Deus ſit & alius homo, ſed qui Deus ſemper erat, homo ob ſalutem noſtrum eſſe dignatus eſt.* Si ita Petrus perplexam quæſtionem, & vt dicit difficilem determinaſſet, proculdubio tam propriæ, quàm aliorum friuolæ argumentationes ludibrio ei forent.

Contra regulas, inquit, *Ariſtotelis eſt.* Etiam ſi eſt. *Videte*, inquit Apoſtolus, *ne quis vos decipiat per philoſophiã & inanem fallaciam hominum mente corruptorum ſecundum elementa mundi & non ſecundum Chriſtum, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Leo Papa. *Totum igitur corpus implet tota Diuinitas.* Aſſumptus homo in filium Dei ſic in vnitate perſonæ Chriſti ab ipſis corporalibus eſt receptus exordiis, nec ſine Diuinitate editus. Et in natura hominis accepit à Patre, quod in natura Diuinitatis etiam ipſe donauit. Apparuit hodie verbum carne veſtitum, & quod nunquam fuit humanis oculis viſibile, cœpit etiam manibus eſſe tractabile. & impletum eſt in fine ſeculorum quod erat ante æterna ſecula diſpoſitum. Deus Dei filius genitus de Patre coæterno, id. etiam partu eſt natus humano. Creata eſt forma ſerui ſine conditione ſeruili, nec Dei formam ſerui forma violauit Summa eſſentia. Noſque in ſuam gloriam tranſtulit, ſed quod erat, eſſe non deſtitit: quia non ita proprietates ſuas, tenuit vtraq; natura, vt perſonarum in eis poſſit eſſe diſcretio; ſed vtrumque Deus de potentia ſuſcipientis, utrumque homo de humilitate ſuſcepti.

Hæreſis. Ecce oſtenſum eſt quis aſſumpſit, ſcilicet tertia in Trinitate perſona, & quæ ſint aſſumpta, videlicet anima & caro, vel humana natura. Sed contra probatur quod natura naturam non aſſumpſit, ſicut nec perſona perſonam his rationibus. Dicunt authoritates quod aſſumens eſt aliquid factum propter aſſumpta, quod non erat.

Cum ergo Diuina natura nihil ſit facta quod non eſſet, nec ipſa aſſumens eſt nec aliquid aſſumptum. Item nihil aſſumpſit humanitatis niſi quod natum eſt de Virgine. Quia ergo Diuinitas de Virgine nata non legitur, nec ipſa carnem ſuſcepit. Item ſi Diuinitas humanam naturam ſuſcepit, plenitudinem & integritatem illius nec ſuſcipere debuit. Quod ſi plenitudinem humanitatis ſuſcepit, tunc poſſe pati, poſſe mori, quod eſt contra omnes authoritates. Cui contrarium videtur, quod Auguſtinus dicit in lib. de fide ad Petrum: *nec diuinitas Chriſti aliena eſt à natura Matris.* Neque enim natura æterna atque Diuina temporaliter concipi & naſci ex homine vllatenus poſſet, niſi ſuſceptionem veritatis humanæ veram conceptionem atque natiuitatem ineffabilis in ſe Diuinitas accepiſſet. Ex hac authoritate videtur, quod Diuina natura humanam aſſumpſit. Sed vehementer nos mouet quod eam genitam ex patre naturaliter, & ex homine natam temporaliter dicit niſi forte naturam pro perſona hîc accipiat. Alioquin ſi dixerimus naturam quæ communis eſt 3. Perſonarum genitam eſſe, proculdubio natura genita Pater non eſt, imò à natura Patris quæ non eſt genita, alia eſt.

Catholica. Ecce pluſquam Arrius qui ſuam tertiam perſonam & Deum & hominem negat, cornuto ſcilicet ſyllogiſmo, vt Catholicis illudat. Si perſonam aſſumentem dixeris, Deus non erit, quia diuina natura aſſumens non eſt: ſi negauetis, hoc non erit: alterum ex altero ſic excludit, vt vtrumque neget. Si plenitu-

dinem humanitatis ſuſcepit: Ac ſi diceret, ſi verè homo fuiſſet, tunc pati & mori poſſet: quod eſt, inquit, contra omnes authoritates. Ergo ſecundum omnes authoritates omnia falſa ſunt. Hieronym. in Cogitis me. *Verbum Patris homo fieri dignatus eſt*, qui quoniam totum ſuſcepit quod hominis, homo totus eſt, & totum accipiens quod Dei eſt, omnino aliud quàm Deus qui natus eſt ex Maria, eſſe non potuit. Sciuit & potuit in Vtero Virginis ſine ſui corruptione miſceri atque vniri, vt vnus eſſet Chriſtus Deus & homo vna perſona, vna ſubſtantia. Hinc & Theotocon eam veraciter confitemur Dei genitricem, nec non Chriſtotocon. Leo Papa. *Non ſic Creatura in ſocietatem ſui Creatoris aſſumpta eſt, vt ille eſſet habitator & illa habitaculum: ſed itaut nec alteri altera natura inſereretur. Salua igitur & manente vtriuſque naturæ proprietate in vnam coëunte perſonam ſuſcipitur ab æternitate mortalitas & natura inuiolabilis non eſt vnita paſſibili ante tempora manens eſſe cœpit ex tempore. Aſſumpta eſt de Matre hominis natura & inuiolabilis virginitas ſubſtantiam miniſtrauit.* Auguſt. de Trinit. *Si quæritur à me ipſa incarnatio quomodo facta ſit, ipſum Dei verbum dico carnem factum, id. hominem factum vt ibi ſit non tantum verbum Dei & hominis Caro ſed & rationabilis hominis anima, atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum & homo propter hominem.*

C. 4. Hæreſis. Ecce oſtenſum eſt quis aſſumpſit, ſcilicet tertia in Trinitate perſona: nunc videndum, cui vnita ſunt aſſumpta. Cathol. vtique aſſumenti tertiæ in Trinitate perſonæ. Alioquin aſſumens non erit, ac per hoc nec homo. Quod vero filius in Trinitate perſona tertia etiam à quibuſdam Catholicè dicitur tamen ſi vſum & rationem loquendi immo authoritatem ſequeremur, præcipientis & dicentis, *In nomine Patris & Filij & Spiritus S,* ſemper diceremus Patrem primam perſonam, filium ſecundam, Spiritum S. tertiam. Quamuis in hac Trinitate nulla ſit anterior, nulla poſterior, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſint & coæquales.

Hic Petrus Lombardus diabolicis argumentis commentatur Chriſtum ſecundum quod homo, *Perſona eſt tertia in Trinitate: Ergo Deus.* Tanquam dicens. Si ſecundum quod homo *Perſona*, & ſecundum quod verbum *perſona*, & Spiritus S. *Perſona*, & Pater *Perſona*, tunc ſi ſecundum quod homo Deus, & ſecundum quod verbum Deus, & Spiritus S. Deus & Pater Deus: *ergo quaternitas.* Adhuc peius commentans ſubdit. *Propter hæc*, inquit, *& alia inconuenientia Quidam dicunt I. C. hominem non eſſe perſonam nec aliquid*, ſubaudis in Trinitate. Rogo tu es Magiſter in Iſrael & Epiſcopus licet Simoniacè intruſus in Eccleſia, & ſic blaſphemas? Chriſtus & ſecundum quod homo & ſecundum quod Deus, non quia duæ ſed vna ſemper in Trinitate perſona, quam diuidi ſecariue nulla ratio ſinit, quod prorſus nullus Catholicorum dubitat. Quod & tu ſi crederes, nunquam de vna eademque Dei & hominis perſona tanquam de duabus argumenta hæretica poſteris legenda tam ſubtiliter ſcriberes, immo damnares. Multa ergo vt tibi videtur, inconuenientia, immo multa nimis valde congruentia, Chriſtus & ſecundum quod homo perſona eſt in Trinitate, ſed non alia quàm aſſumens, & idem ipſe homo Deus eſt in Trinitate, ſed non alius quam verbum Deus, ac per hoc idem ipſe homo, non **Nihil vt tibi videtur, immo ſingulariter & ineffabiliter eſt in Trinitate & perſona** & Deus qui viuit & regnat cum Patre ſuo & Spiritu S. per omnia ſecula ſeculorum. Cur impie lateras? ecce ex tuis commentis noua ex veteri hæreſis quartam in Trinitate perſonam inducit: ſicut in corpore Canonum legitur ex Concilio. Epheſ. *Si quis in triſagio apponit Crucifixum præter filium, cui in medio tot ſanctæ voces dicunt hymnum, anathema ſit.*

Hæreſis. Sequitur videndum cui vnita ſint aſſumpta. Non verbo perſonæ, ſed naturæ in verbo perſona. Quod autem verbum non vniuit ſibi carnem & animam, probatur teſte Boëtio contra Neſtorium. Item ſi humana natura vnita eſſet verbo, eadem ratione & Diuina vnita verbo, quod ſatis abſonum videtur. His rationibus probatur, quod verbum in Trinitate perſona nulli vniretur: quibus aduerſantur authoritates. dicit Auguſt. *Dei & hominis conjunctio facta eſt in Chriſto id.* Diuinitatis & humanitatis, non dicit Chriſto ſed in Chriſto. Sic ergo apparet, quod perſona filij Dei non aliquibus eſt vnita, nec aliqua ei, ſed tota ſunt ei vnita, ſicut dicit Auguſt. *Tres ſunt in Chriſto verbum, caro & anima.*

Catholica. Obſtupeſcite omnes non Dialecticam ſed planè diabolicam artem

v. g. vnus

v. g. vnus non eſt vnus : idem non eſt idem. Ipſe non eſt ipſe. Chriſtus non eſt Chriſtus, eadem Perſona non eſt eadem Perſona : Filius Dei non eſt filius Dei : quis audiuit vnquam talia? reuera Athenienſes & omnes, inquit, Hoſpites id. Hæretici ad nihil aliud vacant, niſi aut dicere aut audire aliquid noui. Ecce noua prorſus & inaudita.

Hæreſis. Sequitur videndum quid aſſumens factum ſit per humanam aſſumptionem. Qui enim prius erat Deus perſona, æternus, factus eſt quod non erat, id. creatura mortalis. Sed dicitur tibi. Si Deus factus eſt aliquid quod prius non erat: Tunc aliquid eſt Deus hodie, quod non fuit ab æterno quod nullo modo eſt concedendum Iam enim poſſet inferri quod recens Deus eſſet. Ecce apparet quis aſſumpſit ſcilicet filius Dei. Quid aſſumptum, anima & caro? vel humana natura? cui vnita ſint? non Filio Dei, ſed inter ſe anima carni & è conuerſo, Diuinitas humanitati & è conuerſo.

Cathol. En friuola argumenta quæ in libro etiam Petri Lombardi ad verbum pene leguntur, Auguſtin. ſuper Ioan. *Sicut enim vnus eſt homo anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo, ac per hoc Chriſtus eſt Deus, anima rationalis & caro. Chriſtum in his omnibus, Chriſtum in ſingulis confitemur. Quis eſt ergo per quem factus eſt mundus? Chriſtus Ieſus ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Chriſtus Ieſus ſed in forma ſerui.* Quis non eſt derelictus in inferno? *Chriſtus Ieſus ſed in ſola anima. Quis reſurrecturus triduo iacuit in ſepulchro? Chriſtus Ieſus ſed in ſola carne. Dicitur ergo in his ſingulis Chriſtus. Verum hæc omnia non duo vel tres, ſed vnus eſt Chriſtus.* Idem contra Felicianum. *Genuit ergo Maria & non genuit Filium Dei. Genuit quando ex ipſa ſecundum carnem natus eſt Chriſtus: non genuit quando de Patre ſine initio extitit filius.* Si ex integro Matris corpore integrum corpus Chriſtus aſſumpſit, non minuit ſubſtantiam Matris: & minuiſſe incorporalem ſubſtantiam Patris credimus cum ex eodem ipſo ſubſtantialiter dicitur genitus. Secundum hominem, inquam, de Virgine natus eſt Deus eo pacto quo cum corpore naſci docetur animus; non quia vtrumque eſt vna ſubſtantia, ſed quia ex vtroque fit vna perſona. Sic poſt partum non alius Dei Filius & alius hominis; ſed idem Chriſtus Dei & hominis Filius. Hieronymus ſuper Ierem. *Faciet ſiue* creabit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit Virum. Nota quod natiuitas Saluatoris & conceptus creatio nuncupatur. Idem in Cogitis me. *Vnde* conſtat tempus non præiudicaſſe ſacramentum vniti hominis ac Dei, itaut iam eſſet in illo per vnitatem perſonæ ab initio ſeculi qui nondũ erat natus de Virgine. Quod multis declaratur ſcripturarum indiciis. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti qui elegit nos ante mundi conſtitutionem. Quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi in Deo à ſeculis. Et niſi ita credideris, aut Chriſtus non erit omnino Deus, aut recens, contra Prophetam videbitur. Antequam Abraham fieret, Ego ſum. Quibus vtique verbis oſtendit ſe qui loquebatur, in eo ſemper fuiſſe myſterio vnitate Perſonæ, qui ſemper eſt. Nam *Abraham antequam fieret*, humanitatis breuitas. *Ego ſum autem*, æternitas naturæ declaratur. In qua nimirum æternitate iam ſe fuiſſe qui loquebatur per ſacramentum ſuæ incarnationis **inſinuat. Nec admittit omnino, vt alius filius hominis, alius filius Dei** intelligatur, qui nec tempore præſcribitur, nec paſſione ſeparatur, ſed totus Deus in Chriſtum & Chriſtus in Deum tranſiit. Auguſtin. ſuper Ioan. *Vna profectò perſona ex duabus ſubſtantiis, Diuina & humana conſtat.*

Hæreſis. Igitur vltimò reſtat videre ſi Deus & homo, id eſt ille qui eſt Deus & res quæ eſt homo, ſint partes Dei componentes Chriſtum, quod voluit dicere Neſtorius deceptus ſimilitudine Athanaſij. Putauit quod ſicut homo redditur ex anima & corpore, & ſunt partes conſtitutiuæ hominis, anima & corpus: ita Chriſtus conſtat ex Deo id. Verbo, tertia in Trinitate perſona, & homine aſſumpto natò de Virgine: & hæc duo redderent quoddam compoſitum & integrum ſcilicet Chriſtum. Sed ſic debet intelligi, ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, voluenda eſt locutio; quia aliter Grammatica non eſſet, & dicendum, ſicut vnus homo aliquid habet à carne & anima, quia eſt à carne carneus & coloratus, & ab anima animatus & rationalis; ita vnus Chriſtus eſt Deus & homo, & habet aliquid à Diuinitate & humanitate.

Catholica. Grammatica tua hæc tecum ſit in perditionem. Nam Athanaſius

non dixit, *aliquid habet*, ſed dixit, *perfectus homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens*; nempe iſta quæ dicit hominem ab anima vel carne habere, non ſubſtantiæ ſunt, ſed in ſubſtantia, vt ſuperiùs legi poteſt. Ac per hoc nihil eſt homo. Similiter iuxta tuam hæreſim intelligendũ de Diuinitate & humanitate Chriſti.

Hæreſis. Verè igitur atque Catholicè dicamus Deum & hominem non eſſe partes Chriſti; quoniam nihil Chriſti eſt Deus; nihil Chriſti eſt homo. Iam enim pars aliqua totum ſuum eſſet. Si opponatur Diuinitas Chriſti eſt aliquid Chriſti, & ipſa eſt Deus, & non aliud à Deo, Reſpondeo non aliud à Deo, imo de alio & alio atque diuerſo loquimur de Deo & de Diuinitate. Dicimus quod Chriſtus in illo triduo deſiit eſſe homo, nec poterat dici, Deus eſt homo. Quod enim dedit ei partium coniunctio, hoc ei abſtulit partium diſiunctio. Quod Chriſtus erat à partibus, animam & carnem non amiſit. Sed quod à connexu partium ſcilicet habitudine & vinculo quod erat inter corpus & animam. Item quia ſi Chriſtus ſecundum quod homo, adoptiuus ſit filius, an naturalis, probari videtur poſſe quod ſit adoptiuus. Item quia ſi Chriſtus ſit Dei mediator & hominum, ſed nullum medium eſt aliquod eorum cuius eſt medium, quæ mediant aliquid ſcilicet extremorum. Vnde Chriſtus nec Deus nec homo videtur.

Cathol. Tam impia, tam contraria, tam inaudita, tam horribilia vtrum ipſe Diabolus per ſe, an per arreptitium euomat, nemo niſi inſanus dubitat. Proinde huc vſque ſufficiat notaſſe hæreſim inauditam, quæ cæteras vincat. Legimus in Collationibus Patrum Dæmonem profeſſum per os Arrij ſe blaſphemiam in Chriſtum vomuiſſe, hic planè afflatus Dæmone nulla parte Chriſtum recipit, & tamen iniuriis ſecat, non intelligens vt dicit Apoſtolus, neque quæ loquitur neque de quibus affirmat. Nam vt dicit Auguſt. in Categoriis Ariſtotel. quas ipſe tranſtulit, propriamque dialecticam exinde firmauit. *Quis*, inquit, *credat Hortenſium, ſenſibile, Indiuiduum, vnius numeri, ſingulare cædi poſſe per partes? quod ſi fiat, Hortenſius iam non erit. Hoc iam dictum vt nouerint Hæretici Doctores Catholicos & Dialecticam noſſe & fidem rectam ſemper tenuiſſe.* Chriſtus ergo qui à partibus nihil ſecundum ipſos erat, & erat, quodammodo homo eſſe deſiit, vel Deus homo dici non potuit, cum Deus nihil ſit Chriſti & homo nihil ſit Chriſti. Quis enim credat Chriſtum cædi poſſe per partes? quod ſi fiat, Chriſtus iam non erit. Auguſt. ſuper Ioan. *Tulerunt Dominum meum.* Dominum ſuum vocans Dominici corpus exanime, à toto partem deſignans, ſicut omnes confitemur Ieſum Chriſtum Filium Dei vnicum Dominum noſtrum: quod vtique ſimul eſt verbum & anima & caro, crucifixum tamen & ſepultum, cum ſola eius caro ſepulta ſit. Idem contra Felicianum. *Ingreſſus eſt Virginis vterum Dei filius, vt iterum naſceretur ante iam genitus, & ſuſcepit totum hominem, qui iam habebat à Patre pleniſſimam Diuinitatem ſalua in Indiuiduæ Trinitatis cooperatione.* Idem ſibi in hac humilitate & author & opus eſt: fecit carnem in vtero matris, habes authorem operis. In hac naſci dignatus eſt: habes opus authoris. Vna tamen perſona eſt ſaluâ vtriuſque proprietate ſubſtantiæ & authoris & operis. Sicque in ſe Deus & homo eſt vtriuſque verus mediator. Nec geminata perſona nec confuſa ſubſtantia monſtrauit propria carnis, guſtauit vita mortem, proprio Diuinitatis perpetuam reddidit carnem. Nam nec temporalem natiuitatem primæ illius natiuitatis perpetuitate damnamus, nec veternam huius temporalis breuitate concludimus, ſcientes veri Dei inſeparabilem prolem & huius veræ prolis poſtea veriſſimam carnem. Leo Papa. *Chriſtianæ fidei fortitudo quæ portas mortis non metuit*, vnum Dominum Ieſum Chriſtum & verum Deum & verum hominem confitetur, eundem credens filium Virginis, qui author eſt Matris, eundem natum in fine ſeculorum qui creator eſt temporum, eundem Dominum omnium virtutum & vnum de ſtirpe mortalium. Catholica fides vtrumque ſuſcipit, vtrumque defendit, qui ſecundum proprietatem Diuinæ humanæque ſubſtantiæ vnum Dei filium & hominem credit & verbum. Bernardus Clareuall. ad Eugenium Papam. *Dico in Chriſto* Verbum animam & carnem ſine confuſione eſſentiarum, vnam eſſe perſonam & tunc abſque præiudicio perſonalis vnitatis in ſua numeroſitate manere. In vtero Virginis commixtio hæc & fermentatio facta eſt, ac ſi illa ſaturata de Euangelio mixta & fermentata in panem vnum, & iuxta numerum ſacrorum decentiſſimæ deuotionis gradus, nouum, æternum, antiquum, æternum. *Nouum*, animam quæ de nihilo creata, tunc creditur eſſe infuſa. *Antiquum*, carnem

quæ ex Adam traducta cognoſcitur. *Æternum*, verbum Patri coæternum. Alieni ſint à nobis qui Chriſti à nobis carnem alienare conantur. *Nouam creatam in Virgine*, & non de Virgine ſumptam impiè aſſerentes. Inde igitur ſumpta Caro, vnde orta Virgo. Siue coniunctis ſiue diſiunctis duobus nihilominus perſeuerauerit in tribus vnitas perſonalis, æquè vnus Chriſtus, vna perſona, verbum anima & caro & mortuo homine perdurauit. Cum ergo videas Chriſtum in vna quidem perſona duas habere naturas, vnam quæ ſemper fuit, alteram quæ eſſe cœpit tunc fateri dubitas vt eſſe cœpit ex tempore in carne, ſic carnis quoque miſerias cœpiſſe ſcire illo duntaxat modo cognitionis quem docet defectio carnis? Decreuit & cum ſumma quæ Deo eſt, & quæ Deus eſt, vnitate congruere, vt quomodo ibi tres perſonæ vna eſſentia, ita in eo qui conſtitutus eſt mediator Dei hominiſque homo Chriſtus Ieſus conuenientiſſimâ quadam contrarietate tres eſſentiæ ſint vna perſona vt ſalutare ſacramentum congrua quadam ſimilitudine ambobus reſpondeat & ſaluanti videlicet & ſaluato. Tantam denique tamque expreſſam vnionis vim in ſe præfert ea perſona in qua Deus & homo vnus eſt Chriſtus, vt ſi duo illa de ſe inuicem prædices, non erraueris, Deum videlicet hominem & hominem Deum verè Catholiceque pronuncians Non autem ſimiliter vel carnem de anima, vel animam de carne niſi abſurdiſſimè prædicas, etſi ſimiliter anima & caro vnus ſit homo. Nec mirum ſi non æquè potis anima ſit ſua illa vitali etſi non pari valida intentione connectere atque ſuis affectibus aſtringere ſibi carnem, vt ſibi Diuinitatis hominem illum, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. Longa catena & fortis ad ſtringendum, Diuina prædeſtinatio; ab æterno enim eſt. Quid longius æternitate, quid Diuinitate potentius? Inde eſt quod non morte incidente vllatenus hæc vnitas intercidi potuit, vt nec diuiſione quidem factâ carnis & animæ à carne vel anima verbum diuideretur. Manſit & in ſeparatione inſeparabilis vnitas: nec enim quæ ex parte contigit ſeparatio, potuit præſcribere permanenti in totis tribus. Siue ergo coniunctis ſiue diſiunctis duobus nihilominus perſeuerauit in tribus vnitas perſonalis, æque vnus Chriſtus vnaque perſona, verbum, anima & caro etiam mortuo homine perdurauit. Tandem poſtquam multa retulit ſacræ ſcripturæ loca quibus probat Chriſtum verum eſſe hominem & verum Deum, ſic concludit c. 8.

Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt quod tam perdût Chriſtum qui verum negant, ſicut iſti hæretici qui verum Deum non credunt, ſicut Arriani, Pagani, Iudæi, qui propterea totum mundum meretricibus repleuerunt. Quia in hunc tam manifeſtum hominem, & etiam quod pro ſummo ludibrio improperabant, crucifixum & mortuum credebant, & aſſerebant viuentem Deum tunc temporis innumeris ſuppliciis & moriendo & vſque hodie *iam per mille & centum & plius annos* omni genere miraculorum coruſcando. Primum tanta dubietas hæreticorum Apoſtolico decreto iam terminetur, & non noua ſed antiqua omnium ſanctorum indubitata fides tanto ac tali tonitruo omni tempore confirmetur, vt veritas Euangelij permaneat apud Catholicos. Miror inquit, quod tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos ipſi aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Repetitio confirmatio eſt. Leo Papa. *Quid iniquius quàm impia ſapere & ſapientioribus doctioribuſq; non credere?* Sed in hanc inſipientiâ cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſtaculo, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, non ad Euangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt. Illam ſaltem communem & indiſcretam confeſſionem ſolicito recepiſſent auditu, quam fidelium vniuerſitas profitetur, credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, in Ieſum Chriſtũ filium eius Dominũ noſtrum qui natus eſt de Spiritu S. & Maria Virgine. Quibus 3. ſententiis omnium ferè Hæreticorum machinæ deſtruuntur, quia æqualis eſt periculi Dominum noſtrum I. C. aut Dominum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolummodo hominem credidiſſe. *Dicant ergo iſti fantaſtici Chriſtiani quæ ſubſtantia Saluatoris affixa ſit Cruci, quæ Caro tertia die reſurrexerit; quale Corpus Ieſu ianuis clauſis Diſcipulorum viſui ingreſſus intulerit,* cum ad abigendam cernentium diffidentiã inſpici oculis digitiſque tractari, patentes adhuc fixuras clauorum & recens compuncti lateris vulnus exigeret. Ac

ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas hæretica obduratio non relinquit, oſtendat vnde ſibi ſpem vitæ æternæ pollicentur, ad quam niſi per mediatorem Dei & hominum Ieſum Chriſtum non poteſt peruenirì. Sempiterni genitoris vnigenitus ſempiternus natus eſt de Spiritu S. & Maria Virgine, quæ natiuitas temporalis illi natiuitati Diuinæ & ſempiternæ nihil minuit nihil contulit: & omnis ſpiritus qui ſoluerit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. *Quid autem eſt ſoluere Ieſum, niſi humanam ab eo ſeparare naturam & ſacramentum fidei per quod ſaluati ſumus, impudentiſſimis euacuare figmentis?*

Ex lib. 3. Gualteri.

SEquitur lib. 3. cuius hæc ſunt capita 1. De tribus ſententiis vniuerſorum, & quæ ſit Catholica.

2 Quod hæretici authoritates ſanctorum & diuinas ſcripturas non intelligendo deprauant.

3. Quas blaſphemias de Chriſto poſteris mandarunt, meritò comburendas.

4. Argumenta de duabus in Chriſto perſonis in Conciliis damnata.

5. De noua ſtropha à nouis hæreticis commentata.

6. Quod nulla ſit quæſtio in fide Catholica, ita vt ſtulti non errent per eam.

7. Quod nihil ſtultius ſit quàm velle comprehendi, quod excedit omnem Creaturam.

8. De veritate rerum & ſententiarum in Euangeliis, & falſitate verborum & connexionum in Scholaſticis.

9. Quod vniuerſa Hæreticorum argumenta eiſdem deſtruantur, quibus roborari impiè putabantur.

10. Quod ipſius Petri non tantum dubia ſed etiam multa quæ affirmat, damnantur fide 830. Epiſcoporum.

11 Quod ſuper ſacramento altaris multa friuolè retractet.

12. Quod nulla prorſus debet haberi Quæſtio de S. Dei Genitrice quandocunque de peccatis agitur.

13. Quod Chriſtum arguat de peccato, qui carnem verbi vel obnoxiam vel mundatam dicit quoquo modo. Et quod Græci Patres confitentur Spiritum S. à filio procedere, quod Hæretici negant.

14. Quod Caro verbi nunquam legitur de Sanguinibus formata, niſi in nouis Hæreticis.

15. Quod Catholici Doctores multa retractent, nec velint libros ſuos ſicut Canonicos legi.

Hæc ergo figmenta pudeat vel audire, niſi vterque Petrus quaſi pro magno poſteris legenda ſcripſiſſent hoc modo. De intelligentia harum locutionum *factus eſt homo, Deus eſt homo*, an his locutionibus dicatur Deus factus eſſe *aliquid*, vel eſſe *aliquid vel non*. Cathol. Expoſitio vel potius intelligentia omnium ſanctorum, *Deus homo factus eſt, id quod fuit permanſit*, & quod non erat, aſſumpſit, non commixtionem paſſus neque diuiſionem. Deus & homo vna perſona, vnicus Patris filius. Quid vel breuius, vel apertius? ſed incredulus infideliter garrit.

Petrus. Ex præmiſſis autem emergit Quæſtio plurimum continens vtilitatis, ſed nimium difficultatis atque perplexitatis. Etſi his locutionibus non dicitur *Deus factus eſſe aliquid vel eſſe aliquid*, quæ ſit intelligentia harum locutionum & ſimilium, in huius profunditatis reſeratione & ſcrupuloſæ quæſtionis expoſitione plurimum differre inueniuntur ſapientes.

Cathol. Non vtique ſapientes Dei in hac differunt, ſed planè huius mundi: quales ſunt Hæretici & Grammatici qui pueriliter certant & adhuc ſub iudice lis eſt: quorum ſcientiam ſtultam fecit, vt ſcriptum eſt. *Stultum Dei ſapimus hominibus*: & præmiſſæ authoritates probant. Audiamus tamen ridicula.

Petrus alij inquit, dicunt in ipſa verbi Incarnatione hominem quiddam exanima rationali & humanâ carne conſtitutum, ex quibus duobus omnis homo verus

conſtituitur, & ille homo cœpit eſſe Deus, non quidem natura Dei, ſed perſonâ verbi, & Deus cœpit eſſe homo ille: concedunt enim illum aſſumptum à verbo & vnitum verbo, & tamen eſſe verbum. Et ea ratione tradunt dictum eſſe Deum, factum hominem vel eſſe hominem, quia Deus factus eſt, id. cœpit eſſe quædam ſubſtantia ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Et illa ſubſtantia factus eſt, id. cœpit eſſe Deus, non tamen demigratione naturæ in naturam, ſed vtriuſque naturæ ſeruata proprietate factum eſt vt Deus eſſet illa ſubſtantia & illa ſubſtantia eſſet Deus. Vnde verè dicitur *Deus factus homo* & homo factus Deus, & Deus eſſe homo & homo Deus, & filius Dei filius hominis, & è conuerſo. Cumque dicant illum hominem ex anima rationali & humana carne ſubſiſtere, non tamen fatentur ex duabus naturis eſſe compoſitum, Diuinâ ſcilicet & humanâ, nec illius partes eſſe duas naturas, ſed animam tantum & carnem. Et ne de ſuo ſenſu tantum loqui putentur, hanc ſententiam pluribus muniunt ſententiis.

Cathol. Hæc prima ſententia nec Hæreticorum nec Catholicorum poteſt dici, qualis eſt ipſe qui proponit.

Lombardus. Sunt & alii, inquit, qui in parte conſentiunt, ſed dicunt hominem illum non ex anima rationali tantum & carne, ſed ex humana & diuina natura, id. ex tribus ſubſtantiis, diuinitate, carne & anima conſtare. Et hi Chriſtum fatentur, vnam perſonam tantum eſſe ante incarnationem ſolummodo ſimplicem, ſed incarnatione factam compoſitam ex Diuinitate & humanitate: non tamen perſona illa debet dici facta perſona, quamuis dicatur. Facta perſona hominis facta eſt igitur illa perſona, vel vt quibuſdam placet, quoddam ſubſiſtens ex anima & carne, ſed non eſt facta perſona ſubſtantia vel natura. Et in quantum eſt ille ſubſiſtens, compoſita eſt, in quantum autem verbum, eſt ſimplex. Et pluribus ſe muniunt authoritatibus qui dicunt perſonam Chriſti compoſitam eſſe tunc factam ſiue conſtantem ex duabus naturis ſiue ex 3. ſubſtantiis.

Cathol. 2. Sententia, tota prorſus Catholica eſt.

Lombardus. Sunt & alij qui in Incarnationem Verbi non ſolùm perſonam ex naturis compoſitam negant, verum etiam hominem aliquem ſiue aliquam ſubſtantiam ibi ex anima & carne compoſitam & factam diſſitentur. Sed ſic illa duo ſcilicet animam & carnem Verbi perſonæ non naturæ vnita eſſe aiunt, vt non ex illis duabus vel ex tribus aliqua ſubſtantia vel perſona fieret ſiue componeretur, ſed illis duobus velut indumento verbum Dei veſtiretur, vt mortalium oculis congruenter appareret: qui ideo dicitur factus verus homo, quia veritatem carnis & animæ accepit; quæ duo in ſingularitatem vel vnitatem ſuæ perſonæ accepiſſe legitur. Non quod illa duo vel aliqua ex illis compoſita ſit vna perſona cum verbo vel ſit verbum; ſed quia illis duobus accedentibus verbo non eſt perſonarum numerus auctus vt fieret quaternitas in Trinitate; & quia ipſa perſona verbi quæ prius erat ſine indumento, aſſumptione indumenti non eſt diuiſa vel mutata, ſed vna eademque immutata permanſit, qui ſcilicet habitum Dei hominem factum dicunt. Accipiendo enim hominem, dicitur *eſt Deus factus* homo, & propter aſſumptum hominem dicitur Deus verè eſſe homo, & propter aſſumentem Deum dicitur homo eſſe Deus. Nam ſi eſſentialiter, inquiunt, ille Deus eſſe homo vel homo eſſe Deus intelligeretur, tunc ſi Deus aſſumpſiſſet in ſexu muliebri, & mulier eſſentialiter Deus eſſet & è conuerſo. Ne autem & iſti de ſuo videantur influere, teſtimoniis in medium productis quod dicunt, confirmant. *Audiſtis*, inquit, *tres ſed diuerſas ſententias, & pro ſingulis inducta teſtimonia.*

C. 2. Tertia ſententia tota hæreticorum eſt etiam in Conciliis damnatorum: quod hæretico ſenſu inducta ſint teſtimonia, vt ſcilicet nemo contra hæreticos auderet, prudens Lector in ipſo Petri libro agnoſcat. Nec ſolùm authoritates Catholicorum Patrum, ſed vt Auguſtinus ad Conſentium ſcribit, ipſæ quoque Sanctæ Scripturæ quæ magnarum rerum ante intelligentiam ſuadent fidem, niſi ea rectè intelligas, vtiles tibi eſſe non poſſunt. Omnes hæretici qui eas in authoritatem recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari potius quàm cum ſuos ſectentur errores. Ac per hoc non quod eas contemnant, ſed quod non intelligant, hæretici ſunt.

Cathol. Iuſtum eſt etiam vt quiſquis de Deo non ſolum puerilia vel inepta ſed & blaſphema cæteris proponit legenda vel credenda, audiat & ipſe de ſe ſimilia.

Potuit, inquiunt, Deus aſſumere hominem in ſexu muliebri &c. Eo modo potuit Deus facere Petrum in ſexu muliebri vel etiam aſinino. Potuit igitur mulier vel aſina vel canis eſſe Petrus, & ſimilia multa quæ melius ſubticentur de quolibet homine, quantò magis de Deo homine?

Petrus Pictauinus. Filius hominis potuit aſſumere & corpus & animam Petri, ergo Petrum: ergo potuit facere vt ipſe eſſet Petrus Quæritur etiam an potuit aſſumere vnam humanam naturam & aliam, id. duo corpora & duas animas. Nam nomine humanæ naturæ non intelligimus niſi animam & corpus in Chriſto & ideo bene dicimus vnam humanam naturam & aliam. Quod ſi eſt: ergo potuit eſſe vnus & alius homo, & ita duorum hominum vtrumque, & ita duo homines & ita plures. Nunquid enim ſi aſſumpſiſſet duo corpora & duas animas, verè diceretur, iſte homo eſt ille. Mihi quidem ita videtur. Hæc perſona humanata eſt, illa perſona humanata, & ſic iſte homo ille. Sicut ſi aſſumeret filius Dei Angelicam naturam, ſicut teſtatur Origenes in lib. qui Periarchon dicitur, pro redemptione diaboli futura poſt mille annos, verè diceretur, hic homo eſt ille Angelus. Si verò diceretur quod duo eſſent, & ita duæ perſonæ, iam eſſent duo filii in Trinitate, & ita quatuor perſonæ.

Cath. Ratione igitur & authoritate probamus, quod nihil harum laruarum debuit, & ideo non potuit fieri niſi quod factum eſt, nec potuit mulier eſſe Deus, & è conuerſo. Veritas eſt Deus, omnipotens eſt Deus, tamen nec mentiri nec mutari poteſt. Quod ſi poſſet, tunc reuera nec veritas nec omnipotens eſſet. Dixit ergo & non faciet. Locutus eſt & non adimplebit. Multifariè multiſque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis. Ait ille ſegregatus Paulus in Euangelium Dei de filio ſuo qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula qui prædeſtinatus eſt inquit, nequaquam filia vt ſexu muliebri, ſed filius Dei in virtute tanquam hæretico huic dicens. Nullo modo in ſexu muliebri, ſed in virtute, homo eſt in virilitate Dei. Vnde ibidem Spiritus ſanctus per Iſaiam. *Propter hoc ipſe Dominus dabit vobis ſignum. Ecce virgo concipiet & pariet filium Emmanuel*, quod interpretatur. *Nobiſcum Deus.* Non ergo dixit *pariet filiã & vocabitur mulier nobiſcum.* Similiter per Ieremiam. *Nouum*, inquit, *faciet Dominus ſuper terram & fœmina circundabit virum.* Nunquid dixit *fœmina circundabit fœminam?* Item quando dixit Exſpectatio Iſrael Saluator eius, quaſi colonus futurus ſuper terram & quaſi viator declinans ad manendum, & quaſi vir vagus vt fortis qui non poteſt ſaluare, tu autem in nobis es Domine. Nunquid alicubi prædixit quod futurus eſſet quaſi mulier vaga & effœminatus qui non poteſt ſaluare, & non potius, tu autem in nobis es Domine exercituum, & nequaquã eſſentialiter mulier. Talibus mille malleis meritò conteri poſſet os putidum, quo Deus mulier eſſentialiter & filius effœminari potuiſſe blaſphematur, niſi nimium puderet vel audire Vnde meritò Alexander Papa cenſuit damnari has ſententias quibus tam nefanda de incarnatione latrantibus quaſi pro magno proponuntur quæ proculdubio melius tacerentur, imo potius iuſto iudicio ab omni Chriſtiano comburerentur. Non enim Doctores ſed Gentiles, non denique Chriſtiani ſed planè Iudæi & hæretici huiuſmodi blaſphemias vomunt. At tu *Vniuerſalis Magiſter*, qui & hæreticos etiam & Catholicos Patres cogis quaſi coram te de authoritatibus ſuis ad voluntatem tuam ludere, & tu quid credis? quid proficeris? quid inquam determinas? Lombardus. *Satis*, inquit, *diligenter diuerſorum ſententias abſq; aſſertione & præiudicio tractaui.* Cath. Imo damna blaſphemias, ne te hæreticum probes, nec enim dubia ſed hæreſes iam damnatas proponis.

Lombardus. *Veruntamen nolo Lectorem putare iſtam ſibi noſtram debere ſufficere diſputationem.* Cathol. Hoccine eſt illud plurimum vtilitatis quod promiſeras lectoribus tuis, vt omnes errores æqualiter hauriant, & quæ ſit fides Catholica, tecum omnes dubitent! auertat Deus ab Eccleſia tales doctrinas varias vt dicit Apoſtolus, & peregrinas, taleſque Doctores errantes & in errorem mittentes. Si enim fundatiſſimam & indubitabilem fidem ſolaque Euangelica teſtimonia ſuperius ſcripta iſti fideliter legiſſent, proculdubio deliramenta olim in Conciliis damnata non ſcriberent. Ita etiam multiplici temeritate argumentatur vtrum homo aſſumptus ſicut Deus colendus ſit cum verbo, quaſi aut alter aut non idem ipſe ſit Deus veriſſimus, non alius nec aliqua perſona quàm verbum ipſum

ipſe. Porro vnus homo, vna perſona, nullo modo duplex vel multiplex ſed ſimplex, quamuis multis conſtet, nulla tamen ratione multiplici vel ſaltem duplici veneratione coli poteſt. Quia quidquid iniuriæ vel honoris vni homini vel vni perſonæ intuleris, nulli dubium quin totum toti homini, totum vni perſonæ exhibueris. Igitur Dei & hominis vna perſona Chriſtus, ſicuti nec in perſona nec in cultura diuidi poteſt: quam tamen impiiſſimè conantur diuidere.

Lombardus. *Solet etiam à quibuſdam inquiri, vtrum Chriſtus ſecundum quod homo eſt ſit perſona vel etiam ſit aliquid.* Ex vtraque parte Quæſtionis argumenta concurrunt. Quod enim perſona ſit, his ediſſerunt rationibus. Si ſecundum quod homo eſt, aliquid eſt, vel perſona, vel ſubſtantia, vel aliud eſt. Sed aliud non. Ergo perſona vel ſubſtantia. Sed ſi ſubſtantia eſt, vel rationalis vel irrationalis: ſed non eſt irrationalis ſubſtantia; ergo rationalis. Si verò ſecundum quod homo eſt rationalis ſubſtantia, ergo perſona: quia hæc eſt definitio perſonæ, *ſubſtantia rationalis individuæ naturæ*. Si ergo ſecundum quod homo eſt aliquid, & ſecundum quod homo, perſona eſt & è conuerſo. Si ergo ſecundum quod homo perſona eſt, vel tertia interuenit vel alia. Sed alia non: ergo tertia interuenit perſona. At ſi ſecundum quod homo perſona eſt tertia in Trinitate, ergo Deus. Propter hæc inconuenientia & alia quædam dicunt Chriſtum *ſecundum hominem non eſſe, nec aliquid.*

Cathol. Hæc de Chriſto tam ſtultiſſimè argumentantur. Quia ſi quis vnum hominem ſecundum quod corpus eſt definiret, aut perſonam aut nihil eſſe, quis non rideret? Neutrum enim per ſe homo. Propter hæc & huiuſmodi ſapientia Dei in Euãgelio. *Eſto*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ*. Contra ſerpentes & ſcorpiones vtique qui ſpiris & anfractibus argumentorum ſimplices decipiunt, qualis eſt iſte nouus. Nam argumenta eius non Philoſophorum ſed dæmoniorum eſſe in hypocriſi de Chriſto loquentium per ora hæreticorum, ex hoc prudens lector intelligat, quod nulla ratio ſinit, proponit de vna perſona quod eadem ſit vel alia. Vnus homo duo ſint, id. Chriſtus ſit & alter vnus Deus ſint. Vnus filius Ieſus-Chriſtus Deus & homo ſint duo filij. Nullum quippe indiuiduum teſte etiam Ariſtotele diuidi poteſt: quod ſi fiat, iam non erit indiuiduum. Vnde & iſte falſa de Chriſto proponens & inconuenientia aſſumens, diabolica concludit mendacia, duas videlicet hæreſes antiquitus in Conciliis damnatas. Alteram quæ dicit Chriſtum ſecundum quod homo perſonam & Deum duos ſcilicet filios eſſe, acper hoc in triſagio quaternitatem inducens. Sed quia hanc non liberè audet, alteram exinde fantaſticus Manichæus molitur ſic. Chriſtus ſi ſecundum hominem nec perſona nec Deus ne quaternitas ſit, ergo conſequitur vti non eſſe nec aliquid ſit. Ecce qualibus nouis Doctor impugnat Eccleſiam. Vtrumque autem Diabolicum, vtrumque fel draconum & venenum aſpidum inſanabile.

Tale inquam ac ſi ipſe Sathanas transfiguratus in Angelum lucis libro Sententiarum ſuarum vndique ſuadere conatur dicens: *homo quem colitis & adoratis, non eſt Deus.* Etiam Deus quem colitis, non eſt homo. *Chriſtus ergo quem colitis, nihil eſt, quoniã Deus non eſt homo, homo verò nec aliquid eſt.* Totum igitur ſi ſecundum aliquid non eſt, iam totum non eſt; ac per hoc nec aliquid eſt: ergo Chriſtus Deus & homo ſi ſecundum aliquid non eſt, iam Chriſtus non eſt. Aut totus erit aut nullus. Procul dubio talia inter Chriſtianos ſerit, qui ab initio in veritate non ſtetit, quia mendax eſt & pater eius: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius, ſicut olim Rufinus, qui cum aliquantis bonis interpretando edidit pariter & blaſphemias Origenis. Sic etiam hic promulgauit nunc multas hæreſes Abadonis ſiue Apollinis, qui latinè habet nomen *exterminans*. Fieri tamen non poteſt, vt ſicut anima rationalis & caro vnus homo non ſit, ita Deus & homo toto teſte mundo vnus Chriſtus non ſit, adeo vt aliter eſſe non poſſit. Similiter nulla ratione fieri poteſt teſte etiam Ariſtotele, vt homo qui eſt, non ſit, & Deus qui eſt non ſit, ipſo homine Chriſto Deo veritate teſtante ad homines & dicente *Antequam Abraham fieret, Ego ſum.* Hoc igitur *Ego ſum* nullâ ratione vnquam ſecari valet. Quod ſi fiat, iam *Ego ſum non eſt*. Fieri autem omnino non poteſt vt ſit in illo non eſſe, quoniam ſingulariter ſolus eſt teſte Apoſtolo. Dei enim filius I. C. non fuit in illo *eſt* & *non*, ſed Eſt in illo fuit. Vtrumque ergo negat eſſe, qui aliquid in illo dicit non aliquid eſſe, ſicut in Decretis Euticij Papæ. *Planè vitam*

ſuam neſcit, qui Ieſum Chriſtum vt verum Deum, ita & verum ignorat hominem; & eiuſdem periculi res eſt dubitare, in ipſo illo inter Deum & homines Mediatoris ſacramento, quo vterque vnus exiſtens, quod ipſe ex vnitis in idipſum naturis naturæ vtriuſque res eadem eſt. Ita tamen vt neutro eo neutrius careret in vtroque, ne forte Deus eſſe hoc naſcendo deſineret, & homo rurſus Deus manendo non eſſet. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera eſt, Deum & hominem prædicare, verbum & carnem confiteri; neque Deum neſcire quod homo ſit, neque carnem ignorare quod verbum ſit. Etiam cum ſint vtrumque ſuis geſta naturis, vnum tamen Chriſtum Ieſum eum memento eſſe qui vtrumque eſt. Item ex Decretis Gaij Papæ & Martyris. *In magno ſacrilegio ſe verſari hæreticorum manifeſtat impietas, cum ſub ſpecie diuinitatis honorandæ humanæ carnis in Chriſto veritatem denegant & religioſè exiſtimant credi, ſi dicatur in Saluatore noſtro verum non eſſe quod ſaluat.* Et ita ſecundum promiſſionem omnia *ſecula percurrentem Mundus ſit Deo ita reconciliatus in Chriſto, vt niſi Verbum dignaretur Caro fieri, nulla poſſet caro ſaluari.* Omne enim ſacramentum fidei Chriſtianæ magno vt hæretici volunt, decoratur obſcuro, ſi lux veritatis ſub mendacio putatur latuiſſe fantaſmatis. Non ergo quiſquam ſibi erubeſcendum exiſtimet Chriſtianusde noſtri in Chriſto corporis veritate, quia omnes Apoſtoli Apoſtolorumque Diſcipuli & præclari Eccleſiarum quicumque Doctores qui ad Martyrij coronam vel ad confeſſionis meruerunt gloriam peruenire, in huius fidei lumine ſplenduerunt conſonis vtique ſententiis intonantes, quod in Domino I. C. diuinitatis & carnis vna ſit confitenda perſona, quod B. Apoſtolus dicit, magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria. Hoc ante Nicenum Concilium. Quæ ſequuntur ex Concilio Epheſino 200. Epiſcoporum quod confirmat Calcedonenſe 630. Epiſcoporum conſona voce damnantes præſcriptas hæreſes. *Ita Chriſtum & Deum vnum confitemur non tanquam hominem cum verbo coadorantes, ne diuiſionis quædam ſpecies inducatur, ſed vnum iam & eundem adorantes, quia non eſt alienum à verbo corpus ſuum proprium, cum quo etiam ipſe aſſidet Patri.* Nec hoc ita dicimus quaſi duobus filiis aſſidentibus, ſed vno, cum carne per vnitatem diſcernere in duos filios non debemus vnum D. I. Chriſtum. Neque enim id adiuuat rectam fidem, licet nonnulli neſcio quam perhibeant perſonarum diſtinctionem. Non enim dixit ſcriptura Verbum Dei perſonam ſibi hominis aſſumpſiſſe ſed carnem, id eſt hominem factum eſſe & corpus noſtrum propriè ſuum feciſſe & hominem ex muliere proceſſiſſe, manſiſſe etiam in aſſumptione carnis Deum quod erat. Hoc vtique rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus. Ideo illi non dubitauerunt ſanctam Virginē dicere *Theotocon*, id, Dei Genitricem non quod verbi natura diuinitaſque de S. Virgine ſumpſerit exordium, ſed quod ex ea natum ſit ſacrum illud corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei verbum carnaliter natum eſſe dicitur.

Item Neſtorius. Neſtorius Chriſtum ſeorſum nominari dicit *Dei verbum*, habere autem coniunctionem ad Chriſtum continuam. Putas igitur, non duos Chriſtos apertiſſimè dicit & duos filios? Item Eos verò qui aut duos filios aut duas perſonas annunciant & non vnum eundemque in vna perſona vnum Chriſtum vnum filium, vnum Dominum noſtrum I. C. filium Dei viui prædicant, anathematizamus & alienos eſſe ab Eccleſia iudicamus. Etiam vnam quidem Dei verbi naturam, incarnatam tamen non negamus eo quod ex ambabus vnus atque idem ſit dominus noſter I. C. ſciendum eſt quod totus homo à Verbo creatus pariter & aſſumptus, nec perſona, nec adiunctus, nec copulatus, nec deificatus, nec adiectio, nec adactus Verbo vel perſonæ Verbi poteſt dici, quia nunquam præter Verbum vel extra perſonam verbi erunt. Sed quo eſſe cœpit, eo propriè & verbum & perſona cum verbo extitit. Athanaſius. *Quis infernus eructauit Cyrillum dicere corpus ex Maria verbo Deitatis?*

Symbolum 630. Epiſcoporum remouens hæreticos à clero aliam fidem profitentes. *Conſentientes* SS. Patribus vnum eundemque filium D. N. I. C. conſona voce edocemus pariter perfectum eundem in Diuinitate deū & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore ſecundum Diuinitatem vnius naturæ cum Patre, ſecundum humanitatem eundem vnius naturæ nobiſcum per omnia ſimilem

nobis

nobis abſque peccato, ante ſecula quidem ex Patre natum ſecundum diuinitatem, in nouiſſimis verò diebus eundem propter nos & propter noſtram ſalutem hominem factum, hoc eſt vnum eundemque Chriſtum filium Dei vnigenitum in duas naturas inconfuſè, immutabiliter, indiuisè, inſeparabiliter cognoſcendum, in nullo naturarum differentias propter vnitatem perimendas; magis autem, &c.

Cath. *Nunc ergo viri Iuda & Catholici Chriſtiani iudicate inter Catholicam veritatem & diabolicam falſitatem.* Quid hac fide magnificentius, quid planius, quid verius? *Ex hoc*, inquit Iſaias, *erit vobis directa via & plana, itaut ſtulti non errent per eam.* Vbi ergo nimiæ perplexitates & ſcrupuloſiſſimæ fidei quæſtiones, in quibus dicit iſte Catholicos differre, & quod iniquius eſt, etiam hæreticis fauere. Quare vel vnum ſaltem non nominat, quorum opiniones diabolicas proponit, niſi quia damnatos nouit? Cur igitur ipſa hæretica non damnat, niſi quia ſe ex hoc Catholicum denegat? Prorſus hoc ſolum intereſt inter iſtum & primum Manichæum, quod ille Chriſtum fantaſticum hominem dixit, hic verò non eſſe perſonam nec aliquid. Hierony. *Væ*, inquit, *Iſaias, qui dicit bonum malum & malum bonum, nec aduerſariorum ſi honeſtum quid habuerint, nec amicorum laudanda ſunt vitia, ſed vnumquodque non perſonarum ſed rerum pondere iudicandũ eſt. Alius. Non poſſum, inquit, damnare, quod nemo damnauit. Alius. Nihil ſuper hoc à Patribus ſtatutum eſt in Nicena Synodo. Hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataſtriga, nec Manichæus damnari debent, quia ſynodus eos in Nicena non nominauit, quos certè ante ſynodum fuiſſe non dubium eſt. Cur poſt 400. annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus: quod Petrus, quod Paulus edere noluerunt? Vſque ad hanc diem ſine hac doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem in qua natus ſum.* Item idem. *Scias deteſtanda in huiuſmodi libris eſſe quamplurima iuxta ſermonem Domini, Inter ſcorpiones & colubros incedendum.* Taceo de meis ſimilibus, qui ſi forte ad ſcripturas ſanctas poſt ſeculares litteras venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint hi, legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit & non vitioſiſſimum genus dicendi deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem.

Cath. Ecce vndique inconuenientia; imo hæretica in ſacramento vniti Dei & hominis tuis rationibus occurrunt. Sed rogo quid ſtultius, quidue irrationabilius, contraq; omnem rationem, quàm ea quæ ſecundum rationem excellunt omnem rationem & exuperant omnem ſenſum etiam Angelicum, vt Apoſtolus & Auguſt. dicunt, ineffabilia & incomprehenſibilia velle humanis ſenſibus & rationibus comprehendere, loqui, definire? Gregorius ille Magnus Papa in moralibus. *Erubeſco valde*, inquit, *verba ſacri eloquij ponere ſub regulis Donati*, & tu Scholaſticus audes ipſum verbum Deum carnem factum ponere ſub tuis ineptis argumentis, reguliſque Ariſtotelis poſſe definiri ſacramentum, quod volucres etiam cœli latet? cuius corrigiam Ioannes pluſquam propheta indignum ſe profitetur poſſe ſoluere. An in toto veteri ac nouo Teſtamento? vel ſaltem in ipſis veteribus Doctoribus, ſi talibus doctrinis Chriſtiani erudirentur, nonne potius excæcarentur quàm illuminarentur, citius hæretici fierent quàm Catholici? ſi ergo lumen quod in te eſt, aut veritas, tenebræ ſunt, ipſæ quantæ erunt?

Scimus quidem quod omnis Ars & ſapientia à Domino Deo eſt, & quod Diuina Scriptura, ipſa quoque veritas, in Euangelio proponit & aſſumit & concludit, ſed veritate & grauitate rerum & ſententiarum, non contentione & facultate verborum & connexionum, ait Aug. in lib. de Doct. Chriſt. *ſunt enim multa quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones ratiocinationum & plerumque ita veras imitantes, vt non ſolum tardos ſed ingenioſos & minus diligenter attentos decipiant.* Propoſuit Quidam ei cum quo loquebatur dicens, *Quod ego ſum tu non es:* at ille conſenſit. Verum enim erat ex parte, vel eo ipſo quod iſte inſidioſus, ille ſimplex erat. Tum iſte addidit. *Ego autem homo ſum.* Hoc quoque cum ab illo accepiſſet, concluſit dicens, *Tu igitur non es homo.* Quod genus captioſarum concluſionum Scriptura deteſtatur. Cum ergo ſint veræ connexiones, non ſolum verarum, ſed & falſarum ſententiarum, facile eſt veritatem connexionum etiam in ſcholis illis quæ præter Eccleſiam ſunt, diſcere: ſententiarum autem veritas in ſan-

ctis libris Eccleſiaſticis veſtiganda eſt. Quapropter aliud eſt noſſe regulas connexionum, aliud ſententiarum veritatem. In illis diſcitur, quid ſit conſequens, quid non conſequens, quid repugnans. Conſequens eſt ſi orator eſt, homo eſt. Inconſequens, ſi homo eſt, orator eſt. Repugnans, ſi homo eſt, quadrupes eſt. Hic ergo de ipſa connexione iudicatur: In veritate autem ſententiarum, ipſæ per ſe ſententiæ non earum connexio conſideranda eſt. Quidam autem hîc ſe iactant, cum veritatem connexionum didicerint, quaſi ſententiarum ipſa ſit veritas. Definitio ergo & diuiſio falſorum poteſt eſſe veriſſima; quamuis falſa ipſa vtique vera non ſint. qualia ſunt Petri præſcripta.

Cath. Audiant proinde Catholici clariſſimam tubam vnius ſententiæ commento vniuerſa figmenta atque hæretica ſuperius propoſita, ac ſi hoſtilia caſtra ridentem, diſſipantem & prorſus ad nihilum redigentem. Hierony. in Cogitis me. *Igitur quod natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, ſtupet terra, creatura omnis & cæleſtis miratur. Hoc totum eſt quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur & per Chriſtum adimpletur.* Vnde conſtat tempus non præiudicaſſe ſacramentum vniti hominis ac Dei: ita vbi iam eſſet in illo per veritatem perſona ab initio ſcilicet qui necdum erat natus de Maria Virgine, quod multis ſcripturarum declaratur indiciis. Qui elegit nos inquit, ante Mundi conſtitutionem in ipſo; quia profectò quidquid Deus fecit ab initio, Chriſtus fecit totum per vnitatem ſacramenti. Vnde nec nobiſcum Deus recens. Alioquin ſi ad rationem reſpicias & ad ſenſus humanos, nequaquam vllatenus conuenire inter ſe potuerunt Diuinitas & humana conditio. Conuenerunt tamen in Chriſto, & vnius ex ambobus Emmanuel qui nihil in ſe pro aſſumpto homine eſt adauctus, nihilque quod Verbum caro factum, imminutus vel mutatus. Quod ſi tibi nouum videtur, propter quod hominem aſſumpſit, noueris quia hoc ſemper cum eo & in eius conſilio fuit, vt ſic fieret. Et nunc quando temporis plenitudo venit, factum eſt quod in Chriſto ſemper fuit. Aug. contra Felician. *Scio* quidem vt ille ait, quoniam in difficili loco verſetur oratio, tamen verendum nobis nihil eſt, qui per adiutorium S Spiritus teſtimonium dicimus Deo: & dum nos dicis Ariſtotelica arte contendere, ipſe ad Dialecticorum laqueos videris confugiſſe, ſed nos fidei veritate confiſos nequaquam poſſunt iſta terrere. Habet ergo naſcendo totum filius cum Patre quod Pater eſt, ſed non de filio pater. Quidquid ſpecialiter ipſe perpeſſus eſt, vtriſque commune non eſt. Quod ex homine natus eſt homo accidens ſpeciale eſt, quod plerumque ſine præiudicio communi naturæ neutrum habere docetur in altero. Quamuis de vna id. Patris ſubſtantia fuerit ſimilis genita, tamen quia in ſeipſa iam extat, quæcumque huic extrinſecus ingeruntur, non communia dicuntur eſſe ſed propria, dum ſic vtriuſque naturæ proprietatem verè ex vtroque gignenti ſimilis natus expreſſit, vt & veram carnem ſuſcepiſſe cum conſtet ex Matre, & indifferentem Diuinitatem habere conſtet ex Patre. Quibus in vnam perſonam incomprehenſibili mediatoris diſpenſatione coniunctis ſeruauit ſingulis propria, ſed coniunxit propriis aliena. Idem contra verba Arrianorum. Nec ſic aſſumptus eſt vt prius creatus poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur Ergo illa diuinitas huius humanitatis nomen accepit, & iſta humanitas diuinitatis illius nomen accepit, vt eſſet vna perſona Chriſtus, verbum, anima & caro. Hoc ergo iam erat in verbo, quod Verbum Caro factum eſt. Item quia in verbo ante carnem iam erat veraciter, ideo in carne completum eſt efficaciter. Quia in verbo iam erat ſine tempore, ideo in carne completum eſt ſuo tempore. Idem contra Felician. Et hîc ſi verborum vim quotidiani ſermonis contemplator attendas, contraria proponimus, oppugnantia prædicamus, & in his tamen verum conſtat eſſe, quod Deus. Quid ergo? quam rationem afferre potes? ſi partum prædicas Virginis, ſi redditos oculos non negas cæcis, ſi ſepultos redire oſtendis à mortuis? Si ergo horum & incomprehenſibilis eſt ratio, & veritas prompta, facilius in teſtimoniis fidei teſtimoniis creditur, quàm ratio inueſtigatur. Nec præſumam in ſapientia verbi, vt euacuetur Crux Chriſti, ſed ſcripturarum authoritate contentus ſimplicitati potius obedire ſtudeo quàm tumori.

Ecce quomodo veri Doctores vno ſpiritu eiſdem pene verbis omnes Dialecticorum friuolas argumentationes contemnunt & abiiciunt.

Nec tantum in iis cauendus iſte *Scholaſticus*, ſed etiam in his quæ iubet firmè credere. Dicit enim *Nolo noſtram ſufficere debere diſputationem*, hoc firmiter tenens in Eccleſiaſticis dogmatibus, quod Deus hominem aſſumpſit, homo in Deum tranſiuit non naturæ viſibilitate. Hoc quidem Catholicum eſt. Quod autem adiungit, *Sed Dei dignatione*, quomodo damnatum ſit, attendat prudens Lector. Ex Concilio Epheſino 200. Epiſcoporum, quod confirmat Leo Papa, & Calcedonenſe Conſilium 630. Epiſcop. Neſtorius hæreticus in ſuis Expoſitionibus ſimulat ſe dicere, *Vnus filius & vnus Dominus*, ſed refert filiationem ad ſolum Dei verbum. Rurſus alium Dominum qui ex muliere eſt, ſeorſum hominem dicit, copulatum dignitate, æquo honore, quia habet copulationem ad Chriſtum. Quomodo non apertum eſt duos eum dicere Chriſtos, ſi Chriſtus ad Chriſtum habet coniunctionem, alter ad alterum? Item Neſtorius confitens exiſtentiam Diuinitatis Filij Dei, Chriſtum purum hominem credidit conceptum atque formatum & poſtea in Deum prouectum, hoc eſt hominem deificatum.

Cath. Notandum quod Verbum dignitatis vel copulationis & ſimilium tam hæretici quàm Catholici diſſimili ſenſu ponunt, ex Concilio 630. Epiſcoporum. *Verbum Dei ſecundum ſubſiſtentiam confitentes vnum adoramus filium & Dominum noſtrum Chriſtum non ſeorſum ponentes & determinantes hominem & Deum*, velut inimicum ſibi dignitatis & authoritatis coniunctum. Vnus eſt igitur Chriſtus filius & Dominus non velut coniunctione qualibet in vnitate dignitatis & authoritatis hominis habentis ad Deum. Denique Petrus & Ioannes æqualis ſunt dignitatis, veruntamen vterque non vnus eſt. Nec iuxta collationem vel connexionem, modum coniunctionis aduertimus. Hæc enim ad vnitatem non ſufficit naturalem: imò potius coniunctionis nomina euitamus tanquam non exiſtens idoneum, quod ſignificet vnitatis arcanum; quia nec ſeruus eſt ſibi ipſe nec Dominus. Ineptum eſt enim vel potius impium hoc ſentire vel dicere. Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſtantias poſt vnitatem ſola eas connexione coniungens ea quæ ſecundum dignitatem ſit vel etiam authoritatem aut poteſtatem, ac non potius euentu qui per vnitatem factus eſt naturalem, anathema ſit. Item ſi quis audet dicere aſſumptum hominem coadorandum Deo verbo & conglorificandum & communicandum Deum tanquam cum altero: nam cum ſyllaba ſuperadiecta hæc cogit intelligi, ac non potius vna ſupplicatione veneratur Emmanuel, vnamque ei glorificationem dependit iuxta quod Verbum Caro factum eſt, anathema ſit. Si quis audeat dicere Chriſtum hominem Theophorum id. Deiferum aut non potius Deum veracitet dixerit tanquam filium per naturam ſecundum quod Verbum caro factum eſt, anathema ſit. Si quis perſonis duabus vel ſubſiſtentiis eas voces quæ in Apoſtolicis ſcriptis continentur & Euangelicis diuiduntur, vel quæ de Chriſto dicuntur, à ſanctis vel ab ipſo, & aliquas ex his quidem velut homini quæ præter Dei Verbum ſpecialiter intelliguntur, aptauerit, illas autem tanquam dignas Deo ſoli Dei Patris verbo deputauerit, anathema ſit.

Cath. Ecce non ſolum quod aſſerit, ſcilicet Dei dignatione homo tranſiuit in Deum, ſed & cætera eius argumenta ſeu inconuenientia multa quibus ſe moueri & deficere ſuperius teſtatur, Catholicorum Patrum anathemate palam feriuntur, quorum authoritatibus vbi ipſe impiè ſenſit, videbantur roborari.

Simili errore eſt Sacramenta altaris ſola fide ſalutifera, ratione vero ineffabilia multis Hæreticorum opinionibus quaſi probabilibus ventilare. Quod abſit à Catholicis, vt quaſi multas & non potius vnam & certam in Sacramento altaris habeant fidem.... De Berengario hæc ſubiungit. *Hic Hæreticus aſſerebat in figura & in ſacramento totum fieri, nihil in veritate.* Poſtea verò correctus coram Nicolao Papa & pluribus Epiſcopis confeſſus eſt, etiam & iurauit panem ſcilicet & vinum poſt conſecrationem non ſolum ſacramenta ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum ſacramento ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari & frangi & fidelium dentibus atteri. Ecce Catholica fides. Iſte autem Scholaſticus ſic exponit. *Verè quidem ait, ſed in Sacramento tantùm.* Item ait. *Sanè dici poteſt* fractio illa & partitio non in ſubſtantia Corporis, ſed in ipſa forma Panis Sacramentalis fieri, vt vera fractio & partitio ſit ibi quæ ſit non in ſubſtantia, ſed in Sacramento id. In ſpecie. Item. *Eſt ibi vera fractio* & partitio quæ fit in pane id. in forma Panis. Item *fractio* & partes illæ quæ ibi videntur

De Sacramento Altaris.

ſieri, in ſacramento fiunt id. in ſpecie viſibili. Ideoque illa Berengarii verba ita diſtinguenda ſunt, vt *ſenſualiter non modo* in Sacramento, ſed in veritate dicatur Corpus Chriſti tractari manibus ſacerdotum, frangi quoque & atteri dentibus: verè quidem, licet in Sacramento tantùm. Vera eſt igitur ibi attritio & partitio.

Ecce dum Catholicam fidem nulla prorſus diſtinctione indigentem ſolitis ſuis argumentationibus diſtinguit, alterum ſe probat Berengarium. Nam ſicut ille aſſerebat omnia fieri in Sacramento tantùm, ſic & hic. Ille vero correctus addidit Sacramento & fractioni & attritioni etiam demum veritatem quam negabat. Iſte è contra in omnibus veritatem ſubſtrahit dum aſſerit omnia fieri non in ſubſtantia, ſed in ſpecie viſibili, & forma Panis & Sacramento tantùm. *Ille* inquam *ſenſualiter* & non Sacramento tantùm, ſed & in veritate. *Iſte* inquit *in Sacramento tantùm*. Sed ſcorpionis more præmittit blandum caput, dum dicit *verè, ſed in Sacramento tantum* ſtatim ſubiungens. Cauda venenum infert mortiferum. Ac ſi dicat, *verè* quidem, *ſed non in veritate*, quia *in Sacramento tantùm*. Prorſus ſic agit in omnibus quatenus nec hæreticus nec Catholicus comprobetur. Quippe homo totus humanis ſenſibus non fidei deditus timet quantum datur intelligi, ne veritas & vita quæ Chriſtus eſt, diſcerpatur & moriatur, ſi in veritate ſumatur. Catholica *tamen indubitanter eſt & in eum credit qui propriis manibus proprium & verum Corpus tenens & frangens nihilominus integer & viuus manens dedit tunc illud ipſum, hodie que dat in toto terrarum orbe, nec tantum Sacramento ſed & in veritate dicens* Hoc est Corpvs meum, *diuidite, comedite quia niſi manducaueritis non habebitis vitam*. Sed ſunt Quidam ex vobis qui non credunt: at niſi credideritis, moriemini in peccatis veſtris, dicit veritas.

Petrus Lombardus. Item cum de iſta carne ineptiſſimè omnino quæreret vtrũ obnoxia fuerit aliquando peccato, ſic definiuit. *Sanè*, inquit, *poteſt dici & credi oportet quod obnoxia fuerit, ſicut & reliquæ, caro Virginis Matris*. Nos è contrario dicimus, quod non niſi inſanè hoc dici poteſt & minimè credi oportet. Sed prius de Matre probemus quam dicit quidem poſt conceſſum Angeli & aduentum Spiritus S. ſine peccato vixiſſe, antea verò peccatis ſubiacuiſſe. Reprobat hunc ſenſum toto orbe terrarum celebris dies illius ſanctiſſimæ Natiuitatis, cuius vita inclyta totas illuſtrat Eccleſias. De qua Anſelmus Cantuar. Archiepiſc. lib. de Conceptu Virginali. *Nempe*, inquit, *decens erat, vt ea puritate qua maior nequit ſub Deo intelligi, virgo illa niteret*. Idem ſerm. in Aſſumptione eiuſdem. *Radix*, inquit, *humani generis in primo parente vitiata eſt, & ſæpe contingit, quod aurum fulgens* reperiatur in luto & in pungenti ſpina pulchra rubens oriatur & roſa. Hæc ergo operante prouidentia diuina ex radice vitiata ſine viro prodiit virga, quâ intelligitur Beatiſſima Virgo Maria atteſtante Eſaia. Exiet virga de radice Ieſſe..... Et Hieronymus. Cogitis me. Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te. *Ante hoc ſanè vterus Virginis mundus, impollutus & alienus à contagione peccati, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere. Non inualuit fraus inimici, ſed permanſit ſancta mente & corpore*. Sanctus quoque Bernardus ad Canonicos Lugdunenſes his verbis ſcripſit. *Fuit proculdubio Mater Domini ante ſancta quam nata, nec fallitur omnino S. Eccleſia ſanctum reputans ipſum Natiuitatis eius diem, eum omni animo cum exultatione vniuerſæ terræ votiua celebritate ſuſcipiens. Ego puto quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quã ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini alteri inter natos quidem mulierum creditur eſſe donatũ. Decebat nimirum Reginam Virginũ ſingularis priuilegio ſanctitatis alſqs omni peccato dicere vitã, quædum peccati mortiſque pareret redemptorem, manus vitæ & iuſtitiæ omnibus obtineret*..... His tribus idoneis teſtibus quartum addemus talem, qui non ſolum impiè quærere, ſed nec audire patitur peccata Matris. Et hic eſt Auguſtinus, qui cum totis ingeniis contra illos ageret qui ſanctos quoſque & perfectos ſine peccato eſſe aſſererent, & ei inter alios etiam ſanctam Virginem obiicerent, ita ab omnibus ſanctis illam ſingulariter excepit, & ab omni peccato immunem firmauit, vt diceret. *Excepta hac Virgine*, inquit, *de qua cum de peccatis agitur, nullam prorſus haberi volo Quæſtionem, ſcimus quod ex omni parte peccatum vicerit. Hanc authoritatem* Petrus poſiturus ex ſenſu ſuo volens peruertere ſicut & cæteras, præmittit. *Ex tunc*, inquit, *ideſt ab Incarnatione intelligenda eſt ſine peccato vixiſſe*. Sic Auguſtinus ait, Excepta hac Virgine, &c.

Certum eſt ergo quod Auguſtinus non ex tunc ſed abſolutè quandocunque de peccatis agitur, determinat illam omni modo & tempore debere excipere, contraria *iſtis ſcholaſticis* euidentiſſimè definiens. Rogo quid manifeſtius quid due magnificentius dici poteſt? nempe ipſa eſt cui iure ab æterno illud priuilegium dirigatur. Priuſquam te formarem in vtero noui te, &c. & in lucem poſui te vſque ad extremum terræ. Vnde & ipſa canit Virgo. *Beatam me dicent omnes generationes quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Immo non modo magna, ſed etiam ſingularia, quæ de nulla alia ſanctarum, vt dixit Ieremias, fas eſt credere.

Conſtat ergo ex præmiſſis illam quæ nec primam ſimilem viſa eſt nec habere ſequentem, merito ſingulari totam vitam abſque peccato duxiſſe non ſolum poſt 35. annos poſt conceptum, ſed ante vt legitur per 15. qui ſimul ſunt vitæ illius anni circiter 50. *Talibus namque* ait Hieronymus, *decebat Virginem oppignerari muneribus quæ dedit Cœlis gloriam, terris Dominum, fidem Gentilus ſinem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Quippe Spiritu S. adhuc ex vtero matris ſuæ ſingulariter repleta non ſolum Elizabeth de plenitudine ſuæ benedictionis replenit, verum etiam in vtero eius exultare compulit Spiritu S. & Ioannem quo nempe inter natos mulierum non ſurrexit maior.* Ex hac quoque plenitudine Angelo reuelante vt legitur, poſt aſſumptionem ſanctiſſimæ animæ & ſanctiſſimum corpus vt à peccato ita à corruptione intactum manens in ſepulchro quadrageſimo die hoc eſt 9. Kal. Octob. conforme iam claritati illius corporis quod de ipſo Deus ſumpſit & in cælum leuauit.

Si igitur tot & tantis præmiſſis teſtibus neceſſario credimus, & de tanta ac tali Matre à Chriſtianis nulla prorſus debet haberi Quæſtio quandocunq; de peccatis agitur, nonne blaſphemum & impium, ſi de carne Verbi, id. filii eius ulla prorſus admittitur ſuſpicie? Si inquam Mater de genere humano prodiit, vt dicit Ieronymus, ſine vitio, & de illa nulla prorſus debet haberi quæſtio, quid dicitis, quid creditis ô Chriſtiani de Chriſto filio, à quo & per quem & in quo talis mater prodiit ex vtero? quâ ratione caro verbi obnoxia vt reliqua generis humani fieri potuit, quæ nec in Lumbis Abrahæ & Leui decimari valuit teſte Apoſtolo, nec in Adam peccauit teſte Auguſt. ſuper Geneſim. *Quia*, inquit, *alia ratione ibi fuit quàm cæteri.* Aug. de Trinitate. *Vt illud quod naſcebatur ex Virgine ex progenie primi hominis, tantummodo generis non etiam criminis originem duceret. Naſcebatur enim non tranſgreſſionis contagione vitiata natura, ſed omnium talium vitiorum ſola medicina.* Anſelmus Cantuarienſ. Sed non in aliquo eorum in quibus fuit ab Adam vſque Mariam erat vbi eſſet &c. Item idem. *Nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem ex ſola Virgine conceptum de peccato maſſæ peccatricis, quamuis de illa aſſumptus, aliquid potuiſſe accidere etſi non eſſet Deus.* Quid euidentius? Quid Petrus Lombardus vel neſcio quis Ioannes Damaſcenus Scholaſtici ad auctoritates has orthodoxorũ? Amplius. Diſtinctio Apoſtolica, qua dicitur Deus filium ſuum miſiſſe non in carnem peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato hoc eſt de ſacrificio pro peccato damnaret peccatum; quod nulla prorſus veritate potuit, ſi ipſa obnoxia, vt reliquæ fuit. Diſtinctio inquam hæc euidenter damnat ſenſum iſtorum vel ſimilium. Amplius. Vmbram habens lex, ait, non ipſam veritatem rerum conſtituit homines ſacerdotes, infirmitatem, ideſt peccatum habentes, prius pro ſuis delictis offerre hoſtias quæ nunquam poſſunt auferre peccata.

Ex his perſpicuè probatur quis ſit verus ſacerdos veraque hoſtia. Quis eſt Filius Dei? inquit, *eo quod manet in æternum ſempiternum habet ſacerdotium ſine patre ſine matre initium dierum neque vitæ habens.* Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex ſcilicet ſegregatus à peccatoribus, qui non habet neceſſitatem prius pro ſuis delictis offerre. Vna enim oblatione corporis S. perfecit in ſempiternum ſanctificatos....

Huius ergo Pontificis inter mortuos ſolius veri, dicit Propheta, *Liberi* hoſtiam id. carnem. Quicunque vel quomodo dicunt obnoxiam peccato, vt relinquatur, nulla ratione defendi poſſunt, quin verbum carnem factum impiè arguant de peccato: & taliter delinquentibus iam non relinquitur hoſtia pro peccatis. Iſti ſunt Iudæi, qui vtique Chriſto dicunt illam ſimilitudinem improperantes *Medice cura te ipſum.* Ipſam carnem ſcilicet tuam obnoxiam, infirmam, captiuam vt reliquæ ſub peccato. Hæc enim eſt diſtinctio. *Omnes peccauerunt & egent Dei.* Et ver-

bum Diuinum ſecundum iſtos. Sed abſit hoc credere. Abſit inquam hoc ſentire de carne verbi. Dicit enim ille magnus Athanaſius Epiſcopus, *Non peccauit verbum quod aliorum peccata liberauit vt mutatum in carnem ſemetipſum pro ſeipſo offerret & ſacrificium ſeipſum liberaret. Abſit, non eſt ita, pro nobis ſuum corpus obtulit.* Sed & diuina ſcriptura & ipſa veritas cõtradicit & dicit, Non eget qui ſanus eſt medico, ſed qui malè habent iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redẽptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu quem Deus poſuit propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, in quo habemus remiſſionem peccatorum, vt ipſe iuſtus & iuſtificans & redemptio & ſanctificatio, medicina, liberator & libertas, ſacerdos & hoſtia, propitiator & propitiatio, & cætera huiuſmodi in Diuinis paginis nouis & veteribus multifariè multiſque modis manifeſta. Alioquin ſi Deus medicus eguit medico, vel ſeipſo. Si Medicina caro eius, ſanguis eius quoquo modo vnquam indiguit, Medicina vel ſeipſa. Si Pontifex propitiatore, vel ſeipſo. Si hoſtia, expiatio & libertas liberatore, vel ſeipſo. Si iuſtus iuſtificans iuſtitia indiguit vnquam iuſtificatione vel ſeipſa, concidit ratio omnis, omnis pariter intellectus, ſimulque omnis & veritas omnis medicina & veritas perit. Denique ſicut lex teſtatur vitula & rufa victimæ Dei id. Caro immolata verbi Dei quam tota Trinitas ab æterno conſtituit in expiatione vniuerſorum, & omnis qui non fuerit illa expiatus de medio populi ſui & Eccleſiæ in æternum perit, quia inquit ſanctum Domini polluit, & quanto magis qui ipſam Carnem vt reliquam pollutam credit, quam nunquam iugum peccati ſiue actualis ſiue originalis traxit. Qua ratione in veritate mundari potuit quæ nunquam obnoxia fuit? an quia ſine hac nulla prorſus expiatio poteſt fieri, ſeipſam pro ſeipſo obtulit? qui hoc dicit, anathema ſit. Fides Epheſini & Chalcedonenſis Concilij 830. Epiſcoporum præſcriptas opiniones euacuat.

Vni igitur perſonæ contenta eius in Euangelio adſcribimus, vni ſubſtantiæ verbi ſcilicet incarnati, quia vnus eſt Dominus I. C. vt ſcriptum eſt. Appellatum verò ab Apoſtolo pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum ipſum eſſe dicimus ex Deo ſecundum naturam filium vnigenitum, nec homini præter eum alteri ſacerdotij nomen & officium deputamus. Obtulit enim proprium corpus non pro ſe ſed pro nobis. Nam qui pro ſe oblatione pro ſacrificio indigeret ab omni peccato liber vt Deus exiſtens? quod ſi omnes peccauerunt & egent gloria Dei, ſecundum hoc quod peccatis ægrotauit humana natura, ipſe vero non ita. Ideoque nos gloria eius egemus. Qui autem dicunt quia ſeipſum tam pro ſe quàm pro nobis obtulit, nullatenus impietatis crimen effugient, cum nihil prorſus iſte deliquerit. Si quis ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrum dicit factum ipſum Dei verbum, quando caro factum eſt, ſed velut alterum præter ipſum ſimpliciter hominem ex muliere, aut qui dicit quod pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem & non potius pro nobis ſolis, non enim eguit oblatione qui peccatum omnino neſciuit, anathema ſit. Si quis vero non confitetur Carnem Domini viuificatricem eſſe & propriam ipſius verbi Dei Patris velut alterius præter ipſam coniuncti eidem per dignitatem, aut quaſi diuinam habentem habitationem ac non potius viuificatricem eſſe, quia facta eſt propria verbi viuificare valentis, anathema ſit. Hoc ſapere edocti ſumus tam à ſanctis Apoſtolis quàm Euangeliſtis & ab omni ſcriptura diuinitus inſpirata, nec non & à beatis Patrum confeſſionibus veritate ſubnixis. Spiritus quoque S. à Filio ſicut ex Deo Patre procedit. Proceſſionem ergo Spiritus S. à filio ſicut à Patre quam antiqui Græci tam apertè firmauerunt, cur poſteriores negant niſi quia in vnitate ſchiſmatici ſunt, & in ſacramento altaris fermentarij & in proceſſione hæretici. Si igitur ſanguis & caro Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit Deo, emundauit conſcientias noſtras à peccatis, ſine qua nulla vnquam prorſus facta eſt vel fieri poteſt remiſſio, mundatio, liberatio, non pro ſe offerri debuit vel potuit, patet pro certo, quod Caro verbi nec in matre ſicut aiunt, nec alibi vnquam debuit vel potuit mundari vt munda vel potius mundata eſſet, vel liberari vt libera vel liberata eſſet, nihil prorſus tale fieri potuit niſi ſeipſum pro ſeipſo offerret, hæc verè anathema eſt.

C. 14 Item Athenienſis iſte Carnem Dominicam de ſanguinibus formatam dicit: quod verbum ruſticanum ſatis & inconueniens nequaquam in libro generationis I. C. Filij Dei filij Dauid Filij Abraham inuenitur; ſed nec in libris Catholicorum Patrum legitur de *ſanguine* vel ſaltem de *ſanguine* concepta vel formata. Quinimo cum centies & millies in ſanctis tractatibus natura de natura, corpus

de corpore, ſubſtantiam de ſubſtantia, hominem de homine, carnem de carne, carnem de ſanguine, carnem de matre ſumptam ſcriberent, verbum inſolens & barbarum *de ſanguinibus* formatam vel conceptam etiam ex induſtria probantur vitaſſe. Sicut Ambroſius quodam ſermone *ſanguinem* cauet dicere. *Ioannes*, inquit *ſenis mulierculæ frigido ſanguine naſcitur, Dominus feruentis iuuenculæ flore progreditur: ille corruptibilis ueri ſinibus effuſus, iſte impolluto uulua flore progenitus.* O verè auream linguam & verè Eccleſiaſticum Doctorem! quippe legerat in Euangeliis *qui non ex ſanguinibus neque ex voluptate carnis & viri*, maris ſcilicet & fœminæ, vbi reuera ſanguines 46. diebus coagulantur cæteri homines, ſed ex Deo ſolus natus eſt. Vnde dicit *Vos deorſum eſtis, ego de ſuperius ſum.* Vos de mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Vnde Apoſtolus. *ſecundus homo de Cælo Cæleſtis.* Vnde & Angeli. Quod enim in ea natum eſt, non dixit de ſanguinibus, ſed de Spiritu S. eſt & virtute altiſſimi ſicut ſcriptum eſt in prophetis. Faciet Dominus nouum ſuper terram, & fœmina circundabit virum ſine viro, quoniam ipſe Dominus dabit vobis ſignum & ſancta concipiet & pariet filium Emmanuel. De benedictionibus antiquorum montium tribus digitis appendentium terram, de qua orietur ſicut ſol veritas. Ideoque & quod naſcetur ex te non hic de ſanguinibus dictum eſt, ſicut nouus Doctor autumat, ſed ex te ait naſcetur ſanctum Sanctorum de benedictione Dei cœli vocabitur filius Dei. Non ergo Angeli, Propheræ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Catholici Doctores garrulitatibus Scholaſticorum Incarnationem & Conceptionem Diuinam expreſſerunt, ſed diuinis & reuerendis propriiſque eloquiis ſingulariter, vt dictum eſt, extulerunt.

C. 15. Ceſſent proinde noui Doctores, immo noui ex veteribus Hæretici non Dialectici has profanas vocum nouitates emittere, quas hactenus nec Diuinæ ſcriptura docuit, nec Catholica credidit. Auguſtinus ille verè Catholica aliqua temere ſe ſcripſiſſe retractans his verbis alloquitur Ieronymum Doctorum præcipuum. *Prorſus*, inquit, *mi frater non te arbitror ſic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum & Apoſtolorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitare nefarium eſt. Alios autē ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Ita & meos libros legi volo.* Si igitur tanti viri quos poſt ſcripturas Diuinas in fide Catholica præcipuè ſequitur Eccleſia, tam humiliter ſentiunt de ſenſibus & ſententiis ſuis, quanto magis iſti ſcholaſtici corrigere debent ſuos errores quos Catholica damnat.

Ex libro 4. eiuſdem Gualteri

HVius ſce libri 18. ſunt capita, in quibus diſputat præſertim contra Petrum Pictauinum Lombardi Diſcipulum.

1. De Philoſophis quantum ſibimet contrarij ſint & veritati.
2. De blanda & ideo mortifera Senecæ doctrina.
3. De Socrate omnium Magiſtro.
4. Quod non debet Chriſtianus bibere Calicem, id. Doctrinam Chriſti & calicem dæmoniorum.
5. Quod Doctrina Chriſtiana defendi deberet contra Philoſophos.
6. De Compilatoribus qui cogunt Chriſtianos arare ſimul in boue & aſino.
7. De Ariſtotele & Dialecticis veriſimilia pro veris propinantibus fatuis.
8. Quod noui, imò omnes Hæretici à Philoſophis & Dialecticis generantur.
9. Quod ſicut rerum, ita argumentorum infinita conuerſio, & quæ ſint Regulæ Dialecticorum.
10. Ab hinc ponuntur errores illorum, quod nullus homo viuens ſit perſona: & de hæreſibus Ioan. Damaſceni.
11. Quod in Chriſto natura non eſt perſona, ſed in natura perſona, & quod non eſt Deus, & quod homo nec humanitas facta quid.

12. Hoc nomen *Aliquid* ponit eſſentiam non perſonam, & hoc nomen *homo* prædicat de Chriſto habitum, de aliis ſubiectum. Quam regulam nec Dialectici ſeruant, nec Theologi.

13. De alia Hœreſi Ioannis Damaſceni,

14. Solutio Hæreticorum Diabolica.

15. Quæ ſit ſumma illorum.

16. De ſimilitudine falſa qua veſtitur verbum Dei.

17. Quod anima & corpus Chriſti nec homo nec hominis fuerunt.

18. Definitio de fantaſtico Chriſto Dialecticorum.

19. Veriſſimè dicunt Hæretici, quod Chriſtus illorum nec Deus nec homo nec prorſus aliquid ſit, ſicut nec Manichæorum.

20. Quod iſti noui hæretici ex ſola Iudæorum & Dæmoniorum perfidia plenè opprimuntur.

21. Qualis eſt Chriſtus Chriſtianorum, teſte toto mundo.

22. Quid ſignificat hoc nomen Chriſtus.

23. Epilogatio ſupradictorum.

24. Quod ſumma gratia & congruentia homo aſſumptus naturaliter eſt & Deus & perſona in Trinitate: quod hæreticis & nouis & veteribus videtur abuſio & inconueniens.

25. Quod non ſolum de Diuinitate, ſed & de anima Chriſti dictum eſt. *Ego & Pater vnum ſumus.* Et quod non debet dici Dominicus homo, qui Dominus eſt.

26 Quod vltima ſententia, omnes calumniæ nouorum hæreticorum apertiſſimè exſufflantur.

Iam quæ ſunt in iſtis Capitulis notabiliora, placet exponere. In 1. ſic habet.

Petrus Pictauinus. Filius Dei aſſumpſit animam & anima eſt perſona. Quia eſt rationalis eſſentiæ indiuidua natura: ergo filius Dei aſſumpſit perſonam. Sed dicunt quod anima quandiu viuificat corpus non eſt perſona id. per ſe vna, vt alludatur origini vocabuli. Dicit Ioannes Damaſcenus. *Non eſt communem ſpeciem id. hominem accipere de Chriſto, ſed eſt eam accipere de Petro.* Ergo in alia ſignificatione dicitur de Chriſto, quod ſit homo, quàm de Petro: ergo cum Chriſtus ſit homo & Petrus ſit homo, non eſt dandum ſub vna prolatione, & Chriſtus & Petrus eſt homo, vel Chriſtus & Petrus ſunt homines. Alii dicunt, in quorum opinione eſt Magiſter meus, quod potentia increata potuit deponere animam quando vellet, quod nullus. Alii dicunt illa duo, animam ſcilicet & carnem perſonæ verbi vnita eſſe, vt illis duobus veluti indumento quodam verbum diuinum veſtiretur. Nec alia ratione dicitur Deus factus homo, niſi quia veritatem carnis & ſanguinis accepit, quæ in vnitatem perſonæ ſibi copulauit: non quia illa duo vel aliqua res ex illis compoſita ſit vna perſona cum verbo vel ſit Verbum: ſed quod ſecundum eos hoc nomen *homo* habitum copulat. Poteſt etiam hoc nomen *homo* poni in deſignatione perſonæ humanæ, vt quaſi quid generale notet. Nota quod cum dicitur *Chriſtus eſt homo*, idem eſt ac ſi dicatur, *Chriſtus eſt humana natura*: quod ex ſequentibus patebit. Nam in prædicato prædicat habitum. Vnitus eſt autem filius Dei carni mediante anima.

C. 2. Quæritur quid prædicet hoc nomen *Homo*, cum dico Deus factus eſt homo, an perſona, an accidens. Si enim accidens, habebitur quod Deus non ſecundum quod eſt homo, eſt aliquid, ſed alicuius modi. Sicut Socrates non ſecundum quod eſt albus, eſt aliquid, ſed alicuius modi. Si verò prędicat perſonam, verum eſt quod Deus ſecundum quod eſt homo, eſt perſona, eſt ſubſtantia, eſt aliquid: igitur ſecundum diuerſos diuerſa eſt intelligentia huius propoſitionis. Ieſus, quod fere in omnium ore verſatur, manens quod erat, aſſumpſit quod non erat, ad naturam debet referri non ad perſonam, & ita ad naturam, vt non dicatur natura eſſe perſona, ſed in natura perſona.

Obiicitur. Quod Chriſtus ſecundum quod eſt, homo eſt: ergo ſecundum quod eſt homo, eſt aliquid, vel aliquis habet aliquid: ergo aliquid: & ita Deus vel aliud habet aliud. Ergo ſecundum quod eſt homo, eſt Deus, quod nemo dicit. Non enim humanitas facit eum quid; niſi quaſi per violentiam: ſi vt quidam dicunt,

huic

huic nomini *aliquid* imponamus ſignificationem aliam quàm ſubſtantiæ, vt ſecundum quod eſt homo eſt aliquid; ideſt alicuius modi vel alicuius naturæ. Item habet authoritas. *Quod ex* te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei: ergo aliquid quod natum eſt ex Virgine, illud eſt Deus. Ergo Deus eſt aliquid quod eſt natum de Virgine. Ideo dixerunt quidam quod nomina conuenientia Chriſto ſecundum humanitatem in maſculino ad hypoſtaſim referantur in neutro ad eſſentiam Dei. Vnde recipiunt. Chriſtus eſt paſſibilis, mortalis, temporalis, viſibilis: ſed non eſt paſſibile, vel mortale, vel temporale. Non tamen recipiunt. *Nihil eſt Chriſtus quod ſit viſibile*, quia plus remouetur per hanc dictionem *Nil*, quàm ponatur per hoc nomen *Aliquid*. Nam hoc nomen *aliquid* ponit eſſentiam non perſonam. Hoc nomen *Nil* remouet & perſonam & eſſentiam. Vnde inſtant huic argumentationi. *Chriſtus non eſt aliquid quod ſit viſibile: ergo Chriſtus nihil eſt quod ſit viſibile.* Nam idem eſt ac ſi concluderetur. *Non eſt eſſentia vel perſona* quæ ſit viſibilis; quod falſum eſt pro perſona.

Item regula eſt Dialecticorum. Quod nomen æquiuocè dictum de aliquibus falſam facit propoſitionem, in qua de illis ſub vna dicitur prolatione. *Et latrabile & marina bellua ſunt Canes.* Non enim vna prolatione duas poteſt tenere ſignificationes. Eadem ratione cum diſſimiliter dicatur *homo* de Chriſto & Petro, non videtur dandum, *Et Chriſtus & Petrus eſt homo.* Nam de Petro ſubſtantia prædicat, de Chriſto habitus. Immo videtur dandum. *Solus Chriſtus eſt homo*, cum illi ſoli conueniat hoc nomen *homo* in ea ſignificatione in qua dicitur de ipſo. Sed Theologi hanc rationem non ſemper obſeruant, quia nec etiam Dialectici vt Ariſtoteles in lib. Prædicam. ait: Si quis ea vocet animalia loquens de vero animali & picto, de quibus æquiuocè dicitur hoc nomen *animal*. Sunt tamen qui dicunt hoc nomine *Quid* poni perſonam ſicut eſſentiam. Vnde recipiunt *Chriſtus eſt aliquid quod videtur*, id. aliqua perſona, & aliquid quod tangitur, & aliquid quod moritur.

C. 13. Cum Chriſtus ſecundum humanam naturam mortuus ſit, quæritur an in morte ipſius ſeparata ſit diuinitas à carne & anima. Quod videtur. Ait enim Ioan. Damaſcenus, *Tantæ ſimplicitatis eſt diuina natura, vt corpori formato de limo terræ non congruerit vnirì niſi mediante rationali creatura.* Cum ergo tunc ſeparata fuerit anima à carne, videtur quod Diuinitas ſeparata ſit à carne, cum mediante anima eſſet ei vnita. Nam ablato medio ſoluuntur extrema. Nam etiam quando viuebat, non erat aliquid ex anima illa & carne. Immo ſi aliquid fuiſſet compoſitum ex illis, illud eſſe deſierat in morte, quia illa mors nihil aliud fuit, niſi ſeparatio corporis ab anima.

C. 14. Ad ſolutionem prædictarum obiectionum oportet ſcire qua ratione Chriſtus dicatur homo & quâ cæteri homines. Nam diſſimilitudo eſt in dicto. *Petrus ſiue alius dicitur homo* propter duo; & quia habet animam & corpus, & quia habet ea vnita: non enim ſi eſſent ſeparata, verè diceretur Petrus eſt homo. Sed Chriſtus non dicitur homo propter hæc duo, ſed propter vnum ſolum, quia vnitus eſt filius animæ & corpori. Si tamen obiiciatur de proprietatibus quæ inſunt ſecundum compoſitionem quæ eſt ex anima & corpore, cuiuſmodi ſcilicet locutio, riſibilitas: de quarum numero videntur eſſe, mors temporalis & vita & mortalitas, difficile eſt videre quomodo aſſignentur Chriſto. Cum enim dicitur, *Chriſtus locutus eſt* dicitur ne ſecundum compoſitum ex anima & corpore ſicut in reliquis hominibus? non, quia nihil componebatur ex anima illa & corpore. Dicitur ne ſecundum animam an ſecundum corpus? quorum vtrumq; conſtat eſſe falſum: quia neutrum illorum fuit ſubiectum locutionis Chriſti. Diciturne ſecundum diuinam naturam? non, quia illa nullius accidentis fuit ſubiectum: ergo cum nec ſecundum diuinam naturam nec ſecundum humanam dicatur de Chriſto quod locutus fuerit, fleuerit, pro huiuſmodi quomodo hoc dicitur de illo? Chriſtus ex quanta charitate pro nobis dignatus eſt naſci, tanta dignatus eſt pati: ergo tantum meruit hoc opere nobis quantum illo, vel neutro illorum nobis meruit. Ergo tantum meruit naſcendo quantum & patiendo: ergo nil meruit vel ſibi vel nobis aliquo opere, quod non meruit quolibet alio opere. Sufficiat ergo mihi principium dubitationis dediſſe, licet ſolutionem non ſit mihi facile tradere. Redimere nihil aliud eſt quàm à peccato liberare: quotidie liberat, ergo quo-

tidie redimit: ergo Chriſtus non fuit ſufficiens hoſtia. Quod ſimiliter probat Paulus de execratione carnalium hoſtiarum. Creditur Chriſtus, *ſecundum quod homo redemit, id. pretium dedit & à peccato liberauit, falsum eſt. Chriſtus eſt mediator Dei & hominum: ergo nec eſt Deus nec eſt homo.* Natura medij eſt vt neutrum extremorum ſit. Quidquid enim habuit illud corpus in ſe, non poteſt dici habuiſſe filius Dei propter vnionem huius ad illud. Inde non recipitur continuatio inter filium Dei & corpus: cum tamen corpus illud non eſſet Deus nec pars Dei, ſed ei vnitum; & ita mortuus eſt Chriſtus & non eſt mortuus ſecundum alteram & alteram naturam.

Eia prudens Lector, ſummam fidei illorum collige. Petrus ſiue alius dicitur homo propter duo: & quia habet animam & corpus, & quia habet ea vnita. Non enim ſi eſſent ſeparata, verè diceretur, Petrus eſt homo, veriſſimè omnino concedimus. Adeo vt nec in morte aliud ſit ſicut ſupra probatum eſt & totus mundus canit. *Omnes homines reſurgere habent in corporibus ſuis.* Non dicitur *omnes animæ*, vel *omnes mortui, ſed omnes homines.* Alioquin ad aduentum Chriſti, nullus erit qui reſurgat. Omnis igitur qui aliter eſt homo, non verè dicitur homo, ergo nec homo, quia falſus homo. Sed Chriſtus, inquit, non hac aſſignatione vel ſpecie hominis ſeu propter hæc duo dicitur homo, ſed propter vnum ſolum, quia vnitus eſt filius animæ & corpori. Nec exigitur quod anima corpori vniatur, ſed iſtis duobus velut quodam indumento verbum Dei veſtitur: anima tamen & corpus inter ſe non ſunt vnita. Non eſt igitur homo nec quicquam hominis habens ſecundum tantum quandam animam non hominis & quoddam corpus non hominis portans. Per animam & corpus non hominem, inquit, intelligimus, ſed tantum humanam naturam quâ veſtitur Chriſtus, id. filius Dei verbum Dei, ſcilicet per hæc nomina non vtramque naturam ſed ſolum Diuinam ſicut Neſtorius, ſeorſum ponentes, verbi gratia legitur *Cum audiſſet Petrus quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus & miſit ſe in mare.* Sic inquiunt verbum caro factum, id. veſtitum. *Habitu inuentus vt homo* habitauit in nobis & miſit ſe in mare magnum: illic animalia id. argumenta, quorum non eſt nec numerus, nec exitus. Ita tunica Petri, quamuis eius natura in perſona adhæreat, coniungatur, copuletur, vniatur. Sic Lumbare adhæret homini: cum nec natura nec perſona, nec pars, nec prorſus aliquid Petri eſt, nec etiam Petrus poteſt dici: ſicut nec Petrus poteſt tunica dici, quam licet portet & nullo modo viuificet, informat tamen veſtitam ipſe ab ea tunicatus. Sicut albedine albus verè dicitur filius Iohanna, quod nullatenus tunica poteſt nec aliquid ſubſiſtens ex illa & Petrus poteſt componi. *Similitudo inducta & falſitatis mater eſt*, ait Auguſt. *& intelligendæ veritatis magiſtra.* Sic ergo inquiunt, humana natura Chriſto vnita nihil amplius quàm veſtitum id. incarnatum oſtendit. Ipſa vero nihil eſt Chriſti: adeo vt nec Chriſtus nec omnipotens, nec Rex ſeculorum, nec Dominus, nec Deus, nec Dei filius, nec Virginis filius poſſit dici, non plus quàm tunica Petri poteſt dici Petrus vel filius Iohanna. Eſt enim tantum accidens. Inde, inquiunt, non recipitur continuatio inter filium Dei & corpus non plus quam inter coloratum & colorem qui nihil colorati eſt, ſicut & corpus nihil eſt, quoniam non viuit per ſe. Nihil ergo compoſitum ex his duobus id. anima & corpore, quoniam vt aiunt, inter ſe nunquam vnita fuerunt: *humanitas* inquiunt *non facit eum* Quid, *niſi quaſi per violentiam, nec ipſa aliquid eſt ſed aliqua. Igitur hac ratione illa Virgo nunquam fuit Mater alicuius filij, ſed tantum corpus neſcio quod ſine anima concepit & abortiuit.* Horreo proſequi cætera monſtra. Etiam in morte inquiunt, verus homo fuit, quia ſemper ſeruauit vnionem illam quæ erat Diuinitatis ad animam & corpus: qua manente non poterat dici verè non eſſe homo.

Verè poterat dici non eſſe homo, ſi illa duo inter ſe vnita aut homo aut hominis fuiſſent. Cum vero inter ſe nunquam vnita fuerint, per hæc nec homo nec hominis ſunt, nec diuinitas vnquam, aut corpori pro anima, aut animæ pro mente vel ratione vel voluntate, ſicut quædam hæreſes dixerunt & ab Eccleſia pulſæ ſunt. Manifeſtum eſt quod illa vnione quæ erat Diuinitatis ad animam & corpus, nunquam potuit Chriſtus eſſe homo; quia illa duo diſiuncta nec homo nec Diuinitatis nec hominis vnquam extiterunt. Ergo ex præmiſſis talis probatur huius Chriſti definitio. *Chriſtus eſt non filius id. verbum Diuinum, humana phantaſia non natura*

veſtitum, habens quoddam corpus non hominis quod nunquam vixit nec aliquid cum anima vel per animam geſſit, habens quandam animam quæ nunquam vita humana vixit, nec quicquam cum corpore vel corpus geſſit. Ne putes falſam definitionem, audi illorum confeſſionem. *Quis nos* inquiunt, *certificabit de illis quæ leguntur in Euangeliis quomodo aſſignentur Chriſto? cum nec ſecundum animam nec ſecundum corpus nec ſecundum compoſitum ex anima & corpore ſicut in cæteris hominibus quicquam fecerit.* Ergo cum nec ſecundum diuinam naturam nec ſecundum humanam dicatur de Chriſto quod locutus fuerit, vel fleuerit & huiuſmodi quomodo hoc dicitur de illo? quid manifeſtius quæritur? omni veritate Euangeliorum priuatos propriâ confeſſione ſe produnt. Vnde quis iam non videat quoniam veriſſimè dicunt Chriſtum ſuum non eſſe aliquid ſecundum quod homo? Immo vt ſupradicta hæreſis veraciter aſſerit, nec Deus nec homo, quippe nec ſecundum diuinam naturam, nec ſecundum humanam in Euangelio locutus ſit quicquam vel fecerit. Rogo quis audiuit vnquam tale verbum Dei, aut quis vidit huic ſimile monſtrum? an in principio erat verbum caro factum, dentes, palatum, arterias, linguam, pedes, manus & cætera membra non habuit quibus poſſet loqui, moueri & agere? habuit planè. Cur igitur nihil egerit, audi neceſſariam cauſam. Nihil fuit compoſitum inquiunt, ex anima illa & corpore, & neutrum illorum fuit ſubiectum locutionis & operationis Chriſti, quia nunquam inter ſe vnita fuerunt. Corpus autem nulli animæ vnitum ſemper mortuum eſt, nec loqui, nec ambulare, nec prorſus aliquid agere valet. Sic anima nulli corpori vnita non loquitur nec aliquid humanitus agere poteſt: & ita neutrum nec homo nec aliquid hominis ac per hoc nec humana natura dici poteſt. Anima rationalis non eſt niſi hominis, ſicut nec corpus humanum. Mors, inquit, quam ſuſtinuit Chriſtus in anima non fuit, quia nec in ea fuerat vita humana nec in corpore fuit, quia corpus non eſt aliquid quod moueatur. Et tunc cum nihil mortuum ſit niſi Chriſtus, & Chriſtus non eſt corpus, non poteſt dici mortuum. In perſona verbi non fuit illa mors, nec in compoſito ex anima & corpore, quia nil ibi fuit compoſitum. Per animam & corpus non intelligimus niſi humanam naturam, diuina enim natura quæ eſt Chriſtus, non moritur. Humana etiam natura non moritur, quia humana natura non eſt Chriſtus. Hæc verba Petri. Quid amplius quæritur? Patet iam quod ſicuti Manichæi fabulis ſuis, ſic & iſti regulis Ariſtotelicis vtrique pari vanitate fabricarunt ſibi fantaſticum Chriſtum, qui nec Deus nec homo ſit; nec ſecundum diuinam naturam, nec ſecundum humanam quicquam geſſerit, vel fecerit, vel mortuus ſit.

Languentes circa quæſtiones & pugnas verborum vel fabularum, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. *Non ſufficit*, ait, *explicare huiuſmodi argutias.* Remoue, inquam à ſacra pagina, aufer argumenta vbi eſt fides. Imo & authoritate Patris & Filij & Spiritus S. excommunicamus huiuſmodi Chriſtum ab omni Eccleſia *Amen.* Sitque maledictus omni genere maledictionis. Etiam reſpondebit omnis populus Chriſtianus atque Catholicus, *Amen, fiat, fiat:* quia & ſecundum quod homo & ſecundum quod Deus & ſecundum vtrumque prorſus nihil eſt. Etiam ſicut hoc nomen *Nihil* nihil ſignificat, ſic vocabula quæ dicis, Chriſtus, anima, corpus in eo quod intelligis imò fingis, *nihil* ſignificant. Quare à temetipſo non vides quod verum eſt. Si corpus tantum haberes, quid eſſes? ſi anima tantum, quid? ſi verò neutrum, eſſes ne aliquid? vel aliquis? ſic Chriſtus tuus nec Deus nec homo eſt, cum totum aufers, quidquid Dei eſt & hominis.

Dicis autem. Chriſtus aſſumpſit & vniuit ſibi animam & corpus. Qui hæc audit, putat te dicere quod Chriſtus verum hominem aſſumpſerit. Sed de corpore, quid abſolutè dicis? Corpus Chriſti nec Chriſtus eſt, nec Deus, nec pars eius.

Cum verò de vtroque ſic dicis. Per animam & corpus Chriſti non intelligimus niſi humanam naturam, ſtatimque infers. *Humana autem natura nec eſt Chriſtus*, totius hominis & humanæ naturæ veritatem à Chriſto nullo dubitante remoues. Non eſt igitur homo, quia nihil eſt hominis. Sic cum abſolutè pronuncias. *Chriſtum nec ſecundum corpus, nec ſecundum animam, nec ſecundum vtrumque:* & expreſſius infers, *non ſecundum diuinam naturam, nec ſecundum humanam naturam quicquam feciſſe, nec illi aliquid de Euangelio aſſignas.* Proculdubio ſecundum hoc aſſeris nihil

fuiſſe, ideſt nec animam nec corpus nec vtrumque, nec Diuinam nec humanam naturam habuiſſe. Ergo nec Deus nec homo nec Chriſtus eſt, quia nihil Dei, nihil hominis, nihil Chriſti aſſeris habuiſſe vel egiſſe. Sic cum dicis Chriſtum mortem ſuſtinuiſſe, ſtatimque infers illam mortem nec in anima nec in corpore nec in vtroque, & expreſſius nec in diuinam naturam nec in humanam naturam fuiſſe, proculdubio negas mortuum, quia *non niſi in aliquo illorum mori potuit.* Sed ſicut illum nihil horum id. nec animam, nec corpus, nec vtrumque, nec diuinam nec humanam naturam vel eſſe vel habuiſſe euidentiſſimis verborum complexionibus aſſeris, ſic conſequenter in eo qui prorſus nihil eſt, nullam mortem inuenis.

Sed quia negare mortuum Chriſtum non audes, vaniſſimis fabulis manifeſtus Manichæus tergiuerſaris; & cum ſit Dialectica bene diſputandi ſcientia, ſicuti Auguſtinus ſuam incepit, diſputatur enim ait de verbis, reuera tu tantùm nudis vocabulis & fallis imperitos & falleris ipſe hæreticus, omni rerum veritate priuatus & à vero Chriſto alienus. Qui veluti coluber tortuoſus & anguis luridus & cœcus, dum lubricis anfractibus in labyrintho ſententiarum tuarum hac atque illac horribilis dilaberis, tamen velis nolis propriis verbis te ipſum damnandum & conculcandum apertiſſimè prodis. Similibus fabulis Manichæi Chriſtum ſuum licet negent de fœmina natum; locutum, paſſum & mortuum hominem, quia non audent nec poſſunt negare, omnia illum per magiam ſimulaſſe dicunt. Sed mille & mille Catholicorum & Diuinarum ſcripturarum authoritatibus obruuntur tales doctores.

De Petro Abaëlardo S. Bernardus ad Papam Innocentium. *Immo*, inquit, *ita ſacram nunc incarnationis irridet, ſicut nouus Euangeliſta quem habemus in Francia.* Iſti abſolutè, *Chriſtus ſecundùm quod homo non eſt aliquid.* Habuit etiam ille in Rom Curia Clericos ſuos; habent & iſti fortè ſequaces: ſed Catholica veritas vndique nos premit: & ſola Iudaïca perfidia cum Dœmonibus obruit nos dicendo. *Tu es Chriſtus & ſanctus Dei, & tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Ecce Iudæi adſtruunt hominem & tu dicis nihil eſſe. Si ergo nihil crucifixerunt, & tu ſis veridicus. Sin autem, quod nec Paganus negat, aliquid & aliquem hominem crucifigendo occiderunt, tu Iudæo & dæmone deterior conuinceris proculdubio, & omnis qui tibi aſſentit. Nullus enim vllis argumentis crucifigitur: ergo aliquis ac per hoc aliquid, crucifixus eſt. *Si enim cognouiſſent*, ait Apoſtolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: quoniam Deus & homo vna perſona eſt Chriſtus, vita & inuincibilis veritas. Os noſtrum patet ad vos ô fantaſtici! *Cor noſtrum*, Apoſtolus loquitur, *dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini in viſceribus veſtris.* Legatione enim fungimur tanquam Deo exhortante per nos, *obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Poſtquam ita diu Gualterus Pictauinum & alios Theologos ſui temporis Ariſtotelicis & Dialecticis axiomatis atque theorematis nimis addictos confixit, tandem ſubiungit aliorum Magiſtrorum de myſteriis eiuſmodi ſenſum Catholicum & Chriſtianum, hunc que titulum præfigit. Quis ſit Chriſtus Chriſtianorum.

Ego ſum ait *veritas & vita*, non fantaſma, ſed ea ſpecie & veritate & vnione naturali, quâ & cæteri & primus Adam homines ſunt. Et ego homo ſum filius illius. Ille nec Patrem nec matrem habuit. Ego ipſe de Patre Deo natus naturaliter filius Deus, & de homine matre natus homo filius naturaliter natus ex anima rationali & humana carne naturali vnione inter ſe vnitis ſubſiſtens. Sed ſolus de Virgine vita humana ab ipſa corruptione more cæterorum per omnia viuens: ſed ſolus abſque peccato morte humana more cæterorum anima à corpore ſeparata verè mortuus; ſed ſolus poteſtate & ſacramento Redemptoris. *Ecce homo*, ait ad Iudæos. *Quid me ſic vnitum & compoſitum quæritis diſiungere & interficere hominem qui veritatem locutus ſum vobis quam audiui à Deo. Creditis in Deum & in me credite, non qualem fantaſticè fingitis, ſed qualem lex & Prophetæ & Euangelia & Apoſtoli, ratio & veritas naturalium documentorum & operum in Euangelio me manifeſtiſſimè probant: & totus vtique mundus profitetur dicens.* Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus: vna perſona, non ſicut Petrus eſt tunica ſua, quæ nec natura Petri, nec Petrus, nec filius Iohanna: quæ ſimilitudo

ei rei cui ſimilatur, magis diſſimilitudo eſt: ſed ſicut anima Petri cum carne ſua, anima rationabiliter animata, quæ veraciter & natura Petri & Petrus & vna perſona cum Petro & filius Iohanna. Sic Chriſtus cum carne ſua propriè animæ rationabiliter vnita, veraciter & natura & proprietas Chriſti & Chriſtus eſt & vna perſona naturaliter cum Chriſto, & naturaliter filius Dei & filius virginis & dicitur & eſt: & habet hoc, & eſt vnus filiùs non duo, vnus Chriſtus non duo, vna perſona non duæ.

Porro hoc nomen *Chriſtus* non Diuinam tantum naturam ſignificat, vt Hæretici ſentiunt, ſed ſicut Hieronymus ait, *vtriuſque naturæ Diuinæ ſcilicet & humanæ, id eſt Dei & hominis individuum ab æterno continet ſacramentum.* Vnde quod dicitur Chriſtus ſecundum quod homo, non poteſt nec debet ſine diuinitate intelligi: ita ſecundũ quod Deus, non poteſt nec debet ſine humanitate ſentiri. Quapropter ſecũdum quod homo verè & aliquid & perſona & Deus eſt, non tamen alius quã Chriſtus, nec alia perſona quàm Chriſtus, nec aliud aliquid quàm Chriſtus. Vt enim homo duarum, ſic Chriſtus trium naturarum Individuum cogitur ſemper intelligi. Sicut ait Auguſtinus lib. de Trinit. *Ipſe homo aſſumptus, nec vt homo etiam Deus & ex quo eſſe homo cœpit, ex illo eſt Deus. Factum quippe Creatura, per quem omnis facta eſt Creatura. Verbum quippe Caro factum eſt, omnem Creaturam teſtem habere oportebat.* Leo Papa. Si homo non deuiaſſet, Creator mundi Creatura non fieret. v.g. propriè Deus in ſe creando ſuſcepit hominem, & naturaliter factus eſt homo.

Dicamus ergo ac ſi nihil adhuc cum Hæreticis egerimus. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ: vir inſipiens non cognoſcet & ſtultus non intelliget hæc.* Quoniam vt omnis homo purus ſit filius hominis, corpus ex ſanguinibus formatur prius multis diebus: deinde Spiritus infunditur. ſic homo in duobus & ex duobus individuum extat vna perſona, quæ nec in ſeparatione mortis, nec in ipſa morte æterna vlla ratione diuidi, augeri minimè valet, quin vna eademque ſit perſona, licet ſemper mutetur. Vt autem Verbum filius hominis eſſet, verſa vice factum eſt. Nihil prius formatum, poſt animatum, deinde aſſumptum. Non ſic, hæretici, non ſic. Hîc omnes argumentationes falſantur & frontes duriſſimæ conteruntur. Non ſic, inquam, vt cæteri ſed è diuerſo. Illud Chriſti quod prius erat in principio & apud Deum erat, & Deus erat ſine tempore Verbum Caro, ideſt homo rationalis ſubſtantia factum eſt certo die 8. Kal. April. teſte & celebrante hodie toto mundo. Et quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat id. ipſe Filius Dei, qui factus eſt filius hominis. Vnus inquam ex ambobus Emmanuel, qui nihil in ſe pro aſſumpto eſt homine adauctus, nihilque quod Verbum Caro factum eſt, imminutus vel mutatus, ſicut ſupra dixit Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus; quia quod factum eſt, vel quod ſuſcepit, nunquam Ens alienum extra ſuam perſonam extitit, vt poſtaſſumptum recte poſſet dici abiectio vel perſonæ immutatio.

Sed quomodo factum eſt, & eſſe cœpit totus ſimul homo, eo ipſo non prius aliquis alius quàm propriè verbum, manentibus & in vna perſona concurrentibus Verbi hominiſque totis proprietatibus. Extitit item temporaliter qui eſt ſine initio coæternus, ſicut ex lege audiuimus, quia Chriſtus manet in æternum. Deum tamen hominem dicit Petrus non quia ſit, ſed quod tantùm habeat hominem; & è conuerſo hominem Deum, non quia ſit ſed quod tantùm habeat Deum, & hoc eſt quod firmiter dicit in Eccleſiaſticis credendum. Quod Deus hominem aſſumpſit, homo in Deum tranſiuit Dei dignatione; quod in Conciliis 830. Epiſcoporum damnatum eſſe ſupra docuimus. Nam abuſio & magnum inconueniens ei videtur, vt aliquis homo creatus pariter & aſſumptus, creatura ſcilicet cum creatore, factura cum factore, temporalis cum æterno, mutabilis cum immutabili, mortalis cum immortali, humanitas cum diuinitate, natura humana cum Diuina, filius hominis cum Filio Dei; non quia duo filij, alterum altero, ſed omnino vnus Dei filius & hominis, non duo Chriſti ſed vnus, aliud quidem & aliud, ſed vtique manentibus trium naturarum proprietatibus, vna perſona in Trinitate credatur, adoretur, vt non quaternitas ſed trinitas, vnus Deus Catholica fides doceatur. Contemnatur ergo inquam à Catholicis & damnetur Diabolica falſitas quæ dicit hominem Chriſtum non eſſe aliquem nec aliquid, contradicente etiam Propheta & dicente, *terra* id. homo Chriſtus, *data eſt in manus Impij vul-*

tum iudicium eius operit. Quod ſi non ille eſt, inquit, *quis ergo eſt?* Hæc Prophetia Iudæos quidem arguit, ſed præcipuè iſtos nouos Manichæos ſtrangulat, cum dicebat de Chriſto homine, *quod ſi non ille eſt, quis ergo eſt?* Igitur & aliquis & aliquid. Eſt, inquam, eſt ſecundum vtrumque, & ſingulariter Eſt Eſt. ſicut ait, *Singulariter Ego ſum*, quoniam nulla alia Creatura rationalis, nullus alius homo, niſi ipſe ſolus homo Chriſtus verè in Trinitate viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto. Vnde Deus per omn a ſecula ſeculorum amen. Auguſtinus: Simeon annoſus ſeruatus eſt uſque ad infantiam Verbi, & accepit in manibus ſuis infantem verbum, & ait, *Oculi mei viderunt Salutare tuum Domine.* Dicebant autem Iudæi. *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Pſalmiſta. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Ad me ipſum anima mea conturbata eſt.* Auguſtin. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Ieſus fremuit ſpiritu & turbauit ſeipſum, quis enim cum poſſit, niſi ſe ipſe turbare? Eſuriuit ideo, dormiuit, contriſtatus eſt, mortuus eſt Ieſus, ſed quia voluit. In illius poteſtate erat ſic vel ſic affici vel non affici. Verbum enim animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ vnitate naturam. Nam & Apoſtolorum ſanctorumq; Prophetarum verbo illuſtratæ ſunt animæ: ſed de nulla dictum eſt.* VERBVM CARO FACTVM EST. *De nulla dictũ eſt, Ego & Pater vnum ſumus. Anima Chriſtiq; Caro Chriſti cum verbo Dei vna perſona eſt, vnus Chriſtus eſt. Ac per hoc verè ſumma poteſtas eſt Chriſti voluntatis nutum cum turbauit ſeipſum* Item mediator Dei & hominum homo Chriſtus cum ſit propriè Dominus, non poteſt rectè dici Dominicus homo. Item cauendum eſt, ne ſic aſtruamus Diuinitatem hominis, vt veritatem corporis negemus. Iſaias. *Quieſcite ergo ab homine cuius ſpiritus in naribus eius, quia excelſus reputatus eſt ipſe.* Hieronym. *Intelligentes ergo Iudæi Prophetiam eſſe de Chriſto, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati ſunt, vt viderentur non laudare Chriſtum, ſed nihili pendere. Qua eſt enim verborum conſequentia, & qui ordo orationis ac ſenſus, vt dicamus cum hæc ſe ita habeant & dies ventura ſit Domini in qua vniuerſus Iudæ ſtatus ſubuertendus eſt & omnia conterenda, moneo vos atque præcipio vt quieſcatis ab homine qui ita ſpirat & viuit, vt nos homines: quia in nihili computandus eſt.* Quiſquam ne hominum ita quempiam laudet, vt dicat, *Cauete ne offendatis eum qui omnino nihil eſt?* Ergo è contrario ſic intelligendum. Cum hæc vniuerſa ventura ſint vobis, & Prophetali ſpiritu prædicantur, moneo atque præcipio vt quieſcatis ab eo, qui ſecundum carnem quidem homo eſt & habet animam, & ita ſpirat & naribus halitum trahit, vt nos homines ſpiramus & viuimus, ſed ſecundum Diuinam maieſtatem excelſus eſſe & reputatus & creditur. Tacita mecum mente pertractans non poſſum inuenire rationem, quare Septuaginta tam perſpicuam de Chriſto Prophetiam in Græcum voluerint vertere, ſed ab Origine ſub Aſteriſcis de editione Aquilæ additum eſt Græcis Exemplaribus. Cæteri enim qui verterunt quidem: ſed ſermonem ambiguum ad impietatis traxere ſenſum, non mirum, cum malè interpretati ſint nec voluerint de Chriſto glorioſum quid dicere, in quem non credebant, videlicet ut Iudæi aut ſem. Iudæi, id eſt Hebionitæ. Quod autem Chriſtus excelſus ſit vel altiſſimus, qui alio ſermone appellatur apud Hebræos Heloyn in 8o. vi. leginus. *Nunquid Sion dicet homo, qui homo natus natus ſit in ea? & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Et in Euangelio. *Tu puer propheta Altiſſimi vocaberis.* **Ac ne longum funem traham, in expoſitione Sacrarum Scripturarum veritatem debemus ſequi non intentionem.** In iſto loco apud Hebræos non *excelſus* dicitur, ſed *excelſum* id. ipſa altitudo atque ſublimitas, quaſi ſi de aliquo dicamus, non eſt Diuinus ſed diuinatio; non eſt riuus ſed fons; non eſt homo ſed ipſa humanitas. Origenes. *Iubet*, inquit, *Propheta vt quieſcant ab eo qui in magno aliquo reputatus eſt, licet in præſentiarum videatur vt homo & ſpiramen habere in naribus ſicut & cæteri ſpirant homines.* Hieronymus. *Antequam ſciat puer vocare Patrem ſuum & matrem ſuam. Iſte igitur puer qui natus de Virgine appellatur Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus, & de Prophetiſſa hoc eſt de ſancto generatus Spiritu nuncupatus eſt. Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari, nunc multis nominibus appellatur. Vocabitur ergo poſt duo nomina ſex aliis nominibus*, Ammirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Qua nominum maieſtate perterritos 70. reor non eſſe auſos de puero dicere, quod apertè Deus appellandus ſit, &c. Sed pro his ſex nominibus poſuiſſe, quod in Hebraico non habetur, Magni Conſilij Angelum. Vbi in Græco dicitur. Conuertentur reliquiæ Iacob ad Deum fortem. Pro Deo forti in

Hebræo ſcriptum eſt Hel. Gibbor. duo nomina de ſex nominibus quibus paruulum puerum & filium qui datus eſt nobis, ſupra legimus appellatum. Vbique terrarum Eccleſia fidelium cum omni fiducia canit. O certè neceſſarium Adæ peccatum quod Chriſti morte deletum eſt! Perſpicua igitur ratio docet, quod ſine ſatisfactione homo ad plenum reparari non poterat. Ad plenitudinem autem ſatisfactionis oportuit, vt tanta eſſet humiliatio in expiatione quanta fuerat præſumptio in præuaricatione. Rationalis autem ſubſtantiæ Deus tenet ſummum, homo verò imum. Quando ergo homo præſumpſit contra Deum, facta eſt elatio de imo ad ſummum. Oportuit ergo vt ad expiationis remedium fieret humiliatio de ſummo ad imum: ſed hoc omnino non potuit niſi aliqua in Trinitate perſona. Et quomodo verus & perfectus inter Deum & hominem mediator eſſet, quod cum alterutro commune aliquid non haberet? Ecce ex ratione colligitur, quoniam oportuit Mediatorem Dei & hominum verum Deum & verum hominem eſſe. Duo ſunt contemplationum genera. Primum eſt ſupra rationem, ſed non præter rationem 2. ſupra & præter rationem, qualia ſunt ea quæ de Trinitate in vnitate credimus, & multa quæ de corpore Chriſti indubitatæ fidei authoritate tenemus. Quod enim in vna & ſimplici eſſentia triplex ſit: vel quod vnum idemque Corpus eodem tempore in diuerſis locis eſſe poſſit, nulla humana ratio patitur, & huiuſmodi aſſertionibus omnis abſque dubio ratiocinatio reclamare videtur. In primo Benjamin interficit matrem id. omnem ſupergreditur rationem. In 2. etiam ſeipſum, ſeipſum excedit in eo quod ex diuina reuelatione cognoſcit, humanæ intelligentiæ modum tranſcendit. Auguſt. 6. 1. de Trinit. *Nec quoniam Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt, cum tantus ſit ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus S. quantus eſt ſimul Pater, Filius & Spiritus S. nullo modo triplex dicendus eſt, & ideo Trinitas potius quàm Triplex.* Hieronym. *Omnes Gentes quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Aiunt Hebræi verbo Hebraico Doc ſignificari tenuiſſimum pulueren qui vento rapitur, ſæpe in oculos mittitur & ſentitur potius quàm videtur.* Minutiſſima ergo fruſta puluerís & pene inuiſibilia hoc verbo appellantur, quæ forſitan Democritus cum Epicuro ſuo *Atomos* vocat.

Inde Willielmus de Conchis ex Atomorum id. minutiſſimorum corporum concretione fieri omnia. Et Petrus; Probatur, inquit, quod caro Chriſti non fuit in Abraham vel Adam, quia non tot Atomi fuerunt in eis quot homines ab eis deſcenderunt: ergo ſi vnus atomus ſecundum eos quid ſiue aliquid eſt, quia corpus eſt, & omne corpus ſubſtantia eſt, omnis autem ſubſtantia aut rationalis aut irrationalis, de qua, per quid & aliquid vt dictũ eſt quæritur, quantũ aliquid totus homo, in quo ſunt Atomi pene innumerabiles, & vtique tam ſpiritalis quàm corporalis ſubſtantia. Si ergo omnis homo, ac per hoc & Chriſtus, quia & ipſe homo; & ſecundum quod corpus aliquid eſt, & ſecundum quod anima aliquid eſt, & ſecundum quod diuinitas, aliquid eſt, & ſecundum quod pedes & ſecundum quod manus & ſecundum quod caput & ſecundum quod oſſa, & vt breuiter concludam, ſecundum innumerabiles pene ſui partes quas & habet & eſt, aliquid eſt, quanto magis ſecundum quod totum eſt, magnum & vt ita dicam, ineffabile aliquid eſt? **Eligant ergo Dialectici iſti vnum è duobus, aut omnem hominem ac per hoc & Chriſtum non eſſe aliquid ſecundum quod homo, aut Chriſtum non eſſe hominem.** Quodlibet dicant, non iam Dialectici, ſed hæretici proprio iudicio condemnantur. Nos tamen illorum Atomos & regulas Philoſophorum & quid & aliquid & cætera huiuſmodi ridicula contemnimus & excommunicamus dicentes cum Apoſtolo. *Si quis aliud dixerit præterquam euangelizauimus vobis, licet nos, licet Angelus, licet Petrus, anathema ſit.* Non enim in diuinis Scripturis huiuſmodi deliramenta alicubi inueniuntur. Ideo licet nihil ſit ſubtilius telis aranearum, nihil acutius acuminibus ariſtarum, qualia ſunt ingenia & argumenta dæmoniorum per ora hæreticorum, tamen Catholicis, vt ait Ambroſius in Hexam. exſufflanda potius quàm legenda, *quoniam omne quod natum eſt ex Deo*, inquit, *vincit mundum. Et hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra, quæ Patrem & filium Ieſum Chriſtum cum pelle & carnibus, oſſibus & neruis, anima & mente & totius hominis veritate, & Spiritum S. non opinamur, ſed incunctanter credimus, tenemus, adoramus, vnde Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Hæc eſt fides quæ ab initio vſque in præſentem diem dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos & per mortuos, alios ſuſci-*

tauit. Hic eſt ergo terminus vnus & omnis Alpha & Omega, principium & finis, propter quem & per quem & in quo omnia. Ipſi honor & gloria, qui facit mirabilia ſolus.

Hæc & alia plura Gualterus contra Pictauinum & alios Theologos quos Pſeudoſcholaſticos reputabat, è quorum ſchola prodierunt diſcipuli longè audaciores Amalricus Carnotenſis, Simon Tornacenſis, Mauricius Hiſpanus, Dauid Dinantius & alii, qui Magiſtrorum inuentis addentes tam multas quæſtiones ridiculas tractare aggreſſi ſunt, ſerias vero & neceſſarias tam multis ambagibus, diſtinctionibus, argumentis in ſpeciem probabilibus implicarunt, vt fides Catholica quæ veritatis æternæ oraculo, non humanæ ratiocinationis fundamento nititur, in multorum animis vacillarit. Hinc nonnulli, quo tempore Fulco Neulliacus & alii Fulconiſtæ Sacris concionibus ſuis à peccato populum auertere conabantur, Pſeudo-Prædicatorum munus aſſumentes atque ad id quoque muneris Albigenſium doctores adſciſcentes, omnium hæreſeon fæces Ruſticanis præſertim & oppidis ab Academia remotioribus propinarunt. Satiſque diu latuit hoc virus, donec tandem detecto patefactoque per indicem facinore ſub initia ſequentis ſeculi comprehenſi, conuicti, damnati & cremati ſunt. Quâ in re ſtrenuam Religioni Chriſtianæ manum & operam præſtitit Vniuerſitas, decreto quod tulit & cenſurâ quâ nonnullas Amalrici ſententias propoſitioneſque notauit, quamque Innocentius III. Pontifex ad quem ille prouocarat, authoritate Apoſtolicâ comprobauit, ſeu vt ait Rigordus ad an. 1209. *audita eius propoſitione & Vniuerſitatis Scholarium contradictione ſententiauit contra ipſum. Redit ergo Pariſius & compellitur ab Vniuerſitate confiteri ore, quod in contrarium opinioni ſuæ ſentiret.*

Et quia prima mali labes ex nimis ſedulâ & curioſâ præceptorum Ariſtotelicorum applicatione profluxiſſe viſa eſt, non alia ratione melius huic malo occurri poſſe creditum eſt, quàm ipſius Ariſtotelis libros, eos ſaltem qui plus veneni continebant, damnando & prohibendo, numerumque Theologorum qui nimis excreuerat, coercendo & reſtringendo: vt ſuo loco referemus. Non caruit tamen difficultate Cenſura librorum Ariſtotelicorum. Quippe multi Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores eâ doctrinâ bene belleque vtebantur, fierique ſibi putabant iniuriam, ſi damnaretur Author quem in ſcriptis ipſi laudabant. Contra alii veteris inſtituti amatores & Theologiæ poſitiuæ Profeſſores, omni librorum eiuſmodi lectione interdici volebant. Synodus Pariſienſis an. 1209. cui & Magiſtri Academiei intererant, mediam quandam viam elegit. Nam nec omnes Ariſtotelis libros damnauit; nec damnatos etiam in æternum prohibitos voluit, ſed ad triennium tantùm, donec accuratius liqueret, an eſſet illud ex Ariſtotele malum. Hac de re tunc ſic ſcribebat Author Chronici Antiſſiodorenſis. *Habuit*, inquit, *initium hæc adinuentio profana verborum à quodam nomine Amalrico, quem non longè ante defunctum iudicauerunt anathemate percellendum, fecerunt que corpus ipſius à tumulo erui, & velut hoſtem fidei extra locum fidelium procul poni. Librorum quoque Ariſtotelis, qui de naturali Philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſius cœperunt lectitari, interdicta eſt Lectio tribus annis, quia ex ipſis errorum ſemina viderentur exorta.*

Similiter Robertus Cardinalis Legatus in Reformatione Vniuerſitatis an. 1215. vetuit ne quis libros Ariſtotelis de Metaphyſica & naturali Philoſophia legeret. Eoſdemque libros Gregorius IX. an. 1231. à Scholis arcuit, donec ab omni erroris ſuſpicione purgati fuiſſent. Verum ſecutis temporibus Albertus Magnus & Thomas Aquinas editis in libros illos Commentariis Ariſtotelem cum Euangelio nouoſque Theologos cum veteribus conciliarunt, amputatis & ejectis è Theologiæ Sacrario Quæſtionibus plurimis inutilibus & friuolis. Idque ſibi inter alia propoſitum fuiſſe ſcribit Thomas in Prologo 1. Partis. *Conſideraimus huius doctrinæ*, nempe Theologiæ, *nouitios in iis quæ a diuerſis ſcripta ſunt, plurimum impediri. Primùm quidem propter multiplicationem inutilem Quæſtionum, articulorum & argumentorum; partim etiam quia ea quæ ſunt neceſſaria talibus ad ſciendum, non traduntur ſecundum ordinem diſciplinæ, ſed ſecundum quod requirebat librorum expoſitio; vel ſecundum quod ſe præbebat occaſio diſputandi: partim quidem quia eorundem frequens repetitio & faſtidium & confuſionem generabat in animis auditorum.*

DISSERTATIO V.

DE REGIMINE VNIVERSITATIS Pariſienſis.

QVid ſit quamobrem cum Academiæ Pariſienſis à prima ſui origine ad finem vſque quarti eiuſdem ſeculi magna fuerit celebritas, magna Magiſtrorum & ſcholarium frequentia, neque ea tot annos, tot ſecula conſeruari potuerit abſque certo regimine, certiſque Præfectis & Moderatoribus, nihil tamen ea de re ſcriptum extet, cogitanti mihi ſæpenumero & cauſam inquirenti, hæc inter cæteras potior viſa eſt, quod cuiuſcunque corporis regimen priuata res eſt ſoliſque fere incorporatis cognita; & cuius intelligentiam & notitiam nequeunt habere Poſteri, niſi vel ex traditione, vel ex ſtatutis, legibus, monimentis publicis & commentariis. Nullum autem monimentum, quod hactenus nobis innotuerit, 4. ſeculorum iniuriam defugit: itaque ſi quid eruimus è tenebris, authoribus ſingulorum ſeculorum id totum referre debemus, qui cumtamen generatim tantum nec ex profeſſo de hac Principe Schola aut eius Magiſtris locuti ſint, nec priuatam eius adminiſtrationem attigerint, rem incertam ad poſteritatem tranſmiſerunt Sed quod malum in hoc noſtrum eſt, id nobis cum omnibus fere antiquis corporibus commune eſt, vt aut primæuam ignorent ſuam originem, aut primas ſuas leges & conſtitutiones.

Quamobrem in tali negotio recurrere neceſſe eſt ad Traditionem, cui certè nemo negauerit tribuendum eſſe plurimũ, maximè ſi poſteriora concordent cum prioribus. Hinc enim certa ſumitur coniectura, & certitudo conſequentis videtur inferre certitudinem antecedentis. Non alia igitur ratione melius priora tempora cognoſcuntur, quàm ex connexione poſteriorum cum illis, & ex ſerie non nouo aliquo inuento, lege aut ſtatuto interrupta. Et hinc vt in ſynopſi primi ſeculi diximus infallibili prope coniecturâ cuincimus primæuum regimen Vniuerſitatis Pariſienſis, quo ad policiam Scholæ, Magiſtrorum incorporationem, exercitationes ſtudiorum vniformes, habitum & alia huiuſmodi fuiſſe penes Rectorem & Nationes, Nationumque Procuratores.

Etenim in monimentis & inſtrumentis publicis quæ nobis reſtant ex maiori numero, quorum aliqua confecta ſunt initio ſequentis ſeculi, quoties agitur aut de priuilegiis, aut de ſtatutis, aut de ſtudiis, de Magiſtratibus ſeu Officiariis Vniuerſitatis, mentio fit ſolummodo Rectoris ſeu Capitalis, Vniuerſitatis, Procuratorum Nationum, nulla Decanorum, nulla Facultatum à Nationibus diſtinctarum vſque ad annum circiter 1260.

Philippus Auguſtus auditis Vniuerſitatis querelis de Præpoſito Pariſienſi, qui & Magiſtros & ſcholares immiſericorditer carceribus mancipabat, Priuilegium exemptionis dedit Beſtiſiaci an. 1200. deque Rectore, quem *Capitale* vocat, ſic ſtatuit IN CAPITALE PARISIENSIS STVDII SCHOLARIVM *pro nullo forefacto Iuſtitia noſtra manum mittet, ſed ſi viſum fuerit illud arreſtandum eſſe, per Iuſtitiam Eccleſiaſticam arreſtabitur, vt de illo* CAPITALI *fiat quod per Eccleſiam fuerit legitimè iudicatum.* Ecce vetat Rectorem à Præpoſito capi cuiuſcunque criminis reus ſit. Tantam haberi vult Pariſienſis ſtudii Scholarium Capitali reuerentiam. Et ex verbis iſtis appareret non fuiſſe nouam Capitalis iſtius ſeu Rectoris inſtitutionem. Nec noua erat, cum Galo circa an. 1132. ſuam Scholariumque cauſam contra Stephanum Ep. Pariſ. fortiter defendit. Eodem tendere videntur Guiberti de Nouigento verba de Brunone, quem vocat MAGNORVM STVDIORVM RECTOREM. Eodem Nicolai I. de Ioanne Erigena ad Carolum Caluum, quem ait Pariſienſis ſtudii olim fuiſſe CAPITAL. Et quò aliò tendunt illa verba ex l. 7. denugis Curial. c. 9. *Suſpice ad Moderatores Philoſophorum temporis noſtri illos qui altius præconantur, quos auditorum*

multitudo circunſtrepit, diligenter attende & e? Qui ſunt enim moderatores Philoſophorum niſi Rector & Procuratores Nationum?

In Indice rerum & monimentorum publicorum in Archiuo ſeu Tabulario Nationis Gallicanæ apud Regiam Nauarram inuentorum an. 1552. 10. Iulij Procuratore Nationis M. Stephano Iuſt, notatur Inſtrumentum à 4. Nationibus ſuper electione Rectoris confectum an. 1206. his verbis. *Item vne autre lettre en parchemin contenant certain concordat fait entre les 4. Nations de l'Vniuerſité* Super electione Rectoris Vniuerſitatis, *en date de l'an 1206. coté par F.*

Et in alio Indice eiuſdem Nationis 25. & 26. Maii an. 1565. Procuratore M. Ioanne Peſcheur, ſic legitur. *Item vne lettre au dos de laquelle eſt eſcrit.* CONCORDATVM FACTVM INTER 4. NATIONES SVPER ELECTIONIBVS RECTORVM, PROCVRATORVM ET OFFICIARIORVM *cotté* F. Quod quidem Inſtrumentum extabat adhuc an. 1611. vt ex alio Indice habetur his verbis. *Plus vne lettre de concordat entre les Nations touchant l'election du Recteur, Procureurs & c. cotté* F.

Non igitur an. 1206. primum inſtitutæ ſunt Nationes: neque tum primum ſtatuta condere cœperunt; ſiquidem Innocentius III. Vniuerſitatis olim alumnus Bulla ad ipſam data circa an 1210. meminit veterum eiuſdem ſtatutorum, quorum nonnulla violauerant Moderni quidam artium Doctores à *maiorum ſuorum veſtigiis in tribus præſertim articulis deuiantes, habitu videlicet inhoneſto, in lectionum & diſputationum ordine non ſeruato & pro vſu in celebrandis exequiis decedentium Clericorum iam quaſi penitus negligenter omiſſo.* Proculdubio doctiſſimus iſte Pontifex Academicorum Inſtitutorum non ignarus, Maiorum veſtigia & ſtatuta de tribus illis articulis facta non commemoraret, ſi nulla ante fuiſſent, aut ſi ipſe, dum Pariſiis in ſcholis verſaretur, cognita non habuiſſet.

In eadem Bulla duo præterea mihi occurrunt ad rem noſtram maximè pertinentia. Nam 1. vt legitur in antiquis Decretalibus non contractis, inſcribitur. *Dilectis filiis Rectoribus & Vniuerſis ſacræ paginæ Decretorum & Liberalium artium Magiſtris.* Per Rectores proculdubio Rectorem denotans & Procuratores Nationum qui tunc Academiam Pariſ. gubernabant & regebant. Deinde Magiſter G. priuatur conſortio cæterorum ſeu Vniuerſitatis, quod in ſtatuta ab Octo-viris reformata iurare recuſaſſet. Innocentius verò hominem pœnitentem & ſatisfacere paratum reſtitui cupiens in integrum, his verbis ad Vniuerſitatem ſcribit. *Mandamus quatenus ſupradictum Magiſtrum G. ſtatutis veſtris nunc humiliter parere curantem ad communionis veſtræ conſortium in Magiſtralibus admittatis.*

At verò quod certius eſſe poteſt præclari cuiuſdam ordinis & adminiſtrationis argumentum, quàm cum Vniuerſitas ipſa per ſe Amalricum Carnotenſem prauè de fide ſentientem ſub finem huius ſeculi, aut ſub initia ſequentis damnat tanquam hæreticum, qui cum ab ea Romanum Tribunal appellaſſet, Innocentius viſâ Vniuerſitatis ſententiâ & auditis rationibus hominem remiſit ad ipſam Vniuerſitatem eiuſque ſententiam confirmauit teſte Rigordo ad an. 1209. Pontifex *audita* eius propoſitione & Vniuerſitatis Scholarium contradictione ſententiauit *contra ipſum. Redit ergo Pariſius & compellitur ab Vniuerſitate confiteri ore quod in contrarium opinioni ſuæ ſentiret.*

Cum ergo M. Radulfus de Diceto huius etiam olim Vniuerſitatis alumnus refert ad an. 1169. Regem Anglorum Henricum II. diſſidij quod cum Thoma Cantuarienſi erat ipſi, diſceptationem voluiſſe ſubmittere iudicio Scholarium Pariſ. *Diuerſarum Prouinciarum*, Nemo eſt, qui non intelligat diuerſas *Nationes* ex quibus conſtat & conſtabat Vniuerſitas. Et cum Mathæus Pariſienſis ait Ioannem 1. factum Abbatem San-Albanenſem an. 1195. in iuuentute Scholarum Pariſienſium frequentatorem aſſiduum ad *Electorum conſortium Magiſtrorum* meruiſſe attingere, quis non exiſtimet fuiſſe leges aliquas eiuſmodi conſociationis, receptionis & incorporationis? ac proinde fuiſſe aliquos Præfectos ſeu Præpoſitos eiuſmodi conſortii & ſodalitii?

Nam vt in Synopſi primi ſeculi fusè probatum eſt, concipi nequit quo pacto Reſpublica poſſit eſſe Acephala, aut Corpus vllum ſeu naturale ſeu ciuile & politicum ſubſiſtere ſine capite. Ita Deus mundi conditor, tanquam Vniuerſitatis Dominus omnia à ſe creata diſpoſuit, vt omnibus proprios & ſui generis quodammodo Principes ſtatuerit: imò ipſis arboribus, fontibus & fluminibus. Sic Angelis Angelum

Principibus Principem, Spiritibus Spiritum, Sideribus Sidus; Dæmonibus Dæmonem, auibus auem, feris feram, ſerpentem ſerpentibus, piſcem piſcibus, hominibus hominem, nempe Chriſtum veluti Caput impoſuit & conſtituit; vt iiſdem fere verbis ait D. Petrus apud D. Clementem l. 1. recognitionum: & notauit Petrus Gregorius Toloſanus Iuris vtriuſque Doctor l. 6. de principatu & principe c. 1. Sicque inquit, imperare, regere, ſubiici, regi & gubernari conſentaneum eſt iuri naturæ; diuinoque & humano, Gentium & Ciuili conuenit: ita vt ſi aliter fiat, pro monſtro habendum ſit, non minus quàm ſi corpus ſit ſine capite, & caput ſine membris legitimè & conuenienter ordinatis.

Hinc fit vt nulla Reſpublica poſſit ſolâ æqualitate arithmeticâ conſtare: quia vt optimè Caſſiodorus l. 7. variarum Ep. 16. *Omnia ſine Priore Præpoſito confuſa ſunt: & dum vnuſquiſque ſecundum voluntatem ſuam cogitat viuere, regulam cognoſcitur omittere diſciplinæ* Et Bonifacius II. Ep. ad Eulalium, vt refertur à Gratiano in cap. 7. Ad hoc Diſpenſationis diſt. 89. *Ad hoc diſpenſationis diuinæ prouiſio Gradus diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potentioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diuerſitate contextio & rectè Officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim Vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia verò quæque Creatura in vna eademque qualitate gubernari vel viuere non poteſt, cœleſtiumque militiarum exemplar nos inſtruit, quia dum ſunt Angeli & ſunt Archangeli, licet quia non ſunt æquales, ſed in poteſtate & ordine ſicut noſtis, differt alter ab altero.*

Non eſt igitur, vt ad rem noſtram veniamus, vllatenus dubitandum, quin cum ſchola Pariſienſis ab initio publica fuerit & patens omnibus diſcere volentibus, celeberrima quoque & maximè frequentata tam ab extraneis quã ab Indigenis, vt ex annorum ſeculorũque ſerie probauimus, in ea fuerit aliquis inſtitutus ordo, vt eſſent qui regerent, & qui regerentur: qui præſiderent & qui præſidentiũ mandatis parerent. Alioquin fingenda & imaginanda eſt quædam irregularis æqualitas inter Magiſtros & Comprofeſſores, quæ ſi aliquandiu ſtare potuit, tandiu certè ſtare non potuit. Nam vbi ſunt omnes æquales, omnes regere volunt & nemo regi: hincque diſcordia, & ex diſcordia ſocietatis diſſolutio; proindeque ipſa æqualitas ſumma eſt inæqualitas, vt ait Plato 6. de legibus.

Faceſſant igitur qui dicunt circa an. 1150. poſt acceſſionem Theologiæ & Iuris vtriuſque ad ſcholas Pariſienſes tum coaluiſſe Vniuerſitatem, hoc eſt tunc cæpiſſe Magiſtros vnum quoddam Corpus ſocietatemque certis legibus conſtituere. Nam ſi ita eſt, ergo iis temporibus quibus florebant Robertus Melidunenſis, Gilbertus Porretanus qui an. 1141. factus eſt Epiſcopus Pictauienſis, Henricus Murdachius, Ioſcelinus, Guillel. de Conchis, Bernardus Carnotenſis & alij multi quos commemorat in Metalogico ſuo Saresberienſis, item Abaëlardus & Guillielmus Campellenſis qui initio ſeculi publicè docebant, nulla erat ſocietas, nullæ leges nullaque communis diſciplina. Et tamen ſtudioſorum numerus tum pœne Ciuium numerum æquabat; nec vlla erat fere orbis Chriſtiani regio, è qua non eſſent tum Pariſiis aliqui ſcholares, vt conſtat ex Epiſtola Diogillenſis ad Abaëlardum. **In iſto autem numero Francigenarum & aduenarum erant pueri,** adoleſcentes, iuuenes, viri: Magiſtri in propinquis ædibus, immò ſæpe in ſuperioribus & inferioribus habitabant & docebant; quantam oportuit eſſe in tanta multitudine confuſionem, ſi non fuerunt Magiſtri certis inter ſe legibus colligati?

Præterea fatetur Abaëlardus ſibi fuiſſe à Magiſtris obiectum, quod nulla authoritatate *nec Eccleſiaſticâ nec Apoſtolicâ probatus* publicè legere præſumpſiſſet. Si obiectum; ergo peccatum ab eo fuerat. Si peccatum, ergo in leges & ſtatuta quæ ab aliis obſeruabantur. Quod ſi in leges, ergo fuerunt qui eas obſeruari curarent. Reſtat igitur inquirendum quinam Academicarum Legum curatores fuerint aut eſſe potuerint. Certè aut Rex ſeu Magiſtratus Regius, aut Pontifex max. ſeu Legatus Apoſtolicus; aut Epiſcopus Pariſienſis ſeu Cancellarius eius nomine; aut denique Rector ſeu quocunque alio nomine vocetur, de genere Magiſtrorum. Non Rex aut Papa, non Magiſtratus Regius aut Legatus Pontificius: eſto enim generalem quandam & ſuperiorem curam habere potuerint, vt olim Athenis Archontes, Romæ Præfectus vrbis, Alexãdriæ Rex ipſe Ptolomæus; rei tamen ſcholaſticæ & tranquillitati ſtudiorum perpetuò inuigilare non potuerunt. Nec eiuſ-

modi adminiſtrationis veſtigium vllum apparet. Non Epiſcopus Pariſienſis aut Cancellarius propter rationes quas in ſynopſi 1. ſeculi retulimus diſſertatione 4 & 5. & propter eas quas adhuc infra referemus. Reſtat igitur vt ex ipſo Magiſtrorum ordine conſtituti fuerint qui regerent, reique Academicæ, publicæ & communi præeſſent. Nemo enim melius nouit artem regendi in quocunque genere quàm qui artem illam profitentur.

Hinc Præfectorum rei Scholaſticæ delectus neceſſariò pendere debuit ab iis qui rem ſcholaſticam exercebant. Vnde etiam fit, vt cum ſcholæ publicæ quæ à priſcis Inſtitutis deflexerunt, in melius reformandæ veniunt, id quidem authoritate aut Regia aut Pontificia fieri ſoleat, ſed aduocatis & conſultis viris in ipſa ſcholarum adminiſtratione peritis. Quod ſi ſecus fiat, neceſſe prope eſt, vt aut inuitis lex imponatur, aut certè moribus Scholaſticis non conueniens. Quæ fuit olim cauſa diſſolutionis ſtudij Athenienſis. Nam cũ Sophocles legem tuliſſet ne vllus Philoſophus docere aggrederetur, cui non fuiſſet à ſenatu docendi facta poteſtas, hocque modo ſenatus cooptandorum Magiſtrorum authoritatem ſibi arrogare vellet, celeberrimi quique Magiſtri ex vrbe & ex Academia receſſerunt: nec niſi reuocatâ & abrogatâ lege ad ſcholas redire voluerunt. Quod ante nos prudenter notauit Gregorius Toloſanus lib. 18. de Repub. c. 8. cuius verba ad rem noſtram maximè faciunt: quippe vir fuit in Vniuerſitatum ſcholaſticarum regimine verſatiſſimus, & quod ipſe experientia didicit, maiores noſtri proculdubio experiri potuerunt. Sic ergo ille.

„ *Academia poteſt ſtatuta condere & contra eos iudicare ex illis, qui ex corpore ſunt:* im-
„ mo & ſi ſtatuta antiqua cauerent, ne mutari poſſent, tamen ſi ex illorum obſer-
„ uatione Vniuerſitas multum læderetur, poſſet illa mutare & ordinare contrarium.
„ Et certè magis conuenit, vt leges condantur ſtudiorum à Doctoribus diu in Aca-
„ demiis regendis verſatis, quàm ab aliis, qui quamuis aut doctrina alia aut digni-
„ tate ſeculari aut Eccleſiaſtica præfulgeant, tamen cœcutiunt in his quæ non no-
„ runt, & ſuis perſuaſionibus intricant omnium ſtudiorum ordinem, vt ſæpe ego
„ ex rei euentu comperi, ſtatutis attentatis à Licentiatis & Doctoribus Theologiæ
„ priuatis, qui nunquam ſacrarium ſcholarum viderunt, & tamen temeritate pro-
„ pria præſumpſerunt de incognitis ſtatuere. Quod ne accidat, cauere debent hi ad
„ quos Reſpublica pertinet, & eos recordari oportet, quomodo Sophocles Am-
„ phiclidæ filius legem Athenis promulgauerat, ne quis Philoſophus Scholæ præfi-
„ ceretur, niſi id ſenatus populuſque decreuiſſet, qui ſecus feciſſet, ei capitale eſ-
„ ſet. Ob quam legem Theophraſtus cæterique Philoſophi vrbe exceſſerunt. Sed à
„ Philone dies ob id Sophocli, cum ſequenti anno quo Prætura abierat, dictus eſſet,
„ Athenienſes lege abrogatâ Sophoclem quinque talentis multarunt, & vt Philoſo-
„ phis redire ac ſcholam regere liceret, decreuerunt. Hoc enim iuſtiſſimum eſt,
„ Vniquique perito in ſua arte credendum eſſe. Et dicam audacter quod experien-
„ tia didici in regendis tribus Academiis iuxta vices mihi commiſſas; nullum maius
„ vitium irrepere in Academiis poſſe, vel aliud quo facilius decus & ſplendor & do-
„ ſtrina earum intercidat, quàm dum arbitrio Principum aut Senatus aut aliorum
„ **Magnatum intruduntur Profeſſores ſine libero iudicio eorum qui in illis profiten-**
„ tur; & dum leges illis præſcribuntur, forſan bono zelo, quæ tamen minimè for-
„ ſan conueniunt ſcholis vel vtilitati Scholaſticorum. Qui abuſus tolli poſſet con-
„ ſeruatâ Principum & Profeſſorum dignitate, ſi Principes aut Senatus iudicium
„ adhibeant Profeſſorum ante decretum, quemadmodum moris eſt in Quæſtione
„ vel ſeruitutum vel alterius generis cauſæ adhibere ante ſententiam peritos, qui
„ referunt quæ illis videntur meliora ſecundum artem.

Quod refert ille de lege Sophoclis, habetur apud Diogenem Laertium in vita Theophraſti, Platonis, deinde Ariſtotelis Diſcipuli, eiuſque in ſcholæ Peripateticæ regimine ſucceſſoris, quẽ ait Diogenes tantæ fuiſſe famæ, vt ad eũ audiendum accurrerent Diſcipuli ad duo millia. Et tamen cum eſſet huiuſmodi, inquit, *Seceſſit ad tempus & ipſe & Philoſophi reliqui. Quippe Sophocles Amphiclidæ filius legem tulerat, vti nequis Philoſophorum præeſſet ſcholæ, niſi id ſenatus ac plebs decreuiſſet: ei qui ſecus faceret, capitis ſupplicium indici. Verum ſequenti anno denuo reuerſi ſunt, cum à Philone Sophocli dies dictus eſſet. Quo tempore Athenienſes eâ lege abrogatâ Sophoclem talentis quinque multarunt, decreuerunt que Philoſophis reditum & vt Theophraſtus remaneret, ſcholamque vt antea regeret.*

Ex hoc loco conſtat euidentiſſimè ideo legem illam Sophoclis grauem moleſtamque fuiſſe Profeſſoribus, quod illis adimeret ſubſtituẽdi Rectoris ſcholæ poteſtatem & ad ſenatum populumque tranſferre voluiſſet contra morem & conſuetudinem Gymnaſii Athenienſis. Videtur quoque colligi Theophraſtum tunc fuiſſe præfectum ſeu Rectorem generalem totius Academiæ; ſiquidem Decreto Philonis non modo licet omnibus Magiſtris qui ſeceſſerant, redire, ſed Theophraſtro ſpeciatim conceditur *Rectoris ſcholæ* munus, vt ante, obire. Nec obſtat quod vir Peripateticus cæteris Philoſophorum ſectis eo pacto præeſſet: ſicut nec obſtat in hac Academia Pariſienſi quod Rector de Gente Artiſtarum omnibus etiam aliis Facultatibus ſectiſque Magiſtrorum præſit.

Non igitur videtur iure negari poſſe, quin ſcholæ noſtræ regimini præfectus aliquis fuerit de gente Magiſtrorum. Idque patet manifeſtè ex prædicto Philippi Auguſti priuilegio, quo Capitale ſeu Rectorem Pariſienſis ſtudii ſcholarium vetat comprehendi & in carcerem compingi. *In Capitale Pariſienſis ſtudij Scholarium pro nullo forefacto iuſtitia noſtra manum mittet.* Quod quidem Priuilegium cadere non poteſt niſi in Laicum aut qui Laicus exiſtimetur: non in Epiſcopum aut Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, qui cum Clerici & ſacerdotes eſſent, aliunde, nempe lege ſacra ſeu Canonica & iure Diuino ſecuri erant, nec Ciuili indigebant vt à vinculis tuti eſſent. Adde quod poſtquam Philippus circa ſcholares & Rectorem ſtatuit, eorumque cauſas ad forum Eccleſiaſticum remitti voluit, priuilegium illud extendit quoque ad Canonicos Eccleſiæ Pariſienſis eorumque famulos: in qua certè extenſione Cancellarius ipſius Eccleſiæ comprehenditur, non vero in priori parte Priuilegii. Vnde proculdubio conuincuntur erroris, qui putant Vniuerſitatem Pariſienſem fuiſſe primùm in Eccleſia Pariſienſi inſtitutã. Nã ſi ita eſſet, Philippus illud non Vniuerſitati primũ, deinde Canonicis, ſed ipſis præcipuè & primariò, deinde vero cæteris Magiſtris & ſcholaribus conceſſiſſet. Vnde etiam liquet M. Antonium Loiſelium in cauſa quam orauit in ſenatu menſe Auguſto an. 1586. impoſuiſſe Curiæ, cum dixit Philippum Magiſtros Vniuerſitatis adinſtar Canonicorum Eccleſiæ Pariſienſis habuiſſe, & ſcholares Clericis accenſuiſſe, inſinuare volens Vniuerſitatem Pontificiæ eſſe inſtitutionis, non Regiæ; cum ipſe Philippus clarè & apertè dicat velle ſe vt Canonici & eorum famuli Priuilegio gaudeant quod Magiſtris & ſcholaribus eorumque famulis conceſſerat. *Pro tenore ſiquidem Priuilegij*, inquit, *quod Scholaribus Pariſienſibus contulimus, volumus vt Canonici & eorum ſeruientes in hoc Priuilegio contineantur.*

At contra id quod de Rectoris antiquitate diximus, obiicitur quod etiam ſi celebris fuerit Academia Pariſienſis à Carolo M. ad Philippum Auguſtum, nulla tamen vllibi mentio fit vllius Rectoris qui eam gubernaret. Reuera cum nulla nobis extent maiorum monimenta præter pauca ſcriptorum loca, vnde ſcholæ celebritatem ſingulis illis ſeculis prioribus fuiſſe magnam coniicimus, obſcurior quoque nobis eſt eiuſdem adminiſtratio. Nec mirum, nam cum Rectores de genere eſſent Magiſtrorum actu regentium, vt ex pluribus ſtatutis ſequentis ſeculi patebit, frequenterque mutarentur, nihil autem haberent valde pompoſum & magnificum, tota rei litterariæ gubernatio ſolis nota erat Magiſtris, quorum nullus ea de re ſcripſit. Vnde ſi quid aſſequimur, conſequentium temporum id aſſequimur coniecturâ tantummodo. Quod ſecus accidiſſet, ſi vel Epiſcopus vel Cancellarius ſcholarum regimini præfuiſſet: hanc enim partem dignitatis commemorare non omiſiſſent hiſtorici, quandoquidem eam, quæ eſt Licentiarum impertiendarum, non omiſerunt.

Non eſt tamen negandum, quin Cancellarius Scholæ Theologicæ Clauſtri ſeu quod idem eſt, Epiſcopali præfuerit, quinque ius habuerit ei Magiſtrum præficiendi ac præponendi. Nam certiſſimum eſt Eccleſiam Pariſienſem ſuam habuiſſe Scholam, & eius Scholæ curam fuiſſe penes Epiſcopum, vel eius nomine, penes *Scholaſticum* ſeu *Cancellarium*: nec ampliorem potuit Epiſcopus ei poteſtatem legitimè impertiri. Quod manifeſtiſſimè patet tam ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ Gallicanæ quæ ſolebat eiuſmodi Scholaſticos conſtituere, & ex Decreto Alexandri III. in Concilio Lateranenſi, de quo diximus ad an. 1179. quàm ex Inſtrumento quodam Conuentum ſeu Pactum continente initum autho-

ritate Petri Cambii Epiſcopi an. 1215. inter Capitulum Pariſienſe & Cancellarium, de *emolumento ſigilli deque fideli cuſtodia eiuſdem & de Magiſtro idoneo ad regimen ſchola Clauſtralis eligendo*. In eo enim hæc verba continentur. *Libros quidem Pariſienſis Eccleſiæ ſine cantu corrigere, ligare & in bono ſtatu tenebitur conſeruare.* ET TALEM INSTITVERE MAGISTRVM IN CLAVSTRO, QVI SVFFICIENS SIT AD SCHOLARVM REGIMEN, ET AD OFFICIVM QVOD DEBET FACERE IN ECCLESIA, ET AD LITTERAS CAPITVLI, SI OPVS FVERIT, FACIENDAS.

Præterea cum veriſimile ſit Muſas Pariſienſes poſtquã è Palatio Regio migrare coactæ ſunt, ab Epiſcopis Pariſ. benignè fuiſſe exceptas & in Atrio ac Clauſtro lociſque vicinis collocatas, cumque creſcente Magiſtrorum & Scholarium numero Canonici non parum moleſtiæ paterentur & turbarum, ob idque litem Epiſcopo Gilberto mouiſſent circa an. 1116. contendentes non debere extraneos ſcholares admitti, ſcholamque Eccleſiæ Clericis ipſius eſſe deſtinatam, tandem ita conuenerunt cum Stephano Gilberti ſucceſſore, vt nullæ planè ſcholæ in parte Clauſtri quam occupabant, haberentur deinceps, in quodam verò loco idoneo Scholæ Eccleſiæ tenerentur. Legitur Charta in hanc rem confecta in paruo Paſtorali pag. 108. in eaque hæc verba continentur. *Diſcreta prudentia tam venerabilis Stephani Pariſienſis Epiſcopi, quàm Conuentus Pariſienſis Eccleſiæ euitando moleſtiam & inquietationem Clauſtro inferri, ſtatuendo conceſſit vt neque ſcholares extranei in domibus Clauſtri vlterius hoſpitarentur, neque in illa parte Clauſtri haberentur: ſed amore & gratia D. Stephani præſulis infra ambitum Clauſtri quidam locus adhærens Epiſcopali Curiæ per quem introitum & exitum ſcholares habebant, ex communi conſenſu Epiſcopi & Capituli electus & coopertus eſt, in quo Scholæ Eccleſiæ deinceps tenerentur & regerentur.*

Ex his ergo liquet non fuiſſe aliam ſcholam Epiſcopalem quàm ipſius Eccleſiæ, nec alius ſcholæ Cancellarium habuiſſe præfecturam quàm Epiſcopalis. Vnde conſequẽs eſt in extraneas ſcholas nõ habuiſſe dominiũ, nec de iure exercere potuiſſe quia ab alio, Moderatore pendebant, quàm ab Epiſcopo. At quia Epiſcopus Pariſienſis illas quodammodo vagantes benignè exceperat & in ſuo fundo collocarat, Cancellarium quoque in eas ius poteſtatemque ſuam extendiſſe veriſimile eſt; non quidem quoad regimen politicum, quia ab alio Rectore pendebant, ſed quoad licentiæ docendi in fundo Epiſcopali impertitionem. Et hinc quoque factum eſt, vt idem Cancellarius Vniuerſitati, cuius Rector Caput ſemper fuit, nobile membrum acceſſerit, vtque inter Academicos annumeratus ſit. Cuius proinde manu veriſimile eſt vſam olim fuiſſe in conſcribendis actis & inſtrumentis, ſi quæ conſcribenda eſſent, & ſigillo in expediendis Magiſtralibus litteris: vt alibi dictum eſt, & dicetur ad 5. ſeculum amplius. Sed hæc ſufficiant im[illegible]præſentiarum ad occludendum os ijs qui cum Antonio Loiſelio, Paſchaſio, & Hemeræo putant Cancellarium aliquando fuiſſe Rectorem Vniuerſitatis. Non eſt enim opinor quiſquam qui exiſtimet ius licentiæ concedendæ ius eſſe primarium: nam vt in Beneficiorum diſpenſationibus Patronus ſeu Præſentator directum & primarium ius habet, Collator verò indirectum tantummodo & ſecundarium; ita in negotio ſtudiorum Vniuerſitas ſeu qui ſunt ipſius Moderatores, ius habent directum & primarium præſentandi eos, qui ſtatutis ſuis ſatisfecerint, Cancellarius verò ius tantummodo recipiendi præſentatos & conferendi gradum idoneis, quod ius miniſteriale eſt & ſecundarium.

Contendunt quoque nonnulli Nationum diuiſionem, quam ab incunabulis etiam Vniuerſitatis arceſſimus, factam fuiſſe hoc ſeculo, idque vnico argumento probant petito ab authoritate Iacobi de Vitriaco in Hiſtoria Fulconis Neulliacenſis, de quo in Hiſtoria diximus, aientis eo tempore diſſidia inter Scholares diuerſarum Gentium inſurrexiſſe, arreptaque talium diſſidiorum occaſione Vniuerſitatis Proceres 4. Nationes Magiſtorum & Scholarium inſtituiſſe & eis Præfectos 4. ſeu Procuratores præpoſuiſſe. Verum quàm debile infirmumque ſit hoc argumentum, nemo non videt. Nam 1. pari ratione dicere poſſumus tum inter 4. Nationes iam conſtitutas & ab antiquo diſtinctas emerſiſſe diſſidia: vt ſæpe aliàs contigit. 2. Sub finem tantum huius ſeculi Fulco & Fulconiſtæ concionari cœperunt: at Radulfus de Diceto in Hiſtoria litis Thomæ Cantuarienſis ad an. 1169. meminit *Scholarium diuerſarum Prouinciarum.* 3. In litteris quas dedit Vniuerſitas

an.1255. ad Alexandrum III. dicuntur Nationes *Pariſius ab antiquo diſtincta*, quod ridiculum eſſet omnino, ſi ante 50 aut 60. ad ſummum annos diſtingui cœpiſſent. 4. Vix credi poteſt Philippum Auguſtum paſſurum fuiſſe eo tempore Nationes iſtas ita diſtingui, Nationibuſque ſingulis præfici ſuos Duces, quo cum Richardo Anglorum Rege funeſtiſſima bella exercebat. Non enim tam facilè turba ſeditiones miſcet cum nullo ſocietatis vinculo colligatur, quàm vbi Ducem habet, & Conuentus impune celebrat. 5. Quæ ratio afferri poteſt, cur hiſce temporibus tam iniqua facta ſit inter Nationes terrarum diuiſio, vt Anglicana ſcilicet & Gallicana nullis finibus coarctarentur; Picardica verò & Normanica tam anguſtis limitarentur? 6. Cur, cum Normani, Cenomani, Andini, Pictaui & Aquitani ditionis eſſent Anglicanæ, vna tamen Normania vnam Nationem conſtituerit, cæteræ verò Prouinciæ Gallicanæ Nationi acceſſerint? Certè inſtitutio illa & ad tempora pacis referenda eſt (nemo enim ſanus Princeps permittat belli tempore hoſtium ſubditos apud ſe Corpus & ſodalitium inſtituere) & ad illa quæ notauimus in hiſtoria ad an. 913. Credibile enim eſt Vniuerſitatem fuiſſe primum in duas magnas Nationes Gallicanam & Anglicanam diuiſam; vtramque Regiam & Regiæ ditionis. Deinde verò adiectas duas minores, Normanicam, & Picardicam ſeu Picardo-Flandricam circa an. 913. vtramque Comitiuæ gubernationis; Normanicam quidem ſub Rollone Comite: Picardicam verò forte cum Flandria ſub Balduino Flandriæ Comite, qui primus ductâ in vxorem Iudithâ Caroli Calui filia Ditionem illam hæreditario iure & auguſtò titulo poſſedit.

De ſcholis prædictarum 4. Nationum dictum eſt alibi; ita ſcilicet vulgo creditum, maiorum Nationum ſcholas in ædibus S. Nicolai de Lupara & de Cardunéto olim fuiſſe collocatas: Minorum verò in collegiis Bonorum puerorum S. Honorati & S. Victoris Deinde omnes in Vico ſtramineo Plateæ Malbertinæ ædificatas: in iis maiores Actus Scholaſticos, Theſes & diſputationes celebrari conſueuiſſe. Præter illas verò, multiplices erant ſingulares in variis vrbis locis, prout cuique commodum erat eas habere. Vnde tam multæ fuerunt conſtitutiones & priuilegia Pontificia ad taxationem Domorum pertinentia, quibus vetabantur Ciues nimio maius pretium è locatione exigere.

Magiſtri autem Paulo celebrioris famæ & nominis vulgo ſibi promagiſtros ſeu Prodoctores adſciſcebãt, quos appellabãt Præpoſitos, qui ſua vice docerent, ſi aliis negotiis diſtinerentur aut labore fatiſcerent: qui quidem Præpoſiti ſeu Subſtituti non poterant ſcholam ſibi traditam aliis Magiſtris ſubdelegare, niſi annuente & volente primario Magiſtro. Vt videtur innuere Abaëlardus Ep. 1. Calamitatum ſuarum. Cum enim M. Guillielmus Campellenſis Clauſtrales ſcholas deſeruiſſet & in iis Præpoſitum collocaſſet, ille verò rurſus M. Petrum Abaëlardum ſubſtituiſſet, idem Guillielmus iam Canonicus San-Victorinus factus eas quodam dominij iure repetiit, Abaëlardumque expulit. *Hinc tantum roboris & authoritatis*, inquit, *noſtra ſuſcepit diſciplina, vt ipſe qui in ſcholis Pariſiacæ ſedis Magiſtro noſtro ſucceſſerat, locum mihi ſuum offerret, vt ibidem cum cæteris noſtro ſe traderet Magiſterio, vbi ſuus ille & noſter Magiſter floruerat.*

Paucis itaque diebus ibi me ſtudium Dialecticæ regente, quanta inuidia tabeſcere, quanto dolore æſtuare cœperit Magiſter noſter, non eſt facile exprimere. Et quia in me quod apertè ageret, non habebat, ei ſcholas auferre molitus eſt, qui mihi ſuum conceſſerat Magiſterium, alio quodam æmulo meo in locum eius ſubſtituto. Tunc ego Melidunum reuerſus ſcholas ibi noſtras, ſicut antea conſtitui.

Adam Angligena Petri Lombardi olim Diſcipulus, deinde & Præpoſitus Scholæ eius fuit: vt ipſe palam profeſſus eſt in Concilio Lateranenſi habito an. 1179. his verbis. *Domine Papa, Ego & Clericus & Præpoſitus olim Scholarum eius defendam ſententias Magiſtri.* Similiter Bernardus Piſanus M. Petri Comeſtoris Cancellarii Pariſienſis Præpoſitus fuit: vt liquet ex Ep. Petri Cardinalis ad Alexandrum III. *Litteraturam & honeſtatem M. Petri Manducatoris vos non credimus ignorare. M. autem Bernardus Piſanus quondam Præpoſitus eius tantæ litteraturæ, &c.* Eiuſdem Comeſtoris poſt Bernardum Præpoſitus fuit Petrus Pictauinus Lombardi olim diſcipulus.

DISSERTATIO VI.

DE INSTITVTIS ET LEGIBVS SEV STATVTIS antiquis Vniuersitatis Parisiensis.

EX superiori dissertatione planum est non potuisse Vniuersitatem Parisiensem tam frequentem & populosam subsistere tot annos totque secula absque certo quodam regimine, ac proinde absque institutis, moribus aut legibus ad rem scholasticam pertinentibus. Instituta appello, quæ seruarunt vltro posteri, ex eo quod aliquis in Vniuersitate præminens instituti author fuerit. Puta si Alcuinus cum Academiam regeret, aliquid instituendo in bonum commune litterarum, posteris dedit exemplum vt ita facerent. Morem verò, quem consensio communis & consuetudo introduxit incerto authore. Leges denique quæ à Magistratu seu Legislatore de communi consilio latæ sint & obseruari iussæ.

Suspicari possit aliquis id Vniuersitati accidisse, quod Reipub. Rom. quondam, quæ diu substitit institutis Regum, non legibus scriptis. Decemuiri leges tulerunt ex necessitate, & alij deinceps Magistratus quia non poterat aliter populus contineri. Ita forsan in Vniuersitate factum fuit. Alcuinus & qui primi Reip. huius litterariæ Directores fuerunt, quod sibi visum est è bono communi esse, instituerunt: quæ instituta seruarunt posteri, donec contabescentibus moribus opus fuit seueriore disciplina & legibus. Puta id videtur ex instituto Philosophorũ & more, non ex legibus & statutis profluxisse, quod ait Alcuinus ad Discipulos in Dialogo de Grammatica, vbi de ordine tradendarum artium agit. *Quia Apostolo præcipiente legimus, omnia vestra honesta cum ordine fiant, vos per quosdam eruditionis Gradus ab inferioribus ad superiora esse ducendos reor, donec pennæ virtutum paulatim adcrescant, quibus ad altiora puri ætheris spectamina volantes dicere valeatis. Introduxit nos Rex in Cellaria sua, exultabimus & lætabimur in eis.* Ordinem instituit huiusmodi, vt primo Artes de Triuio, hoc est Grammatica, Rhetorica, Dialectica, deinde de Quadriuio, Arithmetica, Geometria, Musica & Astrologia docerentur. Idem quoque ait hunc fuisse morem ab Ethica ad Physicam, à Physica ad Theologiam scholasticos transmittere. *Haud procul ab hoc ordine Doctrinarum & Philosophi sectatores suos erudiunt, vt primùm Ethicam doceant, deinde Physicam interpretentur, & quem in his profecisse perspexerint, ad Theologiam vsque perducant.*

Item Carolus ipse Vniuersitatis instituter singulis professoribus suum munus & certæ Facultatis professionem assignauit, vt ex poëmate 221. eiusdem Alcuini patet. Quod institutum posteri deinde obseruarunt. Præterea non videtur lex fuisse lata de diebus feriatis & profestis, vacationibus autumnalibus & aliis eiusmodi, quæ aut ipsi primi professores instituerunt, aut à veteribus quasi per traducem acceperunt.

Verum vt demus aliqua eiusmodi instituta inualuisse, vix tamen inducere possumus in animũ, non fuisse leges latas ab initio, quibus petulantia iuuentutis coërceretur & Magistri in officio cõtinerentur. Nam statim initio schola Palatina rixis & contentionibus turbata est; & Alcuinus sœpe inuitatus à Carolo ad resumenda gubernacula quæ dimiserat, cum ipse frequentibus bellis distractus adesse eosque compescere non posset. Et ea veritus est Alcuinus resumere atque in *castra* redire *pugnantia*, vt ipse scribit, & in terram *dissensionis & belli.*

Queritur Lupus Ep. 1. ad Eginhartum, præclarum illum ordinem discendarum disciplinarum suo tempore iam euanuisse. *Mihi satis apparet propter seipsam appetenda sapientia: cui indagandæ à sancto Metropolitano Episcopo Aldrico delegatus Doctorem Grammaticæ sortitus sum, præceptaque ab eo artis accepi: siquidem à Grammatica ad Rhetoricam, & deinceps ordine ad cæteras disciplinas transire hoc tempore fabula tantum est.*

Cum

Cum deinde authorum voluminibus ſpatiari aliquantulum cœpiſſem, & Dictatus noſtra ætate confecti diſplicerent, propterea quod ab illa Tulliana cæterorumque grauitate quam inſignes quoque Chriſtianæ Religionis viri æmulati ſunt, aberrarent, venit in manus meas opus veſtrum. En igitur quod ait Alcuinus obſeruatum ſuo tempore, vt 7. artes liberales ordine decurrerent, vtque Philoſophi ab Ethica ad Phyſicam, inde ad Theologiam diſcipulos tranſmitterent, ſicque vt ordine certo Diſciplinas Magiſtri traderent, Lupi temporibus ab inſtituto & more maiorum deflexerat. Quod quidem niſi lege lata inſtaurari & reparari non potuit.

Quod ſi elapſis tam paucis poſt Carolum annis iam neceſſe fuit abuſus, qui irrepſerant, tollere, & Vniuerſitatem, vt vulgo dicimus reformare, quis dubitet quin quadringentorum & amplius annorum ſpatio neceſſe fuerit ad leges & ſtatuta recurrere? quæ licet hodie non extent, ex iis tamen quæ habemus, ſatis coniicimus alia præceſſiſſe, præſertim quæ ad Magiſtrorum admiſſionem, ætatem & habitum pertinent, item ad Lectiones & ad ſepulturas.

Et quidem quantum ad admiſſionem Magiſtrorum ad Cathedram, ſeu vt dicebant Maiores noſtri, ad Regentiam & ſcholas, conſtat opus fuiſſe licentiam docendi à Cancellario aut ab Epiſc. Pariſ. vel à Decano San-Genouefiano obtinere. Nec erat ſtatutum iſtud nouum, cum obiectum eſt à Magiſtris initio huius ſeculi Petro Abaelardo, *quod nec Romani Pontificis nec Eccleſiæ authoritate commendatus legere publicè præſumpſerat*, vt ait ipſe cap. 9.

Circa ætatem quoque Magiſtrorum ad Cathedram admittendorum certum eſt latas olim fuiſſe leges: non enim ſpectabatur in iis doctrina tantummodo, ſed inſuper requirebatur certa ætas, nec ante illam admitti poterant aut debebant citra neceſſitatem: idque clarè innuit M. Robertus de Meliduno qui ab an. circiter 1130. vſque ad an. 1160. in Academia Pariſienſi floruit: quærens enim quamobrem cum Chriſtus Dominus licet in tenera ætate tantam haberent ſcientiam quantam in adultiori habuit, eam tamen exercere noluerit, reſpondet id ab eo factum ad inſtructionem noſtram & ad præſumptionem noſtram reprimendam, *ne ante ætatem aptam Doctrinæ licet ſcientiam habemus, Cathedram Doctoris aſcendamus.*

Queritur Ioannes Hautiuillenſis l. 5. c. 3. de praua conſuetudine ſui temporis (florebat autem an. 1180.) quâ impuberibus fere adoleſcentibus Magiſterium concedebatur. Vnde accidebant abiectio profeſſionis, contemptio Gradus, vilitas Cathedræ, inſania & imperitia.

Hîc vulgus Cathedras rapta Deitate Magiſtri
Inſilit, & vacuâ de Maieſtate tumorem
Concipit impubis & mento & mente, virenti
Crudus adhuc ſucco, Iuuenem ſolidoſque viriles
Præueniens culmos, nec maturata ſenectæ
Præcipiti lauro non exſpectaſſe veretur.
Hos ego prætereo tacitos ſine nomine, noſque
Præterit ignotus, inſania nota, Magiſter.
O rabies ſediſſe inibi, dulciſque Mineruæ
Intonuiſſe tubâ nondum patientibus annis.
Hîc in Philoſophos auſa eſt ſœuire flagello
Mortis alumna fames, animoque potentia Phœbi
Pignora pauperies curarum verberat hydra.

Et lib. 3. c. 21. inuehitur in Philoſophos ſui temporis qui rerum tantummodo ſuperficiem quærebant, ac proinde eos vocat ſuperficiales Philoſophos & tumidos.

At ſunt Philoſophi qui nudum nomen & vmbram
Numinis arripiunt, qui vix libaſſe Mineruam
Exhauſiſſe putant tenuiſque ſcientia pectus
Erigit & PROPERATA PVDENT INSIGNIA MVSAS,
Raptaque temporibus nubit ſed adultera laurus.
Ii ſunt qui ſtatuæ veniunt, ſtatuæque recedunt:
Et Bacchi ſapiunt, non Phœbi pocula; Nyſæ

Agmina, non Cyrrhæ, Baccho Phœboque miniſtrant.
Hoc pleni, hoc vacui. Puer intrat Delia miles
Caſtra, receſſurus dicta ſumptaque ſalute,
Et dicto ſumptoque vale, temereque Magiſtri
Præcipitatur honos, rudibus præſumptio muſis
Inſilit & primos audacia decipit annos,
Iamque in bella venit imbellis, inermis in arma.
Haud ea ſunt famæ zephyris mandanda, nec aulæ
Hunc ego commendo: nam ſe maioribus æquat,
Contemnitque pares, indignaturque minores.
Nulli iocundus, grauis omnibus, omnia præceps
Imperioſus agit, & pacis nulla tumoris
Fulmen habena premit, modico quod nouit in Aſtra
Conſcendiſſe ratus, alienum ſcire labello
Progrediente notat, & conniuentis ocelli
Inuidiâ mordet, & quod tetigiſſe veretur,
Laudibus attenuat preſſis, oculoque ſuſurrat
Subridente notam, liuoris cuncta veneno
Conſpuit, ipſe ſuis auidus laudator in actis.
Et librata diu ſed turgida verba loquendi
Maieſtate trahit, & gutture tracta tonanti
Excutit, & linguam digito geſtuque loquaci
Adiuuat & vultus animo maiora fatetur.

Quantum verò ad Habitum Magiſtrorum, Lectiones & ſepulturas attinet, certum quoque fuiſſe de his ſtatuta antiquitus cõdita; quę cùm fere in deſuetudinem abiiſſent, circa initium ſequentis ſeculi Magiſtri Artium ea in vſum reuocare voluerunt; atque in eam rem Octo viros peritos nominarunt qui ſtatutorum reformationi incumberent: quo facto ad eorum obſeruationem omnes Magiſtros iuramento adegerunt, cum interminatione priuationis, ni facerent ante triduum.

Quod cum vnus G. facere neglexiſſet, è gremio Vniuerſitatis expulſus eſt, nec reſtitui potuit niſi per Innocentium Pontificem, quem appellauerat. Qua de re hęc legitur eius Decretalis. *Ex litteris veſtræ deuotionis accepimus, quod cum quidam moderni Doctores Liberalium artium à maiorum ſuorum veſtigiis in tribus præſertim articulis deuiarent, habitu videlicet inhoneſto, in lectionum & diſputationum ordine non ſeruato & pro vſu in celebrãdis exequiis decedentium Clericorum iam quaſi penitus negligenter omiſſo vos cupientes veſtræ conſulere honeſtati octo ex vobis iuratos ad id vnanimiter elegiſtis, vt ſuper dictis articulis de prudentum virorum conſilio bona fide ſtatuerent quod foret expediens & honeſtum ad illud in poſterum obſeruandum, vos iuramento interpoſito communiter adſtringendo.*

Ita legitur in antiquis Decretalibus non decurtatis. En ergo tres articuli ſeu tria antiqua ſtatuta *de habitu, de lectionibus & exequiis*, in quibus moderni deflexerant à veſtigiis maiorum. Et ita 1. notatur antiquitas ſtatutorum. Nam vt habet Gloſſa ibi: Magiſtri artium Liberalium Pariſius commorantes à conſuetudine antiqua in quibuſdam articulis deuiauerant. Vnde ipſi volentes conſuetudinem priſtinam reformare, iuramento interpoſito ſtatuerunt quod ſi quis Magiſtrorum Ordinationi Vniuerſitatis ipſorum duceret reſiſtendum, & tertiò commonitus Vniuerſitati eorum parere contemneret, ex tunc conſortio Magiſtrorum priuaretur.

2. Hinc intelligimus ipſam Vniuerſitatem ſua condidiſſe & reformaſſe ſtatuta antiquitus, vt & fecit conſecutis temporibus. 3. Pœnam priuationis à conſortio inflixiſſe contumacibus. Vnde patet fuiſſe antiquitus conſortium Magiſtrorum. Erat autem ipſa tunc tam ſeuera in puniendis contumacibus, vt Magiſtrum G. qui in ſtatuta illa tria reformata & in vſum reuocata iurare noluerat, etiam reſipiſcentem recipere noluerit: adeo vt ille ad Papam recurrere neceſſe habuerit. Ideo ibi Gloſſa. *Magiſter G. ſupradicta communione ipſorum* fuit priuatus, tandem voluit obedire Vniuerſitati, ſed vtrum debeat recipi dubitatur. Quidam dicebant quod ſic debebat remanere privatus. Alii dicebant quod reci-

piendus erat ex quo volebat ſatisfacere. Alii dicebant quod non poſſet recipi propter iuramntum abſque licentia Papæ.

4. Quid vero Papa ſuper ea re conſultus? non reprobat ſtatuta, non obiicit nouitatem, ſed priuationis pœnam benignè interpretatus hominem peccaſſe confitentem & parere volentem iubet recipi. Et ibi Gloſſa. *Vnde Papa* conſultus reſpondet quod conſtitutum non fuit vt huiuſmodi priuatio in perpetuum duraret, cùm tam de iure communi quàm de conſuetudine Eccleſiæ extiterit aliàs & exiſtat, vt qui propter contumaciam aliorum communione priuatur, cum ſatisfacere voluerit, reſtitui debeat. Mandat D. Papa quod dictum Magiſtrum obedire volentem admittant in Magiſtralibus ad conſortium Vniuerſitatis.

Hæc de ſtatutis illis antiquis generatim deque poteſtate condendorum ſtatutorum quam habebat Vniuerſitas, quamque idem Innocentius an. 12. ſui Pontificatus confirmauit ſuis litteris datis Anagniæ, vt ſuo loco referemus. Nunc de tribus illis ſigillatim agendum nim. *de habitu*, de lectionibus ac diſputationibus deque ſepulturis. Ac primum quidem de habitu hoc eſt tenendum, fuiſſe ſemper & omni ætate Magiſtrorũ proprium & ſpecialem habitum. Antiquitus quidem apud Græcos communis nota Magiſtrorum erat Pallium & promiſſi crines promiſſaque barba. Hinc apud Plautum dicuntur. *Operti barba & Pallio.* Et hinc *Palliati* philoſophi vulgò dicebantur. Quamobrem philoſophus quidam apud Gellium iraſcitur quod promiſſam barbam palliumq; gerens ab Herode Attico non agnoſceretur. *Ad Herodem Atticum*, inquit l. 9. c. 2. *Conſularem virum ingentoque amœno & Græca facundiâ celebrem adiit nobis præſentibus Palliatus quiſpiam & crinitus barbaque prope ad pubem vſque porrecta, ac petit æs ſibi dari εἰς ἄρτους emendos ſcilicet. Tum Herodes interrogat quiſnam eſſet: atque ille vultu ſonituque vocis obiurgatorio Philoſophum ſe ſe eſſe dicit: & mirari quoque addit, cur quærendum putaſſet quod videret. Video inquit Herodes, barbam & Pallium, Philoſophum non video.*

Erat hæc nota communis; at vt ait Caſaubonus in Notis ad Capitolinum, fuêre propriæ quædam ſingularum ſectarum notæ, propria geſtamina. Cynici authore Antiſthene baculum & peram geſtabant. Vnde Apuleius in Apologia. *Hoc Diogeni & Antiſtheni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituum Auguribus.* Stoïci pallium geſtabant ſine tunica; & ſic habitu diſtinguebantur à Cynicis, qui pallium & tunicam geſtabant. Vnde Iuuenalis Saty. 13.

Et qui nec Cynicos nec Stoïca dogmata legit
A Cynico tunica diſtantiâ.

Propria quoque erant Rhetorum & Grammaticorum geſtamina: nempe tunica crure medio ſuccincta, vt innuit idem Iuuenalis Saty. 6. vbi de mulieribus quæ doctæ ſibi videbantur.

Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet.

Quem locum omnes Interpretes accipiunt de habitu Rhetorico: confirmatque poteſt authoritate Quintiliani, qui habitum illum deſcribens l. 11. c. 3. ait. *Cui lati claui ius non erit, ita cingatur vt tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant. Nam infra mulierum eſt, ſupra Centurionum.* Tunicæ ſuperiniiciebant penulam cum prodibant in publicum. Hinc penulatos Magiſtros vocat Gellius, & poſt eum Auguſtinus, qui de Grammaticis verba faciens l. 1. Conf. c. 16. *Quis autem Penulatorum Magiſtrorum, &c.*

Hæc de veteribus. Maiores quoque noſtri Magiſtralem quendam habitum geſtarunt. Hinc Pſeudo Boëtius c. 6. de Diſcip. Schol. *Propter vtriuſque partis incrementa*, inquit, *magiſtralia contrahunt Paludamenta.* id. *honorem qui propriè in his veſtimentis conſiſtit*, inquit Thomas in Scholiis. Et paulò poſt. *Paludamentum* veſtis Regum genus eſt quo vtebantur ad oſtendendum bellum proximè futurum. *Eſt quoque veſtimentum Magiſtrale, quo Magiſtrandi induuntur ad futurorum honorum titulum oſtendendum* Erat autem veſtis oblonga. Hinc Sareſberienſis *Stolatos Magiſtros* vocat: item nigri coloris. Quam veſtem cum geſtare pene deſiſſent

Magiſtri, Vniuerſitas eam reuocare in vſum voluit, vt ante retulimus, & Innotius III. per Legatum ſuum Robertum an. 1215. confirmauit. Sic enim ſtatuit. *Nullus Magiſtrorum legentium in Artibus habeat Cappam niſi rotundam, nigram & talarem, ſaltem dum nouus eſt. Pallio autem bene poteſt vti. Sotulares non habeat ſub Cappa rotunda laqueatos, nunquam liripipiatos.*

Lectionum Ordo. Erat & aliud ſtatutum antiquum de Ordine lectionum ſeu librorum & authorum qui prælegi debebant in ſcholis ad profectum auditorum: quem ordinem querebatur Lupus Ferrarienſis iam ſuo tempore inuerſum, vt ante retulimus. Et Ioannes Sareſberienſis ob id Cornificianos exagitat, quod ſpretâ Grammaticâ & Rhetoricâ, ſpretis antiquis Authoribus & libris probatiſſimis ſuos ſtatim protruderent ad Philoſophiam, vnde ſuperficiales Magiſtri prodibant. Huic malo mederi cupiens Vniuerſitas ad tollendum abuſum iſtum Octo-viros nominauit, qui Ordinem antiquum reſtituerent. Quæ eorũ reformatio confirmata eſt à Roberto Legato an. 1215. ſic ſtatuente & definiente, quinam authores prælegi deberent. *Legant in Scholis ordinariè duos Priſcianos vel alterum ad minus. Non legant in feſtiuis diebus niſi Philoſophos & Rhetoricas, & Quadriuialia & Barbariſmum & Ethicam ſi placet & quartum Topicorum. Non legantur libri Ariſtotelis de Metaphyſica & de naturali Philoſophia, nec Summæ de eiſdem, aut de Doctrina M. Dauid de Dinant, aut Amalrici Hæretici, aut Mauricij Hiſpani.*

Diſputationes. Circa Diſputationes quoq; & Collationes peccandi inualuerat mala conſuetudo, quam Octo-viri prædicti reformarunt. Et id quoque credibile eſt approbatum & confirmatum fuiſſe à Roberto Legato. *In Principiis & Conuentibus Magiſtrorum & in Reſponſionibus vel Oppoſitionibus puerorum vel Iuuenum nulla fiant conuiuia. Poſſunt tamen vocare aliquos familiares vel ſocios ſed paucos. Donaria autem vel veſtium, vel aliorum, ſicut ſolebant fieri aliàs, non amplius fieri monemus, & præcipuè pauperibus.* Quomodo verò ſe gererent candidati in Exercitationibus illis Scholaſticis, dicetur infra in Diſſertatione de Gradibus antiquioribus. Præter quas Diſputationes quas hodie *Actus Scholaſticos* vocamus, ad Curſum ſeu Licentiam pertinentes, erant aliæ quotidianæ, quæ *Meridianæ dicebantur*, quia meridiano tẽpore exercebantur; quarum etiam meminit Pſeudo Boëtius lib. de Diſcipl. Schiol cap. 6. vbi & præſcribit, quid *Meridiano* Doctori faciendum ſit. *Sedſi*, inquit, diſſerendi cauſa Meridianus Doctor *ſtudium adierit, præcauendum eſt, ne ſophiſtico polleat apparatu*, nec tætris moueatur difficultatibus, ſed ſtudioſa præmeditatione omnibus armatus audiat lites, eaſque facili mente componat, & illud quod quiſque obiecerit, ita memoriæ diſponat vt detegendi tempore à viâ rationis non recedat, ſed ordine competenti ænigmata dilucidandi moderatione aſſumptâ explicitè exſoluat. Si verò maxima vt aſſolet Diſcretorum (id. Magiſtrorum) mentibus accidat dubitatio in differendo, ſtudiis vtendum eſt deliberando, & quod naturalibus motibus mens exagitata dictauerit conſcientiæ, in craſtinum proferendum eſt. Eodemque modo ſi difficillimum quid quiſquis præmeditatus fuerit, diſputationi eſt commendandum. *Facilius enim differendo plerumque difficultatis ſcintillula inuenitur, quàm ſi ſtudij obſeruantiæ committeretur.*

In hæc verba Thomas Commentator *Notandum*, **inquit**, *quod diſputatio eſt* **actus** Scholaſticus, *quo quilibet intentionem ſuam ad inquirendam veritatem per rationem oſtendit* & eam pro viribus aſſeuerat. Hoc quidem actu inter cæteros nil clarius nihilque ſalubrius Diſcipulo comprobatur: ipſa enim eſt quæ veritatem enucleat, ænigmata manifeſtat, errores atque deuia condemnat.

Itaque diei tempora diſponebãtur hoc modo. Matutinis horis legebant, ſeu ſcripta ſua Diſcipulis tradebant, ſub auroram verò ſcholam ingrediebantur, quæ à maioribus noſtris *Hora Prima* dicebatur: & huiuſce quoque rei meminit idem author. *Conſiderandum eſt vt aurora tempore continuò ſubmiſſa voce incipiat:* & paulo poſt de Dromone ſcholaſtico pigro ſtertente *ad primam* & oculis lippientibus lucemque explorantibus quærente ex condiſcipulis aduenientibus *matutini-ne laboris in ſchotis res perageretur* & aiente, *'lucis rubore diei rubor aurora ne adhuc confunditur?* Similiter Ioannes Hautiuillenſis deſcribens præparationem ſcholaſtici è lecto ſurgentis.

——Miſer ecce excitus ocellus
Luciferi clamante tuba.

Et infra.

——— At vbi dinouit ad ortum
Surgere ſolis equos, queritur diſpendia ſomni
Plus iuſto traxiſſe moras.

Meridianis autem horis fiebant diſputationes. Poſtea reſumebantur lectiones ordinariæ.

Poſtremò tandem dies claudebatur collationibus & repetitionibus lectionum, ſelectorum verborum aliorumq; eiuſmodi tam in Philoſophicis quàm in Grãmaticis, vt exemplo Bernardi Carnotenſis alibi probauimus: apud quem teſte Sareſberienſi l. 1. metal. c. 24 cogebantur ſcholaſtici exſoluere ſinguli die ſequenti aliquid eorum quæ præcedenti audierant; alii plus, alii minus. *Veſpertinum exercitium quod* Declinatio *dicebatur, tanta copioſitate Grammaticæ refertum erat, vt ſi quis in eo per annum integrum verſaretur, rationem loquendi & ſcribendi ſi non eſſet hebetior, haberet ad manum, & ſignificationem ſermonum qui in communi vſu verſantur, ignorare non poſſet.*

Reſtat vt ſtatutum antiquum quale fuerit examinemus. Certum eſt Magiſtros & ſcholares antiquitus conuenire & intereſſe ſolitos exequiis Magiſtrorum defunctorum, & Pſalterium Defunctorum recitare. Si vera eſt Hiſtoria quæ Canonicum quendam Baſilicæ Pariſienſis commemorat è mortuis & è feretro ſurrexiſſe, vnde Bruno circa an. 1182. ſecedendi in eremum conſilium cœpit, eadem refert, *ad eum horrendum conuenisse Magistrorum & Studentium Vniuersitatem Parisiensem.* Refert quoque Cæſarius Heiſterbakenſis l. 1. Exempl. memorab. cap. 32. ad defuncti ſcholaris corpus ſocios conuenſſe an. 1195. & pſalmos decantaſſe. *Ordinatis circa feretrum ſcholaribus qui more Christiano psalmos decantarent.* Hoc ergo ſtatutum quod obſeruari deſierat à ſupradictis Reformatoribus in vſum reuocatum eſt. Et illud quoque Robertus Legatus confirmauit ſic ſtatuens. *Si quis obierit ſcholarium in Artibus vel in Theologia, medietas Magiſtrorum Artium eat ad ſepulturam vna vice, & altera medietas alia, & non recedat donec completa fuerit ſepultura, niſi rationabilem habuerit cauſam. Si quis obierit Magiſter in Artibus vel in Theologia, omnes Magiſtri interſint vigiliis; quilibet legat vel legi faciat Pſalterium. Quilibet moram faciat in Eccleſia vbi celebratur vigilia vſque ad mediam noctem vel maiorem partem noctis, niſi rationabilis cauſa obſtiterit. Die quo tumulatur Magiſter, nullus legat vel diſputet.* De Exequiis.

Atque ex his intelligitur quàm multa ſint inſtituta maiorum, quàm multæ leges antiquitus latæ 400. an. ſpatio, quarum in Tabulario Academico, & in authorum libris nihil legitur, & quarum tamen vſus qualiſcunque ad noſtra vſque tempora ductâ prope nouem ſeculorum ſerie tranſmiſſus eſt. Vnde profectò iudicabit quiſquis erit æquus rerum arbiter, multorum Inſtitutorum quibus hodie vtimur, quorumque quaſi perpetuum videmus fuiſſe vſum, ex quo maiores noſtri diligentiores eſſe cœperunt in conſcribendis ſuis monimentis, originem ad primæua illa tempora eſſe referendam.

Mos iſte habendorum verbi gratia ſermonum ad ſcholares certis diebus feſtis, puta SS. Nicolai, Catharinæ & D. Virginis aliiſque ſolennioribus ab inſtituto maiorum certè profluxit: vt notauimus ad an. 1169. pag. 374.

Item quinos viget noſtris temporibus proponendæ materiæ diſputationum in ſcholis, quas vulgo Theſes vocamus ſeu ſophiſmata, viguit ſemper; eiuſque exemplum patet ad an. 1172. de conuerſione M. Silonis ad Ordinem Ciſtercienſem.

Item non aliunde profluxit mos proſequendi funeris Regum eorumque exequias debito ordine cohoneſtandi quàm ex Antiquitate: ſiquidem Clericorum innumerabilis multitudo Roberti Regis funus proſecuta eſt an. 1030. & an. 1130. funus Philippi Iunioris, quem Ludouicus Craſſus Pater ſucceſſorem deſignarat.

Item vetuſta eſt conſuetudo aduocandi Magiſtros Pariſienſes ad Concilia vbi de fide & de perplexis quæſtionibus agendum fuit. Ita Carolus M. Alcuinum & Paulinum contra Felicem Vrgelitanum, Ludouicus Pius Magiſtros Palatinos contra Claudium Taurinenſem, Caluus Ioannem Erigenam & Amalarium contra Gotheſcalcum aduocauit. Robertus Rex ad decidendam Quæſtionem de Apoſtolatu S. Martialis ſynodum habuit Pariſiis & auxilio Magiſtrorum vſus eſt. Et Hen-

eius an. 1050. contra Berengarium. Geruasius Archiepiscopus Remensis in synodo Suessionensi contra Roscelinum. Calixtus Papa an. 1119. Cono Legatus an. 1120. contra Abaëlardum in synodo Suessionensi. Ludouicus iunior contra eundem in synodo Senonensi an 1140. Eadem Vniuersitas eligitur in arbitram dissidii quod intererat inter Henricum II. Angliæ Regem & Thomam Cantuariensem an. 1169.

Eadem Vniuersitas consueuit ab omni æuo ius suis dicere & in eos iurisdictionem exercere quam potest. Nec id nouum fuit, cum Magistrum G. Statutorum suorum reformationi subscribere nolentem è sinu suo expulit: aut cum M. Amalricum prauè de fide sentientem damnauit: vt in superiori dissertatione retulimus.

Erant etiam & iura quædam communia, quæ singuli Magistri seruare & tueri tenebantur: quod & videtur indicare Pseudo-Boëtius c. 6. l. citati. *Scholæ verò iura regaliter defendat.* Præterimus alia multa instituta & statuta vetera, quæ in decursu commodius referentur.

DISSERTATIO VII.

DE GRADIBVS SCHOLASTICIS Antiquioribus.

HOnos alit artes, & optimus quisque acceditur ad studia gloriâ. Quamobrem rectè veteres vt corporis, ita animi exercitationibus præmia quædam honorifica illustresque titulos proposuerunt ad æmulationem & incitamentum virtutis; vt sciret Respub. quibus hominibus se resque suas posset aut deberet committere. Quos quidem titulos in re scholastica *Gradus* appellarunt, quia gradatim pro ratione profectus in studiis conferebantur. Vnde fit vt pro triplici studentium statu, triplex etiam vbique fere locorum propositus sit gradus, incipientibus scilicet, proficientibus, & perfectis.

Athenis primus Gradus vocabatur δοκιμὴ seu probatio & tentamen, nos vulgo *Tentatiuam* appellamus, isque gradus erat incipientium & primus ad perfectionem, vnde à Gregorio Nazianz. dicitur τῆς τελετῆς βαθμὸς: & in his tribus consistebat, examine, disputatione & lectione. Atque is Gradus nostro Baccalaureatui conformis est.

2. Gradus vocabatur τιμὴ id. honor, quia qui eum consecuti fuerant, iam erant honoratiore loco, & supremum honorem qui in Magisterio consistebat, proximè attingebant. Et talis est apud nos Licentiæ Gradus.

3. Denique Gradus dicebatur τελετὴ id. Perfectio & Magisterium φιλοσοφικὸν δεῖγμα & qui illum gradum consequebantur, accipiebant *Pallium Sophisticum* τὴν τοῦ τριβῶνος ἀξίαν qui habitus erat Magistrorum τελειωθέντων id. *perfectorum*, vt scribit Balsamon, illorum scilicet qui probati fuissent ψήφῳ τῶν Ἀριστῶν *suffragio præstantissimorum.*

Similiter ex eorum scriptis & Relationibus qui Sinense Imperium lustrarunt, accipimus ibi litteratorum tres esse Gradus. Primus dicitur SIEVEAI, & Baccalaureatum nostrum repræsentat.

2. KIVGIN, isque Licentiæ nostræ similis.

3. CIN-SV, & Magisterium seu Doctoratum omnino repræsentat. Ad quorum Graduum consecutionem multo labore multisque ceremoniis opus est: vt nos aliquando fortasse referemus.

Nunc videndum quæ fuerit consuetudo olim Academiæ Parisiensis à temporibus scilicet Caroli M. ad finem circiter quarti seculi, quod Christi duodecimum est. Quanquam autem difficilis est ea de re assertio, vnum est tamen quod reputo certissimum, nemini licuisse profiteri publicè qui non ante petiuisset & obti-

nuiſſet profitendi licentiam : neminemque obtinuiſſe qui non ante aliquo tentaminis ſeu examinis genere probatus fuiſſet : cum id maximè ad Rempub. pertineat. Neque verò exiſtimo minus circunſpectam prouidamque fuiſſe Academiam Pariſienſem quàm fuit olim ſchola Lugdunenſis, apud quam quiſquis artiũ profitendarum ſtudio afficiebatur, non ante profeſſis ſeu Magiſtris adſcribi merebatur, quàm exploratâ diligentiâ & idoneitate examinatus abiiſſet, vt in Academia Lugdunenſi ex Errico Antiſſiodorenſi retulimus. Quam conſuetudinem Pariſiis viguiſſe vel vnus ſatis teſtis eſt Abaelardus, qui inter cætera quæ ſibi à Magiſtris obiiciebantur, hoc præſertim fuiſſe inculcat, quod *nulla authoritate neque Apoſtolica neque Epiſcopali* probatus ſeu admiſſus docere præſumpſiſſet.

Ad hanc rem facit ſtatutum Germanicæ Nationis quod legitur in ipſius Commentariis ad an. 1460. his verbis.

Cum Scholaſticarum dignitatum, vt pote *Graduum* nomina quandam ſcientiarum virtutumque eminentiam prætendere videantur, indecens eſt quempiam huiuſmodi *Graduum* titulis honorari, niſi profunditate ſcientiæ morumque ſimul grauitate cæteros antecellat. Quod ſanè conſiderantes noſtri prædeceſſores viri prudentiſſimi ſuos olim diſcipulos rigoroſis examinibus quàm ſæpius probantes, mores eorum ac ſtudia perquirendo honorum præmia non niſi bonarum artium virtutumque optimarum cultoribus impẽdere ſtuduerunt. Volentes non tantum præſentibus, ſed futuris etiam ſeculis prouidere, itidem æquis legibus ac ſalubribus inſtitutis ordinantes toti ſuæ poſteritati præcepta inuiolabiliter ſeruanda tranſmiſerunt.

Certum quoque eſſe arbitror aliter cum exteris qui peregrè Pariſios veniebant ad docendum, aliter cum ipſis Academiæ alumnis agi ſolitum. Nempe ſuffeciſſe ad probationem & admiſſionem exterorum, licentiam ab Epiſcopo aut ab eo qui Epiſcopi vices gerebat, obtinuiſſe, vbicunque ſtuduiſſent, dum idonei reperirẽtur. Nec ex conſtitutionibus Alexandri III. aliudquid quam video requiſitum, niſi vt quis doctrinam ſubiiceret examini licentiamque peteret ab Epiſcopo, vel à Scholaſtico aut Cancellario : quibus pro conceſſione Licentiæ nihil quicquam fas erat exigere. Sic enim ille Ep. 44. ad Archiepiſcopum Remenſem. *Dilectus filius noſter Abbas S. Petri de Montibus tranſmiſſa nobis relatione monſtrauit, quod Magiſter ſcholarum Catalaunenſis Eccleſiæ in terra iam dicti Abbatis ſibi ſcholarum Magiſterium vindicat, & nullum per Abbatem ibi regere ſcholas permittit. Vnde quoniam cum donum ſit ſcientia litterarum, liberum debet eſſe cuique talentum gratiæ cui voluerit, erogare, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus tam Abbati quàm Magiſtro ſcholarum præcipias ne aliquem probum & litteratum virum regere ſcholas in ciuitate vel ſuburbiis vbi voluerit, aliqua ratione prohibeant vel interdicere qualibet occaſione præſumant.*

Hæc ergo duo ſuffeciſſe videntur extraneo cuilibet ad impetrandam docendi licentiam, probis moribus & bonis litteris eſſe munitũ. At aliquid amplius credo, in Academicis deſiderabatur: non quidem ex parte Cancellarii, ſed ex parte Magiſtrorum qui neminem patiebantur è ſuis diſcipulis ad Magiſterium promoueri, **quem non ante diuturno tentamine exercuiſſent & probauiſſent: tenebatur enim** ſcholas frequentare, ſæpe diſputare & reſpondere; tum accepto teſtimonio diligentiæ, aſſiduitatis, probitatis quilibet candidatus accedebat ad Cancellarium & licentiam docendi authoritate Apoſtolica impetrabat. Quo in negotio 4. circunſtantiæ mihi videntur eſſe notatu digniſſimæ, auditio, determinatio, exercitatio, promotio. Quas quia teſtimonio authoris *de diſciplina ſcholarium* confirmare intendo, de eo mihi pauca præfanda videntur, & breuiter in memoriam reuocandum quod iam alibi de eo diximus. Non diſſimulandum ergo, quin operis author vulgo credatur eſſe Boëtius: & ita è veteribus crediderunt Thomas Aquinas qui obiit an. 1274. Guillelmus Wetley aliàs Boëtianus, qui commentaria in illud opus ſcripſit ante an. 1300. & Boëtio adſcripſit, obiitque an. 1310. Nicolaus Triuetus, qui illud ſimiliter commentariis illuſtrauit, & obiit Londini teſte Balæo an. 1328. Verum non eſſe Boëtii conſtans eſt hodie omnium fere Doctorum ſententia, idque euidentibus rationibus alibi euicimus. Nos verò exiſtimamus fuiſſe eius authorem Profeſſorem aliquem Vniuerſitatis, quem ſuſpicamur fuiſſe Ioannem Erigenam, qui obſcurè & ænigmaticè cuncta quæ ad hanc Vniuerſitatem &

ad Magiſtros pertinebant, complecti voluerit: quod ſatis indicare videtur c. 6. vbi ſe ænigmatum ſerie poſtpoſita clarè deinceps locuturum profitetur, ſic enim ille. *Expeditis his quæ ad Scholaris eruditionem digeſta ſunt, dilucidandi moderatione obſeruatâ nec angariare Lectorem ſermonis breuitate curamus, nec dilectione confundere. Nunquam incidiori ſtylo leuiorique ſtemate peruſi; quoniam non ſolum diſcretis verum etiam rudibus ænigmatis ſerie poſtpoſita commendatur: nunc ad Magiſtrorum venerabilem properandum eſt Maieſtatem.* Denique accedit ad coniecturam quod multos Profeſſores perſtringit ſub fictis nominibus, vt Ioannes quo que Saresberienſis multos ſub nomine Cornificii Pſeudo-Dialectici, videturque author ille agnoſci noluiſſe.

Breuiter verò ex ipſius verbis conuincitur non eſſe tribuendum opus illud Boëtio. Nam floruit Boetius Clodouæi noſtri tẽporibus & obiit circa an. 521. Tum autem certum eſt tantam non fuiſſe Lutetiæ ſcholarium frequentiam, quantam ipſe ſe reperiſſe indicat. Sic enim c. 2. *Quodam autem tempore cum cauſâ ſanitatis recuperandæ, & ob aeris intemperiem rituſque Gallorum facetos Matronarumque pios affatus nos in Galliam tranſtuliſſemus, multos diſcholos, vti meminimus, viſu perceptmus in Ciuitate Iulii Cæſaris quæ Pariſius dicebatur, multoſque artes mendicare perſpeximus, nullis eis pocula Philoſophiæ adminiſtrantibus, ſtanoſque Britones ſtudii precio Romam commeantes grauiter indoluimus, quia Athenienſium ſcintillulis minimè paſcebantur. Tandem autem Gallicâ linguâ Græcari inceperunt. Quod ſi aliquid aliud quam tortuoſa volumina Lucretij in partibus ſuis inueniſſent, conſilio noſtro non tantum operis perdidiſſent. Germanici furoris paucos inſpeximus intitulari. Magicæ autem deluſionis arte de Hiberia multos vidimus Magiſtrari. De noſtris autem* (id. Italis) *lippientibus patet & conuulſis oculis.*

Hæc author ille de Scholaſticis diſcholis ſeu proteruis & procacibus exterarum Nationum Britanniæ ſeu Angliæ, Germaniæ, Hiberiæ ſeu Hiſpaniæ & Italiæ Pariſiis ſtudentibus. Itaque neceſſe eſt eo tempore de quo ille loquitur, ingentem fuiſſe ſtudentium multitudinem: fuiſſe quoque florentiſſimam Academiam, quandoquidem ad eam confluebant tam multæ Gentes ad Magiſterij in Artibus titulum. Quis autem hoc tribuerit Clodouæi temporibus? & quis credat tantum inter Francos, vix bene adhuc Francos, & Hiſpanos, Anglos, Germanos, Italos fuiſſe commercium, tamque paccatas res, vt ex illis Gẽtibus ſcholaſtici ad Emporium Litterarum, quaſi non alibi præterquam Pariſiis fuiſſet, conuolarent? Quis tantæ celebritatis meminit præter hunc authorem? Gregorius Turonenſis natione Gallus, doctus & litteratus Eccleſiæ Prælatus eo ſeculo floruit & ſcripſit: Francorum originem libris decem complexus eſt, ad ſua vſquè tempora, hoc eſt ad an. 600. deduxit. Clodouæi Regis meminit, quem ait ſedem Regiam poſuiſſe Lutetiæ; cuius vrbis ſtatum nec ipſe ignorare potuit, tam celebris verò Academiæ nuſquam meminit: cuius mentionem non eſt credibile eum præteriturum fuiſſe, ſi tanti tum nominis & famæ Academia fuiſſet.

Cum autem nec ante Monarchiam Francorum, nec poſt eam inſtitutam in Gallia vllum ſit tempus quo Lutetia in eo ſtatu fuerit, neceſſe eſt Authorem illum, **quiſquis eſt, de Academia loqui à Carolo M. fundata & erecta. Cui verò** ætati id quod ſcribit, attribuendum ſit, difficile quidem dictu eſt: ſi tamen ad hiſtoriæ ſeriem attendatur, non adeo difficilis eſt coniectura. Nam florentiſſima fuit primo ſuæ originis ſeculo, ab an. circiter 800. ad 900. Eratque Ciuitas Pariſienſis, vt ex Hilduino retulimus, Emporium Germanorum cæterarumque Gentium poſt acquiſitum à Regibus noſtris Imperium Occidentale. Sequente ſeculo contabuit proculdubio, quia diuulſum eſt Imperium & in multa Regna diuiſum, ipſumque Gallicanum continuis bellis Ciuilibus turbatum & attritum. Tertio reuixit ſub Roberto, Henrico & Philippo Regibus. Tantæ verò deinceps celebritatis fuit, vt maior eſſe non poſſit. Iudicet ergo prudens Lector, de quo potiſſimum tempore loquatur, aut loqui intelligatur author prædictus. Certè cum antiquus ſit, nec vllo ſeculo præterquam primo & quarto ſcholæ celebritatem tantam fuiſſe legamus, neceſſe eſt aut de hoc aut de illo loqui: de hoc verò minus loqui crediderim, ſiquidem Thomas Aquinas in eum Commentaria ſcripſit, & in Authorem, quem credidit ipſum eſſe Boëtium, longè proinde ſeculo Chriſti duodecimo, quæ Vniuerſitatis quartum eſt, antiquiorem.

Addamus

Addamus & hanc quoque coniecturam, quod ille cap. 4. *Scholares* appellat *Clericos*: quod nomen temporibus Boëtij vix eam obtinebat ſignificationem. *Ne paupertatis*, inquit, *facultati præſentis operis deroget ſimplicitas, confundat deſperatio, affligat deſolatio, quoddam* CLERICORVM *naturæ commune dignum duximus examine committendum.* Vtitur quoque hiſce vocabulis, *Determinationes* terminorum Dialecticorum *Regentes*, *Rector Scholarium*, quæ omnino Pariſienſis Academiæ ſunt; nec Boetij temporibus vſurpabantur, ſed procul dubio ſunt ævi ſequioris. Reſtat igitur vt opus prædictum ad Caroli Magni ſeculum referamus. Quis verò ſit eius author, diximus alibi nobis videri Ioannem eſſe Scotum, qui teſte Balæo & Pitſeo ſcripſit *de inſtituenda Iuuentute* librum vnum.

Sed vt ad propoſitum redeamus, author ille quiſquis eſt, in hoc negotio non contemnendus, Quintilianum imitatus ſcholaſticum à Rudimentis deducit ad Magiſterium vſque in 7. Artibus Liberalibus, quas de Triuio & Quadriuio appellabant: & ita deducit, vt tres quodammodo Gradus diſtinguat pro ratione Profectus in illis, *Determinationis*, ſeu incipientium, *Exercitationis* ſeu proficientium, & *Magiſterij* ſeu Perfectorum: Nam poſtquam primo cap. Scholaſticum ſuum rudimentis Latinitatis, Grammatices & Rhetorices præceptis imbuit, illum ad Logicam altercatricem deducit & ad Terminorum determinationes: qui erat veluti primus actus primuſque Gradus Incipientium & ad Magiſterium contendentium. Sic enim habet. *Ad huius Imperialis Dominæ (Logices) apicem ſcandendum eſt hoc ordine. Imprimis igitur Terminorum intrinſeca cognitio eorumque in propoſitione non latens copulatio, propoſitionumque non indigna connexio ſunt appetenda.* Terminorum *autem* Determinationes, *quas ſyncategoremata appellamus, memoriæ liter ſunt menti imprimendæ, vt quæ pote ſophiſticæ non parum deſeruiunt phantaſiæ.*

Determinationes autem iſtæ in Diſputationibus ſolennibus fiebant, nihilque aliud erant quàm expoſitiones & explicationes terminorum Dialecticorum, propoſitionum & ſyllogiſmorum; quas facere tenebatur quiſquis ad Magiſterium adſpirabat, ſecus illud conſequi non poterat, aut turpiter emendicare cogebatur fauorem opemque ſociorum & candidatorum: vt idem author probat exemplo Trebatii cuiuſdam qui neglecta exercitatione huiuſmodi confuſus & irriſus abierat. *Horum autem*, inquit, *notitiam Trebatium virum meminimus prudentiſſimum, ſed in hoc imperitum quaſi indignam ſcientiam relatu ſub ſilentio præteriſſe: Die autem conflictus adueniente*, (id. ſtatâ die quâ diſputandum & determinandum erat) eundem miſerrimè ab his Sophiſtica vincente *detentum vidimus, & inaeceterà ſuorum Collegio ſequeſtratum. Quid vlterius? anguſtia pudoris confuſus illud quod prius cenſebat indignum eloquio* (id eſt determinatione & expoſitione) *ſociatim mendicabat.*

Ad iſtorum autem omnium commodiorem vſum in fine eiuſdem capitis iubet Grammaticam & Rhetoricam ſemper exerceri. *Nec dum hæc geruntur, Grammaticæ fructuoſitas nullatenus eſt obliquenda, per eam enim cuiuſlibet artis commendabilis redditur poſſeſſio iocunda, Rhetoricæque lepos Quadriuialium quoque honos ſtudii comparatione acquiſitâ pro poſſe non debent omitti.*

2. Actus & Gradus, quo ad Magiſterium tendebatur poſt Determinationem, erat perfecta **Quadriuialium artium, nempe Arithmeticæ**, Geometriæ, Muſicæ & Aſtrologiæ comprehenſio & in iis exercitatio atque profeſſio, vt cap. 3. docet. Atque in Magiſterii candidato has quinque conditiones requirit. 1. vt perfectè calleat ea quæ ad tanti nominis dignitatem pertinent. *Iſtis ſiquidem prædictis*, inquit, *hoc modo eſt ordinandum.*

1. *Vt quiſque quæ ad tanti nominis pertineant reuerentiam, vt quæ ſcita ſunt, exprimere noſcat, & ne ſcriptorum commiſſioni ſe totaliter committat: vt Lucretius qui cuiuſlibet Quæſtionis nodum propoſitæ inquirendo, dimiſſo comitatu ſcedulis confluebat.* id. ad libros & commentariola recurrebat.

2. Vt libros ſuæ profeſſioni conuenientes habeat. *Vt librorum copiam ſuæ acquirat exercitationi, vt cum opus fuerit, eos conſulat, nec omnino eis credat: vt Iugio, qui Montani ſui monitis in tantum confiſus eſt, quod omne verbum ab ipſius ore progreſſum quaternulis exarabat & tanquam ſacrum æſtimabat: nihil aliud quàm Magiſtri vicem in ſcholis obtinens prædicabat: vnde multotiens pudore confuſus abibat.*

3. Vt habeat quoſdam minus peritos quos ipſe priuatim doceat ea quæ didicit: *vt quoſdam habeat quos ſecretè doceat, libroſque legat aliiſque rudimentis informet, vt*

ſic intellecta ſciat, ſcitaque exprimere diſcat, & expreſſione frequenti vſum comparet. Vſus Magiſterium propinat. Alios namque docere eſt propriæ Facultati indulgere.

4. Vtilitatem priuatæ huiuſmodi exercitationis & inſtructionis demonſtrat, eo quod poſt obtentum Magiſterium iis auditoribus vſurus ſit, & aliis pariter qui iam eius fama allecti fuerint. *Ordinandum vt hos alioſque ſibi alliciat, vt cum opportunitas Magiſtrandi affuerit, eorum intrinſeco gaudeat aſpectu. Quid turpius quàm primo inceptionis ſolus deſtitui tempore: vt Flauus qui ob ſui generis Imperium gazæque dominantis opulentiam cunctos ſibi credidit ſubingari. Tempore vero concurſus elapſo* (id. diſputationis Magiſtrandorum atque examinis, vt explicat commentator) *rarò reperit ſodalem qui legi conductionis adhæſit.*

5. Vt licentiandus frequentet ſcholas Magiſtrorum, in iiſque ſæpe diſputet & proponat, vt eorum deinde ſuffragio ad Magiſterium promoueri valeat. Quibus tamen in Diſputationibus modeſtum eſſe vult, ne ſua eos proteruia offendat. 5. *Vt quorum gratia coronandus eſt, in fauore illorum ſcholas ſemper peripateticè obambulet curialiterque opponat, proteruienteſque acriter remordeat, diligentiuſque pro tempore reſpondeat, ne ſi muta fuerit voluntas, ignorantiæ imputetur, cæcitati, vel arrogantiæ temeritati. Multos ſiquidem ob reſponſionis proternitatem ſpeculantium licet inuitè vidimus præcipitio frui. Non enim diſcentis intereſt affatibus & contumelioſis* REGENTEM *incitare probris.* Atque ab eiuſmodi exercitatione & peripatetica obambulatione crediderim appellatum *Curſum ſtudiorum*, quo confecto Magiſterium obtinebatur. Certè ſi ad has quinque circunſtantias diligenter attendatur, nihil eſſe reperietur quod *Licentiæ* exercitationes clarius exprimat. Etenim conſtat authorem loqui de Candidato ad Magiſterium in Artibus tendente: & hunc poſt determinationem iubet ſe exercere, alios docere, actibus ſolemnibus & diſputationibus quæ in ſcholis Magiſtrorum fiebant, intereſſe, diſputare ſeque in omnibus ſtrenuum præbere toto Concurſus tempore: quæ omnia poſt introductos Gradus Baccalaureatus, Licentiatus & Doctoratus à Licentiandis præſtabantur: vt ex hiſtoria patebit.

3. Denique Gradus erat Magiſterii adeptio. Et die promotionis ad ſocios concurrentes, ſeu vt hodie loquimur, ſuæ Licentiæ Cõmilitones, & ad Magiſtros quorum ſuffragiis coronandus erat, oratiunculam habebat cum gratiarum actione poſt accepta Magiſtralia paludamenta, eoſque conuiuio excipiebat. *Cum autem dies ſummæ promotionis affuerit, breui ſchemate compendioſoque affatu veneranda commendetur ſociorum collectio. Sicque ad honoris initialis incrementa intrepidè procedendum eſt decenti ornatu, feſtino apparatu, ſi facultas ſuppetit, cunctis; vel ad libitum, eiuſdem ſaltem profeſſionis ſplendidè procurato.* Eodem fere modo ſtatuit Robertus Cardinalis an. 1215. *In Principiis & conuentibus Magiſtrorum & in Reſponſionibus vel oppoſitionibus puerorum vel iuuenum nulla fiant conuiuia. Poſſunt tamen vocare aliquos familiares vel ſocios, ſed paucos.*

Atque tres illos Gradus ſine dubio indicat Alanus de Inſulis in ſermone habito die Paſchæ ad Magiſtros Clericorum Theologiæ ſub hoc Themate. *Tria ſata ſimilæ commiſce.* Quibus verbis ſignificari ait triplicem ſacræ ſcripturę Expoſitionẽ; **Hiſtoricam, Tropologicam & Allegoricam. Prima, inquit,** *incipit*; **ſecunda** *prouehit* tertia *conſummat & perficit*: hocque pane tres viros ſignificari, Minores Mediocres & Maiores. Minores lacte Hiſtoriæ paſci, Mediocres melle Tropologiæ, Maiores pane Allegoriæ.

Ad eoſdem Gradus alludit Guillielmus de S. Amore in prælectione libri Pſalmorum. Vbi pſalmos diuidens in 3. quinquagenas, *primam*, inquit, *quinquagenam decantant* Incipientes *in primo ſtatu. Secundam cantant* Proficientes *in ſecundo ſtatu. Tertiam cantant* Perfecti *ſeu* Peruenientes *in tertio ſtatu.* Quo nempe acquiſito non eſt vltra quo procedant.

Hinc Pſeudo-Boetius ſtatum ſeu Gradum illum vocat cap. 5. *Magiſtratus excellentiam*, alibi *perfectionis Gradum*, Magiſterii elationem, ſummam promotionem, *Magiſtralis nominis dignitatem, venerabilem Magiſtrorum Maieſtatem.* Quibus verbis ſatis indicat quanti fieret Magiſtri nomen & Gradus: vnde c. 6. vocat *pulchræ denominationis imperium* id. vt commentatur Thomas, *Gradum atque titulum Magiſtralem.*

De Gradibus Scholaſticis recentioribus.

QVia omnes fere qui de Gradibus Magiſtralibus ſcripſerunt, exiſtimant illos à Iuſtiniano profluxiſſe, operæ pretiũ eſt hîc ea reuocare in memoriam quæ ad an. 1150. retulimus, ſcilicet Iuſtinianum quò plus dignitatis & honoris Iuriſprudentiæ conciliaret, inſtituiſſe in ea quiquennale ſtudium, & ſingulis annis certos Tractatus aſſignaſſe: iiſque tandem expletis propoſuiſſe ſtudentibus apicem Doctoratus & in ea diſciplina docendi licentiam.

1. Annus ſeu 1. Gradus erat *Iuſtinianæorum*, quibus prælegebantur Iuſtiniani Inſtitutiones quæ iuris omnis veluti compendium ſunt & fundamentum. Iuſtinianus enim hunc ordinem inuenit, vt ius Ciuile prope deperditum repararet, ideoque in Tironum gratiam Inſtitutiones compilauit. Hinc igitur *Iuſtinianæi* dicti incipientes, qui antea *Dupondij* vili nomine dicebantur, quod minimi eſſent valoris.

2. Annus ſeu Gradus erat *Edictalium*, qui poſtquam Inſtitutiones legerant, altero anno Prætorum edictis operam dabant. Vnde *Edictales* dicebantur.

3. Annus & Gradus erat *Papinianiſtarum* qui conſumpto biennio in Inſtitutionum & Edictorum lectione, tranſibant ad Papiniani lectionem.

4. Annus & Gradus erat *Lytarum* à λυω ſoluo; quia iam eo proceſſerant per triennium profecerantque, vt legum ænigmata iuriſque nodos diſſoluere poſſent.

5. Denique annus & Gradus erat *Prolytarum*, qui in ambiguitatibus iuris ſoluendis & explicandis verſati priores ſuperabant: ita legitima ſcientia inſtructos, inquit Ciſnerus, ad omne opus legitimum voluit Iuſtinianus procedere; atque oratores maximos Iuſtitiæque ſatellites & Iudiciorum optimos tam Athletas, quàm Gubernatores in omni loco æuoque felices ſe præſtare.

In cæteris Artibus quanquam non præſcripſit Imperator certum annorum numerum, voluit tamen peritos eſſe & examine probari quicunq; ad docendũ accederent. Vt patet ex l. Magiſtros Cap. de profeſſoribus & Medicis, & nos alibi docmus. Verum illa Ordinis prædicti nomina vnà cum Iuris ſtudio & Iuſtinianæa illa docendi ratione ſequentibus ſeculis obſoleuêre, quibus omnes litterarum diſciplinæ fœda barbarie propter Extraneorum commigrationes non ſolum inquinatæ, verum penitus obrutæ fuerunt. At vbi deterſâ rubigine cœperunt veluti poſtliminio redire & liberius coli, tum aliæ Graduum honorumque Magiſtralium appellationes repertæ & vſu tandem vbique receptæ fuerunt; ſcilicet Baccalaureorum, Licentiatorum & Doctorum. Vbi verò & quo tempore & à quo Gradus illi primum inſtituti ſint, non liquet.

Franciſcus Iunius in ſuo de Academia Libello aſſerit, tres illos Gradus inde à Caroli M. temporibus obſeruatos fuiſſe vbique paſſim. Iunio adſtipulatur Gregorius Hornius lib. 7. de Hiſtor. Philoſoph. c. vltimo aiens antiquitus dictos *Batallarios* à voce Gallica *Bataille*, deinde Baccalarios & Baccalareos. *Hinc Pariſiis, vbi Scholaſticæ hæ promotiones videntur non quidem natæ ſed renatæ Caroli M. æuo, Batallarij dicti, qui confecto litterarum & humanitatis tirocinio publicè cum inſcitiâ conflixerant, ſed corruptè Baccalarios Baccalaureos, dici pro Batallariis cœpiſſe.* Equidem ſi de re quæ per Gradus illos ſignificatur, quæſtio eſt, videntur omnino ſolo nomine à vetuſtioribus illis, de quibus ſupra diximus, non re diſcrepare.

Quanquam haud ſcio an non etiam à temporibus ipſis Caroli M. nomina ipſa in vſu fuerint. 1. Ergo Baccalarij nomen vetuſtiſſimum eſſe teſtis mihi eſt Glaber Rodulphus Cluniacenſis Monachus qui Roberto & Henrico I. Regibus floruit; ait enim ſe à quodam Dæmone cum adhuc Nouicius eſſet, & ſciendi auidus, imò vt ſibi videbatur, ſciolus, his verbis increpitum. *Meus Baccalarius vbi eſt? meus Baccalarius vbi eſt?* Ex quo loco Naudæus in lib. de antiquitate ſcholæ Medicæ Pariſ. pro certo habet *Gradum Baccalaureatus inſtitutum fuiſſe ante annum 45. à milleſimo.* *Baccalarii.*

Item Ordericus Vitalis qui ſub Philippo I. & Ludouico Craſſo eius filio vixit & floruit, lib. 10. Hiſtor. Eccl. ad an. 1100. de quodam Helia ſic ait. *Cuſtodes ita-*

que laudabili iam fide probati Heliæ candidam iuſſerunt tunicam indui, pro qua Candidus Bacularis ſolitus eſt ab illis nuncupari. Quibus verbis Hauteſerrius lib. 2. de Comitibus Prouinciæ c. 8. ſubiungit, *Vt & iuniores Candidati Theologiæ Baculares vocitantur.*

Nomen ipſum & nominis etymologia fauet. Nam licet aliqui Baccalarij vocem deductam putent à Bacca lauri quæ ſacra erat Apollini, certius tamen eſt deduci vel à voce Gallica *Bataille*, & *Batailler:* vnde nonnulli *Batalarios* primùm dictos putant, quia Iuniores in pugna diſputationum exercebantur: vel à *baculo* ſeu *bacillo*, vnde *Bacularij* vel *Bacillarij* dicti: quo quidem nomine aiunt Antiquarij noſtri primùm appellatos fuiſſe quoſdam Equites ſeu ſcutiferos Iuniores, qui ſcutis & baculis militiæ tirocinium faciebant. Ita ſentit Hauteſerrius loco citato. *Bachelarios*, inquit, *à baculis dictos obſeruo: non ex eo quod de feudo inueſtirentur per baculum, vt voluêre nonnulli, ſed ex eo quod ſcutis & baculis militiæ tirocinium & duelli aleam experirentur.*

Dominicus vulgò Dominicy in ſuo tractatu de Allodio cap. 15. *Ex eadem*, inquit, *pugnandi ratione inditum nomen Baccalarijs, quos à Buccellariis ſiue Protectoribus viri docti ex ſimilitudine vocis potius quàm ex officio deduxêre; cum à Baculis quibus dimicarent, liquidò ſint nuncupati. Hoc me docet Gaſpar Ouimalo vetus Regum Nauarræorum fecialis, ſeu vt noſtri loquuntur, Heraldus, dum ait Bacalarios baculis roboreis ſeu clauis debere certare.* Equidem certum eſt antiquitus ita baculis pugnare ſolitos fuiſſe iuniores milites, vt probari poteſt ex multis veterum monimentis. In Capit. Caroli Magni l. 3. c. vlt. ſic legitur, *Armati veniant, id. qui poteſt habere cum lorica & ſcuto ancipite atque faſce.* Adrevaldus Floriacenſis Monachus lib. 1. de Miraculis S. Bened. c. 25. *Tandem adiudicatum eſt, vt ab vtraque parte teſtes exirent, qui poſt ſacramenti fidem ſcutis ac baculis decertantes finem controuerſiæ imponerent.* Mathæus Pariſienſis ad an. 1249. *In haſtiludio multi milites Regni, qui ſe volant Bachelarios appellari, ſunt contriti.* Et paulo poſt. *Militem ſtrenuum qui Bachelariis annumerabatur.*

« Quæ vox in Gloſſario ſic explicatur. *Certiſſimum hoc vnum*, quod poſtquam Rex
« iuuenes milites baltheo iam cinxerat militari, nihil prius Tironibus iſtis nouellis
« (vt eos vocat Mathæus) curæ eſſe, quàm vt armis & equis acquiſitis tirocinij ſui
« vires in haſtiludio, ſiue torneamento cum paribus experiantur. In haſtiludijs ve-
« rò poſtquam Equeſtribus decurſionibus lanceas fregiſſent, lineis tantùm armati,
« non gladiis ſed ſudibus, *Baculiſque* ſe ſe mutuò non ſurdis ictibus in torneamento
« robuſtiſſimè batuebant, inde in Torneamentis huiuſmodi deuicti proſtratique.
« Author noſter dicit fuiſſe *baculatos* (ad an. 1248. vbi loquitur de willielmo de Va-
« lentia fratre Regis Tirone Nouello) qua voce & olim vſus eſt Petrus Bleſenſis
« ſerm. 1. pag. 310. atque hinc opinor Milites Bacularios & corruptè Bachelarios
« fuiſſe dictos.

A re militari traductum eſt nomen ad ſignificandos in qualibet arte Tirones, adoleſcentes adoleſcentulaſque: quomodo etiamnum hodie vocitantur Proci Procæque apud Picardos & Pictauos. *Bacheliers & Bachelettes.* Rabelæſius l. 4. c. 5. *Les ieunes Bachelettes de nos païs ſont mille fois plus auenantes.* Hinc *la Bachelette de Luſignan* apud Pictauienſes. *La Bachelette de Cholet* apud Andegauenſes feſta quædam ſunt ſeu ludi adoleſcentum adoleſcentulatumque nubilium. Apud Hiſpanos *Bacillier* idem ſignificat, nimirum *adoleſcentem* ſeu Ephœbum. Item teſte Claudio Falceto lib. de Origine Equitum c. 1. in artibus etiam mechanicis *Bachalarij* dicuntur qui quidem iam multum profecerunt, vt Magiſterium Artis adepti ſint, nondum tamen ſint Iurati. *Meſme en Maſſonnerie & tout autre meſtier de France où il y a Maiſtriſe, l'on appelle Bacheliers ceux qui ſont paſſez Maiſtres en l'Art, mais qui ne ſont pas Iurez; & leſquels pour amander le rapport fait par les Docteurs Iurez, doiuent eſtre deux fois autant.*

A re igitur Militari hoc nomen *Bacalarius* traductum fuiſſe videtur ad rem litterariam, vt multa alia. Et hinc Bacalarius in Artibus dicitur Candidatus Magiſterij, qui in Caſtris Mineruæ verbis & argumentis pugnat, vt Tiro militiæ in caſtris Martis baculis certabat. Beatus Rhenanus exiſtimat Bacalariorum Academicorum inſigne fuiſſe olim *Baculum*, vt & militarium. Et cum eo conſentit Willielmus Watſius in Gloſſario Mathæi Pariſienſis. *De Academicis Baccalaureis*, inquit, *nihil habeo niſi hoc vnum annotare, Baculos ſcilicet in dextris portare, olim Philo-*

ſophi fuiſſe inſigne. Ῥόπαλα ἐν δεξίᾳ φέροντες οἱ φιλόσοφοι. Sanè Βακτηρίαν φορεῖν olim honorificum: vt legitur apud Athen Theoph. Chryſoſtom. hom. 19. ad Populum. Atque ex his intelligitur *Baccalarii* nomen Gallicanæ omnino eſſe originis non Italicæ: nam neque Bononiæ *Baccalariatus* pro Gradu vnquam fuit, nec requirebatur ad Doctoratum ſeu Magiſterium; ſecus in Francia, vt diſerte notat Rebuffus.

Licentiati nomen vetuſtiſſimum quo q; eſt: & is dicitur qui licentiam accepit ab eo cuius eſt dare. Ea voce vtitur Nonius; vtitur & Petrus Bleſenſis. Similiter Mathæus Pariſienſis ad an. 1246. *licentiauit familiam.* id. dimiſit: *ſubductâ manu ætate prouentuum ceſſabunt eleemoſynæ, licentiabuntur familiæ.* & ad an 1265. *Rex omnes licentiauit ad propria.* id. licentiam redeundi conceſſit. In re igitur litteraria *licentiari dicuntur*, quemadmodum olim apud Romanos Miſſi & rude donati, quibus ſcilicet conceſſa eſt ab Epiſcopo vel Cancellario cuius eſt dare, libertas ſeu miſſio ab onere diſputandi, ſcholas Magiſtrorum actuſque ſolemnes frequentandi, itemque licentia legendi & docendi: ac proinde non differunt à Magiſtris, niſi ſola ſuſceptione *Paludamenti Magiſtralis*, vt ait author de diſciplina Scholarium. Alex. III. reprehendit eos qui ſine certo pretio *docendi licentiam non impendebant.* Et in Concil. Lateran. an. 1179. *Pro licentia docendi nullus pretium exigat.* Hinc igitur *licentiati dicti.*

Doctoris quoque nomen vetuſtiſſimum eſt, etiam in hac Academia: & hæc eſt differentia inter Magiſtrum & Doctorem, quanquam ſæpe confundantur, quod *Magiſter* is ſit, qui tirocinio confecto Magiſterium Artis aſſecutus eſt, donatuſque Magiſtrali laureâ; Doctor verò propriè is ſit, qui docet aut docuit artem quam nouit. Alcuinus Theodulphum Aurelianenſem Epiſcopum vocat *Doctorem* & *Magiſtrum.* In Dialogo eiuſdem de Grammatica leguntur ſæpe & Magiſtri & Doctoris nomina. *Naturale eſt*, inquit, *mentibus humanis ſcientiæ lumen; ſed niſi crebrâ Doctoris intentione excutiatur, in ſe quaſi ſcintilla in ſilice latet.* In Concilio Auguſtano 12. Epiſcoporum tempore Horſinidæ Papæ ſancitum eſt inter alia *ne Quis Doctoris munus ſibi imponeret præter eas perſonas, quibus fuiſſet conceſſum.* Vnde amplius patet nemini licuiſſe docere publicè, qui docendi licentiam non obtinuiſſet.

Alij exiſtimant communiter, tres illos Gradus, aut potius nomina illa Graduum Academicorum vſurpari tantùm cœpiſſe eo ſenſu quo nunc accipiuntur, circa an. 1150. eaque à Wernero Iuriſconſulto inuenta, ſumpto à Iuſtinianæis exemplo, & Bononiæ primùm vſurpata; vel à Gratiano Decretalium Compilatore: deinde verò Pariſios à Petro Lombardo tranſlata & in Theologia Scholaſtica vſurpata: idque multiplici ratione confirmant.

1. Quod Gradus illos ſeu Wernerus, ſeu Lombardus non nomine quidem ſed omnino vi Iuſtinianæis æquarit. Non enim ille annorum numero ſed profectu Gradus Scholaſticos æſtimari voluit, & Baccalarios Lytis comparauit. Atque ita ſentiunt Alciatus & Eginarius Baro. Ratio autem eſt, quia vt Lytæ iam multum profecerant, plurimaſque poterant in profeſſione ſuâ ſoluere Quæſtionum difficultates; ita & Baccalarij iam multum profeciſſe debent, & ſui in arte quam profitentur, profectûs ſpecimen aliquod edidiſſe.

Iidem authores Licentiatos cum Prolytis conferunt: quia Licentiati Baccalariis doctiores eſſe debent; vt Prolytæ Lytas doctrinâ & experientiâ ſuperabant. Poſtremò Doctores cum Anteceſſoribus comparant, quia iam extra aleam poſiti doctrinâ eminentiore creduntur antecedere.

2. Coniectura eſt, quia vt ait Camillus Borellus Tract. de Magiſtratibus l. 1. c. 8. tunc temporis, nimirum circa an. 1150. *Iureconſulti primum Doctores promoti, & Magiſtrorum nomen à Doctoribus fuit ſeparatum.* Quam diſtinctionem videtur agnoſcere Alexander III. qui paulo poſt inſtitutos illos Gradus, iam tamen ſatis notos ſcribens ad Academiam Bononienſem, de qua verebatur, ne in partem Octauiani Competitoris ſui concederet, ſic Bullam inſcribit an. 1159. *Alexander.... Venerabili fratri Girardo Epiſcopo & Dilectis filiis Canonicis Bononienſis Eccleſiæ & LEGIS DOCTORIBVS cæteriſque Magiſtris Bononiæ commorantibus?* Item Otho Morena in Chronico Laudenſi de Conuentu apud Roncalias à Friderico I. habito an. 1158. verba faciens, ſæpe quatuor Legis Doctorum Bononienſium quos Imperator ad-

uocarat, meminit. *Iſtorum autem*, inquit, 4. *Doctorum & quàm plurium aliorum fuit D. Guarnerius Doctor antiquior. Ad quem cum in extremis laboraret, acceſſerunt ſui Scholares dicentes, Domine quem vultis poſt mortem veſtram Doctorem nobis conſtituere?* Eadem ſignificatione idem verbum, *Doctor*, vſurpatur à Gregorio IX. in præfatione Decreti, & à Bonifacio in præfatione l. 6. Decretal.

3. Quia ante id tempus non videtur fuiſſe Doctoris nomen vſurpatum, ab eo verò frequentiſſimè: nam Gualterus de S. Victore qui ſcribebat circa an. 1180. ſæpe vocat Abaëlardum, Lombardum, Porretanum, Pictauinum eorumque Sectatores, *Doctores Scholaſticos*. Et Innocentius III. qui ſub finem ſeculi Lutetiæ ſtudebat, Pontificatum verò maximum adeptus eſt an. 1198. ait ſe Magiſterium in Theologia fuiſſe conſecutum, Stephanum verò de Langetona ait Pariſius diu vacaſſe liberalibus ſtudiis atque in tantum profeciſſe, *vt meruerit eſſe Doctor non ſolum in liberalibus facultatibus, verum & in Theologicis Diſciplinis*. Idem Papa ſcribens ad Vniuerſitatem præmittit hæc verba. *Doctoribus Sacræ paginæ, Decretorum & Liberalium Artium.*

Denique alij fatentur quidem à temporibus Lombardi *Doctoris* nomen affectari & vſurpari ambitioſius cœpiſſe, quaſi ſplendidius pompoſiuſque ſimplici Magiſtri nomine; verum citra vllam mutationem veteris diſciplinæ: Graduum verò Academicorum præſcriptam primùm formam fuiſſe à Gregorio IX. an. 1231. poſtquam Vniuerſitatem Pariſienſem exulem & extorrem Pariſios reuocauit. Ita vt tum in ſingulis facultatibus ſeu Diſciplinis, puta in Artibus, Medicina, Decretis & Theologia inſtitui & vocari cœperint Baccalarij, Licentiati & Magiſtri ſeu Doctores. Et ita ſcribit R. Morellus celeberrimus huius Vniuerſitatis Medicinæ Doctor in ſuis Obſeruationibus ad Bullam prædicti Papæ. Scribit enim LVTETIAM *vocari* CIVITATEM SCIENTIARVM: *quòd iam à multis ſæculis Diſciplinæ & ſcientiæ in illa docerentur. Academiam Pariſienſem frequenter ibi appellari* VNIVERSITATEM. *Eo tempore* (circa an. 1231.) *Gradus fuiſſe introductos Baccalaureorum* Licentiatorum & Doctorum ſiue Magiſtrorum.

De hocce negotio liberum eſt vnicuique ſentire prout voluerit. Ego ſic exiſtimo, ab omni æuo poſt fundatam Academiam in Facultate Artium, ſeu in Diſciplinis liberalibus fuiſſe Gradus aliquos, quocunque tandem nomine appellentur, ad æſtimandum penſandumque profectum ſtudentium, nequis temerè ad docendum proſiliret: non enim vno tentamine aut breui tempore id fieri poteſt. Idque ex authore de Diſciplina Scholarium ſatis apertè demonſtratum eſt. Nullos verò in Theologia ad tempora vſque Lombardi vel etiam vltra fuiſſe vſurpatos. Vnde author Dialogi Hierarchiæ ſubcœleſtis ait Gradus Baccalaureorum, Licentiatorum & Doctorum fuiſſe in Theologia & Iure Canonico inſtitutos ſecundum pompam ſecularium litterarum. *Poſtquam*, inquit c. 5. prologi, D. Petrus *Lombardi Pariſienſis Epiſcopus circa an. 1151. librum Sententiarum edidit.... ex tunc certiſſimè ſcias fili, Gradus in dictis libris ſtudentibus incepiſſe Baccalariando ſcilicet & Doctorando aliquos* ſecundum pompam Litterarum ſecularium, *quod omnino alicubi non fiebat.* Et c. 4. eiuſdē prologi docet antiquitus Profeſſores Theologiæ MAGISTRI nomen non aſſumpſiſſe, ſed DOCTORIS tantummodo: & hanc ponit inter MAGISTRVM & DOCTOREM differentiam; quod MAGISTER is eſſet, qui propriæ ſcientiæ gnarus, in ea Magiſterii Gradum meritus & conſecutus fuiſſet. Doctor verò is, quicunque doceret etiam alienam ſcientiam, puta Diuinam, cuius gnarus eſſe non poteſt niſi ex fide. Sic ergo ille. Cat. *Cur non rogo*, Præceptor, *in his periti* Principalibus ſtudiis (Theologiæ & Iuris Canonici) hi ſcilicet qui ſecuti ſunt M.
» Petrum Lombardi, Richardum & Hugonem de S. Victore, Alanum, S. Thomam
» Prædicatorem & famoſos alios Magiſtros Theologos, ſimiliterque Brochardum,
» Gratianum, Iuonem, Hoſtienſem & cæteros Canoniſtas non rationabiliter MA-
» GISTRI debent dici. Videtur enim multum expediens: nam ſi ſoli Philoſophi Ci-
» uiles & cæteri dicerentur MAGISTRI, iam falſis quæ dicerent, non poſſet reſiſti;
» quoniam alios deſpicerent, qui non eſſent in eorū ſtudiis Graduati ſeu Scholaſti-
» cè titulati. ORTH. Hæc eſt vna bona cauſa, Chariſſime, quam dixiſti: quia
» præmittendum eſt, quod dicantur DOCTORES & fiant in Theologia & Canonum
» facultate, vt tuus aſſerit Hieronymus: ſed tamen nullus ſe debet in his ſcientiis
» MAGISTRVM permittere nominari, ſed multo minus tali pompoſo titulo ſe iactare

propter Ieſu-Chriſti vetitum & ipſarum ſcientiarum altitudinem, profunditatem, latitudinem & imperſcrutabilem maieſtatem. O altitudo Diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ait Apoſt. MAGISTER enim eſt quidocet propria; quod nunquam eſt in prædictis ſcientiis: ſed DOCTOR ſæpius aliena. Ideo Chriſtus nomen DOCTORIS non prohibuit, ſed MAGISTRI. Ite, inquit, docete, omnes Gentes. Propterea quicunque ſe MAGISTRVM nominant exinde non ſolum pruritũ & tinnitum generant auribus audientium, ſed potius ſeſe profitentur Magiſtros erroris, quia non ſunt ſufficientes Diſcipuli veritatis..... Imo nec dicti Theologi prius à te nominati MAGISTRI dicebantur: quin potius S. Thomas qui vltimus, in Summa Catholica Frater Thomas ſimpliciter allegatur. Nunc autem multiplicatio proh pudor! MAGISTRORVM, vel nominalis coaceruatio iuxta Apoſtolum ſcientiæ quæ inflat, ſupereminentem ſcientiæ charitatem minuit, quæ ædificat. SCHOLASTICVS namque GRADVS NON SCIENTIAM SED SVPERBIAM SOEPIVS PROBATVR AVGERE.

Ex his igitur liquet Gradus in Theologia & cæteris Diſciplinis non fuiſſe inſtitutos niſi longè poſt fundatam Vniuerſitatem, eorumque inſtituendorum exemplum ſumptum à Gradibus in Artium Facultate iampridem inſtitutis.

At inquiet aliquis, nonne docebatur antiquitus etiam Theologia? nonne & qui eam docere volebat, examen prius ſubibat peritiæ quæ ſuæ experimentum faciebat? Ita eſt, ſed non ob id conſequebatur Gradum à Gradibus Facultatis artium diſtinctum. Quiſquis enim Magiſterii Gradum in Artibus conſequebatur, is quoque & Medicinam & Theologiam docere poterat. Quia de his etiam in examine reſpondebat: quando quidem de omnibus 7. artibus earumque partibus interrogabatur. At in ambitu artium continebatur non modò Medicina, vt ante docuimus, ſed & Theologia. Idque clarè Alcuinus docet in Dialogo de Dialectica, vbi cum Carolo M. colloquitur. Sic enim definit Philoſophiam. *Philoſophia eſt naturarum inquiſitio, rerũ humanarũ diuinarũq; cognitio: quantum homini poſſibile eſt æſtimare.* Et poſtquam Philoſophiam diuiſit in tres partes, Phyſicam, Ethicam, Logicam, ſingularumque obiecta definiuit, ſubiungit *in his generibus tribus Philoſophiæ etiam* eloquia Diuina *conſiſtere*. Nam, inquit, aut de natura diſputare ſolent (Philoſophi) vt in Geneſi & in Eccleſiaſten: aut de moribus, vt in Prouerbiis & in omnibus ſparſim libris; aut de Logica, pro qua noſtri Theologicam *ſibi vindicant, vt in Cantico Canticorum & ſancto Euangelio.* Definit vero Theologicam hoc pacto. Theologica (ars) eſt *quæ latinè* inſpectiua *dicitur qua ſupergreſſi viſibilia de Diuinis & Cæleſtibus aliquid mente ſolum contemplamur. Nam in has quoque duas partes Philoſophia vera diuiditur, id. Inſpectiuam & actualem.*

Igitur qui Gradum Magiſterii conſecuti erant in artibus, cum ad eum conſequendum neceſſe eſſet de ſingulis partibus reſpondere, in quarum numero continebantur Medicina & Theologia, non alio gradu indigebant, vt aut Medicinam aut Theologiam docerent.

Idque videtur indicare idem Alcuinus Dial. de Grammatica, vbi de ordine diſciplinarum agens ſeptem Gradus cõſtituit iuxta numerum 7. artium Liberalium, **quibus octauum adiicit Theologiam: quam ſæpe idem Magiſter cum Philoſophia tradebat.** Sic ergo Diſcipulus ad Magiſtrum. *Si Plato* amore ſecularis ſapientiæ flagrans, cœleſtis verò quæ ad vitam ducit perpetuam ignarus, ſic ardenter Magiſtrum *(Diogenem)* ſequi perſiſtebat; quanto magis nos tua, Magiſter, ingredientem vel egredientem veſtigia ſequi debemus, qui non ſolum *litterario nos Liberalium Studiorum itinere* ducere noſti, ſed etiam meliore Sophiæ via, quæ ad vitam ducit æternam.... poteris? *Et infra.* Quos toties promiſiſti ſeptenos Theoraſticæ diſciplinæ Gradus nobis oſtende. M. Sunt igitur Gradus quos quæritis, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, Muſica & Aſtrologia. Per hos enim Philoſophi ſua contriuerunt otia atque negotia. Iis namque conſimilibus clariores effecti, iis Regibus celebriores, iis videlicet æternâ memoriâ laudabiles: iis quoque ſancti & Catholici noſtræ fidei Doctores & defenſores omnibus hæreſiarchis in contentionibus publicis ſemper ſuperiores extiterunt. Per has verò, filij Chariſſimi, ſemitas veſtra quotidie currat adoleſcẽtia, donec perfectior ætas & animus ſenſu robuſtior ad culmina ſanctarum ſcripturarum perueniat. Quatenus hinc inde armati veræ fidei defenſores & veritatis ad-

ſertores omnimodis inuincibiles efficiamini.

Sœpe igitur idem Magiſter Artes Liberales, Medicinam aut Theologiam profitebatur. Idque Alcuinus præſtitit: id Anſelmus Laudunenſis, Guillel. Campellenſis, Petrus Abaëlardus & alii apud Saresberienſem: legimus quoque nonnullos ab Artium profeſſione ad profeſſionem Medicinæ, & ab hac ad Theologiæ quoque profeſſionem ſe contuliſſe; nec alio certè gradu indigebant quàm eo, quem in artibus conſecuti fuerant. Vnde quæ litteræ Magiſterii teſtimoniales tum expediebantur, nomine Rectoris & Vniuerſitatis expediebantur. Quod etiam noſtris temporibus ex veteri conſuetudine obſeruatur.

At quia circa Lombardi tempora, antiqua tradendæ Theologiæ methodus nimis ſimplex videri cœpit, & additæ ſunt Quæſtiones variæ Quæſtionumq; ambages: iis enodandis & explanandis iam non qualiſcunque labor ſufficere viſus eſt, ſed accuratiſſimum & immenſum adhibere oportuit. Quod vt commodius fieret, ad inſtar 3. Graduum in Artibus inſtitutorum, inſtituti ſunt pariter Gradus in Theologia & ſimiliter in aliis Facultatibus, Medicinæ ſcilicet & Iuris Canonici. Quandonam autem præcisè id obſeruari & in vſu eſſe cœperit, vix dici poteſt.

Certè licet Abaëlardus, Gilbertus Porretanus, Lombardus & Pictauinus huic ceinſtitutioni videantur occaſionem dediſſe; non exiſtimo tamen id factum aut vſurpatum vllatenus eorum temporibus. 1. quidem, quia ne veſtigium quidem illius rei apparet. 2. quia toto illo ſeculo inter veteres Theologos & nouos iſtos Scholaſticos perpetua fuit altercatio, in qua licet Scholaſtici ſubtilis ingenii famam obtinerent, non carebant tamen ſuſpicione hæreſeos. Hinc Innocentius II. & Eccleſia Gallicana in Concilio Senonenſi an. 1140. Eugenius III. in Remenſi an. 1146. Alexander III. in Conciliis duobus Turonenſi an. 1163. & Lateranenſi an. 1179. item datis ad Guillielmum Senonenſem litteris doctrinam illorum improbarunt. Vnde probabiliter infero, nec Pontifices illos, nec Guillielmum Senonenſem qui primas in Regni adminiſtratione partes obtinuit ab an. circiter 1170. ad an. 1200. & amplius, non denique veteres Theologos paſſuros fuiſſe Gradus illos in Theologia Scholaſtica inſtitui, quæ tam ſuſpecta erat & à tam multis improbata, imo quæ tandem abiit in varias hæreſes tam ab ipſa Vniuerſitate quàm ab Eccleſia Catholica in Concilio generali Lateranenſi damnatas.

Initio ſequentis ſeculi nihil quoque eiuſmodi inſtitutum legimus. Reuera Vniuerſitas noua quædam ſtatuta circa ſtudiorum rationem condidit: cui rei cum obſtitiſſet Cancellarius Pariſienſis, arbitratus non poſſe abſque authoritate Apoſtolica vel Epiſcopali, cauſâ tandem cecidit, iuſque Vniuerſitatis à Roberto Legato Pontificio Honorio III. & Gregorio IX confirmatum eſt. Denique Gregorius Bulla an. 1231. Ordinationes eiuſmodi circa Baccalarios, Licentiatos & Magiſtros in ſingulis facultatibus probauit his verbis. *Caterum quia vbi non eſt ordo facile repit error, conſtitutiones ſeu ordinationes prouidas faciendi; de modo & hora legendi & diſputandi; de habitu ordinato, de mortuorum exequiis, nec non de Baccalariis, qui & qua & hora & quid legere debeant, vobis concedimus facultatem.* Hinc exiſtimat Morellus circa ea tempora. *Gradus fuiſſe introductos Baccalaureorum Licentiatorum & Doctorum ſiue Magiſtrorum.* & Renatus Choppinus l. 3. de ſacra politia hanc Bullam referens ad marginem præfigit hæc verba. *Apoſtolicum diploma de forma & modo decorandi* Academicis Gradibus ſcholaſtici. Poſt quæ tempora cœpit frequentior fieri mentio Baccalariorum Licentiatorum & Magiſtrorum tam in Theologia quàm in cæteris Facultatibus.

Quæret aliquis quæ eſſet inter Licentiæ & Magiſterij Gradus differentia: ſiquidem obtentâ licentiâ quilibet docere poterat, nec amplius quid habebat obtento Magiſterio. De docendi poteſtate ſic eſt accipiendum in materia Graduum ſcholaſticorum. 1. Quiſquis ad Magiſterium tendebat poſt certum tempus in artibus de triuio poſitum, ad determinandum admitebatur, ſi in priuato examine à Magiſtris repertus fuiſſet idoneus. Determinabat autem publicè vt ante dictum eſt, non ſemel ſed pluries, toto vt plurimum Quadrageſimali tempore; & ſi ſatisfeciſſet Gradum Baccalarii ſeu Bachelarii conſequebatur. Iſte autem Gradus tribus prærogatiuis gaudebat, geſtandæ cappæ rotundæ, Miſſas Nationales frequentandi, & *incipiendi in Artibus*. Poterat ergo, imò tenebatur Baccalarius publicè docere eas artes quas determinauerat, eo fine vt probatâ diligentiâ & capacitate

tate in numerum Candidatorum Licentiæ adſcriberetur. Quod vt commodius præſtare poſſent, plerique ſe Magiſtris addicebant eorumque in ſcholis certis horis lectiones aut Quæſtiones aliquas tironibus explicabant. Et tales dicebantur *Archi-ſcholares*; de quibus ſic Pſeudo-Boëtius lib. de diſcipl. Schol. c. 6. *Si quis vero horum diſcipulorum ſagacitate oblectauerit*, Archiſcholari *coniungendus eſt, vt vel eis recordationis ſeriem fideliter imprimat, vel exarandi diligentiam commendet. Magnum ſiquidem ex his vtilitatis fomentum colligitur.*

Cuius loci ſenſum talem eſſe ſcribit Commentator, vt ſi ſcholares non planè intelligunt Quæſtiones in medium adductas per Magiſtros, quibus tamen delectentur, iungantur & ſocientur *Archiſcholari*, id. *Baccalario*, inquit, qui eis fideliter imprimat ſenſum & intelligentiam earundem. Alio loco eiuſmodi *Archiſcholares* vocat *Subminiſtrantes* quibus non omnino vult confidi. *Subminiſtrantium cra non ſemper eſt confidendum, quoniam illorum cupiditas fractis aſſibus plerunque permollitur.*

Poſt aliquod tempus in eo conſumptum exercitio (quo tempore nihilominus ceteras artes liberales quas de Quadriuio appellabant, à Magiſtris accipiebat) ſi reperiretur idoneus, ad petitionem 2. Gradus, ſeu inter Licentiæ Candidatos admittebatur. Toto autem Licentiæ tempore ſcholas Magiſtrorum obambulabat, diſputabat, actus ſcholaſticos frequentabat, publicè & priuatim docebat: vt ante diximus. Magiſtrorum vices propoſſe obibat, habebatque præterea priuatos ſcholares, quibus docendis aſſueſcebat Idque plurimum proderat ad profectum. Sic enim præcipit idem author cap. 5. *Vt quoſdam habeat quos ſecretè doceat, libroſque legat aliſque rudimenta informet, vt ſic intellecta ſciat, ſcitaque exprimere diſcat & expreſſione frequenti vſum comparet.* Sic Saresbericenſis ait l. 2. Metal. c. 10. ſe prima Logices elementa docuiſſe willielmum Sueſſionenſem, & M. Adamo Angligenæ ſubminiſtraſſe. *Interim Willielmum Sueſſionenſem prima Logices docui elementa, & tamdiu eam dicto Præceptori* (Adam) *appoſui.*

LICENTIÆ GRADVS

Porro tota iſta exercitatio Candidatorum ſub oculis fiebat Magiſtrorum, vt corrigerent ipſi, ſiquid eſſet corrigendum: peracto verò Licentiæ tempore eos præſentabant Cancellario viro Eccleſiaſtico: ſeu quod idem eſt litteris teſtimonialibus munitos mittebant ad Cancellarium quaſi rude donandos, ſi ea digni iudicarentur. Quamobrem vero iſtud? quia tunc agebatur de miſſione Candidatorum ſeu de poteſtate illis concedenda, vt ipſi per ſe abſque Magiſtro docere poſſent. Intererat autem Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ noſſe homines quibus docendi munus impertiretur: vnde etiamnum hodie prodere tenentur ex veteri inſtituto nomen, Patriam, Profeſſorem & Religionem. Eos vero Cancellarius authoritate Apoſtolica cum benedictione licentiabat, ſeu docendi Pariſius & vbique terrarum poteſtatem iis impertiebatur: quo facto, quibuſque finibus circumſcripta deſinebat Cancellarii poteſtas. talis erat Licentiæ Gradus.

MAGISTERII GRADVS

Ita autem Licentiati redibant ad Magiſtros quiſque ſuos, & perſoluto certo iure quod *Birretationis* appellabant, ab iis accipiebant Inſignia Magiſtralia & præcipuè *Pileum* ſeu *Birretum*: cuius formam alibi fortè deſcribemus. Fiebat autem id **publicè ſeu in publico conuentu, & celebritas iſta paranymphicâ laudatione gratiarumque actione claudebatur & conuiuio.** Et talis erat Gradus Magiſterii. Quo Gradu Magiſter nouus conſequebatur ius cooptationis in conſortium Electorum Magiſtrorum Pariſienſium & participationis priuilegiorum.

Ex his igitur euidenter intelligitur Licentiæ collationem quoad poteſtatem liberam docendi publicè pendere à ſummo Pontifice vel ab Epiſcopo, aut à Cancellario nomine Apoſtolico: Magiſterii verò collationem ab Vniuerſitate, vt pote quia conſiſtit ſolummodo in Magiſtralium inſignium impertitione & in iure conſortii: quæ ſunt omnino inſtituti Academici, & ex policia ſeu adminiſtratione ſcholæ pendent.

Vnde cum poſt ſeceſſionem an. 1229. Cancellarius Pariſienſis Dominicanis ab Vniuerſitate non præſentatis docendi licentiâ contra morem & leges impertiſſet, eâ verò reuerſâ petiiſſent ipſi cooptari & in conſortium cum ſecularibus admitti, reſtitit illa fortiter, nec licet 40. tonitruum Vaticanorum fulminibus territa adduci potuit vt admitteret. Aiebat enim ſocietatem, ac proinde cooptationem & conſociationem rem eſſe liberam, nec tantũ iuris à Deo Pontifici datum, vt poſſet in-

uitam cogere ad recipiendos homines inſtitutis ſuis aduerſantes. Quod diſſidium quomodo definitum ſit, alibi docebimus.

DISSERTATIO VIII.

DE MORIBVS MAGISTRORVM ET Scholaſticorum.

DE pietate & virtutibus Magiſtrorum Pariſienſium dubitare non poteſt, qui attenderit ex eorum numero prodiſſe ſummos Pontifices, Cardinales meritis conſpicuos, Archiepiſcopos & Epiſcopos integritate vitæ commendabiles, Abbates & Monachos Regularis vitæ profeſſione ſanctiſſimos, Sacerdotes denique omnis Gradus & Ordinis perilluſtres. Veruntamen, quod malũ erat ſeculi, multi aut auaritia aut ambitione ducebantur, variiſque viis & modis ſuam quiſque fortunam fabricare ſatagebant. De Artiſtis hæc ſcribit Ioannes Saresberienſis l. 7. de Nugis Curial. c. 15. *Quis philoſophatur vt ſapiat?* Nam vt rebus abundent, aut temporaliter floreant, videbis multos, etſi non philoſophantur, tamen Philoſophos imitari. Cæterum facilius eſt, vt Diuitiæ philoſophantem impediant, quàm vt Philoſophiæ quippiam conferant. Deo enim & Mammonæ fideliter non ſeruitur. Ne verearis vt quis Patriam deſerat, vt paupertatem ſpontaneam amplectatur, vt ſtudio vacet. Nam Philoſophia ipſa labor videtur inutilis, niſi fructus opulentiæ conſequatur. Alios vt ſciant, curioſitas excitat. Alios vt ſcire videantur, elationis ſtimulo vanitas vrget. Alios ad quæſtum peſtifera cupiditas inflammat. Rarus eſt qui charitatis aut humilitatis pede ſapientiæ vias ſcrutetur, vt doceatur aut doceat. Nam ad immunda voluptatis aut vanæ vtilitatis ineptias omnia referuntur.

Magiſtrorum vero in Theologia vanitatem & ſuperbiam exaggerat Vitriacus, Hiſtoriæ Occidental. c. 7. *Vt autem*, inquit, *de Logicis taceamus*, circa quorum oculos Ægypti Cinyphes volitabant, ideſt ſophiſticæ ſubtilitates, itaut non poſſet intelligi diſertitudo linguæ eorum, in qua, vt dicit Iſaias, nulla ſapientia, Theologiæ Doctores ſupra Cathedram Moyſi ſedentes ſcientia inflabat, quos Charitas non ædificabat. Docentes enim & non facientes facti ſunt velut æs ſonans & cymbalum tinniens, & velut canale lapideum, quod ſiccum in ſe remanens mittit aquas ad areas aromatum. Non ſolum autem ſibi inuidebant & Scholares aliorum blandiciis attrahebant gloriam propriam quærentes, de fructu autem animarum non curantes, ſed illud Apoſtolicum auribus non ſurdis attendentes: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, Præbendas ſibi multiplicabant & venabantur dignitates, cum tamen ipſi non tam opus quàm præminentiam affectarent, appetentes primas ſalutationes in foro, primas cathedras in ſynagogis & primos recubitus in conuiuiis. Cum autem dicat Iacobus Apoſtolus, Nolite plures Magiſtri fieri fratres mei, tot Magiſtri fieri feſtinabant, quòd plerique eorum non niſi prece vel pretio ſcholares habere valebant. Securius autem eſt audire quàm docere. Et melior eſt humilis auditor quàm inſufficiens & præſumptuoſus Doctor. Paucos tamen inter eos Dominus ſibi reliquerat viros honeſtos & timoratos, qui in via peccatorum non ſteterunt & in Cathedra peſtilentiæ non ſederunt.

Ex verbis Vitriaci intelligimus ſub finem huius 4. Seculi innumerabilem fuiſſe Theologorum multitudinem, adeout neceſſe fuerit eorum numerum coercere & reſtringere. Contigit enim vt varij in varias ſententias & ſectas abirent, & ſingulæ ſectæ ſectarios quàm multos poſſent, colligerent. Vnde ortæ ſunt hæreſes & tumultus, quibus non modo Vniuerſitas, ſed ipſa quoque Religio Chriſtiana vehementer turbata eſt. Itaque Innocentius III. Pontifex Max. rectè iudicans difficile eſſe inter tot homines eiuſdem profeſſionis non reperiri multos imperitos & ſuarum inuentionum ac ſubtilitatum nimis tenaces, præſertim cum experientiâ

ipſâ didiciſſet Amalricanam hæreſim inde profectam, vetuit ne plures octo Pariſiis Theologiam profiterentur: vt ad an. 1207 referemus.

Agnitum eſt quoque prædictas ſectas,& ſchiſmata ex tranſgreſſione & neglectu ſtatuti Academici ad Magiſtrandorum ætatem pertinentis profluxiſſe. Nam ſingulis profeſſionibus certa erat ætas aſſignata,citra quam non licebat eas exercere;etiamſi quis ſapientia ætatis annos præueriteret, vt docet Robertus de Meliduno in Tractatu de Incarnatione. *Hoc fecit*, inquit, *ad noſtram præſumptionem reprimendam, ne ante ætatem aptam doctrinæ, licet ſcientiam habeamus, Doctoris Cathedram aſcendamus.* Quæ autem erat illa ætas? in Artiſtis 21. an. in Theologis 35. citra quos non licebat antiquitus è Cathedra docere.

Queritur Ioannes Hautiuillenſis l. 5. c. 3. de praua conſuetudine ſui temporis, quâ impuberibus quodammodo adoleſcentibus Magiſterium concedebatur; vnde accidebat vilitas profeſſionis & Gradus, inſania & imperitia; vt ante retulimus. Sed qui fuerint Scholaſticorum mores, iam expendamus.

Difficile eſt in vrbe delicijs affluente eſſe temperantem & in luxurioſa conti- *Scholarium Mores.*
nentem. Ea autem fama iamdiu laborat Lutetia, quod omnium voluptatum deципula ſit. Vnde Petrus Cellenſis l. 4. Ep. 10. quendam Clericum ſeu ſcholarem ſapienter admonet his verbis, quid ſit Lutetia. *Satis amœnum delegiſti*, mi cariſſime, *locum vbi ſuperabundant gaudia licet vana; vbi exuberat pluſquam in patria panis & vini copia: vbi amicorum frequens affluentia, vbi ſociorum non vana contubernia. Quis præterea alius ſub cœlo Pariſius non exiſtimauit locum deliciarum, hortum plantationum, agrum primitiarum? Ridendo tamen verum dixiſti, quia vbi maior & amplior voluptas corporum, ibi verum exilium animarum, & vbi regnat luxuria, ibi miſerabiliter ancillatur & affligitur anima.* O Pariſius *quàm idonea es ad capiendas & decipiendas animas! In te retinacula vitiorum, in te malorum decipula: in te ſagitta inferni tranſfigit inſipientium corda.*

Difficile, inquam, eſt inter tot illectamenta nequitiæ ſeruare continentiam. Et tamen, quod vix quiſquam ſibi de Iuuentute perſuadeat, cum exeunte hoc ſeculo innumeræ meretrices quæſtum facerent Pariſiis adeo impudenter, vt etiam prætereuntes ad lupanar inuitarent, vix vllos ſcholares capiebant, niſi inuitos. Quod ſatis clarè ſignificat Iacobus de Vitriaco qui ſub finem huius ſeculi Lutetiæ ſtudebat, dum ſic ait Cap. 7. Hiſtoriæ Occidentalis, vbi de ſtatu Pariſienſis Ciuitatis. *Ipſa velut fons hortorum & puteus aquarum viuentium irrigat vniuerſæ terræ ſuperficiem, partem delicatum & delicias præbens Regibus & vniuerſo Dei Eccleſiæ ſuper mel & fauum vbera dulciora propinans. Tunc autem amplius in Clero quàm in alio populo diſſoluta tamquam capra ſcabioſa & ouis morbida pernicioſo exemplo multos hoſpites ſuos vndique ad eam affluentes corrumpebat, habitatores ſuos deuorans & in profundum demergens, ſimplicem fornicationem nullum peccatum reputabat. Meretrices publicæ vbique per vicos & plateas Ciuitatis paſſim ad Lupanaria ſua Clericos tranſeuntes quaſi per violentiam pertrahebant. Quod ſi forte ingredi recuſarent, confeſtim eos Sodomitas, poſt ipſos conclamantes dicebant. In vna autẽ & eadẽ Domo Scholæ erant ſuperius, proſtibula inferius. In parte ſuperiori Magiſtri legebant,* in inferiori Meretrices officia turpitudinis exercebant. **Ex vna parte meretrices inter ſe & cum Cenonibus litigabant: ex alia** " parte diſputantes & contentioſè agentes Clerici proclamabant. Quanto au- " tem magis ſuperfluì & in expenſis prodigi ſua turpius expendebant, tantò com- " mendabantur amplius, & fere ab omnibus probi acliberales dicebantur. Si qui " autem ſecundum Apoſtolicum mandatum ſobriè, iuſtè & piè inter illos viuere " voluiſſẽt, auari& miſeri hypocritæ ac ſuperſtitioſi confeſtim ab impudicis &mol- " libus iudicabantur. Omnes enim fere Pariſienſes Scholares aduenæ & hoſpites " ad nihil aliud vacabant niſi aut diſcere aut audire aliquid noui. Alii addiſcentes " tantùm vt ſcirent, quod eſt curioſitas. Alii vt ſcirentur, quod eſt vanitas. Alii vt " lucrarentur, quod eſt cupiditas & ſimoniæ prauitas. Pauci autem addiſcebant, vt " ædificarentur vel ædificarent. "

De hiſce Meretricibus deque earum conuerſione per Fulconem Neulliacum diximus ad an. 1198. & ibidem locum retulimus Othonis de S. Blaſio aientis Scholares Pariſienſes ad ædificationem Monaſterij San-Antoniani in Suburbio vltro contribuiſſe 250. libras; nempe vt Meretrices illæ quarum importunis illiciis capti fuerant aut capi reformidabant, illic includerentur. Rigordus earun-

dem inſolentiam breuiter notat: quarum alias à Fulcone ait fuiſſe ad coniugium inductas, alias ad cœnobialem vitam, alias ad pœnitentiam & peregrinationem. „ *Mulieres etiam in proſtibulis manentes*, inquit, *& omnibus tranſeuntibus ſine delectu* „ perſonæ pro vili pretio & ſine rubore ſe exponentes ad continen iam coniugalem „ prouocauit Fulco. Aliæ verò coniugium reſpuentes & ſoli Deo deuotè ſeruire „ cupientes, ſumpto regulari habitu in noua Abbatia S. Antonii Pariſius, quæ cau- „ ſâ illarum eo tempore fundata fuit, collocatæ ſunt. Aliæ verò diuerſis peregrina- „ tionibus & laboribus nudis pedibus incedentes ſe expoſuerunt.

Notat inſuper idem Iacobus de Vitriaco loco ſupra citato Scholaſticos ob diuerſas Magiſtrorum ſuorum ſectas, quæ his temporibus ardebant maximè, ratione quoque diuerſarum regionum vnde oriundi venerant, ſæpè tumultus & ſedi- „ tiones excitaſſe. Rem ſic narrat. *Non ſolum* autem ratione diuerſarum ſectarum „ vel occaſione diſputationum ſibi inuicem aduerſantes contradicebant (*Scholaſti-* „ *ci*) ſed pro diuerſitate Regionum mutuò diffidentes, inuidentes & detrahentes, „ multas contra ſe contumelias & opprobria impudenter proferebant. *Anglicos* po- „ tatores & caudatores affirmantes. *Francigenas* ſuperbos & molles & muliebriter „ compoſitos aſſerentes. *Teutonicos* furibundos & in conuiuiis ſuis obſcœnos di- „ cebant. *Normanos* autem inanes & glorioſos. *Pictauos* proditores & fortunæ ami- „ cos. Hos autem, *qui de Burgundia* erant, brutos & ſtultos reputabant. *Britones* „ autem leues & vagos iudicantes, Arturi mortem frequenter eis obiiciebant. „ *Lombardos* auaros, malicioſos & imbelles. *Romanos* ſeditioſos, violentos & ma- „ nus rodentes. *Siculos* tyrannos & crudeles. *Brabantios* viros ſanguinum, incen- „ diarios, Rutarios & Raptores. *Flandrienſes* ſuperfluos, prodigos & comeſſationi- „ bus deditos & more butyri molles & remiſſos appellabant. Et propter huiuſmodi „ conuicia de verbis frequenter ad verbera procedebant.

Huiuſce diſſidii occaſione vult Ioannes Fileſacus factam fuiſſe Nationum 4. in Academia Pariſienſi diuiſionem, vt ante retulimus. Verum cum nullum authorem coæuum huiuſce diuiſionis teſtem aſſignet, ipſaque temporum hiſtoria repugnet, credibilius eſt hanc Nationum diuiſionem primæuam eſſe & cum Academia natam eò modo quo diximus 1. Tom. p. 250 & ad an. 913. p. 297. Et certè Vitriacus duas primæuas primo loco nominat: deinde Normanicam, poſtremo Picardicam cum de Brabantiis & Flandrenſibus agit qui ſub Picardica continentur. Nec refert quod alias quoque Prouincias interſerat, ad Anglicanam & Gallicanam pertinentes: quippe ita interſerendo ſatis innuit non modo inter ipſas Nationes interceſſiſſe diſſidium, ſed etiam inter ipſas Nationum Prouincias. Sed hac de re alibi iam ſæpe.

Ad mores perinet ingens ſciendi deſiderium; quo ducti contemptis ſoli natalis & Patriæ deliciis è tam longinquis nationibus peregrè veniebant, laboribus innumeris periculiſque ſe ſe exponentes, malebantque Pariſiis frugaliter, immò parciſſimè viuere dum litteris animum excolerent, quàm in Patria voluptati bus inſeruire, quæ inuentutem oblectant & inescant. Architrenius toto fere l. 3. fusè agit de miſeriis Scholaſticorum & Magiſtrorum Pariſienſium in victu, veſtitu, indigentia rerum familiarium & præcipuè cibi, & cubilium, aliaq; quæ ad rem ſcholaſticam pertinent, proſequitur. Nec erit abs re tranſcribere, vt inde ſtatus agnoſcatur, qualis fuit hiſce temporibus. Sic ergo ille c. 1. cui præponit hunc titulum. *De miſeriis Scholaſticorum Architrenii.*

Diis minor at paulo plebes Phœbea, ſecundos
Vix metit euentus, quidquid ferat vndique torti
Vapulat aduerſis gemit Architrenius agmen,
Palladis, à miſeris vix reſpirare, beatos
Pectore & ore ſophos fato pulſante flagello
Aſperiore premi, nullâ virtute fauori
Diuitis adnecti, ſtudio ſuadente malorum.
Continuare dies ſenium prohibentibus annis
Præcipitare malis, pubiſque vrgere ſenectæ
Damna rudimentis, dum vitæ abrumpit egeſtas
Gaudia, dum tenuem victum fortuna miniſtrat
Admodicum torpente manu, ruit omnis in illos

Omnibus aduerſis. Vacui furit aſpera ventris
Incola longa fames, formæ populatur honorem,
Exhauritque genas; macies pallore, remittit
Quam dederat Natura niuem, ferrugine texit
Liuentes oculos, facula ſplendoris aduſta
Extinxit faciem, marcent excuſſa genarum
Lilia, labrorumque roſæ collique pruina
Deiicitur liuore luti.....
Non coluiſſe comam ſtudio delectat arantis
Pectinis errantique viam monſtraſſe capillo.
Languenti ſtomacho, nitidi non ſurgit egeſtas
Cultus delicias, diſſuada libidinis, odit
Pectoris arce coli, formæ contenta venuſto
Quod Natura dedit, maior depellere pugna
Sollicitudo famem, grauiorem gentis erynnin
Quæ Tartareo bibens animo bibit ebria Phœbum.

Cap. 3. agit de tenuitate veſtitus Item. c. 4. de indigentia rerum familiarium, & præcipuè cibi.

Parua domus, res ipſa minor contraxit vtrumque
Immenſus tractuſque diu ſub Pallade feruor,
Et Logicæ iocundus amor, tenuiſque laboris
Emeriti merces, & quæ de more Sophiſtas
(Miror quâ inuidiâ fati) comitatur egeſtas.
Pauperies eſt tota Domus, diſſueſcit ad illos
Vbertas veniſſe Lares, nec viſitat ægrum
Copia Parnaſſum, ſublimior aduolat aulas
His ignota caſis, vbi pauca vetuſque ſupellex.
Languida ſordet anus. Admoto immurmurat igni
Vrceolus quo piſa natant: quo cæpe vagatur,
Quo faba, quo perrus capiti tormenta minatur.
Quo rigidum palleſcit olus, quo fercula feſto
Ad triplices libanda dies, quo vilior horti
Ieiunam exſpectat quæuis farrago Mineruam.
Hîc vnde aſſiduo conflictu litigat vnda,
Hîc coxiſſe dapes eſt condiuiſſe, libido
Menſæ nulla venit, niſi quæ ſale ſparſa rigorem
Eſca parum flectit, ſolo fit amicior vſu
Cænula luctanti, minus oblucta palato.
Maior in anguſtis, ſi accedat copia menſæ
Gloria, ſolennis aries truncatur, & ollæ
Maiori minor vnda datur: ſic omnis acerbæ
Aſperitas manſueſcit aquæ. Mox carnibus eſis
Suppleat hauſta cibum panemque abſorbeat atrum
Arida dum pleno ſuperet ſtructura catino.

Prætereo plura referre quæ legi poſſunt apud Authorem toto libro laudato. c. 5. agit de vilitate Seruientium. 6. de Cubilium ſeu ſtratorum ſcholaſticorum vilitate. 7. de ſtudio eorum nocturno, aſſiduitate & diligentia. 8. deſcribit 7. Artes liberales quibus addiſcendis inſudat & incumbit. 9. agit de ſopore & ſtudio nocturno fatigatorum. 10. de ſomniis quibus vexantur. 11. deſcribit præparationem ad ſcholam proficiſcentium: & in reliquis capitibus ſtatum eorum coram Magiſtris.

DISSERTATIO IX.

DE MORIBVS ECCLESIASTICORVM.

NEgari non poteſt quin hoc ſeculum plurimos tulerit in omni Gradu Eccleſiaſt. ordinis viros inſignes. De Pontificibus Romanis dictum eſt paſſim, quorum multi huius Vniuerſitatis alumni fuerunt. Multi quoque Cardinales litteris & moribus conſpicui extiterunt, & inter alios hi præſertim; Hugo de Folieto Gallus, multiplici eruditione præditus; Robertus Pollenus Anglus, huius Academiæ Profeſſor olim nominatiſſimus, & Oxonienſis Inſtaurator, Willielmus Papienſis, M. Petrus Cardinalis S. Chryſogoni, M. Melior, ad quem extant quædam Epiſtolæ Stephani Tornacenſis; M. Viuianus, Galfridus Monomutenſis, Herebertus ſeu Hubertus de Bosham Anglus, Thomæ Cantuarienſis ab Epiſtolis. Henricus ex Abbate Clareuallenſi Cardinalis S. Albani, Petrus Capuanus; Centius Sabellus, qui poſtea Honorius III. dictus eſt.

Cæteros Prælatos commemorare immenſi eſſet operis, tanto enim numero ſunt, vt iniri non poſſit. Sed inter omnes Vniuerſitatis Pariſienſis dignitatem & honorem tres maximè amplificarunt, qui in Regni adminiſtratione primas partes tenuerunt, Ioſlenus Sueſſionenſis ſub Ludouico Craſſo poſt Stephanum de Garlanda; Hugo de Campo-Florido poſt Ioſlenum etiam Sueſſionenſis Epiſcopus Regnique Cancellarius ſub Ludouico VII. & Guillielmus Remenſis ſub Philippo Auguſto: de quibus in Catalogo fuſius.

His Rectoribus & adminiſtratoribus Eccleſia licet variis quaſſata turbinibus, & tam ab Imperatoribus quàm à ſchiſmaticis, Antipapis & Hæreticis agitata mores retinuit ſatis laudabiles, Clericalemque tandem reſtituit continentiam. At eius diſciplina in tribus potiſſimum elanguit: nempe in appellationibus, in Simonia & in multiplicitate Beneficiorum.

Appellationis quidem remedium iuſtum ſemper eſſe viſum eſt & legitimum: quippe ipſà neceſſitate prouiſum & introductum ad ſubleuationem oppreſſorum, fructuſque plurimos tulit quandiu cum iuſto moderamine coniunctum fuit. At proceſſu temporis non oppreſſi tantùm, ſed oppreſſores etiam ipſi eo vſi ſunt. Hinc ambitio, hinc Curiæ Rom. Forum litibus redundauit: maximè verò poſt inſtitutam ab Eugenio Iuris Canonici diſciplinam. Qua de re queritur Bernardus Clare-Vallenſis ad Eugenium l. 3. de Conſid. c. 1. *An non limina Apoſtolorum plus iam ambitio quàm deuotio terit? An non vocibus eius veſtrum totâ die reſultat Palatium? An non quæſtibus eius tota legum Canonumque diſciplina inſudat? An non ſpoliis eius omnis Italica inhiat inexplebili auiditate rapacitas?* **Ioannes Sareſberienſis lib. 6. de Nu**gis Curial. c. 24. de eadem Curia ſic ſcribit ex fama communi. *Romana Eccleſia quæ* „ *mater omnium Eccleſiarum eſt*, ſe non tam matrem exhibet aliis quàm nouercam. „ Sedent in ea Scribæ & Phariſæi ponentes onera importabilia in humeris homi„ num quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec forma fiunt gregi, „ qui recto calle pergit ad vitam, pretioſam ſupellectilem congerunt, auro & ar„ gento onerant menſas, ſibi etiam ab auaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus „ aut rarus admittitur, quem interdùm non tam Chriſtus quàm vana gloria intro„ ducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt Clerum & populum, la„ boribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur „ ſpoliis & quæſtum omnem reputant pietatem. Iuſtitiam non tam veritati quàm „ pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio „ obtinebis.

Idem tamen eodem cap. nonnullorum exempla profert in Curia Rom. conuerſantium & à muneribus abſtinentiſſimorum. *Vnum audacter conſcientia teſte profiteor,* „ quia nuſquam honeſtiores Clericos vidi quàm in Eccleſia Rom. aut qui magis

auaritiam deteſtentur. Quis Bernardi Redonenſis SS. Coſmæ & Damiani Diaconi Cardinalis continentiam contemptumque pecuniæ non miretur? Nondum natus eſt, à quo munus acceperit. Quis non ſtupeat Epiſcopum Preneſtinum, qui ſcrupulum conſcientiæ metuens & à participatione bonorum communium abſtinebat? Plurium tanta modeſtia, tanta grauitas eſt vt Fabricio non inueniantur inferiores, quem agnitâ ſalutis viâ modis omnibus antecedunt.

Ab eodem diſcimus Eugenium Pontificem & Eugenii exemplo multos ſimiliter à capiendis muneribus ſe continuiſſe: ſic enim l. 5. c. 15. Amplectendæ memoriæ & imitandæ ſanctitatis ſummus Pontifex Eugenius quem vidiſti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Vnde cum in aduentu ſuo Prior quidam modicæ facultatis, cuius cauſam nondum audierat, ei marcam auri deuotione multa offerret, *Nondum*, inquit, *domum ingreſſus es & munus corrumpere Dominum*? Corruptionem namque vir ſanctus credidit, quidquid offerebatur Iudici lite pendente. Bernardus Clareuallenſis Monachus & SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis Romæ degens in excelſis ſingulariter habitauit, excutiens manus ſuas ab omni munere, vt nondum natus ſit, cuius aurum vel argentum in munus acceperit.

Verum vt ad appellationes redeamus, & ad mala quæ importabant, ſi moderamine carerent, multa habet præclara Bernardus Clareuallenſis l. citato, c. 2. De iis quoque ſæpe conqueſti ſunt plurimi graues viri, Prælati, Magnates & Reges, quod nempe in minimis etiam cauſis Romanum forum appellaretur, & quod non adire nefas eſſet; ſic verò pauperes opprimerentur à potentioribus, omnis ordo Eccleſiaſticus turbaretur, Regnorum leges confunderentur. Quamobrem vt earum modus eſſet aliquis, in Concilio Lateranenſi ab Alexandro III. habito an. 1179. Canon 13. editus eſt his verbis.

Reprehenſibilis valde conſuetudo in quibuſdam partibus inoleuit, vt cum fratres & Coepiſcopi noſtri ſeu etiam Archidiaconi appellaturos quoſdam exiſtimant in cauſis ſuis, nullâ penitus admonitione præmiſſâ ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam in eos ferunt. Alii etiam dum ſuperioris ſententiam & diſciplinam Canonicam reformidant, ſine vllo grauamine appellationem obiiciunt, & ad defenſionem iniquitatis vſurpant quod ad præſidium innocentium dinoſcitur inſtitutum. Quocirca ne vel Prælati ſine cauſa valeant grauare ſubditos, vel ſubditi pro ſola voluntate ſub appellationis obtentu correctionem valeant eludere Prælatorum, præſenti Decreto ſtatuimus, vt nec Prælati niſi Canonicâ ammonitione præmiſſâ ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubditos, niſi talis ſit culpa quæ ipſo genere ſuo excommunicationis pœnam inducat: nec ſubditi contra Eccleſiaſticam diſciplinam ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis erumpant. Si verò Quidam pro neceſſitate ſua crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationẽ terminus præfigatur, infra quem ſi forte proſequi neglexerit, liberè tunc Epiſcopus authoritate ſua vtatur. Si verò in quocunque negotio aliquis appellauerit, & eo qui appellatus fuerit, veniente, qui appellauerit, venire neglexerit; ſi **proprium habuerit**, competentem ei faciat recompenſationem expenſarum, vt hoc ſaltem timore perterritus in grauamen alterius non facile quis appellet.

Hæc appellationum porta patens Vniuerſitatem noſtram, ſi ſe à potentioribus grauari & opprimi ſentiret, Romanum Tribunal adire ſæpe compulit. Hoc verò ſeculo ter illud adiit. Primò quidem, cũ Stephanus Epiſcopus Pariſienſis in Montem San-Genouefianum & in Magiſtros & ſcholares excommunicationis ſententiam tulit: qua de re diximus ad an. 1132. deinde cum apud Alexandrum III. Turonenſi Concilio præſidentem an. 1163. conqueſti ſunt ſcholares de Monachis San-Germano-Pratenſibus. Poſtremò apud Cœleſtinum III. circa an. 1192. de iiſdem ob interfectos nonnullos Scholares in Prato colludentes. Sed quia ſic adiri non poterat Curia Romana abſque magnis impenſis & perturbatione ſtudiorum, conſecuti Pontifices eidem Vniuerſitati priuilegia conceſſerunt, priuilegiorumque Conſeruatores indulſerunt, quorum authoritate ſe tueretur.

Altera corruptionis morum Eccleſiaſticorum cauſa fuit auaritia, infamis exactio pecuniæ & Simonia, quâ de re ita loquitur Gaufridus Prior Voſienſis in priori parte c. 73. *Pontifices inſolitas exactiones per Parochias exercentes, Dioceſes cauſa victus*

& quæſtus circumeunt ipſamque Procurationem in quãdam vertunt redemptionem. Inſulſis & ipſis ſuiſmet ipſis Clericis Eccleſias plerunque tribuunt non gratis, ſed muneribus gratis, qui ſe Mercenarios, ouium lanam tondendo, non infirmitatibus compatiendo declarant. Hoc malum ex Laïcorum Principum collationibus profluxiſſe palam eſt; quod vſu inualeſcens ad ipſos etiam Clericos tranſiit.

Ioannes Hautiuillenſis vulgo Architrenius l. 5. c. 14. inuehitur in corruptionem eiuſmodi.

O vtinam ſanctos hæc citra viſcera Patres
Templorum pupugiſſet acus, ne vilior auro
Ara foret, ſed libra libro, ſed numine nummus.
Non dono caderet morum cenſura, Catonis
Limatum totiens temere morſura rigorem
Non partiretur conſulto Simone Petri
Curia, vel baculos Chriſti vel cornua, virtus
Surgeret exceſſus circunciſura beatos,
Illuſtres factura viros, libraſſet honores
Ad meriti libram, nec ea ſub iudice poſſent
Iura peroranti loculo ſuccumbere, nunquam
Birria ſufficeret, vbi deficiſſet Homeras.

Fuſiſſimè materiam eandem tractat Ioannes Sareſberienſis lib. 8. de Nugis Curial. c. 17. & l. 7. c. 17. & 19. vbi varias inducit rationes ambitioſorum & Simoniacorum hominum ex ſacris ſcripturis & exemplis antiquis ad ſui criminis defenſionem malè petitas.

» Conſiſtunt è regione quam plurimi, nequaquam diſſimulantes propoſitum, ſed
» ambitionis quaſi (vt dici ſolet inſignia præconantes, prædictorum deridentes igna-
» uiam, velut militum, qui militiæ ſuæ titulos non audeant profiteri. Hi licet im-
» puri ſint, & nec vitam ſuam velint erigere, nec ſciant inſtruere alienam, immun-
» dis vt dicitur pedibus, certatim irrumpunt in ſancta ſanctorum, panes dominicæ
» propoſitionis, & carnes agni immaculati aſſas igne paſſionis in cruce, non modo
» illotis, ſed pollutis (ſi liceat) manibus tractaturi. Illi ſunt qui licet primo aditu, ac
» ianuis habeantur indigni, continuo tamen tenduntad ſacerdotium, feſtinant ad
» tribunal, & & repulſis cæteris, ſic ſacris altaribus incubant, vt iam non ad for-
» mam & exemplum præbendum plebi, ordo ille videatur inſtitutus, ſed eſſe oc-
» caſio quædam in abundantia & ſecuritate viuendi. Nec putatur officium diſtricto
» Dei iudicio obnoxium, ſed ſecura quædam, & nuſquam diſcutienda admini-
» ſtratio. Credas illud poëticum voce præconis omnibus ſonuiſſe:
»
» *Occupet extremum ſcabies.*
»
» Inde eſt quod omnes, quaſi in ſtadii agone contendunt, anhelantibus ſingulis, ne
» Epiſcopatum accipiat alter. Votis ergo, & ſi non re plures numero ſunt rectores,
» quàm illi quos regunt. Nam qui regi velint perpauci ſunt, cum quiſque vt eman-
» cipetur à iugo rectoris proprii, totis viribus quærat. Priuilegio ſiquidem Apoſto-
» lico, aut regio præcepto, plurimi tuti ſunt, ne iudicibus ſuis obtemperent, ne
» iuſtitiam faciant, ne legi Dei ſubiecti ſint. Non reprehendo clementiam Apo-
» ſtolicæ ſedis, ſed hanc indulgentiam eius Eccleſiæ Dei non arbitror expedire. Ni-
» hil tale in illa glorioſa familia Chriſti legimus, licet & in illis contentio facta ſit,
» quis eorum videretur eſſe maior. Nullam emancipationem huiuſmodi ab Apo-
» ſtolis factam meminimus, licet Paulum & Barnabam audierimus ab inuicem diſ-
» ceſſiſſe. Nullam in illa ſuperna ciuitate, quæ ſurſum eſt mater noſtra, contradi-
» ctionis materiam credimus, ſed nec hîc eſſe debere, niſi vrgentiſſima ratio flagi-
» tet. De his enim (vt pace multitudinis & eorum qui illius fouent iniquitatem,
» loquar) dicam quod ſentio, ne quid ſubtraham veritati aut probabilitati. Dico
» ergo quod indubitanter credo, quod hi, qui efferente ſuperbia, huiuſmodi e-
» mancipationes quærunt, à ceruice ſua iugum Chriſti & patris eius, ſi fieri poſſet,
» excuterent. Plus dico, imò & quantum eſt in ipſis excutiunt, & diuinæ ordina-

tioni

tioni fallaciter contradicunt. Nuſquam ergo illud Apoſtoli: non omnes prophetæ, non omnes magiſtri ſunt. Omnes enim prophetæ & magiſtri ſunt. Ita vt ſecundum antiquum prouerbium merito dicatur, quod & Saul inter prophetas. Et reuera ſicut ait Gregorius Nazianzenus, nulla hiſtoria tradidit, vel tantum in Eccleſia fuiſſe numerum miniſtrorum, vel tam vtiliter congregatum. Vnde religioni & doctrinæ Chriſtianæ, grauc opprobrium naſcitur, quòd ſacerdotia vel miniſteria ambitione potius & ad gratiam, quàm meritorum iudicio deferuntur. Omnes itaque currunt, ſed cùm eo ventum eſt, vnus accepit brauium. Ille qui in curſu ambitionis aliis velocior extitit, & qui præcucurrit citius Petro & quouis diſcipulorum Chriſti. Aſcendit enim illico, & omnem celeritatem feſtinatæ vocationis præuenit. Hi ſunt qui crebris muneribus viſitant poteſtates, laterales & familiares eorum ſolicitant, Eccleſiarum primis ſe commendant, applaudunt omnibus, & etiam magnarum domuum non modo officiales, ſed ciniflones rogant, vt cùm locum viderint, meminerint ſui. Hi ſunt amici omnium, & qui non ſe ſed amicos in ſe deſiderant promoueri. Hi ſunt qui vitam ſcrutantur alienam, negligunt ſuam, infulatorum annos dinumerant, canis lætantur, Phyſicos & Genethliacos de fatis præſidentium conſulunt, librant humores, & quaſi in ſtatera appendunt elementa viuentium; & quos diutiùs ſupereſſe conſpexerint, ætatem Neſtoris dicunt excedere, & cerui aut cornicis iam implere menſuram. Debiles ætate vel morbo concutiunt, etiam ſinceros criminibus incruſtant ſimulatis, & quaſi hæredipetæ vacillantium cathedris inſidiantur, *turpique interueniente commercio occupatarum ſedium ſæpe illicitas impetrant ceſſiones.* Hi ſunt qui de ſe coadiuuandis & promouendis, nefarias obligationes interponunt, & tandem cùm ad rem ventum eſt, immemores fidei contra fidem datæ, ſe ipſos ambitionis & inuidiæ ſtimulis impediunt & repellunt. Sic ergo plerumque dum competitorum rixa crudeſcit, ſapientia Dei per occultam & rectam diſpoſitionis ſuæ viam, fidelem incognitum introducit, de quo nequaquam præceſſerat ſermo vel cogitatio. Illi tamen ex contingentibus nihil omittunt, niſi forte in eo contingentia prætermittant, quod ambiendo modum excedunt, ſi tamen in eo aliquis eſt modi exceſſus, vbi nullus eſt omnino modus. Pulſant itaque & præcipitant poteſtates, ſi obſequia non ſufficiunt, ſi interceſſiones non proſunt, vires ſuas ambitio exerit, ſuæ & alienæ facultatis diuitias oſtendit, iam palam loquitur, & in montem elationis aſcendit & clamat. Hæc omnia tibi dabo, ſi à fundamento fidei cadens, promoueris me. Hoc ſiquidem cadere eſt, cùm certum ſit ex autoritate ſanctorum patrum, quod per hæreſim ſimoniacam, à ſinceritate fidei corruit, quiſquis in ſpiritualibus, id eſt rebus ſacris & Eccleſiaſticis, mercimonium auaritiæ committit. Nec refert quòd pecunia intercedat, in contractu, vel ante, vel poſt, cùm omni tempore negotiantes in talibus damnatio ſimoniacæ prauitatis inuoluat. Cùm enim perpetuo prohibitũ ſit, ob hoc accipere vel dare quippiam, nunquam dare vel accipere erit licitum, quod eſt vſquequaque prohibitum. Vt enim ait Tharraſius Patriarcha, dare eſt quemcunque dare, & accipere quemcunque accipere. Egregium quiddam in talibus accidit in Apulia temporibus meis, regnante Rogero Siculo: contigit vacare Eccleſiam Auellanam Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ. Robertus iam dicti regis Cancellarius præſidebat, vir quidem in rebus gerendis ſtrenuus, & ſine magna literarum copia acutiſſimus. In primis Prouincialium facundiſſimus eorum non impar eloquo, verendus omnibus priuilegio poteſtatis, & morum elegantiâ venerabilis, eoque mirabilior in partibus illis, quod inter Longobardos, quos parciſſimos, ne auaros dicam, eſſe conſtat, faciebat ſumptus immenſos, & gentis ſuæ magnificentiam exhibebat. Erat enim Anglicus natione. Ad eum itaque viri tres acceſſerunt, Abbas quidam, alter Archidiaconus, tertius laicus quidam præpoſitus regis, fratris ſui clerici cauſam agens, ſinguli clam pro iam dicto Epiſcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus ſeorſum, cum vnoquoque eorum conuenit de precio. Emptio ergo & venditio vndique perfecta eſt, de ſolutione implenda ſufficientiſſimè cautum, pignoribus & fideiuſſoribus datis, dieſque præfixus eſt electioni ſolemniter celebrandæ. Cùm itaque ad diem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & multæ venerabiles perſonæ conueniſſent, præfatus Cancellarius competitorum cauſas, & quid cum vnoquoque eorum egiſſet, expoſuit di-

„ cens, ſe exinde ex Epiſcoporum ſententia proceſſurum. Damnatis ergo com-
„ petitoribus ſimoniacis, pauper monachus & totius rei ignarus, canonicè ele-
„ ctus, approbatus & introductus eſt. Illi tamen coacti ſunt ſoluere id, in quo ſe
„ obligauerant, vſque ad nouiſſimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum procis
„ noſtris, qui omnes ſedes olfaciunt, adtentius quidem & curioſius, quam odora
„ vis aut ſagacitas canum, formellas leporum, aut ferarum latebras deprehendat.
„ Si mihi crederetur, ſic excluderentur & illi, qui diſſimulata ambitione cedunt,
„ vt validius irrumpant in ſedem, à qua ſicut ipſi fatentur, fuerant repellendi.
„ Siquidem iuſtum erat, vt de ſe ſibi contra ſe crederetur. Quid enim in eis la-
„ teat, nemo fidelius nouit: Plures tamen incontinenter ambiunt, & impudenter.
„ Fruſtrà enim, vt quemque eorum excipias, aliquem oppones titulum, quia cla-
„ more conductitio prævalente delebitur, concurrentibus exemplis & ſanctionibus
„ patrum. *Ignobilis eſt*; ſed nec Petrus patricius extitit, aut alicubi de claritate
„ ſanguinis gloriatur. *Minor eſt*: Hieremiam & præcurſorem Domini habet auto-
„ res. *Puer eſt*: & monſtrat ſeniores à Daniele puero condemnatos. *Illiteratus eſt*;
„ nec ſcholas frequentaſſe leguntur Apoſtoli. *Coniugatus eſt*: & Apoſtolus vnius
„ vxoris virum præcipit eligendum. *In iniuriam matrimonij ſui ſuam reliquit vxo-*
„ *rem*; & Ioannes à nuptiis ad Euangelium traditur reuocatus. *Opicus aut potius*
„ *elinguis eſt*: ſed Aaron vices Moyſi, qui erat impeditioris linguæ, etiam ſacerdo-
„ tium legitur miniſtraſſe. Si moderniora deſiderantur exempla; Valerius Vincen-
„ tio fidei & morum doctor extitit, & exemplar martyrij. Scorta ſectatus eſt, ſed
„ Oſee mandante Domino amplexibus meretricis adhæſit. Inſipiens eſt; ſed per
„ inſipientiam mundi decreuit Deus ſaluare credentes. Percuſſor eſt; ſed Petrus
„ gladium exeruit, ſerui principis ſacerdotum auriculam amputauit. *Meticuloſus*
„ *eſt*: ſed Ionas ad Niniuitas veritus accedere, Thomas ad Indos. *Tenetur fun-*
„ *ctionibus publicis alligatus*: ſed Matthæus de teloneo aſſumptus eſt. *Vinolentus*
„ *eſt*, *& deditus gulæ*: ſed Dominus ipſe dictus eſt potator vini, vorator carnium
„ *Non acquieſcit maioribus*: ſed & Paulus in faciem reſtitit Petro. *Contentioſus*
„ *eſt*: & inter diſcipulos Ieſu facta contentio memoratur. *Garrulus eſt & linguo-*
„ *ſus*: facundus habeatur, quoniam & Apoſtolus ſic dictus eſt ſemini-verbius.
„ *Militiam exercuit*: ſed Martinus Iuliano legitur militaſſe. *Vir ſanguinum eſt*:
„ ſed Moyſes Aegyptium interfecit, & abſcondit in ſabulo. *Manifeſtum eſt ho-*
„ *micidium*; & Samuel præſente populo regem pinguiſſimum interfecit. *Perfidus*
„ *eſt & periurus*, ſed Petrus perfidiam periurio cumulauit. *Mutus eſt*, ſed hoc
„ Zachariam à ſacerdotio non excluſit. *Cæcus eſt*, ſed & Paulus videre non po-
„ terat, quando eum Ananias Domino conſecrauit. *Exigentibus culpis depoſitus*
„ *eſt*: ſed multi tales reſtituti ſunt, & poſtmodum Eccleſiæ Dei plurimum pro-
„ fuerunt. *Surdus eſt*: ſed hoc præconari legem Dei non prohibet. Prædicator
„ enim quæritur, non auditor. *Leproſus eſt*: ſed de paſtore paſtorum Eccleſia re-
„ colit. Quia nec ſpeciem, nec decorem habens apparuit, qui excludendus vide-
„ retur tanquam leproſus, & nec humano dignus aſpectu. *Perſona deſpicabilis*
„ *eſt*: ſed in ſimili repulſæ titulo, aduerſus Martinum non audiuit Eccleſia defen-
„ ſorem. *Errat in fide*: **hoc feciſſe dicitur Cyprianus.** *Valetudinarius eſt*: ſed
„ Gregorius in ſummo languore Romanam optimè gubernauit Eccleſiam. *Super-*
„ *bus & vanus eſt*: ſed talis fuit Brictius Turonenſis. *Corpore & membris debilita-*
„ *tus eſt*: ſed hoc egregio confeſſori Pannucio legitur accidiſſe. *Condemnatio-*
„ *nem ambitus tulit*: ſed & filiorum Zebedei petentium primatum, eſt petitio re-
„ probata. *Hæreſim quandoque docuit*: ſed Auguſtinus ſe Manicheum fuiſſe fa-
„ tetur. *Coluit idola*; ſed & Marcellinus martyr inſignis in papatu thurificare com-
„ pulſus eſt. *Forte nondum eſt Chriſtianus*: ſed dum catechumenus eſſet, beati
„ Ambroſii fuit (vt traditur) electio celebrata. *Perſecutus eſt Eccleſiam Dei*; ſed
„ & Paulus ex perſecutore factus eſt prædicator. ; *Electio deeſt*: ſed & Apoſtoli
„ non petentibus populis miſſi ſunt. Non vacat ſedes in quam poſſet intrudi, acce-
„ dat præſedenti. Nam & Auguſtinus Valerio Hipponenſi non tam ſucceſſiſſe,
„ quam acceſſiſſe deſcribitur. *Auarus eſt*; diſperſa poterit congregare: & inutili-
„ ter non diſtrahet congregata. Vt paucis vniuerſa complectar, ad omnia ineptus
„ eſt; ſed Samſon mandibula aſini Philiſtiim expugnauit. Potens eſt & nunc Deus
„ de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Adhæc dubium eſſe non debet quòd cathe-
„ dra Epiſcopalis ſanctos recipit, aut ſanctos facit. Nam & cùm Saul inunctus eſſet

in regem, inſiliit in eum ſpiritus Domini, prophetauitque, & mutatus eſt in virum alium. Caïphas quoque licet ſacrilegus, & qui cum Iudæis conſpirauerat in necem ſaluatoris, cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, vt conſtet ipſum ab officio prophetiæ, gratiam, quam demeruerat, accepiſſe. Cùm ergo ſedes ſuauis, & dulce lignum, gratis & ſine labore omnia deſiderabilia conferant, nonne ſuperflua ſollicitudo eſt, dies laborioſos, & noctes inſomnes ducere, vt ad ſacrarium Philoſophiæ accedant?

BENEFICIORVM PLVRALITAS.

Tertia corruptionis cauſa eaque inueterata fuit Beneficiorum multiplicitas in diuerſis Eccleſiis & Parochiis, quæ hoc potiſſimum ſeculo inualeſcere cœpit ex ipſorum etiam Pontificum diſpenſatione, qui traductis ad ſe è manu Laïca, quantum licuit, Beneficiorum collationibus, ea prout collibitum fuit, diſtribuerunt; & vt plures ſibi demererentur, etiam ante vacationem contulerunt. Conqueſtum ea de re ſæpe, diſputatum in ſcholis. & contra pluralitatem concluſum, nec tamen profectum eſt quidquam. Stephanus de Garlanda Regni Cancellarius, idemque Regiæ Domus Maior, Dux Exercituum, Diaconus verò & plurimorum Beneficiorum reditibus ditatus, ob id à Bernardo Clareuallenſi reprehenditur Ep. 78. ad Sugerium. *Cum honores non paucos, ſed quantos nec Canones niſi inuiti patiuntur, teneat in Eccleſia, vnius tamen quem & in Palatio aſſecutus eſt magis, vt aiunt, gloriatur ex nomine, quàm ex cæterorum quolibet appellari. Cumque ſit Archidiaconus, Decanus, Præpoſituſque in diuerſis Eccleſiis, nihil horum tamen tam cum quàm Regis delectat vocitari Dapiferum.* Adrianus IV. Hugonem de Campo-florido Regni quoque Cancellarium plurimis pariter locupletauit Beneficiis, eumque à reſidentia eximit: & in eam rem extant eius plures Epiſtolæ tam ad eum quàm ad Epiſcopos, in quorum Eccleſiis Decanatus aut Canonicatus poſſidebat. Sed quod peius eſt, pueros etiam ad ſacerdotia prouehebant plurima, vnique Paſtori plura ouilia paſcenda committebant. Contra quam corruptionem ſæpe declamauit Vniuerſitas, nihilque non molita eſt, vt ab Eccleſia Dei auferretur. Ioannes Hautiuillenſis l. 5. c. 3. rem iſtam cum indignatione deſcribit.

Hic puer inſolidus & mente & corpore, læſæ
Indolis, à teneris animo neruoque ſolutus
Quem renum ſenior laſciuia mollit, & æui
Ardeſcens nouitas, emptas in deuia præceps
Sponſas Chriſti Auriga rapit, ſuperumque regenda
Suſcipit innumera lactandus Ouilia Paſtor.
Omnibus & ſponſis haud contraxiſſe veretur,
Centigamuſque nono ſuperis de iure miniſtrat
Presbyter, in ſponſi ſolio præcluſus adulter
Moribus inſipidis noſtri Iouis inquinat aram,
Acceſſuque notat Veneris Bacchique Sacerdos.
Numen vtrumque ſitit, lumboſque & guttura ſoluens
Sedulus his ſeruit. liceat ſcelus eſſe locutum
Quod ſit in occulto. Vitium facit ipſa loquendi
Materiæ ſordes. Ire furor imperat ori.
Circumciſa minus mouet indignatio verba,
Pauperibus dandos reditus inuiſcerat, & qui
Cuncta dedit, nulla contingit portio Chriſtum.
Emungitque bonis hara ventris Numinis aram,
Cuius delicias vteri deperdit in vtre,
Dum quod in ore ſapit, ſtomachi corrumpit auerno.

Sic ergo viri litterati contemnebantur. Conquerebantur quidem, ſed dum rationibus pugnabant in ſcholis, ambitioſi illiterati auro ſæpe victoriam reportabant in curiis Principum & Pontificum. Præclarè in hanc rem Sariſberienſis l. 7. c. 19. *Interim Philoſophantium ſtudia deridentur: ſi quid auditur incognitum, quaſi profanum ſit, condemnatur; aut ſi minoris eſt, contemnitur. Nam vt ratione & authoritate reprobetur, fruſtra expectas. Si ratione vel authoritate niteris, conſuetudinem quæ abutuntur, & quam fecerunt, obiicient. Dicitque Procerum alter ad alterum*

Hoc eſt cur pallet, cur quis non prandeat, hoc eſt
Doctoreſque tuos curto centuſſe licetur.....

Nec eſt quod error concurrentium ſub prætextu multitudinis excuſetur: quia viuendi forma à Conuiuentium ſimilitudine nequaquam trahitur, ſed à verbo Dei in cuius via Beati ambulant & recto calle ad veræ felicitatis patriam pergunt. Neque enim quod à multis peccatur, peccatum non eſt; ſed ideo grauius, quia multum. Ne delinquentis culpam ſocia minuit multitudo, ſed prægranat, eo quod viribus ſuis, ne corrigatur obſtat.

Hanc tandem peruerſam conſuetudinem eradicare conatus eſt Alexander III. in Concilio Lateranenſi an. 1179. deque ea re Canonem tertium condidit his verbis. „ *Quia nonnulli* modum auaritiæ non ponentes & diuerſas Eccleſiaſticas „ Dignitates & plures Eccleſias Parochiales contra Sacrorum Canonum inſtituta „ nituntur adquirere, itaut cum vnum Officium vix implere ſufficiant, ſtipendia „ ſibi vindicent plurimorum, ne id de cætero fiat, diſtrictius inhibemus. Cum igi„ tur vel Eccleſia vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc „ perſona quæratur quæ reſidere in loco & curam eius per ſeipſam valeat exercere. „ Quod ſi aliter factum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros Canones acce„ perit, amittat: & qui dederit, largiendi poteſtate priuetur. Et quia tantum quo„ rundam proceſſit ambitio, vt non duas vel tres, ſed ſex vel plures Eccleſias per„ hibeantur habere, nec duabus poſſunt debitam prouiſionem impendere, per fra„ tres & Coëpiſcopos noſtros hoc emendari præcipimus, & de multitudine Cano„ nibus inimica, quæ diſſolutionis & vagationis materiam inducit & certum con„ tinet periculum animarum, eorum qui Eccleſiis deſeruire valeant, indigentiam „ ſubleuari.

Verum ſanctio iſta obſtante lege conſuetudinis parum habuit vigoris. Quinimo nec à ſubſecutis Pontificibus obſeruata fuit. Nam Innocentius III. qui an. 1198. Pontificatum adeptus pluribus Beneficia & ſingulis plura dedit, dari voluit & præcepit; vt vel vnius Magiſtri Petri Corbolienſis exemplo liquet; de quo in Hiſtoria diximus. Atid forte ab eo factum eſt prouidè, vt plura conferendo ſaltem viris litteratis, plures ad amplectenda litterarum ſtudia excitaret, quibus ſolis Alexander in prædicto Concilio Beneficia Eccleſiaſtica dari voluerat.

RESERVATIONES ET GRATIÆ EXSPECTATIVÆ.

Quæ forte etiam ratio fuit eidem Innocentio retinendarũ reſeruationum & expectationum quas Alexander ſuſtulerat Can. 9. his verbis. *Nulla Eccleſiaſtica Miniſteria, ſeu etiam Beneficia vel Eccleſiæ alicui tribuantur ſeu promittantur antequam vacent,* Ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum & Beneficium ſe credit ſucceſſurũ. Cum enim idipſum in ipſis Gentilibus legibus inueniatur inhibitum, turpe nimis eſt & diuini plenum animaduerſione iudicij, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam condemnare „ Gentiles homines curauerunt. Cum verò Præbendas, Eccleſias, ſeu quælibet Of„ ficia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, vel ſi etiam modo vacant, non diu ma„ neant in ſuſpenſo, ſed in ſex menſes perſonis quæ dignè adminiſtrare valeant, „ conferantur. Si autem Epiſcopus vbi ad eum ſpectauerit, conferre diſtulerit, per „ Capitulum ordinetur. Quod ſi ad Capitulum electio pertinuerit & intra præſcri„ ptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundum Deum hoc cum conſilio „ Religioſorum virorum exſequatur. Aut ſi forte omnes neglexerint, Metropolita„ nus de ipſis ſecundum Deum abſque illorum contradictione diſponat.

Queritur ea de re Sareſberienſis l. 7 de Nugis Curial. c. 17. inuehiturque in eos qui Decreta ſeu Prouincialia, ſeu Generalia aut Pontificia detorquebant in prauum ſenſum, ſeu potius in ſibi commodum, ne fateri cogerentur ſe in ea peccare; quique Principum fauore ſubnixi cogebant Epiſcopos ſibi polliceri Beneficia ante vacationem. *Statuat ergo lex*, inquit, *quidquid placuit latori*: nam iſti priuile„ gij Principalis gaudentes beneficio, quidquid ambiunt, ſibi competere opinan„ tur. Epiſcopos ad prima Beneficia obligant, & de futura ſucceſſione paciſci non „ verentur. Reſtat vtique vt triſti pactio repleatur euentu, & illius quiſquis anime„ tur & armetur in necem, cuius ambit ſucceſſionem. Si enim cedere moretur, ad„ uerſantur, vexant, & multipliciter concutiunt poſſeſſorem. Poſſeſſio namque pa„ rit aduerſarium actioni in rem. Si verò quiſpiam Prælatorum ſuæ conditionis me„ mor eis pro voto non obaudierit, amaras illico audit hiſtorias, eo quod indignum

& contumelioſum omnino reputant, ſi turpis & inhoneſta petitio repulſam alicubi patiatur. Interim ergo alarum ſuarum feruntur remigio, nidificant in prouinciis ſingulis, vix quot nidos habent, vel ipſi ſciunt, diurna ad peragendas alicui orbis plagas eis præparantur hoſpitia, & in tanto numero, vix hoſpitiolo vno donatur horridulus Comes. Nam ſi quis hoc fecit, probatæ liberalitatis eſt. Vtique & inſignis prudentiæ, ſi quis tot quocumque modo conquirit altaria, vt quaſi ritu Memphitico quotidianas hoſtias nouis poſſit altaribus immolare. Nolunt tamen ſacerdotio dominari, aut ſeruire altario qui de altario viuunt, ne vt populus arguit, dicam luxuriantur, ſed perſonatos quoſdam introduxerunt, quorum iure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta.

At Innocentius & ante eum etiam Cœleſtinus ſeu prauâ conſuetudine, ſeu vt viros litteratos mercedis laboribus ſuis debitæ ſecuros facerent, litteras eis concedebant ad Epiſcopos cum mandato vt Præbendas primò vacaturas eis aſſignarent: quibus ſi parere detractarent Epiſcopi, ſæpe fulminis Vaticani terroribus adigebantur, vt in hiſtoria retulimus.

DISSERTATIO X.

DE MORIBVS COENOBITARVM.

DE variis Cœnobitarum Ordinibus prout occurrit occaſio dicendi, diximus paſſim in Hiſtoria: quorum alii à Magiſtris Pariſienſibus inſtituti ſunt: Fontebraldenſis à M. Roberto de Arbriſcellis; Tironenſis à M. Bernardo de Abbatisvilla, Sulpicij Redon. à M. Radulfo de Fuſteia: San-Victorinus à M. Guillelmo Campellenſi, ſub initia ſeculi: ſub finem verò Mathurinenſis à M. Ioanne de Matha. Alii ab extraneis, vt Clareuallenſis à Bernardo, Præmonſtratenſis à Norberto, Templarii & Hoſpitalarii à Militibus Chriſtianis.

Hoc autem fere commune eſt omnibus, quod à paupertate inceperint: & quandiu illam caſtè integréque ſeruarunt, integritatem quoque ſanctitatemque vitæ conſeruarint: poſtquam verò ab illa diſceſſerunt, hanc quoque amiſerint. Cauſa mali innocens, pietas populorum, qui de bonis ſuis ad amplificandos Ordines illos certatim contribuerunt. Hinc accidit, vt facti locupletiores Monachi delicatioribus cibis veſci voluerint, veſtiri elegantius, viuere laxius, voluntati indulgere licentius, Aulas Principum frequentare liberius, Dignitates ſeculi affectare ambitioſius, iugum Epiſcoporum excutere ſtudioſius, ſtudere negligentius, litigare & negotiis ſecularibus ſeſe effrenatius immiſcere viſi ſint. Adeo exitiabilis eſt nouerca virtutum affluentia.

In Monachis igitur duo ſe offerunt examinanda, *vita* quam degebant hoc ſeculo communiter, & ſubiectio erga Epiſcopos. Vita quidem minus ſpectat ad hiſtoriam Vniuerſitatis: niſi forte quia nonnullorum ſanctitas multos ex Academicis noſtris ad Religioſæ vitæ propoſitum adduxit.

De ſubiectione verò & exemptionibus illorum ſæpe & hoc & ſequentibus ſeculis diſputatum eſt in ſcholis.

Ioannes Saresberienſis lib. 7. de Nugis Curial. laudat quidem omnium Monachicorum Ordinum inſtituta, vt verè pia & ſacra: non putat tamen ſe eorum ſanctitati derogare quidpiam, referēs quàm multi ab iis deuiarent iis quibus ſcribebat temporibus, hoc eſt circa an 1158. Sic enim c. 21. *Veniunt*, inquit, *in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*: ſed vt ait Dominus, euidentiſſimè cognoſcuntur à fructibus ſuis. Non tamen à fraude iſtorum Religionis veræ diminuitur gloria. Nam indubitanter omnibus conſtat, quia nomina quæ profitentur & quorum pollicentur officia, honeſtiſſima & fideliſſima ſunt. Nam Religio in his adeo vera, adeo probata conſiſtit, vt nullius reprehenſionis aculeos reformidet. Siquidem *Carthuſienſes* quaſi auaritiæ triumphatores præcipui vbique clareſcunt.

» *Ciſtercienſes B. Benedicti* quem omnium Iuſtorum ſpiritu plenum fuiſſe conſtat, » præcepta & veſtigia ſequuntur ad vnguem. *Cluniacenſes* Religionis formam » multis prouidentiis tradiderunt. *Et Canonicis* ſufficere debet ad pleniſſimam lau- » dem, quod Regulam eorum oportet omnes Clericos imitari. *Eremitæ* quoque Ba- » ptiſtam Saluatoris & filios Prophetarum inſtitutionis ſuæ habent Authores. *Fratres* » *Templi* Machabæorũ exemplo ponunt animas ſuas pro fratribus ſuis. *Xenodochi ſi-* » *ue Hoſpitalium Procuratores* Apoſtolorum ſequuntur veſtigia & ad perfectionis cu- » mulum aſpirantes in eo fideliſſimè audiunt Chriſtum, quod viuunt innocenter » & omnia quæ habent, pauperibus erogant. In his tamen omnibus fideles inue- » niuntur & reprobi: nec ob id Religionis aut profeſſionis veritas deformatur. » Quæ enim profeſſio eſt, aut quæ legitur vnquam fuiſſe ſocietas, in quam macula » non irrepſerit? Angelum Apoſtatam legimus, in primis fratribus parricidium, » Prophetam reprobum, Apoſtolum proditorem, Diſcipulos Chriſti perfidos, nec » tamen corrumpitur puritas perſiſtentium Angelorũ, aut minus ſancta eſt ſocietas » inuicem diligentium fratrum, aut prophetiæ gratia eſt in electis culpabilis, aut » Apoſtolatus in fidelibus contemptibilis, aut diſciplina Chriſti per varios errores » aberrantium eſt infamis. Sicut ergo Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Angelum » lucis & Apoſtoli Pſeudo ad authoritatem Apoſtolicam aſpirabant potius quàm » ad vitam: Sic & Hypocritæ ad ſupercilium Phariſæorum confugiunt, dilatantes » philacteria & magnificantes fimbrias, & quæ in lege Dei ſcripta ſunt, nolunt » contingere digito, niſi vt videantur ab hominibus, à quibus honoris aut alterius » remunerationis mercedẽ exſpectant. Inde eſt quod facie pallorem oſtentant, pro- » funda ab vſu trahunt ſuſpiria, artificioſis & obſequentibus lachrymis ſubitò inun- » dantur, obſtipo capite, luminibus intercluſis, comâ breui, capite fere raſo, vo- » ce demiſſa, labiis ab oratione mobilibus, inceſſu tranquillo & quaſi greſſu qua- » dam proportione compoſiti, pannoſi, obſiti, ſordes veſtium, & affectatam vendi- » cant vilitatem, vt eò facilius aſcendant, quò ſe ſtudioſiùs videntur in locum » nouiſſimum deieciſſe, & qui ſponte ſua decreſcunt, creſcere compellantur in- » uiti.

Ibidem & ſequentibus capitibus plura ſcribit de hypocritis Monachis, quos Epicureis comparat Philoſophiam quidem profitentibus, at propriæ voluntati & voluptati ſeruientibus. Illos enim conſueuiſſe fouere lites, priuilegii abuti, ſeruire cupiditati, charitatis officia nequaquam exercere, propriam quærere gloriam, denique ſecundum carnem ambulare, licet ſe ſpirituales mentiantur.

» Gaufredus Prior Voſienſis qui eodem ſeculo floruit & ſcripſit vſque ad an. 1180. » c. 73. prioris partis Chronici, cui hunc titulum præfigit, *Deformatio Religionis*, » de eadem re ſic habet. *Priſci Cœnobitæ* religione florentes Nos *Manzerinos* hære- » des habuere, qui ſilentium & quæcunque honeſta ſunt relinquentes, paruas co- » ronas, ſtrictos ſotulares, cucullas clauſas, pro froccis ocreas, pro gandengis froc- » cos capellatos abſque cuculla, capellos camelo & alios circundatos pelle ad » inſtar ſcapularis, pannos irregulares in lectis, eſus carnium indiſcretè & enormi- » ter inſectamur. Idcirco immiſcuit in medio multorum ſpiritum vertiginis, qui » ſchiſmata faciunt in electione, adeo vt Tuſturiacenſes hodie 4. viuos habeant » Abbates, Heliam & Arthaldum, Gaufredum atque Fulcaldum. Gratias Deo » quod apud S. Martialem vno ſumus contenti: adaugeat illi cum ſalute Con- » ditor orbis tempora plura. *Ciſtercienſes quidem elecmoſynas de labore ſuo tribuunt mul-* » *tas*, in Choro pſallunt ordinatè, pluraque peragunt honeſta, veruntamen cæteris » vi & ingenio terras auferunt: adeo vt Obaſinenſes Voſienſibus quandam abſtu- » lerint terram, ſicut Dalonenſes Arnacenſi Præpoſito decimas de *Celonſ. San-* » *ctorum nomina vel memorias auferunt indiſcretè, etiam in eodem Epiſcopatu quieſ-* » *centium; adeo vt apud Dalonum Pontiniacenſes de Collectario abraſerint nomina S.* » *Valeriæ, Aredii atque Pardulphi, quæ ſi alij feciſſent, pro ſacrilegio reputaretur.*

Neque diſſimulauit Alexander III. datis ad Abbates vniuerſos in Ciſtercienſi Capitulo conſtitutos litteris, ab ipſorum Ordine peccari in multis; peccatique cauſam ait eſſe nimiam opum affluentiam. *Vniuerſitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatinus recolentes qualiter hæc plantatio ſancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth ſub primis Ordinibus pullulauit, & palmites ſuos* longè latéque producens ad mertifera circum

quaque venena pellenda flores protulit & odores effudit, peruigili cuſtodia ſtu- "
deatis eorum in omnibus inhærere veſtigiis, per quos cooperante Domino in de- "
ſerto mundi huius flos huiuſcemodi plantatus eſt honeſtatis. Hi enim Monaſticæ "
frugalitatis continentiſſimi Profeſſores optimum ponentes in paupertate princi- "
pium, totius ſufficentiæ aſſecuti ſunt complementum. Eccleſiæ chari, Epiſcopis "
& Prælatis accepti, atque in conſpectu Regum & Principum famâ & merito glo- "
rioſi. *Nunc autem*, quod dolentes dicimus, etſi non ab omnibus neque in omni- "
bus, à pleriſquetamen & in pleriſque ab illa ſancta inſtitutione dicitur declina- "
tum. In tantum quod aliqui ex vobis primæ inſtitutionis obliti penitus vel ignari "
contra Ordinis veſtri gloriam & decorem Villas, Molendina, Eccleſias & Altaria poſſi- "
dent, fidelitates & hominia ſuſcipiunt, ruſticos & tributarios tenent: quorum conuer- "
ſatio tota eſſe debebat in cœlis. Læditur hic Ordo penitus & mutatur. Nec eſt "
hæc mutatio dexteræ Excelſi: quinimo de dextera potius in læuam tranſeunt. "
Qui cum relicto ſeculo ſub paupertatis habitu Deo militare decreuerint, nego- "
tiis denuo ſecularibus implicantur. Inde eſt quod vobis ab his qui foris ſunt, "
contentiones & litigia ſuſcitantur, & Abbatibus in cauſis forenſibus occupatis, "
plerunque in commiſſis Domibus & tepor Ordinis & diſſolutio naſcitur chari- "
tatis: maximè quia charitas in paupertate plus proficit, & cupiditatis dedignata "
conſortium, vt illa reſtinguitur, hæc tepeſcit. Ideoque ſanctum & venerabile Col- "
legium veſtrum precibus & monitis quibus poſſumus exhortamur: quatinus Do- "
mus illæ quæ à prima ſui origine in Ordine ſunt fundatæ conſtitutis & ordinarijs "
teminis ſint contentæ, nec velint ad ea manus extendere, quæ ſine laboribus & "
periculis multis & demum ſine magna Ordinis confuſione minimè poterunt reti- "
nere. *Si enim relictis originalibus Ordinis inſtitutis ad communia volueritis Monaſteric-* "
rum iura diuertere, oportebit & vos communi iure cenſeri: quia dignum eſt, vt qui ſimi- "
lem cum aliis ſuſcipiunt vitam, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam.

Similiter M. Ioannes Hautiuillenſis l. 5. Architrenii c. 7. inuehitur in Cœnobitas faſtuoſos & ambitioſos, pedum paſtorale affectantes, vitiis turgidos, cæteros verò homines ſupercilio elato præſe nihili ducentes.

CONTRA SVPERBOS MONACHOS.

Ecce ſupercilium Monachi lunatur in altum.
Sublimis rapitur vultus, decliuis ocellus
Surgit in obſequium, ventremque ſuperbia feſſo
Plus epulo tendit: duplex ſic regnat Erynnis
Interius, venterque voto turgeſcit vtroque.
Quid cum turbatur animi pax intima, verbis
Intonat, ardeſcit oculis vultuque minatur?
Quid quotiens Paſtor erranti publica monſtrat
Vel priuata Gregi iuris veſtigia, nonne
Dictat in oppoſitum tumidæ præſumptio mentis,
Et leges alias deceptæ immurmurat auri?
Quid quotiens morbos ouium nœuoſque tumores
Subſecuiſſe parat, reliquum patienter ouile
Paſtoris ſequitur virgam, pacemque flagellis
Exhibet aut monitis: ſed Clauſtri hæc bellua, de qua
Fabula narratur, manſueſcere verbere nullo
Suſtinet, aut verbo, domitores odit & inſtat
Aſperior virgis, oculiſque vomentibus iram
Fulminat, & monitus fumanti deſpuit ore.
Hic quorum vita eſt humili deiecta cucullo
Spernit oues, & eas audet præſumere de ſe
Delicias, in quem pretium totius ouilis
Confluat, & ſolus virtute ſupernatet omnes.
Si quando careat baculus Paſtore, ſuoque
Rege vacet ſceptrum Moniale, hæc Bellua ſedem
Iam ſibi ſortitur viduam, dextramque maritat
Abſenti baculo. Vacua iam regnat in Aula,
Iam ſubiecta iubet: omni ſe concipit vnam

Imperio dignam, vacuam ſpem figit in alto,
Præſumitque ſibi baculum quem perdere virtus
Et vitium rapuiſſe ſolet. Iam fulgurat aſtri
Alternis radiis, iam tollit in ardua mentem.
Iam Iouis alterius ruituro pectore fulmen
Tractat, & alterius animo prælibat honores
Induiturque prius animus quàm dextera ſceptrum.
Sic ſit apud Claustrum, ventoſque ſuperbia præceps
Velis præpidos nigris infundit & albis:
Mundanique maris rapto per inania curſu
Naviculam ſcopulis perituram mandat acutis:
Vt cui nota Domus famuletur, nouit & inquit
O vitæ radix primæua, nouiſſima Chriſtum
Accedit viſura Deum, ſed prima recedet.
Natiuumque ſibi propriumque hunc diligit vſum,
Vt nox vnanimes faciat, quos inquinat vna.
Magna quidem molles animos ligat vnio, magna
Conciliat cupidas pacis clementia mentes.
Pax quoque firma leues animos complectitur, imò
Pax alios vitæ ſumptos communiter vſus
Nectit, & vnus amor ſtudiis inſeruit eiſdem.
Verum par tumidis venit indignatio præceps
Mentibus alterno factura tonitrua vento
Diſcordeſque ſecat morum concordia mentes.

At Ioannes Saresberienſis ſupralaudatus l. 7. de Nugis Curial. c. 23. ab eiuſmodi probris eximit maximè Carthuſienſes & Grandimontenſes. *Hypocritarum nomen & notam*, inquit, cautiſſimè & fideliſſimè declinant Carthuſienſes & *Grandimontis* noua profeſſio, in antiquæ virtutis culmine, Saluatore præuio ſolidata. Siquidē *Carthuſienſes* cupiditati ſuæ immo neceſſitati limites præfixerunt & moderationi habenis omnem auaritiam cohibent, & interdum ipſi neceſſitati aliquid ſubtrahunt, ne ſub obtentu illius quippiam auaritia moliatur. Magni proculdubio viri & inter præcipuos numerandi, cum non modo profeſſiones, ſed iam ſenescente mundo in tanta multitudine labentium ſeculorum pauci proceſſerunt homines, qui ſatietatis ſibi aliquos præſcripſerint terminos.....

Porro *Magni Montis incolæ* vitam perarduam elegerunt, & non modo auaritiæ, ſed ipſius naturæ quodāmodo domitores omnia neceſſitatis imperia excluſerūt, abiecerunt ſollicitudinem craſtini, omnia mundi oblectamenta contemnere parum eſt apud eos, quacunque ad portas eorum quis pulſet imagine, excluditur & confuſus abſcedit, in eos quippe ſolus Chriſtus ingreditur, cuius innituntur gratiæ iactantes cogitatum ſuum in eum, qui paruulos enutrit, dat iumentis eſcam pulliſque coruorum.....

Iſti itaque **propriæ voluntatis immemores, quærentes iugiter quomodo placeant ei cui ſe probauerunt**, laudem quæ ab hominibus eſt, contemnentes, nec volentes habere, diuitias quam dicendi ſunt habere cum Hypocritis portionem? Quod tamen miraberis, iam ad Carthuſienſes diuertiſſe dictus eſt aliquis, vt à ſanctorum conſortio euocatus aſcenderet, & poſtea conuerſus retrorſum, quid quæſierit, operum teſtimonio declaraſſe. At ille Iudicem ſuum habet, nec tamen vnquam committere potuit vt ſanctiſſimæ profeſſionis gloriam denigraret. *De Magno Monte* neminem adhuc aſſumptum audiui; ſed vtinam aut nunquam aſſumatur, aut talis qui nullo decoloret actu hominum ſingularis eminentiæ venuſtatem. Alii Baſilium, alii Benedictum, hi Auguſtinum: at iſti ſingularem Magiſtrum habent Dominum I. C.

De ſubiectione & exemptionibus Cœnobitarum.

ECcleſia Gallicana retinentiſſima ſemper fuit primæuæ libertatis & authoritatis. Nec facile paſſa eſt aut ſummos Pontifices imponere ſibi iugum nouum, aut Monachos vetus excutere. Quibus ſi nonnulli Epiſcopi de ſuo iure remiſerunt, priuatorum illud hominum factum fuit, non decretum publicum. In duobus autem præſertim ſubiecti fuiſſe videntur Epiſcopis Monachi antiquitus, in Procurationibus & Iuriſdictione. Procurationem vocabant ius quoddam luſtrandorum omnium locorum Eccleſiaſticorum ſuæ Diœceſeos tam Regularium quàm Secularium: ob quam iis pendebatur certum ſtipendium à ſingulis, quod *Procurationis* etiam nomine vocabatur. Mathæus Pariſienſis *Procuratias* appellat ad an. 1245. vbi de M. Martino Papæ Clerico qui in Angliam miſſus munera eiuſmodi exigebat. *Reditus Theſaurarij Saresberienſis cum aliis multis violentia, ſed præcipuè à viris Religioſis rapiuntur.* Procuratiæ *& munera exiguntur ſibi feſtinanter tranſmittenda & contradicentes grauiter puniuntur.* Et ad an. 1139. *Videns Legatus talem in multis conſtantiam ad humilitatem Religioſorum conuerſus, ab eis pecuniam non minimam extorſit nomine* Procuratiæ.

Neque Procurationes tantum ab iis exigere poterant Epiſcopi, ſed inſuper cum ad bellum proficiſci cogebantur Edicto Regio, Abbates & Cœnobia ad ſumptus contribuere impellebant. Patet id clarè ex priuilegio quod Aldricus Senonenſis Alcuini quondam Diſcipulus circa an. 834. conceſſit Abbati S. Remigii ad Vallilias in quo hæc verba continentur. *Epiſcopus quoque in exigendis muneribus Abbatem eiuſdem loci non grauet, ſed ſufficiat ei ad annua dona, equus vnus & ſcutum cum lancea. Quod ſi in expeditionem publicam ire iuſſus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, vnum vini, alterum farinæ: verueces decem: ſupra quæ in exigendis muneribus cupiditatis auaritiæque cauſa grauare eos nullatenus præſumat: ne & Monachi eiuſdem Cellulæ huiuſcemodi negotio à ſuo propoſito exorbitare, & Epiſcopus cauſa eorum perditionis addictus ſempiternas cogatur luere pœnas.*

De eiuſmodi Procurationis iure quomodo pacti ſint Guido Senonenſis Archiepiſcopus & Fulco San-Germano-Pratenſis Abbas, diximus ad an. 1199. quo etiam tempore Ioannes San Genouefianus cum Odone Pariſienſi Epiſcopo de eodem iure decertabat. Cæterum quia in ea re ſæpe quoque à Prælatis peccatum eſt, dum non tam ſalutem Monachorum & honeſtum Monaſteriorum ſtatum quærere viſi ſunt, quàm lucrum, nec Canonum authoritate & Conciliorum Decretis eorum auaritia coërceri potuit, exactionis huius remiſſionem obtinuerunt tandem Monachi. At de Procuratione gratuita, ſeu vt vocant viſitatione, deque iuriſdictione Epiſcopali certatum eſt omni tempore, & hodie etiamnum certatur. Referemus in hanc rem breuiter, quantum id negotii noſtri erit, quid variis temporibus acciderit, & quid ab Academicis noſtris decretum fuerit.

Primus, quod ſciam, Abbo Floriacenſis Abbas diſſidium illud excitauit in Conuentu San-Dionyſiano paulo ante an. 1000. in quo cum Epiſcopi iura ſua ſarta tecta eſſe vellent, ille Monachorum cauſam ita ſuſtinuit, vt ſeditionem excitarit, ipſoſque Epiſcopos fugere quoquouerſum coegerit. Cuius ſeditionis factus reus Apologeticum; ſcripſit atque apud Robertum Regem crimen vt potuit, excuſauit, ſubmittens ſe libenter examini tam ipſius quàm Magiſtrorum in ſacris Canonibus peritorum. *Nec me veſtro,* inquit, aliorumque Sapientium *examini ſubduco, qui contra Canones ſenſiſſe ſuſpicor. In Epiſcopos manum Monachorum mouiſſe accuſor: veſtram beneuolentiam proprio Epiſcopo* (Arnulpho Aurelianenſi) *tuliſſe blaſphemor, quibuſdam excommunicatis participaſſe criminor. Sed eſto? cui ſententiæ Canonum contradixi, qui in illo Concilio vix apertum librum videre potui? an Concilium illud fuit, vbi conciliati venerunt & diſconciliati receſſerunt? cum ibi diſcordes reconciliari debuerint aut canonica diſtrictione mulctari.* Hæc de Abbone refert in eius vita Aimoinus eius Diſcipulus, qui addit Abbonem, cum videret ſcriptis ſuis multorum animos offenſos, Robertum ſibi præſertim conciliaſſe, *quem ſcientem litterarum, ac idcirco fore nouerat diligentem ſtudioſorum.*

Quod autem de Epiſcopo ſuo Arnulpho dicit Abbo, Aimoinus fuſius explicat innuens illi ius ſuum poſcenti, Abbonem præſtare detrectaſſe, Priuilegiumque Monachale obtendiſſe. Hinc graues exortas inimicitias. *Cum idem vir Domini paratus eſſet*, inquit, *iuxta Apoſtoli præceptum* ſubdi etiam omni creaturæ propter Dominum, *intelligens tamen loco quem regebat poſtmodum poſſe officere, ſi ei modos Subiectionis quos requirebat, ad ipſius libitum dependeret, id facere in omni ſua recuſauit vita. Vnde idem Pontifex Arnulphus nomine animaduertens nec ratione nec diuinarum legum eum poſſe conuinci altercatione, manifeſtum ſe ei oſtendit inimicum. Qua de re actum eſt vt ſatellites memorati Pontificis eundem virum Dei Turonis ad feſtiuitatem S. Martini properantem noctanter agreſſi grauibus afficerent contumeliis: quibuſdam obſequij illius hominibus ad necem vſque vulneratis. Quamrem præfatus Antiſtes cum in reliquis actibus ſuis honeſtis ſemper ſe demonſtraret pollere moribus, nequaquam vt par erat, indignè tulit. Verum propter vulgi famam aliquos eorum qui hoc perpetrauerant ſcelus, quaſi pro ſatisfactione, vt virgis cæderentur, ante eum adduxit.*

Ex eiuſdem Abbonis Apologetico, cuius fragmentum profert idem Aimoinus, coniicere licet litem iſtam ad Curiam Regum Hugonis & Roberti fuiſſe delatam. Sic enim ipſe ad eos. *Corrodit me canino dente amulorum ſupplantatrix calliditas, circumlatrat aduerſariorum frequens acerbitas. Nec aliud contra me immurmurant, niſi quod Monachorum Senatum ſaluum eſſe velim. Noſtræ Reipub. augmentum quæſiui, ac cauillationi inſidiantium authoritate quâ valui, contradixi. Nec abſcondi animo miſericordiam & veritatem à conſilio multo. Pro huiuſmodi malis meo inſidiantur ſanguini, me ſuccenturiatis inſequuntur odiis. Adeo vt nec Regia Maieſtas eos deterreat, quin me clanculum trucident, ſi eis locus tempúſve arrideat.*

Non deerant cauſæ ſuæ Epiſcopi; cauſa enim erat communis omnium; & id nouum ipſis videbatur, prorſuſque intolerabile, cum audacter negaret Abbo *Aliare* aut *Eccleſiam* vllam poſſe dici *alicuius eſſe Epiſcopi.* Itaque nihil non mouerunt vt Regum animos ab illius amore auocarent. Aliud ergo ſibi præſidium accerſere curat, nempe ab Apoſtolica ſede. Adit Ioannem Pontificem *Priuilegia Eccleſiæ ſibi commiſſa corroboraturus, imò renouaturus*, inquit Aimoinus; ſed cum Pontificem inueniſſet, non qualem putabat, re infectâ reuerſus eſt. Iterum Reipub. causâ ad Gregorium Ioannis ſucceſſorem Legatus, obtinuit quod & quale voluit Priuilegium. Et in eo inter alia continebatur, teſte Aimoino, *Vt Epiſcopus Aurelianenſis niſi inuitatus Floriacum nequaquam adeat Cœnobium.* Neue *vnquam quilibet Pontificum eidem Monaſterio Diuinum interdicat Officium, etiamſi tota Gallia ob populi peccata anathematis feriatur vindictâ à ſede Apoſtolica.*

Ad confirmationẽ verò huius priuilegij, quod nouum videbatur, ſubdit Aimoinus quaſdam authoritates vt probet Gregoriũ & Abbonem in hoc facto contraria non ſenſiſſe SS. Patrum Regulis; imprimis verò refert verba Gregorij Magniſic inter alia ſcribentis ad Maximianum Rauennantem Epiſcopum. *Quoties pro vtilitate Monaſterij ſui ad Pontificem Rom. Abbas venire vel tranſmittere forte voluerit, id ei modis omnibus liceat.* Quod verò ab Epiſcopis & Clericis Monaſteria inquietari non debeant (verba ſunt Aimoïni.) tam memorato Pontifici quàm eius Anteceſſori Ioanni frequentibus ſcripſit Epiſtolis. Luminoſo quoque Abbati de eadem re inter cætera ſic ait. *Caſtorio*, inquiens, *Fratri & Coëpiſcopo noſtro noſtrâ præceptione tranſmiſſa ei ſucceſſoribuſque eius à te Monaſterio tuo cunctam læſionis abſtulimus funditus poteſtatem, vt nec vltra in veſtro verſaretur grauamine, nec Monaſterij res deſcribat, nec publica illic debeat eſſe proceſſio.* Et poſt pauca. *Miſſas illic haud dubiè quam in Monaſterio publicas per Epiſcopum fieri omnino prohibemus; ne in ſeruorum Dei receſſibus popularibus præbeatur vlla occaſio Conuentibus, & ſimpliciores ex hoc animos plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat frequentior quoque muliebris introitus.* Quod autem Diuinum Officium Monaſteriis interdici non oporteat, Ioanni Epiſcopo de Vrbe veteri ſcribens, ita aſſerit *Agapitus Abbas Monaſterij S. Georgij* inſinuauit nobis plurima ſe à veſtra ſanctitate grauamina ſuſtinere, & non ſolum in his quæ neceſſitatis tempore Monaſterio aliquod poſſint ferre ſubſidium, verum etiam in hoc Monaſterio Miſſæ prohibentur celebrari, ſepeliri etiam ibidem mortuos interdicit. Quod ſi ita eſt, à tali vos hortamur inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari miſſas nullâ vlterius habitâ contradictione permittas, ne denuo querelam de his quæ dicta ſunt, prædictus vir venerabilis deponere compellatur.

Hæc Aimoïnus, qui cum nullum exemplum è Gallicana Eccleſia proferat, ſatis indicat fuiſſe iſtud antea in Francia inauditum. Vt & ſequentia declarant: Nam cum Fulco qui Arnulpho ſucceſſit, ad ſubiectionem compellere voluiſſet Gauzlinum Abbonis ſucceſſorem, Fulbertus Carnotenſis ab vtroque, quid facto opus eſſet, conſultus, vtrique ſic reſpondit. Fulconi quidem Ep. 41. his verbis. *Defenſores legum paucos*, Impugnatores verò plures eſſe videtis. Quin etiam Dominus noſter Rex, cui ſummum iuſtitiæ caput incumbit, perfidiâ malorum ſic circumuentus eſt, vt ad præſens neque ſe vindicare, neque Nos vt oportet, adiuuare prævaleat. Non hæc idcirco dixerim, vt fortitudinem animi veſtri frangere velim, ſed vt ſanè diſcretione cauſam veſtram tractare memineritis. Igitur ſi Abbas S. Benedicti de veſtro contemptu culpam ſuam recognouerit, & illam deinceps ſubiectionem promiſerit, quæ vobis canonicè debetur, hortor & ſuadeo vt recipiatis. Sacramenta verò & cætera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem Regis Domini miſſa faciatis, vt religionem magis quàm ſecularem ambitionem ſectari vos cognoſcat. At ſi Abbas in tantam ſuperbiam intumuerit, vt ipſam quoque ſubiectionem Canonicam vobis derogare contendat, ſuperbiæ cui non parcit Deus, Dei ſeruus quo modo parcat, neſcio. Vale.

Gauzlino verò ſic reſcripſit Ep. 73. *Præſul Aurelianorum qui vos excommunicauit, Coëpiſcopos ſuos idem facere poſcit.* At Ego correctionis veſtræ non expers, 3. Kal. Octob. ei reſpectum dedi. Vnde nunc frater commoneo, vt gradus humilitatis interim vel vſque ad tertium relegens Epiſcopo veſtro ſubiiciamini ſicut decet. Aut ſi vobis non ita faciendum eſſe videtur, cur fieri non debeat, rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem neque modum ratiocinationis inuenire poſſum qui vos ab iugo ſubiectionis huius abſoluat. At ſi quis alius præter vos inueniſſe fateatur, nouum illum Rhetorem de cœlo magis cecidiſſe quàm deſcendiſſe crediderim. Viuite. Ne quis vos ſeducat inanibus verbis. Valete.

Ex his duabus Epiſtolis duo colliguntur. Vnum; quod Fulco Fulberti conſiliis acquieſcens Gauzlinum admonitum de præſtanda ſubiectione nec obtemperantem, anathemate ferierit vt contumacem, idemque fieri, à Coëpiſcopis poſtularit in exemplum iuſtæ ſeueritatis. Alterum, quod Fulbertus Diabolici faſtus eſſe putauerit non præſtare Epiſcopo ſubiectionem. Quod & authoritate Canonum confirmat Ep. 72. ad Richardum Abbatem totumque Conuentum Sam-Medardenſem, qui in pollutâ humani ſanguinis effuſione Eccleſiâ ſuâ celebrare diuina non deſtiterant, non præmonito nec aduocato Sueſſionenſi Epiſcopo ad reſecrationem ſeu reconciliationem.

Dicitur, inquit, *de vobis quod in eadem violata Eccleſia ſine Epiſcopali reconciliatione Deo ſacrificare præſumitis. Quod ſi verum eſt, profectò præſumptio iſta & noua eſt & nimia & bonis omnibus inſectanda.* Quid enim mali eſt, quod in ſancta Eccleſia machinari incipitis? vultis dare partes Laïcorum Preſbyteris, Preſbyterorum Laïcis? vbi vobis conceditur Eccleſiam aut nouam dedicare, aut profanatam reconciliare? Sed nec Oratorij quidem domum vobis ædificare niſi per Epiſcopum licet. Poſiti namque eſtis omnino ſub poteſtate ipſius, qui vt ait Hieronymus, **poteſtatem habet peccantem Monachum tradere Sathanæ in interitum** carnis. Sed ne parua authoritate fretus hæc dicere videar, teſtem mihi allego magnam ſynodum Chalcedonenſem duodetriginta Epiſcoporum ſub Papa Leone, ſub Martiano Principe celebratam, in qua Euthyches Abbas Conſtantinopolitanus condemnatus eſt. In qua etiam de ſupradictis cauſis ſancitum placuit neminem aut ædificare aut conſtituere Monaſteria, aut Oratorii domum ſine conſcientia ipſius Ciuitatis Epiſcopi. Eos verò qui per ſingulas Ciuitates ſeu poſſeſſiones in Monaſteriis ſunt, ſubiectos eſſe debere Epiſcopo, & quieti operam dare atque obſeruare ieiunia & orationes in locis, in quibus ſemel Deo ſe deuouerunt, permanentes, & neque communicare, Eccleſiaſticas neque ſeculares aliquas attrectare actiones, relinquentes propria Monaſteria, niſi forte iubeantur propter vrgentes neceſſitates ab ipſius Ciuitatis Epiſcopo. Item in eadem. *Iubemus Monaſteriis aut Martyriis conſtitutis, vt in poteſtate ſint eius qui in ea eſt Ciuitate Epiſcopus ſecundum traditionem ſanctorum patrum, ne per præſumptionem recedant à ſuo Epiſcopo. Eos verò qui auſi fuerint reſcindere huiuſmodi inſtitutionem quocunque modo, vel ſi noluerint ſubiacere proprio Epiſcopo, ſiquidem fuerint Clerici perſona-*

tum ordinatione ſubiaceant condemnationibus Canonum: ſi verò Laici vel Monachi fuerint, communione priuentur. Poteram alia multa de Legibus Diuinis huic rationi firmamenta ſubnectere, ſed breuem me ſcribere memini: & vt ait Iſidorus, *ſicut militi illa arma ſufficiunt quæ ferre ad tempus congruenter poſſit*; ſic nobis de multis ſententiis paucæ, prout tempus exegerit. Nunc vobis charitatiuè volo ſuadere, vt ſano conſilio præbeatis aſſenſum, ad ſubiectionem Epiſcopi veſtri ſimpliciter redeatis. De præterita culpa requiratis veniam; de futura aſſumatis cautelam: & vt vobis fiat quies de obedientia & nobis de veſtra quiete lætitia. *Alioquin pro certo ſciatis, quia ſi*, quod abſit, *in contumacia contra illum manſeritis, in proximo Conuentu Epiſcoporum graue diſpendium incurretis.*

Nondum innotuerant Fulberto Priuilegia Sam-Medardenſia, vt nec Paſchali San-Dionyſiaca iam cum apud eum conqueſtus fuiſſet Galo Epiſcopus Pariſienſis circa an. 1106 (Prætereo enim intermedia tempora à Fulberto ad Paſchalem) quod Adam & Conuentus San Dionyſianus ſubiectionem ſibi præſtari conſuetam præſtare detrectarent, Adamo & Monachis ſcripſit in hunc modum. *Ex confratris noſtri Galonis Pariſienſis Epiſcopi relatione comperimus, quia vos præter ipſius licentiam pro ſacri olei & chriſmatis acceptione, ac pro Monachorum ſeu Clericorum veſtrorum ordinationibus quoſlibet Epiſcopos adeatis, vel pro eorundem ſacramentorum celebratione ad veſtrum Monaſterium conuocetis, & quod Laicis pœnitentias criminum iniungatis.* Quæ profectò ſacris Canonibus valde contraria ſunt. *Et quidem Priuilegia pro prauis & malis collata ſunt, & ad ædificationem non ad Canonum deſtructionem alicui conferuntur.* Cum itaque prædictus frater Galo Epiſcopus veſter gratia Dei bonus & Catholicus habeatur & prædicta ſacramenta gratis ac ſine prauitate indulgeat; & vos præter ipſius licentiam pro eiſdem ſacramentis ſuſcipiendis alios adire Antiſtites prohibemus, & Archiepiſcopis vel Epiſcopis omnibus ne ea vobis exhibeant, interdicimus.

Verum ſcribit Sugerius in vita Ludouici Groſſi ſe an. ſequente apud eundem Paſchalem qui in Franciam venerat & Charitatis Monaſterium dedicauerat, Eccleſiæ San Dionyſianæ cauſam peroraſſe, & Galoni Canonico iudicio ſatisfeciſſe. *Contra D. Epiſcopum Pariſienſem Galonem multis querimoniis Eccleſiam B. Dionyſii agitantem in conſpectu D. Papæ viriliter ſtando apertâ ratione & Canonico iudicio ſatisfecimus.* Scribunt quoque Monachi San-Germano-Pratenſes ſe ab eodem Paſchale Priuilegium obtinuiſſe exemptionis, aut potius Priuilegiorum confirmationem Bullâ datâ Laterani an. 1107. in qua hæc habentur verba. *Miſſas, ordinationes, ſtationes ab omni Epiſcopo vel Clero Pariſienſis Eccleſiæ in eodem Monaſterio præter voluntatem Abbatis vel Congregationis fieri prohibemus, nec habeat ibi aliquam poteſtatem imperandi, ſed nec ipſis interdicere nec excommunicare, nec ad ſynodum vocare Abbatem, vel Monachos, Presbyteros aut Clericos Eccleſiarum ipſius loci facultatem damus.*

Item ſcribit Aimoini Continuator c. 51. ad an. 1108. Guillelmum quendam Abbatem San Germano-Pratenſem electum abdicare ſe ſuâ præfecturâ coactum à Monachis, quod ab Epiſcopo Pariſienſi benedictionem accepiſſet. *Anno Dominicæ Incarnationis 1108.* Rainaldus Monaſterii S. Germani Abbas præ ſimplicitate Abbatiam demiſit: & loco eius Guillielmus eſt ſubſtitutus, qui duobus annis Monaſterium rexit: ſed prauo conſilio deceptus ad Epiſcopum Pariſienſem pergens & ei profeſſionem faciens, benedictionem ab eo accepit. Quod audientes præfati Monaſterii Fratres, timentes ne per hoc Eccleſiæ imminueretur libertas, reuertentem à profeſſione noluerunt recipere, ſed clauſis ianuis valide reſiſtentes eum ab Abbatiæ dignitate penitus remouerunt, prædictumque Rainaldum reuocantes eum iterum ſibi præfecerunt Abbatem.

In veritatem aut falſitatem teſtimoniorum eiuſmodi non inquirimus: inquirant Monachi & quibus res eſt cum Monachis. Dixiſſe ſufficiat hocce Chriſti ſeculo 12. quod noſtræ Vniuerſitatis quartum eſt, Monachos priuilegiis illis ſuis ſeu verè ſeu falsò obtentis munitos plurimũ ſuperbiſſe. Præſertim ex quo Ioannes Cremenſis Cardinalis in Concilio Remenſi, cui Calixtus Papa II. præſedit an. 1119. Cluniacenſem Eccleſiam ſoli Romano Pontifici ſubiacere demonſtrauit, eamque ac cæteras quibus ſimile Priuilegium indulſiſſet, aut indulgere vellet Pontifex, ab Ordinariorum vt vocant, iuriſdictione & procurationibus liberas eſſe. Dictum tamen

eiuſmodi ita omnium qui aderant aures animoſque offendit, vt parum abfuerint à tumultu. Hinc teſte Orderico Vitali diſputandi materiam ſumpſerunt arguti Sophiſtæ & Magiſtri in ſacris Canonibus & Scripturis verſati. Quæ quidem quæſtio & diſputatio toto hoc ſeculo frequens fuit in ſcholis & à pleriſque viris Doctis agitata. Plurimis videbantur exemptiones eiuſmodi ſi abſque neceſſitate concedebantur, eſſe illicitæ, ſic enim in Eccleſiâ quæ nihil ordinatè facit, confuſionem maximâ inferri, ſacros Canones peſſundari, Epiſcopor. iura quæ illibata eſſe debẽt, conuelli, & prauo exemplo eorum authoritatem contemni laiciſque ludibrio exponi. Contra nonnulli dempta priuilegiorum diſpenſatione tolli poteſtatem Apoſtolicam quæ in Eccleſia ſuprema eſſe debet. Priuilegiorum conceſſionem magnam eſſe partem Rom. authoritatis; ab omni æuo Beneficia Gratiaſque à S. ſede emanaſſe, Romam caput eſſe omnium Eccleſiarum; & Papam omnium Pontificum Archipontificem eſſe. Ita vario euentu toto hoc ſeculo certatum eſt ab Epiſcopis & Monachis in Conciliis & Curia Rom. & à Magiſtris in ſcholis, prout ſe dedit occaſio diſputandi. Placet nonnulla exempla referre.

Resbacenſe Monaſterium aliàs *Hieruſalem* dictum Diœceſis Meldenſis in ſaltu Brigenſi ad Matronam fluuium ſitum à S. Audoeno Dagoberti Regis Cancellario & Archiepiſcopo Rothomagenſi fundatum fuiſſe dicitur. Proceſſu autem temporis Meldenſis Epiſcopi Iuriſdictioni parere recuſauit, parochiamque villæ Reſbacenſis, Parochi inſtitutionem, aliaque iura ſibi vendicauit, munitum ſe aſſerens priuilegiis Apoſtolicis. Qua de re quæſtus apud Honorium II. Burchardus Meldenſis Epiſcopus, iura tandem ſua illæſa illibataque retinuit: vt patet ex hac Honorii ad eum Bulla an. 1125. data, quæ habetur in Chartulario Meldenſi & refertur à doctiſſimo Launoyo in ſua Inquiſitione in Priuilegium Sam-Medardenſe.

Honorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Burchardo Meldenſi Epiſcopo eiuſque ſucceſſoribus Canonice promouendis in perpetuum. In eminenti Apoſtolicæ ſedis ſpecula diſponente Domino conſtituti, ex iniuncto nobis officio fratres noſtros Epiſcopos debemus diligere, & Eccleſiis ſibi à Deo commiſſis ſuam debemus Iuſtitiam conſeruare. Proinde, Chariſſime in Chriſto Frater Burcharde Epiſcope Meldenſis Eccleſiæ, cuius à Deo tibi cura commiſſa eſt, ſalubriter ſtatuimus, vt omnes tam Clerici quàm Laici in villa Resbacenſi & Iotrenſi commorantes Meldenſi Eccleſiæ iure Parochiali, ſubiaceant, & ea quæ de eis ad ius Parochiale pertinent, tibi tuiſque ſucceſſoribus libera & illibata ſeruentur. Decernimus etiam vt Abbas Resbacenſis & Abbatiſſa Iotrenſis Canonicam tibi tuiſque ſucceſſoribus obedientiam perſoluant. Benedictio quoque eorum ſicut per tuos Anteceſſores hactenus celebrata conſtiterit, ſic per te tuoſque ſucceſſores deinceps exhibeatur. Promotiones etiam Monachorum ad Eccleſiaſticos ordines per Meldenſem adminiſtrentur Epiſcopum, ſi videlicet gratis eas & ſine prauitate voluerit exhibere, & gratiam Apoſtolicæ ſedis habuerit. Si Quis autem, quod abſit, huic noſtro Decreto ſciens contraire tentauerit, honoris & officii ſui periculum patiatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit. Datum Laterani 17. Kal. Maii.

Manaſſes Burchardi ſucceſſor veritus, ne ſibi tam Abbas Resbacenſis quàm alii ſuæ Diœceſeos Monachi exhibere detrectarent obſequium, ab Innocentio II. Honorij ſucceſſore Bullam impetrat confirmatricem an. 1138. quæ legitur in eodem Chartulario.

Eandem Meldenſium Epiſc. authoritatem confirmat Alexander III. pluribus Bullis in eodem Chartulario contentis. Prima data eſt Laterani Kal. Aprił. eaque vetat ne quis Parochialem Eccleſiam teneat, niſi ei in *perſona voluerit deſeruire.*

Altera eſt ad eundem Stephanum, qua confirmat ea quæ ab Honorio II. de Reſbacenſi & Iotrenſi Abbatia ſtabilita fuerunt.

Tertia data eſt Turonis ad eundem Stephanum Epiſcopum, qua confirmat Innocentii II. conſtitutionem, iiſdemque planè verbis, vt in eodem Chartulario legitur folio 21. pag. 11. Quarta eſt ad eundem data Senonis, quâ auditis partibus & contentionis materia diſcuſſâ ius ſuum Epiſcopo aſſerit. Legiturque hæc Bulla pag. 10, ſub hoc titulo, *De ſubiectione Monaſterij Resbacenſis.*

Alexander.... Venerabili fratri Stephano Meldenſi Epiſcopo Sal. & Apoſt. Bened. Controuerſiæ inter viros Eccleſiaſticos agitatæ quotiens in noſtra præſen-

» tia finem Canonicum ſortiuntur, neceſſe eſt eas in ſcriptis redigi & Apoſtolicæ
» authoritatis pagina communiri, vt ea quæ fauore Apoſtolico deciſa ſunt, & ſcri-
» pto proprio confirmata, tanto humanæ memoriæ tenacius infigantur, quanto
» maiori diligentia litterarum noſtrarum patrocinio fulciuntur. Cum autem inter
» te & dilectos filios noſtros B.... Abbatem & fratres Resbacenſes cauſa ſuper iure
» parochiali quod tibi tam in villaquàm in Monaſterio vendicabas, diutius verte-
» retur, te & eis pro eodem negotio in noſtra præſentia conſtitutis ſubiectionem Ab-
» batis & ius Epiſcopale in ipſa villa & in Monaſterio exigebas, inconcuſſam poſ-
» ſeſſionem te longo tempore aſſerens habuiſſe, & hæc omnia ita eſſe multis inſtru-
» mentis & plurium approbatione teſtium aſtruebas. Altera autem pars libertatem
» ſibi è contrario vendicabat, & hoc ipſum multis conabatur rationibus & ſcripto-
» rum ac teſtium productionibus affirmare. Nos vero, cum vtraque pars hinc in-
» de ad fidem rei dubiæ faciendam in medium produxiſſet, facta diligenti collatio-
» ne monimentorum & teſtium agnoſcentes te ea, quæ tibi in villa & in præfato Mo-
» naſterio vendicabas, ſine interruptione legitima poſſediſſe, de communi fratrum
» noſtrorum conſilio obedientiam & ſubiectionem Abbatis, & ius Epiſcopale tam
» in Monaſterio quàm in villa tibi & per te Eccleſiæ tuæ adiudicauimus. Volen-
» tes autem paci & quieti eiuſdem Monaſterii ex iuncto nobis officio vtiliter
» prouidere, authoritate Apoſtolica inhibemus, vt occaſione iſta nulla noua & in-
» debita grauamina à te vel ſucceſſoribus tuis iam dicto Monaſterio aut villæ de-
» beant irrogari. Vt igitur hæc noſtra definitio futuris ſemper temporibus inuiola-
» biliter obſeruetur, eam authoritate ſedis Apoſtolicæ confirmamus & præſentis
» ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes vt nulli omnino hominum liceat
» hanc paginam noſtræ definitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire: ſi quis
» autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Pe-
» tri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Senonis, 4 Nonas
» April.

Reuerſo in Italiam Alexandro Monachi parere detrectarunt, donec propioribus fulminibus ab Hugone Senonenſi Archiepiſcopo & ſuffraganeis contriti ſunt, his verbis, vt legitur in eodem Chartulario.

Hugo D. G. Senonenſis Archiepiſcopus, Guillelmus Carnotenſis Electus, Mauricius
» Pariſienſis, Manaſſes Aurelianenſis, Stephanus Meldenſis, Henricus Trecenſis,
» Bernardus Niuernenſis Epiſcopi Vniuerſis Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis,
» Preſbyteris & Vniuerſis fidelibus ad quos litteræ iſtæ peruenerint, Salutem &
» dilectionem. Sicut ſacra teſtatur Authoritas, ſola obedientia eſt quæ fidei meri-
» tum poſſidet, ſine qua infidelis quis eſſe conuincitur, etiamſi fidelis eſſe videa-
» tur... Ea propter Vniuerſitati veſtræ notum fieri volumus, quod quidam Mona-
» chorum Resbacenſium contra Deum, contra ſententiam ſummi Pontificis Alex.
» III. contra excommunicationem D. Meldenſis proprii Epiſcopi, contra excom-
» municationem Abbatis ſui Diuina officia paſſim & publicè celebrare præſu-
» mant, & Presbyteros de parochiis in quibus temporalia bona poſſident, expel-
» lentes curam animarum noua & inaudita præſumptione cum Parochiali
» **iure auſu temerario vſurpauerint. Multitudo quoque Laicorum hominum illa-**
» rum Eccleſiarum illorum perſuaſionibus decepta illis adhæret: & ſicut mor-
» tui, mortuos ad mortem pertrahunt & perducunt. Et quidem venerabilis fra-
» ter noſter Meldenſis Epiſcopus per biennium & vltra biennium tantam per-
» tinaciam in multa patientia & exſpectatione ſuſtinuit ſi forte eſſet ſpes, ſi reuer-
» terentur ad viam: ſed factus eſt error nouiſſimus peior priore & nouiſſima illorum
» peiora prioribus. Congregati igitur Beluaci pro negotio Eccleſiæ Dei, & commu-
» nicato conſilio *cum Religioſis & Litteratis viris, & ipſos* & omnes qui eis in oratio-
» ne, in conuiuio, in emptione & venditione in conſilio & auxilio ſuper hoc male-
» facto ſcienter communicauerint, niſi vſque ad proximam Natiuitatem S. Ioannis
» Baptiſtæ reſipuerint, excommunicauimus & à conſilio fidelium ſequeſtrauimus.
» Actum Beluaci anno incarnati Verbi 1166.

Similis iiſdem temporibus diſcordia verſabatur & agitabatur de priuilegiis Cœnobij Vizeliacenſis, quod ſibi quoque Romana ſedes vindicabat. Extant plurimæ in eam rem Bullæ in Chronico Vizeliacenſi edito in tom. 3. Spicilegij Dacheriani. Similis etiam inter fuit inter San-Genouefianos Pariſienſes & Theo-

baldum, deinde Mauricium & poſtremo Odonem Epiſcopum, vt in Hiſtoria retulimus ad an. 1199.

Similiter Auguſtinenſes Cantuaritæ circa an. Chriſti 1151. Archiepiſcopo ſuo Profeſſionem præſtare recuſarunt, obſtantibus quoque priuilegiis, vt dicebant. Vnde inter eos exarſerunt diſſidia & odia immortalia, donec Richardus Thomæ ſucceſſor Chartas ſibi exhiberi cupiens, falſi arguit. Alexander III. earum examen Epiſcopis Herefordenſi & Wigornienſi & M. Petro de Melidis commiſit. Auguſtinenſes hos iudices parum æquos ſibi futuros rati alia & alia ſubinde cauſari variaq; grauamina obiicere cœperunt & Papam appellarunt, proſequendæq; appellationis animo Chartas quaſdam Romam detulerunt. Vnde tandem iuſſi aliis Iudicibus exhibere, reſponderunt nonnullas eſſe Romæ; quaſdam faſſi ſunt ſe non habere; quaſdam etiam ſe nunquam habuiſſe: cæteras non teneri exhibere, quia præfixum Iudicibus tempus præterierat, quâ de re ſic ſcribit Willielmus Thornus Auguſtinenſis Cantuarita ad an. 1181. *Abbas & Fratres reuerenter & deuotè Iudicibus obtemperantes de priuilegiis quæ nominatim fuerant exhibenda, & quæ ipſi Iudices exhiberi præceperant, duo priuilegia ipſis Iudicibus exhibuerunt, videlicet priuilegium* B. Auguſtini *eiuſdem Eccleſiæ Patroni, &* Priuilegium Ethelberti *Regis eiuſdem Monaſterij fundatoris. Cumque aliorum Priuilegiorum exhibitionem prædicti Iudices ſibi fieri poſtularent, conſtanter & veraciter aſſeruerunt etiam priuilegium* B. Gregorij *nec habere nec vnquam habuiſſe. Aſſeruerunt etiam Priuilegia* Adeodati & Ioannis Paparum, *aut non habere aut ignorare an haberent. Requiſiti de aliis priuilegiis adiecerunt Agathonis quod Archiepiſcopus nominauerat, & priuilegium Bonifacij IV. quod in petitione Archiepiſcopi non fuerat nominatum, ad ſedem Apoſtolicam tranſmiſſa fuiſſe, & à Papa propter viarum pericula non fore remiſſa. Cui dicto fidem faciebant litteræ D. Papæ ipſis Iudicibus ſpecialiter directæ. Eodem autem die petebat D. Archiepiſcopus ſibi exhiberi priuilegia* Innocentij, Calixti, Eugenii, Lucij *quæ ante diem illum ſibi exhiberi non petierat. Sed quia ad eorum exhibitionem tempus Iuriſdictionis præfatorum Delegatorum non ſufficiebat, ideo petitio illa Archiepiſcopi quantum ad illa, fruſtrata fuit.*

Iam quæ fuerit virorum Piorum & Doctorum de Priuilegijs & Exemptionibus huiuſmodi ſententia, placet commemorare. Et primum quidem Bernardus Clarenallenſis Abbas quanquam Monachis impenſè addictus, non probauit tamen quod Epiſcoporum authoritati ſubiacere legitimiſque eorum mandatis parere detectarent. Qua de re fuſè agit in Ep. 42 ad Henricum Archiepiſcop. Senonenſem.

Miror quoſdam in noſtro Ordine Monaſteriorum Abbates humilitatis regulam odioſâ contentione infringere, & ſub humili quod peius eſt, habitu & tonſura tam ſuperbè ſapere, vt cum ne vnum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis. Spoliant Eccleſias, vt emancipentur, redimunt ſe, ne obediant. Non ita Chriſtus. Ille ſiquidem deditvitam ne perderet obedientiam, quâ iſti vt careant, totum fere ſuum ſuorumque victum expẽdunt. Quid hoc eſt præſumptionis ô Monachi? Neque enim quia Prælati Monachi, ideo non Monachi. Nempe Monachum facit profeſſio, Prælatum neceſſitas. Vt autem non præiudicet neceſſitas profeſſionis, accedat non ſuccedat prælatio Monachatus: alioquin quomodo illud implebitur? *Principem te conſtituerunt, eſto inter illos tanquam vnus ex illis.* Quomodo tanquam vnus ex illis, manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis, immitis inter manſuetos? vt te putemus tanquam vnum ex illis, videamus tam exhibere paratum quàm exigere obedientiam, videamus tam libenter Præpoſitis obtemperare ſubiectum, quàm imperare ſubiectis. Quod ſi ſemper vis obedientes habere & nunquam eſſe, probas te non eſſe tanquam vnum ex illis? dum vnus eſſe renuis ex obedientibus, à quibus dum te ſuperbiendo ſegregas, quorum aggregeris conſortio patenter aduertimus: & ſi tu vel impudenter contemnis, vel imprudenter diſſimulas, reputari profecto inter illos te noueris, de quibus ſcriptum eſt: *Alligant onera grauia & importabilia & imponunt humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Quorum ergo tibi indignius conſortium iudicas delicatorum Magiſtrorum quos veritas increpat, an obedientium Monachorum quos amicos ſuos commemorat? ait ſiquidẽ. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Vides igitur quale eſt iubere quod

„ ipſe non feceris, aut nolle facere quod docueris?... Longè præſtantius ſolis ſubdi
„ Epiſcopis quàm Vniuerſitati. Sed non propter me, inquit, *hoc facio, ſed quæro Ec-*
„ *cleſiæ libertatem.* O libertas, omni vt ita dicam, ſeruitute ſeruilior! patienter ab hu-
„ iuſmodi libertate abſtineam, quæ me peſſimè addicat ſuperbiæ ſeruituti. Plus ti-
„ meo dentes Lupi quàm virgam Paſtoris. Certus ſum enim Ego Monachorum
„ qualiſcunque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis à propriis ceruicibus excutere
„ iugum tentauero, quod Sathanæ tyrannidi mox meipſum ſubiicio. Aduertens ni-
„ mirum cruenta illa beſtia, quæ circuit quærens quem deuoret, elongatam cuſto-
„ diam, heu ſtatim inſilit in præſumptorem. Meritò enim non cunctatur præſidere
„ ſuperbo, qui ſe iure Regem gloriatur ſuper omnes filios ſuperbiæ. Quis dabit mihi
„ centum in mei cuſtodiam deputari Paſtores? quanto plures ſentio mei curam ge-
„ rere, tanto ſecurior exeo in paſcua. Stupenda inſania! Animarum non cunctor tur-
„ bas mihi cuſtodiendas colligere & vnum ſuper proprium grauor habere cuſto-
„ dem? Et quidem ſubiecti me de reddenda pro ſe ratione ſollicitant. Qui autem
„ præſunt mihi ipſi potius Paulo dicente, peruigilant tanquam rationem pro me
„ reddituri...

„ Verum apertè indicant Quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac
„ pretio Apoſtolicis adeptis Priuilegiis, per ipſa ſibi vendicant inſignia Pontifica-
„ lia, vtentes & ipſi more Pontificum mitrâ, annulo atque ſandaliis. Sane ſi atten-
„ ditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio? ſi miniſterium, ſolis
„ liquet congruere Pontificibus. Profecto eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt,
„ meritoque non queunt eſſe ſubiecti, quibus iam ipſo ſe comparant deſiderio. Quid
„ ſi & nomen eis conferre Priuilegiorum poſſet authoritas, quanto putas auro re-
„ dimerent, vt appellarentur Pontifices?

„ Et lib. 3. de Conſiderat. C. 4. Eugenium Pontificem his verbis alloquitur. *Mi-*
„ *raris* quorſum hæc, ignarus vſque adhuc quid dicere velim. Murmur loquor &
„ querimoniam Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant ac demembrari: vel nullæ,
„ vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam non doleant, aut non timeant. Quæ-
„ ris quam? *ſubſtrahuntur Abbates Epiſcopis*, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſ-
„ copi Patriarchis ſiue Primatibus, bonáne ſpecies hæc? mirum ſi excuſari queat vel
„ opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed iuſtitiæ for-
„ te non ita. Facitis hoc quia poteſtis. *Sed vtrum & debeatis, quæſtio eſt.* Honorum ac
„ dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſeruare poſiti eſtis, non inuidere.
„ Vt quidam veſtrorum ait. *Cui honorem*, honorem. Spiritualis homo ille qui omnia
„ diiudicat, vt ipſe à nemine diiudicetur, omne opus ſuum trinâ quadam conſide-
„ ratione præueniet, *primum quidem an liceat*: deinde an deceat: *poſtremo an expediat.*
„ Nam etſi conſtet in Chriſtiana vtique Philoſophia non decere niſi quod licet, non
„ expedire niſi quod decet & licet, non continuò tamen omne quod licet, decere
„ aut expedire conſequens erit. Age aptemus ſi poſſumus tria iſta operi huic. At
„ quomodo non indecens tibi, voluntate pro lege vti, & quia non eſt ad quem ap-
„ pellaris, poteſtatem exercere, negligere rationem?

„ Túne maior Domino tuo, qui ait. *Non veni facere voluntatem meam?* Quanquam
„ non minus dejecti quàm elati animi eſt veluti rationis expertem non pro ratione
„ ſed pro libitu agere, nec iudicio agi ſed appetitu. Quid tam beſtiale? Et ſi indi-
„ gnum cuiuis vtenti ratione viuere vt pecus, quis in te Rectore omnium tantam
„ contumeliam naturæ honoris iniuriam ferat? Sic degenerando, quod abſit, ge-
„ nerale opprobrium feciſti proprium tibi. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit,*
„ *comparatus eſt Iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Quid item tam indi-
„ gnum tibi quàm vt totum tenens, non ſis contentus toto, niſi minutias quaſdam
„ atque exiguas portiones ipſius tibi creditæ vniuerſitatis tanquam non ſint tuæ,
„ ſatagas adhuc neſcio quo modo facere tuas, vbi etiam meminiſſe te volo para-
„ bolæ. Nathan de homine, qui multas oues habens, vnam quæ erat pauperis, con-
„ cupiuit. Huc quoque veniat factum, imò facinus Regis Achab, qui rerum ſum-
„ mam tenebat & vnam vineam affectauit. Auertat Deus à te quod ille audiuit:
„ *occidiſti & poſſediſti.* Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius.
„ Nullus eſt enim, niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, Monachi etiam diſſolu-
„ tiores fiunt. Quid quod & pauperiores? Inſpice diligentius talium vbique liber-
„ torum & facultates & vitas, ſi non pudenda admodum & tenuitas in his, & in

illis

illis ſecularitas inueniatur. Matris noxiæ libertatis gemina ſoboles hæc. Quidni « peccet licentius vagum & malè liberum vulgus cum non ſit qui arguat? Quidni « licentius quoque ſpolietur ac deprædetur inermis religio, cum non ſit qui defen- « dat? Quò enim refugium illis? Nunquid ad Epiſcopos dolentes inimiam? Ri- « dentibus profectò aſpiciunt oculis ſiue quæ faciunt malè, ſiue quæ patiuntur. « Quæ demum vtilitas in ſanguine iſto? Vereor ne illa, quam in Propheta commina- « tus eſt Deus. Ille, inquiens, in iniquitate ſua moritur, ſanguinem autem eius de « manu tua requiram. Si enim extollitur qui ſubtrahitur, & cui ſubſtrahi- « tur, vritur, qui ſubtrahit quomodo innocens? parum eſt, inuoluimus ignem. « Audi apertius. Si is qui murmurat, ſecundum animam mortuus eſt, qui inſtigat « quomodo viuit? Quomodo verò non reus mortis amborum & ſuæ pariter qui gla- « dium dedit, vnde ambo morerentur? hoc eſt quod dixerant. *Occidiſti & poſſe- « diſti.* Adde quod qui audiunt, ſcandalizantur, indignantur, detrahunt & blaſ- « phemant, hoc eſt vulnerantur ad mortem. Non eſt bona arbor faciens fructus « tales, inſolentias, diſſolutiones, dilapidationes, ſimultates, ſcandala, odia; « quodque magis dolendum inter Eccleſias, inimicitias graues perpeteſque diſ- « cordias. «

Vides quàm verus ſit ſermo ille, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* « Quid ſi forte nec licet? ignoſce mihi, non facile adducor licitum conſentire, quod « tot illicita parturit. tunc denique tibi licitum cenſeas, ſuis Eccleſiam mutilare « membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos poſuerunt patres tui? « Si iuſtitiæ eſt ius cuique ſeruare ſuum, auferre cuiquam ſua Iura quomodo « poterit conuenire? Erras ſi vt Summam, ita & ſolum inſtitutam à Deo veſtram « Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait. Non eſt « poteſtas niſi à Deo. Proinde quod ſequitur. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordina- « tioni reſiſtit: etſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique « idem ait. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: non ait *ſublimiori*, tan- « quam in vno, ſed *ſublimioribus* tanquam in multis. Non ergo ſola poteſtas à Do- « mino, ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Et quomodo quos Deus coniunxit, « non ſunt ſeparandi, ſic nec quos ſubiunxit, comparandi. Monſtrum facis, ſi ma- « nu ſubmouens digitum facis pendere de capite ſuperiorem manui, brachio col- « lateralem. Tale eſt, ſi in Chriſti corpore membra aliter locas quàm diſpoſuit ipſe: « niſi tu putas alium eſſe, qui poſuit in Eccleſia *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam* « *autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Doctores & Paſtores ad conſummationem* « *ſanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti.* Atque hoc corpus quod « tibi ipſe Paulus ſuo verè Apoſtolico figurans eloquio & capit ic conuenientiſſime « aptans, totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturam « ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, « argumentum corporis faciens in ædificationem ſui in Charitate. Nec vilem re- « putes formam hanc quia in terra eſt, exemplar habet è cœlo. Neque enim fi- « lius poteſt facere quidquam, niſi quæ viderit Patrem facientem, præſertim « cum ei ſub Moyſi nomine dictum ſit. *Vide omnia facias ſecundum exemplar quod tibi* « *in monte monſtratum eſt.* Viderat hoc qui dicebat. *Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſa-* « *lem nouam deſcendentem de cœlo à Deo paratam.* Ego enim propter ſimilitudinem di- « ctum reor, quod ſicut illic Seraphim & Cherubim, cæteri quique vſque ad Ar- « changelos ordinantur ſub vno capite Deo, ita hic quoque ſub vno ſummo Ponti- « fice Primates vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates & « reliqui in hunc modum. Non eſt parumpendendum, quod & Deum habet autho- « rem & de cœlo ducit originem. «

Quod ſi dicat Epiſcopus, nolo eſſe ſub Archiepiſcopo, aut Abbas, nolo obe- « dire Epiſcopo, hoc de cœlo non eſt, niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem « audiſti, nolo ſub Archangelo eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum Ordinum « aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam niſi Deo. *Quid*, inquit, *prohibet diſ-* « *penſare?* non, ſed diſſipare. Non ſum tam rudis, vt ignorem poſitos vos Diſpen- « ſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique *quæritur inter Diſ-* « *penſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio « eſt, vtilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non planè «

fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Nonnulla tamen Monaſteria ſita in diuerſis Epiſcopatibus, quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad ſedem Apoſtolicam pro voluntate fundatorum quis neſciat? ſed aliudeſt quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubiectionis.

Arnulphus Lexouienſis Epiſt. 85. ad Alexandrum III. *Eſt quiddam quod tam meam quàm alias vehementer angit Eccleſias quorumdam ſcilicet rapax & intemperans audacia Monachorum, qui quo liberius effluant, ſecularis potentiæ præſidia redimentes, primo Epiſcopis omnem obedientiam ſubſtrahunt & Parochiales Eccleſias cum altariis & decimationibus cæteriſque Beneficiis de manu Laica recipere pactis quibuſlibet ſacrilega temeritate præſumunt.*

Nempe quod non audebant facere Clerici ſeculares, quia ſæpe prohibitum fuerat à Laicis Eccleſiaſtica accipere beneficia, id impune tanquam licitum ſibi arrogabant Monachi, & ſi quid à ſecularibus peccaretur, exaggerabant ſupra modum: qua de re queritur quoque Ioannes Saresberienſis l. 7. de Nugis Curial. c. 21.

» Hi ſunt qui, ſi quid maculæ inhæſit Eccleſiæ dum peregrinatur, publicis aſ-
» pectibus detegunt, vt ipſi ab omni macula videantur immunes. Hi ſunt qui be-
» neficia, quæ nec dum ſanctis collata ſunt, prædicant auferenda. Hi ſunt qui po-
» teſtatibus perſuadent, vt propter vitia perſonarum, iure ſuo priuentur Eccleſiæ.
» Decimationes & primitias Eccleſiis ſubtrahunt, & Eccleſias ipſas accipiunt de
„ manu Laicorum, Epiſcopis inconſultis. Hi ſunt qui prædia auita ſubtrahentes in-
„ digenis, vicos & pagos redigunt in ſolitudinem, & in ſuos vſus vicina quæque
„ conuertunt. Eccleſias diruunt, aut in vſus reuocant ſæculares. Quæ domus ora-
„ tionis fuerat, aut efficitur ſtabulum pecoris, aut opilionis, aut lanificii officina.
„ Et quidem maiora impune faciunt, & quaſi cornibus geminæ poteſtatis, Eccle-
„ ſiam, in cuius ſinu quieſcunt, & proteguntur vmbra, ventilare non ceſſant. Ad
„ Eccleſiam namque Romanam confugiunt, quæ Mater pietatis, religioni con-
„ ſueuit prouidere quietem. Implorant opem eius, protectionis impetrant clypeum,
„ ne cuiuſquam poſſint malignitate vexari, & vt ſe poſſint plenius exhibere, &
„ charitatis implere manus, ne decimas dent, Apoſtolico priuilegio muniuntur.
„ Procedunt vlteriùs, & quo ſibi plura impune liceant, à iuriſdictione omnium
„ Eccleſiarum ſe ipſos eximunt, & efficiuntur Romanæ Eccleſiæ filii ſpirituales.
„ Ita tamen, vt pro foro rei vbique conueniant; ſed tamen conueniri non poſſunt,
„ niſi Romæ vel Hieroſolymis. Deinde ſæcularium poteſtatũ implorant auxilium
„ & eis diuinam gratiam pollicentur. Fiuntque mediatores Dei & hominum, &
„ eos qui venia indigent, ſuis aggregant ſocietatibus, confeſſiones excipiunt, &
„ claues Eccleſiæ vſurpantes, aut ſurripientes Petro, ligare præſumunt & ſoluere,
„ & domino prohibente, falcem mittunt in meſſem alienam. Potentiores tamen
„ & Ditiores, fauore vel mercede recepta, facilius exonerant, & peccatis alienis
„ humeros ſupponentes, iubent abire in tunicas & veſtes pullas, quicquid il-
„ li ſe commiſiſſe deplorant. Amplificant miſericordiam Domini, qui nemi-
„ nem vult perire, quam ſicut apertam & patentem pœnitentibus, ſic ſolis deſ-
» perantibus præcluſam eſſe pronunciant. Indulgent interim his qui criminibus
» ardentius & tenacius inuoluuntur, peccare in ſpe, dum tamen ſibi in redemp-
» tionem eorum, aliquid prærogent, & audacter promittunt veniam, eo quod ſi-
» cut aqua ignem, ita eleemoſyna peccatum extinguit. Pœnitentia quoque nun-
» quam ſera eſt, ſi tamen vera. Conſentiunt ergo moribus iniquis, & popularem
» prouocantes affectionem, aſſentationibus obturant aures hominum, ne increpa-
» tiones audiant Prælatorum. Adhuc rumuſculos inquirunt, tumultibus gaudent,
» diſſidentium ſecreta explorant, & eadem nunc ad amicos perferuntur, nunc ad
» hoſtes, vtriſque grati, vtriſque perfidi, magis tamen ad iſta videntur idonei, quia
» ab imagine religionis minus habentur ſuſpecti. Quid in palatio, quid in foro, quid
» in agris expediat, quid in caſtris, ſoli creduntur noſſe, quia vniuerſa hæc præ
„ ceteris videntur curare, qui iſtis iugiter immiſcentur. Si conueniant patres in
„ curia, ciues in foro, milites in expeditione, ſi denique concilium, aut ſynodus
„ conuocetur, præcipuam ſedium partem præoccupabit vmbratilis iſta religio.
„ Clauſtrorum fracta credas repagula, exhauſta ptochia, vel xenodochia, & à
„ locis venerabilibus examina conuiuentium euolaſſe. Adeo quidem ſe religionis

ſpecies turbis,& publicis aſpectibus ingerit. Primas cathedras,recubitus primos, « primas ſalutationes vſurpant,& ſi eas differas,vehementiſſimè indignantur. Si eis « obloqueris, religionis inimicus & veritatis diceris impugnator. Feras itaque pa- « tienter, ſi iniurias & damna intulerint, qui licentia omnium, Apoſtolica & re- « gia autoritate obtinuiſſe videntur. Nam & hoc meritis eorum deberi creditur. « Sanè qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.Nec ego Apoſtolicæ maieſtati, « & regiæ arbitror reluctandum. Miror tamen, vt fidelium paceloquar, quidnam « ſit, quod decimas & iura aliena vſurpare non erubeſcunt? Inquient forte, reli- « gioſi ſumus. Plane decimas ſoluere religionis pars eſt, & eas à Deo populus dun- « taxat religionis exigitur. At qui eas exigunt, irreligioſi ſunt. Vos autem quis con- « ſtituit iudices ſuper eos? Aut qui eſtis vt exerceatis iudicium in ſeruos alienos? « Vnuſquiſque ſuo Domino ſtat, aut cadit. Stabunt autem. Sumus, inquiunt, tu- « ti Apoſtolico priuilegio, cur beneficio de nutrimentis animalium & laboribus « noſtris decimas retinemus. Nempe Apoſtolis omnia licent, ſed omnia ab Apo- « ſtolicis fieri nequaquam expedit. Eſto quod illi vobis hoc licenter conceſſerint? « vos an rectè petieritis, videatis. Nempe qui petit vt quod debet, non faciat, « iuſtitiæ ſpontaneus non obedit. Numquid de nutrimentis Abel Dominum non « reſpexit?Cain fruges obtulit; rectè quidē, quia Domino debebantur,ſed in partì- « tione iniqua, dum diuiſioni aliquid ſubtrahit, peccatum committit. Acceptan- « tur præ illo munera eius, qui fœtus animalium cum Domino partitur. Et forte de « animalibus rectius, quia ſine cultura & cura noſtra proueniunt. Plus enim labo- « ris eſt in frugibus ſerendis & metendis. Non cogunter dare de ſuis. Quis enim de « laboribus alienis redditurus eſt rationem? Quid multa? Multis & longis allega- « tionibus videntur adſtruere,quoniam alias decimas dare non prohibent, dum « ipſi ab eis dandis immunes ſint, quia adeo religioſi ſunt, quod in ea parte dero- « gare poſſunt conſtitutioni diuinæ, & in eo licenter minùs grati ſunt gratiæ Dei, « quo eam amplioribus beneficiis experiuntur. Quæ enim ex ſola gratia proue- « niunt, vt ſunt fœna & ſponte naſcentia, non cenſentur obnoxia religioni. Primò « quidem dum religio paupertate gaudebat, & in aliorum neceſſitates aut vſus ef- « fundebat viſcera inopiæ ſuæ, indulta ſunt priuilegia profeſſionibus, quæ neceſ- « ſitate ceſſante, & frigeſcente charitate, potiùs auaritiæ, quàm religionis inſtru- « menta creduntur. Ecce enim quia omnes hi priuilegiati, quæ ſua ſunt quærunt, « & Ieſus qui prædicatur in publico, aut omnino abeſt, aut in abditis latet. Inde « eſt, quod cum ad iniquum compendium auaritiæ priuilegia trahi conſpiceret B. « Adrianus, volens ea omnino reuocare, licentiam eorum hac moderatione com- « peſcuit, vt quæ de laboribus vſurpant, circa noualia duntaxat interpretetur. Sic « enim gaudere poterunt priuilegiis, ſine graui diſpendio iuris alieni. Vnum tamen « eſt quod tantus pater vtcunque ſuſtinuit; & quia patrum canonibus refragatur, « mirabile eſt in oculis noſtris. Milites nāque templi ſui fauore Eccleſiarum diſpo- « ſitionem vendicant, occupant perſonatus, & quodammodo ſanguinem Chriſti « fidelibus miniſtrare præſumunt, quorum fere profeſſio eſt humanum ſanguinem « fundere. Non equidem quod eos viros ſanguinum dicam, qui pene ſoli inter « homines legitima gerunt bella, cum & Dauid non propter bella, quæ legitimè « exercebat, vir ſanguinum dictus ſit, ſed propter Vriam, cuius ſanguinem inno- « center effudit. Vt enim in Canonibus cautum eſt, Laicis quamuis religioſis, nul- « la de rebus Eccleſiaſticis legitur adtributa facultas. Eſſet vtique veræ religionis « indicium, ſi ab illius rei diſpoſitione temperarent, quam ſibi Domino prohiben- « te tractare non licet. Sed nec de rapinis, non dico Eccleſiarum, ſed nec quo- « rumcunque fidelium, munus hoſpitalitatis implendum arbitror, quia panem ſa- « crilegum odit Dominus, & aſpernatur oblationes quæ offeruntur ex ſanguine: « & quotiens inuocatur à talibus, claudit aures ſuas, vt non pateant ad preces eo- « rum. De his quæ in fraudem iuſtitiæ Dei committuntur à talibus, ad præſens « nequaquam ſermo eſt inſtitutus: licet omnino iniquum ſit, quod amore pecu- « niæ illecti, Eccleſias, quas Epiſcopi clauſerunt, aperiunt. Diuina ſuſpenſis cele- « brant, ſepeliunt mortuos, quos reiicit Eccleſia, & ſemel in anno faciunt, vt toto « anno erroneus populus ad vocem Eccleſiæ obſurdeſcat, & quia coërceri non po- « teſt, emendari contemnit. Circumeunt ergo Eccleſias, collegiorum ſuorum me- « rita præconantur, abolitiones criminum portant, & interdum prædicant Euan- «

„ gelum nouum, adulterantes verbum Dei, quod annunciant non ad gratiam, ſed
„ ad precium, viuentes ad voluptatem, non ad veritatem: & tandem cum in lati-
„ bulis ſerò conueniunt, die de virtute locuti, clunem agitant errore & labore no-
„ cturno. Si ſic itur ad Chriſtum, fallax & vana eſt doctrina Patrum, quæ arctam &
„ arduam monſtrauit viam, homini tendenti ad vitam. Cum vero iſtis Eccleſia in-
„ dignetur, nulli omnino æquius commouentur, quàm viri verè religioſi, in quorũ
„ iniuriam hæc omnia refunduntur. Succenſet populus: ſed religioſæ profeſſiones
„ aduerſus hanc hypocriſis labẽ iuſtius amaricantur. Non enim hoc feciſſe dicuntur
„ hypocritæ, ſed Ciſtercienſes, aut Cluniacenſes aut alii quorum hi ventiloqui, aut
„ ventriloqui habitũ induunt, & vitam mentiuntur. Nã clauſtrales, qui planè verè
„ religioſi ſunt, dum profeſſionibus ſeruiunt, ab hac malitia immunes ſunt. Nulla
„ vita fidelior, nulla ſimplicior, nulla felicior, quàm eorum qui in clauſtris fideliter
„ degunt, & humiliter abiectione ſua gaudentes, obedientes prælatis ſuis in om-
„ ni ſubiectione & reuerentia, nec appetentes ſub obedientiæ nomine dominatum
„ aut fraudandi, aut ociandi licentiam, vaſa ſua poſſidentes in ſanctificatione & ho-
„ nore, præſtolantes in ſilentio & patientia ſalutare Dei, à detractione & murmure
„ alieni, excipientes ab ore Domini in quiete verbum, quod ſaluare poteſt animas
„ ſuas, grata miſcentes cum Deo colloquia, & quaſi terreſtres angeli, ſunt totius
„ mundanæ perturbationis ignari.

„ M. Petrus Bleſenſis Ep. 68. ad Alexandrum III. contra eadem priuilegia vehe-
„ menter inſurgit nomine Cantuarienſis Archiepſ. *Sicut eminentiam Apoſtolicæ ſedis*
„ *Magiſtram* omnium Eccleſ. profitemur, ſic ab ipſa cõſilia in ambiguis, in anguſtiis
„ ſolatia, reſponſa in iudiciis exſpectamus. Monaſteriũ Malmesburienſe quod in Sa-
„ reſberienſi Diœceſi ſitum eſt, nuper ſibi Abbatem elegerat. Cumq; Saresberienſis
„ Epiſc. appellaſſet, atque ex parte veſtra conſtanter inhibuiſſet electo, ne alunde
„ quàm à ſe munus benedictionis acciperet, ille nihilominus occultè profectus in
„ wallias ab Epiſcopo Landauen. clandeſtinam & furtiuam benedictionem adeptus
„ ſibi officium Abbatis vſurpauit. Nos autem querela Epiſcopi & veritate rei dili-
„ gentius inquiſita ſuſpendimus wallenſem Epiſcopum & Abbatem, donec ad
„ excuſationem tanti exceſſus libertatis aut dignitatis priuilegium allegarent.

„ Partibus itaque in noſtra præſentia conſtitutis & Ecclesiarum Priuilegus produ-
„ ctis in medium nihil inuenimus, quare Malmesburienſe Monaſterium Epiſco-
„ po Sarisberienſi ſubeſſe non debeat & humiliter obedire: eo ſolo excepto quod
„ Abbas quaſdam exemptionis ſuæ litteras prætendebat, quæ in filo & bulla
„ videbantur vitioſæ, ſtylumque Romanæ Curiæ minimè redolebant, ideoque
„ & eas falſitatis Epiſcopus arguebat. Abbas teſtibus nitebatur aſſerere deceſſo-
„ res ſuos benedictiones à quibus volebant Epiſcopis pro ſuo libitu citra profeſſio-
„ nis vinculum ſuſcepiſſe. Epiſcopus è contrario multas profeſſiones Abbatum
„ Malmesburienſium exhibebat ſibi & Prædeceſſoribus ſuis factas quibus ſibi Ab-
„ batis obedientiam & ſubiectionem Monaſterij vendicabat.

„ Productis itaque & receptis Abbatis teſtibus, redactis eorum atteſtationibus in
„ ſcripturam, quia ſecundam productionem poſtulabat Abbas, inſtantius diem
„ alium præfiximus: in quo cum rogaremus more noſtro quæ pacis ſunt, Epiſco-
„ pus & Paci & Iudicio humiliter ſe offerebat. Abbas verò conſilio cuiuſdam
„ Aduocati diffugiens ad verſuti iuris præſtigias, nec iudicio acquieſcere voluit,
„ nec verbum pacis admittere, aſſerens ſe de cætero nulli Epiſcopo vel Archiepiſ-
„ copo, niſi ſoli ſummo Pontifici ſuper profeſſione vel obedientia reſpondere, re-
„ cedenſque contumaciter, *Vilis*, inquit, *ſunt Abbates & miſeri qui poteſtatem*
„ *Epiſcoporum proſus non exterminant, cum pro lamina auri vnica plenam à ſede Roma-*
„ *na poſſint aſſequi libertatem.* Ideo hæc ad aures Fminentiæ veſtræ, Reuerende
„ Pater, communi deploratione deferimus, quia peſtis illa latiſſimè ſe diffundit.
„ Aduerſus Primates & Epiſcopos intumeſcunt Abbates, nec eſt qui maioribus
„ ſuis reuerentiam exhibeat & honorem. Euacuatum eſt obedientiæ iugum, in
„ qua erat vnica ſpes ſalutis & præuaricationis antiquæ remedium. Deteſtantur
„ Abbates habere ſuorum exceſſuum correctorem, vagam impunitatis licentiam
„ amplectuntur, Clauſtraliſque militiæ iugum relaxant in omnem deſiderii liber-
„ tatem. Hinc eſt quod Monaſteriorum fere omnium facultates datæ ſunt in dire-
„ ptionem & prædam. Nam Abbates exterius curam carnis in deſideriis agunt, non

curantes dummodo lautè exhibeantur & fiat pax in diebus eorum: Clauſtrales verò tanquam Acephali otio vacant & vaniloquio: nec enim præſidem habent qui eos ad frugem vitæ melioris inclinet. Quod ſi tumultuoſas eorum contentiones audiretis, Clauſtrum non multum differre crederetis à foro.

Hæc omnia, Reuerende Pater, veſtræ corectionis Iudicium poſtulant tempeſtiuum. Niſi enim huic malo maturius remedium adhibeatur, verendum eſt ne ſicut Abbates ab Epiſcopis, ita & Epiſcopi ab Archiepiſcopis & à Prælatis ſuis Decani & Archidiaconi eximantur. Et quæ eſt hæc forma Iuſtitiæ, aut potius iuris deformitas, prohibere ne Diſcipuli Magiſtro conſentiant, ne filii obediant Patri, ne milites ſequantur Principẽ, ne ſerui Domino ſint ſubiecti? Quid eſt eximere ab Epiſcoporum ſubiectione Abbates, niſi contumaciam ac rebellionem præcipere & armare filios in parentes? Videant quæſo iſta & iudicent, qui iudicant orbem terræ, ne inde emanare videantur iniuriæ, vnde iura ſumuntur. Arguemur temeritatis & dicemur os noſtrum poſuiſſe in cœlum, qui non de ſuperbiæ ſpiritu, ſed de atramentario dolori hæc ſcribimus. Sentimus equidem familiares anguſtias, qui publicas deploramus, nec fortitudo noſtra fortitudo eſt lapidis, nec caro noſtra ænea eſt, vt tam enormes iniurias diſſimulare poſſimus.

Poſt Vriæ mortem & adulterium Berſabeæ miſſus eſt ad Dauid Propheta proponens ei paradigma de paupere qui vnicam habebat ouiculam, quam abſtulit ei diues, qui oues habebat innumeras. Dauid verò de ſententia requiſitus iudicium mortis dictauit in diuitem & per conſequentiam in ſeipſum. Et quis eſt hodie diues qui habet oues innumeras, niſi Romanus Pontifex qui Eccleſias orbis poſſidet vniuerſas? & quis pauperior quàm Eccleſia Cantuarienſis, quæ cum vnam & vnicam Abbatiam haberet, Monaſterium ſcilicet S. Auguſtini, quam ſinu prouidentiæ Paſtoralis & paterno fouebat amplexu, eam diues ille Propheticus, ne dicam Rom. Pontifex in ſuam ſpecialem & propriam vſurpauit. Si audeamus dicere, quod ſentimus, cum ex officio Iuſtitiæ reddatur vnicuique quod ſuum eſt, non multum Rom. Pontificis Iuſtitiam promouet, ſi alicui in alienam iniuriam beneficium confert, ſi quod meum eſt aufert, ſi ea committit in rebus Eccleſiaſticis, quæ mundana poteſtas in ſecularibus abhorret. Apoſtolus ad Romanos loquens, *Omnis*, inquit, *Creatura Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Si Eccleſiæ Rom. ſic Apoſtolus ſcribit, quis in Eccleſia Rom. doctrinæ Apoſtolicæ contraire præſumpſit? Ad Hebræos etiam ſcribens dicit, *Obedite præpoſitis veſtris*. In humano corpore membrum vnum ſeruire alteri non detrectat. Quidam Angeli aliis præſunt, nec interſe ſuperbiam emancipationis admittunt. Vnus eorum quandoque ſe eximere voluit à poteſtate Diuina, & de Angelo Diabolus factus eſt.

Hodie per huiuſmodi extraordinarias libertates multorum præcipitia machinantur. Adhuc replicamus, quia de facto ſummi Pontificis diſputaſſe & ſacrilegium commiſiſſe dicemur. Veruntamen non eſt æqua diſputatio, vbi ſuſtinenti reſpondere non licet; nec rixa eſt, vbi tu pulſas, ego vapulo tantùm. Si ex turbatione ſpiritus & abundantia cordis os loquitur, inconſulto calori miſericordi-
ter indulgere velitis, Clementiſſime Pater, dolor enim noſter in conſpectu veſtro eſt, & gemitus noſter non eſt à vobis abſconditus. Vtinam in caput meum manũ animaduerſionis indignatio veſtra extenderet, dummodo per opprobria & dolores meos Eccleſia Cantuarienſis in antiquæ dignitatis gratiam reſpiraret. Quandoque per miſericordiam Dei cogitabit Rom. Pontifex, vt complacitior ſit adhuc. Nam ſi Eccleſiam S. Auguſtini ſpecialem filiam vocat, filia ſpecialior atque ſpecioſior & longe eſt dignior Eccleſia Cantuarienſi: cui ſi Monaſterium S. Auguſtini ſubiaceat, nihil ſubſtrahit, niſi reſtituens alienum. Nam teſte Gregorio *nihil Eccleſiaſticis deperit vtilitatibus, ſi quæ ſunt alienæ, reddantur*. Scimus equidem quod ob quietem Monaſteriorum & Epiſcoporum tyrannidem has Exemptiones plerumque Rom. Pontifices indulſerint, veruntamen in contrarium res verſa eſt. Monaſteria enim quæ hoc beneficium damnatiſſimæ libertatis ſiue Apoſtolica authoritate, ſiue quod frequentius eſt, bullis adulterinis adepta ſunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt, ideoque & multæ Domus, quæ nominatiſſimæ ſunt in ſanctitate & religione, has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuo reiecerunt. Si

» ergo Malmesburienſis Abbas qui apud Nos reputatur arbor ſterilis, ficus fatua &
» truncus inutilis, ad vos venerit vel miſerit, vitam & opinionem illius in libra Iu-
» ſtitiæ appendatis, nec illius admittatis priuilegia, donec manifeſtè liqueat ex col-
» latione ſcripturæ & Bullarum, quo tempore & à quibus patribus ſint indulta.
» Falſariorum enim præſtigioſa malitia ita in Eiſcoporum contumeliam ſe armauit,
» vt falſitas in omnium fere Monaſteriorum exemptione præualeat, niſi in deci-
» ſionibus & examinationibus faciendis Iudex veritatis exactor diſtrictiſſimus in-
» tercedat.

Plurima quoque habet in hanc rem notatu digniſſima idem Bleſenſis Ep. 90. ad Guillelmum fratrem non ita pridem Abbatem factum cum priuilegio mitræ aliorumque ornamentorum Epiſcopalium. Super his quoque conſultus M. Petrus Cantor, quanquam non omnino ſummorum Pontificum authoritati derogare voluit, ſatis tamen ſignificauit, ſe ea non probare. Sic enim ille c. 47. Verbi Abbreuiati.

Refertur & legitur idem Bernardus in Zelum huius enormitatis & exemptionis ab Eccleſia eradicando multum affectaſſe ſedere in ſede Papatus per triennium propter tria maximè. 1. Propter reuocandos Epiſcopos ad Metropolitanum ſuum, vt ei ſubii-
» cerentur & obedirent; & Abbates exemptos ad Epiſcopum ſuum, vt ſub eius Iu-
» riſdictione militarent. 2. erat, ne aliquis in Eccleſia duas haberet dignita-
» tates. 3. Ne Monachus in cella, vel alibi extra Conuentum degeret..... Huiuſ-
» modi Abbates exemptos M. Gilbertus (Porretanus) Schiſmaticos eſſe dicebat.
» Sed dicetur mihi. Os tuum ponis in cœlum. Reſpondeo. Non. Hanc autem no-
» tam non afferendo, ſed opponendo induco. Non enim mihi licet dicere Domi-
» no Papæ, Cur ita facis? Sacrilegium enim eſt opera eius redarguere & vitupe-
» rare. Veruntamen horum ſolutionem, vel qua ratione eis obuietur, non video.
» Scio autem quia authoritate Canonis veteris vel noui non fit huiuſmodi diuiſio
» & exemptio in Eccleſia, ſed ſpeciali authoritate ſedis Apoſtolicæ, quam non pa-
» titur Dominus errare. Forte enim inſtinctu & familiari conſilio Spiritus S. lege-
» que priuatâ ducta hoc facit, ſicut Samſon ſeipſum cum hoſtibus occidit.

CATALOGVS ILLVSTRIVM ACADEMICORVM

QVARTI SECVLI.

A



ABSALON Teutonicus apud San-Victorinos educatus & litteris informatus, deinde Abbas Spremkirbacenſis electus. Eius meminit Cæſarius Heiſterbacenſis l. 4. c. 89. his verbis. *M. Abſalon vir honeſtus & litteratus in Eccleſia S. Victoris Pariſienſis Canonicus, ante hos annos in Sprenkirsbac eſt electus.* Fuit etiam Abbas S. Victoris eiuſdem nominis ante an. 1200. ſub quo contigit res prorſus ſtupenda de contritione cuiuſdam Scholaris, vt ad an. 1199. retulimus.

Achardus natione Anglus, Patria Northumbrenſis, vir vitæ integritate & eruditione multiplici mirificè florens, in humanioribus litteris adoleſcentiam, in Philoſophia iuuentutem, in Theologia maturiorem ætatem ita collocauit, vt in ſingulis ſingulares progreſſus fecerit: vt Pitſeus refert ex Lelando & Boſtono. Poſt longam litterarum profeſſionem ad Canonicos Regulares S. Victoris ſe contulit, quorum & Abbas fuit: ex Abbate verò factus an. 1161. aut 1162. Epiſcopus Abrincenſis. Scripſit de Chriſti tentatione l. 1. De S. Trinitate l. 1. vitam S. Gozelini Monachi l. 1. Homiliarum l. 1. Hæc fere de eo Robertus de Monte, Continuator hiſtoriæ Sigeberti. Obiit autem Achardus 29. Martij an. 1171. & quieſcit in templo S. Trinitatis de Lucerna. Vide quæ de eo diximus ad an. 1161.

***Adam* Angligena, *de Parvo-ponte* cognominatus, quia ibi Scholam exercebat,** vir nullius expers litteraturæ, inſignis Grammaticus, diſertus Rhetor, Philoſophus clariſſimus & ſubtiliſſimus, & in iis Artibus Profeſſor celeberrimus. Auditor fuit Abaëlardi, Ariſtotelicæ Doctrinæ ſectator. Vnde Ioannes Sareſberienſis eum vocat *Peripateticum* l. 3. Metal. cap. 3. *Deridebat*, inquit, *eos noſter ille Anglus Peripateticus Adam, cuius veſtigia ſequuntur multi, ſed pauci præpediente inuidiâ profitentur: dicebatque ſe aut nullum aut pauciſſimos Auditores habiturum, ſi eâ ſimplicitate, ſermone & facilitate ſententiarum Dialecticam traderet, quâ ipſam doceri expediret: habuit enim hominem familiarem aſſiduitate colloquij & communicatione librorum & quotidiano fere exercitio ſuper emergentibus articulis conferendi. Sed nec vnâ die Diſcipulus eius fui. Ei tamen habeo gratias, quod eo docente plura cognoui, plura ipſius, quoniam aliud ratione conſulta præelegeram, ipſo arbitro reprobaui.* Factus eſt autem Canonicus Pariſienſis circa an. 1145. & in Synodo Pariſienſi, cui præſedit Eugenius Papa, teſtimonium tulit aduerſus Gilbertum Porretanum: ſed cum nullius eum potuiſſet erroris conuincere, aſſeruiſſetque tantummodo ſe quædam ex eius ore audiuiſſe, nolens quippe cum eo congredi, nonnihil famæ & exiſtimationis amiſit.

Sub M. Petro Lombardo Præpoſitus Scholarum fuit: indeque ad Epiſcopatum Aſaphenſem aſſumptus eſt & conſecratus à Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo. an. 1176. Sic enim de eo Radulphus de Diceto ad annum prædictum. *Adam Canonicus Pariſienſis electus in Epiſcopum S. Aſaui conſecratus eſt à Richardo Cantuar. Archiepiſcopo apud Weſtmonaſterium 3. id. Octob.* De eo pariter Geruaſius Dorobernenſis. *Electus eſt ad eundem Epiſcopatum S. Aſaph. M. Adam, & poſt tempus modicum ab eodem Richardo Cantuarienſi Archiep. conſecratus eſt.* Interfuit Concilio Lateranenſi an. 1179. vbi cum ageretur de damnando Petro Lombardo, cum quibuſdam Cardinalibus eius olim Diſcipulis egreſſus eſt aiens. *D. Papa, Ego ei Eccleſiæ (Pariſienſi) & Præpoſitus olim Scholarum eius, defendam Sententias Magiſtri.* Scripſit de Arte differendi: at Nonnullis viſus eſt nimis eſſe ſubtilis in vſurpatione nominum & verborum. De eo ſic habet Sareſberienſis l. 4. Meral. c. 3. *Ariſtotelem ſequuntur in turbatione nominum & verborum, intricatâ ſubtilitate, vt ſuum vendicent, aliorum obtendunt ingenia, partem peßimam mihi præelegiſſe videntur: quo quidem vitio Anglicus noſter Adam mihi præ cæteris viſus eſt laboraſſe in lib. quem Artem differendi inſcripſit. & vtinam bene dixiſſet bona quæ dixit, & licet familiares eius & fautores hoc ſubtilitati adſcribunt; plurimi tamen hoc ex deſipientia vel inuidentia vani, vt aiunt, hominis contigiſſe interpretati ſunt. Adeo enim expreßit Ariſtotelem intricatione verborum, vt ſobrius auditor rectè ſubiungat.*

——— *Nonne hoc ſpumoſum & cortice pingui,*
Vt ramale vetus prægrandi ſulcre coctum?

Habenda eſt tamen authoribus gratia, quia de fonte eorum haurientes, labore ditamur alieno.

Adam Abbas Eueshamenſis Ciſtercienſis Ordinis, Angligena quoque, ſcripſit exhortationes ad Monachos de Glaſtowe. De miraculo Euchariſt. lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. Sermonum lib. 1. Floruit ſub Henrico II. circa annum 1160.

Adam Barkingenſis Monachus, poſtea Claro-Fontanus ad Ioannem Saresberienſem ſcripſit Commentaria ſuper 4. Euangelia. De vtraque Chriſti natura lib. 1. De ſerie ſex ætatum lib. 1. Rythmos & Carmina, Sermones quoque plures.

Adam Anglicanæ pariter Nationis, Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis eodem tempore florebat, ſcilicet ſub Alexand. III. Scripſitque Sermones plurimos & varios Tractatus, qui nuper in lucem prodierunt.

Adam de Linteia Iuriſperitus ſub finem ſeculi floruit & initio ſequentis, deſertoque Ioanne S. Albani Abbate cuius erat ex intimis & præcipuus Conſiliarius ſecutus eſt fortunam Stephani de Langetona Cancellarii olim Pariſienſis, tunc verò Archiepiſcopi Cantuar. euocantis & maiora promittentis. Cui Ioannes, *Chariſſime Magiſter, nolo promotionem veſtram impedire. Archiepiſcopus excellentior eſt me. Maiorem ſequeris, quia maiora deſideras. Ablatus es à me. Nec patitur Archiepiſcopus me tuæ præſentiæ conſolatione congratulari, licet tot peritorum ſtipetur agminibus. Tamen affer illi ex parte mea hos Breue valde breue.* **Tradidit ille Archiepiſcopo**, erantque in eo hi ſcripti verſus.

Velleribus centum gaudes cum lacte bidentum,
Nec reputas magnum, tuleris niſi pauperis agnum.

Voluit Stephanus Adamum remittere: verum ille vberioribus beneficiis inhiando redire noluit. *Sicut moris eſt Legiſtarum, proſtantium munera deligere ſequique retributiones.* Ita legitur in vita Ioannis apud Mathæum Pariſienſem. Ille autem Adam factus eſt Archidiaconus Elienſis.

Adam de S. Victore vir quoque temporibus illis inſignis, D. Virgini deuotiſſimus ſcripſit Sequentias rithmicas de Tempore & Sanctis de quibus Iodocus Clithouæus in Elucidario Eccleſiaſtico. Vnius inter cæteras meminit Thomas Cantipratanus l. 2. c. 29. ſic ſcribens, *Vnde venerabilis M. Adam Canonicus S. Victoris Pariſius cum in dictanda Sequentia,* Salue Mater Saluatoris, *illum vrſiculum edidiſſet videlicet.*

Salue

Salue Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.

Glorioſa virgo apparens ei & quaſi pro honoris laude ſatisfaciens cogitanti eidem ſupplex altiſſimæ humilitatis verticem inclinauit.

Epitaphium ipſe ſuum conſcripſit, legiturque in Clauſtro Sancto-Victorino.

Heres peccati, naturâ filius iræ,
Exiliique reus naſcitur omnis homo.
Vnde ſuperbit homo? cuius conceptio culpa,
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori.
Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana nihil vanius eſt homine.
Dum magis alludit præſentis gloria vitæ,
Præterit, immo fugit; non fugit, immo perit.
Poſt hominem vermis, poſt vermen ſit cinis. heu heu!
Sic redit ad cinerem gloria noſtra ſimul.
Hic ego qui iaceo miſer & miſerabilis Adam,
Vnam pro ſummo munere poſco precem.
Peccaui fateor, veniam peto, parce fatenti,
Parce Pater, fratres parcite, parce Deus.

Obiit an. 1177.

Adamus Pariſinus Logices profeſſor commemoratur cum aliis eiuſdem vrbis Profeſſoribus ab Ægidio Corbolienſi in ſuo Carolino l. 5. in fine.

Iunior & Logices dudum perplexa reſoluens
Per hos ad Cathedram maioris Pontis alumnus
Huius adhuc numeri tirunculus imminet Adam.

Adrianus IV. Pontifex maximus, ante promotionem Nicolaus Haſtefragus, Anglicè de Breckſpeare dictus, pubertatis annos cum attigiſſet, *Lutetiam Pariſiorum ſtudendi cauſſa petiit*, inquit Balæus, *vbi litteratus euadens iterum ad Monaſticen animum adiecit, tandemque Auguſtinianæ profeſſionis Canonicus & Abbas in cœnobio B. Ruſi non procul à Valentia Galliæ vrbe factus eſt. Romam poſtea petens & Eugenio III. gratus ſub eo fit ad natalis ſoli memoriam Albanenſis Epiſcopus & Cardinalis.* Norwegos ad fidem conuertit, Romamque reuerſus Anaſtaſio IV. ſucceſſit in ſede Pontificia. Arnoldũ Brixienſem hæreſeos damnauit. Imperatorem Fridericum anathemate feriit, multaque alia præſtitit tam fortiter quàm prudenter. De eo non repetimus quæ diximus ad an. 1154. at præter ea, memoratu digna ſunt quæ refert **Ioannes Saresberienſis ſe ab eo propriis auribus excepiſſe**; erat enim illi familiariſſimus & ab intimis ſecretis. Ille igitur l. 8. de Nugis Curialium c. 23. contra eos agens qui de Pontificatu decertabant, etiam ſchiſmaticè, Adriani exemplo probat quàm parum quietus eſſet Pontificatus. Ipſum audiamus. *Omnis perſona Dei ſeruit & diſpenſatrix eſt clementiæ vel iuſtitiæ ſuæ. Seruit Angelus, ſeruit homo, ſeruiunt boni, ſeruiunt mali, & ipſe Princeps mundi Diabolus ſeruit. Ergo & Romani ſeruiunt Deo & Tyranni,* quibus Romanorum neceſſe eſt ſeruire Pontificem. Adeo quidem vt niſi
" ſeruierit, aut Expontificem aut Exromanum eſſe neceſſe ſit. Quis eum ergo ſer-
" uum ſeruorum eſſe ambigit? D. Adrianum cuius tempora felicia faciat Deus, hu-
" ius rei teſtem inuoco, quia Ro. Pontifice nemo miſerabilior eſt, conditione
" eius nulla miſerior. Et licet nihil aliud lædat, neceſſe eſt vt citiſſimè vel ſolo labo-
" re deficiat. Fatetur enim in ea ſede ſe tantas miſerias inueniſſe, vt facta collatione
" præſentium tota præcedens amaritudo, iocunditas & vita feliciſſima fuerit. Spino-
" ſam dicit Cathedram Rom. Pontificis, in tantum acutiſſimis vſquequaque conſer-
" tam aculeis, tantæque molis vt robuſtiſſimos premat, terat & comminuat humeros.
" Coronam & Phrygium clara meritò videri, quoniam ignea ſunt: ſe nunquamà na-
" Tom. II. XXxx

„ tali ſolo Angliæ malle exiſſe, aut in clauſtro B. Ruſi perpetuò latuiſſe dicit, quàm
„ tantas, niſi quia diuinæ diſpenſationi reluctari non audet, intraſſe anguſtias. Dum
„ ſupereſt, ipſum interroga & crede experto. Hoc etiam mihi ſœpiſſime adiecit,
„ quod cum de gradu in gradum à Clauſtrali Clerico per omnia officia in Pontificẽ
„ ſummum aſcenderit, nihil vnquam felicitatis aut tranquillæ quietis vitæ priori
„ adiectum eſt ab adſcenſu. Et vt verbis eius vtar, nihil enim cum præſens ſum,
„ ſui gratia vult apud ſe abſconditum eſſe ab oculis meis. *In incude*, inquit, *& malleo*
„ *ſemper dilatauit me Dominus, ſed nunc oneri quod infirmitati meæ impoſuit, ſi placet, ſup-*
„ *ponat dexteram, quoniam mihi importabile eſt.* Videantur ea quæ de eo ſcripta ſunt ad
„ an. 1154. & 1159. quo obiit. Extant apud multos multæ eius Epiſtolæ. Scripſit & de
„ ſua Legatione. De Conceptione B. Virginis. Homelias quaſdam, Leges Cathe-
„ chiſticas Norvegiæ.

Ægidius Corbolienſis excelluit in artibus, præſertim vero in Medicina: qua in facultate extant quædam eius opera, & inter alia. *De Compoſitorum Medicaminum virtutibus*. Quod opus 6000. verſibus complexus eſt. Ad Theologiam ſe poſtea contuliſſe dicitur. Canonicus fuit Eccleſiæ Pariſienſis & Archiater Philippi Auguſti. De eo Ægidius Pariſienſis in ſuo Carolino, vbi ad calcem lib. 5. de Magiſtris Pariſinis.

Cum ſit & hic alius noſtræ non indecor vrbi
Oris adornati, ſolo mihi iunctus in vſu
Nominis, in reliquis maior meliorque gerendus
Nominis ille mei celeberrimus arte medendi.

Ipſe verò Corbolienſis luculentum de Vniuerſitate Pariſienſi deque ſchola Medicorum teſtimonium profert in operis ſui præfatione ad quendam Romualdum ſummi Pontificis Medicum.

Ipſe nouæ fueat operi; nec Pariſianas,
Æſtimet indignum Phyſicam reſonare Camœnas.
Non Logices vbi fons ſcaturit, vbi plenius artis
Excolitur ratio, ſibi Phyſica figere ſedem
Gaudet, & ancillis non dedignatur adeſſe.

Ægidius Pariſienſis gradu Leuita ſeu Diaconus, in Artibus quoque diu profeſſus eſt, excelluitque præſertim arte metrificandi, & inter primos recenſetur à Guillelmo Britone in fine ſuæ Philippidos.

O ſi Gualterus illo vel Egidius eſſet
Tempore! quàm clarè niteant tua bella cothurno!
Totus Alexander, & qui proceſſit ab illo
Antiochus, bis ſexque Duces plebs eſſe dolebunt
Reſpectus ſplendore tui, ſuccumbet & ipſa
De te compoſito mordax Girapigra libello,
Horum ſi ſimilem mereatur habere poëtam.

Carolinum ſuum poema quinque libris comprehenſum Ludouico Auguſti filio adhuc impuberi dedicauit: & ad calcem lib. 5. de Profeſſoribus ex vrbe Pariſina oriundis agit, vt eorum retundat iniuriam qui aiebant nullos viros Doctos ex ipſa vrbe, vbi conſtituta fuiſſet Academia, eſſe oriundos. Interpolauit quoque & emendauit Auroram (ita dictum Poëma Petri de Riga) ſcholarum pulpita iam occupantem, meliorique ordine diſpoſuit: vt legitur in præfatione Codicis Paullianæ Bibliothecæ Lipſienſium.

Scire cupis Lector, quis Codicis iſtius Author?
Audi quid breuiter dicat ad iſta liber.
Petrus & Ægidius me conſcripſere: ſed ille
Author, corrector vltimus iſte fuit.

Ille prior Remus, hic Parisiensis alumnus
Hic Leuita gradu, Presbyter ille manens.
Simplex Clericus hic, sacri ordinis ille professor,
Ambo graues annis, hic vir & ille senex.
Alter adinuenit operam, sed in ordine peccans
Quidquid dimisit sensibus ire vagis,
Alter acu stipica distinctis versibus vnum
Consuit in corpus, atque reuinxit opus.
Alter abundantis studii, sed acutior alter
Quis proponendi debuit ordo geri?
Dulcius vt saperent modulamine condita metri,
Incipit hic Rigæ Bibliotheca Petri.

Quo anno obierit Ægidius, non habeo. Certè ante an. 1220.

Alanus Flander, Patria Insulensis ex Monacho Clareuallensi euocatus ad Ripatorium, cuius primus Abbas fuit circa an. 1140. Hinc ad Episcopatum Antissiodorensem traducitur an. 1151. quem rexit 14. circiter annis, multisque reditibus dotauit & amplificauit, vt legitur in eius vita. An. 1167. dimisso Episcopatu rediit ad Claramvallem, ibique obiit an. 1182. Tabellæ autem quæ eius tumulo imminet, inscriptum est elogium huiusmodi, quod refert Camuzatus in Miscellaneis Historicis.

Ad dexteram Godefridi Lingonensis Episcopi versus Chorum Monachorum iacet D. Alanus Episcopus, qui in quadam ecclesia oppidi famosi in Flandria, quod Insula nuncupatur, à puero educatus. Sub B. Bernardo in hac Clara-Valle habitum S. Religionis suscepit: postea primus Abbas factus est Monasterij, quod Ripatorium nominatur, cui per annos 12. præsidens Domino cooperante fategit, vt personis vtilibus & possessionibus necessariis, videlicet grangiis, siluis, agris, pratis & pascuis idem Monasterium ditaretur. Anno vero nouissimo vitæ B. Bernardi ab Ecclesia Antissiodorensi in Episcopum concorditer est electus. Hic multam hospitalitatem omnibus Religiosis Domos suas frequentãtibus exhibuit, suoque Monasterio de Ripatorio, vnde Abbas fuerat, multa noscitur contulisse. Clareuallensi autem Cœnobio quantam poterat diligentiã exhibebat, illud sæpe visitans, auxilia quanta poterat, conferens opportuna. Peractis demum in Episcopatu 13. annis de licentia sedis Apostolicæ cessit Episcopatui & ad suã rediit Claram-vallem. Mansit autem in Clara-valle in Domo S. Bernardi post decessum D. Godefridi Lingonensis Episcopi multum exercitatus in negotiis Ordinis pariterque Ecclesiasticis. D. Abbati Pontio Successoribusque eius vsque ad Petrum Venerabilem Abbatem Clareuallis 8. non mediocriter necessarius fuit. Obiit pridie idus Octob. Hunc aliqui malè confundunt cum M. Alano de Insulis, vt diximus ad an. 1179. & infra etiam patebit.

Alanus de Insulis cognomento *Magnus* & *Vniuersalis* Patria quoque Insulensis fuit & natione Flander. De quo consulenda quæ diximus ad an. 1179. vbi clarè detexímus eorum errorem, qui eum aut cum Alano Ripatorii Abbate confundunt, aut an. 1300. claruisse referunt. Certum est enim eum Concilio Lateranensi III. an. 1179. interfuisse; certum quoque contra Albigenses scripsisse: quo tempore Vvillielmus Sybillæ Mompessulanus erat Dominus, cui & librum suum dedicauit. Eiusdemque meminit Otho de S. Blasio qui sub finem seculi 4. Vniuersitatis florebat & scribebat. Non contemnenda sunt quæ de eo scribit Trithemius in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis vbi multa eius opera commemorat. *Alanus de Insulis natione Teutonicus, vir in Diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris nulli suo tempore secundus, Theologus, Philosophus & Poëta celeberrimus, qui Ecclesiasticæ scholæ Parisius multo tempore gloriosè præfuit: vbi omni scientia diuina & humana clarus effulgẽs,* Vniuersalis *meruit appellari. Scripsit metro & prosa pæne infinita opuscula, quibus memoria nominis sui apud posteritatem immortalis facta est: sed pauca eorum ad notitiam meam peruenerunt; reperi enim duntaxat subiecta in titulis.* Super Sententias l. 4. Quodlibeta quoque l. 1 Oculum Sacræ Scripturæ l. 1. cuius tale est initium. *Reuerendissimo Patri & D.* De Doctrina quoque l. 1. *Omnis scientia*

ſuis nititur rem. In quinque libros Moyſi l. 5. In Cantica Canticorum l. 1. *Cum multi ad ornandum* De pœnitentia ad Bituricenſem Patrem l. 4. *Dei Gratia Bituricenſ. Pat.* De Æquiuocis myſticis l. 1. De 6. alis Cherubin l. 1. De Planctu Naturæ l. 1. Summam virtutum & vitiorum l. 1. De Parabolis l. 1. *A Phœbo Phœbe lumen.* De Arte prædicandi l. 1. Anticlaudianum l. 1. De naturis animalium l. 1. Sermones plures l. 1. Epiſtolarum ad Diuerſos l. 1. *Fertur denique in multos Biblia libros Commentarios & lecturas inſignes edidiſſe, præcipuè in Prophetas, in Euangelium & in Apoſtolum. De quibus nihil vſque potui inuenire. Miranda quædam de eo narrantur, quibus ego fidem nec aſtruo, nec temerè infringo.*

Placet autem partieulas quaſdam nonnullorum huiuſce clariſſimi viri operum noſtris annalibus attexere, vt ex vngue Leonem agnoſcat Lector. Imprimis igitur ſelectas quaſdam Parabolas ex libello Parabolarum, quem aliter *Doctrinale altum vocant*, vel *Alanum de Parabolis*, in ſex capita diuiſum, ſubdimus.

Ex cap. I.

In ſterili ſteriles aratrum facit aggere ſulcos,
Et labor in miſeris eſt ſine fine ſcholis.

Omnia Cæſar erat: ſed gloria Cæſaris eſſe
Deſiit, & tumulus vix erat octo pedum.

Ex cap. II.

Pondera portat equus, bos terram ſulcat aratro:
Vellera portat ouis. Seruat ouile canis.
Omnia quippe ſuæ Naturæ debita ſoluunt,
Præter eum qui plus his rationis habet.

Tutior eſt locus in terrâ, quàm in Turribus altis,
Qui iacet in terra non habet vnde cadat.
Impetus & venti, tonitrus & fulmina Turres
Flatibus euertunt, ſtare ſed ima ſinunt.

Apparet phantaſma viris: ſed rurſus ab illis
Vertitur in nihilum, quod fuit ante nihil.
Sic & adeſt & abeſt fugitiui gloria cenſus;
Non prius aduentat quàm quaſi ſomnus eat.

Dentibus attritas rurſus bos ruminat herbas,
Vt totiens tritæ ſint alimenta ſibi.
Sic documenta tui ſi vis retinere Magiſtri,
Sæpe recorderis, quæ ſemel aure capis.

Ex cap. III.

Diuerſis diuerſa valent medicamina morbis
Vt variant morbi, ſic variantur ea.
Non vno Doctrina modo ſe mentibus infert:
His timor, his monitus, his adhibetur amor.
Quadrupedes adaquare nequis dum percutis illos,
Nec cogit pueros virga ſtudere rudes.

Ex Cap. IV.

Ad bellum, quia durus erat, migrauit Achilles
Ægiſto thalamos ingrediente domi.
Qui iacet in plumis, nil duri paſſus in illis,
Non valet aſſuetus vir tolerare malum.
Imbribus & ventis mutat gena laſſa colorem,
Vritur & leuiter ſole tenella cutis.

Mollibus assuetus, clypeum bene non gerit, armis:
Nec retinet gladium firmiter uncta manus.

Ex cap. V.

Heu quid homo tantum quærit, qui tanquam ut umbra.
Qui nunc stare putat, nunc cadit ima petens?
Quid certum manet huic nisi mors, & mortis imago?
Hanc semper sequitur, hunc tenet, hunc; trahit.
Heu cur gaudet homo? cur ille superbit & ad quid?
Cur ducit statum qui cinis est & erit?
Cur cupit & metuit, & cur sibi subdere tentat
Omnia? Cur semper viuere posse putat?
Non sic, non. Quoniam perit illa putatio vana.
Ros cadit & vitæ rursus ad ima cadit.
Sic stat homo, vel dic quo facto cætera constant?
Quid plus sunt acuum singula, quæque nihil.

In Anticlaudiano Conceptionem D. Virginis immaculatam præclarè depingit l. 5. c. 9. eiusque in partu virginitatem.

De D. Virginis puritate.

Hic superos Ciues proprio præcellit honore
Virgo, quæ proprium pariendi lege pudorem
Non perdens Matris meruit cum Virgine nomen:
In qua concordant duo nomina lite sepultâ,
Quæ secum pugnare solent liteſque mouere;
Nec iam discordant Mater virgoque, sed ipsis
Litibus exclusis sè pacis ad oscula vertunt.
Hîc Natura silet, Logicæ vis exulat omnis,
Rhetoricæ perit arbitrium ratioque vacillat.
Hæc est quæ miro Diuini muneris vsu
Nata Patrem, Natumque parens concepit, honorem
Virgineum retinens, nec perdens iura parentis.
In cuius ventris thalamo sibi summa parauit
Hospitium Deitas, tunicam sibi texuit ipse
Filius artificis summi, nostræque salutis
Induit ipse togam nostro vestitus amictu.
Hæc est stella maris, vitæ via, porta salutis,
Regula iustitiæ, limes pietatis, origo
Virtutis, veniæ Mater, thalamusque pudoris,
Hortus conclusus, fons consignatus, oliua
Fructificans, Cedrus redolens, Paradisus amœnans,
Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore
Prædita Cælesti, Nectar celeste propinans.
Nescia spineti, florens rosa, nescia culpæ
Gratia, fons expers limo, lux nubila pellens,
Spes miseris, Medicina reis, tutela Beatis,
Proscriptis reditus, erranti semita, cæcis
Lumen, deiectis requies, pausatio fessis.
Hæc est, quæ primos casus, primæque parentis
Abstersit maculas, vincens virtute reatum,
Diruta restituens, reddens ablata, rependens
Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,
Post vespertinos gemitus sua gaudia donans,
Post mortis tenebras vitæ nouitate relucens.
Cuius ad aduentum redit ætas aurea mundo,
Post facinus pietas, post culpam gratia, virtus
Post vitium, pax post odium, post triste iocosum,
Vt rosa spineti compensat flore rigorem:
At dulcore suo fructum radicis amaræ

Ramus adoptiuus redimit, ſic crimina matris
Iſta luit, matremque facit ſua nata renatu.
Vt ſic munda ream, corruptam virgo, pudica
Effrontem, miſeram felix, humiliſque ſuperbam
Abluat, ac vitæ pariat ſua filia matrem.

Extat eiuſdem Alani Rythmus quo graphicè fluxa & caduca hominis natura depingitur hoc modo.

Omnis mundi creatura
Quaſi liber & pictura
Nobis eſt & ſpeculum.
Noſtræ vitæ, noſtræ mortis
Noſtri ſtatus, noſtræ ſortis
Fidele ſignaculum.
Noſtrum ſtatum pingit roſa,
Noſtri ſtatus decens gloſa,
Noſtræ vitæ lectio.
Quæ dum primo mane floret,
Defloratus flos effloret
Veſpertino ſenio.
Ergo ſpirans flos expirat
In pallorem, dum delirat
Oriendo moriens.
Sic ætatis ver humanæ
Iuuentutis primo mane
Refloreſcit paululum.
Mane tamen hoc excludit
Vitæ veſper, dum concludit
Vitale corpuſculum.
Cuius decor dum perorat
Eius decus, mox defloret
Ætas, in qua defluit.
Fit flos fœnum, gemma lutum:
Homo cinis, dum tributum
Homo morti tribuit.
Cuius vita, cuius eſſe
Pœna, labor, & neceſſe
Vitam morte claudere.
Sic mors vitam, riſum luctus,
Vmbra diem, portum fluctus,
Mane claudit veſpere.
In Nos primum dat inſultum
Pœna mortis gerens vultum
Labor mortis Hiſtrio.
Nos proponit in laborem;
Nos aſſumit in dolorem
Mortis eſt concluſio.
Ergo clauſum ſub hac lege
Statum tuum homo lege,
Tuum eſſe reſpice.
Quid fuiſti naſciturus,
Quid ſis præſens, quid futurus
Diligenter inſpice.
Luge pœnam, culpam plange
Motus fræna, faſtum frange,
Pone ſupercilia.
Mentis Rector & auriga
Mentem rege, fluxus riga
Ne defluant in deuia.

Extat & alius Rythmus de Incarnatione Chriſti, in quo ſeptem Artes Liberales depingit, & ſingulis ſuas in hoc myſterio explicando partes attribuit.

GRAMMATICA.

Exceptiuam actionem
Verbum Patris excipit,
Dum deludit rationem
Dum naturam decipit.

Caſualem Dictionem
Subſtantiuum recipit,
Actioque Paſſionem
In hoc verbo concipit.
In hac verbi copula
Stupet omnis regula.

RHETORICA.

Peregrinat à natura
Nominis poſitio,
Cum in Dei tranſit iura
Hominis conditio.
Nouus tropus in figura
Noua fit tranſlatio,
Nouus color in iunctura
Noua fit conſtructio.
In hac verbi copula
Stupet omnis Regula.

ARITHMETICA.

Dum ab vno non recedit,
Alteratur vnitas;
Dum in vnum ſe concedit,
Vnitur alteritas,
In diuerſum idem cedit
In idem diuerſitas.
Suum tamen non excedit
Limitem ſimplicitas.
In hac verbi copula
Stupet omnis regula.

MVSICA.

Dum factoris & facturæ
Mira ſit coniunctio,
Quis ſit modus ligaturæ
Quis ordo, quæ ratio,
Quæ ſint vincla, quæ iuncturæ
Qui gomphi, quæ vnio,
Stupet ſui fracto iure
Muſica proportio.
In hac verbi copula
Stupet omnis regula.

DIALECTICA.

Inter locos locum neſcit
Locus à contrariis.
Sui locum obmuteſcit
Exceptum ab aliis.
Fit elinguis, obſtupeſcit,
Fallitur in propriis,
Et de ſuis erubeſcit
Logica fallaciis.
In hac verbi copula
Stupet omnis regula.

GEOMETRIA.

Suæ artis in Cenſura
Geometra fallitur,
Dum immenſus ſub menſura
Terrenorum ſiſtitur.
In directum curuatura
Circuli conuertitur,
Sphæram claudit curuatura
Et ſub ipſa clauditur.
In hac verbi copula
Supet omnis regula.

ASTRONOMIA.

Solis lumen nube tectum
Nubis ſub velamine,
Noſtræ Carnis fert obiectum
Nec habet in lumine
Noſtrum vergit in defectum
Sol ortus in virgine,
In defectu dans effectum
Lumen in caligine.
In hac verbi copula
Stupet omnis regula.

In Anticlaudiano verò in quo hominem depingit omnibus virtutibus adornatum, in quo virtutum vitiorumque effecta deſcribit, artes quoque liberales ad ornamentum hominis accedere probat, earumque dignitatem amplificat lib. 6. c. 5. & 6. vt in Synopſi retulimus. tit. de Philoſophia.

Albericus Bellouacenſis præclari vir ingenii & perſpicacis nomen dedit inter Cluniacenſes, quorum factus Supprior, ex Suppriore tranſlatus ad Monaſterium Vezeliacenſe, eique ab Innocentio II. an. 1130. Abbas inſtitutus: quam in rem extant ad Stephanum Æduenſem Epiſcopum litteræ Pontificis, quibus ei mandat, vt Alberico benedictionis manum imponat. Ab eodem poſtea ad Epiſcopatum Oſtienſem & Cardinalatum promotus eſt an. 1135. De eo ſic ſcribit Ricchardus Haguſtaldenſis Prior in Hiſtor. de Geſtis Stephani Anglorum Regis.

Albericus natione Gallicus, profeſſione Monachus, obſeruatione Cluniacus, diuinâ ac ſeculari eruditione perſpicuus, in Eccleſiaſticis negotiis optimè exercitatus, facundiâ præclarus, conſilio prouidus: & quod his omnibus maius eſt, in habitu & cultu, denique in omni conuerſatione & actione ſua magnæ manſuetudinis ac religionis documentum præferebat. Hic igitur primò apud Cluniacum ad Conuerſionem veniens propter prudentiam ac religionem ſuam Supprior ibi effectus eſt. Vnde ad eius prouidentiam omnis Regularium Obſeruationum diligentia maximè pertinebat. Deinde in Francia apud Pariſius in Cella quæ dicitur ad S. Martini de Campis, Prioris officium ſtrenuè aliquandiu expleuit. Poſt aliquot verò annos quia fratribus ſuis valde neceſſarius ac dilectus erat, iterum ad Supprioratus dignitatem domum reuocatus eſt. Exinde verò ad Vergellenſe cœnobium (Vezeliacenſe) electus eſt, vt ei Abbatis iure præeſſet. Deinde ad Oſtienſis Eccleſiæ Præſulatum Canonica electione ſublimatus eſt. Huius autem Eccleſiæ Epiſcopis ex ſpeciali antiqui honoris prærogatiuâ conſtitutum eſt ipſum Apoſtolicum conſecrare. Eundem ait an. 1138. menſe Decembri Londini Synodum habuiſſe 18. Epiſcoporum, 30. Abbatum cum innumera Cleri populique multitudine, in eaque 17. Canones condidiſſe, quorum vltimus pertinet ad Magiſtros Scholarum his verbis. *Sancimus præterea, vt ſi Magiſtri ſcholarum aliis ſcholas ſuas pro pretio legendas locauerint, Eccleſiaſticæ vindictæ ſubiaceant.* In ſynodo Remenſi Gilberti Porretani errores confutauit. Henricum Toloſanum cum Bernardo Clareuallenſi ad latibula compulit.

Albericus Remenſes ſcholas cum Lotolfo Nouarienſi diu exercuit: qui duo Magiſtri inſignes Petrum Abaëlardum ingenio nimis fidentem & animis exultantem repreſſerunt & exagitarunt, quod Anſelmo Magiſtro ſuo famæ & gloriæ obtrectare

auſus fuiſſet. Dehis ita loquitur Abaëlardus Ep. 1. Calamitatum ſuarum.

Hinc itaque præditus ſenex (Anſelmus) vehementi commotus inuidia & quo-
„ rundã perſuaſionibus iam aduerſum me vt ſupra memini, ex tunc ſtimulatus non
„ minus in ſacra lectione me perſequi cœpit, quàm antea Anſelmus noſter in Philo-
„ ſophia. Erant autem tunc in ſcholis huius ſenis duo qui cæteris præminere vide-
„ banrur, Albericus ſcilicet Remenſis & Lotulfus Lombardus, qui quanto de ſe ma-
„ iora præſumebant, amplius aduerſum me accendebantur. Iiſdem procurantibus
„ & inſtigantibus habita eſt Synodus Sueſſionenſis à Conone Legato Apoſtolico
„ contra eundem Abaelardum: & id quoque ipſe inſinuat. *Vnde* æmuli mei vehe-
„ menter accenſi Concilium contra me congregauerunt, maximè duo illi antiqui
„ inſidiatores Albericus ſcilicet Remenſis & Lotulfus, qui iam defunctis Magiſtris
„ eorum & noſtris, Guillielmo ſcilicet atque Anſelmo, poſt eos quaſi regnare ſe
„ ſolos appetebant atque etiam ipſis tanquam hæredes ſuccedere. Cum autem vtri-
„ que ſcholas Remis regerent, crebris ſuggeſtionibus Archiepiſcopum ſuum Ro-
„ dulfum aduerſum me commouerunt, vt aſcito Conano Prænęſtino Epiſcopo qui
„ tunc Legatione fungebatur in Gallia, Conuenticulum quendam ſub nomine
Concilii in Sueſſionenſi Ciuitate celebrarent. Idem Albericus poſt mortem Guil-
lelmi Campellenſis Epiſcopi Catalaunenſis à Clero & populo poſtulatus eſt in
ſucceſſorem, & pro eo ſcripſit Bernardus Clareuall. ad Honorium Papam his ver-
„ bis Ep. 13. Videmus iam iamque imminere ſentimus nos qui vicini ſumus, pacem
„ videlicet memoratæ Eccleſiæ grauiter mox eſſe turbandam, ſi electioni illuſtris
„ illius viri id. M. Alberici, in quam vtique totus tam clerus quàm populus pari vo-
„ to & voce conuenerunt & conueniunt, veſtræ pietatis aſſenſum impetrare ne-
quiuerunt. Verum irrita fuit electio iſta, & Guillelmo ſucceſſit Ebalus; Alber-
icus verò in ſcholæ Magiſterio ſeneſcens, tandem Leodienſis Canonicus factus, &
poſtremò Bituricenſis Archiepiſcopus poſt mortem Vlgrini, qui vt habetur in
Patriarchio Bituricenſi obiit an. 1135 ſedem autem illam tenuit 3 annis & 9. menſi-
bus, ſepulturque eſt an. 1139. ante maius altare. Chronologus tamen S. Petri Viui
Senonenſis Vlgrini mortem notat ad an. tantum 1139. his verbis. *Hoc anno Vlgri-
nus Bituricenſis Archiepiſcopus obiit. Succedit Albericus Remenſis.* Et ad an. 1141. ſic
habet. *Anno 1141. Petrus de Caſtro Bituricenſis ordinatur Archiepiſcopus defuncto Albe-
rico Remenſi Magiſtro.*

Albericus Remenſis, alius à prædicto Archiepiſcopo, Magiſter quoque nomina-
tiſſimus de *Porta Veneris* cognominatus floruit circa an. 1166. quo tempore Tho-
mas Cantuarienſis exulabat in Francia & propter Thomam Ioannes Sareſberienſis.
Nam ipſe Ep. 172. ad Henricum Theobaldi Campaniæ Comitis filium de eo ſic
ſcribit. *Inter alias verò præ ceteris* radiat liberalitas inſignis, quam totus mundus
prædicat, & excellens humilitas quam ego Diuinarum litterarum propoſitis quæ-
ſtionibus ad recreationem in anguſtiis exilii mei lætus experior, quas cum mihi
Albericus Remenſis, quem cognominant de *Porta Veneris*, quæ vulgo *Valeſi* di-
citur, nomine veſtro adhibitis aliquot litteratis viris propoſuiſſet, vt verum Do-
mine mi, fatear, obſtupui.

Albericus de Lauduno à Iacobo de Vitriaco recenſetur inter eos Magiſtros qui
Fulconi de Neulliaco inconcionando ſeu prædicando verbo diuino ſub finem ſe-
culi coadiutores ſe præbuerunt. *M. Albericus de Lauduno*, inquit, *qui poſtea factus
eſt Archiepiſcopus Remenſis, de fluuio*, inquit cap. 9. *commutatus in riuulum.* Scilicet il-
le qui videbatur mundi diuitiis nuncium remiſiſſe dum populo earum contem-
ptum ſuadebat hominem ſe faſſus eſt cum Archiepiſcopatum accepit. Cognomi-
nabatur ille Albericus de Humberto, Archidiaconus erat Pariſienſis cum an 1206.
Archiepiſcopus factus eſt. In expeditione contra Albigenſes an. 1209. inter Cru-
ce-Signatos præcipuus fuit. Obiit Papiæ an. 1218. ſepultuſque eſt in Eccleſia S.
Auguſtini.

Alexander III. ante promotionem dictus Rollandus Bandinellus, Patria Senenſis
ab Eugenio III. Cardinalis factus Adriano IV. in Cathedra Petri ſucceſſit an. 1159.
multa mala paſſus eſt à Friderico Imperatore, ſed eum tandem & 4. Antipapas pa-
rere coëgit In Iure Canonico & Ciuili præſertim excelluit, quanquam & in Theo-
logia etiam claruit, quam & docuiſſe videtur. *Fuit enim*, inquit Robertus de
Monte, *in Diuina pagina præceptor maximus, & in decretis & Canonibus & in Romanis
legibus*

legibus præcipuus. Nam multas Quæſtiones difficillimas & graues in Decretis & Legibus abſoluit & enucleauit: Scripſit de poteſtate Eccleſiaſtica l. 1. vt notat Trithemius. Epiſtolarum ad diuerſos l. 1. quarum quædam extant apud Rogerium Houedenſem, Radewicum, Mathæum Pariſienſem & apud Ducheſnium in 4. tomo Scriptorum Galliæ. Præterea Decretales ſui temporis vnico volumine collegit, eaſque Conſulta Alexandri voluit nominari. Tria præſertim Concilia celeberrima habuit, vnum Turonis an. 1163. alterum Romæ. 3. in Laterano an. 1179. Obiit an. 1181. de eo paſſim in Hiſtoria ab an. 1159. ad an. 1181.

Alexander Nekamus natione Anglus circa an. 1180. Lutetiæ legebat adhuc publicè. Ingenii prodigium fuiſſe dicitur, Philoſophus eximius, Theologus profundiſſimæ ſcientiæ, Rhetor ac Poëta inſignis. Quo in prælectione authorum nullus perſpicacior aut elegantior: quamobrem eius auditorium tanta Diſcipulorum frequentia redundabat, vt non omnes capere poſſet. Reuerti cupiens in Angliam petiit à Guarino Abbate S. Albani ſcholam Duneſtaplienſem, quam olim iam rexerat: vt legitur in vita Guarini Abbatis apud Mathæum, ibique ad marginem hæc habentur. Hic cum temporis anno ſcilicet proximo 1187. tranſacto ad Duneſtaple ſcholam rexiſſet, vocauit eum Abbas Guarinus iis litteris breuiter & iocosè ſcriptis. Petierat enim idem Alexander Nekam ſcholam S. Albani inſtanter. *Si bonus es veniæ*, ſi Nequam, *nequaquam*. Cui tum breuiter & iocosè reſcribens Alexander ait, *ſi velis veniam*, ſin autem, *Tu autem*. Ac ſi diceret, non multum curo. Alii dicunt à Guarino petiiſſe Monachalem habitum & iocoſo dicterio repulſam libenter tuliſſe. Canonicis verò Regularibus nomen dedit, factuſque Abbas Exceſtrienſis an. 1215. obiit tandem an. 1227. cuiuſque tumulo hæc inſcriptio ſculpta.

Eclipſim patitur ſapientia, ſol ſepelitur,
Cui ſi par vnus, minus eſſet flebile funus.
Vir ſine diſcretus & in omni more facetus,
Dictus erat Nequam, *vitam duxit tamen æquam.*

Librum edidit de Naturis rerum, in quo de tribus Locis, vbi primum ſtudia floruerunt, fusè agit, Athenis, Roma, Pariſiis. Ex quo Ioannes Brompton multa tranſcripſit, vbi de Alfredo Oxonienſis Academiæ inſtitutore loquitur. Ait autē cuiuſlibet Regni opes creuiſſe in immenſum, *quandiu artium ingenuarum in ipſo floruerunt ſtudia*, & hoſtibus Regni reſtitiſſe, *vt patet de Græcia quando floruerunt ſtudia Athenis, de Roma, de Regno Francorum, ex quo floruerunt ſtudia in illo. Victoria enim Militiæ & gloria Philoſophiæ quaſi ſimul concurrerunt, & hoc meritò, quia Philoſophia vera docet iuſtè & verè regulare.*

Alexander de S. Albano vir quoque magnæ celebritatis & famæ in profeſſione litterarum, poſt longi magiſterij decurſum Monaſticam vitam profeſſus eſt: de qua illi gratulatur Petrus Bleſenſis Ep. 137. his verbis. *Totis meduliis* animæ conuerſioni & conuerſationi veſtræ congratulor: à prima enim veſtri notitia dilexi vos, non ad faciem, non ad quæſtum, ſed pro virtutibus veſtris in Domino virtutum. **Litteratura ſiquidem veſtra & famæ commendabilioris celeberrimus odor multos vobis conciliauit ad amicitiam**, &c. Gaudeo planè quia mirabile & imitabile omnibus præmiſiſtis Religionis auſpicium. Diu enim ante conuerſionem veſtram deſiderabili multis reditu abiecto, abiectus eſſe in Domo Domini elegiſti: honorem magiſterii, laudemque hominum & inanem huius ſeculi lætitiam expuiſti.

Alexander neſcio an alius à ſuperiori, magiſterium quoque exercuit, & poſtea ſe ad Carthuſienſes contulit, poſtmodum verò pœnitentia conuerſionis ductus redire voluit ad ſeculum: quam leuitatem acriter obiurgat & reprehendit Petrus Bleſenſis Ep. 86. Ille autem egreſſum è cœnobio hoc prætextu volebat excuſatum, quod Carthuſienſes ſingulis diebus Miſſas non facerent. Eum habuit Bleſenſis in Legibus & Decretis conſcholarem, vt ait in ead. Ep.

Aluinus ſeu Aluiſus Belga Monachum induit apud S. Bertinum Audomaren. poſtea apud S. Vedaſtum Prior, tum Aquicinctinus Abbas, poſtremò Epiſcopus Atrebatenſis electus circa an. 1131. vir magnæ litteraturæ, prudentiæ ſingularis & ſanctitatis eximiæ. Eius meminit Chronicon Mauriniacenſe. *Dirigit Rex ad nos amplæ famæ perſonas, Natalem Cancellarium ſuum Resbacenſem Abbatem, Aluinum*

Atrebatenſem Epiſcopum, M. Hugonem de S. Victore in litteratura Magiſtros etiamplurimos excedentem. Vincentius Bellouacus ad an. 1139. cum accenſet viris litteratiſſimis. *Florebat hoc tempore* Gallicana Eccleſia per viros religione ac ſapientiâ illuſtres, Milonem Morinenſem Epiſcopum humilitatis virtute præcipuum; Aluiſum Atrebatenſem liberalitate atque conſilio & facundiâ clarum. Crucem inter alios cum Ludouico Rege aſſumpſit, & obiit an. 1148.

Anſellus Pariſienſis in Decretis & Iure Ciuili Doctor egregius: è Cathedra in Regiam, inde ad Meldenſem Epiſcopatum prouectus. Malè enim Demochares Aurelianum loco Anſelli poſt Simonem numerat inter Epiſcopos Meldenſes. De hoc Ægidius ſupra in Carolino. Conſecratus autem fuit Epiſcopus à Michaele Corbolienſi tunc Archiepiſcopo Senonenſi.

Cum ſuper excellens legum iuriſque peritus
Ille inter Proceres intraque Palatia magni
Nominis Anſellus, quem cum maioribus orbis
Meldis Epiſcopio promouit gratia ſenſus,
Hic tulerit cunas.

Anſellus de Garlanda Archidiaconus Pariſ. Ludouici Groſſi Dapifer vt legitur in Charta quadam Regia fundationem B. Mariæ de Gornaio confirmante. *Cunctis praterea innoteſcere volumus, quod Anſelmus de Garlanda Dapifer noſter ſupradicto Monaſterio tribuit apud Ruſſiacum duas eiuſdem villæ partes &c.* Actum Pariſ. an. 1124. fratres habuit Stephanum & willelmum de Garlanda, qui Cancellarius Regni fuit. Anſellum inter Profeſſores Pariſienſes numerat Ægidius ſtatim poſt præcedentes verſus.

——— Alius quoque nominis huius
Olim floruerit hac noſtra moriundus in vrbe
Aſſecla Regalis magnuſque Domeſticus aulæ.

Dicitur in Chronico Mauriniacenſi *Dapifer & Conſiliarius Regis*: interfectus eſt apud Puteolum an. 1129.

Anſelmus Cantuarienſis ex Italia in Galliam profectus ad maiora & celebriora ſtudia apud Beccenſe Monaſterium litteris potiſſimum Theologicis incubuit ſub Lanfranco: deinde eo ad Archiepiſcopatum Cantuarienſ. euecto Abbas ipſe Beccenſis factus eſt, & poſtremò Archiepiſcopus Cantuarienſis. Vide quæ de eo diximus in Catalogo tom. 1.

Arnoldus Brixienſis Natione Italus Petri Abaelardi olim Diſcipulus, qui Magiſtrum imitatus ingenioque nimis confiſus multarum in Eccleſia & præſertim Romæ turbarum & ſeditionum author fuit. Eum vocat Bernardus in Ep. 186. *Armigerum Abaelardi.* De eo paſſim in Hiſtoria diximus, quæ tu conſule.

Arnoldus Carnotenſis Abbas Bonæ-Vallis, Bernardi Diſcipulus & amicus doctus vir & pius ſcripſit inſigne opuſculum *de 7. verbis nouiſſimis à Chriſto in Cruce prolatis.* De laudibus B. Virginis Matris Dei. Scripſit & librum 2. vitæ S. Bernardi. Ad eum extat Ep. 310. eiuſdem Bernardi de ſuo obitu imminente.

Arnulphus Lexouienſis frater Ioannis Epiſcopi Sagienſis & Ioannis Lexouienſis Epiſcopi nepos: à quibus ſingulari cura enutritus & educatus eſt. Cum pueritiæ exceſſiſſet metas, à parentibus ad diſcendam morum & humaniorum litterarum diſciplinam traditus eſt Canonicis regularibus S. Victoris Pariſienſis in Cathedrali Sagienſi reſidentibus, illucque à fratre Ioanne Epiſcopo accerſitis, qui repulſis ſecularibus nomine tenus Canonicis locauit vineam ſuam aliis Agricolis nomine & re Canonicis. In huius Eccleſiæ Gymnaſio, vna cum Arnulpho plurimi adoleſcentes inſtituebantur, cum quibus ipſe degebat tam caſtè & modeſtè, vt licet eſſent proterui, ipſe nulla culpa palleſceret: quæ integritas cum eloquentiæ & poëſeos ſtudio coniuncta magnam illi famam conciliabat circa an. 1123. quo tempore illic ſtudebat. Quomodo autem pueritiam tranſegerit inter proteruos ſodales, in hoc poëmate ſignificat.

Mens mea virtutum ſtudiis à tempore primo
Inſtitit, infames docta cauere vias.
Sed quo vita mihi ſecurior eſſet apud vos.
Cautus honeſtatis diſſimulator eram,
Optabam credi ſimilis, non eſſes fauorem
Non mihi vera dabat, ſed ſimulata venus.
Seruiuit vobis nutu ſolertia ſolo
Præſtringens equidem ſed meliore dolo.
Mens ſtudioſa ſua ſe clauſerat integritate,
Ne virtus faceret diſparitaſue grauem.
Aſt vbi non potuit perfectio diſſimulari,
Seque ſuis virtus prodidit indicijs:
Inuidiæ ſtimulis angi, ſtillare veneno
In populos cœpit lingua maligna ſuos.
Confiteor, placuiſſe pudet: quoniam placuiſſe
Turpibus aut propter turpia, turpe bono.
Debueram clarè rupiſſe ſilentia, non me
Defunctis tacito conſepeliſſe metu.
Seruit enim ſceleri virtus taciturna, reoſque
Abſoluit, ſi non indicat eſſe reos.
Parcere vitij eſt vitam quouis palpare fauore:
Nam palpando foues atque fouendo facis.
Præſtat opem tacitam vireſque miniſtrat agendi.
Qui tacet, & poterat obuius iſſe malo.
Nam virtus vitij nec amat nec ſuſtinet vmbram,
Nec luci tenebras contrahit ipſa ſuæ.

Quantum verò Poëtica laude excelleret, intelligitur ex hoc Epigr. ad Neporem.

Olim me celebrem Normania tota Poetam
Dixit, vixque dabat Gallia tota parem.
Altera de primis me credidit, altera primum,
Deque ſuis dixit illa, ſed iſta ſuum.
Magnus vbique tamen vario celebrabar honore,
Illuſtri peregrè, præcipuoque domi.
Nunc noua forte nouum vatem te protulit ætas
Ad formam rudibus, inuidiamque bonis.
De pueroque ſenem formans Doctrina Poetam
Indidit ætati non ſua verba tuæ.
Verba ſenem ſapiunt, ipſumque profeſſa Maronem
Imberbi floret pagina canicie.
Ipſa tuos mirata dies & verba dierum,
Palluit ad verſus & mea Muſa tuos.
Cumque meas ſolito ſumpſiſſem more tabellas.
Priuauit linguam voce, manumque ſtylo.
Ergo tibi Muſas ſanctumque Helicona reſigno,
Et dulces ſacri deſero fontis aquas.
Tu cole quas noſti, gnarum retinere fauorem
Non niſi ſolerti ſedulitate potes.

Contigit autem Archidiaconum Sagienſem mori, & in eius locum ſuffectus eſt. Mortuo quoque Ioanne Lexouienſi auunculo, ſucceſſor eligitur & ab Archiepiſcopo Rothomagenſi conſecratur an. 1140. inuito & reluctante Andegauenſi Comite, à quo multa mala paſſus eſt. Extat in 3. tomo Spicilegij Dacheriani Epiſtola Bernardi Clareuall. ad Innocentium II. ea de cauſa, pro quo & ipſe contra Girardum Engoliſmenſem Petri Leonis ſeu Anacleti Legatum pugnauerat.

Complures ſcripſit Epiſtolas ante & poſt Epiſcopatum. Scripſit ad Alexandrum

III. de promotione ſua. De eadem ad Epiſcopos Angliæ. Ad Cardinales S. Rom Eccleſiæ. In Concilio Turon. Sermonem habuit an. 1163. his verbis. *Hodiernum ſermonem &c.* & alium in ſynodo. *Quis putas fidelis Seruus &c.* Per 40. annos rexit Eccleſiam, & demum in ſolitudinem ad Victorinoſſe contulit Pariſienſes, conſultis ſuper eam re prius amicis & præſertim Petro Bleſenſi. Obiit an. 1182. de quo ſic Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum. *Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus cum per 40. annos eandem Eccleſiam rexiſſet, in ædificando Eccleſiam & pulcherrimas Domos laboraſſet, renunciauit Epiſcopatui & perrexit Pariſius ſuos dies dimidiaturus apud S. Victorem in domibus pulcherrimis quas ibi ad opus ſuum conſtruxerat.* Iacet prope Chorum ad altare S. Dionyſii cum hac Epigraphe. Epitaphium Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi qui poſtquam 40. annis potens opere & ſermone populo ſuo præfuit, frater noſter effectus in veteri Baſilica ſepultus eſt, nunc vero tranſlatus hîc quieſcit.

Tu qui dives eras & magnus Epiſcopus, ob quid
Sortem mutaſti pauperiore ſtatu?
Imo pauperiem mutaui fœnore magno;
Mundo dives eram, plus fuit eſſe Deo.

Poſtea renouatum eſt eius Sacellum & ad perennem notitiam inſcripti ſunt hi verſus ſuperliminares.

Hoc templum iunctæque ædes ſunt Præſulis olim
Arnulphi antiquum Lexouienſis opus.
Si ter quingentos annos triginta que & vnum
Annumeres Chriſto cum repararet, habes.

Diuitem cum vocat & rectè, vt intelligitur ex Ep. Ludouici iunioris ad Sugerium, qua illi mandat vt 104 marcas argenti illi reliquas reddat. *Sciatis*, inquit, quia Arnulfus Lexouienſis Epiſcopus in magna neceſſitate præſtitit mihi de ſuo auri & argenti quantum potuit: vnde adhuc ei debeo 104. marcas argenti: mando itaque vobis, vt remotâ omni excuſatione & dilatione eas illi de meo reddatis infra menſem, poſtquam litteras iſtas receperitis: eo quod propter nullam cauſam ipſe mihi offendatur vel diſturbetur. Sciatis etiam quia prædictam pecuniam ei affidari feci. Et Ep. 95. ad Sugerium mandat vt det illi 60. modios vini Aurelianenſis. *Dilectioni* veſtræ mandando præcipimus quantumuis dilecto filio & præcordiali amico meo Arnulfo Lexouienſi Epiſcopo ſexaginta Aurelianenſes modios de meo optimo vino Aurelianenſi dare non renuatis. Vale.

B

Berengarius Pictauinus Petri Abaelardi quondam auditor, nomen ac famam Magiſtri ſui contra omnes tueri auſus eſt: cuius Apologiam in Chronologia retulimus; culpatus tamen à multis, quod Bernardum ſanctum virum mendaci ſtylo proſciciſſet, ſe excuſauit quod adoleſcens & ioco potius quàm ſerio ſcripſiſſet: vt teſtatur in Ep. ad Epiſcopum Mimatenſem. De eo ſic Franciſcus Petrarcha in Apologia, vbi eum vocat *Virum non infacundum.* Damnauit Bernardus Clare-Vallenſis Abbas Petrum Abaëlardum litteratum quondam virum. Hinc iratus Berengarius Pictauienſis, vir & ipſe non infacundus ac Diſcipulus Petri contra Bernardum librum vnum ſcripſit non magni quidem corporis, ſed ingentis acrimoniæ. De quo poſtmodum à multis increpatus ſe excuſauit, quod adoleſcens ſcripſiſſet, & quod ſibi viri ſanctitas nondum penitus nota eſſet.

Bernardus Brito de Moellan cognominatus, de Cancellario Eccleſiæ Carnotenſis factus an. 1159. Epiſcopus Coriſopitenſis teſte Robert. de Monte. *M. Bernardus Brito Cancellarius Eccleſiæ Carnotenſis factus eſt Epiſcopus Cornubiæ in minori Britannia. obiit an. 1167.*

Bernardus Carnotenſis inſignis Grammatices profeſſor, cuius mentionem facit honorabiliſſimam Ioannes Sarisberienſis in ſuo Metalog. eumque ait valde ſenem docuiſſe, poſtea ſe tranſtuliſſe ad profeſſionem Dialecticæ, conatumque fuiſſe

conciliare Platoni Ariſtotelem. Eundem ait fuiſſe *perfectiſſimum Platonicum*: à quo hoc metrum de Idæis factum.

Non dico eſſe quod eſt, gemina quod parte coactum,
Materia formam continet implicitam.
Non dico eſſe quod eſt, vna quod conſtat earum
Hoc vocat Idæan, illud Achæus ὕλαν.

Idem l. 7. de Nugis Curial. c. 13. refert ex eo quoſdam verſus quibus ſignificare voluit quæ claues eſſent diſcendi.

Quæ vero ſint diſcendi claues, inquit, *quæ philoſophantibus ad intuendam ſpeciem veritatis*, viam eo tendentis expediunt, ſenex Carnotenſis paucis expreſſit. Et licet metri eius ſuauitate non capiar, ſenſum approbo & Philoſophantium mentibus credo fideliter ingerendum. Ait ergo.

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta.
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena.
Hæc referare ſolent multis obſcura legendo.

Bernardus Piſanus vir fuit magnæ litteraturæ, præpoſitus Scholæ Petri Trecenſis ſeu Comeſtoris in Academia Pariſienſi. De quo Petrus Cardinalis S. Chryſogoni ſic ſcripſit ad Alexand. III. *Litteraturam* & honeſtatem M. Petri Manducatoris " Decani Trecenſis vos non credimus ignorare. Magiſter autem Bernardus Piſanus " quondam præpoſitus eius tantæ litteraturæ eſt, & ita honeſtè & laudabiliter eſt " ſemper in illis partibus conuerſatus, quod ei ab omnibus ſufficiens teſtimonium " perhibetur, & maximis honoribus digniſſimus reputatur. Claruit an. 1160. & " deinceps.

Bernardus Claræ-Vallenſis Abbas eximiæ virtutis & integritatis, non alumnus quidem Academiæ Pariſienſis neque profeſſor publicus, ſed concionator egregius, qui multos & Diſcipulos & Magiſtros ad Deum conuertit & ad meliorem vitationem, *quercuum ſeceſſuumque Diſcipulus*, inquit, Choppinus, *& nullo præeunte Magiſtro doctiſſimus: qui è ſolitudine in celebritatem, ex vmbra in ſolem, ſanctitatem eruditionemque importauit.* Is tam hercle πολύγραφος quàm αὐτοδίδακτος. *Quod paucis admodum id genus ſcriptoribus Origeni, Auguſtino, Ambroſio cernimus contigiſſe. Bernardi vitam monumentis prodidit Arnulphus Bona-Vallis Carnutum Abbas illius coætaneus.* De eo quoque præclarè Vincentius Bellouacus ad an. 1139. *Inter hos etiam alios multos tunc claros ſcientia viros* Bernardus Abbas Clare-Vallen. vir opinatiſſimæ Religionis eminentiſſimè clarebat. *Qui multorum* miraculorum Patrator & verbi Dei feruentiſſimus prædicator, atque plurimorum Monaſteriorum fundator, animarum lucra maxima Deo exhibebat: adeo vt Magiſtri ſcholarum cum magno Clericorum comitatu etiam de longinquis regionibus ad eius optabile Magiſterium confluentes centenario vel etiam ampliori nouiciorum numero domum Probationis implerent, & vno die 40. Monachi fierent. De eo plura paſſim diximus in hiſtoria. Addemus Epigramma Nicolai Rieuallenſis Angli.

Religionis apex & noſtri gloria ſæcli
Et decus Eccleſiæ & totius purpura mundi,
Vnice decor aue: te Remige noſtra phaſelus
Scyllæoſque canes vitat baratrumque Charybdis,
Sol ſine nube micans, per te Ciſtercius Ordo
Fulget vt aurora totoque relucet in orbe.
Gemma ſacerdotum tu compluis & colis & nos
Fundis rore ſacro qui largus fluxit ab ore.
Par es Gregorio mellito gutture, ſenſu
Diues vt Aurelius, huic ſoli cedis, es inde
Aureus eloquio ſicut Chryſoſthomus, imò

Schemate verborum magnus Hieronymus, inſtar
Ambroſii ſplendes, vernas vt Beda, Leoni
Papæ conſimilis, ſed & alter Hilarius, vnde
Nempe figurali myſteria clauſa ſigillo
Senſibus Hiſtoricis prius elicis, inde recenſes
Prorſus enigmatica Salomonis Cantica, Certè
Hæc tibi debetur & laus & laurea ſoli,
O felix anima ſuperis ſacrata Choreis
Solamen miſeris eſto, medela reis.

Bernardus ex Monacho Clareuallenſi factus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani laudatur à Ioanne Saresberienſi l. 5. de Nugis Curial. ob continentiam ſeu abſtinentiam à quouis munere. Eundem vocat alibi Bernardum Redonenſem, & de eo ſic. *Bernardus Clareuall. Monachus & SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis Romæ degens in excelſis ſingulariter habitauit excutiens manus ſuas ab omni munere, vt nondum natus ſit cuius aurum vel argentum in munus acceperit.*

C

Conradus Archiepiſcopus Moguntinus olim M. Petri Bleſenſis in Scholis contubernalis; ad quem ſcribit Ep. 163. *Quia*, inquit, *quandoque* Scholaribus caſtris militauimus ſub eodem Doctore, & ex diutinâ eiuſdem hoſpitij cohabitatione ſocialis amicitiæ iura contraximus, fiducialius vobis ſcribo. Excurſus enim modici temporis noſtro non præſcribit amori, nec apud me mutationem veſtri ſtatus agnoſcit affectio. Sanè poſtquam deſideratiſſimam faciem veſtram nouiſſimè vidi, vos in Archiepiſcopalis eminentiæ gradum diſpenſatio diuina promouit. Sed ſi bene recolo, quàm ſolida ſemper apud me fuerit fides veſtræ & amoris integritas, certus ſum, quod honoris aſſumptio circa ſtatum amicitiæ veſtræ nullum præiudicium mihi facit.

Cælestinus II. Pontifex Max. ante promotionem *Guido de Caſtello* dictus, S. Marci Preſbyter Cardinalis natione Tuſcus, Petri Abaëlardi Diſcipulus & Patronus, ad quem ſcripſit D. Bernardus, vt eum ab hoc patrocinio dimoueret. Innocentio Papæ II. ſucceſſit, & quinto ſui Pontificatus menſe obiit, ſepultuſque eſt in B. ſilica Lateranenſi. Hic M. Robertum Polenum alias de Pully Cardinalem inter alios creauit. De eo diximus in Hiſtoria.

D

Daniel Morleye, alias de Merlac, Lelandus Morilegum vocat, natione Anglus Oxonienſes Scholas iuuenis frequentauit, maturior annis factus inquit Balæus, *ad litterarum appetentior, Lutetiam Pariſiorum inuiſit*, vt ex eodem Lelando didicit. Poſtremò Mathematicæ artis cupiditate inſolitâ tactus animum **ad Arabes ea ætate eruditos adiecit, quorum diſciplina tunc latè in Hiſpania floruit.** Claruit ſub finem ſeculi, circa an. 1180. Ille autem in ſua ad librum de Naturis Inferiorum & Superiorum præfatione ſic habet. *Cum dudum ab Anglia* me cauſa ſtudij accepiſſem, & Pariſius aliquandiu moram feciſſem, *videbam quoſdam beſtiales in ſcholis graui authoritate ſedes occupare.*

Daniel Abbas de Sconauia Ord. Ciſtercienſis ſtuduit, neſcio an profeſſus ſit Lutetiæ, & eius temporibus res accidit ſtupenda in Baſilica D. Virginis, vbi cum aliquis non ſacerdos Miſſam celebraret, igne ſacro correptus eſt. Rem ſic refert Cæſarius l. 9. cap. 60. *Sicut mihi narrauit* ſupradictus Daniel, Clericus quidam quando Pariſius ſtuduit, horrendum ſatis ſpectaculum in Eccleſia S. Mariæ Dei Genitricis populo præbuit. Nam ſacer ignis pene manus eius deuorauerat: quem ſecutus quum Campanarius interrogaret cuius eſſet Ordinis, & ille reſpondiſſet Sacerdotij, ſubiunxit: Nunquam ſacro chriſmate manus iſtæ perunctæ ſunt. Sentiens ille ſpiritu prophetico ſe deprehenſum, confeſſus eſt culpam.

E

Ernaldus Bleſenſis Iureconſultus peritiſſimus,ad quem Petrus Bleſenſis ſcribit, vt curet ſibi à Bibliopola reddi libros quos emerat pretio numerato, ſed non abſtulerat: quos alius quidam maiori numerato pretio emerat & abſtulerat: contendit enim multarum citatione legum libros illos ab alio emi non potuiſſe. Videntur autem mihi iam tum Bibliopolæ ſeruiſſe Vniuerſitati, eique addicti fuiſſe. Sic ergo ille ſcribit Ep.71.

Cariſſimo ſocio & amico M. Ernaldo Bleſenſi Petrus Bleſenſis Bathon. Archid. Salutem. *Cum D. Rex Anglorum* me nuper ad D. Regem Francorum Nuncium deſtinaſſet, libri legum venales Pariſius oblati ſunt mihi ab illo B. publico Mangone librorum,&c.in fine.Hac breui deliberatione vſus ſum,non vt vos inſtruam, qui eſtis in Iure Ciuili præcipuus, &c.

Engelbertus quidam amicus Philippi ab Eleemoſyna Abbatis Bonæ-ſpei ſtudens Pariſiis ob leuem febriculam ſcholam deſerere meditans grauiter ab eo reprehenditur Ep. 4. quâ docet non ſatis eſſe ſtudere Pariſiis, ſed ſudandum & acriter laborandum eſſe. Locum retulimus in Hiſtoria.

F

Fulcherius Carnotenſis Hiſtoriam primæ expeditionis Hieroſolymitanæ ſub Vrbano ſcripſit ab anno 1095. vſque ad an. 1127. quo in Galliam reuerſus eſt. Quippe cum aliis peregrinis cruce ſe ſignauerat, & quæ ipſe oculis vidit, vidit autem multa, quia Balduini Ducis Capellanus erat, fideliter in commentarios retulit.

Fulco Poëta eandem Hiſtoriam Hieroſolymitanam verſibus deſcripſit, ſaltem eius initia; reliquam verò partem Giloni Pariſienſi deſcribendam reliquit. Sic autem incipit.

Inclyta Geſta Ducum perſcribere Magnanimorum
Fert animus, patrum qui fortia facta ſuorum
Non ſolum magnis ſucceſſibus æquiparare,
Sed maiore fide certarunt exſuperare.
Ardor ineſt inquam, ſententiâ fixaque menti
Verſibus & numeris tranſmittere poſteritati.

De Gilone verò ſic habet in fine lib. 3.

Hæc de Principijs Gallis Hieroſolymitani
Scripſimus, vt noſtræ permiſſum ruſticitati.
Cætera deſcribet Dominus Gilo Pariſienſis,
Cuius turpatur noſtris elegantia nugis.

Floruit Fulco circa initia huius ſeculi.

Fulco Neulliacus, non fuit quidem Academiæ Pariſienſis Profeſſor, ſed alumnus, M. Petri Cantoris in Theologia diſcipulus: de quo ſatis multa diximus ad an. 1196. & 1198. Iacobus de Vitriaco ſic de eo c. 6 Hiſtor. Occident. *In diebus illis* ſuſcitauit Deus Cœli ſpiritum cuiuſdam ſacerdotis Ruralis ſimplicis valde & illiterati, de Epiſcopatu Pariſ. nomine Fulconis. Sicut enim Piſcatores & idiotas elegit, vt gloriam ſuam alteri non daret: ſic Dominus eo quod paruuli petiiſſent panem;litterati autem circa diſputationes vanitatis & pugnam verborum intenti frangere non curabant,prædictum preſbyterum tanquam ſtellam in medio nebulæ & pluuiam in medio ſiccitatis velut alterum Sangar, qui vomere rudis prædicationis multos interficeret, ad vineam ſuam excolendam miſericorditer elegit. Et c. 8. ait eum ſuis humeris Crucem impoſuiſſe, ſuoque exemplo Principes & alios inuitaſſe ad idem faciendum. *Verum cum multas in terræ S. expeditionem* pecunias collegiſſet, cœpiſſe nonnihil famæ amittere, & in Parœcia tan-

" dem ſua de Neully obiiſſe. Vir autem ſanctus cum multas animas diebus ſingulis " Domino lucraretur, tandem Crucis ſigno humeris ſuis affixo cœpit exemplo " & verbo Principes & milites cuiuſcunque conditionis homines ad Terræ ſanctæ " ſuccurſum inuitare, exhortari & admonere. Sed & ipſe ex fidelium eleemoſynis " maximam cœpit congregare pecuniam, quam pauperibus cruce-ſignatis tam mili- " tibus, quã aliis propoſuerat erogare. Licet autem cauſâ cupiditatis vel aliqua ſini- " ſtra intentione collectas iſtas non faceret, occulto Dei iudicio ex tunc eius autho- " ritas & prædicatio cœpit valde diminui apud homines, & creſcente pecunia timor " & reuerentia decreſcebat. Ipſe autem non multo tempore poſt acuta febre corre- " ptus, in villa quæ dicitur Neully viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, & ibidem in " Eccleſia Parochiali ſepultus eſt. Multis autem ex longinquis propinquis & regio- " nibus ad ſepulchrum eius concurrentibus opus Eccleſiæ illud quod ipſe inchoa- " uerat, ex eleemoſynis confluentium peregrinorum penitus eſt conſummatum.

Fulco Magiſter ſcholarum S. Crucis Aurelianenſis ſummi Pontificis odium incurrit, eo quod Magiſtrum G. ad regimen ſcholarum admittere nollet obtendens eius incapacitatem. Itaque Stephanus Torn. tum Abbas San-Genouefianus à Papa mandatũ accepit, vt eũ volentem nolentem cogeret parere, qui peremptorio edicto denunciauit M. Fulconi vt Pariſius ſe ſiſteret, prædictumque G. forte ab Vniuerſitate litteris Magiſterii donatum oſtenderet eſſe incapacem. Sic ergo Ep. 133. „ Moleſtum mihi eſt quotiens aliquem moleſtare compellor præſertim Dominos „ meos quibus vel ob meritorum gratiam vel ob reuerentiam dignitatis aſſurgere „ teneor & ſeruire. Vnum ex eis vos æſtimo, cuius honorem minus in cauſis offende- „ re quàm defendere ſum paratus. Sed quoniam mandata Apoſtolica tanquam mu- „ ri ſunt vbis quos tranſilire non licet, eo terrore percuſſus, ne Romulei fratris ſor- „ tem ſimul ac mortem capitis amiſſione ſaltem ciuiliter incurram; ſicut primò vos „ commonueram, ita & ſecunda commonitione vobis conſulo, vt Magiſtrum G. ſe- „ cundum mandatum D. Papæ licitè legere permittatis. Quod ſi forte nolueritis, „ peremptorio velim nolim vobis edicto denuncio, vt prima die Lunæ inſtantis Ad- „ uentus Dominici Pariſius eundem G. ad tale regimen ſcholarum minus idoneum „ oſtendatis.

G

Galfridus de Vino ſaluo vulgò de Nine-ſaluo, ſed corruptè, Gallicè *Vinſauue* Anglicè *Vinſalfe*, ſic dictus à libro quem compoſuit de Vitibus, vinis & fructibus conſeruandis, natione Anglicus floruit ſub Richardo & Ioanne Regibus circa an. 1200. Poeticæ præſertim addictus fuit, librumq; de Noua Poëtria deque artificio loquendi, dum Romæ agebat, Innocentio III. recens creato Pontifici dedicauit. Cuius verſus nonnullos ad laudem ipſius Innocentii pertinentes, in Hiſtoria retulimus, vt & alios quos in eodem opere, de Richardi morte cecinit.

Galfridus ſeu Gaufridus de Loratorio Gallus Aquitanus, vir magnæ litteraturæ, ſacræ ſcripturæ ſcientiſſimus, & Diuini verbi Præco celeberrimus: ad quem extat Ep. 125. D. Bernardi, quâ eum rogat vt in ſacris concionibus quas habebat ad populum, cauſam Innocentii II. contra Antipapam Petrum-Leonis tueatur: quandoquidem iam omnes verè Chriſtiani ab illo ſtabant præter vnum Gerardum Epiſcopum Engoliſmenſem. Archiepiſcopatum Burdigalenſem adeptus eſt an. 1136. & ſequenti nuptias Ludouici Regis cum Eleonora Willielmi Aquitaniæ Comitis filia celebrauit. Ad fuit Concilio Remenſi an. 1148. & Gilberto Porretano contra eos à quibus hæreſeos inſimulabatur fauit. Eiuſdem exequiis interfuit Pictaui an. 1154. Obiit verò Fontebraldi an. 1158.

Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus Iuoni ſucceſſit. Sub Innocentio II. Apoſtolicæ legationis munere functus eſt in Aquitania, eiuſque partes viriliter defendit cum Bernardo Clareuallenſi, cuius intima familiaritate vtebatur. Quanquam vero ipſi amiciſſimus eſſet, Abaelardo tamen quem Bernardus inſectabatur, non omnino aduerſatus fuiſſe videtur: quippe vir erat litteratus, & viri litterati afflicti miſeratione ducebatur. Eius pro Abaëlardo orationem retulimus ad an. 1121. Eius elogium legitur in Chronico Mauriniacenſi, vbi de nuptiis Ludouici & Eleonoræ inter.

ter. Erat inter optimates Regni *Gaufridus Carnotensis Prouincia Episcopus, scientia quidem litteralis non indigus, secularium quoque negotiorum dispositor ac tractator famosus. Hunc precedentes Apostolici amicum semper & familiarem habuerant, & pro valoris vel elegantiæ qua præditus erat magnitudine, totius ei Aquitaniæ Legationem indixerant.* Obiit 4. Kal. Feb. an. 1138. sepultusque est in Abbatia B. Mariæ Iosaphati deque eo sic habet Martyrologium Carnotense. *9. Kal. Febr. obiit Episcopus Carnotensis qui super Bituricensem, Burdegalensem, Dolensem & Turonensem Prouincias per annos circiter 15. sanctè & religiosè functus est Legatione pro Innocentio. Qui Ecclesiam strenuè rexit, à pio Rege Ludouico communi Episcoporum & Procerum suorum & Comitis Theobaldi assensu & consilio nec non & vxoris suæ Adelidis & filij sui Philippi in Regem iam designati & ab Honorio Papa valde vtilia priuilegia impetrauit.* Malè hîc dicitur Gaufridus à Philippo Rege designato impetrasse priuilegia, quippe prius esse desiit in viuis Gaufridus, quàm Philipus esse cœperit.

Gaufridus de Perona Picardus adolescens nobilis cum pluribus sociis à Bernardo Clareuallensi conuersus est & ad Claram-Vallem adductus: ad quem extat eius Ep. 109. *Sermo qui insonuit, edificauit multos... Non apparebit vltra in vobis vacua crux Christi, quemadmodum in multis filiis diffidentiæ, qui tardantes conuerti ad Dominum de die in diem improuisa morte subtracti descendunt ad inferos....* Si ergo gaudent Angeli super vno peccatore pœnitentiam agente, quid in tam multis & in illis peccatoribus, qui quanto illustriores videbantur in seculo, scientia, genere, iuuentute, tanto pluribus erant perditionis exemplum? legeram. Non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus: at nunc præter regulam mirâ Dei potentiâ talium conuertitur multitudo. Vilescit gloria præsens, iuuentutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mundi stultitia iudicatur, non acquiescitur carni & sanguini, parentum & charorum renunciatur affectibus, fauores & honores & dignitates reputantur vt stercora, vt Christus lucrifiat. Et Ep. 110. consolatur eiusdem Gaufridi Parentes. De eo sic scribit Gaufridus in vita S. Bernardi l. 4. c. 3. *Inter cæteros quos de vana conuersatione huius seculi per ministerium serui sui Christus eripuit de partibus Flandriæ, multi aliquando nobiles, multi sapientes & litterati viri sub ipsius Magisterio sacram professi sunt seruitutē quorum primus videbatur Gaufridus ille Perona, qui postmodum in Claraualle Prioris officio functus est & defunctus in eo.* De eodem Petrus Blesensis Ep. 102. *Legimus quod Gaufridus Peronensis Clareuallis Prior electus in Episcopum Tornacensem electioni nullatenus acquieuit. Qui postea defunctus & apparens cuidam fratri inquirenti qualiter ei esset, respondit, Reuelauit mihi Trinitas sancta, quod si suscepissem Episcopatum, fuissem de numero Reproborum.*

Gaufridus Antissiodorensis Petri Abaelardi quondam Discipulus, sed ne fieret imitator erroris, ad Cistercienses se contulit, fuitque deinde B. Bernardi Notarius & aduersus Abaelardum magistrum suum scripsit librum vnum. Videtur autem fuisse conuersus circa an. 1139. ait enim in prologo vitæ ipsius, eum sibi mortem improbam post annos 13. suæ educationis in Claraualle abstulisse.

De eo sic scribit apud Vincentium Helinandus Monachus Frigido-montensis. *Huius Petri* (**Abaëlardi**) *aliquando fuerat Discipulus Gaufredus Antissiodorensis, qui multo tempore fuit notarius S. Bernardi, qui inter cætera de eodem Petro dixit.* Ego mihi aliquando recolo Magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ euacuans nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat nisi virtutis exēplum & amoris incentiuum. Quod enim scripturæ perhibent de potestate Diaboli pretioso illo sanguine genus humanum esse redemptum, in eo solo constare dicebat quod exemplum nobis exhibitum est vsque ad mortem pro veritate & iustitia certandi: & adhibitum est velut quoddam incentiuum amoris, cum ex impenso amore data est occasio redamandi. Et quidem magna sunt hæc & vera, sed non sola. Benedictus Deus qui mihi simul & vobis Magistrum dedit postea meliorem, per quem prioris redarguit ignorantiam & insolentiam confutauit, secundum quam tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentiuum amoris & sacrificium redemptionis. Quod tertium euacuanti Hæretico nihil prodesse tria cætera potuerunt. Hæc & alia multa doctus Gaufredus *contra Petrum Magistrum suum fortiter & catholicè scripsit.* Interfuit cum suo Abbate Bernardo Concilio Remensi contra Gilbertum Porretanum, huiusque Conci-

lii acta diligenter perſcripſit, vt in Chronologia retulimus. Vixit autem vltra annum 1180.

Gaufridus de Gorram Patria Cenomanenſis à Richardo XV. Abbate S. Albani in Angliam euocatus, poſt eum Abbatiam rexit 26. annos & menſes aliquot. Euocatus autem ideo fuerat, vt San-Albanenſi ſcholæ præeſſet, ſed nimis moratus & prædictâ ſcholâ ab alio occupatâ apud Duneſtapliam docuit. Cum autem Ludos S. Catharinæ edere voluiſſet, ob idque Cappas Chorales Eccleſiæ San-Albanenſis mutuatus eſſet, illæ verò ſubito incendio conflagraſſent, ignarus quomodo damnum iſtud reſarcire poſſet, quóque ſe verteret, Monachum induit, & poſtea Abbas fuit an. 1119. aut 1120. obiit vero an. 1146. ita de omnibus bene meritus, vt in eius ſuauem memoriam M. Guarinus, qui vigeſimus Abbas fuit inſtituerit vt die ſanctæ Catharinæ centum pauperes reficerentur pane, ceruiſia & vno ferculo, quia dies illa fuerat initium ipſius ad religioſam vitam conuerſionis. Succeſſorem habuit Radulfum: at eo paulo poſt cedente Robertus de Gorram ex nobili Cenomanenſium Normanorumque proſapia originem ducens Gaufridi nepos liberalium Artium diſciplinâ, ſpirituali quoque induſtriâ peritus & conſpicuus ad eiuſdem Abbatiæ regimen acceſſit: quo Abbate Nicolaus de Brekſpeare Monachi habitum petens repulſam paſſus fuit: itaque ille Pariſios profectus demum ad Pontificatum ſupremum prouectus eſt, & Adrianus vocatus.

Gaufridus ſeu Gaufridus Henrici II. Anglorum Regis Nothus, Lincolnienſis Epiſcopus Magiſterium quoque Pariſiis obtinuit & exercuit: indeque factus eſt Epiſcopus Lincolnienſis & poſtea Eboracenſis Archiepiſcopus: eius meminit Petrus Bleſenſis. Eundem vocat Sareſberienſis cognatum ſuum Epiſt 93 à Ioanne Rege qui immenſis exactionibus Angliam vexabat, expulſus eſt, quod eis aſſenſum non præberet.

Gaufridus Monachus S. Martialis Lemouicenſis & Prior cœnobii Voſienſis ſcripſit Chronicum à Roberto Rege ad an. 1183. Sic enim ille cap. 22. *Ego Gaufredus* iſta dictaui anno Incarnat. Dominicæ 1182. Philippi qui fuit filius Ludouici „ tertio anno: quo videlicet anno guerra fuit grauiſſima in Lemouicino inter Hen„ ricum Anglorum Regem & filium eius Henricum Iuniorem qui tunc obiit in fe„ ſto B. Barnabæ Apoſtoli. Ego quintum annum tunc Prioratus mei in Cœnobio „ Voſienſi expleueram.

Gerardus Puella ſeu Pucella, quem aliqui Normanum, alii Anglum, fuiſſe dicunt, florebat in Academia Pariſienſi circa an. 1160, diuque in ea ſcholas habuit. Vir magnæ litteraturæ & honeſtatis, quem Petrus Cardinalis S. Chryſogoni cum quibuſdam aliis commendauit Alexandro III. ad beneficia & honores Romanæ curiæ. Extant duæ ad prædictum Gerardum Alexandri Epiſtolæ, quibus ei indulget, vt quandiu Pariſiis rexerit, reditus percipiat beneficiorum ſuorum abſque vlla diminutione. Nos eas in hiſtoria retulimus. Ad eundem extant plurimæ quoque Ioannis Sareſberienſis Epiſtolæ, quibus eum rogat, vt Thomæ Cantuarienſi oppreſſo & afflicto adſit, atque vt quâ valet apud Regem Henricum II. authoritate vtatur, neue Epiſcopatum ſi forte offeratur ad prævaricationem, præferat honeſtati.

Erat enim vir potens ſermone & vtriuſque iuris gnarus, Euangelii autem Concionator egregius. Relictis tandem ſcholis adhæſit Richardo Cantuarienſi Archiep. cum M. Petro Bleſenſi; ab eoque ambo ad Alexandrum miſſi ſunt circa an. 1177 contra Rogerum S. Auguſtini Cantuarienſis Abbatem electum, qui debitam Præſuli profeſſionem facere detrectabat, vt ſcribit Geruaſius in Richardo. Anno demum 1182. aut 83. electus eſt in Epiſcopum Ceſtrenſem, qui paulo poſt acerbâ tactus ægritudine lecto decubuit, obiitque quarto ordinationis ſuæ menſe, idib. Ianuariis, rumorque fuit interiiſſe veneno, quod & manifeſtis ſecundum Phyſicos claruit indiciis, vt notat Geruaſius.

Gerardus Scholaſticus, ſeu vt legitur in lib. de Geſtis Abbatum Lobienſium, *Rector Scholæ* Lobienſis, factus eſt Cardinalis, deinde Apoſtolicus Legatus in diœceſi Leodienſi, & multa ibi ad laudem Dei & vtilitatem Eccleſiæ conſtituit.

Gerebertus videtur quoque fuiſſe Magiſter Pariſienſis, ſed cuias neſcio. Ad eum

extat Epiſtola Nicolai cuiuſdam, vt videtur, diſcipuli in tom. hiſtor. Ducheſniannæ. *M. Gereberto Nicolaus vt vocem ſic animum modulari.* Me quia negligentem arguis, quod tibi eſſe meum non ſcripſerim, cum ſatis ſcias cuiuſmodi ſit diſcentium ſtatus, iuſtius ego te quaſi non fidum arguero, cum contra id quod pollicitus es, tandiu mei immemor extiteris. Inde etiam eſt quod timeo ne velut & initialiter radicata amicitia noſtra aliquatenus penes te deciderit & maximè pro locorum diſtantia quæ amantium animos per obliuionis incidentiam alterare ſolet; quod tamen neuter noſtrum ſentiat: ſed quæ non niſi ornotina eſt, & diuturna ſit amicitia laboremus, & nobis idem ſit vitæ & amicitiæ terminus.

Geruaſius Ceiceſtrenſis ab vrbe natalitia Comitatus Southſaxiæ ſic cognominatus, inquit Pitſæus, liberalibus artibus feliciter inſtructus fuit & omni ſcientiarum genere cultiſſimus, qui poſt emenſum Liberalium Artium ſtadium in Academia Pariſienſi teſte Lelando, ad altiora ſtudia aſcendit, conſummatoque illic curſu Thelogiæ ad ſcientiam perficiendam alias ſcholas percurrit, inquit Pitſæus. De eo verò ſic Balæus poſt Lelandum. Hic ita à iuuentute bonas litteras excoluit, vt illas ſolus pro animi ſui ornamento neceſſarias duceret. Ille enim flagrantiſſimo, inquit Lelandus, eloquentiæ & doctæ cognitionis ardore correptus Scholas eius ſeculi celebratiſſimas frequentauit & maximè Lutetiam Pariſiorum. Fuit apud Thomam Beketum Cantuariorum Archiepiſcopum in pretio, nomine bonarum litterarum planè maximo, expedito vſus calamo. Bibliorum libros in Scholis publicis plures expoſuit non ſine Auditorum applauſu. Claruit ab an. 1160. ſcripſit de ſacerdotalis Ordinis Inſtitutione lib. 1.

Gilbertus natione Anglus Anſelmi Laudunenſis quondam Diſcipulus, qui teſte Lelando, è patria profectus augendæ doctrinæ vlterioriſque cognitionis gratia in Gallia litteris operam dedit, Romam que etiam inuiſit, inde Magnentiam; vbi cum iudæo acriter de fide decertauit: quam ille diſputationem in dialogum redegit, & M. Anſelmo dedicauit. Commentaria quoque edidit in Hieremiam & Eſaiam prophetas. Obiit verò an. 1117.

Gilbertus quoque Natione Anglus, *Vniuerſalis* dictus, quod in omni litteraturæ genere excelleret, ſub initia huius ſeculi Pariſiis florebat inter Philoſophos: vnde Antiſſiodorenſem Canonicatum adeptus eſt. Ex Canonico verò factus poſt deceſſum Richardi Londinenſis Epiſcopus, & à Willelmo Cantuarienſi Archipræſule conſecratus eſt 11. Kal. ſub an. 1127. teſte Radulfo de Diceto in Abbreuiationibus Chronicorum. Ad eum extat Ep. 24 Bernardi Clareuallenſis, quâ eum laudat, quod bona fortunæ & Eccleſiaſtica Beneficia contemneret Eum autem magni nominis fuiſſe in profeſſione litterarum ſatis indicat, inquiens, *Tali profecto decebat ſpecialem tuam Philoſophiam clareſcere teſtimonio, hoc præclaro illa tua ſtudia fine compleri.... Non magnum fuit M. Gilbertum Epiſcopum fuiſſe, ſed Epiſcopum Londonienſem pauperem viuere, id planè magnificum.* Obiit an. 1134. teſte eodem Radulfo. Petrus Faber ex veteri Necrologio; *pridie*, inquit, *idus Auguſti obÿt venerabilis memoriæ M. Gilbertus veteris & noui teſtamenti gloſſator eximius, qui Vniuerſalis meritò appellatus eſt, huius Eccleſiæ Canonicus, poſtmodum verò Londonenſis factus Epiſcopus.*

Gilbertus cognomento *Porretanus*, Natione Gallus, ortu Pictauienſis, Anſelmi Laudunenſis olim diſcipulus, cui & Gloſſaturam quandam in Pſalterium recitauit: refertur enim quoddam eius Manuſcriptum quod ſeruari aiunt in Collegio Bailliolenſi Academiæ Oxonienſis, cuius hic eſt titulus, *Gloſſæ M. Gilberti Porretani ſuper Pſalterium.* & in fine *Explicit Gloſſatura M. Petri Porretani ſuper Pſalterium, quam ipſe recitauit coram ſuo Magiſtro Anſelmo in terra Lacerdonis vel* Wacerdonis. Vir fuit in Diuinis ſcripturis diu multumque exercitatus & in ſecularibus litteris magnificè doctus, ingenio ſubtilis, at nouitate terminorum confuſus, inquit Trithemius. Is eſt proculdubio Gilbertus, quem ait Sariſberienſis ſe Pariſiis audiſſe in Logicis & Diuinis: quemque nimis citò ſublatum eſſe queritur. Nempe factus eſt Cancellarius Carnotenſis, ex Cancellario Epiſcopus Pictauienſis an 1141. Vnde cum Sareſberienſis Lutetiam venerit an. 1136. circa ea tempora eum Pariſiis docentem repererit, neceſſe eſt. Ei autem in docendi officio ſucceſſit Robertus Pullus, quem & idem Sareſberienſis audiuit. Henricus Gandauenſis de Gilberto ſic ſcribit. *Gilbertus cognomento Porreta ex Magiſtro Theologica*

Schola Pariſius Pictauienſis Epiſcopus ſcripſit in Apoſtolum & in Pſalmos. Commentatus etiam in Boëtium de Trinitate: ſed à Bernado hæreſeos notatus in Concilio Remenſi coram Eugenio conuerſus eſt. Albericus verò ait, eum Romæ laudatum fuiſſe, quod correctus feciſſet minorem gloſſaturam continuam in Pſalterium & in Epiſtolas Pauli, inſequendo dicta B. Auguſtini, & alia quæ recipiuntur. Eum quoque inter 4. Primos Theologiæ Scholaſticæ Antiſtites commemorat Gualterus de S. Victore, vt in Synopſi docuimus. Et certe ob nouitatem quorundam terminorum Dialecticorum, quos tum vſurpare cœperunt, accuſatus eſt hæreſeos ab Arnaldo Pictauienſi Archidiacono: deinde à Bernardo Clareuallenſi & ab alijs veteris Theologiæ poſitiuæ amatoribus. De Concilio Pariſienſi & Remenſi quibus citatus interfuit & de doctrina Gilberti, diximus fusè ad annos 1146. & 1147. De eo deque eius operibus ſic ſcribit Trithemius lib. de Scriptoribus Eccleſi. *Gilbertus Epiſcopus Pictauienſis ex* Scholaſtico Pariſienſi, cognomento Porreta, Natione Gallicus, vir in Diuinis ſcripturis multum exercitatus, & ſecularibus litteris magnificè doctus, ingenio ſubtilis & nouitate terminorum confuſus eloquio; à B. Benardo in quibuſdam arguitur hæreſeos & in Concilio ab Eugenio celebrato conuictus renunciaſſe fertur errori. Sunt qui eum excuſent, Authoritates in expoſitionibus ſuis inductas dicentes ab aliquibus minus ſanè intellectas. Nos autem cum Rom. Eccleſia ſentientes, ſemel per eam concluſa nulli infringere licere confitemur. Scripſit autem Gilbertus multa opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta. In totum Pſalterium lib. 1. In omnes Epiſtolas Pauli lib. 14. In Euangelium Ioan. l. 1. In Boëtium de Trinitat. l. 1. Libros Quæſtionum. Sermones plures l. 1. & quædam alia. Obiit an. 1154. teſte Roberto de Monte in additione ad Sigebertum *Moritur*, inquit, *Gillebertus Epiſcopus Pictauienſis vir Religioſus & multiplicis Doctrinæ, qui Pſalmos & Epiſtolas Petri luculenter expoſuit.* De eiuſdem obitu Laurentius tum Decanus Pictauienſis nomine totius Capituli planctum ſcripſit ſeu Elogiũ funebre, vt habetur in quibuſdam MS. Schedulis, & in fine hæc verba leguntur. *Dormiuit in ſenectute bona ſenex & plenus dierum anno ab incarnatione Dom. 1154, Epiſcopatus ſui 13. Anaſtaſio Rom. Pontifice, Ludouico Francorum Rege, Henrico Aquitanorum Duce, menſe Septemb. pridie non. Sepultus eſt ab Burdigalenſi Goffrido & Epiſcopis aliis, B. Santonenſi, Hugone Engoliſmenſi, Helia Petragoricenſi, in Eccleſia B. Hilarii Patris & Patroni ſui. Dignum quippe maximè viſum & opportunum, vt cuius fuerat doctrinam ſequutus, cuiuſque tenuerat vicem, ſortiretur hæreditatem. Anima requieſcat in pace Amen.* Referunt etiam Sammarthani eiuſdem Epitaphium Codici MS. Bibliothecæ Carmelitarum Diſcalceatorum Pariſienſium inſcriptum ſubiectumque operi eiuſdem de Trinitate.

Temporibus noſtris celeberrimus ille Magiſter
Hoc opus excepit ſtrenuus ſapienſque Miniſter
Floruit, & cunctis præcelluit ipſe Magiſtris.
Logicus, Ethicus hic, Theologicus atque Sophiſta,
Solaque de ſeptem cui defuit Aſtronomia
Artibus ac diua præcelſus Philoſophia,
Qui quàm facundus verbis fuit atque profundus
Senſu, teſtantur bene qui legiſſe probantur
Illius in libris magni commenta Boëti.
Hic alter rectè dictuſque Boëtius ipſe,
Cum Giſlebertus proprio ſit nomine dictus.
Pictauis hunc genuit, quem Pontificem ſibi legit,
Nobilior tanto verè dicta a patrono
Hic requie æterna potiatur pace ſuperna.

Gilbertus Folioth Leiceſtrienſis Cœnobii Canonicorum Regularium primum Abbas, deinde an. 1149. Herefordenſis Epiſcopus. A quo Ioannes Sareſberienſis lepidum quid ſe accepiſſe refert l. 7. de Nugis Curial. c. 24. vbi de inuidis agit & detractoribus, oſtendens neminem qui virtute emineat, inuidia carere poſſe: non modo enim in curia, ſed in Capitolio (al. Capitulo) morem hunc vigere, idque Gilberti exemplo probat. *Venerabilis*, inquit, *Pater Gilbertus* Herefordien-

ſis Epiſcopus mihi referre conſueuit Clauſtralium morem, quem in ſe ipſo ſe fatebatur expertum. Cum enim Monaſterium ingreſſus eſſet, feruēs adhuc igne quem de nouo conceperat, Magiſtratuum ſuorū ignauiam arguebat. Nec mora, promotus in modico miſeratione complicium motus eſt. Nondum tamen pepercit maioribus: paulo poſt ad Priores aſcendit, Prioribus compatiens carpere non ceſſauit Abbates: factus eſt & ipſe Abbas, & propitius in Coabbates, Epiſcoporum cœpit vitia intueri. Tandem ipſe Epiſcopus Coepiſcopis parcit. Nec tamen ipſum inuidiæ vicio arbitror laboraſſe: ſed vir prudens, quod hominibus quodammodo ingenitum eſt, eleganter expreſſit. Poſtremo tandem Gilbertus ita poſtulante Henrico Rege ab Alexandro tranſlatus eſt an. 1162. ad ſedem Londinenſem: in eamque rem extant ipſius Alexandri litteræ ad Capitulum Londinenſe, quæ leguntur apud Radulfum de Diceto in Imaginibus Hiſtoriarum ad an. 1163. in quibus honorabilem huius viri mentionem facit. *Alexander Papa Capitulo Londonienſi.* Ex litteris Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici illuſtris Anglorum Regis & venerabilis fratris noſtri Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, atque ex relatione dilecti filij noſtri Radulfi Eccleſiæ veſtræ Archidiaconi accipimus, quod idem Rex deſiderat plurimum & requirit, quod venerabilis frater noſter Hereforden ſis Epiſcopus ad veſtram Eccleſiam tranſferatur, vt in eadem Eccleſia curam gerat & ſollicitudinem paſtoralem. Hac vtique causâ & neceſſitate Nobis ab eodem Rege propoſitâ, quod Londonienſis Ciuitas Regalis ſedes ſit, & ipſe Rex diuturniorem ibidem conſueuerit & longiorem moram habere, & ibi frequentes Baronum ac Procerum de toto Regno ſoleant eſſe conuentus. Quanto autem prædicta Regia Ciuitas inter alias Regni Ciuitates magis eſt nobilis & famoſa, tantò Eccleſiam ipſam ab honeſtiori & tam in Diuino quàm in humano Iure prudentiori præfatus Rex regi deſiderat & poſtulat gubernari. Nam cum ipſi memorato fratri noſtro conſilium de animæ ſuæ ſalute commiſerat, eum cum ſibi neceſſe eſt, deſiderat habere præſentem. Vnde nos ei tanquam Kariſſimo filio noſtro per omnia & in omnibus in quibus ſecundum Deum poſſumus deferre volentes, & eiuſdem fratris noſtri Epiſcopi religionem, honeſtatem & litteraturam diligentius attendentes, voto & propoſito ipſius Regis in hac parte, ſi tamen vos eundem *Epiſcopum vnanimiter poſtulaueritis, d. x. mus annuendum.* Porro qui initio fuerat Thomæ Cantuar. amiciſſimus, factus eſt poſtea inimiciſſimus & Henrico Regi omnino adhæſit. Obiit autem 12 Kal. Martii an. 1187. ipſo die S. Vitalis: vixitque in Epiſcopatu 23. annis, menſibus 10. diebus 17.

Gilbertus de Semprinham Natione Anglus ex Lincolnienſi Diœceſi oriundus, Ioſcelini Equitis filius, cum in Anglia parum profeciſſet in litteris, in Franciam pro more huius ſeculi miſſus eſt ad liberalium Artium ingeniique cultum felicius capeſcendum, inquit Harsfeldius. Ibi exemplo Roberti Arbriſcellenſis Canonicorum Canonicarumque Ordinem animo concepit: quod conſilium antequam exequeretur, adeundum ſibi putauit & conſulendum Bernardum Clarevallenſem, cuius venerandis conſiliis informatus atque in ſuo propoſito roboratus, inquit Neubrigenſis l. 1. c. 16. tanto feruentius, quanto confidentius pijs cœptis inſiſtere non ceſſauit. Ordinem itaque ſuum inſtituit an. 1146. Cuius reliquit duo **Canonicorum & octo Canonicarum non ignobilia cœnobia, quæ & numeroſis** repleuit Collegis, & iuxta datam ſibi ſapientiam regularibus ornauit inſtitutis vt notat Neubrigenſis, addens inſuper ſibi videri Gilbertum palmam tenere inter omnes quos inſtituendis regendisque fœminis religioſam operam impendiſſe cognouit. Ioannes Monburnus referente Io. Picarto in Notis ad locum Neubrigenſis, Scropus & Capgrauus apud Balæum Centur. 3. Authores ſunt eum primum exædificaſſe Monaſterium longè celeberimum in natali ſolo, & ante mortem diuerſis in Cœnobijs reliquiſſe 700. Fratres milleque ſorores. Fratribus autem tunicam lineam palliumque nigrum attribuiſſe. At quia in eodem Monaſterio cohabitabant viri & mulieres muro intermedio ſeparati, non effugerunt mordaces linguas: quos ab omni ſuſpicione criminis eximit Willelmus Norwicenſis Epiſcopus datis in hanc rem ad Alexandrum III. litteris, quæ leguntur in Notis Picarti ad locum præallatum Neubrigenſis. Obiit autem an. 1188. teſte Bromptone qui eum vocat Sanctum Gilbertum *Alborum Monachorum* fundatorem.

Gilduinus Guillelmi de Campellis Diſcipulus cum eo ſeceſſit ad ædem San-

Victorinam, assumptoque Magistro suo ad Episcopatum Catalaunensem primus Abbas eiusdem Domus factus an. 1113. vt communiter scribunt Historici; quanquam in nonnullis Paschalis Papæ Bullis vocatur tantum adhuc Prior an. 1114. Prædictam Domum rexit ad an. vsque 1155. eamque Collegis innumeris, viris insignibus & literatissimis illustrauit. Obiit autem 13. April. & in medio Ecclesiæ choro iacet cum hoc Epitaphio.

Gildwinus abit de Castris victor ad aulam
Idibus Aprilis Rege vocante suo.
Prima Columna Domus, Custos gregis, Ordinis author
Hic iacet æterni dignus amore loci.

Gilo seu *Ægidius Parisiensis* Poëta suis temporibus habitus insignis, primi belli Hierosolymitani Historiam post Fulconem Carnotensem absoluit, incipiens à libro 4. versibusque Leoninis vsus est, quales isti sunt initio.

Textus gestorum memorandus Christicolarum
Est ope Diuina Turcorum facta ruina.
Hoc pro laude Dei licet impar materiei
Carmine perstringo facili, nec ludicra fingo.
Christe meæ menti tua bella referre volenti
Adsis: laus cuius series est Carminis huius,
Vt bene proueniant & te duce Carmina fiant.

Vide supra *Ægidius Parisiensis*: nam iste Gilo meo iudicio non alius est ab Ægidio Leuita.

Giraldus Cambrensis Archidiaconus Landauensis floruit sub Henrico II. Anglorum Rege, & cum Balduino Cantuariensi Archiepiscopo Crucis legatione fungente lustrauit an. 1182. & animauit Walliam ad expeditionem Hierosolymitanam: in quo itinere statum & ritum Cambrigenæ Gentis descripsit, sicut nuper, inquit Ioannes Brompton, cum Ioanne filio Regis Hiberniam missus statum & ritum gentis illius in sua Topographia descripserat. Is historiam seu potius fabulam Arturi contexuit. Arturi inquam, illius quem Angli venturum, vt Iudæi Messiam, expectabant. Ait vero se eius ossa quæ suo tempore apud Glastoniam in insula Aualona quodam vetustissimo Sarcophago concluſa profundè sub terra in quercu concaua recondita sunt inuenta inter duas pyramides in cœmiterio erectas, contrectasse. Abstineo referre quæ de eo fabulatur, quæque refutata leguntur apud Ioannem Bromptonem ad an. 1188.

Gerardus seu Gerardus Engolismensis Episcopus, Giraudi filius, natione Normanus, patriâ Baiocensis, qui cum vt legitur in Historia Pontificum & Comitum Engolismensium, quæ desinit ad an. 1156. *In Ciuitate Engolisma & Petragorico & in quibusdam Castellis circum adiacentibus regimina scholarum habuisset, defuncto Ademaro Engolismensi Episcopo* (obiit autem an. 1101.) *ob insignem ipsius scientiam & honestam vitam in Engolismensem Episcopum promotus est petitione populi, electione Cleri, Honoratorum consensu.* Author fuit Paschali infringendi iuramenti, quod ab ipso de Inuestituris extorserat Imperator: ac proinde ab ipso etiam Paschale ad Imperatorẽ missus est propositi Nuncius: quod & fortiter præstitit, adeo vt *Colonien sis Archiepiscopus, qui eum solenniter in hospitio suo susceperat* (in Galliis nempe Discipulus Gerardi fuerat,) *de vita illius dubitans dixerit, Magister, Maximum scandalum generasti in Curia nostra* Indignans autem Gerardus respondit; Tibi sit scandalum, mihi est Euangelium. Anacleto adhæsit pseudo-Papæ contra Innocentium, & Aquitaniam eius partibus addixit, ob idque à Bernardo Clareuallensi & ab Arnulpho Lexouiensi scriptis proscinditur tanquam præcipuus schismatis fautor. Dicitur morti proximus grauiter indoluisse. Obiit autem an. 1136. vide quæ de eo diximus ad an. 1111.

Gaufridus, seu Ioffridus Aurelianensis S. Ebrulfi postea Monachus cum 4. Commonachis Cantabrigiensem Academiam instaurauit de quo vide quæ diximus ad an. 1109.

Goſwinus Flander dicitur cum Abaëlardo congreſſus, vnuſque inuentus ex omnibus Philoſophis, quibus tum Academia Pariſienſis redundabat, qui cum eo decertare auderet. De eo diximus ad an. 1101. Aiunt autem eum poſt Aluiſum fuiſſe Aquicinctinum Abbatem an. 1145. & an. 1196. obiiſſe; quæ ætas cum ætate Abaelardi vix conuenit. Sed forte confundunt Goſwinum Abbatem cum Godwino Aquicinctino quoque Monacho, deinde Clareuallenſi, qui obiit ante an. 1140. & de quo loquitur Bernardus Clareuallenſis Ep. 65. ad Aluiſum Abbatem Aquicincti, his verbis. Retribuat vobis Deus miſericordiam quam feciſtis ſancto filio veſtro Godwino. *Audiuimus enim, quod audito eius obitu mox velut immemor priſtinæ calumniæ ſed non amicitiæ conſolatorem potius quàm vltorem vos exhibuiſtis* Succenſebat autem ei Aluiſus, quod Aquicincto relicto ad Clareuallenſes ſe contuliſſet.

Gualterus de Caluo-Monte nobilis Magiſter Bernardi Clareuallenſis temporibus in litteris magnum nomen ſibi comparauit: quibus ne nimis confidat, monet Bernardus Ep. 104. & ad Religioſam vitam conatur adducere. *Sæpe meum animum dulciſſimâ tui ſubeunte memoriâ doleo ſuper te*, Gualtere chariſſime, cogitans nimirum illud tuæ iuuentutis decus & ingenij acumen, ſcientiæ & eruditionis ornatum, quodque his omnibus excellentius eſt in Chriſtiano, *tuos illos mores ingenuos quàm inanibus ſtudijs atteras, dum de tantis muneribus non authori Chriſto ſed rebus deſeruias tranſitoriis..... Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, ingenium velox, eruditionis vtilitas & honeſtas morum glorioſa quidem ſunt, ſed ei à quo ſunt. Si tibi vſurpas, eſt qui quærat & iudicet. Eſto tamen liceat tibi hæc interim adſcribere nomini tuo & gloriari in laude tua & vocari ab hominibus Rabbi & facere tibi nomen grande duntaxat ſuper terram, quid tibi poſt mortem de his omnibus niſi ſola fortaſſe memoria relinquetur, & hoc quoque ſolummodo ſuper terram?*

Gualterus de S. Mauricio, quem author Bibliothecæ Præmonſtratenſis confundit cum Gualtero de Mauritania, ex honeſtis fuit & locupletibus parentibus oriundus, ſapiens corde, prudens moribus, ingenio vigens, iudicio firmus, decorus aſpectu, colloquio blandus, Laudunenſi in ſchola Anſelmi Auditor, vbi cum S. Norbertum concionantem audiſſet, ita tactus eſt intrinſecus, vt cum ſex ſociis ad eum ſe contulerit. Poſtmodum ita poſcente Bartholomeo Laudunenſi Epiſcopo præfectus eſt Cœnobio S. Martini Laudunenſis, quæ Clericorum ſecularium Collegiata prius erat Eccleſia. Adfuit Concilio Remenſi cum Innocentio II. an. 1131. Anno verò 1150. Bartholomæo Epiſcopo cedenti ſuffectus eſt. Obiit an. 1153. & in Præmonſtratenſi Eccleſia voluit ſepeliri.

Gualterus de Mauritania inſignis in Monte San-Genouefiano Profeſſor Rhetoricæs, quem in numero Profeſſorum ſui temporis ponit Ioannes Saresberienſis, eorum ſcilicet à quibus litteris informatus eſt ab an. 1136. ad an. 1148. ad Philoſophiam deinde & ad Theologiam ſe contulit, cuius Epiſtolas & Tractatus in Hiſtoria retulimus contra Abaelardum. Fuit primum Anthonienſis Canonicus & à Concanonicis ad Eugenium Romanum Pontificem miſſus contra Franconem **Abbatem Lobienſem, Præbendæ cuiuſdam collationem ſibi arrogantem: quiab** Eugenio ad Sanſonem Archiepiſcopum Remenſem remiſſi ſunt, vt legitur in Hiſtoria Abbatum Lobienſium his verbis. *Quid plura? itum eſt & reditum, ſed nihil finitum: Nam & Abbas & qui contra Abbatem erat Walterus de Mauritania (eſt ille ſummus quidem inter Franciæ Magiſtros, nunc Anthonienſis Canonicus) poſtea Laudunenſis Epiſcopus, à Papa Eugenio ad Sanſonem Remorum Archiepiſcopum ſua ipſorum petitione remiſſi ſunt.* Decanatum quoque obtinuit in Eccleſia Laudunenſi, & poſt mortem Gualteri de S. Mauricio ei ſuffectus eſt & inauguratus Romæ an. 1155. Interfuit Concilio Turonenſi præſidente Alexandro III. an. 1163. Niuernenſi an. 1167. in quo damnati ſunt Deonarii ſeu Popelicani, teſte Hugone Pictauienſi in Chronico Vizeliacenſi. Obiit an. 1174. ſepultuſque eſt in Baſilica S. Martini Laudunenſis cum hoc Epitaphio.

Hic tego Gualterum, quod detego, mutaque Petra
Præſulis acta loquor: pro lingua ſunt mihi metra,
Conſilio, monitis, virtutibus, hoc modo vitam
Rexit, correxit, crexit Oues & ouile.

Infuithuic pietas, ſale ſed condita rigoris,
Torpida ne fieret virtus & egena ſaporis.
Abſtulit hunc mundo diuiſio Diſcipulorum,
Vinat in æternum meritis adiutus eorum.

Illi ſucceſſit Rogerius de Roſey, vt habet Chronicon Laudunenſe. *Mortuo apud Laudunum inſigni viro Gualtero de Moretonia, qui eundem Epiſcopatum multis ædificiis inſigniuit, vocatur ad præſulatum Rogerius de Roſeio Decanus Catalaunenſis, vir ſui temporis in amanda ſocietate, in honeſta largitate, in faciendis expenſis, in omni vrbanitate incomparabilis.*

Gualterus de inſula, ſic dictus ab vrbe Inſulenſi Flandriæ, de Caſtellione neſcio quamobrem cognominatus; de quo ſic Henricus Gandauenſis. *Gualterus de Caſtellione Inſulis oriundus; vnde eſt eius iſtud Monoſtichon.*

Inſula me genuit, rapuit Caſtellio nomen,
Perſtrepuitque modis Gallia tota meis.

Scripſit geſta Alexandri Magni eleganti metro. Qui liber in ſcholis Grammaticorum tantæ dignitatis eſt hodie (floruit Henricus ab an. 1270. ad an. 1290.) *vt præ ipſo veterum Poëtarum lectio negligatur.* Idem meminit alterius Gualteri etiam Inſulenſis quem ait fuiſſe Magalonenſem Epiſcopum, Pſalteriũq; expoſuiſſe limato ſermone ad petitionem Præpoſiti & Clericorum Inſulenſis Eccleſiæ. Valerius Andreas in ſua Bibliotheca Belgica duos illos Gualteros de Inſula cognominatos cõfundit, aitque claruiſſe circa an. 1255. Trithemius & Ioan. Gerardus Voſſius ſimilitervnius Gualteri Inſulenſis meminerunt. Sed quàm abſurdè aberrent, manifeſtiſſimè patet: conſtat enim M. Philippum Gualterum de Caſtellione ſeu de Inſulis dedicaſſe ſuam Alexandreidem *12.* libris contentam anno circiter *1180.* quam ego apud virum Clar. Iacobum Mentelium Doctorem Medicum vidi manuſcriptam, ſcholiis antiquiſſimi characteris illuſtratam, quomodo ſcilicet illam in ſcholis Magiſtri interpretabantur: ſed cuius ſint illa ſcholia, agnoſcere non potui, quia auulſum erat primum folium. Quàm diuitis autem venæ fuerit iſte poeta, intelligetur infra ex eius verſibus in vita Guillelmi Bleſenſis. Eiuſdem meminit Guillelmus Brito initio ſuæ Philippidos, duodecim etiam libris conſcriptæ.

Geſta Ducis Macedum celebri deſcribere verſu
Si licuit, Gualtere, tibi, quæ ſola relatu
Multinago docuit te vociferatio famæ:
Si ſua Gentili mendacia cuique poetæ
Grandiſonante fuit licitum pompare boatu.
Si tibi, Petre Riga, vitium non eſſe putaſti,
Vbere de Legis occultos fugere ſenſus,
Quos facis vt leuibus verbis Elegeia cantet,
Fortia facta virûm numero breuiore coarctans,
Quæ potius pede Mœnio referenda fuerunt,
Cur ego quæ noui, proprio quæ lumine vidi,
Non auſim magni magnalia ſcribere Regis?

Et in fine lib. 7. indicat quanto ſe Gualtero in arte poetica inferiorem agnoſceret.

Vt qui Gualtero te noſti voce minorem,
Saltim librorum numerus te comparet illi.

Non defuerunt tamen etiam è veteribus, qui Gualterum ſuggillarent, ei forſan inuidentes gloriam quam famæ tubâ ſparſam videbant. Nam Alanus de Inſulis Popularis eius ſeu Compatriota eum vocat Mœuium, id eſt malum poëtam inſtar illius Mæuii Virgiliani.

Priami

——— Priami fortunas intonat illic
Mœuius, in Cœlis audens os ponere mutum,
Geſta Ducis Macetûm tenebroſi carminis vmbrâ
Pingere dum tentat, in primo limine feſſus
Hæret, & ignauam queritur torpeſcere Muſam.

Eiuſdem meminit Ioannes Saresberienſis Ep. 134. ad Ioannem Gaufridum de S. Edmundo, innuens à ſe rogatum Gualterum vt Regem Angliæ pro Thoma Cantuarienſi aditet. *Solicitaueram antea ſuper hoc virum optimum & ſuis meritis mihi reuerendum M. Gualterum de Inſula, & per ipſum alios Patres quorum fides mihi videbatur eſſe ſincerior.* Et in fine. *Audio M. Gualterum iuramento arctari, vt neque litteras neque nuncios recipiat exulantium.* Idem Ep. *159. Verum M. Gualterum de Inſula miſit in Angliam cum litteris à Colloquio Chinonenſi, vt Inſulanos ſuper facta appellatione præmuniret & portas tranſitus faceret diligentius obſeruari & Clerum ab obediendo ſuſpenderet, cum tamen facta ſit appellatio & Archiepiſcopus poſſit facile inueniri. Nec dubito, quin prædicto Gualtero machinatio iſta diſpliceat, cum omnibus quæ proferuntur aduerſus Eccleſiam Dei, quoniam Dominum timet.* Ad eundem ſcribit Ep. 189. Exhis igitur patet Gualterum floruiſſe circa medium & finem huiusſeculi ab an. circiter 1108. ad an. 1180. nec fuiſſe Magalonenſem Epiſcopum, namhiſce temporibus Eccleſiæ Magalonenſi præerat Ioannes de Monte Lauro.

Reperitur tamen inter Magalonenſes Epiſcopos Gualterus natione Gallus, in eadem Eccleſia à puero enutritus ſub diſciplina Gothofridi Epiſcopi, cui an. 1180 ſucceſſit, fuitque etiam Poeta inſignis, vt demonſtrant carmina Verdalæ ibidem edita, qui poſtquam de Gothofrido locutus eſt, ſubiungit.

Illi Gualterus ſuccedit filius eius,
Filius obſequio, filius officio.
Doctus & aſtutus, perverſus clarus, acutus,
Magnus conſilio, magnus & eloquio.
Corpore ſincerus & Religione ſeuerus
Impatiens ſceleris compatiens miſeris.
Normæ cultores & noſtros auxit honores.
Creuit Theſaurus, fabrica fama, Domus.
Inde ſequens triſti veſtigia ſorte Magiſtri
Interiit poſitus, quo pater ante ſuus.

Sedit an. 23. menſibus 8. diebus 22. Apparet autem, inquiunt Sammarthani, ex Epiſtola Brunonis Signienſis ad eum ſcripta Romam profectum fuiſſe aliquando & ſcripturis ſacris multum ſtuduiſſe.

Gualterus de S. Victore Richardo ſucceſſit in Prioratu Domus San-Victorinæ Pariſienſis an. 1173. Scripſit contra 4. Franciæ Labyrinthos, Petrum Abaëlardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum & Petrum Pictauinum. Eius extant duo Manuſcripta in Bibliotheca Victorina. Quid vero contra prædictos viros dicat, ſupra retulimus in diſſertatione de Facultate Theologiæ.

Gualterus de Conſtantiis natione Anglus, patria Cornubienſis, Archidiaconus Oxonienſis, poſtea Lincolnienſis Epiſcopus, poſtremò Rothomagenſis Archipræſul factus an. 1184. ad quem extant quædam Petri Bleſenſis Epiſtolæ: eique ſuum Archithrenium nouem libris diſtinctum dedicauit Ioannes Hautiuillenſis an. circiter 1184. Et de eius ortu & ſtatu ag[illegible]ib. 1. c. 6. ſubiungitque hos verſus.

Gaudet & impluuium mœroris ſiccat, & imbres
Vernat, & hiberna Gualterus diluit, in quo
Florida Troianum redimit Cornubia damnum.
Vix huius Cyathum pelagi delibo, licebit
Soluererin quæuis commendatiua, viroque
Impluerem laudes; nam morum præuolat alis
Curriculum laudis. Solus capit omnia fama

Nomina, nec veris aduentum percipit Ætna
Gloria, nec creſcit Phœbus face, mundus arenâ,
Secula momento, limbo mare, linea puncto.

De huiuſce viri geſtis legantur hiſtoriæ Anglicanæ & Normanicæ, nec non & Catalogus Archiepiſcoporum Remenſium.

Guarinus de S. Victore liberalibus artibus inſtructiſſimus, multiſque virtutibus ornatus expulſo Erniſio Abbate à collegis eligitur: eiuſque electio ab Alexandro III. confirmatur datis ad eum & ad Canonicos San-Victorinos litteris. Eo autem Abbatiam regente deceſſerunt inſignes iſti viri, Richardus Prior eiuſdem Domus 6. id. Mart. an. 1173. Adam de S. Victore 8. id. Martii an. 1177. Petrus Comeſtor & Arnulphus Lexouienſis. Deceſſit autem ipſe 19. Nouemb. an. 1194. & iacet in choro ad dextram Gilduini Abbatis cum hoc Epitaphio.

Guarinus Abbas Romani lucifer orbis
Sidereâ fulget viuus in vrbe lapis.

Aſſeruantur in Bibliotheca Victorina eius Sermones manuſcripti.

Guarinus natione Gallus, Hoſpitalis Hieroſolymitani Miles profeſſus, vir litteratiſſimus, Philippi Auguſti Conſiliarius floruit hoc & ſequenti ſeculo. Cui cum Helinandus Hiſtoricus & Frigidi Montis Monachus Chronicorum ſuorum Quaterniones commodaſſet, neſcio quo magno Reipub. litterariæ malo & damno amiſſi ſunt: vt refert Vincentius Bellouacus lib. 29, vbi de Helinando verba facit. Ad Epiſcopatum Siluanectenſem promotus eſt an. 1213. de eo in ſequenti ſeculo amplius.

Guarinus Cantabrigienſis vir magnæ famæ ob inſignem litteraturam & corporis elegantiam & formoſitatem. Frater Mathæi excellentis Medici, qui Salernum profectus artem illam apprimè didicerat. Ambo fuerunt Monachi San-Albanenſes, & Guarinus ex Priore factus eſt Abbas poſt mortem Simonis an. 1188. & Mathæum fratrem Priorem fecit.

Fuit & Guarinus nepos in Decretis Lector nominatiſſimus, ſucceſſor Alexandri Nekami in ſchola San-Albanenſi, vt legitur in vitis Abbatum 23. his verbis. *Habuerunt etiam ij duo (ſcilicet & Albas & Prior, quendam nepotem) Magiſtrum videlicet Guarinum in Decretis Lectorem nominatiſſimum. Erat autem auunculis ſuis in venerabili geſtu, & vitæ honeſtate & litteratura conſimilis... Hic M. Guarinus ad Leges & Decreta ſe tranſtulit, auunculis ſuis ſibi librorum copiam & alia ſubſidia fraterno affectu liberaliter miniſtrantibus.*

Guillelmus Campellenſis ſic dictus ab oppido Campellenſi quod eſt in Bria non longè à Meliduno. Diſcipulus fuit Anſelmi Laudunenſis, deinde ipſe ſcholam habuit & in Philoſophiæ profeſſione inter inſignes floruit ſuperiore ſeculo & huius initio. Diſcipulum habuit inter alios Petrum Abaëlardum, à quo compulſus eſt mutare ſententiam quam tenebat de Vniuerſalibus: vt in hiſtoria retulimus **Eius meminit Saresberienſis l. 4. Metal. c. 9. vbi agit de Topicis Ariſtotelis.** *Verſatur*, inquit, *in his inuentionis materia, quam hilaris memoriæ Guillielmus de Campellis poſtmodum Catalaunenſis Epiſcopus definiuit, etſi non perfectè, eſſe ſcientiam reperiendi medium terminum & inde eliciendi argumenta* Abbreuiauit Moralia Gregorii Papæ teſte Alberico. In Eccleſia Pariſienſi Archidiaconatum geſſit ſub Galone Epiſcopo. Deinde Canonicorum Regularium habitum aſſumpſit in æde ſeu Cella S. Victoris, vnde an. 1113. ad Epiſcopatum Catalaunenſem prouectus eſt, quem rexit 7. & amplius annis. Obiit ſecundum Albericum menſe Ianuario an. 1121. & de eo quoque ad eundem annum ſic ſcribit Simeon Dunelmenſis. *Guillelmus de Campellis Catalaunenſis Epiſcopus octo diebus ante [illegible] ſuſcepto habitu Monachico vitâ decedit. 5. Kal. Febr.*

Guillelmus de Conchis Nationis Normanicæ, Patriâ Ebroicenſis, ab oppido de *Conches* ſic cognominatus inſignis Grammatices Profeſſor poſt Bernardum Carnotenſem opulentiſſimus, inquit Saresberienſis, qui eum ſuo tempore docentem ſe vidiſſe, imino per triennium audiuiſſe ſummâ cum laude prædicat: ac proinde

facile eſt ætatem Guillelmi cognoſcere, cum Saresberienſis Pariſios venerit an. 1136. In Philoſophia quoque nominatiſſimus fuit Profeſſor, & iuxta Democriti opinionem exiſtimauit omnia conſtare ex atomis ſeu indiuiſibilibus: vt intelligimus ex hoc loco Gualteri de S. Victore. *Aiunt*, inquit, *Hebræi verbo hebraico*, Doc, ſignificari tenuiſſimum puluerem qui vento rapitur, ſœpe in oculos mittitur & ſentitur potius quàm videtur. Minutiſſima ergo fruſta pulueris & pene inuiſibilia hoc verbo appellantur, quæ forſitan Democritus cũ Epicuro ſuo Atomos vocat. Inde Vvillielmus de Conchis ex atomorum ideſt minutiſſimorum corporum concretione putat fieri omnia. *Et alibi*. Idem eſt pene Tymæum Platonis & Philoſophiam M. Vvillielmi de Conchis legere, ſtellas, animalia & Deos colere. Obiit Pariſiis circa an. 1150. eique hoc cecinit Epitaphium Philippus Abbas Bonæ-ſpei.

Gallia ſuſpirat radio priuata ſereno.
Clarius irradians ſidera ſidus habet.
Nox abit in queſtum ſequiturque dies ſine ſole,
Fit ſine Guillelmo, fit ſine ſole dies.
Fleuit Apollonium ſua Græcia, Roma Maronem,
Gallia Guillelmum luget, vtrique parem.
Eius præclaret natu Normania, victu
Gallia, Pariſius corpore, mente Polus.

Guillelmus vulgò dictus S. Theodorici in Diœceſi Remẽſi exit Abbatiã ab an. 1120. ad an. 1137. quo eâ eiuratâ Signiacum ſe contulit, vt priuatus viueret Monachus quietiuſque & tranquillius litteris vacaret. Ad eum extant plurimæ Bernardi Clareuallenſis Epiſtolæ, ex quibus intelligitur quanta inter eos intercederet neceſſitudo, adeo vt Bernardus ſua illi ſcripta corrigenda tranſmitteret. *Vt quid*, inquit Ep. 86. *Libellus meus oculos eius formidaret, cui ſe videndum animus quoque meus totus ſi poſſet, expanderet?* Viciſſim ille adeo Bernardũ diligebat, vt optarit ſub eo priuatus viuere Monachus. Eidem adhæſit contra Petrum Abaëlardum, quem cum audiſſet Apologeticum pro innocentiæ ſuæ manifeſtatione ſcripſiſſe, Cantici Canticorum expoſitionem reliquit, vt aduerſus eum ſtyli acumen dirigeret: vt declarat in Ep. ad Fratres de Monte Dei, in qua & mentionem facit operum à ſe compoſitorum. *Sunt præterea & alia opuſcula noſtra. Libellus de ſacramento altaris. Meditationes nouiciis ad orandum formandis ſpiritibus non vſquequaque inutiles & ſuper Canticum Canticorum ad illum locum* Paululum cum pertranſiſſem, cum inueni quem diligit anima mea. *Nam contra Petrum Abaëlardum, qui prædictum opus ne perficerem, effecit: neque enim integrum mihi fore arbitrabar tã delicato intus vacare otio ipſo foris fines fidei noſtræ nudo vt dicitur gladio tam crudeliter depopulantes* Compoſuit autem tres libros ſub hoc titulo. *Diſputatio Catholicorum Patrum contra Dogmata Petri Abaëlardi*: quos ille Hugoni Rothomagenſi Archiepiſcopo dedicauit. Et de iis loquitur Gaufredus Clareuallenſis Ep. ad Henricum Cardinalem Albanenſem. *Inueni in Claravalle libellum cuiuſdam Abbatis Nigrorum Monachorum* (S. Theodorici Ord. Benedictini) *quo errores eiuſdem Petri notantur: quem & olim me vidiſſe recordor, ſed à multis annis vt cuſtodes librorum aſſerunt ſtudioſè quæſitus primus quaternio non potuit inueniri. Propter quod propoſiti noſtri eſt in Franciam deſtinare ad Monaſterium cuius Abbas extitit.* Huius porro libri Exemplar ſe habuiſſe ſcribit Andreas Querceta nus in Notis ad Abaelardum ex dono Nicolai Camuſatii in cuius capite ſcriptum ſic erat. *Deeſt vnus quaternus, qui tenuerit obedientiam ſcriptorum, illum requirat.* Extat M. Gualteri de Mauritania aduerſus Guillielmum Epiſtola, quâ eum redarguit, quod ſcripſiſſet *peccatorum remiſſionem non conferri paruulis ante tempus diſcretionis ab Hæretico Chriſti baptiſmo baptizatis*, quam nos retulimus p. 74. Eum autem vocat Guillielmum Monachum, quia an. 1137. eiurato Abbatiæ regimine Monachus priuatus viuebat apud Signiacum.

Guillelmus Sueſſionenſis, Rhetorices, deinde Dialectices Profeſſor priuatus fuit Diſcipulus olim Ioannis Saresberienſis: ſic enim ipſe ſcribit lib. 2. Metal. c. 10. *Interim Williermum Sueſſionenſem, qui ad expugnandam vt aiunt ſui Logicæ vetuſtatem & conſequentias inopinabiles conſtruendas & antiquorum ſententias diruendas machinam poſtmodum fecit, prima Logices docui elementa, & tandem iam dicto Præceptori appoſui.*

Nimirum M. Adamo Angligenæ, cuius in ſchola videtur Promagiſtri ſeu Hypodidaſcali munus obiiſſe.

Guillelmus Bleſenſis ſeu de Campania, è regio ſanguine Theobaldi V. Campaniæ & Bleſarum Comitis, cognomento Magni, & Maaldæ Balduini Boni Flandriæ Comitis filiæ quartus filius, in ſcholis Pariſienſibus educatus ſub Petro Lombardo: vnde vir litteratiſſimus, & non minus ſecularibus quàm Theologicis ſtudiis imbutus exiit. Ex Præpoſito Pruuinenſis Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopus factus eſt an. 1164. poſt Robertũ. Poſt Hugonẽ verò Archiepiſcopus Senonenſis conſecratus eſt an. 1169. à Mauricio Epiſcopo Pariſienſi, tumque ſuam illi Petrus Comeſtor dedicauit Hiſtoriam Scholaſticam. Eccleſiæ tamen Carnotenſis adminiſtrationem non dimiſit, imò per aliquot annos retinuit ita permittente Alexandro Pontifice. Denique poſt Henricum de Francia ad Cathedram Remenſem tranſlatus eſt an. 1175. & an. 1179. Philippum Adeodatum 14. annos natum in Regem volente Patre inunxit. De præclaris huiuſce viri virtutibus pleni ſunt Scriptorum illius tẽporis libri. Imprimis quidẽ Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Chriſtianæ Religionis aſſertor fuit ſtrenuiſſimus, ob idque Alexandro III. chariſſimus. Thomæ Cantuarienſis cauſam vt ſuam ſuſcepit & defendit. Hinc Sarisberienſis Ep. 233. ad Ioannem Pictauienſem Epiſcopum. D. Guillelmus Papienſis (*Cardinalis*) interfuit ordinationi electi (Guillielmi) viri quidem magnæ ſpei & famæ clariſſimæ, & magnæ authoritatis & virium multarum in Regno Francorum. Is eſt poſt Regem Franciæ, qui D. Cantuarienſi & ſuis patrocinium, conſilium & auxilium ſingulariter præſtat. Vobis autem deſiderat familiaris eſſe: & vtinam quandoque Deo propitiante amicitiam vlterius ineatis. Non eſt enim in Clero Franciæ, vt ex animi ſententia loquar, qui eum prudentia & eloquentia antecedat. Supremas in Regni moderam. nepoſt Regem partes tenuit ſub Ludouico VII. & filio eius Philippo Auguſto. Rotarodus Archiepiſcopus Remenſis apud Bleſenſem Ep. 28. eum rogat vt pro authoritate qua valet apud Ludouicum Regẽ Eccleſiæ Rothomagenſis & Andeliæ malũ ex bello inter vtrumque Regnũ orto impendens amoliatur. *Vos eſtis*, inquit, *in cuius conſilio & auxilio* potiſsimum ſuæ ſalutis anchoram Nauicula B. Petri conſtituit: cum inter ſchiſmaticæ perſecutionis fluctus periculoſius æſtuaret, vobis contulit Deus in pueritia ſuper ſenes intelligere & futuram naturæ canitiem maturiore morum ſenio præuenire. Fluxus adoleſcentiæ motus in vobis ratio Magiſtra cohibuit, vt omni laſciuiæ libertate præciſâ, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec poteſtas, nec cætera quibus pudicitia expugnatur, propoſitum interrueterent caſtitatis, ſed modeſta in omnibus conuerſatio plus Angeli quàm hominis exhiberet. Cæteras virtutes quibus miraculosè fulgetis, ſub ſilentio præterimus: nec enim noſtra præconia mendicatis, cuius honeſtatem & prudentiam fama celebris latiſſimè promulgauit. Extat quoque apud eundem Bleſenſem Ep. 122. qua Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus eum mirificè laudat & commendat ob impenſum Thomæ & coexulibus fauorem, omniumque ad victum & habitum neceſſariorum ſubminiſtrationem. Verum Litteratos homines ſupra quàm dici poteſt, amplectebatur fouebat & liberalitate in exhauſta beneficiis & bonis **cumulabat. Vnde multi ſua ei opera dedicaruut, inter alios vero** Petrus Comeſtor ſuam Hiſtoriam ſcholaſticam, Petrus Pictauinus ſuam Theologiam, Gualterus Caſtillionæus ſuam Alexandreidem 12. libris diſtinctam cuius in fronte ſic inuocat præſidium.

At tu, cui maior genuiſſe Britannia Reges
Gaudet auos: Senonum quo præſule non minor vrbi
Nupſit honos, quàm cum tandem Senonenſibus armis
Fregit adepturus Tarpeiam Brennius arcem,
Si non excíret vigiles Argenteus Anſer.
Quo tandem regimen Cathedræ Remenſis adepto
Duritiæ nomen amiſit Belgica Tellus.
Quem partu effuſum, gremio ſuſcepit alendum
Philoſophia ſuo, totumque Helicona propinans
Doctrinæ ſacram patefecit pectoris aulam:
Excoctumque diu ſtudij fornace, fugatâ
Rerum nube, dedit cauſas penetrare latentes,

Huc ades & mecum pelago decurre patenti:
Funde ſacros fontes & crinibus imprime laurum,
Adſcribique tibi noſtram patiare Camænam.

Ab eodem deſinit his verſibus.

At tu cuius opem pleno mihi copia cornu
Fudit, vt hoſtiles poſſim contemnere linguas,
Suſcipe Gualteri ſtudiorum Magne laborem
Præſul, vt hanc vatis circum tua tempora ſacra
Non dedigneris hederam coniungere mitræ.
Nam licet indignum tanto ſit Præſule carmen,
Cum tamen exuerit mortales ſpiritus artus,
Viuemus pariter: viuet cum Vate ſuperſtes
Gloria Guillelmi nullum moritura per ævum.

Extant quoque plures Stephani Tornacenſis ad ipſum Epiſtolæ, quibus nonnullos viros doctos commendat; vt Ep. 124. M. Hugonem de Nouaria, cui poſtulat Beneficium aliquod Eccleſiaſticum concedi. Ep. 79. M. Simonem Tornacenſem, de quo ſuo loco; & alios alibi.

Interfuit Concilio Lateranenſi an. 1179. creatuſque eſt ab Alexandro Cardinalis S. Sabinæ; quanquam aliqui à Lucio III. in Purpuratorum Collegium adſcriptum memorant menſe Decembri an. 1182. Denique in omni vitâ ſuâ conſtans ſibi obiit an. 1202. menſe Septembri, multis quidem ille bonis flebilis, ſed nulli flebilior quàm Philippo Regi, cuius in Conſiliis oculus erat vigilans, & in negotiis dextra manus: vt loquitur ipſe apud Tornacenſem Ep. 121.

Guillelmus Bleſenſis Frater Petri ſe ad Benedictinos contulit: deinde cum Petrus frater Sigillifer eſſet Regis Siciliæ, factus eſt Maniacenſis Abbas, iſque à Pontifice impetrauit, vt mitrâ & aliis ornamentis Epiſcopalibus vti poſſet: qua de re eum frater grauiter reprehendit Ep. 90. aiens hæc priuilegia rebellionis & ſuperbiæ ſigna eſſe. *Si*, inquit, *Romanus Pontifex* à Iuriſdictione veſtri Epiſcopi vos exemit, nolite quæſo vti priuilegio, quod materiam rebellionis inducit, vt ante retulit mihi quidam nuncius veſter qualiter D. Papa vos mitrâ proprij capitis & aliis ornamentis Epiſcopalibus inſigniuit. De benedictione gaudeo: ſed inſignia Epiſcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo nec accepto. Mitra enim & annulus atque ſandalia in alio quàm in Epiſcopo, quædam ſuperba elatio eſt, & præſumptuoſa oſtentatio libertatis &c. Tandem effecit, vt Guillelmus & Abbatiam & ornamenta illa dimitteret, reſignaretque Pontifici quod dederat. Vnde ei gratulatur Ep. 92. *Quandiu eratis in Sicilia*, inquit, *eratis tanquam vas perditum.* Nam illa Regio infernalis quæ deuorat habitatores ſuos, veſtrum faciebat reditum deſperari: nunc autem per gratiam Dei natiuum aërem & vina Bleſenſia bibitis, cui Sicilia ſi vos tenuiſſet diutius, more ſuo vinum aſperum porrexiſſet. **Modò, frater, in ſepulchro iaceretis marmoreo: vbi ad inanis gloriæ quæſtum** forſitan ſuperſcriptum eſſet, GVILLELMVS BLESENSIS MANIACENSIS ABBAS HIC IACET. Frater, Poëtæ teſtimonio, leuis eſt iactura ſepulchri. Nomen veſtrum diuturniore memoria commendabile reddent Tragœdia veſtra de Flaura & Marco. Verſus de Pulice & Muſca. Comœdia veſtra de Alda. Sermones veſtri & cœtera Theologicæ Facultatis opera, quæ vtinam diffuſius eſſent ac celebrius publicata. Plus honoris accreuit vobis ex veſtris operibus quàm ex 4. Abbatiis, &c. Sumus, Frater, in dulci Francia, quæ ſola teſte Hieronymo monſtra non habet. Bonum eſt nos hic eſſe. Viuant in Sicilia, qui proditiones & venena procurant, adulationis Officiarij, & qui aures Magnatum vento inanis gloriæ prurientes venenoſâ ſuauitate demulcent.

H.

Hardewinus Teutonicus Philoſophiæ Profeſſor, & poſtea Theologiæ. Eius quoque meminit Saresberienſis l. 1. Metal. c. 10. eumque ſe aliquandiu audiuiſſe teſtatur. *Inaudita quædam ad quadriuium pertinentia, in quo aliquatenus Teutonicum præaudieram Hardewinum, didici.*

Helinandus genere nobilis, ingenio acer & promptus, facie venuſtus, corpore elegans, & cunctis naturæ fortunæque bonis adeo inſtructus, vt nullus illo in Gallia prior, imo vix ei æqualis reperiretur. Sed admodum leuis & inconſtans fuit, denique Monachum profeſſus eſt apud Frigidum-Montem, & ipſe ita ſe depingit ſub nomine Guillelmi ad Gualterum ſcribens apud Vincentium Bellouacum l. 29. c. 37. *Vt de me taceam*, inquit, *quantos tibi poſſum oſtendere qui de vita delicatiſſima ad hunc Ordinem quem appellas duriſſimum, ſe tranſtulerunt, nec tamen adhuc ab eo reſilierunt, quamuis & ætate iuniores ſint, & naturâ teneriores viribus, & vt de tot millibus vnum excipiam, vnum tibi excipio qui certè ſolus ad omnium ſufficit exemplum.* » Ipſe quidem ſpectaculum factus eſt Angelis & hominibus leuitate miraculi, qui » prius eis ſpectaculum fuerat miraculo leuitatis; dum non ſcena, non circus, non » theatrum, non amphitheatrum, non forum, non platea, non gymnaſium, non » arena ſine eo reſonabat. Noſti Helinandum, ſi quis non nouit hominem, ſi tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem, quàm auis ad volandum circuiens terram & perambulans eam, quærens quem deuoraret aut adulando aut obiurgando. Ecce in Clauſtro clauſus eſt, cui totus mundus ſolebat » eſſe non ſolum quaſi Clauſtrum, ſed etiam quaſi Carcer. Quomodo ergo non » potes, quod ipſe poteſt? neque etenim ipſe tam leuis fuerat quàm ipſa leuitas: » vnde & tanta leuitas tam leuiter mutata apud plures nihil aliud putatur quàm » leuitas. Hinc eſt quod iam quinquennis eius conuerſatio vix facit alicui fidem » futuræ: nimirum quantum in ſeipſo dedit experimentum inconſtantiæ, tantùm » perſeueratura conſtanti nunc debilitat argumentum. idem Vincentius ad an. 1208. *His temporibus in territorio Bellouacenſi fuit Helinandus Monachus Frigidimontis, vir Religioſus & facundia diſertus, qui & illos verſus de morte in vulgari noſtro qui publicè leguntur, tam eleganter & vtiliter, vt luce clarius patet, compoſuit. Et etiam Chronicon diligenter ab initio mundi vſque ad tempus ſuum in maximo quodam volumine digeſſit. Et hoc quidem opus diſſipatum eſt & diſperſum, vt nuſquam totum reperiatur. Fertur etiam quod idem Helinandus cuidam familiari ſuo ſcilicet bonæ memoriæ D. Garino Siluanect. Epiſcopo quoſdam eius operis quaterniones accommodauerit; ſicque ſiue per obliuionem, ſiue per negligentiam, ſiue alia de cauſa penitus amiſerit. De hoc tamen opere prout inuenire potui, in hoc quoque noſtro opere multa per diuerſa loca inſerui.*

Trithemius ait eum in Diuinis ſcripturis longâ exercitatione ſtudioſum & eruditum fuiſſe, atque in ſecularibus litteris nobiliter doctum, ingenio acutum & diſertum eloquio propter doctrinæ excellentiam & vitæ integritatem inter Eccleſiaſticos Doctores ſui temporis non vltimum apparuiſſe. Scripſit hiſtoriam **ab Orbe Condito ad an. 1210. libris 48. cuius meminerunt Vincentius**, Antoninus, Trithemius &c. Geſnerus ait eum claruiſſe an. 1069. ſed malè. Scripſit etiam de Reparatione lapſi l. 1. Sermonum lib. 2. Epiſtol. l. 1. Excelluit etiam poëſi Gallica, & poema de Morte linguâ vernaculâ compoſuit: vt ex Vincentio ſupra retulimus. Tam ſuauiter autem canebat, vt eum Rex ſæpe ſuæ menſæ accumbere iuberet: vti diſcimus ex his verſibus Rythmicis.

Quant ly Roy ot mangié s'appella Helinand
Pour ly eshanoyer, commanda que il chant.
Cil commence à noter ainſi con ly Iayant
Monter voldrent au Ciel comme gent meſcreant.
Entre les Diex y ot vne bataille grant
Si ne fuſt Iuppiter à ſa foudre bruyant
Qui tous les deſcocha, ia ne euſſent garent.

Acceptiſſimus fuit Philippo Auguſto. Obiiſſe verò creditur circa an. 1212.

Henricus Murdach natione Anglus, in profeſſione quoque litterarum inter primos excelluit: B. Bernardo cariſſimus, ob idque ille ab eo ad Monaſticam vitam inuitatur Ep. 106. *Experto*, inquit, *crede*, aliquid amplius inuenies in ſyluis quàm in libris. Ligna & lapides docebunt te, quod à Magiſtris audire non poſſis. Ille autem Murdachus Diſcipulos habuerat, qui apud Claram-Vallem Monachiſmum profeſſi fuerant: & ipſi in fine Ep. ſic ad Magiſtrum. *Idipſum ipſi* Willelmus & Iuo. Quid ſuper hoc vobis dicemus? quod vos videre & ad quid deſideremus, ſcitis: quantum verò nec nos dicere, nec vos ſcire poteſtis. Oramus ergo Deum vt vobis, quò Nos præiſſe debueratis, tribuat vel ſequi: quatenus & in hoc tantæ humilitatis Magiſtrum teneamus, cum videlicet non deſpexeritis Magiſter ſequi diſcipulos. Hic poſtea factus 2. Abbas Fontanenſis in Anglia, demum Epiſcopus Eboracenſis depoſito per Eugenium Papam Guillelmo Theſaurario, qui ad eandem cathedram euectus fuerat. Obiit an. 1153.

Henricus natione quoque Anglus, cognomen ignoratur, Petro Bleſenſi carus, Reginaldo Bathonienſi Electo olim amiciſſimus, poſtea verò ſuggeſtione quorundam adulatorum in eius odium incurrit; quem Reginaldo conatur conciliare Bleſenſis Ep. 59. *Scitis*, inquit, *quod iucunda eſt eius ſocietas, vita commendabilis, familiaritas fructuoſa. Iam alij Domino adhæſiſſet, qui tempeſtiuius, & vberiore manu ſuis erat meritis reſponſurus, ſed eum blando ſermone detinui, donec viderem, vtrum reprobata illorum familiaritate, qui dicunt bonum malum & malum bonum, eos ſocialibus velitis admittere, quorum fides integra non vacillat.*

Henricus Comes Campaniæ filius Theobaldi exemplo Patris omnium litteratorum Mecenas. Liberalitatem eius valde commendat Saresberienſis: nec minus eleganter Philippus Abbas Bonæ Spei Ep. 17. *Additur*, inquit, *quod cum in litteris adeptus ſis intelligendi gratiam & profectum, ergà eas applicas quandam animi diligentiam & affectum, & miles nobilis, princepſque militum ſic amas & honoras milites loricatos, vt Clericali more diligas litteras, benignè colligas litteratos.* Vide quæ de eo in hiſtoria retulimus.

Henricus II. Anglorum Rex Galfridi de Plantagenet Andium Comitis & Mathildis Imperatricis filius, in Curia Regis Franciæ enutritus & litteris in Pariſienſi Academia initiatus; deinde Comite Roberto adhuc puer in Angliam trajecit, vbi ſub M. Mathæo per quadriennium iiſdem vacauit, ſic ſcribente Geruaſio *Puer Henricus ſub tutela Comitis Roberti apud Eriſtoniam degens per 4. annos traditus eſt Magiſterio cuiuſdam Mathæi litteris imbuendus, & moribus honeſtis, vt talem decebat puerum inſtituendus.* De eius virtutibus & vitiis multi multa ſcripſerunt. Eum verò commendat inter cæteros Bleſenſis ab amore litterarum atque à liberalitate, vt in Hiſtoria retulimus.

Herbertus cognomento Medecius inter viros clariſſimos & promotione dignos commendatur à Petro Cardinale S. Chryſogoni ſic ſcribente ad Alexand. III. *Iuo Rothomagenſis Eccleſiæ Archidiaconus & M. Herbertus Medecius non minori inter alios creduntur probitate lucere.* Fuit opinor Archidiaconus Meldenſis: ſic enim legitur in quadam Ep. apud Ducheſnium lib. 4. *Confirmationem Priuilegij de Scala cum maxima impetratam difficultate per M. Herbertum nouum Eccleſiæ Meldenſis Archidiaconum vobis miſi.*

Herbertus Natione Anglus Sudo-Saxo cognomento de Bosham vel Boſenham Liberalium artium Magiſter, Theologiæ Scholaſticæ Magiſterium Oxoniæ adeptus eſt poſt curſum ſtudiorum in Gallia confectum, vbi bonas artes docendo excoluerat. Thomæ Cantuarienſi ab Epiſtolis fuit, cuius funus aſpexit lachrimantibus oculis, inquit Balæus, ſcripſit eius vitam præter martyrium teſte Geruaſio. Is eſt credo de quo ſic loquitur Radulphus de Diceto. *Herebertus Anglicus natione, natus in Mildeſex tranſitum faciens in Siciliam aſſenſu Regis Vvillielmi creatus eſt in Calabria Conſenſanus Archiepiſcopus. Cum autem illic terræ motus fieret magnus, prædictus Archiepiſcopus cum Clero, cum familia, cum magna parte Ciuium obrutus eſt.* an. 1185.

Helwinus S. Dionyſij Monachus ſacris litteris plurimum eruditus Fulconi Neulliaco Concinatori adhæſit, in Ciſmarina Britannia prædicauit; & per eum innumera Britonum multitudo Crucem Domini aſſumpſit, ſubitoque non exſpectatis aliis peregrinis mari pertranſito Achon eodem Monacho ductore per-

uenerunt: ſed ibi Rectorem non habentes, in multas partes diuiſi nihil ad profectum duxerunt, inquit Vincentius ex Rigordo.

Heroaldus circa an. 1150. Lutetiæ litteris operam dabat: ad eum extat Epiſtola 5. Philippi Abbatis Bonæ-Spei, quâ ei gratulatur quod in ea Ciuitate degeret quæ in modum *Cariatſepher* meritò dici poterat *Ciuitas litterarum*. Vide quæ retulimus pag. 253.

Hilarius Petri Abaëlardi in ſcholis Paracletenſibus diſcipulus; cuius extat Planctus de receſſu ſui præceptoris, his verbis. *Lingua ſerui lingua perfidia, &c.* vid. in Petro Abaelardo.

Hildebertus Lauardinus, ſic dictus quod in oppido Lauardino agri Vindocinenſis natus ex parentibus mediocribus quidem, ſed virtutis amantibus; creditur vulgò diſcipulus fuiſſe Berengarij: qua de re nos alibi; in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus fuit, & tam proſâ quàm metro excelluit. Ab Hoelo Cenomanenſi Epiſcopo Magiſter ſcholarum conſtitutus; deinde Archidiaconus factus, tum eidem Hoelo in Epiſcopali ſede ſucceſſit an. 1097. poſtremò ad Turonenſem tranſlatus eſt an. 1125. & obiit an. 1135. multas autem pro Eccleſiæ libertate paſſus eſt moleſtias, vt ex eius Epiſtolis & poematis intelligere eſt. Scripſit elegans carmen ſuper toto Miſſæ ſacrificio. De ſuo Exilio. De miſeria huius vitæ. De ſacramento Altaris. Epiſtolas ad Diuerſos. Hymnos & Orationes. Epitaphium quoque Berengarij quod ad an. 1088. retulimus.

Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter & Scholaſticus ſub Philippo I. & Ludouico Craſſo Regibus floruit initio ſeculi. Vir teſte Trithemio in Sacris Scripturis valde eruditus, in ſecularibus nobiliter doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Multa eius commemorantur opera, lib. 4. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Elucidarium 3. libellis diſtinctum. De libero Arbitrio l. Sigillum S. Mariæ. l. 1. Speculum Eccleſiæ ſiue Sermonum lib. 1. Offendiculum de Sacerdotibus lib. 1. Summa Hiſtoriarum l. 1. Gemma animæ de Diuinis officiis l. 6. De Imagine mundi l. 2. In Cantica Canticorum l. 1, De luminaribus Eccleſiæ l. 1. De Corpore Domini l. 1. In Hexameron l. 1. De Deo & vita æterna l. 1. De Anima l. 1. Scala Cœli de gradibus viſionum l. 1. Clauis Phyſicæ de naturis rerum l. 1. In totum Pſalterium l. 1. In Euangelia l. 1. De Papa & Imperatore l. 1. Dialogus ex Opuſculis S. Aug. Refectio mentium de Feſtis l. 1. Pabulum vitæ de Sanctis l. 1. Epiſtolæ ad diuerſos l. 1.

Hugo de S. Victore natione Saxo, vt vulgo ſcribitur, (quanquam eum Vincentius vocat *Hugonem Pariſienſem*) S. Victoris Canonicus, religione & litterarum ſcientia clarus, & vt ait Trithemius, *virin Diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſeculari Philoſophia nulli priſcorum inferior: qui velut alter Auguſtinus Doctor celeberrimus ſuo tempore eſt habitus, ingenio ſubtilis & ornatus eloquio, nec minus conuerſatione quàm eruditione venerandus.* Cuius opera ſatis indicant, quantus vir fuerit. Sub Gilduino Abbate floruit & in Theologiæ ſchola diſcipulos habuit Richardum & Adamum de S. Victore, viros egregios. Bernardo Clareuallenſi coniunctiſſimus fuit; habuitque cum eo nobile commercium litterarum & ſtudiorum ſuper plurimis Quæſtionibus, quæ tunc temporis agitabantur in ſcholis. Extat eiuſdem Bernardi ad eum Ep. 77. quâ ſententiam ſuam de Magiſtri cuiuſdam Theſibus aperit. *Is cuius me reſpondere aſſertionibus iubes & nomen taces, tibi nouerit à me ſuper conſultis quod ſentio dictum, non ſibi contradictum, etiamſi quid aliter ab ipſo ſapimus. Nam ſi verum nos ſapimus, veritas ei contradicit, non nos.... Non quærimus pugnas verborum, nouitates quoque vocum iuxta Apoſtolicam doctrinam euitamus: Patrum tantum opponimus ſententias ac verba proferimus, & non noſtra: nec enim ſapientiores ſumus quàm patres noſtri. Abundet ſanè in ſuo ſenſu qui vult, quantum vult, dummodo nos patiatur in ſcripturarum ſenſibus abundare.* Trithemius ait eum infinita prope opera edidiſſe, & multa enumerat; quæ quia luce publica donata ſunt, & in Theologicis ſcholis ſatis cognita, commemorare ſuperſedeo. Obiit 11. Feb. an. 1142. vel vt alij volunt an. 1139. iacetque in æde S. Victoris ſub hoc Epitaphio.

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
Quem breuis eximium continet vrna virum,

Dogmate

Dogmate præcipuus, nullique ſecundus amore.
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

Hugo Farſitus vir doctus ad Præmonſtratenſes ſe contulit, fuitque deinde Ordinis Generalis Præfectus an. ſcilicet 1129. Fuit Abaëlardi impugnator, & Norberti Inſtitutoris defenſor acerrimus. Vt dictum eſt in Hiſtoria.

Hugo Engoliſmenſis Rupis-Focaldi Oppidanus Petro Patre, Edoarda Matre natus Eccleſiæ Engoliſmenſis Cantor, deinde Epiſcopus, Gilberti Porretani Diſcipulus fuit, eumque in Theologia ſecutus eſt. Obiit pridie id. Aug. an. 1159. ſepultuſque eſt intra Eccleſiam Cathedralem. Vt habetur in Hiſtoria Pontificum & Comitum Engoliſmenſium. c. 38. *Fuit humilis in omni actu, in locutione gratioſus, nihil habens ruſticitatis admixtum, qui cum paruus adhuc vel habitu eſſet, tamen in prædicatione facundiſſimus erat. Qui liberalibus artibus imbutus M. Gilleberto in Galliis adhærens, illum max. mè in Theologia ſequutus eſt.*

Hugonis Genuenſis meminit Petrus Bleſenſis Ep. 71. ad M. Ernaldum Bleſenſem. *Si moram Pariſius aliqua vobis neceſſitas interdixit, M. Hugoni Genuenſi ſub litterarum mearum teſtimonio committatis.*

Hugo Clemens Roberti Clementis filius, vir litterarum peritia conſpicuus in Decanum Pariſienſis Eccleſiæ electus eſt, & à Stephano Abbate San-Genouefiano Lucio Papæ commendatus. De quo nos in hiſtoria ad an. 1194.

Hugo Phyſicus Artium liberalium Magiſter ad Medicinam poſtea ſe contulit, in eaque inter primos excelluit. Ille fortaſſis eſt, de quo loquitur Stephanus Tornacenſis Ep. 196. quæ incipit *Senex ſeni, infirmus debili.* Obiit an. 1199. cuius Epitaphium refert Naudæus in libello de antiquitate ſcholæ Medicinæ ex vetuſtis quibuſdam collectionibus, quarum copiam ait ſibi factam fuiſſe à D. Iouuin Doctore Medico Pariſienſi.

Phyſicus excellens Hugo pietate refulgens
Pariſiis mortem non ſuſtulit eſſe minacem:
Quadriuium docuit, ac totum ſcire reliquit
Anno milleno bis centum, ſed minus vno.

I.

INnocentius II. Natione Romanus à maiori Cardinalium parte licet electus, fugere tamen coactus eſt in Franciam prævalente factione Petri-Leonis Antipapæ. De eius virtutibus diximus ad an. 1130. & alibi paſſim.

Innocentius III. natione Campanus patria Anagninus genitore Thraſimundo è familia Comitum natus, ante promotionem Lotharius dictus, à Cœleſtino III. Cardinalium albo adſcriptus; eo mortuo ad Pontificatum promouetur anno ætatis 30. Chriſti 1198. ſeditque fere 18. annos. *Vir*, inquit Trithemius, *in Diuinis ſcripturis eruditiſſimus: quippe quia pueritia ſua* in Gymnaſio Pariſienſi *operam litteris impenderat, & in virum non minus probum quàm doctum euaſerat.* In Theologicis Magiſtrum habuit Petrum Corbolienſem, quem Epiſcopum Cameracenſem, deinde Archiepiſcopum Senonenſem fecit, poſtremò etiam Cardinalem, vt aliqui ſcribunt. Complures alios Magiſtros Pariſienſes & quoſdam alios quos in ſcholis nouerat, ad dignitates Eccleſiaſticas promouit, eiſque & toti Academiæ vehementer addictus fuit. Plura feruntur eius priuilegia, de quibus ad ſeculum 5. nec parum ipſe ſe commendatum putat, cum ait ſe in minoribus conſtitutum Magiſterij honore fuiſſe inſignitum. Vir autem fuit multæ pietatis & doctrinæ, nec minoris prudentiæ in Eccleſia gubernanda. Eius opera duobus tomis continentur, quæ omnium Doctorum manibus teruntur. Academiam Pariſienſem per Legatum ſuum Robertum de Curthon, Curchon vel Corceon an. 1215. reformauit. Eodem anno Concilio Lateranenſi præſedit. Ioachimi libros, Amalrici errores, Albigenſium hæreſes damnauit. Obiit Peruſii anno. 1216. Pontificatus an. fere 18.

Ioannes Belethus Gymnaſii Pariſienſis inſignis Theologus, inquit Trithemius, in Diuinis ſcripturis eruditus & in ſeculari Philoſophia ſufficienter doctus, ingenio promptus, ſermone Scholaſticus, inter Doctores ſui temporis non ignobilis, ſcri-

bendo& diſputando nomen ſuum ad poſteros cum gloria tranſmiſit. Scripſit enim *Summam de Diuinis Officiis* l. 1. Sermones quoque varios vno libro comprehenſos,& alia quædam opuſcula.

Ioannes Cornubienſis Lombardi Diſcipulus in Eulogio quod Alexandro III. dedicauit,teſtatur in ſcriptis ſuis eum tradidiſſe multa quæ in Tractatu Theologico Petri Abaelardi continebantur: eumque ſæpe in manibus habuiſſe. *Quod verò*, inquit,*à M. Petro Abaëlardo hanc opinionem ſuam M. Petrus Lombardus acceperit,eo magis ſuſpicatus ſum, quia librum illum frequenter præ manibus habebat; & forte minus diligenter ſingula perſcrutans, vt qui ex vſu magis quàm ex arte diſputandi peritiam haberet,falli poterat.* Laudat vero præſertim duos Theologos inſignes Robertum de Meliduno & Mauricium tunc Epiſcopum Pariſienſem, quod nihil vnquam docuiſſent orthodoxæ fidei contrarium. Florebat an. 1170.

Ioannes Hautiuillenſis vulgo Architrenius Natione Normanus,vt dicitur in prologo. *De authoris autem*

Nomine ſi quæras,liceat dixiſſe,Ioannes
Eſt eius nomen, cui Neuſtria contulit ortum.

Hinc erroris arguitur Pitſæus aiens eum Oxoniæ natum, atque apud S. Albanum Monachum induiſſe. Florebat Pariſiis circa an. 1180. Denique floruit legendo docendo,ſcribendo;& ibidem ſuum ſtrictâ oratione fabricauit Architrenium nouem libris diſtinctum, nomine à Græcis deſumpto & appoſitè appoſito.

Hoc eſt flebilium quaſi ſummo flebile carmen.

Scripſit & alia diuerſa, omnia latiniſſimè, & vt illa ferebant tempora elegantiſſimè.

Atque his nominibus honorificam non rarò huius authoris mentionem faciunt plurimi viri docti: & imprimis illi qui cultiorem linguæ latinæ puritatem diligentius ſectati ſunt: cuiuſmodi inter alios fuerunt Ludouicus Viues Hiſpanus, Lilius Giraldus Italus, Ioannes Textor Gallus, Conradus Geſnerus Germanus, Hector Boëtius Scotus. Scripſit utraque oratione tam ligata quàm ſoluta, & potiſſimum ad Gualterum de Conſtantiis Archiepiſcopum Rothomagenſem Architrenii libros 9. De rebus occultis lib. 1. Epiſtolarum lib. 1. Epigrammatum lib. 1. Diuerſorum Poematum lib. 1. hæc fere ex Pitſæo. Claruit ſub Henrico II. & Richardo & aliquandiu etiam ſub Ioanne Anglorum Regibus. Eidem tribuunt aliqui Poëma de bello Troiano, quod alii tribuunt Ioſepho Iſacano, de quo infra.

Ioannes Oxonienſis teſte Lelando vir facundus & doctus Anglicanæ hiſtoriæ ſcriptor, doctior tamen quàm conſtantior, Regi Henrico II. aduerſus Thomam Cantuarienſem impenſe addictus fuit. Miſſus cum aliis Legatis ad Alexandrum Senonis tunc degentem & poſtea Romæ,ita Pontificem ſuâ eloquentiâ & rationũ pondere circumuenit,vt ipſum pene à Thoma auerterit. Multas alias legationes obiit ad Fridericum I. ad Ioannam Regis Siculi filiam & ad alios. Peruenit ad an. 1220. fuitque Ciceſtrenſis primum, deinde Noruicenſis Epiſcopus.

Ioannes Sarracenus Magiſter Theologiæ & concionator verbi Diuini egregius, natione Anglus & Ioanni Saresberienſi familiaris, ad quem ſcribit Epiſtolam 183. in eaque petit explicationem nominis Ouſſia, quod ſe apud Ambroſium reperiſſe ait: eius autem verbi quia græcum erat,explicationem apud noſtrates Magiſtros ſe non potuiſſe reperire ait, quod Græcæ linguæ eſſent ignari. *Nuper in libro B. Ambroſii de Incarnatione verbi obſtaculum reperi,quod nullus Magiſtrorum noſtrorum ſufficit amouere,quia Græcæ linguæ expertes ſunt.*

Ioannes Saresberienſis natione Anglus,patria Wiltunenſis, adoleſcens ſtudiorum cauſa Lutetiam venit anno 1136. ſatis modico victu ſtudia ibi aggreſſus eſt, donec à præceptoribus ſuis, quibuſdam ſcholaſticis præpoſitus eſt, quibus lectiones quas in Rhetorica exceperat, repetendo exponebat. M. Theodorici primum auditor fuit in Rhetorica, deinde M. Petri Helyæ. In Dialectica audiuit Peripateticum Palatinum, quo nomine vulgò Abaelardum appellari putant, Albericum Rhemenſem & Robertum Meludenſem. In Diuinis Gilbertum Porretanum,

quem queritur nimis citò ſublatum eſſe & Simonem Piſciacenſem, quem vocat fidum quidem lectorem, ſed obtuſum diſputatorem. Aiunt etiam Thomæ Beketi Cantuarienſis fuiſſe Diſcipulum, ſed malè: nam Thomas Lutetiæ quidem ſtuduit, nunquam docuit. Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo charìſſimus extitit: & poſt eum Thomæ eius ſucceſſori indiuiduus comes fuit. Adriano IV. Pontifici factus eſt à Confeſſionibus & conſcientiæ ſecretis: idē fauente Ludouico VII. Francorum Rege factus eſt Carnotenſis Epiſcopus. Multa eius opera enumerat Balæus quæ hodie non extant. Extant vero Polycraticon ſeu de Nugis Curialium l. 8. & Metalogic l. 4. ſuum librum de *Nugis* dedicauit Thomæ tunc Cancellario Regis Henrici II. ſed prius eum Petro Cellenſi miſit examinandum. *Edidi*, inquit Ep. 81. librum *de Nugis Curialium & veſtigiis Philoſophorum, qui mihi à veſtro placebit aut diſplicebit arbitrio: incultus eſt & ex edicto meo à vobis amicis deſiderat emendari. Ad Illuſtrem virum Regis Anglorum Cancellarium properabat, ſed eum niſi proceſſus expedierit, cohibete. Garrulus enim eſt, & vix amicum habebit in curia. Nollem tamen quod me curialibus faceret inimicum. Precor vt eum iucundet antereruditis, eumque expetenti amico remittatis caſtigatum.* Scripſit librum de dogmate Philoſophorum ad Thomam Cancellarium, deinde Archiepiſcopum Cantuar. verſibus elegantibus non minus quàm eruditis & doctis: quod opus ſeruari dicitur in Academia Cantabrigienſi. Carnuti viuendi finem fecit an. 1182. iacetque in Abbatia Ioſaphati non longè à Carnotenſi Ciuitate.

Ioannes Pariſienſis ſeu de Paruo-ponte, quem Ægidius Pariſienſis in ſuo Carolino vocat *vas inexhauſtum litterarum*, vir fuit ſcientiſſimus, ſeque explanandis authoribus præſertim exercuit.

Nec memoro, cunctos. Aliquos quoque tranſeo ſicut
Sæpe retentatis Authorum excurſibus, illum
Vaſis inexhauſti Paruo de Ponte Ioannem.

Ioannes de Niuella vnus è Fulconiſtis concionatoribus, *vir humilis & timoratus & omnium virtutum margaritis ornatus*, inquit *Iacobus de Vitriaco*. Ex Decano Eccleſiæ Leodienſis in Monaſterio Gigniacenſi religioſam vitam profeſſus eſt, vbi & quieſcit in Templi choro ante ſummum altare. De eo multa refert pietatis monimenta Thomas Cantipratanus l. 2. c. 31. quorum nonnulla ſe audiſſe, quædam vidiſſe commemorat.

Ioſcelinus vel Iozlenus, Iozelinus vel Gozlenus Dialectices Profeſſor Clariſſimus, cuius meminit Sarcsberienſis, vnus eorum eſt qui Gilbertum Porretanum de Trinitate impiè ſentientē aggreſſi ſunt Lutetiæ: deinde in Concilio Remenſi vnus eorum fuit, quibus Doctrinam & libros Gilberti commiſit Pontifex examinandos & iudicandos. Tunc erat Epiſcopus Sueſſionenſis. Continuator Sigeberti ad an. 1139. proponit illum inter ſplendidiora Galliæ lumina. D. Bernardus de eo verba faciens. *Non eſt meum docere M. Iozlenum.* Et Gaufridus Clareuallenſis *eum ait tam ſæculari quàm litterali ſcientia præditum fuiſſe.* Obiit an. 1151. teſte Vincentio: alii tardius obiiſſe ſcribunt.

Ioſephus Iſacanus natione Anglus, patria Deuonienſis, vir fuit omni bonarum artium ſupellectile inſtructiſsimus, & Poeta adeo elegans, vt cum optimis quibuſque etiam antiquis arte & ingenio conferri iure poſsit. His ſtudiis Magnatum ſibi conciliauit animos, præcipuè verò Richardi I. Anglorum Regis & Balduini Archiepiſcopi Cantuarienſis, cuius fauore malè ſcribunt aliqui factum fuiſſe Archiepiſcopum Burdegalenſem. Huius ſub tutela quædam ex ſuis ſcriptis emiſit in lucem, Antiocheidem ſcilicet & De Bello Troiano lib. 6. quam Hiſtoriam ex Darete Phrygio paraphraſticè tranſtulit, & Heroicis verſibus mandauit. Quod opus falsò tribuitur Cornelio Nepoti è veteribus Romanis. Antiocheidemin Arcturum Regem libro vno comprehendit. Panegyricum ad Henricum lib. 1. De Inſtitutione Cyri l. 1. *Prælia bina Ducum canimus.* Nugas amatorias l. 1. Diuerſi generis Carmina lib. 1. Claruit hoc & ſequenti ſeculo ſub Richardo & Ioanne Angliæ Regibus. Frequenter huius viri authoritates adducit Ludouicus Aurelius in Tacitum, Dempſterus & alii. Hæc fere ex Pitſæo in Relationibus Hiſtoricis de

rebus Anglicis. Placet nonnullos eius versus ex Bello Troiano subiicere, vt quæ fuerit poetæ vena, agnoscatur. Sic igitur lib. 1.

Iliadum lachrymas concessaque Pergama fatis
Pralia bina Ducum, bis adactam cladibus vrbem,
In cineres querimur: flemusque quod Herculis ira,
Hesiones raptus, Helenæ fuga fregerit arcem,
Impulerit Phrygios, Danaas exciuerit vrbes.
Vt quid ab antiquo vatum proscripta tumultu
Veri sacra fides longum sylvescit in ævum?
An quia spreta latet? mundoque infensa priori
Nos etiam noscenda fugis? mecum inclyta, mecum
Exorere, & vultum rugâ leuiore resumens
Phœbeam dignare tubam, sterilisque vetustas
Erubeat, dum culta venis, dum libera frontem
Exeris, en aures blandas, en pectus amicum
Mulces, vulgarem leuius passura cachinnum.
Si nostris nil dulce nouum, nil vtile visum
Quod teneri pariunt anni, si secula tantum
Aurea Saturni memorant, & nulla recentis
Gratia virtutis: aude tamen ardua pubes.
Mento canescunt alij, nos mente; capillo,
Nos animo; facie, nos pectore. Tempora certè
Virtutem non prima negant, non vltima donant.
Quod duplex ætas varios contendat in vsus,
Hæc viget, illa iacet: hæc pullulat, illa fatiscit.

Et aliquanto post describens reditum Iasonis cum aureo vellere, Britanniæ suæ meminit: & ideo Nauium vsum probat, quod sine iis nunquam Ægyptus nouisset Romam, nec Anglia Gallos.

Nauigat auriconio spoliatis vellere Colchis
Fœdo potens, culpem-ne ratem quæ prima per vndas
Ad facinus molita vias atque Atropon auxit?
An causâ potiore probem? sine remigis vsu
Non nosset Memphis Romam, non Indus Hiberum,
Non Scyta Cecropidem, non nostra Britannia Gallum.

Et alio loco.

Et Britonum videnda fides per secula multa
Arthurum expectat exspectabitque perenne.

Hinc patet quàm falsò istud poëma adscribatur Cornelio Nepoti, qui Arthuri regis Britanniæ meminisse non potuit.

Verum Thomas Dempsterus in Apparatu ad Historiam Scoticam c. 6. pag. 98. vbi de Arthuro, illud tribuit Ioanni Architrenio seu Hautuillensi, & Pitsæum ignorantiæ accusat, quod eius authorem faciat Iosephum Isacanum. Hæc notasse sufficiat.

Ivo de S. Victore vir doctissimus & magnæ famæ ad San-Victorinos se contulit, & postea Cardinalis factus S. Damasi titulum gessit. Ad eum extat Epistola 193. D. Bernardi cum hoc titulo *Ad M. Iuonem Cardinalem.* Eiusdē meminit Ep. 144. 217. & 218. Obiit an. 1148. 12. Kal. Iunias. Volaterranus recensitis duobus Hugonibus à S. Victore subdit. *Iuo etiam ex eodem Cœnobio Cardinalis magnæ vir Doctrinæ.* In Necrologio S. Victoris sic habetur. *Anniuersarium M. Iuonis nostri Canonici S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Apostolicæ sedis legati.* Eiusdem meminit Author Memorialis Historiarum ad an. 1138.

Anno 1138. clarebat Ordo Canonicus S. Victoris Parisiensis, celebrisque per orbem fama

habebatur propter inſignes perſonas moribus & ſcientiis ornatas, quas in diuerſis mundi Eccleſiis ſparſit, vebut vitis fœcunda palmites proferens tranſplantandos. Hoc enim tempore fuerant ibi accepti Canonici profeſſi Prælati in Eccleſia Rom. duo Cardinales, D. Hugo Epiſcopus Tuſculanenſis, & M. Tuo, Abbates quoque 9. In Eccleſia S. Satyri Bituricenſis Abbas Radulfus.

L

Lombardus Placentinus Thomam Cantuarienſem exulem Canonum ſcientiâ imbuit: iſque poſtea Cardinalitio Galero & Archiepiſcopatu Beneuentano donatus eſt.

Lotulfus Lombardus, quem Otho Friſ. Leutaldum Nouarienſem nominat, Diſcipulus Anſelmi Laudunenſis cum M. Alberico Remenſi, quos Otho *Egregios viros & nominatos Magiſtros* vocat, quia in ſchola Magiſtri cæteris præminebant, & in regimine ſcholarum poſtea inter omnes eminuerunt. Vterque Remis ſcholas rexit. Vterque Petrum Abaelardum perſecutus eſt, & damnandi eius Tractatus Theologici authores præcipui fuerunt: quia videbant ſuam gloriam deprimi, illius extolli, propterea quod multas quæſtiones, quæ prius inſolubiles eſſe putabantur, ſubtiliſſimè diſſoluebat. *Vnde*, inquit ipſe c. 9. Ep. 1. *Æmuli mei* vehementer accenſi Concilium contra me congregauerunt, maximè duo illi antiqui „ inſidiatores Albericus ſcilicet & Lotulfus, qui iam defunctis Magiſtris eorum & „ noſtris Guillelmo ſcilicet atque Anſelmo, poſt eos quaſi regnare ſe ſolos appetebant, atque ipſis tanquam hæredes ſuccedere. Cum autem vtrique Remis ſcholas regerent, crebris ſuggeſtionibus Archiepiſcopum ſuum Rodulphum aduerſum me commouerunt. Et Heloiſſa Ep. ad Petrum. *Expoſitis* prius Magiſtrorum „ tuorum in te perſecutionibus, deinde in corpus tuum ſummæ proditionis iniuria, „ ad Condiſcipulorum quoque tuorum, Alberici videlicet Remenſis & Lotulfi „ Lombardi execrabilem inuidiam & infeſtationem nimiam, ſtylum contuliſti. „

Ludouicus Groſſus Philippi I. ex Bertha filius, elegans & formoſus adoleſcens ſceptris paternis deſtinatus tam charus fuit omnibus bonis, vt nemo magis vnquam; moribus verò tam placidis tamque obſecundans Patri, vt licet Berthradam Andegauenſis Comitis vxorem ſpretâ Bertha legitimâ Coniuge ſuperinduxiſſet, nothoſque plures ſuſcepiſſet, ne verbulum emiſerit vnquam ex ore, quod ipſi diſpliceret. Ludouici mores & Geſta Sugerius deſcripſit, librumque de eius vita Ioſleno ſeu Goſleno Sueſſionenſi Epiſcopo dedicauit. Sic autem initio. *Glorioſus & famoſus* Rex Francorum Ludouicus Regis magnifici Philippi filius, pri- „ mæuæ flore ætatis fere adhuc duodennis ſeu tredennis elegans & formoſus, tanta „ morum probabilium venerabili induſtria, tantâ amœniſſimi corporis proceritate „ proficiebat, vt & ſceptris futuris re ipſâ amplificationem honorificam incunctanter promitteret, & Eccleſiarum & pauperum tuitioni ſpem votiuam generaret. „ Et paulo poſt. *Ludouicus* itaque famoſus iuuenis, iocundus, gratus, & beniuolus: „ quo etiam à quibuſdam ſimplex reputabatur, iam adultus, illuſter & animoſus, „ Regni paterni defenſor, Eccleſiarum vtilitatibus prouidebat, *Oratorum* (forte *Aratorum*) *laboratorum & pauperum, quod diu inſolitum fuerat, quieti ſtudebat.* Præcipua „ eius geſta qui ſcire volet, legat apud Sugerium. Quod verò ad rem noſtram attinet, Academiæ Pariſienſi impensè addictus fuit. Cœnobium S. Victoris fundauit, Guillelmum Campellenſem Epiſcopatu Catalaunenſi donari curauit. Ioſlenum Sueſſionenſi, quem & ad intima Regni ſecreta & conſilia adſciuit; complures alios Magiſtros variis honoribus cumulauit. Calixtum & Innocentium II. Pontifices maximos exulantes benignè ſuſcepit. De eo intelligendum forte quod ſcribit Sareſberienſis l. 4. de Nugis Curial. c. 6. Regẽ Romanoru per litteras hortatum fuiſſe *vt liberos ſuos liberalibus diſciplinis inſtitui procuraret*: Regem enim illiteratum, eſſe quaſi Aſinum coronatum. De eius morte diximus ad an. 1137.

Ludouicus VII. dictus Iunior & Pius, Groſſi filius, paternarum æmulator virtutum Eccleſiam ab oppreſſione defendit, bellum ſacrum ſuſcepit, Alexandrum III. & Thomam Cantuarienſem è ſedibus ſuis expulſos fouit: litterarum quidem ignarus, ſed litteratos plurimum amauit. Cum patre regnauit 7. annis, poſt patris obitum 43. Sugerij Abbatis, Ioſleni Sueſſionenſis, Hugonis de Campo-Florido,

& Guillelmi de Campania, Senonenſis deinde Remenſis Archiepiſcopi conſiliis in regni adminiſtratione vſus eſt. Eo regnante tanta fuit ſcholarium in Vrbe Pariſienſi frequentia, tanta Vniuerſitatis fama, vt anteriora tempora pene obliterarit, eique quaſi Fundatori totam litterarum gloriam poſteri attribuerint. Extant plurimæ Magnatum Extrancorum ad eum litteræ pro liberis, nepotibus aut conſanguineis ſuis, quas retulimus in Hiſtoria. De eo diximus paſſim & præſertim ad an. 1180. quo obiit. Vxor eius Adela teſte Vincentio Bellouaco, ſuper eius corpus conſtrui fecit ſepulchrum miro artificio compoſitum ex lapidibus, auro, argento, ære & gemmis ſubtiliſſimè decoratum. Iacet in Monaſterio S. Mariæ de Sacro-Portu aliàs *Barbel*, habetque hoc Epitaphium.

Qui modò ſum modicus cinis, olim Rex Ludouicus
Dum terris præeram, terra futurus eram.
Sed licet auferre ſua non valeat Caro terræ,
Seruat perpetuum Spiritus eſſe ſuum.
Parce mihi Domine, qui finis es, & ſine fine.
Quem ſine principio, quem ſine fine ſcio.
Iam tranſcendo fidem, quia iam ſcio credita pridem
More ſuo patriæ credita, more viæ.
Hæc mihi ſcire dedit, quem vita ſcit & via credit;
Quem via credit, eum vita ſcit eſſe Deum.
Elegiſſe leges alia loca Regia Reges
Huic magis elegi pauper ineſſe gregi.
Pauperis vt memores melius ſint pauperiores,
Gaudeo pauper homo pauperiore domo.

Extat ibidem aliud eius Epitaphium laudes & merita complectens, præſertim verò eius pietatis officia.

Tranſit in Hæredem Pius ille Prior Ludouicus
Nomine, ſede, fide, nec pietate minus.
Seruula, triſtis, inops aliquo ſub Rege, ſub iſto
Floruit Eccleſia, libera, læta, potens.
Rex humilis, Rex pacificus, Dauid & Salomonem
Protulit exemplo ſeque ſuoſque regens.
Quantum coniugij permiſit copula, caſtus:
Quantùm luſtitiæ Regula, mitis erat.
Ieiunans, vigilans, orans, deuotus ad omnes
Diuini cultus obſequiique modos.
Lingua preces viuas, lachrymas pia palpebra fudit
Pauperibus ſolidos officioſa manus.
Hic meritis rapuit Cœlum, violentia Sancti
Raptus, & à Cœlo te tibi terra refert.

M

Manaſſes Epiſcopus Meldenſis vir doctus & Doctorum virorum egregius Patronus: ad quem in confuſione rerum ſuarum confugit Abaëlardus, vt apud Sugerium S. Dionyſii Abbatem pro ſe intercederet & licentiam obtineret manendi extra Abbatiam San-Dionyſianam. Fuit etiam eodem ſeculo Manaſſes de Garlanda Stephani de Garlanda, ex fratre nepos, Epiſcopus Aurelianenſis.

Mauricius de Soliaco in diuinis ſcripturis valde ſtudioſius & eruditus, inquit, Trithemius, atque in ſeculari Philoſophia nobiliter doctus, vt pote qui Philoſophiam & Theologiam multis annis, antequam Epiſcopus fieret, Pariſiis gloriosè docuerat. Ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus: in declamandis autem ad populum ſermonibus multi ſtudii fuit. Is initio miſſus à Matre Lutetiam, victum emendicando, curſum ſtudiorum confecit, in quo ſe ita ſpectabilem præſtitit, vt Epiſcopatum Pariſienſem poſt Petri Lombardi mortem obtinuerit. Quanquam

circa hoc occurrit difficultas: nam in Chartulario S. Maglorij legitur Charta quædam Mauricii, in qua ſubſcribit an. 1184. & ita habet. *Actum quidem Pariſius de eleemoſyna Ioannis an. incarnati Verbi 1184. Epiſcopatus noſtri 25.* Quod ſi ita eſt, Petrus Lombardus nunquam fuit Epiſcopus. De vtriuſque Epiſcopatu conſule quæ ſcripſimus ad an. 1164. De Mauricio ſic Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico. *Floret Mauricius* Epiſcopus, qui ob induſtriam ac litteraturam eximiam & diſertitudinem linguæ præcipuam de intimo magnæ paupertatis ad Pontificalis euectus eſt apicem dignitatis. Hic inter præclara opera ſua, Eccleſiam cui præerat à fundamentis *extruxit, duoſque pontes lapideos condidit, alterum ſuper Sequanam, alterum ſuper Matronam.* Quomodo vero in ſua dignitate Epiſcopali ſe geſſerit, & quàm non infimum ſuum genus deſpexerit, vnico exemplo patet, cum matrem in paupere cultu maluit excipere, quàm matronali veſtitam. Rem ſic narrat Bonauentura in ſermone de 10. præcep. *Fuit quidam Magiſter magnus & famoſus* Pariſius & à multis notus & dilectus. Hoc audiens mater ſua paupercula cogitauit ire ad filium ſuum: accepit baculum & in tunicella de burello venit Pariſius, & quæſiuit à quibuſdam Dominabus pro tali Magiſtro. Dixerunt illi Matronæ, quid vultis ab eo? Reſpondit Ego ſum Mater ſua. Tunc illæ Matronæ duxerunt eam in domum ſuam & refocillauerunt eam. Poſtea cogitauerunt quod ille bonus homo verecundaretur ſi videret eam in tali ſtatu, & induerunt ipſam bene & dederunt ei mantellum & iuerunt ſecum ad Magiſtrum. Tunc illa dixit. *Ego ſum mater tua.* Reſpondit Magiſter. *Verè ego non credo, quia mater mea eſt paupercula & conſueuit habere ſolum tunicellam de burello.* Et cum nullo modo vellet acquieſcere verbis eius, reduxerunt eam in domum ſuam & reddiderunt ei tunicellam eius & baculum. Tunc illa acceſſit ad filium in congregatione multorum, & cum videret Matrem ſuam in tali habitu venientem, depoſuit Capucium ſuum & amplexatus eſt eam, & dixit, *Modò ſcio quod eſtis mater mea.* Hoc fuit diuulgatũ per villã, & reputatũ eſt ei pro magno bono. Et poſtea factus eſt Epiſcopus Pariſienſis. Scripſit ſermones per totum annum tam de Dominicis, quàm de feſtiuitatibus ſimplices & ad declamandum populo habiles, inquit Henricus Gandauenſis. Exhortationes etiam ſcripſit breuiter preſbyteris ad curam animarum fideliter adminiſtrandam, inquit idem author, qui inſuper hoc habet. *Mauricius Epiſcopus Pariſienſis in eadem ciuitate Theologicæ ſcholæ Rector &c.* Obiit an. 1196. & apud S. Victorem ſepultus eſt; cuius ad laudem hi verſus conditi.

Doctor & Antiſtes Cathedrâ condignus vtraque
A primâ meruit continuare duas.
Sana fides, doctrina frequens, elemoſyna iugis,
Clamat Pariſius non habuiſſe parem.
Virginei menſis quæ tertia præuenit idus
Splendorem ſepelit nube ſepulta dies.

De eo plura diximus ad an. 1196. Succeſſorem habuit Odonem de Soliaco, de quo etiam ad illum annum.

Melior ex Magiſtro Pariſienſi aſſumptus ad Cardinalatum à Lucio III. plurimum apud eum potuit: ob idque rogatus à Stephano Tornacenſi Ep. 128. ex perſona D. Archiepiſcopi Remenſis, vt moneret Papam, ne quid decideret de negotio Archiepiſcopatus Dolenſis, de quo iam diu erat inter Epiſcopum & Archiepiſcopum Turon. contentio, eam enim rem Regi Ludouico eſſe cordi, nec paſſurum vt Dolenſis Archiepiſcopali honore inſigniretur. Vocat autem illum Stephanus ſeu D. Remenſis *M. Meliorem*: nam etiam Cardinales honori ducebant *Magiſtri* nomine inſigniri, ſi eum gradum in Academia Pariſienſi aſſecuti fuiſſent.

Michael Corbolienſis primùm in ſcholis Atrienſibus & Clauſtralibus docuit; deinde Canonicus Eccleſiæ Pariſienſis factus, tum Meldenſis, poſtea Decanus Laudunenſis; deinde Decano Pariſienſi mortuo ad Decanatũ à ſuis Cõcanonicis vnanimi conſenſu reuocatus: ex Decano Par. Patriarcha Hieroſolymitanus renunciatus, & poſtremò Archiepiſcopus Senonenſis electus. De hac eius ad Decanatum Pariſienſem vocatione Stephanus Tornac. ſic habet Ep. 175. *Ad Capitulum Laudu-*

nenſe pro M. Michaele eorum Decano in Pariſienſem Decanum electo. Lis enim propterea inter vtrumque Capitulum Laudunenſe & Pariſienſe intercedebat. De ipſius vero ad Archiepiſcopatum Senonenſem electione clarè Robertus Antiſſiorenſis ſcriptor illius temporis. *Michael Pariſienſis Decanus, vir honeſtæ vitæ & prærogatiua litteraturæ famoſus à Clero tranſmarinæ Eccleſiæ in Patriarcham eligitur, ſed interim dum hanc electionem detrectat ſuſcipere, Senonenſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum promouetur.* Obiit an. 1199. cui à Clero ſubſtituitur Hugo Antiſſiodorenſis Epiſcopus genere & litteris & facundia clarus, vt ait idem Robertus. Verum pro eo nunciis Romam miſſis, præfatæ electioni noluit Papa conſentire.

N

Norbertus Lotharingus Heriberti Comitis filius confecto in Gallia ſtudiorum curſu Laudunum ſe contulit, quo tempore florebat adhuc Anſelmi & fratris ſchola, multoſque ex eorum Diſcipulis ad religioſam vitam conuertit, fuitque primus Præmonſtratenſis Ordinis Inſtitutor. De eo ſic Canonicus Laudunenſis. *Poſt paucos annos noui luminis*, nouæque conuerſionis non ſolum interius, ſed
» etiam exterius candoris nouus inuentor, D. ſcilicet Norbertus de Lotharingia
» Franciam aduenies diuina præcedente & comitante gratia, in Epiſcopatu Lau-
» dunenſi primam illam vineam plantauit, quæ in charitate radicata & fundata iam
» emiſit propagines ſuas & vino fortitudinis ſuæ quod lætificat cor hominis, iam
» vbertim inebriauit plures Principes & iudices terræ, iuuenes & virgines, ſenes
» cum iunioribus. Itaut fortiter inebriati nihil aliud quærant niſi laudare nomen
» Domini & cantare ei Canticum nouum. Ordinis confirmationem ab Honorio II.
» obtinuit. Abaelardum acriter inſectatus eſt, nec ei quoq; pepercit Abaëlardus, præſertim ex quo, cum à Theobaldo Campaniæ Comite ad Engelbertum Carinthiacum legatus miſſus fuiſſet, Magdeburgenſis Archiepiſcopus electus an. 1126. electioni ſubſcripſit: vt in hiſtoria retulimus. Obiit die 7. Iunii an. 1134.

O

Obizo naſcentis ſeculi 12. gloria, Ludouici Craſſi Archiatrus, quempericulosè ægrotantem ſanitati reſtituens plurimum ſibi famæ peperit, & ſcholæ Medicinæ Pariſienſi initium dediſſe creditur. Nam à Carolo M. ad Obizonem altum de Medicina ſilentium: quanquam Naudæus in Antiquitate illius ſcholæ dicat, tum fuiſſe adhuc teneram, ſed minime in infantiæ ſerperaſtris. *Etſi*, inquit, *veſtram Facultatem* nunquam in infantiæ ſerperaſtris, nunquam tricis iuuenilibus
» & titiuilitiis obnoxiam fuiſſe facile mihi perſuaſerim, tamen vt communi cæte-
» rarum rerum naſcentium legi aliquid condonemus, totum illud tempus quod
» à poſteris Caroli Magni ad Obizonem & Ægidium fluxit, teneriori veſtræ Fa-
» cultatis ætati, quæſo, permittite, vt ipſa tandem ſub Ludouico VI. VII. & Philippo Auguſto cum reliquis Academiæ Facultatibus, cum ipſa ſacroſanctæ Theologiæ **Diſciplina præclarius & maturius adoleſcat, iuſtamque abſolutæ ſocietatis** formam nanciſcatur. Tandem Obizo ad San-Victorinos Canonicos ſe contulit, vnuſque fuit è primis, qui relictis ſcholis ſecularibus poſt Guillelmum Campellenſem in Abbatia illa docuerunt & eminuerunt. Iacet in Clauſtri latere quod Refectorio proximum eſt, è regione Tintinnabuli, cum hac inſcriptione.

Reſpice qui tranſis, & quid ſis diſce, vel vnde:
Quod fuimus, nunc es. Quod ſumus, iſtud eris.
Pauper Canonicus de diuite factus Obizo
Huic dedit Eccleſiæ plurima, ſeque Deo.
Summus erat Medicus. Mors ſola triumphat in illo,
Cuius adhuc legem nemo cauere poteſt.
Non potuit medicus ſibimet conferre ſalutem.
Huic igitur Medico ſit medicina Deus.

Odo à S. Victore vir eximiæ pietatis & doctrinæ, Canonicus & Profeſſor San-Victorinus,

Victorinus, deinde eiuſdem Domûs Prior ſub Gilduino Abbate : tum ex Priore aſſumptus ad regimen Abbatiæ nouæ San-Genouefianæ à Sugerio ſupremo Regni ſub Ludouico Craſſo Miniſtro, factuſque eſt primus Abbas an. 1147. Is ad preces S. Bernardi, qui Pariſios veniens, apud S. Victorem ſolebat recipi & morari, fratrumque ſuorum San-Victorinorum, propter commodum Cœnobij ſui antiqui, aquam fluuioli Beueris vulgò *de Bievre* à conſueto canaliculo per hortos S. Victoris deflecti permiſit, vt hodie adhuc illac fluit. Obiit plenus dierum circa an. 1165. voluitque apud S. Victorem ſepeliri, vnde vi quadam ad Abbatiam S. Genouefæ conſtituendam aſſumptus fuerat & abſtractus. Eius Epitaphium tale eſt.

Martyris Odo Prior prius, & poſt Virginis Abbas
Martyrium didicit virginitate ſequi.
A Victore roſas certaminis, à Genouefa
Lilia perpetui plena pudoris habens.
Intulit hos flores paradiſo tempore florum
A puero ſenior, in ſene virgo, puer.
Mitis cum Moyſe, cum Nathaele fidelis
Cum Samuele ſacer, cum Simeone timens.
Ne per eas, per eum te Pariſius Paradiſo
Orba parente para, non paritura parem.

Odo de Soliaco ex illuſtri Domo Soliacenſi ortus vulgò *de Sully* vir virtutibus omnibus à puero cumulatiſſimus, Petro Bleſenſi notus, ad quem recens factum Epiſcopum Pariſienſem, Mauricio enim ſucceſſit, pro amicitia veteri ſcripſit Epiſtolam congratulatoriam, inſuper rogans vt ſibi in Eccleſia Pariſienſi præbendam aliquam procuraret, à viginti ſex annis in Anglia moranti. Sic ergo eum alloquitur Ep. 160. Gloriæ veſtræ conglorior, quia ſicut ex multiplici commeantium relatione agnoui, famæ veſtræ titulus, laus & honor inceſſanter accreſcit. Sicut vnguentum effuſum eſt nomen veſtrum : effundite ramen & dilatate amplius eius gloriam, vt ſicut Abram in Abraham, Odo tranſeat in odorem, quatenus Chriſti bonus odor ſitis in omni loco; deſcendat de capite Aaron in oram veſtimenti eius generoſæ liberalitatis vnguentum, vt nos qui ad veſtræ tactum fimbriæ aſpiramus, trahamur poſt vos & curramus in odorem vnguentorum veſtrorum. Oleum ſiquidem gratiæ creſcit ex impendio, nec exuberantiam ignorabit, donec vaſis deficientibus deſinat erogari. 26. annis in Anglia peregrinans, linguam quam non noueram audiui. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt tanto tempore, nec eſt qui compatiatur Exuli: non eſt qui commoueatur ſuper contritione Ioſeph. Nunquid ſemper ero vagus & profugus ſuper terram ? nemo finem imponet peregrinationi meæ, vt ſaltem ſemel ante ſupremi ſpiritus exhalationem in aëre natiuo mihi liceat reſpirare ? Plerique peregrinationi diutinæ aſſueti patriæ præacceptant exilium, factique vitula Ephrahim docta diligere trituram, tædium exilii palearum ſolatio recompenſant. Ego aliter ſentio. Me natale ſolum quadam dulcedine tangit ſemper, & immemorem non ſinit eſſe ſui. Præſules Galliarum apud quos factus ſum tanquam mortuus à corde, tanquam vas perditum, mihi nimis obdurauerunt ad gratiam. Cum Bituricenſis Eccleſiæ Præceptor eſſetis, ad ſolatium alienigenarum manus munificentiæ veſtræ vſque ad nouiſſimos fines Angliæ porrexiſtis : nec abbreuiata eſt manus veſtra, ſed tanto facta eſt ex conſecratione protenſior, quantò Præcentore maior eſt Præſul. Quis neſcit longas Præſulis eſſe manus? In promptu eſt quantum vobis ex mea reuocatione honoris & vtilitatis accedat, &c. Plura diximus ad an. 1196. tandem obiit Odo 3. id. Iulij an. 1208. ſepultuſque eſt in Choro ſuæ Cathedralis : & ſepulchro hi verſus inſculpti.

Quem Cathedræ decorauit honor, quem ſanguis auitus,
Quem morum grauitas, hic iacet Odo ſitus.
Præſulis huius erat, quod habent hæc tempora raro
Mens ſincera, manus munda, pudica caro.

Lenibus hic lenis, toga nudis, victus egenis,
Vita fuit iuuenis clara, probata ſenis.
Bis ſexcenteno Chriſti quartoque bis vno
Tredecimo Iulî tranſiit Odo die.

Odo de Ceritona natione Anglus & *Shirton* cognomine dictus, ad Ciſtercienſes more huius ſeculi ſe contulit. Doctor Theologus, inquit Balæus, poſt peragrata Patriæ ſuæ Gymnaſia Pariſiis etiam bonas hauſit litteras, multarum concionum non infelix ſcriptor. Penitiori rerum naturalium adhuc iuuenis cognitioni ſtudebat, ſed tantâ cum felicitate & ſucceſſu, vt præter communem Philoſophorum eius temporis ſortem viſus ſit ſapere. Ad eum ſcribit Sareſberienſis Ep. 267. quâ ſignificat ſe eius fuiſſe Diſcipulum in Theologia, magnamque iacturam feciſſe omnes eius Diſcipulos cum Scholas reliquit. *Dum his*, inquit, *operam dare licuit* ſub alis veſtris & rotam in medio rotæ cum Propheta, imò cum filiis Prophetarum Doctrinæ veſtræ beneficio contemplari & audire per os veſtrum, quid Spiritus loquatur Eccleſiis, &c. Sed cum auulſus ſum à pedibus veſtris tunc diſpendii & læſionis aculeos expertus ſenſi, & quidem non ſolus, eo quod omnium fere Scholarium iactura communis eſt, non quia eſſe deſint qui docendi profiteantur officium, ſed quia deſunt qui doceant, Magiſtri enim ſunt plurimi, operarii pauci.

Odonis cuiuſdam viri probitate conſpicui, & verſificandi arte notiſſimi ac celebratiſſimi meminit Philippus Abbas Bonæ-Spei, ad quem ſcribit Epigramma, dehortans à pangendis verſibus ſacris, eo quod homines ita ſint auaritiæ & vitiis dediti, vt bonis artibus aures obturent.

Moribus, arte, fide, cœleſti pectore dignus
Cum ſuperes alios, deſipis Odo tamen.
Credis enim populum verſus curare diſertos,
Et placuiſſe putas moribus, arte, fide.
Dotibus his quondam ſacri placuere poëtæ,
Ingeniumque dedit præmia, nomen opes.
Nunc aliud tempus, alii pro tempore mores:
Nunc odium virtus, ſceptra merentur opes.
Nil artes, nil pura fides, nil gloria linguæ,
Nil fons ingenii, nil probitas ſinere.
Nullus inops ſapiens, vbi res, vbi copia cenſus
Res ſapiunt, pauper nil niſi pauper erit.
Diuitibuſque reis non tollunt nomina nomen,
Sed quos lex damnat, æquat habere diis.
Hinc eſt quod populus aurum quaſi numen adorans
Audet in ignotum ſæpe venire nefas.
Speſque lucri totiens excedere ius & honeſtum
Suſtulit, vt gratis iam iuuet eſſe reum.
Ius perit, ordo perit, ſceleri placet ora manuſque
Vendere, quamque inopem, tam pudet eſſe probum.
Non igitur mirum ſi quiſquam prauus & excors
Diuinos vates nullius eſſe putet.
Quem comitantur opes, ſapientia vera relinquit,
Semper mobilibus incomitata bonis.

P

Petrus Abailardus vel Abaelardus Berengarii militis & Luciæ filius è Palatio oppido ab vrbe Nannetenſi octo circiter milliariis diſtante vulgò *Palais* oriundus: vnde credo *Palatinus* dictus: in Patria aliquandiu humanioribus artibus Patris curâ imbutus Pariſios tandem ſe contulit, ibique Guillelmum Campellenſem in Dialectica audiuit. Sunt & qui Roſcelinũ Compendienſem Canonicũ Nominaliũ Antiſtitẽ audiuiſſe dicant; ſed eum ipſe inter præceptores non numerat. Lauduni *Anſelmum Laudunenſem* in Theologicis Magiſtrum audiit, ſed pauco tempore. Docuit primum Meliduni, deinde Corbolii, poſtremò Lutetiæ: vbi Heloiſſæ amori-

bus captus,& eâ parte quâ peccauerat mutilatus, ſcholis relictis Monachum induit apud S. Dionyſium:quo loco etiam ſcholas aperuit ſub Adamo Abbate.Sed illinc quoque expulſus,quia Monachorũ ipſiuſque Abbatis mores nimis ſatyricè carpebat, in territorio Trecenſi ſedẽ fixit; vbi primũ Oratoriũ modicũ in nomine S. Trinitatis ex calamis & culmo conſtruxit,deinde confluentibus illuc Scholaribus, amplius & latius fecit,*Paracletumque* nominauit. Verum illinc quoque exulare coactus propter quaſdam Propoſitiones & Tractatus hæreſim redolentes quos diſcipulis dictabat,Abbatiam S. Gildaſii Ruienſis in Epiſcopatu Venetenſi ſibi oblatam regendam aſſumpſit. Nec diu ibi commoratus, quia Monachorum vitam inſolentiamque ferre non poterat,Heloiſſam cum quibuſdam aliis ſororibus ex Argentolienſi Cœnobio à Sugerio Abbate San-Dionyſiano electam & errantem ad Oratorium ſuum inuitauit, ſuamque ibi Heloiſſam primam conſtituit Abbatiſſam. Sed quia frequentius & fortè indecentius quàm patereturMonachalis auſteritas, cum Heloiſſa & ſororibus verſabatur, multorum linguis appetitus eſt:ſed præſertim à Bernardo Clareuallenſi & Norberto Præmonſtratenſi exagitatus, coactus eſt excedere relictis ſcholis & ſcholaribus. Quem eius diſceſſum planxerunt Diſcipuli,& inter alios Hilarius hacce elegiâ, quâ in ſerui veluti proditoris linguam vehementer inuehitur, & in cæteros Magiſtros, qui tot mala ſuo Magiſtro machinabantur.

Lingua ſerui,lingua perfidiæ,
Rixæ motus,ſemen diſcordiæ
Quàm ſit praua, ſentimus hodie,
Subiacendo graui ſententiæ.
Tort auers Nos li Meſtres.

Lingua ſerui noſtrum diſſidium
In nos Petri commouit odium,
Quæ meretur vltorem gladium,
Quia noſtrum extinxit ſtudium
Tort auers Nos li Meſtres.

Deteſtandus eſt ille Ruſticus
Per quem ceſſit à Schola Clericus
Grauis dolor,quod quidam publicus
Id effecit, vt ceſſet Logicus
Tort auers Nos li Meſtres.

Eſt dolendum quod lingua Seruuli
Magni nobis cauſa periculi
Suſurrauit in aurem Creduli,
Per quod eius ceſſant Diſcipuli.
Tort auers Nos li Meſtres.

O quàm durum Magiſtrum ſentio,
Si pro ſui Bubulci nuntio
Qui vilis eſt & ſine pretio
Sua nobis negetur lectio.
Tort auers Nos li Meſtres.

Heu quàm crudelis iſte nuntius
Dicens, fratres, exite citius,
Habitetur vobis Quinciacus:
Alioquin non leget Monachus,
Tort auers Nos li Meſtres

Quid Hilari, quid ergo dubitas

Cur non abis & villam habitas ?
Sed te tenet dies breuitas,
Iter longum & tua grauitas.
Tort auers Nos li Meſtres.

Ex diuerſo multi conuenimus
Qui Logices fons erat plurimus;
Sed diſcedat ſummus & minimus,
Nam negatur quod hîc quæſiuimus.
Tort auers Nos li Meſtres.

Nos in vnum paſſim & publicè
Traxit aura torrentis Logicæ
Deſolatos Magiſter reſpice
Spemque noſtram quæ languet, refice.
Tort auers Nos li Meſtres.

Per impoſtum, per deceptorium
Si negare vis adiutorium
Huius loci non Oratorium,
Nomen erit, ſed ploratorium.
Tort auers Nos li Meſtres.

Ita extorrem & expulſum hominem ſunt qui putant ſub extrema vitæ tempora ſcholas reſumpſiſſe Lutetiæ. Cuius rei fidem facere videtur Ioannes Sareſberienſis, qui adito Pariſienſi Gymnaſio an. 1136. ait ſe contuliſſe ad Peripateticum *Palatinum*, quo nomine Petrum Abaëlardum indigitari arbitrantur : imo diſertè ſic eum appellat Sareſberienſis l. 2. Metal. c. 17. vbi de Vniuerſalibus Logicis verba faciens, *In hac opinione*, inquit, *deprehenſus eſt Peripateticus Palatinus Abaëlardus noſter, qui multos reliquit & adhuc quidem aliquos habet profeſſionis huius ſectatores & teſtes*. Nullibi tamen ipſe ſcribit ſe repetiiſſe poſt Paracletum ſcholas Pariſienſes. Sed vt vt ſit, varias tandem ille calamitates perpeſſus in Senonenſi demũ Concilio pro hæretico habitus eſt. Ignarus vero quò ſe verteret, perfugium inuenit Cluniaci apud Petrum Venerabilem, & biennio poſt obiit Cabillone ſcabie & aliis corporis incommoditatibus vexatus. De cuius morte diximus ad an. 1142. Petrus cum abſoluit ab omni hæreſeos ſuſpicione, & Epitaphium, quod ibi appoſuimus, in eius laudem ad Heloiſſam miſit. Aliud quoque fecit Elegiaco carmine quod tale eſt.

Petrus in hac petra latitat, quem Mundus Homerum
Clamabat, ſed iam ſidera ſidus habent.
Sol erat hic Gallis; ſed eum iam fata tulerunt
Ergo caret Regio Gallica ſole ſuo.
Ille ſciens quidquid fuit vlli ſcibile, vicit
Artifices, artes abſque docente docens.
Vndecimæ Maij Petrum rapuere Kalendæ,
Priuantes Logices Atria Rege ſuo.
Eſt ſatis in titulo. PETRVS HIC IACET ABAILARDVS,
Cui ſoli patuit ſcibile quidquid erat.

In Chronico Senonenſi legimus eum fuiſſe Canonicum maioris Eccleſiæ : ſic enim ibi. *Anno D. 1142. M. Petrus Abaelardus primo Canonicus Maioris Eccleſiæ Senonenſis obiit, qui Monaſteria Sanctimonialium fundauit, ſpecialiter Abbatiam de Paracleto, in qua ſepelitur cum vxore ſua. Vxoratus primo fuerat, poſtea Canonicus.*

De eodem Petro ſic Henricus de Gandauo lib. de Illuſtr. Eccleſiaſt. Scriptoribus. c. 16. *Petrus dictus Abailardus Dialecticæ peritus, imò omnium liberalium artium inſignis, Theologicæ ſcholæ Rector ſcripſit librum quem vocauit Theologiam ſuam, & alium quem appellauit*, Scito teipſum, *& quædam alia. Sed à B. Bernardo Clare-Vallenſi Ab-*

bate haretica aliqua in ſcriptis ſuis ſenſiſſe conuictus eſt in Concilio Senonenſi. Item in auctario c. 3.

Petrus Dialecticus cognomento Abailardus ſubtili abuſus ingenio aliqua conſcripſit: inter quæ excellunt libri Theologiæ & liber cui titulus, SCITO TE IPSVM. *Compoſuit & metrico ſtylo hymnos in monaſterio quod vocatur Paraclitum, decantandos.*

Illi Iodocus Clythoueus in Elucidatorio Eccleſiaſtico l. 4. tribuit Proſam hanc quæ in Eccleſia hodie cantatur.

Mittit ad Virginem, non quemuis Angelum, &c. Eiuſdem videtur hoc eſſe Epitaphium apud Abbatem Bonæ ſpei.

Lucifer occubuit, ſtellæ radiate Minores:
Cuius vos radius hebetabat vt inferiores,
Illius occaſu tandem veniſtis ad Ortum,
Naufragioque tulit veſtra ratis anchora portum
Maturus, docilis, pius, egit, prætulit, emit
Curſum, ius, cælum, tempore, lege, fide.

Petrus Bleſenſis Bleſis natus ex nobili Optimatum minoris Britanniæ ſtemmate oriundus fuit, vt teſtatur ipſe Ep. 49. *Pater meus & mater mea de Optimatibus minoris Britaniæ traxerunt originem. Nec iſtud ad iactantiam dico, ſed vt obſtruatur os loquentium iniqua, qui de ſua nobilitate ſatis degenere detrahendi ſumunt audaciam.* Fratrem habuit M. Guillelmum, poſtea Benedictinum Monachum, tum Abbatem Maniacenſem in Sicilia, poſtremò relictâ & reſignatâ Abbatiâ, priuatum in Bleſenſi pago Monachum. Lutetiæ pueritiam & adoleſcentiam exegit in politioribus litteris, atque in lectione poëtarum verſatiſſimus fuit; in Eloquentia quoque ita excelluit, vt Reges & Magnates eius calamo in ſcribendis Epiſtolis vterentur. Emenſo artium Liberalium ſtudio Bononiam, quæ tum quoque florebat, ſe contulit ad Iuriſprudentiæ Ciuilis & Canonicæ ſtudium capeſcendum: quo in genere quantùm excelluerit, eius ſcripta demonſtrant. Reuerſus in Galliam, iterum Lutetiæ relicto vtriuſque Iuris ſtudio totus Theologiam amplexus eſt, authorque ſæpe eſt in Epiſtolis amicis ſuis, vt ſimiliter ſe Theologicæ ſapientiæ applicent. Ait Buſæus inter cæteros Præceptores habuiſſe M. Ioannem Sareſberienſem: ſed id vnde adſtrat non video in Petri operibus, niſi fortè Ep. 22. vbi ſic eum compellat: *Rogo autem vos tanquam Dominum & Magiſtrum meum,* vt &c. Medicinæ non ignarus fuit, vt teſtatur Epiſt. 43. neque Matheſeos, vt patet ex Ep. 8. poſt confecta ſtudia cum Stephano adoleſcente nobiliſſimo Comitis Perticenſis filio à Siciliæ Regina cuius erat conſobrinus, euocato in Siciliam profectus, Guillelmi II. tum pueri Regis Siciliæ præceptor fuit poſt Gualterium Archiepiſcopum Panormitanum, vt teſtatur Ep. 66. *Scitis quod D. Rex Siciliæ per annum Diſcipulus meus fuit; & quia vobis verſificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat, per induſtriam & ſolicitudinem meam beneficium ſcientiæ plenioris obtinuit.* Fuit quoque tum Sigillifer Regis & Regni & totam Siciliam pro arbitrio regebat, vt ait Epiſt. 131. ad Nepotem Monaſterioli Priorem. Verum, vt fieri ſolet, inuidiam ſubiit multorum, qui nihil non machinati ſunt, vt eum de ſtatu & gradu ſuo expellerent, adeout Neapolitanum Archiepiſcopum honoris ſpecie eligi curarint, quò cum à Rege ſuo eliminarent. Teſtatur ipſe Epiſt. 72. *Recolo quantas inſidias æmulorum in Palatio Regis Siculi Guillelmi II. quandoque expertus ſum, qui cum multipliciter me à Regis latere ſtuduiſſent & non poſſent auellere, prius ad vnum Epiſcopatum & alterum, demum ad Neapolitanam metropolim poſtulari & ſolenniter eligi me fecerunt. Ego autem adhoc nullo potui fraudis artificio inclinari: ſciebam enim quod ad hoc & circa hoc tota eorum verſutia verſabatur, vt ab aulica conuerſatione remotum apertâ perſecutione obruerent.* Verum tandem inuidiæ ceſſit, & obtentâ redeundi in Patriam veniâ Lutetiam remeauit an. 1169. vbi quandiu moratus ſit, aut quid egerit, non conſtat. Certè Lutetiæ docuit publicè: at verò an antequam in Siciliam proficiſceretur, an poſtquam rediit, incertum. Credibilius mihi tamen eſt docuiſſe antequam illuc iret. Vt vt ſit, inter alios Diſcipulos habuit Petrum de Verno qui poſtea Odonis Soliacenſis pædagogus fuit, vt teſtatur Ep. 126. Fuit & magiſter neporum Ioſcelini Saresberienſis Epiſcopi, de quo queritur Ep. 51. quod pecuniam

ſibi ob eam rem promiſſam non miſiſſet. Sic enim ille.

„ *Certiſſimè* mihi promiſerat veſtra benignitas, quod Nepotes veſtros inter Nata-
„ le Domini proximum erudiendos mihi mitteretis Pariſius, & per eos debitum,
„ quod mihi debetis annuum ſolueretis. Expectans exſpectaui Dominum meum, nec
„ intendit mihi. Adhuc etiam promiſſam expecto gratiam, fortaſſe ſicut Arturum
„ Britannia, ſicut Iudæa Meſſiam. Donatio quidem, &c. Vid. ad an. 1165. Paulo igitur poſtquam è Sicilia reuerſus eſt, ab Henrico II. Anglorum Rege inuitatus in Angliam ſe contulit: vbi ad finem vſque vitæ moratus eſt. Bathonienſis Archidiaconus factus eſt: Canonicus quoque Carnotenſis, ſed præpoſituram illius Eccleſiæ aſſequi non potuit, nec Canonicatu potitus fuiſſe videtur. Se quoque Decanum fuiſſe cuiuſdam Eccleſiæ Ceſtrenſis perhibet Ep. 143. Poſtremò ſub finem vitæ Archidiaconatu Bathonienſi pulſus Archidiaconus Londinenſis factus eſt ſummoque ſuo cum dolore in Anglia vt creditur, vitam finiit circa an. 1200. Scripſit autem Compendium ſuper Iob. Epiſtolas num. 194. Exhortationes plurimas, Tractatum de Hieroſolymitana peregrinatione, Dialogum ad Regem Henricum, Lib. de præſtigiis fortunæ. De aſſertione fidei. Contra perfidiam Iudæorum lib. 1. De Confeſſione & Pœnitentia ſermones aliquot. De amicitia Chriſtiana l. 1. De Pœnitentia ſalutari. l. 1. De accelerando Paſſagio l. 1. De qualitate pœnitentiæ l. 1. Sermones de Ieiunio l. 1. De ſapientiæ ſtudio l. 1. Contra Deprauatorem l. 1. Exhortationes ad Abbates l. 1. De Officio Epiſcopi l. 1. De periculo Prælatorum l. 1. De vita Clericorum Curialium l. 1. De Synodis celebrandis l. 1. Canon. Epiſcopal. l. 1. Vitam Wilfridi Archiepiſcopi l. 1. & alia quædam opera, quorum plurima adhuc ſuperſunt.

Petrus Bleſenſis alius ab Archidiacono Bathonienſi, ſed eiuſdem vrbis, ſocius & amicus, inſignis Artium Liberalium Profeſſor, quem Archidiaconus hortatur Ep. 76. vt relicto Iuris Ciuilis Poëticarumque fabularum ſtudio, item que amatoriis verſibus, totum ſe Theologiæ applicet & curandæ animæ impenſius incum-
„ bat. *Te quidem*, inquit, *in ſummos eminentiæ* titulos ſcientia ſcholarum extulerat;
„ cumque debuiſſes aliis eſſe virtutum forma & ſpeculum honeſtatis, per ſcurriles
„ nugas & fabuloſa commenta Gentilium factus es multis laqueus in ruinam. Quid
„ tibi ad vanitates & inſanias falſas? quid tibi ad Deorum Gentilium fabuloſos
„ amores, qui debueras eſſe organum veritatis, &c. In fabulis Paganorum, in Phi-
„ loſophorum ſtudiis, tandem in Iure Ciuili dies tuos vſque in ſenium expendiſti &
„ contra omnium te diligentium voluntatem ſacram Theologiæ paginam damna-
„ biliter horruiſti, &c. Iam canis reſperſus es, & adhuc puerilibus te impendis. Sa-
„ pientia clamitat in plateis, vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ
„ ſibi noxia ſunt, amplectuntur? &c. Ego quidem nugis & cantibus venereis quan-
„ doque operam dedi, ſed per gratiam eius qui me ſegregauit ab vtero matris meæ,
„ reiecci hæc omnia à primo limine iuuentutis. Dracones Pharaonis deuorauit in me
„ Draco Moyſi, dum ſuauitatis Theologicæ ſapor euacuauit ſcientiam vanitatis &c.
„ Porrò omnia quæ ſcribis, mirabili artificio, & exquiſitiſſima ſententiarum verbo-
„ rumque venuſtate componis. Sed damnat Apoſtolus eaquæ ſunt rationem quidem
„ habentia ſapientiæ ſecundum Doctrinas hominum, ſi non ædificant ad ſalutem.
„ **Illud nobile ingenium fratris mei Guillelmi quandoque in ſcribendis Tragœdiis**
„ & Comœdiis quadam occupatione ſeruili degenerans ſalutaribus monitis ab illa
„ peremptoria vanitate retraxi: qui in breui præeminens in exercitio doctrinæ cœ-
„ leſtis fructuoſa prædicationis inſtantia perditi iacturam temporis pleniſſimè re-
„ ſtaurauit, &c. Et tu quidem venerande Magiſter, præ omnibus coætaneis tuis ſe-
„ culari ſcientia hactenus floruiſti, ſed hodie in prouerbium populi & in oppro-
„ brium tuum verſus eſt ſermo prophetæ, qui dicit *ante meſſem totus effloruit*: &
„ inutiles groſſos immatura perfectio germinauit, &c. Tempus ridendi & tempus
„ plangendi. A corde tuo non debuerat excidiſſe plaga illa tam crudelis & recens,
„ mors Ioannis primogeniti fratris tui. Maioris tamen doloris memoriam refricat
„ mors Gerardi; qui licet fuerit minoris ætatis, maiorem tamen in viſceribus tuis
„ vindicarat affectus. Nepotem tuum Nicolaum glorioſæ indolis agentem primi-
„ tias tranſeo, quem de manibus tuis repentè mors amara præripuit. Claudo ſub
„ ſilentio fratris tui Ammonis carcerales anguſtias, quas ſummo deſiderio affectaret
„ mortis terminare compendio. Quomodo in tantis luctibus cantandi materiam

inueniſti? Muſica in luctu, importuna narratio. Hoc vnum precor, vt omiſſis inanibus cantilenis ſcribas quæ Theologicam ſapiant grauitatem, quæ ad honeſtatem fructificent & ædificent ad ſalutem.

Epiſtola verò 77. eius ſcripta commendat, illique committit examinandum librũ quẽ fecerat de præſtigiis fortunæ. *Æquiuocationi* veſtræ toto corde congratulor: nec reor hoc accidiſſe ſine diſpenſatione Diuina, vt nobis eſſet vniformitas nominum, quos à pueritia fecerat vniformis identitas voluntatum. Quod ſi homo ſegnioris vitæ aut famæ humilioris huic nomini communicaret, tantum derogaret communibus titulis, quantum nunc vel adeptione honorum vel Magnatum familiaritate, vel populi fauore, vel ſcriptis, aut ſuaui morum gratia nomen commune amborum dilatatis. Iam in omnem terram & in fines orbis terræ illud nomen exiuit. Noſtra etiam ſcripta quæ ſe diffundunt & publicant circunquaque, nec inundatio, nec incendium, nec ruina, nec multiplex ſeculorum excurſus poterit abolere. Sola ſcripta ſunt quæ mortales quadam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum quos traducunt ad poſteros, nullam permittunt obrepere vetuſtatem.

Ore legar populi, perque omnia ſecula famâ
Si quid habent veri vatum præſagia, viuam.

Neſcio ſiquem Principum noſtrorum vobis in laudis materiam elegiſtis. Ego in libro de præſtigiis fortunæ quem veſtro committo corrigendum examini, actus D. Regis Angliæ Henrici 2. pro mea paruitate magnifico, confidens in Domino quod Lector ſi non fuerit inuidus, gratanter hoc opuſculum acceptabit. Votum ſiquidem meum eſt, vt D. Rex moriendo non moriatur, ſed per laudem mortuus viuat; cumque omnes adulantium linguæ euanuerint, beneficio ſcripturæ memorialis eius gloria æternetur. Vos quæſo aliquid ſemper ſcribite quod lectores erudiat, quodque nomen veſtrum in memoriam ſanctorum & odorem ſuauitatis effundat. Libri mei ſiquidem prima pars à M. Guillelmo fratre meo correcta eſt, ſed quia timeo ne ſit indulgentior mihi, ſi quid in eo vitioſum inuenit, precor vt ab initio totum diligentiore cura recurratis, quatenus nihil ibi reſideat, quod lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod vitam non inſtruat, quod non ſapiat honeſtatem. Fuit autem is Petrus Canonicus Carnotenſis à M. Ioanne Sareſberienſi tum Epiſc. Carnotenſi promotus; quam ob rem ei Petrus Archidiaconus gratulatur, quod amicum ſuum cognominem, eorumdem ſtudiorum æmulatorem promouiſſet.

Petrus Cantor ſic dictus, quia Cantor erat Eccleſiæ Pariſienſis, verum enim eius cognomen ignoratur; natione Gallus, patria Pariſinus, cuius meminit Ægidius Pariſ. in ſuo Carolino his verbis.

——*Et quem intepuiſſe dolemus*
Petrum in Diuinis verbo tenus alta ſequentem.

Fallitur enim Naudæus in additione ad Hiſtoriam Ludouici XI. aiens hîc intelligendum Petrum Abaëlardum. Quippe Ægidius commemorat ſolummodo Profeſſores Pariſinos ad amouendũ opprobriũ quod vulgo iactitabant alii, raros eſſe profeſſores ex Pariſienſi vrbe oriũdos alicuius nominis. Abaelardus autẽ Nanetenſis erat & natione Aremoricus. Noſtrum autem Petrum Cantorem ait Trithemius virum fuiſſe in Diuinis ſcripturis eruditiſſimum, & in ſeculari philoſophia nobiliter doctum, Theologicæque ſcholæ Pariſienſis multis annis gloriosè præfuiſſe & Diſcipulos multos egregiè erudiuiſſe. Henricus Gandauenſis. *Petrus Cantor*, inquit, *& ipſe etiam* Theologicæ ſcholæ Rector ſcripſit librum qui à ſui principio *Verbum abbreuiatum* nominatur, magna vtilitate plenum. Scripſit etiam alium librum quem vocauit *Grammatica Theologorum*, ad intellectum ſacræ ſcripturæ in multis locis valde vtilem &c. Verum omnium ſcriptorum qui Petri Cantoris meminerunt, tranſcendit elogia Iacobus de Vitriaco, qui eum apprimè noſſe potuit: & qui adhuc eo docente Pariſiis ſtudebat. *Velut*, inquit, *lilium inter ſpinas*, & roſa inter vrticas, quaſi Angelus Pergami vbi ſedes eſt Sathanæ, quaſi Thus redolens in diebus æſtatis, quaſi vas auri ſolidum ornatum omni

„ lapide pretioſo, quaſi oliua pullulans & cupreſſus in altitudinem ſe extollens,
„ quaſi cœleſtis tuba & Domini Citharista erat tunc temporis M. Petrus Venera-
„ bilis Cantor Pariſienſis, vir potens in opere & ſermone aurum ſuum & argentum
„ ſimiliter conflans & verbis ſuis ſtateram faciens, morum honeſtate pondus & gra-
„ uitatem conferens Doctrinæ ſuæ. Cœpit enim facere & docere velut lucerna ar-
„ dens & lucens & Ciuitas ſupra montem poſita & Candelabrum in domo Domi-
ni aureum. De cuius fonte limpidiſſimo beatiſſimus vir Fulco perpotabat.

Loquitur ibi Iacobus de ſacra Fulconis prædicatione, cui Petrus initium, pondus & maieſtatem dedit. Electus fuit in Epiſcopũ Tornacenſem, ſed electioni ſuæ conſentire noluit. Imò ſub finem dierum ad Longi-Pontis Cœnobium tanquam ad ſecuritatis & ſanctitatis portum confugit, ibique obiit non an. 1167. vt malè aliqui ſcribunt: nec anno 1179. vt alii, ſed an 1197. Edidit magnam Summam de Conciliis & rebus Eccleſiaſticis, vnum ex 4. innouatum. Verbum abbreuiatum. Summam de Virtutibus Theologicis, Gloſſaturam ſuper Pſalterium. Summam quæ dicitur *Abel*, ipſius nomine intitulatam. De eodem diximus in Chronico ad an. 1197.

Petrus Comeſtor Decanus Trecenſis, malè à quibuſdam frater fuiſſe dicitur Petri Lombardi & Gratiani: nam Gratianus erat Etruſcus ex oppido Cluſio; Lombardus Inſuber Nouarienſis, Comeſtor verò Gallus: ſed rurſum aliqui Pariſinum fuiſſe ſcribunt, & authoritate Ægidij in Carolino ſe tuentur, qui ſic habet.

Illum etiam raptum è medio proponere poſſem,
Cuius nunc titulos ſucceſſor honore ſecundo
Pictauienſis habet.

Nam Petrus Pictauinus ſucceſſit Hilduino Comeſtoris ſucceſſori in Cancellariatu Pariſ. & Theologica Cathedra. Alii patriâ Trecenſem volunt. Sic Henricus Gandauenſis. *Petrus*, inquit, *dictus Manducator Trecis oriundus ſtudens vtilitati in Theologia ſtudentium, omnes hiſtorias veteris ac noui Teſtamenti breuiauit in vnam hiſtoriam quam vocauit Scholaſticam.* Forte in eo hallicinatus eſt, quod Trecenſis vocaretur: verumid nominis ei videtur datum, propterea quod Decanus erat Trecenſis. Vt vt ſit, vir fuit in rebus præſertim Theologicis magnæ famæ, eumque interpræcipuos commendauit Petrus Cardinalis Alexandro III. *Litteraturam*, inquit, *& honeſtatem M. Petri Manducatoris Decani Trecenſis vos non credimus ignorare.* Cancellarius fuit Pariſienſis ab an. 1164. ſcripſit 4. libros de hiſtoria Scholaſtica, Pancroſim, librum ſermonum, de ſolemnitatibus feſtorum per anni circulum, ſuamque hiſtoriam ſcholaſticam dedicauit Mecenati omnium litteratorum liberaliſſimo Willielmo Senonenſi Archiepiſcopo, qui poſtea fuit Cardinalis Bleſenſis. Cathedram tenuit Theologicam in Clauſtro.

De eius Operibus ſic Otho de S. Blaſio author ſynchronus, aut certè ſuppar. *Librum Scholaſticæ hiſtoriæ vtiliſſimum confecit*, à principio Geneſeos incipiens, Pentateuchum, librum Ioſuæ, Iudicumque & Ruth continuauit. Libroque Regum
„ Paralipomenon includens cum vltimis Eſaiæ Tobiam complectitur tranſmigra-
„ tione cũ morte Godoliæ & viſionibus Danielis deſcripta, Eſdram, Heſter, Iudith,
„ librumq; Machabæorum diligenter perſequitur. Exit Ioſephum ſequutus à Ioan-
„ ne Hircano vſque ad Regnum Herodis, natiuitatemq; Chriſti hiſtoriam deducit,
„ Euangelioque complexo in Actibus Apoſtolorum per totum concludit, obſcura
„ quæque dilucidans, ambigua certa faciens traditioneſque Hebraicas aut Inci-
„ dentius Hiſtoriarum notas faciens, Eccleſiaſticarum traditionum diuerſas ſpecies
„ inducit. Præter hæc librum ſermonum mira ſubtilitate compoſuit, in quo præter
„ alia vtilia moralitatem *mentibus mortalium miro modo inculcauit*. Robert. Antiſſ. ad
„ an. 1179.

Petrus Comeſtor famoſiſſimus Doctor obijt, qui teſtamento ſapienter diſpoſito cuncta quæ habuit, pauperibus & Eccleſijs prorſus diſtribuit. Obiit ergo an. 1178. vel 1179. vel ſecundum alios an. 1198. & ſepultus eſt in æde S. Victoris, eiuſque tumulo hoc celebre Epitaphium impoſitum, quod compoſuerat.

Petrus

Petrus eram, quem petra tegit, dictuſque Comeſtor,
Nunc comedor: docui viuus, nec ceſſo docere
Mortuus, vt dicat qui me videt incineratum,
Quod ſumus iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.

Petrus Corbolienſis Theologiæ profeſſor inſignis, Michaëlis Corbolienſis Archiepiſcopi Senonenſis conſanguineus, cui in Archiepiſcopatu ſucceſſit. Inter alios Diſcipulos habuit Innocentium III. Pontificem maximum, antea Lotharium dictum, qui Magiſtri ſui memor, quoſcunque honores & dignitates conferre potuit, illi contulit. Primum enim Lincolnienſi Epiſcopo adiutorem dedit. Cameracenſem Epiſcopum fecit, & poſtremò Archiepiſcopum Senonenſem an. 1200. de eo ſic Rigordus in Philippo Aug. *Menſe Nouemb.* (an. 1199.) *Michael Senonenſis Archiepiſcopus vir Theologus & Deo placens migrauit ad Dominum. Cui ſucceſſit Petrus de Corbolio quondam Innocentij Papæ Diſcipulus* (lege *didaſcalus*) *per cuius manum & authoritatem primò Cameracenſem Epiſcopatum, ſecundò Senonenſem meruit obtinere.* De eodem ſic habent Excerpta Chronici Turonenſis & Antiſſiodorenſis. *Anno 1200. Octauianus Epiſcopus Oſtienſis Legatus Petrum de Corbolio qui litteraturæ ſingularis & Theologiæ prærogatiuâ famoſus in ſcholarũ regimine diu claruerat, & de Cathedra Magiſtrali ad Cameracenſis Eccleſiæ Cathedram nuper aſſumptus fuerat, Michaele Senonenſi Archiepiſcopo mortuo in Senonenſem Eccleſiam intronizat.* Quod verò Innocentius eius Diſcipulus fuerit, non Magiſter vt aliqui ſcribunt, teſtis ipſe eſt Ep. ad Decanum & Capitulum Eboracenſe an. 1198. 16. Kal. Ian. *De huius* (nempe Petri) *litteraturæ & ſcientia in longinquis & remotis partibus prædicatur, ſub cuius Magiſterio Nos aliquando fuiſſe in memoriam reducimus, & ab eo Diuinarum audiuiſſe paginam ſcripturarum, quod volumus reputare glorioſum.* Et Martinus Polonus qui ſequente ſeculo floruit. *Tunc floruit Petrus de Corliolo* (lege de Corbolio) *Senonenſis Archiepiſcopus quondam Innocentij Papæ Didaſcalus, de quo dicitur quod cum Papa illi obiiceret* Ego te episcopavi, reſpondit, Et ego te papavi. Nimirum voluit Papæ ſignificare nunquam eum futurum fuiſſe Papam, niſi eum ſingulari cura & ſtudio in Theologicis inſtruxiſſet, in quibus ſe Innocentius eximium præſtitit & tam ſingulariter doctum, vt iure merito poſſet *Magiſter* appellari, & Magiſterium cum laude exercere. Obiit Petrus 34. Iunii an. 1221. in Senonenſis Eccleſiæ Choro, ipſo die *quo celebrabatur ſynodus, ſub Archiepiſcoporum conditorio tumulatus, Litteraturæ ſingularis & Theologiæ præco famoſus in Cathedra Magiſtrali Pariſius*, vt habet Chronicon Antiſſiodorenſe. Epitaphium eius tale eſt.

Flos & honor Cleri Petrus, huic qui ſubiacet ari
De Cameracenſi datus eſt ſedi Senonenſi,
Moribus & vitâ verè fuit Iſraelita,
Et pro more viæ ſacra nouit Theologiæ.
Lux erat annalis Synodi, cœtus Synodalis
Non ſine lamento Patris oſſa dedit monumento
Doctoris fidei, ſic cognitio ſpeciei,
Quodque ſpei certæ ſuberat, modò cernit apertè.

Petrus S. Chryſogoni Conſcholaris Stephani Tornacenſis, ex Magiſtro Pariſienſi ad Cardinalatum aſſumptus varias legationes ſub Alexandro III. obiit in Gallia, & poſtremò aduerſus Waldenſes & Albigenſes. Meldenſis quoque Epiſcop. electus fuit. Suam ei ad Cardinalatum promotionem gratulatur Stephanus Tornacenſis Ep. 61. tanto libentius, quòd in iiſdem ſcholis & ſub iiſdem Magiſtris cum ipſo fuiſſet. *Iucundum mihi fateor ſpectaculum*, inquit, *præbet recordatio veſtra, dum quaſi per Graduum canticum aſcendentem ſuſpicio, dum à Minoribus ad Maiora Petrum noſtrum hinc virtutes ſibi rapiunt, hinc honores. Gratia gratiam inuocat, gloria gloriam. Vt cortina cortinam trahit, & iam plenè lucet omnibus qui in Domo Domini ſunt, quoniam de plenitudine ſua vobis gratiam & gloriam dedit Deus. Hæc ſunt quæ amicorum veſtrorum exhilarent faciem in oleo, corda lætificent, & confirment. Huius feſti me participem gratulor, huius glorior me conſortem. Nam etſi inter veſtros modicum obtineam locum, ſed non modicum tantæ dilectionis ſimul & delectationis vendico mihi fructum. Ample-*

ctor ſcholarem, proſequor Archidiaconum, deoſculor Abbatem, aſſurgo Epiſcopo, reuereor Cardinalem. His gradatim aſcendentibus & ſibi accedentibus potius quàm ſuccedentibus articulis arridēt honores moribus, mores honoribus coexultant, &c.

Hic eſt Petrus ad quem Alexander ſcripſerat, vt ſibi Catalogum virorum meritiſſimorum quos melius nouerat, perſcriberet & mitteret, ad dignitates Rom. promouendorum cum ſe daret occaſio. Ille autem plurimorum nomina indicauit: vt patet ex eius Epiſtola quam in Hiſtoria retulimus. Acerrimus fuit & indefeſſus Albigenſium hoſtis, quos modis omnibus inſectatus eſt. Obiit circa annum 1184.

Petrus Lombardus tantæ famæ & exiſtimationis Magiſter, natione Inſuber, patria Nouarienſis, ex Academia Bononienſi ad Pariſienſem ſe tranſtulit, prius tamen inuiſit Remenſem: deinde acceptis à S. Bernardo commendatitiis litteris ad Gilduinum Abbatem San-Victorinum, Pariſios venit, & in Abbatia S. Victoris aliquandiu moratus eſt. Epiſtola Bernardi ordine 366. eſt eiuſmodi.

" Reuerendis Patribus & Dominis & amicis cariſſimus Gilduino Dei gratia Ve-
" nerabili Abbati S. Victoris Pariſienſis & vniuerſo Conuentui ſancto F. Bernardus
" Claræ vallis vocatus Abbas ſalutem & qualeſcunque noſtras orationes. *Neceſſe*
" *habemus multa requirere, quia multa* requirūtura nobis, nec amicis poſſumus parcere
" quia ab aliis amicis non parcitur. D. Lucenſis Epiſcopus Pater & amicus noſter
" commendauit mihi virum venerabilem Petrum Lombardum, rogans vt ei paruo
" tempore quo moraretur in Francia cauſa ſtudii per amicos noſtros victui neceſſaria
" prouiderem. Quod effeci, quandiu Remis moratus eſt. Nunc commorantem Pa-
" riſius veſtræ dilectioni commendo, quia de vobis amplius præſumo, rogans vt pla-
" ceat vobis prouidere ei in cibo per breue tempus quod facturus eſt hîc vſque ad
" natiuitatem B. Virginis Mariæ. Valete. De eo ſic Otho de S. Blaſio in appendi-
ce c. 12. ad an. 1138. *His diebus Petrus Lombardus & Petrus Manducator apud Pariſios Magiſtri inſignes claruerunt, multaque Eccleſiæ profutura conſcripſerunt: è quibus Lombardus librum Sententiarum 4. diſtinctionibus ordinatum confecit. In 1. diſtinctione de* Trinitate quæ Deus eſt, ſubtiliſſimè tractans: in 2. de Creatione rerum primordialium: in 3. de Incarnatione Verbi: in 4. de Sacrificiis Eccleſiaſticis. *Præter hæc in Apoſtolum necnon pſalterium continuas gloſſas luculenter admodum expoſuit, Deoque digna conuerſatione degens apud Pariſios vita deceſſit.*

Scribunt aliqui Petrum in æde Victorina Canonicorum habitum ſumpſiſſe, vnumque ex iis fuiſſe qui ad S. Genouefam cum Odone tranſlati ſunt & traducti, indeque ad Epiſcopatum Pariſienſem aſſumptum volunt. Is in Theologia Scholaſtica præſertim excelluit, in eaque communiter fertur Gradus Doctorales inſtituiſſe, exemplo Gratiani, qui eoſdem Bononiæ in Iure Canonico inſtituerat aut inſtituendorum author fuerat. De eo ſic Henricus Gandauenſis. *Petrus Lombardus Theologicæ ſchol. Pariſiis præſidens ſcripſit 4. libros Sententiarum, opus magnum & arduū, quo opere vſque hodie vel maximè vtuntur ſtudia Theologorū. Inueniuntur etiam ſermones aliqui de diuerſis ſolemnitatibus ab ipſo ſcripti.* Sixtus Senenſis l. 4. Bibliothecæ ſanctæ ait omnes Theologorū ſcholas eū ſingulari quadam veneratione excellentia *Magiſtrum Sententiarum* appellare, & in eius Theologiæ Compendiū innumerabilia Diſputationū volumina eruditiſſimos Clariſſimarū toto Chriſtiano orbe Academiarū Theologos elaboraſſe. Illum collegiſſe in omnes Pſalmos Dauidicos & in omnes Pauli Epiſtolas ex ſententiis Ambroſii, Hilarii, Auguſtini, Caſſiodorii & Remigii ſuppreſſis eorum nominibus commentarios omni eruditione refertiſſimos, in iiſq; etiam de ſuo aliqua non prorſus abiicienda interpoſuiſſe. In componendis autem ſuis illis tractatibus quos ſcholaſticis ſuis dictabat, plurimum vſus fuiſſe dicitur Theologia Petri Abaelardi, quam ſæpe inter dictandum in manibus habebat, vt ſcribit Ioannes Cornubienſis Lombardi Diſcipulus & teſtis oculatus. In 4. Sententiarum libros pluſquam 300. authores Commentaria ſcripſerunt, & primi omnium Alanus de Inſulis, Alexander Neckam, Alexander Halenſis. Non omnes tamen eius propoſitiones receptæ ſunt, ſed nonullæ reiectæ de communi conſenſu Theologorum quarum extat index ad calcem libri 4. Ad Epiſcopatum Pariſienſem euectus eſt an. 1159. aut 1160. Obiit an. 1164. & in Eccleſia S. Marcelli in ſuburbio condi voluit, vbi hoc habet Epitaphium. *Hîc iacet M. Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſ. qui compoſuit librum Sententiarum, Gloſſas pſalmorum & Epiſtolarum*

P. Pauli. Cuius obitus dies eſt 13. Kalendas Auguſti. Illi ſucceſſit M. Mauricius de Soliaco. Itaque cum Ioannes Saresber. Ep. 269. hæc habet, *non placet Domino Cantuarienſi me aut aliquem ſuorum intereſſe colloquio præter M. Lombardum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, quem inuenietis in familia D. Senonenſis*, non loquitur de Petro noſtro, ſed de alio quodam: nam Petrus obierat cum iis exarſit inter Regem Henricum & Thomam; nec dum willelmus erat Archiepiſcopus Senonenſis, cum Petrus Lombardus obiit.

Petrus Pictauinus in Clauſtralibus ſcholis Theologiam ſummâ cum laude docuit per annos 38. vir vtique conſummatiſſimæ Litteraturæ. Librum edidit de Theologicis ſententiis, quem willelmo Archiepiſcopo Senonenſi dedicauit, & Poſtillas, &c. Subſcripſit cuidam chartæ Mauricii an. 1184. hoc modo: *aſſantiente Mauricio Pariſ. Archid. &c. Petro Pictauienſi.* Cancellarius fuit Pariſienſis poſt M. Petrum Comeſtorem. Scripſit quoddam inſtrumenrum Domus conſtruendæ Paruo Ponti adhærentis, anno 1196. vt Cancellarius, quo tempore Hugo Clemens eiuſdem Eccleſiæ Decanus erat. Caue verò hunc Petrum confundas cum Petro Pictauienſi, ſeu Gallo: nam iſte Monachus fuit Cluniacenſis ſub Petro Venerabili Abbate, illique addictiſſimus, cuius in honorem panegyricum verſibus compoſuit. *Plaudite felices, hilareſcite Cluniacenſes, &c.* At Petrus Pictauinus Magiſter in Theologia, Præpoſitus Comeſtoris fuit; deinde Cancellarius Eccleſiæ & Vniuerſitatis Pariſienſis, Scholaſticæ Theol. Antiſtes; contra quem ſcripſit etiam Gualterus de S. Victore; vt in hiſtoria retulimus. Obiit circa an. 1206.

Petrus de Riga Remenſis Eccleſiæ Preſbyter, Scholaſticus, Poëta, quantum ea ferebant tempora, celebris, inquit Poſſeuinus poſt Sixtum Senenſem, & ſanctarum litterarum cognitione illuſtris, omnes hiſtoricos diuinæ ſcripturæ libros verſibus partim elegis, partim hexametris Leonini generis iuxta litteralem & allegoricum ſenſum breuiter expoſuit. Opus autem *Auroram* inſcripſit. Claruit an. 1170. Qualis autem poëta fuerit, coniice exhiſce verſibus Exodi v. 387. qui falsò tribuuntur Roberto de Sorbona, ſuper Decalogum.

Sperne Deos, fugito periuria, ſabbata ſerua,
Sit tibi Patris honor, ſit tibi matris amor.
Non ſis occiſor, fur, mœchus, teſtis iniquus:
Vicinique thorum, reſque caueto ſuas.

Author Chronici Belgici magni ait eum obiiſſe Remis an. 1209. atque fuiſſe Canonicum Regularem S. Dionyſij & cognominatum *Bibliothecam.* Vulgo tamen Clericus aut Preſbyter Remenſis appellatur, eratque Patria Vindocinenſis. Initio autem ſui operis præmittit hunc verſiculum ad frontem.

Incipit hîc Rigæ Bibliotheca Petri.

Suum verò opus vt pote ſacrum proponit legendum ſcholaribus loco profanorum authorum.

Ergo Poetarum potius quàm dicta canora,
Hæc tibi proponi Turba Scholaris ama.

Et in fine operis rogat Magiſtros Pariſienſes & Aurelianenſes, vt illud ſuis Diſcipulis prælegant.

Quæ tibi dat tellus metra Vindocinenſis alumna,
Prælege Pariſius, Aurelianis habe.

Et paulò ante ad librum & ad verſus ſuos ſic ait.

Vobis Hexametris abſit Gualteridos, vti
Pentametris Elegis Vindocinenſis amat.
Vos Elegi magis elegi, quia legis amicos
Vos metricè metricâ cenſeo lege legi.

Vidi huiuſce authoris MS. duo apud M. Iacobum Mentellum Doctorem Medicum, manu Magiſtri alicuius gloſſis & ſcholiis illuſtrata. Eiuſdem Rigæ meminit Guillelmus Brito, illi ſuppar & Henricus Gandauenſis.

Petrus de Roſciaco vnus fuit è ſacris illis Concionatoribus qui Fulconem imitati ſunt, eique adiutores fuerunt in prædicanda populis pœnitentia & conuerſione. Sic enim Vincentius Bellouac. ad an. 1198. *Tunc Fulco alium ſacerdotem nomine Petrum de Roſciaco ad officium ſibi prædicationis ſociauit, virum litteratum & bonum, qui multos à peccatis luxuriæ & vſuris reuocauit, &c.* Verum iſte cum paulo poſt Carnotenſem Canonicatum ambiſſet & obtinuiſſet, & ſibi & aliis Fulconiſtis multum famæ & bonæ opinionis derogauit. Sic enim Iacobus de Vitriaco c. 8. Hiſtor. Occid. *M. Petrus de Ruſia dictus maculam poſuit in gloria ſua. Ipſe enim qui perfectionis iter arripuerat, & paupertatem prædicabat, occaſione prædicationis ſuffarcinatus eſt diuitiis & reditibus, & factus est Eccleſiæ Carnotenſis Canonicus & Cancellarius: & qui ex fumo lucem producere debuerat, ex luce fumum produxit. Et ob hoc non ſolum Doctrinam ſuam contemptibilem reddidit, ſed & aliis prædicti Fulconis Diſcipulis multum derogatum eſt hoc facto.*

Petrus de Verno Petri Bleſenſis Diſcipulus & poſtea Odonis Soliacenſis Pædagogus. Cuius meminit Bleſenſis. vid. an. 1196.

Philippus Abbas 2. Bonæ-Spei Ord. Præmonſtrat. aliàs de Eleemoſyna poſt Odonem, primum Pariſiis ſtuduit, deinde Laudunum ad Anſellum ſeu Anſelmum profectus eſt. De quo ſic loquitur Ep. 7. ad Ioannem. *Nec iuxta quorundam* præſumptionem ipſe me docui, ſed à M. Anſello didici: quod non dico, vt me commendem, ſed vt vos tanquam &c. Et paulo poſt. Vos indignamini quia dixi vos in clauſtro ſacras litteras didiciſſe tanquam per hoc videar vobis cõtumeliam intuliſſe, & commendabilius exiſtimatis quod Laudunum diſcendi gratia requiſiſtis, & in M. Anſelli celebri auditorio reſediſtis. Sed beatus homo, non qui Laudunum vel Pariſius requiſiuit, ſed beatus, inquam homo quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum, &c. Quantum recolo, cum ſcholas diſcendi gratia frequentarem, & vel conferri vel præferri quibuſque melioribus præſumptiuo more Scholarium præoptarem, ab his tamen qui vel ætate vel gradu quolibet inferiores ſe credebant, non contempſi & audire & diſcere quæ ſciebant: nec adeo tumui ſuperbia, vt attenderem quis cui loqueretur, dum tantum quod audirem, commendabile videretur. Scripſit plures Epiſtolas ad quoſdam Magiſtros Pariſienſes, ad Wedericum, ad Heroaldum 2. & 3. In 2. quidem cum eo agit de quadam Quæſtione tunc temporis celebri, quomodo Caro Chriſti fuiſſet à peccato immunis facta. In 3. mirificè laudat Vniuerſitatem Pariſienſem. Et in 4 quoque ad Engilbertum tunc Lutetiæ litteris operam dantem: cui veterum exemplis probat multo labore, ſudore, cura opus eſſe, multiplicem ferendam penuriam in acquirendis ſcientiis. Deinde ſubiungit. *Cum hos & huiuſmodi viros non fregit laboris aſperitas, non proiecit reuocauit ætatis longæuitas, quin ſtudio litterali tantam diligentiam impertirent*, vt amore ſciendi occurrentia quæuis incõmoda non ſentirent, non eſt conſilij vt propter ingruentem febriculam tua ſtrenuitas emarceſcat & infirmato corpore virilis pariter animus elangueſcat. Non enim Pariſius fuiſſe, ſed Pariſius honeſtam ſcientiam acquiſiſſe honeſtum eſt. Non itaque tibi ſufficiat ſi Muſas, ſi fontem Heliconium vidiſſe, ſi de illius riuulo guttam modicam tu hauſiſti, ſi videas illius rore tenuiſſimo te perfundi, eius autem adhuc affluentiam tibi plenius non infundi. Denique ipſa Philoſophia quæ proponit ſtudentibus fontem lucidum Heliconis, non ſatis eſſe indicat ſolum huius beneficium viſionis & cui acre & acutum ingenium dat Platonis, cui flores & ornatam eloquentiam Ciceronis, cui largitur illius tui Socratis documenta, cui Ariſtotelis reuelat manifeſtius argumenta, cum profectò vult gutta vel rore modico non aſpergi, ſed eius fonti viuido diutius incumbere vel immergi. Quæ autem vel diuitiæ temporales vel deliciæ corporales poſſunt cũ hac ſcientia comparari, cũ quiuis ſtultus & illis affluere nonnunquam videatur, & hanc ſibi acquirere nullatenus mereatur? Grauem videtur habuiſſe cum D. Bernardo contentionem, propterea quod Bernardus aliquos e ſuis Canonicis Regularibus retinuerat, eiſque certè petentibus habitum Monachicum impertiuerat. Itaque Ep. 10. grauiter cum eo expoſtulat: & ea de re etiam apud Eugenium III. queſtus eſt Ep. 12. Sacræ ſcripturæ loca quæ-

dam expoſuit. Epitaphia ſcripſit in laudem amicorum defunctorum, & nonnullorum etiam quos ſolâ famâ noros habebat, Iuonis Carnot. Anſelmi Cantuarienſis Ep. Senonenſis Archiepiſcopi, Vrbani Papæ, M. Guillelmi, M. Petri, D. Bernardi, &c. Obiit circa an. 1181. pluſquam octogenarius, ſiquidem fuit Diſcipulus Anſelmi qui an. 1117. obiit.

Philippus Sarracenus ab Ægidio Pariſienſi inter Profeſſores Academicos ex Ciuitate Pariſienſi oriundos commemoratur. Fuit autem ille non modo artium liberalium peritiâ inſignis, ſed in Decretis quoque & Theologicis ſtudiis commendabilem ſe præſtitit.

Hic & præſtantior illo
Poſteriore ſubit, qui Sarracena Philippus
Cognomenta tulit, præter quas nouerat artes,
Quæque inerant illi Diuinitus, omnia quondam
Decreta, & ſacras claudens in pectore leges.

Philippus Adeodatus cognomento *Auguſtus*, ſic meruit appellari, quod & à Deo fuerit populi Gallicani precibus indultus, & præclarè factis inter maximos Principes annumeratus ſit. Natus eſt an. 1165. menſe Auguſto 11. Kal. Septemb. anno verò 1179. in Regem inunctus Remis à Guillelmo Archiepiſcopo, viuente adhuc Patre Ludouico. Regni ſui initia à Religione & pietate auſpicatus Iudæos ex vrbe Pariſienſi expulit eorumque ſcholas & ſynagogas Diuino cultui mancipauit. Hæreticos perſecutus eſt, Eccleſiæ quietem procurauit, & afflictis in Oriente Chriſtianis propoſſe ſuppetias tulit. Dici verò non poteſt quanto amore concurrentes vndequaque bonarum Artium ſtudioſos complexus ſit: adeo vt eius temporibus facta ſit Academia Pariſienſis celebrior & frequentior quàm fuerint olim Athenæ & Alexandria, vt ex Rigordo retulimus. Quibus addere placet quæ leguntur in 5. tomo Hiſtoriæ Ducheſnianæ ex Codice M. S. Alexandri Petauij. *Huius Philippi temporibus quamplurimum florebat Pariſius ſtudium litterarum: nec legimus tantam aliquando fuiſſe in aliqua mundi parte Scholarium frequentiam, quanta prædictum locum ſtudendi gratia incolebat: quod non ſolum fiebat propter loci illius amœnitatem & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam, ſed propter libertatem ſpecialem & prærogatiuam defenſionis quam idem Philippus Rex & ante ipſum Pater eius Scholaribus impendebant: quippe cum in litterarum notitia Regnorum & Regum gloriam non mediocriter conſiſtere ſuperius ſit expreſſum.* Regnauit 43. annis, obiitque ſummo omnium dolore an. 1223.

R

R*Adulfus de Diceto* ſcriptor Anglus, Archidiaconus Londinenſis, deinde Decanus floruit ſub Henrico II. & Richardo Regibus. Scripſit librum Chronicorum, qui dicitur *Imagines Hiſtoriarum* & ad an. 1200. perduxit. Eius manu & ſtylo nonnunquam vſus eſt Henricus II. in negotio quod habebat cum Thoma Cantuarienſi. Sed in omnibus & dictis & ſcriptis tam modeſtum ſe præſtitit, vt reprehenſionem deuitarit. Ex eius hiſtoria multa in noſtram tranſcripſimus, ea præſertim quæ de Thomæ exilio edidit, cuius quippe rei teſtis oculatus in plurimis, in aliis auritus fuit.

Radulfus Niger Rhetorices & Dialectices olim in hac Academia Profeſſor, amicus Ioannis Sareſberienſis & Thomæ Cantuarienſi addictus: quem ideo laudat Sareſberienſis, quod non tam profeſſor eſſet futilium argumentationum quàm virtutis. Studiis tuis congratulor, inquit Ep. 1173. *Quem agnoſco & ſignis perſpicuis in vrbe garrulâ & ventoſâ, (vt & pace Scholarium dictum ſit) non tam inutilium argumentationum locos inquirere quàm virtutum. Nam qui argumentationum multiplices locos & ſedes quærit, & virtutum nullos, garrulus vtique poteſt eſſe & vanus, ſed proculdubio non Dialecticus, imo nec Philoſophus eſt.*

Radulfus Viridis ex Præpoſito Remenſi factus Archiepiſcopus an. 1103. cum Brunone Carthuſienſi eremiticæ vitæ votum conceperat, ſed mundo relictus pietatis exemplum omnibus fuit. De eo ſic Ordericus Vitalis. *Radulfus cognomento Vi-*

ridis Remorum Archiepiſcopus eruditione & facundiâ inter Patres præcipuus, ſtudiiſque bonis noſtro tempore laudabiliter deditus, Pater & Inſtitutor Monachorum & Clericorum, Patronus & defenſor Pauperum & omnium ſibi ſubiectorum, poſt multa laudabilia opera in ſenectute bona defunctus. nim. an. 1124.

Rainaldus ſeu Reginaldus Sareſberienſis Archidiaconus commendatur Hugoni de Campo Florido tum Sueſſionenſi Epiſcopo ab Alexandro III. his verbis. Alexander &c. *Dilectus filius noſter* Rainaldus Sareſberienſis Archidiaconus Pariſius ſe moram habiturum diſpoſuit, & ibi ſtudio litterarum ad præſens vacare. Quia verò pro ſua probitate nobis charus eſt plurimum & acceptus, eum fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, propenſius commendamus, rogantes attentius, quatinus pro reuerentia B. Petri & noſtrâ, conſideratione quoque ſuæ deuotionis, ipſum oculo clementiori reſpicias, diligas & honores ſibique opportunum conſilium, ſi quando opus habuerit, conferas & fauorem, &c. Datum Senonis 7. Kal. Aug. Hæc ſcribebat circa an. 1165.

Ad eundem ſcribit Bleſenſis Ep. 61. dehortaturque à vanitate aucupii, tum quia ratione officii non auium, ſed ouium curam ſuſceperit, tum quia breui ſit ad Epiſcopatum euehendus.

Iiſdem quoque temporibus fuit M. Reginaldus Archipreſbyter Aurelian. Ad quem extant quædam apud Stephanum Tor. Ep.

Richardus cognomento Epiſcopus inſignis Grammatices profeſſor circa an. 1130. imitator M. Bernardi Carnotenſis in tradendis Diſciplinis, quem ſe & M. Guillelmum de Conchis audiuiſſe ait Ioannes Sareſberienſis in Grammatica lib. 1. Metal. c. 24. *Ad huius Magiſtri*, Bernardi, *formam præceptores mei in Grammatica* Guillelmus de Conchis & Richardus cognomento Epiſcopus, officio nunc Archidiaconus Conſtantienſis, vitâ & conuerſatione vir bonus, ſuos Diſcipulos aliquandiu informauerant. Sed poſtmodum ex quo opinio veritati præiudicium fecit, & homines videri quàm eſſe Philoſophi maluerunt, Profeſſoreſque Artium ſe totam Philoſophiam breuius quàm triennio aut biennio transfuſuros auditoribus pollicebantur, impetu multitudinis imperitæ victi ceſſerunt. Exinde autem minus temporis & diligentiæ in Grammaticæ ſtudio impenſum eſt. Et l. 2. cap. 10. Poſtmodum vero Richardum cognomento Epiſcopum hominem fere nullius Diſciplinæ expertem, & qui plus pectoris habet, quàm oris, plus ſcientiæ, quàm facundiæ, veritatis quàm vanitatis, virtutis, quàm oſtentationis ſecutus ſum: & quæ ab aliis audieram, ab eo cuncta relegi, & inaudita quædam ad Quadriuium pertinentia, in quo aliquatenus Teutonicum præaudieram Harde winum, didici. Ad eũ extat eiuſdem Ep. 202. qua eum rogat vt Ariſtotelem & notulas in eius textum mittat magis latinas quàm eſſent veteris Commentatoris Notæ. Fuit Abrincenſis Epiſcopus & Iudex cuiuſdam cauſæ cum Arnulpho Lexou. de quo Ep. 67. *Nos vero vtrique parti infra tempus, &c.* Obiit an. 1182. & de eo Robertus de Monte in appendice. *Obiit Pater noſter Richardus Abrincenſ. Epiſcopus, vir magnæ litteraturæ tam ſecularis quàm Diuinæ, morum honeſtate virgo ab vtero laudandus.*

Richardus à S. Victore, natione Scotus, Canonicus Regularis San-Victorinus à Gilduino 1. Abbate receptus & ſub eo profeſſus, M. Hugonis à S. Victore Diſcipulus, ſub eius Magiſterio ſtudiis feliciter incubuit & adeo profecit, vt ſucceſſu temporis euaſerit vir ſcientiis Philoſophicis & Theologicis inſtructiſſimus. Subprior fuit, deinde poſt Nanterum Prior. Suſcepit Alexandrum III. an. 1164. cum Ernilio tunc Abbate. Eius ſcripta Theologica ſatis demonſtrant, qui vir fuerit. De quibus ſic Vincentius lib. 27. Circa idem tempus (*hoc eſt 1140.*) floruit M. Richardus S. Victoris Pariſ. Canonicus, qui in libris & tractatibus variis multa Eccleſiæ S. vtilia deſcripſit: inter quos eminent de S. Trinitate libri 7. in quibus iudicio meo cunctos qui ante ipſum de hac materia tractatus multiplices ediderunt, probabili inductione ſimul & dulcedine quadam ac venuſtate ſermonis exceſſit. Scripſit nihilominus idem Richardus de contemplatione pulcherimum librum de Patriarchis intitulatum. Alium quoque de myſtico ſomnio Nabuchodonoſor. De arbore quoque quam idem Nabuch. vidit lib. 1. Alium de 4. ventis in mari pugnantibus. Alium de exterminatione mali & promotione boni. Alium item de Officio Eccleſiæ. Alium de ſacrificio Abrahæ, Scripſit & Tractatum grandem de illo verbo Iſaiæ. *Caput languidum.* Et alium de verbo illo in

die illa &c. 3. verò contra Andream & alios in expoſitione ſacræ Scripturæ Iudaïzantes ſuper illo, *Ecce Virgo concipiet.* Alium autem ad Nouicios de illo verbo Pſalmi, *Afferte Domino filij.* Scripſit etiam lib. qui dicitur *Excerptorium*, in quo breuiter continetur diuiſio & materia omnium ſcientiarum ac ſeries hiſtoriæ præcedentium temporum, & quædam morales expoſitiones ſacrarum Scripturarum. Obiit 10. Martij an. 1173. eiuſque corpus in clauſtro iuxta oſtium Eleemoſynæ humiliter eſt ſepultum. Duo autem fermè poſt ſecula Guillelmus de S. Lando Doctor Theologus & Abbas eiuſdem Domus 22. in eius laudem carmen mediocri ſtylo ſic edidit an. 1348.

Roridus eloquiis Prior hoc tumulo tumulatur,
Inſultans vitiis, Iuſtus iuſtis ſociatur,
Canonicus Victoris Sancti, Dæmone victo
Auxit ſpem veniæ per dogmata Theologiæ.
Regis Cæleſtis imitator Religione,
Doctrinâ geſtu florens fuit, & ratione,
Victorem morum celebri grauitate ſecutus
Sanctum Sanctorum, fit Regis in agmine tutus.
Scotus erat. Deuotus magno temporis æuo.
Vixit Canonicus vir Religionis amicus.
Dulcis Doctrinæ Doctor fuit, & manifeſtè
Rorifluo Trinæ Monadis tibi Codice teſte
Auguſtino ſe conformans dogmate, vita
Corde tui merita Victor coluit ſtudioſè,
Inſignis titulo, Doctrina, moribus, iſte
Reddidit huic tumulo corpus, flamen tibi, Chriſte.

Ioannes verò Borderius Abbas 34. memoriam Richardi longè elegantiori ſtylo proſequutus eſt an. 1530. hoc Epigrammate.

Moribus, ingenio, doctrina, clarus & arte
Puluereo hîc tegeris, docte Richarde, ſitu.
Quem tellus genuit felici Scotica partu,
Te fouet in gremio Gallica terra ſuo.
Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ ſtamina paruo
Tempore tracta, graui rupit acerba manu.
Plurima namque tui ſuperant monumenta laboris,
Quæ tibi perpetuum ſint paritura decus.
Segnior vt lento ſceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it ſub pia tecta gradu.

Robertus Blondus Gaufrido Lincolnienſi ſeruiſſe videtur, à quo olim grauiter increpatus eſt, quod vocatus non veniret, malletque in aliorum eſſe familia quàm ſua. Legitur Epiſtola Gaufridi apud Petrum Bleſenſem ordine 62. *Mea vocatione* poſthabita ad mandatum cuiuſdam Abbatis remanere in Anglia decreuiſti, &c. " cum ad me venire & mecũ eſſe debeas & non velis, contra me es, &c. ad laborem " non ad otium te vocabam. Non eſſes otioſus, ſi meis inſudares negotiis, quibus te " citra omnem vocationem ſpontaneum impendere debuiſti. Te tantum excuſabilem facit, quia ſemper habuiſti me ſocium, nunquam Dominum, & ideo nouiſti " qualiter ſocio non qualiter Domino ſit ſcribendũ, ſi habuiſſes dominũ, aſſueuiſſes " obedientiæ quam detrectas. Veruntamen indomita ceruice ferox poſt vocationis " meæ litteras, nunc agere cauſas Pariſius, nunc reuerti Bononiam, nunc Lincolniam proficiſci, nunc morari Oxenefordiæ ordinas & diſponis. In hac tamen " Ordinatione magna eſt confuſio, vbi mens tua contrariis æſtuat deſideriis & totus diſſides à teipſo. Si bonum obedientiæ acceptaſſes, vagos & diſſolutos affectus " qui in te variè fluctuare compellunt, deuotus timor ad vnius voluntatis arbitrium alligaſſet. Poſtremò eum admonet, ne Thomæ Cantuarienſi, cuius amicus erat Gaufridus, aduerſaretur. *Illud obnixè* te moneo, vt pro mendico & mendace Ab- "

» bate, ſicut dicitur, te Domino Cantuarienſi. in ſuis negotiis non opponas. Cum » enim meorum numero adſcriptus ſis, eum per te impugnare viderer: ideoque ſi » eius negotiis intereſſe, eique adeſſe non potes, aut forte non audes, ei tamen » obeſſe in aliquo, ſicut me diligis, non attentes. Scio quia ex affectu me diligit, » atque in anguſtiis meis experimento probaui ſinceriſſimam eius fidem: ideoque » eius amicitias amplecti deſiderans & fouere, ipſius iniurias æquanimiter ſuſtine- » re aut diſſimulare non poſſem.

Robertus de Meliduno Nationis Anglicanæ, Lutetiæ primum, deinde Meliduni Artium Liberalium profeſſionem exercuit. Vnde *Melidunenſis* vocatus: hoc enim cognomen, inquit Sareſberienſis, *meruit in ſcholarum regimine. Angligena enim erat.* Eius Diſcipulus fuit aliquandiu Ioannes Sareſberienſis: item Thomas Beketus, qui poſtea Cancellarius Regni Anglicani & Cantuarienſis factus eſt Archiepiſcopus. Vnde & eiuſdem operâ poſt tranſlationem Gilberti Foliothi è ſede Hereford-denſi ad Londinenſem, ad Epiſcopatum Herefordenſē electus eſt, & ab eo conſecratus 11. Kal. Ian. an. 1163. in Eccleſia Cantuarienſi, acceptâ prius ab eo profeſſione & Canonica ſubiectione teſte Geruaſio. Obiiſſe videtur an. 1173. Nam eo anno legimus Robertum Foliothum Oxonienſem Archidiaconum electum fuiſſe ad Eccleſiam Herefordenſem: idque teſtatur Radulfus de Diceto contemporaneus ſcriptor: itaque Robertus iſte poſterior malè confunditur à nonnullis cum Melidunenſi: cuius honorificè meminit Ioannes Cornubienſis in Eulogio quod Alexandro Papæ dedicauit: ait enim ſuo tempore floruiſſe duos inſignes Theologos Pariſiis, *Robertum ſcilicet Melidunenſem & Mauricium nunc Epiſcopum Pariſienſem*, qui nihil vnquam fidei ortodoxæ contrarium docuiſſent. Sareſberienſis eundem vocat Ep. 177. *Veterem Scholaſticum*. Quod nomen tunc tribui cœpit iis qui Theologiam altercatricem more Philoſophorum in Scholis tradebant. Reuera eam quam *Scholaſticam* vocant, profeſſus, Ariſtotelicis regulis & axiomatis modeſtè ac ſobriè vſus eſt. Tractatum Theologicum edidit qui ſeruatur in Bibliotheca San-Victorina. Præmittit autem hæc Prolegomena. De quinque ſtudiis cognoſcendæ veritatis. De Scriptura Sacra: quare ſacra, & ſancta ac Diuina nuncupatur. De Hiſtorica ſignificatione & quot modis dicatur hiſtoria. De rerum ſignificatione & modis ſignificandi. De Allegoria & Tropologia & Anagoge. De ſex circunſtantiis ex quibus ſumuntur rerum ſignificationes. De diſtinctione librorum ſacræ ſcripturæ. De tempore naturalis legis & ſcriptæ, & gratiæ. Obſeruatores naturalis legis & ſcriptæ, pariter & gratiæ permixtos fuiſſe. De ſex ætatibus & earum ſucceſſionibus. De operibus conditionis & reparationis pauca præmittit. Quid ſit creare & quod tempus mundo concreatum eſt. Rationes eorum qui dicunt omnia ſimul creata eſſe in materia & forma. Quomodo intelligendum ſit. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Quod non eſt obſcurum, Deum aliquid feciſſe vel informe. Quot ſunt operationum genera & quando Natura cœperit primum in rebus operari. De permixtione Elementorum. De formatione primariæ lucis, & eius vtilitate. De Firmamento & aquis ſuperioribus. De aquis inferioribus in vnum collectis. De materia Solis & Lunæ & ſtellarum, & quomodo ſint in ſigna. Tam volucres quàm piſces ex aquis habere originem. De **creatione hominis, & quare factus ſit. Quæ ſint cauſæ primæ, mediæ & vltimæ.** Quis ſit ſenſus huius Quæſtionis *Quare Deus hoc vel illud faciat.* Quare perſonarum diſcretio per hoc ſibi fiat, potentia, ſapientia, bonitas, cum ſint toti Trinitati communia.

His præmiſſis aggreditur tractatum de Deo vno & Trino, ibique de Perſonis earumque proprietatibus & diſtinctionibus. De attributis Diuinis, potentia ſapientia, præſcientia, de differentia inter præſcientiam & diſpoſitionem Dei. De Diuina diſpoſitione. De intentione mala & voluntate bona & opere bono. De Prædeſtinatione. De diuina voluntate. De permiſſione Dei. De permiſſione Eccleſiæ. De præceptione. Quod malum eſſe bonum ſit, rationibus probat. De voluntate Dei. De amore Patris ad filium. Quod Deus ſummè vnum eſt. De generibus motuum. De Diuerſis ſignificationibus huius nominis *Cælum*. Quod omnis Creatura in Deo eſt. Quod ſubſtantia diuerſis modis accipiatur. De Deo & de Creaturis. Quod non in eadem ſignificatione conuenit hoc nomen *Bonum* Creatori & Creaturis. Quod Deus eſt in omni tempore & in omni loco, non tamen

men concedendum quòd ſit in tempore vel in loco. Quod ſolus Deus immutabilis eſt.

Poſthæc aggreditur Tractatum de Angelis. Et 1. de Creatione Angelorum. 2. Quod ſola Creatura rationalis ad imaginem Dei facta eſt. 3. Quando & quales facti ſunt Angeli. 4. An in hoc aëre minus puniantur Spiritus maligni quàm in inferno. 5. Vtrum Angeli ab exordio ſuæ conditionis corpore fuerint induti. 6. Vtrum numerus bonorum maior vel minor ſit quàm eorum qui corruerunt 7. De Ordinibus Angelorum. 8. De Nominibus & officio Cœleſtium ſpirituum.

Hoc Tractatu exacto agit 1. de Creatione hominis: quem 36. Capitulis abſoluit. 2. quare pro originali damnantur qui nihil peccauerunt. 3. quid ſit liberum arbitrium & in quo, de quo agit 15. Capitulis. 4. De tribus animæ proprietatibus. Rationis, voluntatis & ſenſualitatis. 5. Quare Deus hominem præceptis adſtringi voluit. 6. de triplici ſtatu hominis ante & poſt peccatum. Qua de re agit 21. Capitulis.

7. Qualis fuiſſet Adam ſi non peccaſſet. Et de hac quæſtione agit 21. Capitulis.
8. Quales eſſent filii naſcituri ex primis parentibus, ſi non peccaſſent.
9. Qualis fuiſſet primorum parentum ante culpam commixtio, 4. Capitulis.
10. Quibus præceptis primus homo fuerit inſtitutus. 17. Capit.
11. De formatione mulieris ex Adam.
12. De diuerſis modis tentationum.
13. Quod omne peccatum in quantum pœna eſt, opus Dei eſt ſecundum quoſdam.
14. Quomodo Virgo Maria omnes hæreſes interemiſſe dicitur.
15. Quare Diabolus tentationem ab interrogatione incepit.
16. Quare lex ante Euangelium, & de vtilitate legis.
17. Quare Prophetæ poſt legem & ante Euangelium.
18. De differentia præceptorum veteris & noui Teſtamenti.
19. Quod Doctrina legis ad ſalutem ſufficiens non fuit.
20. Quod Charitas in lege non præcipitur.
21. Quod alia ab hominibus legis præceptorum de dilectione Dei & proximi exigebatur obſeruatio, & alia ab hominibus gratiæ.
22. Quod per hoc præceptum legis, *Non concupiſces*, non originalis motus nec interior mentis conſenſus, ſed ſolum opus concupiſcentiæ prohibetur.
23. Quare mandata Legis grauiora dicantur eſſe præceptis Euangelicis, cum aliter videatur & aliter in quibuſdam Doctoribus habeatur.
24. De differentia ſacramentorum veteris Teſtamenti & noui.
25. Quomodo intelligendum ſit quod dicit Auguſtinus, Manna idem valuiſſe credentibus, quod nunc valet Corpus Domini illud cum fide ſumentibus.
26. Quod nec ſacramenta Legis nec opera etiam cum charitate ſuſcepta vel facta vitam æternam dare poterant.
27. De diuerſitate promiſſorum veteris Teſtamenti & noui.
28. Quod Deus pro remuneratione boni temporalis legem voluit obſeruari, non tamen bonum temporale ſibi voluit præponi.
29. Quibus rationibus & authoritatibus eorum innitatur opinio, qui volunt per mandata legis cum charitate adimpleta vitam promereri.

Tandem aggreditur Tractatum de Incarnatione Chriſti. Cuius plurimas quæſtiones in hiſtoria retulimus.

Robertus Medicus Sugerii Abbatis ſupremi in Regno Francorum Miniſtri obiit ante an. 1150. Extant ad Sugerium Hugonis Antiſſiodorenſis & Willelmi Comitis Niuernenſis Epiſtolæ, quibus ipſi viduam & liberos eius commendant, leguntur-que inter Epiſtolas Sugerii ordine 121. & 122.

Rudolphus Colonienſis Scholaſticus, & Pariſiis & Coloniæ ſummo cum applauſu docuit. Pariſiis quidem inter alios Diſcipulos, habuit Philippum Abbatem de Ottirburg, tunc Colonienſem Canonicum, cuius conuerſionem refert Cæſarius Heiſterbach. l. 1. c. 38. *Hic*, inquit, *cum eſſet de honeſta parentela natus, & maioris Eccleſiæ in Colonia Canonicus, Rodulfum eiuſdem Eccleſiæ Scholaſticum Pariſius legentem audiuit. Diuina inſpirante gratia, Magiſtro ſuo ignorante ſcholas deſeruit, & cum eſſet adoleſcens delicatus boniſque veſtibus indutus, pauperi ſcholari ſibi occurrenti illas de-*

Stephanus de Nemoroſo Gall. *de Nemours* Gualteri Franciæ Camerarii filius, frater Stephani item Camerarij, Petri de Cambio Pariſienſis & Guillelmi Meldenſis Epiſcoporum, Præſul Nouiomenſis quem Ægidius Pariſienſis in ſuo Carolino inter Pariſinos Profeſſores numerat. Epiſcopatum adeptus eſt an. 1188. & obiit an. 1220. iacetque in Vrſicampo.

Stephanus Pariſienſis Iuris Canonici Doctor celeberrimus, cuius item meminit Ægidius in Poëmate, vbi de profeſſoribus Pariſinis. De Magiſtro Pariſienſi factus eſt Archidiaconus Æduenſis Eccleſiæ; vir tantæ famæ, vt ſi quid difficultatis occurreret in Iure Gallicano aut Romano, ex omnibus vnus conſuleretur.

Ille Eduæ Stephanus maior Lenita lucroſis
Aſſiduus ſtudiis: à quo deciſio legum
Quæritur, & noſtri monſtratur regula iuris.

Stephanus Tornacenſis alumnus quoque ſcholæ Pariſienſis fuit; vt teſtatur ipſe Ep. 231. ad Archidiaconum Burdigalenſem. *Venerabilis Abbas Siluæ maioris audito quod cum eſſet Pariſius in ſcholis conſtitutus quando me affabilitate veſtrâ & notitiâ dignum indicaſtis, has ſupplicationes ad Maieſtatem veſtram impetrauit.* Fuit primum Canonicus & Cantor Eccleſiæ S. Euurtii Aurelianenſis tum adhuc ſecularis: poſtquam verò facta eſt Regularis Ordinis S. Auguſtini, ibidem etiã nomen dedit militiæ Canonicorum Regularium ſub Abbate Rogerio anno circiter 1163. Vnde errant qui ſcribunt Stephanum exiis San-Victorinis vnum fuiſſe, qui ad San-Genouefianum Conuentum componendum aſſumpti ſunt an. circiter 1148 tunc enim nondum erat Regularis, nec forte è ſcholis Pariſienſibus adhuc exceſſerat. Idque ſatis euincitur ex Ep. 77. ad Innocentium III. *Eccleſiam S. Euurtij Aurelianenſis in conſpectu Angelorum & hominum commendabilem faciunt & meritum Confeſſoris & teſtimonium Ciuitatis. His accedit ſancta conuerſatio fratrum regulariter ibi Deo ſeruientium, qui vitâ ſic emineat inter ſuos, vt famâ excitent alienos. Tempore ſecularium Canonicorum ante 40. iam annos Canonicus ſimul & Cantor eiuſdem Eccleſiæ fui, & mutato ipſius ſtatu in Regularem formam poſtmodum & ipſe Diſcipulus Auguſtini habitum in ea pœnitentis ſuſcepi.* Errant quoque qui aiunt hanc Epiſtolam à Stephano ſcriptam ad Alexandrum III. nam ſi ita eſſet, cum Alexander obierit an. 1182. conſequens eſſet mutationem illam in Eccleſia S. Euurtij factam fuiſſe anno circiter 1140. quod nullibi legitur. Porro eiuſdem Eccleſiæ S. Euurtii Abbas factus eſt an. 1167. eamque rexit ad annum vſque 1177. hinc aſſumptus ad San-Genouefianam Pariſienſem, quam ſimiliter rexit vſque ad an. 1192. quo Tornacenſis Epiſcopus factus eſt. Scripſit Epiſtolarum volumen; ex quibus apparet quantus vir fuerit, quamque terſè & nitidè ſcripſerit. Obiit Tornaci an. 1203.

Stephanus de Vitreio magnæ famæ & litteraturæ vir moleſtè ferens ſe à nonnullis ſuis Diſcipulis derelictum qui ad Claram-Vallem ſe receperant, & Monachalem veſtem induerant, ſe quoque illuc contulit, veſtemque ſibi depoposcit, non deuotione quidem ductus, ſed vt Nouicios ſecum reduceret. Agnouit Bernardus viri animum, dataque illi veſte prædixit non manſurum. Rem ſic narrat Cæſarius l. 1. c. 9. *Legitur* inquit, *in vita dicti Patris Bernardi tempore quodam veniſſe ad Claram-Vallem M. Stephanum de Vitreio virum magnæ ſcientiæ, vt putabatur, gratia conuerſionis, de cuius aduentu cum tota Vallis exultaret, perſonam tanti viri conſiderans, B. Bernardus in hæc verba prorupit, Diabolus eum adduxit, ſolus venit, ſolus reuertetur. Ad hoc enim venerat, vt quoſdam Nouicios quos in litteratura ipſe informauerat, ad ſeculum reduceret. Ne Pater ſcandalizaret puſillanimes, hominem recepit, quem non perſeueraturum ſciebat, vt Nouicius fieret, conſenſit. At Spiritus malignus cum toto illo anno per os ſui mancipii in ore Nouiciorum ſibilaret nec proficeret, quem ad illorum ruinam adduxerat, ſolum ſecundum Prophetiam viri Dei, cum multa confuſione reduxit.*

T

Theobaldus Magnus Campaniæ Comes illiteratus quidẽ, omnium tamen litteratorum liberaliſſimus & magnificentiſſimus Mecenas fuit, liberoſq; ſuos ingenuis artibus imprimis inſtrui & erudiri voluit, atque illis exemplum dedit, quod

poſtea imitati ſunt: maximè verò Henricus Comes & Willielmus Remenſis archiepiſcopus, quorum ſupra meminimus. Huiuſce inſignis Comitis Theobaldi memoriam nunquam patientur interire Muſæ Pariſienſes, quam omnes huiuſce ſeculi Hiſtorici cum admiratione ad nos tranſmiſerunt. A Simone Dunelmenſi ob id maximè laudatur, quia *multorum Cœnobiorum conſtructor fuit, munificus in peregrinos & pauperes, Princeps pacis & Juſticiarum, demum vtiliſſimus in moderanda Repub. totius Regni Franciæ.* Honorificè quoque de eo loquitur Bernardus Clareualenſis l. 2. c. 5. & lib. 4. c. 3. Cæſarius l. 8. c. 31. De eo nos in hiſtoria. Obiit an. 1153. cuius epitaphium retulimus.

Floruit etiam hoc ſeculo *Theobaldus* Normanigena ex Abbate Beccenſi factus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui primus Legum Rom. Doctrinam in Angliam inuexit. Qua de re dicemus infra in Vacario. Thomam primò Clericum ſeu Capellanum, deinde Archidiaconum, poſtremò ſucceſſorem habuit. Litem cum Silueſtro Auguſtinenſium Cantuar. Abbate ſubiectionem profiteri detrectante exercuit: ſed tandem licet ille Eugenio Papæ Abbatiam ſuam tributariam feciſſet, mandato Adriani IV. compulſus eſt ad ſubiectionem, debitamque fecit apud Northamtonam præſente Rege Henrico & Epiſcopis ſubiectionem.

Theodoricus Armoricus, Rhetorices Profeſſor celeberrimus, à quo ſe eius præcepta accepiſſe ait Ioan. Sareſberienſis l. 2. Metal. c. 10. *Rhetoricam*, inquit, *quam prius cum quibuſdam aliis à M. Theoderico tenuiter auditam paululum intelligebam &c.* Eundem vocat l. 1. c. 5. *Artium ſtudioſiſſimum inueſtigatorem. Deinde ſe ad Dialecticam* contulit, creditumque eſt Topica Ariſtotelis contemnere: verum Saresberienſis eum ab hac calumnia vindicat l. 4. c. 24. *M. Theodoricus* inquit, vt memini, *Topica non Ariſtotelis*, ſed *Teccaſſini Progonis irridebat.* Poſtremò ad Theologiam conuolauit, & in ea fuit ſententia circa eſſentiam Dei, vt crederet non eſſe vbique. Contra quem inter alios ſcripſit M. Gualterus de Mauritania: cuius Tractatum in Hiſtoria retulimus.

Terricus Scholarum Magiſter claruit circa an. 1120. eius meminit Abaelardus l. 1. Calamit. Concilio Sueſſionenſi quod contra Abaëlardum conuocatum fuerat, interfuit, & Cononem legatum (ſi Abaëlardo fides eſt) ignarè dicentem in Trinitate *Tres eſſe omnipotentes*, redarguit irridendo & ſubinferendo illud Athanaſii. *Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.* Cumque ab Epiſcopo tanquam reus qui in Maieſtatem loqueretur, reprehenderetur, ſubintulit verba Danielis *ſic fatui filij Israel non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnatis filium Iſraël? Reuertimini ad iudicium & de ipſo Iudice iudicate, qui talem iudicem quaſi ad inſtructionem fidei & correctionem erroris inſtituiſtis: qui cum iudicare deberet, ore ſe proprio condemnauit. Diuina hodiè miſericordia Innocentem patenter, ſicut olim Suſannam à falſis accuſatoribus liberauit.* Sic ille apud Abaelardum.

Fuit & ſub finem Seculi *Terricus* quidam Hæreſiarcha, qui teſte Roberto Antiſſiodorenſi apud Corbiniacum captus & è latebris eductus incenſus eſt.

Teuredus Nationis Anglicanæ, Magiſter quoque fuit Grammatices in Academia Pariſienſi, eiuſque meminit Sareſberienſis l. 1. Metal. c. 14. *Teuredus noſter*, inquit, *Grammaticus ſcientiâ quàm opinione potentior etiam in ſonis elementariis amplioremnumerum conuincebat.*

Thomas Becket, vulgò Cantuarienſis, Gilberti Beket Ciuis Londinenſis & Matildis filius, ad capeſſenda bonarum litterarum ſtudia à Parentibus miſſus eſt Pariſios circa an. 1138. deinde à Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo ad Eccleſiam ſuam, imò & ad res gerendas euocatus eſt, eiuſque induſtria in plurimis vſus eſt. Eum verò primùm ex Clerico Archidiaconum fecit Eccleſiæ Cantuarienſis: deinde poſt compoſita bella quæ inter Stephanum Regem & Henricum Normaniæ Ducem intercedebant, ipſi Henrico Regi tandem inaugurato in Cancellarium dedit. Poſtremo idem poſt mortem Theobaldi vnanimi omnium Epiſcoporum conſenſu delectus eſt in ſucceſſorem an. 1163. De eo ſic ſcribit Ioannes Brompton Abbas Iornalenſis. *Ab ineunte ætate, ſicut referre ſolitus erat, didicit à Matre timorem Domini, & beatam Dei genitricem Virginem Mariam tanquam Ducem viarum ſuarum & vitæ Patronam dulciùs inuocare, & poſt Chriſtum, in illam totam fiduciam iactare. Matre verò defuncta Pater quem incendia crebra attenuabant, ipſum per aliquod tempus* CAVSA STVDII PARISIVS *deſtinauit, qui inde reuerſus, receptus eſt in par-*

tem ſol:citudinis Reipub. Londoniarum. Neque verò ſtuduit duntaxat Pariſiis, ſed & ibidem publicè docuiſſe, & inter alios, Robertum Folioth auditorem habuiſſe ſcribit Balæus. Non poſſum præterire quæ de eo quoque commemorat Geruaſius Dorobernenſis, Author Thomæ ſuppar. *Thomas*, inquit, *Cantuarienſis* Archidiaconus & Regis Henrici Cancellarius in Anglia potentiſſimus, Londinenſis vrbis indigena, parentum mediocrium proles illuſtris, à primis adoleſcentiæ annis gratia multiplici ditatus. Cuius Pater Gilbertus, Mater Matildis vocabatur. Equibus natus & educatus Thomas erat formâ decorus, ſtatura procerus, ingenio perſpicax, dulcis & iocundus eloquio, venuſtate morum pro ætate amabilis, tantoque rationis vigebat acumine, vt prudenter inauditas & difficiles ſolueret Quæſtiones, adeoque felici gaudebat memoria, vt quod ſemel in ſententiis aut verbis dicebat, quotiens volebat, poſſet ſine difficultate proferre. Ab ineunte ætate, ſicut referre ſolitus erat, didicit timorem Dei, & B. Virginem in omni negotio deuotius inuocare, publicè mendicantibus pleno compatiebatur affectu & ſubueniebat effectu. Liberalium verò diſciplinarum ſcholas egrediens, ad Curiarum ſe tranſtulit occupationes, & ſic commilitones & coætaneos anteceſſit: & cum vigerent in eo fidei zelus & magnificentia, erat tamen ſupra modum captator auræ popularis. Attamen admirandus & imitandus erat in corporis caſtitate. Deinde ducatu gratiæ contulit ſe ad Archiepiſcopum Theobaldum & promerente induſtria familiaris eius affectus eſt. Hæc & plura Geruaſius. Quod autem ſpeciali cultu B. Virginem veneratus ſit, viciſſimque illa pro deuoto eum famulo habuerit, exemplo demonſtrat Cæſarius Heiſterbacxinſis l. 7. c. 4. *Retulit*, inquit, *quidam* mihi Abbas de Ordine noſtro de S. Thoma Cantuarienſi, qui noſtris temporibus martyrizatus eſt, quiddam ſatis delectabile, quod nec in eius paſſione legitur, nec in libris miraculorum eius reperitur. Cum eſſet in eius diœceſi ſacerdos quidam idiota nullam ſciens Miſſam niſi de Domina S. Maria, & illam quotidie celebraret, atque apud eum de hoc accuſaretur, prohibitus eſt ob honorem ſacramenti à B. Epiſcopo de cætero dicere Miſſas; qui cum eſſet in tribulatione & egeret, beatamque Virginem Mariam iugiter inuocaret, illa apparens ei ait, *Vade ad Epiſcopum & dic ei ex parte mea quatenus reſtituat tibi Officium tuum.* Reſpondit Sacerdos, *Domina ego pauper ſum & perſona deſpecta, non me audiet, neque mihi patebit acceſſus ad eum.* B. Virgo Maria ſubiunxit: Vade & Ego tibi viam præparabo. Et ille, Domina! non credet verbis meis. Reſpondit ei: Dices ei pro ſigno, quod cum tali hora & in tali loco Cilicium ſuum diſſutum reſarciret, Ego illud ex parte vna tenebam adiuuans eum, ſtatimque credet tibi. Mane ſacerdos ſine impedimento intrans ad Epiſcopum B. Dei Genitricis Mariæ referens Nuncium, cum ille diceret, vnde credam te ab ea miſſum? prædictum ſignum de Cilicio ſubiunxit. Quo audito B. Pontifex ſtupens ſimul ac pauens reſpondit? *Ecce reddo tibi officium tuum & Præcipio tibi vt tantum Miſſam de D. S. Maria cantes ac frequenter ores pro me.* Cæterum Eccleſiaſticarum libertatum quàm ſtrenuus aſſertor fuerit, ex hiſtoria ſatis intelligitur. De eo omnes Hiſtorici Anglicani fusè ſcripſerunt, imprimis M. Herebertus paſſionum eius ſocius, inquit Geruaſius, willelmus Cantuarienſis Monachus qui eius miracula præſertim complexus eſt, **Alanus prior Cantuar. qui volumen Epiſtolarum collegit.** Miracula quoque quæ vidit, ea conſcripſit Benedictus cum vita ipſius, quam breuiter dictauit Ioannes Sareſberienſis Epiſcopus Carnotenſis, Geruaſius Dorobernenſis & alij. Occiſus eſt ab impiis carnificibus anno 1171. ætatis 53.

Thomas de S. Audomaro ſtudebat quoque Lutetiæ circa an. 1135. ad quem, cum ſe ad Ciſtercienſem Ordinem collaturum promiſiſſet, nec votum exſolueret ſtudiorum amore captus, Bernardus Clare-vallenſis ſcripſit admonens quid contigiſſet Thomæ Præpoſito de Beuerla, qui emiſſo ſimili voto moram trahens tandem ſubitâ morte præuentus fuerat. Arguit quoque eundem, quod nimis addictus eſſet ſecularium litterarum lectioni, nec de voto ſuo cogitaret. *Haccine eſt illa morum pulcherrima compoſitio qua informari te ſcribis ſcientia huius apprehenſione, cuius ſtudio & amore ſic ferues, vt non verearis ſancto Propoſito preiudicium facere? Sed queſo te quod memoriale virtutis, quæ laus diſciplinæ, quis ſcientiæ profectus vel artis fructus trepidare timore vbi non eſt timor, & timorem Domini relinquere? Quàm ſalubrius diſceres Ieſum & hunc Crucifixum? quam vtique ſcientiam haud facile niſi qui mundo*

crucifixus erit, apprehendit. Falleris fili, falleris, ſi te putas inuenire apud Mundi Magiſtros quam ſoli Chriſti Diſcipuli, id. Mundi contemptores Dei munere aſſequuntur. Nec enim hanc lectio docet, ſed vnctio; non littera, ſed ſpiritus; non eruditio, ſed exercitatio in mandatis Domini.

Thomas à S. Victore ciuſdem Domus Prior, de quo multa diximus in Hiſtoria 13. Kal. Sept. an. 1131. vel vt Ioan. Picartus putat an. 1130. à nepotibus Theobaldi Archidiaconi Pariſienſis impiè necatus eſt. Cuius corpus cum in Clauſtro tumulatum fuiſſet, Innocentius II. paulò poſt Lutetiam ingreſſus illud honoratiore loco ſepeliri mandauit 7. id. Martias. Ad quam diem recitatur rei geſtæ ſumma in hunc modum. *Commemoratio D. Thomæ Prioris huius Eccleſiæ, quando Corpus eius præcepto D. Papæ Innocentij de Clauſtro tranſlatum & in Eccleſia ſepultum eſt.* Epitaphium eius tumulo tale inſcriptum eſt.

Hîc iacet egregius Thomas Prior, & poſt ſanguine tinctus,
Thomas vir ſobrius, æquitatis tramite cinctus.
In pietate Pater, in iudicio bene rectus
Nec fuit hic Pater donorum turbine flexus.
Martyrium ſitiens înopum damnis miſeratus,
Nec fraudes patiens Curarum Presbyteratus,
Iuſtitiæ Zelo dum militat, enſe feritur.
Spiritus in cælo, corpus terrâ ſepelitur.
Hunc piè deplorat Stephanus tunc Pariſienſis:
Hunc ſcriptis decorat Bernardus Clareualenſis.
Summi Pontificis iuſſu locus hunc capit iſte.
Cœtibus Angelicis nos Thomæ iungito Chriſte.

Legitur in quodam libello MS. & iſtud quoque.

Eſt lux æterna Thomæ collata Priori
Qui meruit Martyr iuris amore mori.
Nouit Bernardus Dux Clareuallis idipſum,
Qui cauſam ſcribit Martyriique modum.
Conſignata breui clauduntur membra ſepulchro,
Vix tamen acta viri claudit vterque polus.

V

Vacarius Angligena primus Doctrinam Legum in Angliam intulit & Oxoniæ inſtituit circa an. 1150. quo tempore inter Theobaldum Cantuarienſem & Henricũ Wintonienſem diſſidium intercedebat, ad cuius expoſitionem & compoſitionem opus fuit Iureconſulto. Cauſa diſſidii talis fuit, referente Geruaſio in Theobaldo. *Erat in diebus illis Apoſtolicæ ſedis Legatus Henricus Wintonienſis Epiſcopus qui erat frater Regis* Stephani. *Hic cum de iure Legati, licet priuilegium ſuum pluſquam deceret extenderet in immenſum, ſuumque Archiepiſcopum & Epiſcopos Angliæ vt ſibi occurrerent, quolibet euocaret, indignatus Theobaldus & Thomæ Clerici Lundonienſis induſtria fretus egit apud Cæleſtinum Papam qui Innocentio ſucceſſit, vt amoto Henrico Theobaldus in Anglia legatione fungeretur. Oriuntur hinc inde diſcordiæ graues, lites & appellationes antea inauditæ. Tunc leges & Cauſidici in Angliã primò vocati ſunt, quorum primus erat M. Vacarius. Hic in Oxenefordia legem docuit, vt apud Romam M. Gratianus & Alexander qui & Rodlandus in proximo Papa futurus Canones compilauit.* Venit in partem diſſidii Stephanus Rex Angliæ Henrici cauſæ fauens, legeſque Romanas & Canones exulare iuſſit, ſimulque Vacario ſilentium indixit: qua de re Saresberienſis l. 8. c. 22. *Alios vidi qui libros legis deputant igni, nec ſcindere verentur, ſi in manus eorum Iura peruenirent aut Canones. Tempore Regis Stephani à Regno iuſſæ ſunt exulare Leges Rom. quas in Britanniam Domus Venerabilis Patris Theobaldi Britanniarum Primatis adſciuerat. Ne quis etiam libros retineret, edicto Regio prohibitum eſt, & Vacario noſtro indictum ſilentium: ſed Deo faciente eo magis virtus legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare.*

Vinifridus Boni Ioannis Saresberiensis amicus, vt ipse testatur Epistola 200. *Non est, amice, quod possim de statu mei qualitate causari: quia omnia hominis machinamenta miseratio Dei mihi cooperatur in bonum.*

Vlgerius è paupere Scholastico Magister celeberrimus, è scholis Parisiensibus euocatus est ad Andegauensis scholæ regimen à Rainaldo Episcopo, cui etiam in Episcopatu successit. Itaque error irrepsit in quandam ipsius Epistolam, quâ scribit Hilario amico se à *D. Vlgerio* ad Magisterium scholarum scholarum B. Mauricii fuisse euocatum: scribendum enim à *D. Rainaldo*: nam Rainaldus, vt legitur in Chronico Andegauensi, ordinatus est Episcopus pridiè idus Ian. an. 1102. & anno 1124. Archiepiscopus Remensis electus est; Vlgerius verò qui tum erat scholarum Magister & Archidiaconus Transligerensis ei suffectus est. 12. kal. Oct. an. 1125. ex eodem Chronico, & obiit 16. Kal. Nouemb. an. 1148. Epist. illam ad Hilarium retulimus in Historia ad an. 1147. pag. 216. Huiusce clarissimi viri meminit Ordericus Vitalis, & Saresberiensis lib. 2. Metal. c. 20. vbi de natura Vniuersalium Logicorum. *Siquidem, vt ait Vlgerius venerabilis Andegauorum Episcopus,* in venalitio disciplinarum gratiosum ad inuicem debet esse verbi commercium: *Nam in Philosophantium foro exuberat bonitas, & verba distrahuntur ad gratiam.* Ad portam Claustralem S. Mauricii Andegauensis cernitur Cœnotaphium & Vlgerii imago cum hac epigraphe.



Hic iacet Vlgerius teneris consuetus ab annis
Linguâ, mente, manu fructificare Deo.
Huius opus multis prodesse, monere, docere,
Flentem solari, nudam vestire, superbum
Frangere, nec quemquam ledere, recta sequi.

Vldricus natione Italus tam moribus & genere insignis, quàm doctrinâ iacet in claustro San-Victorino prope Obizonem in latere Refectorii, vbi sepultus est anno 1163. cum hoc epitaphio, quod etiamnum legitur ibi in ærea lamina parieti affixa.

Quid genus aut quid honor, quid opes, quid forma, quid ætas?
Somnia vana, vapor est breuis, vmbra fugax.
Id probat Vldricus Italorum nobile germen,
Indole transcendens nobiliore genus.
Ossa recepit humus, animam Deus intulit Astris
Millenos annos centumque Redemptor agebat
Septenæ Decadis tertius annus erit.

Vlricus de Lucri Theologus, sed doctrina abutens vnus ex iis fuit qui Albigensium hæresim & dogmata Parisiis & alibi occultè docuit: de quo sic Cæsarius l. 5. c. 22. vbi enumerat plurimos eiusdem sectæ. *Vlricus sacerdos de Lucri, qui Sexagenarius studuerat in Theologia tempore multo.*

Vulgrinus vir, vt legitur in Patriarchio Bituricensi, nobilis, doctus, facundus, consilio prouidus & omni virtutum decore ornatus ad Patriarchatum Bituricensem euectus an. 1120. sedit annos 15. menses 8. dies 16. iacetque Bituricensi in Ecclesia. Tertio sui Patriarchatus anno Sugerium in Abbatem San-Dionysianum præsente Ludouico Grosso consecrauit. Contra Girardum Engolismensem Petri-Leonis seu Anacleti Antipapæ Legatum pro Innocentio II. fortiter pugnauit, eumque à Pontifice excommunicatum denuo excommunicauit. Leguntur quædam eius Epistolæ in Patriarchio Bituricensi c. 63. ex quibus quantæ facundiæ vir fuerit, liquet. Ei successit M. Albericus Remensis, vt diximus ad an. 1136.

INDEX

RERVM ET VERBORVM

Quæ in hoc Volumine continentur.

A

Baelardus Nannetenſis. Vide infra Petrus Abaelardus.

Abbatis nomen vnde? ſignificatio. 39. 40

Abbo Floriacenſis Abbas Epiſcopalis iugi depulſor. 701. 702

Abſalon. Vide in Catalogo Illuſtrium Academicorum.

Achardus Abbas S. Victoris Pariſienſis fit Epiſcopus Abrincenſis, eius mores & ſcripta. 300. Vide in Catal.

Adam San-Dionyſianus Abbas à calumnia Abaelardi vindicatur. 55

Adam Angligena Philoſophus. Vide in Catal. & alios eius nominis.

Adriani IV. origo, promotio, diſſidium ab Imp. Friderico. 173. Hugoni de Campo-Florido multa Beneficia Eccleſiaſtica impendit 263. obit 287. de eo iudicium Ioannis Sareſberienſis. 282. Vide in Catal.

Ægidius Clemens Archiminiſter Regni exulat. 451

Ægidius Corbolienſis. Vide in Catal.

Ægidius Pariſienſis in Catal. eius poëma Carolinum dictum, eiuſdem Catalogus Magiſtrorum Pariſinorum. 516 527

Ægidius Tuſculanus Cardinalis obſtinatus in tuendo ſchiſmate. 154

Alanus de Inſulis, quo puero Theodoricus de Alſatia Flandriam occupauit. 107. eius Sermones ſeu Sacræ Conciones in ſcholis. 374. Alani duo. 432. Diſſertatio de Alano Magno Inſulenſi 432. 433. & ſeq. eiuſdem conuerſio ad Ciſtercienſes. 436. 437. Romæ agnitus. 437 diſputat contra Albigenſes ibid. Scribit de tranſſubſtantiatione. 438. & contra Valdenſes hæreticos 435. Vide plura in Catal.

Alanus de Ripatorio fit Epiſcopus Antiſſiodorenſis. 58. redit ad Clare-vallenſes, vbi moritur; eius Epitaphium ibid.

Albericus Bellouacenſis, in Catal.

Albericus Laudunenſis, in Catal.

Albericus Oſtienſis Legatus Concilium Londini habet, & ibi de licentia docendi. 155

Albericus Remenſis contra Abaelardum 41. 66. eligitur ad Epiſcopatum Catalaunenſem. 104. ad Bitur. cenſem promouetur. 141. reprehenditur, quod aſſeruerit Chriſtum non timuiſſe mortem. 75. Vide plura in Catal.

Albigenſes. Albigenſium hæreſis quæ? 415. Concilium Albigenſe contra illam. 415. 416 Dogmata. 417. Damnata. 418. & in Concilio Lateranenſi. 428

Alchorani verſio ex Arabico in Latinum 112.

Alexander Papa III. 283

Alexandri mores & peritia. 291. 447. ad Academiam Bononienſem & Pariſ. dat litteras de promotione ſua 284. ab Anglia & Gallia ſuſcipitur 288. in Galliam venit 298. pro eius cauſa Conuentus celebratur ad Pontem Araris. 306. & ſeq. Pariſiis excipitur. 311 conſecrat Baſilicam S. Germani Pratenſis. 311. Concilium habet Turonis. 315. & ſeq Romam redit & benignè recipitur. 335 Legatos mittit de pace inter Henricum Regem Anglorum & Thomam Cantuarienſem 361. Doctrinam Petri Lombardi improbat 403. Concilium Lateranenſe habet. 427. Moritur. 447. Vide in Catal.

Alexander Nexam Magiſter Vniuerſit. Pariſ. vult Monachus fieri apud S. Albanum, quomodo repulſus 427. Vide in Catal.

Algerus Theologus de Sacramento Altaris. 30. 31.

Algrinus Franciæ & Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarius. 93

Alienor ſeu Eleonor vxor Ludouici VII. repudiata nubit Henrico II. Anglorum Regi 260.

Alimentarij pueri ſeu Burſarij. 442

Alteratio & Alteritas in myſterio Euchariſtiæ quid differunt. 438

Index Rerum & Verborum.

Ambroſij Merlini Vaticinatio de Regibus Anglis. 49
Andegauenſis Scholæ celebritas. 215
Angli plurimi litterati. 299
Anglicanæ leges ab Henrico II. latæ cauſæ turbarum. 330. 331. 332. Anglicanarum turbarum origo. 323. 324
Animæ Chriſti ſcientia. 64
Anſelli Cantoris Hieroſolymitani munus ligni S. Crucis. 13
Anſelmus Laudunenſis Magiſter in Theologia celeberrimus. 9. Reſiſtit electioni Vvaldrici in Epiſcopum Laudunenſem 35. Occiſum ſepulturæ mandat ibid.
Anſelmi laudes 36. 37. 40. ab Abaelardo contemnitur 40 moritur 46. 47.
De 3 Anſelmis Laudunenſibus, ibidem.
Anſelmi Vvigornienſis Monachi Vaticinatio de fine mundi ad Scholas publicas miſſa. 459.
Appellationis ad Curiam Rom. remedium legitimum. 693
Appellationes inordinatæ & illegitimæ. 691
Aquæ iudicium ad explorandam veritatem. 46.
Aqua in Calice, an in ſanguinem Chriſti conuertatur. Quæſtio celebris in Scholis Pariſ. agitata. 487
Archidiaconorum lites cum Epiſcopis frequentes. 133. 134
Argentolienſe Cœnobium Puellarum ad San Dionyſianos redit. 103
Arithmeticæ laudes. 64
Ariſtotelis laus 565
Arnoldus Brixienſis Diſcipulus Abaelardi inclareſcere incipit 05 quæ cauſa odii in eum concepti ibid. Vita Arnoldi & mores 136 & ſeq condemnatio, fuga, doctrina ibid. turbat Romanos. 207. capitur & morte afficitur. 273. 274
Arnoldus hæreticus Valdenſis. 293 294
Arnoldus Carnotenſis, in Catal.
Arnulphus Epiſcopus Sueſſionenſis vir doctus & pius inter Sanctos refertur. 62
Arnulphus Lexouienſis pro Innocentio II. Sermonem habet in Concilio Turonenſi. 316. Congratulatur Cœleſtino promotionem ad Pontificatum. 213 Thomæ Cantuarienſi patrocinatur. ad San-Victorinos ſe confert 446. accuſatur malæ adminiſtrationis. 447. Orator eximius, Poeta elegans. Vide Catal.
Artes liberales florent 12. Chriſti ſeculo. 556. 557 Idea culturæ Artium Liberalium ibidem. Praua methodus docendarum Artium.
Arturus iunior Britonum Dux Cliens Philippi Aug. 149
Aſtralabius Abaelardi & Heloiſſæ filius. 211.
Aſſaſſini ad fidem conuerſi per noſtrates. 258.
Aula Regia in vertice montis San-Genouefiani 483 Eius deſcriptio. ibid. 484
Aurelianenſis Scholæ & Studij forma. 28. & 29.
Authentica Habita in gratiam Studioſorum edita. 277. explicatur ibid.

B

BAccalarii Gradus Antiquitas. 679
Baccalarii milites qui dicebantur. 680. & vnde dicti. 16
Baccalarii iuuenes ibid. Baccalarii in omni Artium genere. 630.
De Baptiſmo paruulorum ab Hæreticis collato. 74. Quæſtio Scholaſtica De baptiſmo 77. De eius forma. 412
Bartholomæus Epiſcopus Laudunenſis Eccleſiæ reparator. Obit. eius Epitaphiū. 259
Bellum ciuile Anglicanum vnde ortum inter filios & Patrem 399 conficitur. 400. 401.
Benedictus adoleſcens Pontis Auenionenſis extructor. 419 420
Beneficiorum Eccleſiaſticorum ambitio inordinata 693 Ambitores lepidè flustrati. 693 694. ambitionis ſpecioſi prætextus. 694. Beneficiorum pluralitas conceſſa à Pontificibus Rom. 68. 269. 695. vetita. 415. 496. damnabilis 695 Reſeruationum antiquitas 696. Vacationes Beneficiorum ambitæ & per anticipationem conceſſæ. 696 Contra reſeruationes & vacationes anticipatas 28 Canon de Beneficiis omnibus & ſingulis Clericis applicandis. 445. non obſeruatus nec obſeruabilis ibid.
Berengarius Pictauienſis Petri Abaelardi diſcipulus: eius apologia pro Magiſtro 182. reprehenditur ob ſatyram in Bernardum Clare-vallenſem ſcriptam. 194. Excuſatur ibid. Vide Catal.
Bernardus Ciſtercienſem habitum ſumit. 41. Abaelardum inſectatur 107 damnari curat 162. & ſeq. ſcribit in Cantica Canticorum & plagii arguitur. 189. & ſeq. Papam cum Rege Ludouico conciliare conatur 205 Obit 263. Sanctis adſcribitur. 334 Vide Catal.
Bernardus Piſanus ſit Papa & Eugenii III. nomen aſſumit. 217
Bernardus Carnotenſis inſignis Grammaticus reparator bonarum artium. 144. & ſeq. Vide plura in Catal
Bethleem Scholaris Hungarus obit apud S. Genouefam. 479
Bieuerius fluuiolus è Monte San-Genouefiano defluens, per aliam viam deflectitur. 482.
Pſeudo-Boëtius in lib. de Diſciplina Scholarium multa habet ad Hiſtoiram Vniuerſitatis Pariſienſis pertinentia. 676.
Bononienſis Academia olim ſubdita legibus communibus. 92. Celebris vtriuſque Iuris profeſſione. 134 Quale ſacramentum exigebat à Profeſſoribus. 543. De eiuſdem Rectore. 476
Brabantiones incendiarii. 401. 402. damnantur in Concilio Lateranenſi. 428
Burſarii ſeu alimentarii pueri. 442

Index Rerum & Verborum.

C

CAlixtus Papa II. omnibus acceptiſſimus. 57.
Campellorum locus muris cingitur. 454
Cancellarii poteſtas & munus in licentiis docendi impertiendis. 155. veratur ob id mercedem exigere ib. lis ob id exorta Pariſiis 128. & ſeq.
Quod ſit regimen Cancellarii in Vniuerſitate Pariſienſi 665. & ſeq. Cancellarius S. Genouefæ olim ſecularis 248
Canonici Regulares in Eccleſia Sagienſi collocantur 118. expelluntur. 120
Canonici iuris ſchola celebris quando Pariſiis. 580
Canonicorum Sam-martinianorum cum Genouefianis antiqua ſocietas. 219
Canonici ſeculares San-Genouefiani tumultum excitant præſente Eugenio Papa & Ludouico Rege. 211
Expelluntur 28. & ſeq. Theſaurum Eccleſiæ furantur. 245
San-Victorini Regulares ſuccedunt ſecularibus 229. 230
Canonizationis antiquæ modus & ritus. 63.
Cantabrigienſis Vniuerſitas inſtaurata. 27
diſciplina ſtudii Cantabrig. 28
Capitale Pariſienſis ſtudii quale 661. & ſeq.
Capuciorum ſecta. 461
Capella Regia antiqua S. Bartholomæi 287.
Cardinalium Ro. querela de Eccleſia Gall. quod ſe ſpretis profeſſionis fidei conderet 238.
Carlo-Magnalia inſtituta Coloniæ 342. 343.
quando in Francia. 444 Lectiones feſtiuitatis Carolini 445. Carolus M. Nationis Germanicæ Patronus 445. 446. Magnorum quoque Nunciorum Patronus 446. feſtum Caroli reſtitutum. 447.
Carmelitarum origo. 447
Cartuſianorum prædicatio, vitæ auſteritas 117. laus 409. 410. 700. primi adhærent Alexandro III. Papæ 298. Cartuſiani illiterati exemplum memorabile. 410
S. Catharinæ ludi ſcholares in Schola San-Albanenſi exhibiti. 225
Quæſtio an Caro Chriſti fuerit ſubiecta Originali peccato. 603
De Chriſti timore 76. Quæſtio celebris in ſcholis, an Chriſtus reuera timuerit mortem. 75
Corpus Chriſti apparet in hoſtia 448. Crux Chriſti ex quibus lignis compacta. 33. 34.
Ciſtercienſis Ordinis laus 140. degenerat ab inſtituto. 698. 699
Clementis Papæ III. electio & promotio. 472.
Clerici nomen quid ſignificet 498. & ſeq.
Clericus pro ſcholari accipitur 499. 500.
De Clericali & Monachali ſtatu diſſertatio. 80.
Clericis ſtipendia ab Epiſcopis data 445.
Cluniacenſe diſſidium ab Honorio II. compeſcitur. 100
Cluniacenſis Victoria. 101
Petri Cluniacenſis Abbatis laudes. 101
Cœleſtinus II Abaëlardi Diſcipulus. Eius laudes 212. Vide in Catal.
Cœleſtinus III. grandæuus, 286
Collegium pauperum Scholarium S. Thomæ de Lupara 463. de Collegio illo diſſertatio ibid. & ſeq.
De feſto Conceptionis B. Virginis. 136
Concilium Papienſe contra Alexandrum. 286.
Concilium Pariſienſe ſub Eugenio in quo examinatur Doctrina Gilberti Porretani. 213.
Concilium Remenſe ſub eodem. Vbi eadem Doctrina excutitur: Eon hæreſiarcha damnatur, Henricus Toloſanus hæreticus anathematizatur 232. & ſeq.
Concilium Remenſe ſub Calixto, in quo Presbyteri vxorati & ſimoniaci damnantur. 58
Concilium Turonenſe ab Alexandro III. habitum. 316. & ſeq.
Concilium Lateranenſe ab eodem Alexandro habitum. 427
Conradus Archiepiſcop. Moguntinus, in Catal.
Conradi Imp. prudentia 214. eius Epitaphium 263.
Contritionis admirabile exemplum in ſcholari. 542
Cornificij doctrina & mores, 145
Cornificianorum argumenta contra eloquentiam 145
Cruce-ſignantur Reges ad expeditionem Hieroſolymitanam 486
Curia Romana ſobria & muneribus abſtinens. 644. Corrupta. 690
Cyrilli Carmelitæ Prophetia. 525

D

DAcicum Collegium in vico San-Genouefiano. 575. 586
Daniel Merlacus in Catal.
Danielis de Sconauia item in Catal.
Decimæ Saladinæ 473. exemptio à decimis 474. contra Decimarum exactionem 473.
Decretalium compilatio. 255
Decretorum facultas 576 quando Lutetiæ inſtituta 580. quare dicitur vltima fuiſſe in Vniuerſitate inſtituta. 581
Declinatio veſpertina. 675
Dei ſapientia 597. ſcientia, præſcientia 585 prædeſtinatio. 591
Dialecticæ vtilitas & contra eius impugnatores 78. quid Dialectica differat à ſophiſtica ibid. quare Dialecticus diſcit Sophiſticen ibid.
Dialecticæ ſubtilitates vanæ 147. debet adiuuari à cæteris diſciplinis. 149
Dialecticæ encomium, 594
De Dionyſio Athenienſi & Corinthio quæ-

ſtio. 85.
San-Dionyſiana Eccleſia à Sugerio decorata 203
Author lib. de Diſciplina Scholarium quis? 675.
Diſputationes meridianæ. 672
Doctor quid differat à Magiſtro 681. quipropriè dicuntur Doctores. 682
Dolenſis Archiepiſcopatus non recipitur à Francis. 451. lis de ea re inter Dolenſem & Turonenſem Præſules ibid. & ſeq.

E

Ecclesia Gallicana Capitula fidei edit abſque conſcientia Curiæ Rom. 236. 237.
Eccleſia Gallicana Pontificum Rom. Protectrix 291. 297. Laus eiuſdem Eccleſiæ ibidem.
Eccleſiæ Ro. corruptio in moribus & diſciplina. 491
Eccleſia Pariſienſis laudatur à doctrina 248. Eiuſdem forum. 498
Eccleſiaſticorum mores in 12. Chriſti ſeculo 690.
Eccleſiaſtici auari & exactores 691. quomodo vitia ſua obuelent. 692
Edmundus Puer à Iudæis occiditur. 446
Eloquentiæ idea in 4 Vniuerſitatis ſeculo 557. 558. laus eloquentiæ 6 Eloquentia Lexouienſis. Vide infra Lexouienſis eloquentia.
Engelbertus in Catal.
Epiſcopi Pariſienſis iudicium de rebus Academicis 130 diſſidium cum Rectore Vniuerſitatis ob Algrinum Cancellarium ibidem.
Epiſcoporum Procuratio quid ſit 701. iuriſdictio in Monachos ibid. & ſeq
Epiſcoporum depoſitorum & reſtitutorum varia exempla. 265
Ernaldus Bleſenſis in Catalogo.
Ernaldus Abbas Bone-vallenſis, vir eloquens 261. vide Arnoldus.
Erniſius Abbas S. Victoris eiicitur 291. & ſeq.
De eſſentia Dei quæſtio, an ſit vbique: opinio M. Theodorici à Cualtero de Mauritania refutata. 73
Eudo hæreticus Aremoricus 241. damnatur in Concilio Remenſi ibid & ſeq.
Euchariſtiæ myſterium miraculis comprobatum 448.
Eugenius III. expellitur ab Arnoldiſtis Romanis & excipitur in Francia 217. in Baſilica S. Genouefæ Pariſienſis percurritur à ſeruis Canonicorum ſecularium 222. Concilium habet Pariſiis contra Gilbertum Porretanum 213 deinde Remis 232, abſtinentiſſimus eſt ab omni munere 691. eius Epitaphium
Exámen ſeu probatio ſcholarium Vniuerſitatis ad Magiſterium tendentium. 675
Examen extraneorum quale? ibid.
Exemptiones Monachorum. 701
Exequiis Magiſtrorum & ſcholarium quinam intereſſe debebant. 673
Expeditio Hieroſolymitana. 18

F

Quadruplex Facultas ſcientiarum. 581
Facultas Artium 556. eius partes variæ. 557 & ſeq. prauâ methodo docetur. 566. & ſeq. in Philoſophia. Eiuſque partibus 564. & ſeq.
Facultas Medicinæ quando inſtituta 572. & ſeq.
Facultas Decretorum & Iuris Ciuilis 576. & ſeq.
Facultas Theologiæ 582.
Quatuor Facultatum ordo & tempus inſtitutionis. 581
Fames inaudita in Francia 509. & ſeq.
Flos aureus quid ſit 510. Floris aurei munus ab Alexandro III. Regi Franciæ offertur ibid.
Fœminarum factum mirabile ob amorem maritorum. 207
Font-ebraldenſis ordo inſtituitur à M. Roberto Arbriſcellenſi eiuſdem confirmatio à Paſchale Pontifice. 7
Forum Epiſcopale Pariſiis. 498
Francorum ſtrages in Sicilia. 358
Quid per Franciam intelligi debeat cum de ſcholis agitur. 99
Fridericus Imperator 273. diſſidet à Papa. 274. 475. pacem init cum Alexand. Papa 420. obit 479. eius virtutes & dotes ibidem.
Frigidi-Montis fundatio. 103
Fulbertus Canonicus Pariſienſis 42. auunculus Heloiſſæ 42 & ſeq.
Fulgerius Carnotenſis ſcriptor belli Hieroſolymitani 1. vide in Catal.
Fulco Poeta in Catal.
Fulco Prior Diogillenſis conſolatur Abaelardum. 50. 51
Fulco Epiſ. Pariſienſis conſecratur Romæ 8.
Fulco Neulliacus Parochus concionatur 590 & ſeq. in Catal.
Fulconiſtæ quidam enumerantur ib. fructus & conuerſiones per Fulconem eiuſque ſocios. 507
Fulco Magiſter ſcholarum Aurelianenſium, in Catal.

G

Galo Epiſcopus Beluacenſis cõmendatur Paſchali Papæ ab Iuone Carnotenſi 3. fit Epiſcopus Pariſienſis, experitur à Canonicis 516 diſſidet à Monachis San-Dionyſianis ſed cauſam obtinet apud Paſchalem 17. Sugerius contra Galonem 18. non eſt author Conſtitutionum ſynodalium quæ ei tribuuntur. 15. 27

Galo Magiſter Pariſienſis & poëta inſignis 105. fit Rector Vniuerſitatis. Diſſidet à Stephano Epiſcopo Pariſ. 128
Gaufridus Antiſſiodorenſis contra Abaelardum 199 200 &in Catal.
Gaufridus Britonum Dux ægrotat Pariſiis & obit. 461
Gaufridus Carnotenſis pro Abaelardo. 67. Legatus Innocentii II. in Aquitania. 112. obit. 151. Vide in Catal.
Gaufridus de Gorrham Cenomanenſis, Magiſter ſcholæ San-Albanenſis 225. in Catal.
Gaufridus Lincolnienſis Epiſcopus, in Catal.
Gaufridus de Oratorio Diuini Verbi Præco egregius 111. in Catal.
Gaufridus de Vino-ſaluo 548. in Catal.
Gaufridus Prior Voſienſis. 449
S. Genouefæ feſtum de miraculis Ardentium 114.
San. Genouefiani Montis arbores. 487
San-Genouefianus tumultus. 221
San-Genouefiani Canonici expelluntur. 208. San-Victorini Canonici in S. Genouefa collocantur. 229 230
San-Genouefiani excutiunt iugum Epiſcopale 493 & ſeq. San-Genouefianorum priuilegia ibid. iis San-Genouefianorum cum Epiſcopo Pariſ. 5[illegible]. & ſeq.
San-Genouefianus Cancellarius olim ſecularis. 248
Geometriæ laus. 565
Gerardus Puella, ſeu Girardus inſignis Magiſter Pariſienſis, in Catalago Vir. Ill. Reprehenditur quod latã à Thoma Cantuarienſi excommunicationem ſpreuerit 342. Alexander III. ei Beneficijs frui indulget dum Scholam habebit 370. fit Epiſcopus Conuentrenſis. 454
Gerardus Eugoliſm. vir eloquens 32. à Paſchale mittitur ad Imperatorem ibid. legatus Anacleti Pſeudo Papæ 112. eius mores ibidem.
Gerebertus, in Catal.
San-Germano-Pratenſis Eccleſia ab Alexandro III. conſecratur. 211
Diſſertatio de hac conſecratione. 214
San-Germano-Pratenſium exemptio à iuriſdictione Epiſcopali. 535. & ſeq.
Geruaſius Ciſtercienſis in Catal.
Gilbertus Vniuerſalis Magiſter Pariſ. Canonicus Antiſſiodorenſis & Epiſcopus Londinenſis 102. eius laudes & dotes ibid & in Catal
Gilbertus Anſelmi Laudunenſis Diſcipulus in Catal.
Gilbertus Porretanus in Catal. fit Epiſcopus Pictauienſis 104. accuſatur in Concilio Pariſienſi 223 & in Remenſi 239. Capitula Eccleſiæ Gall. Gilberti Capitulis oppoſita. 236. obit. 271.
Gilbertus Folioth Epiſcopus Londinenſis admonetur ab Alexandro vt cauſam Eccleſiæ defendat in negotio Thomæ Cantuarienſis 356. Regem Henricum excuſat 357. excommunicatur à Thoma 359. appellat Pontificem, ibid excuſatur & laudatur ab Arnulpho Lexouienſi. 360
Gilduinus Abbas Sancti Victoris eligitur 37.
Godefridus Rex Hieroſolymitanus obit. 57.
Goſlenus Epiſcopus Carnotenſis 153
Goſvvinus Belga ad Philoſophos Pariſienſes ſe confert, & congreditur cum Abaelardo. 10. 11.
Goffridus Croilandiæ Abbas. Vide Ioffridus.
Goffridus Viterbienſis iura Papalia aſſerit 468. 469.
Graduum Academicorum inſtitutio 355. & ſeq.
Gradus antiquiores. 674
Gradus tres Athenis & alibi paſſim 674. apud Sinas ibidem & ſeq. Pariſiis Determinatio. Exercitatio & Magiſterium 677. Exercitationis ſeu Licentiæ circunſtantiæ ibidem & 678. Gradus Iuſtinianæi 355. & 679
Gradus recentiores. Baccalarii 679. & ſeq. Licentiæ 681. Magiſterii ſeu Doctoratus 678 & 681. alia graduum ratio 681. 682. quando in Artibus ſurpari cœperunt 682 quando in cæteris Facultatibus ſeparatim 683. & 684. differentia inter Licentiæ & Magiſterii Gradus. 684
Grandimontenſium Ordo ſanctus. 700
Gregorii VIII. de ſubſidio Terræ ſanctæ legatio. 470. 471.
Gualterus de Mauritania contra Tractatum Abaelardi de Trinitate 69. Rhetoricam docet 77. mentem explicat de Incarnatione 101. vide in Catal.
Gualterus de Caluo-monte, in Catal.
Gualterus de Conſtantiis, in Catal. & pag. 453. 457.
Gualterus de S. Victore contra Abaelardum 200. eiuſdem Idea de Pſeudo-Scholaſticis Theologis 69 & ſeq. ſcribit contra Scholaſticos. 40. 403. vide Catal.
Gualterus Grammaticus Neapolitanus. 348. obit. ibidem.
Gualterus Epiſcopus Panormitanus. 347
Guarinus Cantabrigienſis pro fratre Matthæo ad Richardum de S. Victore 304. eius electio in Abbatem San-Albanenſem. 303. item 426. 427. & in Catal.
Guarinus nepos in Decretis lector ibid.
Guarinus San-Victoris Abbas. 584. & in Catal.
Guarinus Gallus, in Catal.
Guelforum & Gibellinorum origo 207.
Guido de Caſtellis Diſcipulus Abaelardi fit Papa Cœleſtinus II. 212
Guido Strampenſis Epiſcopus Cenomanenſis 98.
Guido Prior Carthuſienſis 117.
Guillelmus Aquitaniæ Comes lubricus & inſanus 4[illegible].
Guillelmus Bleſenſis frater Petri, in Catal.
Guillelmus Campellenſis fit Canonicus Regularis apud S. Victorem 24. Philoſophia

docere pergitur ibidem. lauda. 61. & in catal.
Guill. Caroli-loci Abbas fit Archiep. Bituric. 541. 542
Guillelmus de Conchis Philoſophiæ Profeſſor inſignis, in Catal.
Guillelmus de Mauritania contra Hugonem de S. Victore. 64. 65
Guillelmus Bleſenſis ſ u de Campania, Carnotenſis primum Epiſcopus 334. deinde Senonenſis. 378. Thomam Cantuar. exulem excipit & fouet, laudatur ob promotionē Ioannis Saresberienſis ad Epiſcopatum Carnotenſem 395. fit Archiepiſcopus Remenſis 411. vota Thomæ Cantuar. perſoluit eiuſque tumulum inuiſit 41 . fit Cardinalis 428. Archiminiſter Regni. 451. Mecenas litteratorum 490 vide Catal.
Guillelmus Sueſſionenſis. in Catal.
Guillelmus S. Theodorici librum Sententiarum edit. 162
Scribit contra Abaelardum 199. vide Catal.
Guillelmus Medicus libros Græcos è Græcia in Galliam affert. 358

H

HÆreſes 4 ſeculi. 551. 552
Hæreſes variæ in Francia. 99
Hæreſis Albigenſium. 415 422
Hæreſis Toloſana 449. 450
Hæreſis Vvaldenſium. 292
Hæretici Vvaldenſes Coloniæ combuſti. 294
Hæretici à Philippo Auguſto expelluntur 454.
Hæretici Populicaui comburuntur 349
Hæretici etiam valide ſacramenta conferunt 74.
Hardevvinus Teutonicus, in Catal.
Helinandus, in Catal.
Heloiſſa Fulberti Canonici neptis amoribus ſuis Abaelardum illaqueat 41. doctiſſima puella ibidem. diſſuadet Abaelardo ne ſe in coniugem accipiat 48. Habitum Sanctimonialium aſſumit 54. fit Abbatiſſa Paracleti 108 Mariti corpus à Petro Venerabili recipit cum litteris conſolatoriis 208. eius laudes ibidem & ſeq. moritur. 32
Henricus I Anglorum Rex laudatur 17 49.
Leo iuſtitiæ dictus. 50
Henricus II Anglorum Rex animo vegeto & corpore robuſto præditus 272. 400. 476. litteratus 300. 301 litteratos fouet & promouet. 372
Hiberniam ſubiicit 273. ob idque denarium B. Petro ſoluit 273. Crudelitatem exercet erga Coexules Thomæ Cantuarienſis 337. ſcribit ad Papam contra Thomam 361. abſoluitur à cæde S. Thomæ 390. à ſuſpicione cædis liberatur. 391. Pœnitentiam publicam agit ad tumulum S. Thomæ 407 408. à filiis bello vrget ur. 399. obit 474. 475.
Henricus III Angliæ Rex viuente Patre obit verè pœnitens 455. & ibidem eius Epitaphium.
Henricus Frater Ludouici Regis Franc. fit Epiſcopus Bellouacenſis. 203
Henricus Imperator Coronam de manu Papæ accipit. 486
Henricus Murdach Angligena Profeſſor celeberrimus. 162
Eligitur ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem 162 conſecratur ab Eugenio III. 226. in Catal.
Henrici Soliacenſis obitus. 541
Henricus Theobaldi Campaniæ Comitis filius Mecenas Litteratorum. 367. vide Catal.
Henricus Toloſanus Hæreticus. 243. 244. eiuſdem Hæreſis ibid. & 218
Henricus Vvintonienſis Epiſcopus. 261
Herbertus Medicus in Catal.
Helvvinus diuini verbi Præco, in Catal.
Heroaldus, in Catal.
Hieroſolymitana terra occupatur à Turcis 409.
Expeditio Hieroſolymitana omnibus grauis & periculoſa. 232
Hilarius Pictauienſis Abaëlardi diſcipulus, in Catal
Planctum cecinit de abſentia Magiſtri à ſcholis Paracletenſibus. Vide in Petro Abaelardo.
Hildebertus Lauardinus Epiſcopus Cenomanenſis de ſacramento altaris. 31. Vide Catal.
Hildegardis Abbatiſſa docta. 445
Honorius II. viros doctos promouet 96. 97. obit 109.
Honorius Auguſtodunenſis, in Catal.
Hora lectionum in Vniuerſitate Pariſienſi 672
Hoſpitale Sancti Thomæ de Lupara. 453.
Decretalis Clementis III. de Hoſpitiis ſcholarium 485
Hugo à S. Victore Canonicos Regulares in æde San-Victorina conſtituit. 24
Hugo II de S Victore Theologus Summarum Theolog. author 64. reprehenditur à Guillelmo de Mauritania ibidem obit 15 . vide in Catal.
Hugo Ambianenſis fit Archiepiſcopus Rothomagenſis. 327
Hugo Antiſſiodorenſis vir doctus 258, eius Epitaphium ibid
Hugo de Campo-Florido Cancellarius Franciæ multa poſſidet Beneficia Eccleſiaſtica 268. & ſeq. pacem componit inter Reges Franciæ & Angliæ 271. fit Epiſcopus Sueſſionenſis 287 incidit in odium Regis 389. obit. 414
Hugo Clemens Decanus Eccleſiæ Pariſienſis 497.
Hugo Gratianopolitanus inter Cælites refer-

tur. 115
Hugo Archiepiſcopus Treuerenſis legatus & orator Henrici Imperatoris. 18
Hugo Farſitus Præmonſtratenſis Ord. 80. in Catal.
Hugo Phyſicus. Vide in Catal.

I

Iacobus de Regione vnus è 4. primis Iuris Ciuilis Inſtauratoribus obit. 348
Iciunium quinquennale à Gregorio indictum 472.
Ignis ſacer. 29. 114
Inaugurationis Regum Francorum ſolemnitas. 116
De loco Inaugurationis. Quæſtio celebris. 271.
De Incarnatione ſententia Lombardi, Pictauini & Abaelardi 20. Explicationes terminorum ad Incarnationem pertinentium ibidem. Tractatus Roberti Melidunenſis de Incarnatione 596. & ſeq.
Indicti locus à Ludouico Groſſo conceditur San-Dionyſianis. 44. 45
Indiculus propoſitionum Hæreticarum Petri Lombardi 403
Ingulphus Croilandenſis Abbas. 27
Innocentius II. Papa 110. eius mores, vita, educatio. 111. 289 ſuſcipitur in Francia ibidem. Mauriniacenſem Baſilicam conſecrat 113. à Iudæis Pariſienſibus excipitur 113. Regem de morte filii conſolatur 115. Concilium Romæ celebrat contra Arnaldum Brixienſem. 156. diſſidet à Rege ob Archiepiſcopatum Bituricenſem. 205
Innocentius III. Petri Corbolienſis diſcipulus 534. & in Catal. fit Papa. 520
Inueſtituræ Prælaturarum redduntur Prælatis. 91. 92
Ioachimus Abbas Florenſis contra Lombardum. 431
Ioannes Hautiuillenſis ſeu Architrenius librum Vualtero de Conſtantiis dedicat, 458.
Impensè addictus Henrico II. Angl. Regi 459. in Catal.
Ioannes de Cella Magiſter Pariſienſis ſit Abbas San-Albanenſis. 502
Ioannes de Matha Inſtitutor Mathurinorum 524.
Ioannes Epiſcopus Aurelianenſis intruſus. 127.
Ioannes de Temporibus 165.
Ioannes Belethus, in Catal.
Ioannes Cornubienſis, in Catal.
Ioannes Mommiralius ad Ciſtercienſes ſe confert 411
Ioannes de Niuella, in Catal.
Ioannes Oxonienſis, in Catal.
Ioannes Pariſienſis. Vide in Catal.
Ioannes Saresberienſis iudex inter Magiſtros Scholarum conſtitutus 277. dedicat librum de Nugis Curialium Thomæ Cancellario 280. ei adhæret in exilio; fit Epiſcopus Carnotenſis 394. 395. Idem Petri Cellenſis olim alumnus ibid & 396. Vide in Catal.
Ioannes Sagienſis Epiſcopus fit Canonicus Regularis. 118
Ioannes de Sæcli Magiſter ſcholerum Pictauienſium. 280
Ioannes Epiſcopus Pictauienſis fit Narbonenſis, deinde Lugdunenſis Archiepiſcopus. 450
Ioffridus Aurelianenſis Cantabrigienſes ſcholas inſtaurat 28
Iordanus Cardinalis improbæ famæ, 245
Ioſcelinus ſeu Iozlenus Epiſcopus Sueſſionenſis, in Catal.
Ioſephus Itacanus, in Catal.
Iudæorum ſcholæ celebres 450. in Eccleſias conuerſæ. 450
Iudæi libros legis Innocentio II. offerunt. 113.
Iudæorum impietas 221. expelluntur exvrbe Pariſienſi. 450. 453
Iudicium Apoſtolus Eudonis hæretici. 245.
Iuo Carnotenſis inſtaurator ſcholæ Carnotenſis 14. Canonum compilator. 44. & 45. obit 44 eius elogia ibid
Iuo de S. Victore Cardinalis 102. & in Catal
Iuris-Ciuilis à Iuſtiniano digeſtio. 577
Ius Ciuile reſtituitur ab Irnerio, & Bononiæ primum docetur 534 577
De Iuris Ciuilis Facultate 576. & ſeq.
Ius Ciuile Theodoſianum 576
Iuris Ciuilis laus, abuſus. 578
Ius Ciuile Theologiæ ſtudium obruit. 579
In Anglia primum docetur 579 580
Ius Canonicum Carolo M. collectum 580. Seculo 4. Vniuerſitatis doceri cœpit ſeorſim à Theologia 580. quare Facultas Iuris Canonici dicatur eſſe vltima Facultas. 581
Quæſtio de iuſtis ante aduentum Chriſti, deque eorum ſcientia. 77.

L

Labyrinthi 4. Franciæ. 26
Ordo Lectionum in Vniuerſitate Pariſienſi. 672
Legatorum Alexandri in negotio Thomæ Cantuar. varius affectus
Lexouienſis ſchola 378. eloquentia Lexouiensis ibidem.
Librarii Pariſienſes Vniuerſitati addicti. 466.
Ordo librorum & artium legendarum. 668.
Libri Gallicè ſcripti quo tempore. 58
Licentia & Licentiatus in negotio ſtudiorum 681.
Licentiæ gradus quid differat à Magiſterio. 684. 685
An pro Licentiæ conceſſione liceat pretium exigere. 430

Licentiæ Gradus quare ab Epiſcopo aut à Cancellario pendet? 685
Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus magni nominis. 63
Logicæ dignitas & neceſſitas 79 item 564
Lombardus, in Catal.
contra Lombardum. 403
Lotharius de Signia fit Papa Innocentius III. 520.
Lotulfus, in Catal.
Lucius Papa ab Arnoldiſtis Romanis vexatur 213. 214.
Lucii Papæ obitus. 462
Ludouici Groſſi mores 23. ab Epiſcopo Pariſienſi excommunicatur, deinde abſoluitur 163. vide in Catal. obit. 151
Ludouici VII inauguratio à Conſcholaribus celebrata. 116. Eleonoram Aquitaniæ Duciſſam ducit vxorem 150. ad expeditionem Hieroſolymitanam ſubditos proprio exemplo adhortatur 2. S. ad bellum ſacrum proficiſcitur 221. Thomam Cantuarienſem & Coexules benignè ſuſcipit 351. Thomæ tumulum inuiſit 452. munera offert ibid. honorificentiſſimè ab Henrico II. Anglorum Rege excipitur. 443. obiit 444. Vide in Catal.
Lugdunenſis ſcholæ celebritas 135. 136.
Eccleſia Lugdunenſis inſtituit feſtum Conceptionis B. Virginis 136. à Bernardo Clareuallenſi reprehenditur.

M

MAgiſtri nomen honorabile. 367. 368.
Magiſtrorum Pariſinorum Catalogus. 526. 527.
Magiſtri Pariſienſes præferuntur in Beneficiis 529. 530.
Magiſtrorum admiſſio. 663. ætas ibid. habitus. 670. 671
Magiſtri ad Synodos aduocari ſoliti. 673. 105
Magiſtrorum ambitio 686. eorundem mores in 4. ſeculo ibid.
Magiſterii Gradus ab Vniuerſitate, non à Cancellario pendet, 685.
Manaſſes, in Catal.
Mantum papale. 284. 285
Mariani Cœnobii inſtitutio. 155
Mathæus Angus hoſpitatur apud San-Victorem 304.
Scholam San-Albanenſem regit. 405
Mathurinenſium Ordo inſtituitur 522. Habitatio 524. Eorum Clauſtrum Vniuerſitatis Comitiis addictum 525
Mauricius de Soliaco fit Epiſcopus Pariſienſis 325. Diſſertatio de eius Epiſcopatu ibid. eiuſdem conſtitutio circa Vniuerſitatem 226 Baſilicam B Virginis ædificat. 419 obit. 512 vide in Catal.
Medicinæ Facultas 572. Quando in Gallia doceri cœperit, quando Pariſiis. 573. 181. Floret Salerni & Monpeſſuli. 573
Medicinam exercere Monachis interdictum. 576.
Medicorum triplex genus Pariſiis. 576. 577
Medici Presbyteri. 576
Medicorum variæ opiniones ægrotis nocent. 574.
Melior Cardinalis. 457. & in Catal.
Meretricum Pariſ. inſolentia, 687
Meretrices Pariſienſes Fulconis Neulliaci ſermonibus ad Deum conuerſæ in S Antonii Cœnobio includuntur. 519. 688
Merlini Prophetia de rebus Anglicis. 436
Methodus docendi in Artibus praua. 556. & ſeq. in Philoſophia. 566. 567
Michael Corbolienſis. Decanus Pariſ. 497. fit Archiep. Senon. vide in Catal. 496
Minotaurus quid ſit. 200
Miracula de Chriſti corpore. 448
Monachi Priuilegiati ſeculares Clericos opprimunt. 59 60
Monachi Mauriniacenſes cum Canonicis Stampenſibus decertant. 61. 62.
Quæſtio an Monachi ſint anteferendi Canonicis Regularibus & Clericis. 80
Monachorum Ordines laudantur. 698
Mores Monachorum in 4. ſeculo Vniuerſitatis. ob diuitias inſolentes 698. Reprehenduntur ab Alexandro III. 699. Contra Monachos ſuperbos ibid.
Monachorum ſubiectio erga Epiſcopos. 701. Quando cœperunt excutere iugum Epiſcopale 701. Contra Monachorum exemptiones & priuilegia. 701 705. 707. 708 711 & ſeq Monachi Reſbacenſes coguntur parere Epiſcopo Meldenſi. 705 706
Monachis S Martini Campenſis donatur Eccleſia S. Dionyſii de Carcere. 133. 134
Muſicæ laus. 584

N

NAtionum diuiſio in Vniuerſitate Pariſienſi antiqua, quomodo facta 666. 667.
Concordarum inter 4 Nationes de Electione Rectoris. 662
Naufragium lamentabile Normaniæ Nobilitatis. 95
Nichilianiſtæ hæretici. 404
Norbertus Præmonſtratenſis 80. Obtinet confirmationem Ordinis 102 Reprehenditur ob acceptum præſulatum ibid. vide in Catal.
Nugarum omnia plena. 561
Nuncii Vniuerſitatis priuilegiati. 278
Magni Nuncii Vniuerſitatis. 415

O

OBizo, in Catal.
Octauianum ſchiſma. 285. & ſeq.
Octauiani antipapæ mores. 333
Odo de Soliaco iuuenis honorificè à Papa excipitur 470. eius dotes. Fit Epiſcopus Pariſienſis. 511. Petri Bleſenſis amicus 514 tollit abuſus feſtorum ſolennium. 547 litem habet cum Abbate Sangenouefiano pro

pro Parocho & Procuratione, vide in Catal.
Odo de S. Victore, in Catal.
Odo de Ceritona, in Catal.
Otho Auſtriacus vulgò Frinſinghenſis ſtudet Pariſiis. 109
Oxonienſis Vniuerſitatis ſtatus circa an 1200 celebritas, adminiſtratio. 544.
Eiuſdem Officiarii, Rector, Cancellarius, Procuratores, ſigillum Magnum. 506

P

PApa incipit cognoſcere de rebus Vniuerſitatis Pariſienſis. 129. 130
De Papæ poteſtate. 58
Papienſe Concilium pro Octauiano contra Alexandrum III. 286
Paracletenſe Oratorium ab Abaelardo conſtruitur 96. diuitiis locupletatur 107. ab Innocentio II. approbatur 127
Pariſienſis Ciuitas dicta Cariatſepher, hoc eſt Ciuitas litterarum; celebritas eiuſdem à litteris 253. 264. 285
Pariſienſis Eccleſiæ Priuilegium à Ludouico VII. ob ſtudia teneræ ætatis conceſſum. 276.
Pariſini Magiſtri. 526. 527
Paſchalis Papa auxilium à Francia contra Imperatorem flagitat 17. 18. Concilium habet Catalauni de inueſtituris & de iure Imperatoris 18. ab Imperatore incarceratur 31. Concilium Romæ celebrat & pacta cum Imperatore reſcindit 32
Pauperes de Lugduno. 522
Paupertas virtutum Parens. 699
Petrus Abaelardus Nannetenſis, ſcholæ Pariſienſis celebritate ductus Lutetiam venit ad M. Guillelmum Campellenſem. 8. Canonicus Turonenſis 48. contemnit ſuos Magiſtros 9. Theologiam ſine Magiſtro docet 41 42. Heloiſſæ amoribus irretitur 42. infeliciter 47. 48 paciſcitur de nuptiis cum Fulberto Heloiſſæ auunculo 48. cuiratur ibid. Scholarium de Magiſtri calamitate conqueſtio 49. Fulconis Prioris Diogillenſis ad Petrum Conſolatoria. 51. 52. fit Monachus San-Dionyſianus 50. docere pergit 54. Commonachis grauis & moleſtus eſt. 55. Virgis cæditur ob hiſtoriam S. Dionyſii 85 damnatur in Synodo Sueſſionenſi 66. Tractatum de Trinitate in ignem coniicit 68. Nominalis ſectæ & hæreſeos accuſatur & tanquam Sabellianus damnatur 68. priuatam vitam ducit extra Cœnobium San-Dionyſianum 89. Paracletum conſtruit ibique ſcholas habet 96. exagitatur à Bernardo Clare-Vallenſi & Norberto Præmonſtratenſi 107. fit Abbas Ruienſis 111. malè ſentire creditur de ſacramento altaris 199. 200. damnatur in Concilio Senonenſi 112. Apologiam ſcribit 196. fidem explicat 185. ad Petrum Cluniacenſem ſe confert. 198. moritur 208. abſoluitur ab omni ſuſpicione hæreſeos 212. Epitaphio honoratur à Petro Cluniacenſi compoſito 211. vide de eius moribus & fama pag. 9 43. 50. 51. & in Catal.
Petrus Bleſenſis præceptor Guillielmi Siciliæ Regis. 347
Præbendam Carnotenſem poſtulat, ſed amittit 396. Patrem à crimine vindicat 347 Vide in Catal.
Petrus Brusius eiuſque hæreſis. 99
Petrus Cantor eligitur in Epiſcopum Tornacenſem, & pro eo ſcribit Stephanus Tornacenſis. 487
Petrus de Caſtro eligitur in Archiep. Bituricenſem 161. inde bellum ibid.
Petrus S. Chryſogoni Cardinalis retinet Epiſcopatum Meldenſem 368. perſcribit nomina virorum litteratorum ad Alexandrum III 147.
Petrus Cluniacenſis de Pontio triumphat. 101 102. Heloiſſam de morte Abaelardi conſolatur 288. & ſeq. Regi Ludouico VII. congratulatur ob acceptam Crucem. 220.
Petrus Comeſtor 261 eius ſermones in ſcholis 374. 375. obitus, epitaphium, laudes 515 vide Catal.
Petrus Corbolienſis plura Beneficia poſſidet 527.
Petri Leonis educatio III. Petrus Leonis fit Papa ſub Anacleti nomine. 110
Petrus Lombardus crimini accuſatur. Romam profectus ad Sugerium remittitur 251. 252. contra Doctrinam Petri Lombardi. 403. & ſeq. 431. fit Epiſcopus Pariſ. 287. obit 324. conteſtatio in electione ſucceſſoris 315. à Gualtero de S. Victore reprehenditur. Vide in Catal.
Petrus Pictauinus libros de Theologia dedicat Vuillielmo Senonenſi. 431
Petrus Piſanus Cardinalis deponitur ab Innocentio 154 reſtituitur ibidem.
Philippus I. ob inceſtas nuptias in Concilio Pictauienſi excommunicatur 2. arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ 4. hinc Quæſtio agitata, an potuerit publicè excommunicari. ibid. excommunicationis vinculis ob diuortium irretitus abſoluitur. 13. 14. Bertbradam publicè dimittit 15 obit. 20
Philippus Ludouici Groſſi filius Rex deſignatus moritur. 114
Philippus Adeodatus naſcitur 136. eius Patrimi ibid. in filia binoctio errat 441. inauguratur in Regem 443 ab expeditione Hieroſolymitana reduxabſoluitur à Papa 490. acriter ſcribit ad Papam contra Archiepiſcopatum Dolenſem 453. laudatur à plurimis 491. 493. reprehenditur à Cœleſtino III. ob diuortium 502 de eiuſdem diuortio 533. 534. 550.
Philippus Abbas Bonæ-ſpei
Pileus antiquum inſigne Magiſtrorum 267.
Philoſophiæ tria genera 562. contra Philoſophiam garrulam 522. 566. 567
Philologiæ nuptiæ quales 149
Placentinus Mompeſſuli Ius Ciuile docet 485 moritur ibid.

Platonis laus. 565
Poetæ mendici contemptus & ludibrium. 560.
Poeticæ artis laus. 560
Pons Auenionenſis extruitur miro artificio. 419.
Populicani Hæretici. 448
Præbenda Scholaſtica inſtituta. 430. Præbendarum reſeruationes. 530. 531
Prædicatorum Ordo. 521
Prædicatores humiliati. 522. 523
Præmonſtratenſis Ordinis origo. 106
Præpoſiti Scholarum ſub Primariis Magiſtris. 667. his de Prato Clericorum. 322. 323. 537
Primatus Lugdunenſis. 89. Senonenſis. 90 91.
Priuilegia exemptionis Monachorum exoſa. 691.
Procurationes Epiſcoporum. 701. Procuratio ibid.
Puella Henrici Hæretici Toloſani hæreſim confutat. 262.

R

RAdulphus Archiepiſcopus Remenſis pacem tandem init cum Rege Ludouico. 21
Ratio ſeruit, vbi regnat fides. 169
Rectoris Bononienſis Academiæ iuramentum. 476. à quibus creatur ibid
Rectoris Vniuerſitatis priuilegium quoad incarcerationem. 665. ex quo corpore aſſumi debet. 664
Rectoris neceſſitas in omni Corpore & Societate. 108
Regaliorum ius conſtitutum. 277
Regentium ſeu Profeſſorum priuilegium. 470. quoad reſidentiam in beneficiis.
Regum auſpicalis locus. Vide ſup. Inaugurationis Regum locus.
Regina Franciæ Adela Pariſiis coronatur. 292.
Remenſium Canonicorum menſa communis. 504 505.
Rhetoricæ virtutes. 561
Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis commendatur Alexandro III. ab Arnulpho Lexouienſi 398. 399
Richardus adoleſcens à Iudæis occiditur. 446.
Richardus de S Victore Prior factus 160. 402. & in Catal.
Richardus Anglorum Rex capitur à Duce Auſtriaco 472. Liberatur numeratâ pecuniâ 496. queritur apud Papam de ſua captiuitate. 504. Vvalterum Rothomagenſem Archiep. in gratiam recipit. 516. obit. 547. 548.
Robertus Antiſſiodorenſis Marianus fit Monachus. 393
Robertus Arbriſcellenſis obit. 55
Robertus Melidunenſis fit Epiſcopus Herefordenſis. 214. Tractatum Theologicum edit. 264. 586. & ſeq.
Robertus de Gorrham Abbas S an-Albanenſis. 261
Robertus Pariſienſis Princeps Nominalium apud Paſchalem Papam magnæ authoritatis. 32
Robertus Pullus Profeſſor ſanæ doctrinæ 153. fit Cardinalis. eius dotes. 244
Rodulphus Anſelmi Laudunenſis Diſcipulus fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 43
Rogerus Eboracenſis oſor Monachorum. 448.
Romana Curia auaritiæ famâ laborat. 52. 53 quantum Franciæ debeat. 90. de ea Iudicium. 282
Roncaliæ deſcriptio. 777
Roncalienſis Conuentus. Vbi Authentica *Habita* condita in gratiam ſtudentium, & Ius Regaliorum conſtitutum ibid.
Rupertus Abbas Limpurgenſis ſtudet Pariſiis, eius ſeueritas. 79
Rupertus Tuitienſis ſpecialem habet opinionem de Sacramento Altaris. 30

S

SChiſma Petri Leonis.
Schiſmatis Octauiani origo. 283
Scholæ Oppidanæ aliquando non incelebres Magiſtros nactæ. 11
Scholæ San victorinæ inſtitutio. 24
Schola San-Genouefiana. 480
Schola Epiſcopalis vbi ſita. 666. eius Rector ſeu Caput eſt Cancellarius Pariſienſis ibid. Extranei ſcholares in ſchola Epiſcopali recepti. 119
Scholæ ingreſſus qua hora. 672
Scholarium Priuilegium de litibus, vt non poſſint trahi extra muros Pariſienſes. 501
Scholarium conſuetudo in Exequiis ſociorum. 509 mores in 4. ſeculo. 687. diſſidia 688 indigentia. 689
Scholaris reduuius. 509
Scholaris contritus.
Scholaſtica Theologia quando orta. 583
Idea Theol. Scholaſticæ ex Roberto Melidunenſi. 585
Scholaſtici nomen vnde. 584
Idea Theologiæ Pſeudo-Scholaſticæ. 613
Scientia Chriſti. 597. de duabus ſcientiis Chriſti. 565 & ſeq.
Senatus Romanus reſtitutus. 207. 208. quid ex illa reſtitutione Romæ acciderit. 213. 214 218.
Senonenſe Concilium contra Abaëlardum. 162. & ſeq.
Sermones in Scholis Pariſienſibus. 374
Sigeberti Gemblacenſis obitus & laudes. 41 42.
Silo Philoſophiæ Profeſſor ad Ciſtercienſes ſe confert. Occaſio conuerſionis. 395. in Catal
Simon Piſciacenſis Legatus Regni apud Innocentium Papam. 107. Vide in Catal.
Simon Abbas San-Albanenſis Bibliothecam reſtituit. 342
Stephanus de Garlanda homo illiteratus fit

Epiſcopus Beluacenſis authoritate Philippi Regis. 3. exauctoratus fit Cancellarius Franciæ & Militiæ Dux 4. confunditur malè ab aliquibus cum Stephano Epiſcopo Pariſienſi. 93. 94. litem exercet cum Epiſcopo. 131. 132. reprehenditur quòd vitam Clericalem non agat. 132
Stephanus Epiſcopus Pariſienſis Montem San-Genouefianum interdicto ferit ob Scholares. 128 item Galonem Rectorem Vniuerſitatis. 131. hinc vehemens inter eos contentio & diſcordia. Obit 160. eius morte turbatur Eccleſia Pariſienſis. 161
Stephanus de Balgejo de Sacramento altaris. 10.
Stephanus Rex Angliæ à Papa confirmatur. 15.
Sugerius Abbas San-Dionyſianus. 88
Sugerij laus ob bene geſtam rem publicam abſente Rege. 250. obit. 262.
Summarum Theologicarum origo. 64

T

TAnquilini Flandri Hæretici dogmata. 98.
Templariorum origo. 56. numerus & opes. 57. confirmatur Ordo in ſynodo Trecenſi. 101. 105.
Theobaldus Abbas Beccenſis fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 155
Theobaldus Comes Campaniæ bello impetitur à Rege Ludouico. 205. 206. eius virtutes, obit. 255
Theobaldus Noterius Archidiaconus Pariſienſis author cædis Thomæ San-Victorini 122. à Bernardo Clareuallenſi vexatur. 124
Theologiæ Scholaſticæ prima lineamenta Pariſiis. 47. Theologiæ Facultas. 582. Theologiæ triplex ſpecies, Poſitiua, Scholaſtica, Pſeudoſcholaſtica. 582. & ſeq.
Theologorum corruptio. 491
Theſaurus, ſeu ſacra S. Genouefæ furto ſublata. 247
Thomas Treſſentis Magiſter Scholarum, Stampenſe Monaſterium inſtaurat. 29
Thomas de Marna vir perditiſſimus 36. excommunicatur ab Apoſtolico Legato. 44
Thomæ San-Victorini cædes ſcelerata. 121 quomodo & vbi perpetrata. 123
Thomas Cantuarienſis fit Archiepiſcopus. 299. diffidet à Rege Henrico II. 328. & ſeq exulat in Francia ibid. Regem ſuum increpat 339. à Coëpiſcopis reprehenditur nimiæ ſeueritatis. 334. 340. eos ipſe accuſat puſillanimitatis & perfidiæ. 341. fit Primas Angliæ. 347. & Legatus Apoſtolicus ibid. excommunicat Ioannem Oxonienſem. ibid. & 350 Papæ ſuccenſet ob admiſſum Ioannem ad colloquium ibid. admonetur ab Arnulpho Lexouienſi ne minutias ſectetur. 356. renuit ſe ſubmittere iudicio Vniuerſitatis Pariſienſis, quare. 385. reprehenditur à multis. 366. pacem init cum Rege 378. 379. Regem corripit. 379. recidit in eius odium ſuâ culpâ. 380. Occiditur. 386. eius interfectores. 387. Quæſtio de eius ſanctitate. 387. coruſcat miraculis & inter Cœlites refertur. 388. colitur vt Martyr. 389. Feſtum eius inſtituitur. 147. S. Thomæ de Lupara Collegium, Hoſpitale, Canonici, reditus 462 & ſeq
de Timore Chriſti variæ opiniones Theologorum 76
Tironenſis Cœnobij fundatio. 19
Toloſana Hæreſis. 422
Toloſæ ſtatus ſub hæreticis. 423
Tornacenſis Epiſcopatus reſtituitur.
Tranſſubſtantiationis explicatio per Alanum de Inſulis. 439
Tractatus de Trinitate per Abaëlardum. 69 contra Tractatum illum Gualterus de Mauritania ibid.
Tunica Chriſti inconſutilis reperta. 276

V

VAcarius primus Legum Profeſſor in Anglia 212. 54. in Catal.
Valdenſium Hæreticorum origo. 295
Valdricus Epiſcopus Laudunenſis impiè trucidatur. 53
S. Victoris Pariſienſis antiqua Cella Nigrorum Monachorum. 24 Colonia Vniuerſitatis Pariſienſis 26 Schola ibidem inſtituta. 27. Caput omnium Abbatiarum Canonicorum Regularium 27. Abbatem eligit non expectato Regis conſenſu. 37 fundatur. 81 Pœnitentiariam exercet. 27. aliis Abbatiis & Eccleſiis Cathedralibus Canonicos ſubminiſtrat 120. magnæ famæ eſt vbique. 38. Præbendam obtinet apud San-Genouefam Pariſ 217
Quæſtio de Aſſumptione B Virginis in corpore. 418
Quæſtio de vini conſecratione, an neceſſaria ſit ad complementum ſacramenti 516
Vitalis Diuini Verbi Præco egregius Sauiniaci Cœnobij Inſtitutor. 32. 33
Vitriaci Caſtelli incendium & incluſorum combuſtio. 206
Vlgerius Andegauenſem ſcholam reſtituit 215. vide Catal.
Vlgrinus Cancellarius Carnotenſis reſpuit Epiſcopatum Dolenſem. 18
Vniuerſitatis Pariſienſis celebritas in 4. Seculo 1. 11. 50. 51. 252. & ſeq. 301. 302. & ſeq.
Eiuſdem primi Inſtitutores & Profeſſores. 287. Mecenates. 367. Arbitra proponitur diſſidii inter Regem Angliæ & Thomam Cantuarienſem. 364. muris cingitur & hoſpitiis decoratur. 481. intereſt ſolemni ſupplicationi de ſalute Ludouici filii Philippi 486. litigat cum Abbate San-Germano-Pratenſi ob interfectos Scholares in Prato. 489 490. cauſas ſuas agit apud Epiſcopum Pariſienſem & Abbatem San-Genouefianum 498. Quare ibid. Priuilegiis Regiis decoratur. 553. 554. Pontifi-

ciis. 555. de ſtatu eiuſdem in 4. Seculo 556 de regimine ibid. & ſeq ſtatuta antiqua Vniuerſitatis. 662. 668. & ſeq. Violatores ſtatutorum conſortio priuantur Vniuerſitatis. 662. 663. 670. de Officiariis Vniuerſitatis. 664. 665

Vniuerſitatis nomen aliis etiam Corporibus applicatum. 216

Vrbanus III. Papa Alumnus Pariſienſis Vniuerſitatis. 462

Vſuræ & Vſurarii innumeri. 491

BIBLIOTHEQUE ROY

FINIS.